{BnF

gallica
BIBLIOTHÈQUE
NUMÉRIQUE

Optatien, Publilius Porphyrius Optatianus. Quarti saeculi poetarum christianorum Juvenci, Sedulii, Optatiani, Severi et Faltoniae Probae Opera omnia... Accedunt D. Ausonii,... opuscula omnia.... 1846.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF.Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :
*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.
*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer ici pour accéder aux tarifs et à la licence

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.
*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter reutilisation@bnf.fr.

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIE TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

UNIVERSITÉ BIBLIOTHÈQUE LILLE

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS XIX.

POETARUM: JUVENCI, OPTATIANI, SEDULII, SEVERI RHETORIS, FALTONIÆ, AUSONII,

TOMUS UNICUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1846.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

QUARTI SÆCULI

POETARUM

CHRISTIANORUM,

JUVENCI, SEDULII, OPTATIANI, SEVERI

ET

FALTONIÆ PROBÆ,

OPERA OMNIA,

ARCHIGYMNASII INSULENSIS CATHOL.

AD FIDEM

AREVALENSIS ET PISAURENSIS EDITIONUM

RECOGNITA, EXPRESSA ET EMENDATA.

ACCEDUNT

D. AUSONII BURDIGALENSIS OPUSCULA OMNIA,

TAM SOLUTO QUAM STRICTO SERMONE SCRIPTA,

EX VARIIS RECENSIONIBUS INTER SE DILIGENTER COLLATIS COLLECTA, ET CURA QUA PAR ERAT CASTIGATA.

TOMUS UNICUS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER,
ou PETIT-MONTROUGE.

1846.

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

JUVENCUS.

Historia Evangelica.	Col.	53
Liber in Genesim.		345
Carmen de Laudibus Domini. •		379.

OPTATIANUS.

Panegyricus Constantino Augusto dictus.	395

SEDULIUS.

Carmen Paschale cum Opere Paschali junctum.	533
Elegia.	753
Hymnus.	763
Epigramma.	771
Carmen de Incarnatione.	773

SEVERUS RHETOR.

Carmen Bucolicum de virtute signi crucis.	797

FALTONIA PROBA.

Centones Virgiliani.	803

AUSONIUS.

Epigrammata, Idyllia. Epistolæ, nec non et alia opuscula varii generis.	817

Imprimerie de Vrayet de Surcy et Cie,
rue de Sèvres, 57, à Paris.

ANNO DOMINI CCCXXIX.

C. V. AQUIL. JUVENCUS,

PRESBYTER HISPANUS.

(Juxta editionem Arevalo.)

Epistola dedicatoria.

Illustrissimo et reverendissimo domino D. Gregorio Alphonso Villagomez Lorenzana, equiti præclari regii ordinis Hispanici Caroli III, archidiacono Calatravæ, canonico Toletano, etc., Faustinus Arevalus.

Evangelicam Historiam, Gregori, vir amplissime, quam Latinis versibus Juvencus presbyter reddidit, cum ad vetera exemplaria recognoscere, subjectisque notationibus, quod proxime in Dracontio, nec multo ante in Prudentio, feceram, illustrare constituissem, jamque adeo in eo essem, ut de editione cogitarem; argumenti difficultate non minus quam majestate subito deterritus, omnino ab hac mente destitissem, nisi tu pro eo, quo es in omne litterarum genus, tum vel maxime in has sanctiores studio, intercessisses, stimulosque mihi cum ad alia opera absolvenda, tum præsertim ad hoc perficiendum admovisses. Itaque, quod faciendum erat homini, tot nominibus tibi obstricto, quique tantum judicio atque amori tuo tribuit, quantum quampaucissimorum, statim tibi parui, ac Juvencum meum qualitercumque absolutum typographicis operis excudendum tradidi; quem modo a prælo recentem tibi sisto, virtuti, ut ait ille, ac meritis dedicans librum tuis. Fateor sane, ejus editionem non illam quidem ad unguem perfectam, aut numeris suis omnibus absolutam fuisse: sed tamen omnium, quæ adhuc procuratæ sunt, locupletissimam, et ad eam perfectionem, quasique fastigium, quod a me exspectari potuit, pro virili mea parte, ut tibi obsequerer, esse perductam, nemo, opinor, inficiabitur. Qua in re non solum me quam gratissimum erga te cognosci cupio; sed etiam spero, opto quidem certe, memorem videri beneficiorum, quæ ab eminentissimo cardinale Francisco Antonio Lorenzana, archiepiscopo Toletano, tuo avunculo, tuique amantissimo, in me collata sunt, quæque ego memoria colam sempiterna. Quid autem mihi gratius et optatius, quid jucundius accidere potuit, quam ut vetustissimum christianæ poeseos monumentum, a nobilissimo presbytero Hispano Juvenco, profanis perinde ac sacris litteris apprime exculto, sub ipsa initia pacis a Constantino imperatore Ecclesiæ redditæ elaboratum, et nunc denique a me recensitum, te hortatore et auspice, qui ea decora omnia quibus Juvencus maxime excelluit, in te ipso collecta refers, prodeat in lucem, communemque reipublicæ christianæ utilitatem? Ut enim præclara illa avitæ nobilitatis tuæ monumenta, et trophæa prætéream, quæ jam inde a primis Hispanorum præliis contra Mauros in oppido Mogroveio adhuc visuntur, habes profecto in majoribus tuis, quibus jure, et merito gloriari possis, duos egregios viros Sanctorum fastis ascriptos, Turibium Alphonsum Mogroveium, archiepiscopum Limanum, et Vincentium Lorenzana, abbatem ordinis S. Benedicti, cujus religiosum cultum domus tua materna sacello, ara, sacrisque concelebrat. Habes clarissimos duos antistites, Petrum Villagomez, qui in archiepiscopatus Limani provincia S. Turibio avunculo suo successit, et multa ingenii, doctrinæque suæ monumenta litteris consignata posteritati commendavit; et Ferdinandum Villagomez, episcopum Tlaxcalensem, qui concilii II Mexicani pars magna fuit, cujus decreta et canones in ordinem formamque digessit. Habes, atque intueris, ut de aliis taceam, duo illa fulgentissima Hispaniæ lumina, par nobile fratrum, avunculos tuos, eminentissimum, quem modo nominabam, card. Franciscum Antonium Lorenzana, hujusque non minus meritis quam nascendi sorte germanum, Thomam antistitem Gerundensem. Tot tamque præclaris domesticis exemplis excitatus, quid miremur, si plura alia ornamenta virtute et ingenio parta tibi comparaveris, ut multo malueris tuis meritis quam tuorum laudibus commendari? Magnam equidem de te jam multo ante opinionem comprehenderam, quem non nescirem excellenti ingenio præditum, incredibili discendi desiderio incensum, præclaris jactis pueritiæ et adolescentiæ fundamentis, eloquentiæ laude ornatum, cujus non illa quidem multa, sed sane illustria monumenta in vulgus prodierunt, ita in graviores facultates, præsertim vero in theologicas toto animo incubuisse, ut a primis juventutis annis gravissimum munus quærendi in omni theologiæ genere, et judicandi de iis qui in amplissima diœcesi Toletana ad animarum curam assumendi promovendique sunt, magna cum gloria, ac nominis existimatione sustineas. Verum opinionem meam longe vicit perspecta mihi singularis ingenii tui vis, et sacræ doctrinæ ubertas; cum te Romæ multis mensibus commorantem, fere quotidie de altissimis religionis nostræ mysteriis, ut occasio sese dabat, ex tempore subtiliter disserentem audierim, atque ita difficillima quæque ad vivum resecantem, eaque facili et profluenti oratione expedientem, ut ingenium videreris (Augusti verbis utar) in numerato habere. Nec secus existimarunt tot illi viri principes, Ecclesiæ et litterarum decora, quorum in consuetudinem, doctrinæ amore ductus, te libenti animo dabas, et quibus ipse impense charus, acceptusque eras propter ingenii præstantiam candoremque animi bene constituti. Mirari

etiam in te licuit avidum studium Romanas antiquitates qua sacras, qua profanas investigandi, judicium exquisitum in liberalium artium operibus æstimandis, ardens desiderium introspiciendi omnia pietatis opera, quæ multa ac varia Romæ sunt ad hominum ærumnas sublevandas sapienter instituta; ut maximopere optandum sit, tales ex Hispania huc ventitare viros, qui vicissim et bonam existimationem de gente nostra apud exteros inferant, et hinc in patriam reduces boni aliquid tamquam ex mercatura bonarum artium reportent.

Utinam vero mea hæc in Juvencum exercitatio, quæ tuo etiam itineri Romano accepta referri debet, cæteris tuis cogitationibus et curis responderet! Verum si quid in ea deerit, vel potius quidquid decrit, deerunt enim multa, facile spero, te mihi condonaturum, vel propter ardui operis difficultatem, quam ipse in Breviario Isidoriano, in S. Martino Legionensi, in Patribus Toletanis recognoscendis, ut eminentissimi editoris Lorenzana laborem aliqua ex parte relevares, diu expertus es, vel propter singularem humanitatem, qua bonarum litterarum cultores complecti soles, et me cum multis, vel dicam, ne parum gratus videar, cum primis benigne complecti voluisti. Vale.

Romæ IV kal. Octobr. MDCCXCII.

PROLEGOMENA IN C. VETTIUM AQUILINUM JUVENCUM.

CAPUT I.

S. Hieronymi de Juvenco testimonia expenduntur. Opinio de religioso cultu olim Juvenco præstito rejicitur.

1 1. Post Prudentium et Dracontium ad vetera exemplaria recognitos et, quoquo modo potui, illustratos, non tam a me reddenda est ratio, cur nunc Juvencum simili cultu ornatum edam, quam cur tamdiu distulerim, aut alios illi prætulerim. Est enim Juvencus, ut poetarum christianorum omnium, quos inter Latinos quidem exstitisse certo novimus, antiquissimus, ita etiam nitore verborum, Elegantia styli, et veteri quadam simplicitate, ad divinum sui carminis argumentum plane accommodata, præstantissimus. In ejus autem poemate non solum mirari licet primam, saltem inter Latinos, quatuor evangeliorum concordiam, ad cujus imitationem innumeræ aliæ postea prodierunt, verum etiam peculiares quasdam interpretationes sacrarum litterarum vetustate sua commendabiles, varietatem præterea lectionis in volumine Evangeliorum, quo ille suo tempore, ineunte scilicet sæculo IV, utebatur.

2. Verum Prudentio principatum inter poetas christianos, quem olim libens cum plerisque asserui ob mirabilem rerum et carminum varietatem, acutissimum ingenium, ingentes spiritus **2** poeticos, et singularem doctrinam, nec nunc quidem negare, aut in dubium revocare est animus. Ut autem proxime post Prudentium e mea manu prodiret Dracontius, illa me ratio impulit, quod hujus carmina duabus partibus auctiora, quam quæ antea prodierant, in codicibus mss. a me reperta, ex quibus omnino alius Dracontius apparet, multo majorem utilitatem studiosis doctrinæ et antiquitatis sacræ mihi visa sunt allatura, quam commentationes ullas meas in alios christianos poetas, in quorum poesi vix aliud agere licet, nisi veterem lectionem, codicibus optimæ notæ inspectis, constituere.

3. Deterrebat me etiam ab editione Juvenci majestas ipsa argumenti. Quod si usu et exercitatione in hoc genere aliquid profeci, id totum in Salvatoris A nostri gestis dictisque enarrandis conferendum quidem a me esse intelligo; sed adjumentum hoc valde exiguum ad tantum onus subeundum esse facile perspicio, cum istiusmodi tractationem non nisi timide et pedetentim quivis quamvis experientissimus debeat aggredi. Sequar igitur ducem Juvencum non quidem passibus æquis, sed tamen ut potero. Commentationes in Sedulium, Aratorem, aliosque sacros poetas in aliud tempus differam, ne mihi aliquis exprobret, quod Antonio Nebrissensi Nicol. Antonius objiciebat Biblioth. vet. l. II, c. 4, part. 1, num. 114: *Nullum vero hactenus habuisse Juvencum, qui criticæ industriæ, aut explicationis facem, qua indiget, ei præluceret, præter unum Barthium ex parte aliqua, et Fabricium levi manu in re usum, eo magis miror, quod cum Antonius Nebrissensis noster, qui potuit, debuitque una cum Sedulio et Aratore multo magis Juvencum civem suum commendare piis lectoribus a se explanatum, in Sedulio quidem industriæ suæ operam posteritati transmiserit, in Aratorem commentaria parata se habere alicubi testatus fuerit: Juvenco autem Hispano nullus suppetias iisse referatur.* Ne vero meo mori desim, his Prolegomenis complectar quiquid de eo, de ejus operibus, codicibus mss., editionibusque, multis in locis dispersum collegi.

4. Non exigua laus Juvenci est, quod a S. Hieronymo non semel nec perfunctorie laudatus fuerit: neque enim de ejus **3** vita quidquam aliud exploratum habemus, quam quod de eo tradidit Hieronymus. Ita ergo præclarus hic doctor de Vir. illustr. cap. 84, tom. II, col. 909: *Juvencus, nobilissimi generis, Hispanus presbyter, quatuor Evangelia hexametris versibus pene ad verbum transferens, quatuor libros composuit, et nonnulla eodem metro ad sacramentorum ordinem pertinentia. Floruit sub Constantino principe.* In quodam Juvenci codice hoc testimonium exprimitur cum aliqua varietate, ut referam num. 50.

5. Vallarsius in notis animadvertit, ex ipso gentilitio nomine satis apparere, Juvencum fuisse nobi-

lissimi generis, quia in libris antiquis, Jureto teste, appellatur *C. Vettius Aquilinus Juvencus*. Certe Hieronymi testimonium de nobili genere Juvenci probatione non indiget. Verum argumentum aliquod pro eadem nobilitate non quidem omnino perspicuum, sed probabile petitur ex quatuor nominibus, quibus in vetustis membranis insignitus est Juvencus. Hæc autem nomina non eodem modo ab omnibus efferuntur. Joannes Albertus Fabricius in Biblioth. Lat. libr. IV, cap. 2, ex Jureto pag. 275, ad Symmach., et Paulo Colomesio in Paralipomenis ad Chartophylacem Guilielmi Cavei, et ad dialog. 5 Gyraldi de poetis, integrum Juvenci nomen ait esse *Aquilinus Caius Vettius Juvencus*.

6. In codicibus mss. referendis, num. 306 et seqq., modo profertur appellatio *C. Vectii Juvenci*, modo *Aquilini Juvenci*, modo *Q. Vetti Aquilii Juvenci*, modo *Gai Vecti Aquilini*, modo *C. Vettii Aquilini Juvenci*, modo *C. Vetti Aquilini Juvenci*, modo *C. Vectii Aquilini Juvenci*. Remigius Ceillierius, de Script. eccl. tom. IV, asserit, ejus nomen in quibusdam mss. esse *Aquilinus Caius Vettius*. Neque omittendum, in duobus codicibus manuscriptis Florentinis addi *V. C.*; quæ notæ innuunt *virum clarissimum*: de quo titulo dixi ad Prudentium, in Prolegom. num. 50 seq. Sed, ut ego suspicor, Juvencus *vir clarissimus* non a veteribus, sed a recenti aliquo librario vocatus est. In codice Vaticano reginæ Sueciæ, quem describam num. 48, sic nomina Juvenci invenio : *Gai Vetti Aquilini Juventi*; in Ottoboniano vero, de quo agam num. 49, ita : *Gai Vetti Aquilini Juvenci*. Discrimen solum est in *Juventi*, et *Juvenci* nomine: nam *Gai pro Cai* clare in utroque legitur : et eodem modo legitur in veteri alio exemplari, quod ex Labbeo, num. 36, indicabo.

7. Itaque prænomen Juvenci *Gaius* scribi posset. Etsi enim præ̣nomen hoc, quod in nomen aliquando transit, plerumque *Caius* scribatur, tamen reperitur etiam per *G* scriptum, ut in Cenotaphio Pisano C. Cæsaris : *Duæ equestres inauratæ Gai et Lucii Cæsarum statuæ ponantur*. Quintilianus, libr. I, cap. 7, docet *Gaius* pronuntiari, etiam si *Caius* scribatur ; et Græci quidem per *G* semper efferunt Γάϊος, et nonnulli a γαίω, *gaudeo*, quasi a gaudio parentum deductum hoc vocabulum volunt. Valerius Maximus, sive auctor sit Titus Probus, aut Julius Paris, in epitoma de prænominibus id annotatum reliquit, et similem scribendi varietatem in *Gneus* animadvertit : *Alii* NEUM, *alii* GNEUM, *alii* CNEUM *scribunt. Qui G littera in hoc pronomine utuntur, antiquitatem sequi videntur, quæ multum ea littera usa est . . . Qui C, corruptione syllabæ delectari videntur.* Confer, si placet, Norisium, de Cenotaph. Pis. dissert. 4, cap. 5 ; notas Dionysii Gothofredi ad Festum, verbo *Gaia Cæcilia;* et Sigonium, de Nom. Rom.

8. Nomen secundum Juvenci, quod a veteribus Romanis simpliciter nomen dicebatur ; ut primum prænomen, non *Vettus*, sed *Vettius* est, nisi si forte cui magis arrideat *Vectius*. Id videtur esse gentilium nomen Juvenci, adeoque *Vettius*, aut *Vectius* scribendum est, quamvis etiam *Vettus*, et *Vetus*, et *Vetuus* in veteribus nonnullis monumentis reperiatur : nam gentilitia nomina ab aliis derivari solebant, ut *Cornelius, Tullius, Claudius, Julius, Æmilius*, etc. De nomine vero *Vettii*, aut *Vectii* nihil aliud habeo quod ex antiquis proferam, nisi quod Glandorpius in Onomast. Rom. nomen familiæ Romanæ plebeiæ tradit esse, quæ tandem sub imperatoribus respicere ad honores cœpit. Plures tamen Vectios illustres nominat. In Juvenco id nomen magis, ut dixi, gentilitium est, quam familiæ, adeoque cum hæc nomina gentilitia plerumque ex loco aliquo, aut gente manaverint, ut *Tarquinius* a *Tarquiniis*, non inepta conjectura duci potest, Juvencum ex Vectonibus seu Vettonibus populis Lusitaniæ antiquæ inter Durium et Tagum originem suam traxisse. Ac fortasse hæc fuit causa cur nonnulli patriam Juvenci Olivam fuisse confinxerint, ut paulo post ostendam. In Historia ecclesiastica Natalis Alexandri sæculo IV, cap. 6, art. 4, nomen hoc Juvenci effertur *Vestius*, et tertio loco ponitur, scilicet *Caius Aquilinus Vestius Juvencus* : uti etiam ex Petro Pithœo tradidit Labbeus, de Script. eccles., qui tamen ex veteri alio exemplari profert *Gaium Vectium Aquilinum*.

9. Romani prænomine et nomine non contenti, addiderunt cognomen. Hujusmodi cognomina aut ab animo, aut a corpore, aut a casu imponi solebant. Videlicet a colore dicti sunt *Rutilus*, *Eburnus*, *Aquilinus*, *Albus*, *Niger*, *Rufus*, *Flavus*, ut explicat Sigonius, de Nom. Rom. Festus prænomen *Aquilius* ait esse : *Aquilius prænomen ab aquilo colore, id est nigro, dictum.* Melius interpretaberis colorem aquilum *rufum*, aut *subnigrum*. Neque semper *Aquilius* est prænomen, ut cernere licet in C. Aquilio, a quo Aquilia lex exstat Dig. libr. IX, tit. 2 ; qui totus est de lege Aquilia, sive *ad legem Aquiliam*. Glandorpius in Onom. Rom. plures Aquilios recenset, in quorum plerisque *Aquilius* nomen est, non prænomen : hoc ipsum observo in veteribus inscriptionibus, in quibus nonnumquam *Aquillius* reperitur scriptum. Sæculo IV floruit Aquilius Severus, scriptor Hispanus, a S. Hieronymo, de Script. eccles. c. 3, et a Nic. Antonio, l. II, c. 2, part. I, Bibl. Vet. Hisp. laudatus. In nonnullis mss. is dicitur *Achillius*, in aliis *Acilius*.

10. Juvenci agnomen, ut codices plerique consentiunt, non *Aquilius* est, quod nomen apud antiquiores Romanos magis in usu erat, sed *Aquilinus*. Goldastus tamen *Aquilium* vocat, cujus verba afferam num. 37. In Actis Sanctorum et Martyrologiis plurimi occurrunt Aquilini dicti ; nec desunt qui eodem nomine vocentur in ethnicorum antiquis inscriptionibus aliisque monumentis. Sed omittendus a nobis non est is, qui cum Juvenco tribus primis nominibus convenit, *C. Vettius Aquilinus*, consul cum Q. Junio Rustico anno Christi 162. In Fastis solum appellatur *Vettius Aquilinus*, sed apud Gru-

terum exstat inscriptio pertinens ad tempora Marci, et Commodi AA., quam Lipsius vidit Romæ ad templum S. Ludovici in ædibus 6 privatis : in qua inter XV viros STLIT. JUDIC., ut videtur, aut inter alios collegii XX virorum secundo loco nominatur *C. Vettius Aquilinus*, qui, ut ad marginem notatur, fuit consul anno Urbis 914; atque ita vocatur a Pagio, qui prænomen Junii Rustici *Lucium* inscribit. Alius fuit Q. Vettius Aquilinus consul anno Christi 125, alius Vettius Aquilinus consul 286. De his omnibus conferri possunt notæ Mansii ad Pagium, anno Urbis 878, 915, 1039.

11. Fortasse ut a C. Vettio Aquilino consule, aut ab aliis ejusdem suæ gentis Vettiæ et familiæ Aquilinorum Juvencus distingueretur, additum illi est hoc ipsum nomen Juvenci, quod quartum est, ac cognomen recte dicetur. Revera *Juventius* nomen est inter Romanos notius nobiliusque : et hoc nomen Juvenco nostro asserere possemus ex codice antiquissimo Vaticano reginæ Sueciæ, ubi in fine patrius ejus nominis casus effertur *Juventi*. Juventium veterem poetam comicum ex Charisio, libr. II, laudat Barthius Advers. libr. XXI, cap. 5, col. 1025. Sed cum omnes alii codices et codex ipse reginæ Sueciæ in principio *Juvencum* exhibeant, nefas esset a tam recepto vocabulo discedere : præsertim quia rationem habet in veteri Romanorum consuetudine, qui multa cognomina ab utroque pecore, majore et minore, sumebant. Ascribam verba Varronis libr. II de Re rust. cap. 1, ex correctione Sigonii de Nomin. Rom.: *Nomina multa habemus ab utroque pecore, a majore et minore : a minore Porcius, Ovinius, Caprilius. Sic a majore Equitius, Asinius. Est autem intelligendum, cum dicimus Capram, Taurum, Vitulum, cognomina adsignificari, quod dicuntur Annii Capræ, Statilii Tauri, Pomponii Vituli : sic a pecudibus alii multi.* Paulo aliter id in editis legitur.

12. Juvencus ergo a juvenco cognominatus est, ut Moschus poeta Græcus : nam μόσχος juvencum significat. Hoc verbo lusus est Barthius libr. VIII Epidorpidum, num. 74:

> Tenere aratra dignior viro taurus
> Jugo Juvencus obdit hic Aratorem.

Sermo illi est de duobus his poetis christianis Juvenco et Aratore. Neque vero ignotum omnino est Juvenci vocabulum inter 7 nomina propria Latinorum. Papiæ celebris est memoria S. Juvenci episcopi Papiensis. De hoc accipio, quod Montfauconius in Biblioth. Biblioth. Mss. pag. 1245, col. 2, inter libros mss. monasterii S. Petri Carnutensis refert Haymonis Expositionem in Epistolas S. Pauli, etc., *In cujus principio*, ait, *sunt hymni de passione Christi, de S. Dionysio, et de S. Juvenco episcopo.*

13. Advertendum tamen est, in Martyrologio Romano legi ad diem 8 Februarii : *Papiæ S. Juventii episcopi;* et ad diem 12 Septembris : *Apud Ticinum S. Juventii episcopi.* In aliis tamen Martyrologiis, et in multis mss. nomen *Juvenci* exprimitur, quod A multis modis alioquin corruptum reperitur, ut pro *Juvenci*, vel *Juventii* sæpe reperias *Eventii*, *Inventii*, *Yventii*, *Hiventii*, *Quentii*, *Yentii*, *Hyventis*, *Venuntii*. Noster etiam Juvencus non solum alicubi *Juventius* appellatur, sed etiam *Hiventius*, et aliquando *Juvenis*, ut colligitur ex Montfauconio Bibl. Biblioth. pag. 508, ubi ex bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi recenset *Aquilini Juvenis poema de Actis apostolorum.* Intelligo autem codicem illum complecti Aquilini Juvenci poema de quatuor Evangeliis, et Aratoris de Actis Apostolorum. Ac fortasse error est in Montfauconio, non in codice veteri : in indice quidem Montfauconii is codex clare Juvenco attribuitur.

14. Alius fuit Juvencus Cœlius Dalmata, quem B diversum esse a Juvenco presbytero observavit Fabricius Biblioth. Lat. libr. IV, cap. 2. Scriptor etiam is christianus fuit, vitamque Attilæ oratione soluta composuit, cujus sæpe mentionem facit Barthius in Adversariis, Juvencum Cœlium Calanum auctorem vocans. De hoc Juvenco scriptore Vitæ Attilæ, ejusque editionibus videndus est Joannes Vogt, de Libr. rarior. Typis eam Vitam commissam fuisse Nic. Antonius, cum de Juvenco scripsit, ignorabat : quæ tamen longe ante prodierat, scilicet Ingolstadii 1604, in 4°. Sidonius libr. IX, epist. 14, commemorat *Juvenci Martialis historiam*, vel, ut alii legunt, *Juventii*, aut *Viventii*. Savaro ad eum locum Juvencum a Martiali distinguit, putatque hunc esse Gargilium Martialem, cujus Lampridius et Vo- C piscus meminerunt. 8 Sirmondus in not., eumdem scriptorem asserit Juventium Martialem, ac conjicit esse hunc ipsum Gargilium Martialem ab aliis memoratum.

15. Cum quatuor Juvenci nomina singillatim exposuerimus, illud nunc addere supervacaneum non est, sæpius mares apud Romanos quatuor nomina habuisse, prænomen, agnomen, cognomen, et nomen, idque nobilitatem generis arguere, ut cum Alexandro ab Alexandro notavi Prolegom. ad Prudentium, num. 41. Eodem loco docui cum Sirmondo et Marchione Scipione Maffeio, mediæ ætatis nominum propriam hanc quodammodo legem fuisse, ut proprium cujusque nomen in ultimum locum conjiceretur, ut in Marco Aurelio Cassiodorio Senatore D (nam *Senator* nomen proprium Cassiodorii a Maffeio dicitur), et in Marco Aurelio Clemente Prudentio. Ita ergo sentiendum est de Caio Vettio Aquilino Juvenco, quamvis hic ordo nominum in Juvenco, uti in aliis, aliquando inversus reperiatur : solebat enim id fieri etiam apud antiquiores Romanos.

16. Hactenus de nomine Juvenci, quod Hieronymus expressit, deque aliis tribus quæ tacuit, ac de nobilitate generis, quam diserte affirmavit. Alia nunc nota Vallarsii expendenda est, qua ad verbum Hieronymi *quatuor*, etc., adjecit : *Verius, notante Fabricio, dixisset : Historiam evangelicam quatuor libris digessit, Matthæi seriem præ cæteris secutus : non singulis evangelistis singulos libros impendit.*

Equidem non video qua ratione Fabricius et Vallarsius Hieronymo imputent, quod aut dixerit, aut dixisse videatur, Juvencum singulis evangelistis singulos libros impendisse. Quod enim quatuor Evangelia transferens Juvencus quatuor libros composuerit, id vere asseritur, etiamsi non singulis evangelistis singulos libros impenderit, sed concordiam evangelistarum suo ordine exposuerit. Matthæum quidem præ cæteris secutus est, non quia ordinem quem habet Matthæus, semper prætulerit, nam seriem vitæ Jesu Christi apposite ex quatuor evangelistis digerit, sed quia plura ex Matthæo sumit, quam ex aliis : siquidem Evangelium Matthæi singulis aliis tribus locupletius est. Andreas Gallandius, qui tomo IV suæ Bibliothecæ Patrum Juvencum inseruit, **9** eumque summopere laudat, in Prolegomenis ad eum tomum, cap. 15 monet, Juvencum plura omisisse, quia omnia D. N. Jesu Christi gesta, non omnia dicta exprimere voluit. Præter historiam quatuor Evangeliorum Hieronymus in Juvenci elogio indicat *nonnulla eodem metro* (versibus hexametris) *ad sacramentorum ordinem pertinentia.* Hæc adhuc latent, aut, ut magis puto, intercederunt. In Montfauconii Biblioth. mss. ex bibliotheca Vaticana reginæ Sueciæ num. 1234 annotatur, *Anonymi liber compendiosus de septem sacramentis metrice compilatus, qui vocatur communiter Decretale ad informationem sacerdotum cum expositione.* Qui liber, ut ex vel sola inscriptione colligere libet, minime Juvenci videtur esse. Relinquamus etiam auctori suo Hildeberto versus, quos sub ejus nomine ex eadem bibliotheca laudat Montfauconius num. 88 : *Prosperi Aquitani epigrammatum libri* IV... *Hildeberti versus de sacramentis.* Petrus Crinitus in Vita Juvenci ait : *Aliquot hymnos fecit, quibus facile indicavit se optime meritum de religione Christiana.* Paciaudus De cultu S. Joann. Bapt. dissert. 4, cap. 6, refert, Georgium Wicelium in Hagiologio, sive De Sanctis vet. et nov. Testam., Moguntiæ 1541, exscribere hymnos in honorem S. Joannis Baptistæ, *quos cœlesti mentis instinctu et artificiosa verborum conclusione fuderunt Juvencus presbyter sub Constantino et Adamus a S. Victore.* In Hymnodia Hispanica § 23, pag. 102, id mihi satis non liquere affirmavi. Wicelii istius Hagiologium nondum reperire potui : sed haud invitus mihi persuadeo, hymnum vel hymnos Juvenci in honorem S. Joannis Baptistæ excerptos esse ex libro I Historiæ evangelicæ, ubi Juvencus narrat Elisabetham ex Zacharia mirabili modo concepisse, a Maria Virgine deinde visitatam, ac demum præcursorem Domini Joannem Baptistam in lucem edidisse. Ex eodem libro petitus etiam est Juvenci hymnus in Annuntiationem, quem Fabricius Biblioth. vet. libr. IV, c. 2, num. 1, refert ab Andrea Wilkio in priori parte suæ Heortographiæ editæ anno 1610, in 8°, fuisse insertum : de quo vide num. 85. Neque alios hymnos crediderim vidisse Crinitum, nisi hujusmodi aliqua fragmenta, aut particulas ex evangelica Historia decerptas. De carmine in Acta **10** apostolorum, quod Aratoris est, et per errorem Juvenco in quodam ms. codice tribuitur, lege num. 13 et 41. Major controversia oritur de carmine in Genesin, quod in Collect. vet. script. Edmundi Martene tomo IX, col. 13 seqq., sub Juvenci nomine editur ex codice Corbeiensi ante nongentos vel nunc quidem mille annos exarato; quod confirmatur codice infra num. 43 indicando : et in eamdem rem trahi potest, qui num. 44 laudatur, codex Juvenci *in vetus Testamentum*, nisi error hic sit pro *in novum Testamentum*, de quo redibit sermo eo loco. In hac controversia quid ego senserim, dixi in Prolegom. ad Prudentium cap. 25, n. 220. Alii id opus Tertulliano, alii Cypriano, Elias Pinius ex conjectura Salviano Massiliensi, quod Allixius etiam putabat. Georgius Fabricius inter poetas Christianos initium hujus poematis protulit, Cyprianoque adjudicavit. Andreas Rivinus, qui Tertulliani opuscula poetica notis illustrata Lipsiæ 1651, in 8°, vulgavit, locum in his dedit huic imperfecto libro in Genesin.

17. Editor collectionis Pisaurensis poetarum non solum Cypriani nomen eidem carmini præmittit, verum etiam in nota ad caput Joannis Alb. Fabricii de Cypriano in Prolegomenis ad tom. V affirmat, manuscripta, testibus omnibus editoribus, Cypriani nomen præferre, neque rationem suppetere, cur a manuscriptis recedamus. Ignorabat scilicet collector Pisaurensis, poema in Genesin longe auctius editum sub Juvenci nomine in Collectione vet. Script. Edmundi Martene, et initium ejusdem in multis editionibus Tertulliani ex mss. repræsentari. Illud vero Martenius bono more, fideque optima effecit, quod ms. codicem exacte exhibuit : nam primi editores poetarum Christianorum magnam sibi licentiam arrogarunt, et ad regulas metri, quas ipsi didicerant, versus refingebant, quin saltem scripturam veterem a se in membranis repertam indicarent. Jam poema in Genesin, quale ex codice Corbeiensi Martenius exprompsit, ad sæculum VI, aut post facile rejiciet, qui poetarum Christianorum stylum et consuetudinem in arte metrica per diversas eorum ætates probe calleat. Idem judicium meum esto de carminibus aliis, quæ sub Tertulliani et Cypriani nominibus solent laudari : quæ fortasse alium Tertullianum, alium Cyprianum **11** auctores habuerunt, non eos, qui sæculo III vixerunt. Non alienum ab hoc loco esse puto, ut ostendam nullum esse poetam sacrum inter Latinos, quem Juvenco antiquiorem esse constet. Nam Lactantius eodem tempore vivebat, neque ejus esse carmina, quæ vulgo illi tribuuntur, multi viri docti censent. Commodianus vix inter poetas locum meretur, cum solum versus politicos, ut Græci vocant, effuderit, servato quidem numero hexametri, neglecta vero quantitate syllabarum. Adde Commodianum a Gennadio cap. 15 de Script. eccles. post Lactantium collocari, quamvis nunc conjiciant nonnulli floruisse eum tertio sæculo. G. Fabricius in Comment. poet. Christ. Victorinum

Pictaviensem, quem alii Petavionensem dicunt, ex Hieronymo ante Lactantium et Juvencum claruisse tradit, eique carmen de Jesu Christo Deo et Homine ascribit. Sed multi alii tum hoc carmen, tum alia sub Victorini nomine vulgata Mario Victorino Afro, qui sæculo IV labente senex fidem Christianam amplexus est, adjudicant. Ceillierius non dubitat affirmare Juvencum antiquissimum esse omnium poetarum Christianorum qui exstant. Quod attinet ad carmen in Genesin, quoniam a multis Juvenci opus dicitur, referendum illud est inter opera Juvenci dubia, et mea quidem sententia inter supposititia: cujus rei non aliud magis efficax argumentum a me proferri potest, quam ipsa contentio hujus poematis cum Historia evangelica.

18. Libentius collocabo inter opera dubia Juvenci carmen auctoris incerti *De laudibus Domini*, quod inter poetas Christianos edidit Fabricius pag. 765. Auctor enim scribebat etiam sub Constantino, atque ad Juvenci stylum accedit; simili etiam modo ac Juvencus, in fine poematis Constantini laudes celebrat. Quæ rationes si idoneæ non sunt, ut dubitare possimus, an auctor sit Juvencus, saltem id efficiunt, ut non meliori loco, quam post Juvencum, pauci illi versus poetæ incerti, et Juvenci æqualis, collocentur.

19. In editione Basileensi Juvenci, Sedulii et Aratoris per Theod. Poelmannum statim post Juvencum additur aliud poemation inscriptum: *Triumphus Christi heroicus*; ad cujus marginem **12** hæc est nota: *In exemplari auctoris nomen non erat ascriptum*. Idem carmen eodem titulo reperitur post Juvencum in editione Basileensi Sedulii et Juvenci per Bartholomæum Westhemerum anno 1541. Videntur ergo hi versus in veteri aliquo exemplari eadem forma ac Juvencus exarati: qui tamen in collectione poetarum Christianorum Fabriciana, aliisque prætermissi sunt. Ratio metri ac Latinitatis non male constat in hoc carmine: sed subvereor ne opus recentioris alicujus sit, qui sæculo XIV vixerit, et hanc appendicem Historiæ evangelicæ Juvenci subnectere voluerit. Non enim satis mihi liquet de antiquitate codicis, ex quo hujusmodi carmen cum Juvenco extractum est. Interea illud inter opera dubia aut supposititia Juvenci reponere minime pigebit, præsertim cum obvium non sit. In codice bibliothecæ San-Germanensis num. 45 describendo indicatur carmen Juvenci de Ascensione; quod nihil puto pertinere ad hunc triumphum Christi, immo neque ad Juvencum. Fortasse enim versus aliqui sunt ex primo libro Aratoris excerpti, et Juvenci nomen pro Aratore positum est. Eodem num. 43, codex alius San-Germanensis Juvenco affingit procœmium in Opus paschale, quod Sedulio restituere oportet.

20. Post opera Juvenci descripta ejus ætatem sic statuit Hieronymus: *Floruit sub Constantino principe*. Mendum quippe est, quod in nonnullis editionibus legitur *sub Constantio*. Historiam evangelicam sub illo principe a Juvenco confectam fuisse diserte tradit idem Hieronymus in epist. 70, al. 84, ad Magnum oratorem urbis Romæ, cui rationem reddit cur in opusculis suis sæcularium litterarum ponat exempla, ostendens quorum exemplo id faciat, et post multos egregios viros laudatos sic pergit: *Juvencus presbyter sub Constantino historiam Domini Salvatoris versibus explicavit: nec pertimuit Evangelii majestatem sub metri leges mittere. De cæteris vel mortuis, vel viventibus taceo: quorum in scriptis suis et vires manifestæ sunt, et voluntas.* Sic auctoritate Juvenci sese tuetur Hieronymus.

21. Quo in elogio notatum invenio apud Arntzenium Miscell. cap. 5, ex Heumanno in Poecil. tom. II, libr. III, pag. 349, in nonnullis mss. legi *Evangelii veritatem* pro *Evangelii majestatem*. **13** Hoc tamen præfert Arntzenius; et Vallarsius nullam varietatem lectionis agnovit: neque porro sollicitanda est scriptura vulgata, quam multi alii retinent, quia eadem verba Hieronymi, ut Juvencum laudent, usurpant. Hoc ipsum innuit Fortunatus libr. I Vitæ S. Martini initio:

Majestatis opus metri canit arte Juvencus.

22. De anno etiam, quo carmen suum in Evangelia scribebat Juvencus, Hieronymus testimonium reddidit in additione ad Chronicum Eusebii tom. VIII operum, col. 787, ubi ad annum Domini 332 ait: *Juvencus presbyter, natione Hispanus, Evangelia heroicis versibus explicat.* Mirifice hæc omnia confirmantur ex epilogo Historiæ evangelicæ:

Hæc mihi pax Christi tribuit, pax hæc mihi sæcli,
Quam fovet indulgens terræ regnator apertæ
Constantinus, adest cui gratia digna merenti.

Id de Constantino eo potissimum tempore prædicari potuit, quo Licinium debellavit, nimirum anno 324, quem anno sequenti occidi jussit. Ex eo enim tempore fere ad obitum usque pacem per universum orbem Romanum fovit Constantinus, dictus propterea securitatis æternæ fundator, ut notat Fabricius in Comment. poet. Christ., qui nescio quid sibi velit, dum ait, Juvencum Constantini imperatoris suorum temporum meminisse: pontificis Silvestri mentionem omisisse, quia ejus nondum fuit regia in imperio aut in orbe Christiano potentia atque auctoritas. Næ vehementer ille errat, si colligere ex silentio Juvenci vult, nullum fuisse tunc Romani pontificis principatum in orbe Christiano. Nihil enim erat causæ cur Juvencus pacem sæcli laudaturus, ex qua otium vacandi musis sacris nactus fuerit, auctoritatem Romani pontificis in toto orbe Christiano commemoraret. Confer notas ad epilogum Historiæ evangelicæ.

23. Sextus Rufus in Epitom. haud dissimili modo hanc temporis illius pacem exponit: *Constantinus rerum dominus extremo suæ vitæ tempore expeditionem paravit in Persas: toto enim orbe pacatis gentibus, et recenti de Gothis gloriosior victoria, multis in Persas descendebat agminibus.* Apud Carolum Patinum Numism. Imperat. pag. 465 seqq. plures videre

licet 14 nummos Constantini, quorum inscriptiones pacem a Constantino fundatam testantur : VBIQVE VICTOR. FVNDATOR PACIS. BEATA TRANQVILLITAS. In Historia eccles. Natalis Alexandri, et in Dictionario apparatus ad eam Historiam asseritur, Juvencum Constantino suum carmen nuncupasse. Sed cum solum fiat mentio Constantini, ut indicetur tempus, quo poema conscribebatur, ejusmodi assertio imbecillo nititur fundamento. Sic Virgilius in fine libri IV Georg., quem singillatim cum tribus aliis C. Mecœnas consecraverat, se canere ea notat,

.....Cæsar dum magnus ad altum
Fulminat Euphratem, etc.

24. Petrus Crinitus ætatem Juvenci sic definit : *Præcipue floruit, imperantibus Constantio et Constante : qua tempestate in eloquentia apud Latinos clari fuerunt Tiberianus, Nazarius, et Flavius Vopiscus, qui de gestis Romanorum principum libros composuit.* Sed quo auctore ad imperatores Constantium et Constantem Juvenci tempora differat, non explicat Crinitus, neque puto ullum esse ejus rei idoneum testem. Syxtus Senensis libr. IV Biblioth. Sanct. facilius ad Hieronymi sententiam trahi potest : *Juvencus poeta sui ævi celeberrimus. . . Constantino principe, et filiis ejus imperantibus anno* 330. Qui aut id exprimit, quod Hieronymus dixit, aut exprimere certe voluit. Alioquin anno 330 filii Constantini cæsares quidem erant, non vero imperatores.

25. Incertum ergo est, quem ad annum Juvencus vitam produxerit. Incertum pariter, an alia munera præter presbyteratus officium gesserit. Ab Alcuino, quem num. 94 allegabo, presbyter, et *scholasticus* vocatur. Scholasticus olim dicebatur is, qui in forensi exercitatione versatus erat, ut probavi in Prolegom. ad Prudentium num. 48, pag. 31. Quo sensu non puto Juvencum ab Alcuino vocari scholasticum. Tribuebatur etiam ea vox rhetori, et erudito; et id magis convenit Juvenco, episcopatum Salmanticensem, quem Pseudo-Haubertus ad ann. 337 Juvenco affinxit, nemo jam non irrideat cum Nic. Antonio : qui pariter innuit, Jacobum Philippum Bergomensem, Marinæum Siculum, et Eisengreinium asserentes, Juvencum S. R. E. cardinalem fuisse, nullo inniti fundamento. Neque enim 15 ullo modo colligi potest, eum Romanæ Ecclesiæ presbyterum fuisse, aut Romam aliquando venisse, ut nihil nunc dicam de titulo aut appellatione cardinalis, quæ multo recentior est. Sed exponendane a nobis sunt alia mendacia, quæ in commentitio Chronico Dextri reperiuntur? Nemo certe fidem illis præstat; sed exponenda tamen sunt, quoniam late ea in probos alios scriptores manarunt, et multi incauti decipiuntur, nisi periculi admoneantur; ut non multis ante annis poeta nobilis Hispanus Gregorius Salas, dum conterraneos suos, meosque, viros scilicet illustres Provinciæ Extremaduræ recensebat, nobis adjudicavit Juvencum tamquam in oppido Oliva natum; quod, ut puto, in aliquo bono auctore reperit, sed ex inquinatissimis fontibus derivatum. Dexter igitur commentitius ad annum 337 sic habet : *Salmanticæ in Vettonia S. Juvencus presbyter moritur, qui juxta nonnullos interfuit concilio Iliberitano.* Idem Pseudo-Dexter ad annum 407 iterum Juvenci mentionem injicit : *Cæsarobrigæ, quæ nunc prope Ambraciam in Vettonia Oliva dicitur, Juvencus aliquot annos agit, et natus ibi dicitur. Inde petit Salmanticam, ubi floret impense docti sanctique viri memoria.*

26. His duobus testimoniis inter se collatis, videtur Dexter sibi esse contrarius. Sed occurrit interpres Bivarius, et monet ad annum 407 referri præclaram memoriam, quæ tunc erat, Juvenci, cujus alia gesta obiter enarrantur. Hæc eadem confirmat Tamayus de Salazar in Martyr. Hisp. ad diem 12 Sept. epigrammate, quod ex ms. codice apud se exstante producit :

In laudem S. Juvenci presbyteri et confessoris epigramma.

Cæsaris ecce Briga urbs posthæc veneranda Juvencum
Presbyterum noscit pignus et esse suum.
Hic igitur natum tenuit Salmantica clarum
Doctrinis, sanctum et pietate virum.
Illiberis cœtus Patrum cognovit et illum
Decretis doctam adhibuisse manum.
Denique confessor sanctus conscendit olympum,
Laudibus ut Vetto gaudeat ipse suis.

16 27. Pervulgatum est, Tamayum nullam fidem in his mereri, quæ profert ex mss., quæ penes se esse affirmat : sive hujusmodi veterum scriptorum opera ab aliis conficta bona fide acceperit, sive mala ipse confinxerit. Cæsarobriga, quæ nunc Oliva dicitur, oppidum est a Placentia octo millia passuum distans. Ratio conjiciendi, in Vettonia Juvencum natum, aut inde originem traxisse, commemorata a nobis est num. 8. Potuit illa ipsa ratio architectis falsorum Chronicorum ansam præbuisse, ut Olivam natale Juvenci solum fuisse comminiscerentur. Accedit peculiaris conjectura, quæ ex inscriptione apud Gruterum pag. 938, num. 7, desumi potest : nam in ea inscriptione, quæ in pago Oliva reperta dicitur, et ex Resendio profertur, Vettus quidam laudatur :

L. DOMITIVS T. F.
GAL. VETTO. OTO
BESANI. H. S. E. S. T.
T. L. DOMITIVS
FORTVNAT. PA
TRONO. D. S. F.

In indice nominum Gruteri clare *Vettus* nomen in nominandi casu enuntiatur.

28. In Antiquitatibus vero Lusitanis Resendii, quæ in systemate Hispaniæ illustratæ insertæ sunt, duobus tantum versibus eadem inscriptio concluditur, et ita a Resendio explicatur : *Lucius Domitius Titi filius Galeria Vetto Otobesani hic situs est. Sit-Tibi terra levis. Domitius Fortunatus patrono de suo fecit.* Sane eodem loco Resendius aliam inscriptionem evulgat ex ruinis Capereusibus in eodem oppido

Oliva, in qua sine ulla controversia quidam *Cæcilius* *Vetto*, non *Vettus* nominatur. Utrolibet modo id nomen in Olivanis inscriptionibus exaratum reperiatur, *Vettus*, aut *Vetto*, suspicio aliqua, levis certe, inde oriri poterit, ut originem Caii Vetti Aquilini Juvenci ex eo oppido repetamus : fingendi vero, aut certo asserendi, quod ignores, nulla umquam subest ratio.

29. Accuratius di-serendum est de religioso cultu, quem olim in Hispania Juvenco præstitum nonnulli litteris consignarunt. **17** Ita enim negare hujusmodi cultum in animo habeo, ut non ægre feram, si aliqua saltem dubitatio de eo in aliorum mentibus excitetur ac resideat. Ut enim Hispani aliqui scriptores sæculi proxime elapsi nimium se ingeniosos præbuerunt in catalogo Sanctorum Hispanorum augendo, sic contra censeo, majores nostros non multam adhibuisse diligentiam, ut memoriam virtutum, quibus primi Patres Ecclesiæ Hispaniæ claruerunt, posteritati mandarent. Quamquam multa primitivæ Ecclesiæ monumenta temporum non tam vetustate, quam infortunio, et mirabili quadam rerum regnorumque conversione periisse, nemo est qui ambigat. Illi præterea viri, quamvis sanctitate conspicui, qui eo tempore floruerunt quo cultus martyrum vel solum, vel potissimum in usu erat, præsertim si episcopali honore non præfulserunt, non ita facile venerationem cultumque publicum adepti sunt.

30. Tamayus de Salazar, in Martyr. Hisp., commemorationem B. Juvenci, ut vocat, diei 12 septembris assignat, refellitque Hieronymum Roman de la Higuera, qui in Martyrologio suo Hispano ms. die 1 Junii Juvencum coli voluerat. Hæc duo Martyrologia Hispana Tamayi et Higueræ, uti etiam epigramma ms. penes Tamayum, de quo paulo ante dixi, et Dextri Chronicum eodem in loco omnia ponenda sunt ; quæ causæ cultus Juvenci magis obsunt, quam prosunt : certe cautiores nos reddunt, ut alia monumenta, quæ pro eodem afferuntur, maturo examine perpendamus.

31. Philippus Ferrarius in Catalogo gener. Sanctorum ad diem 12 Septembris sic habet : *In Hispania S. Juvenci presbyteri*, et in nota ait, eum scripsisse *nobile illud poema in Evangelia*, etc. Sanctitatis Juvenci testes laudat Franciscum Maurolycum, et Constantium Felicium in suis Martyrologiis, necnon Petrum de Natalibus episcopum Equilinum in Catalogo Sanctorum. Bollandiani ad diem 12 Septembris inter prætermissos Juvencum referunt, quamvis eum Sanctum in Martyrologio Germanico vocari fateantur. Addunt, Maurolycum et Felicium ab ætate auctoritatem non habere ad vetustum cultum stabiliendum. Maurolycus quidem nec cultum Juvenci presbyteri asserere **18** voluisse mihi videtur. Sic enim ait ad diem 12 Septembris : *Apud Ticinum, quæ nunc Papia dicitur, Sanctorum Syri Papiensis episcopi, et Juvenci, qui mox Syro successit... Juvencus autem presbyster, qui metrice scripsit Evangelia, claruit in Hispania tempore Constantini.* Obiter igitur Juvencum presbyterum commemorat, non ut eum A Sanctis annumeret, sed ut a Juvenco episcopo distinguat. Felicius in suo Calendario, sive Ephemeride Urbini 1577, ad 12 septembris sic habet : *Giovenco l' altro si nomina, che era prete, quale scrisse in versi gli Evangeli, e fu chiaro in Spagna al tempo di Constantino.*

32. Majorem difficultatem creat episcopus Equilinus : quem satis esse ad antiquum cultum confirmandum, Bollandiani fatentur. Reponunt vero, eum in catalogo suo non solos Sanctos recensuisse, nec tam accuratum esse, ut necesse sit in ejus verba jurare. Prima ratio idonea non est : nam episcopus Equilinus de Juvenco perinde ac de aliis Sanctis loquitur. Bis eum memorat, primum cap. 69, libr. 8, sub hoc titulo : *De Sancto Hiventio presbytero. Hiventius presbyter in Hispania claruit sub tempore Constantini imperatoris. Qui vir sanctitate insignis, et sapientia clarus, rhetorico stylo copiosus, genere nobilissimus, quatuor Evangelia heroico metro quatuor libris pene ad verbum transtulit, et apud Hispanias claro fine in pace quievit.* Iterum libr. XI, cap. 121 : *De Sancto Juvenco presbytero. Juvencus presbyter apud Hispaniam claruit. Hic sanctis pollens operibus quatuor Evangelia*, etc. *Et apud Hispanias confessoris nomine celebris habetur. Hæc ubi supra* (Hieronymus, de Vir. illustr.). Ita legitur in editione antiqua sine loco et anno : in alia vero similiter antiqua sine loco et anno : *Hic sanctus pollens operibus.* Prior lectio magis placet.

33. Dubium ergo non est quin Juvencus ab episcopo Equilino inter Sanctos referatur, cujus scilicet memoria confessoris nomine in Hispania celebrata fuerit. Aliud sentiendum est de Petro Crinito, quem ait Tamayus de Salazar inter sacerdotes catholicos, *hoc est, confessores* (sic enim interpretatur) locum Juvenco dedisse. Accipe Criniti verba : *Neque dubium est, fuisse illum* (Juvencum) *inter sacerdotes christianos, ut veteres* **19** *auctores testantur.* Quid hæc sibi volunt ? nihil aliud, nisi Juvencum fuisse presbyterum, ut passim auctores veteres narrant. Cum episcopo tamen Equilino facit Jacobus Faber, qui in epistola ad Fabrum Stapulensem præmissa Aldhelmo de virginitate, edito Daventriæ 1512, in 4, ait : *Considerans ego fructum illum, qui emersit ex editione illa* divi *Juvenci*, etc., ut refert Fabricius in Biblioth. vet. Lat. libr. IV, cap. 2.

34. Quod attinet ad episcopum Equilinum, certa est ratio illa secunda Bollandianorum, eum non ita accuratum esse, ut in ejus verba necesse sit jurare : qui animadvertunt etiam, non percipi, quo pacto cultus Juvenci, si tempore Petri de Natalibus viguisset in Hispania, non perseverasset ad nostra usque tempora. Illud præterea considerandum, Petrum de Natalibus secundo loco, ubi mentionem Juvenci facit, Hieronymum auctorem laudare, apud quem certe nihil de cultu Juvenci reperitur. Cum autem ille sæculo XIV extra Hispaniam scripserit, et nulli auctores Hispani ejus temporis, aut quod proxime successit, venerationem Juvenco in Hispania

præstitam [illegible]entur, neque [illegible] Breviario Ecclesiæ Hispanæ ex his, quæ ad nos pervenerunt, ejus memoria recolatur, nullum solidum argumentum ex episcopo Equilino, aliisque, qui eum secuti sunt, eruitur ad cultum veterem Juvenci stabiliendum.

55. Re vera in primis Bibliothecis Patrum, in quibus *Divi* titulus vulgo et temere multis scriptoribus tribuebatur, quem proinde deleri pluribus in locis in Indice Expurgatorio Brasichellensis jussum est, Juvencus tamen numquam Divus, aut Sanctus appellatus est. Nonnulli scriptores virtutem quidem Juvenci laudant, sed de cultu ejus publico omnino tacent, ut Franciscus Tarapha, de Regib. Hisp., sub Constantino, *Juvencus Hispanus poeta et presbyter, genere quidem nobilis, sed virtute et doctrina nobilior, per hoc tempus admodum clarus existens.* Ea quidem pietas ac religio in Juvenci carminibus elucet, ut virtutis laude eum floruisse consentaneum sit credere. Vellem tamen posse id certioribus auctoribus, et qui ad illius tempora propius accessissent, confirmare.

20 CAPUT II.

Codices mss. Juvenci recensentur.

56. In dissertatione Isagogica in tom. I Thesaur. Anecdot. Bernardi Pezii, num. 28, inter libros manu exaratos monasterii Tigurini hic memoratur : *Juvenci liber quartus* (forte libri quatuor) *Historiæ evangelicæ, Macrobii Saturnalia, Ciceronis invectivæ in Catilinam a septingentis annis.* Videntur hæc omnia opera uno codice, qui septingentos annos habuerit, contineri. Ceillierius, tom. IV, laudat codicem ms. Juvenci bibliothecæ abbatiæ *de Monstier-Ramey en Champagne :* qui non videtur diversus ab eo quem memorat Labbeus de Script. eccles., qui ait, in veteri exemplari Aremacensis in Campania cœnobii scriptum haberi, *Gai Vecti Aquilini presbyteri Evangeliorum libri* IV.

57. Martenius, in Itin. litter. tom. I, pag. 65, in monasterio S. Benedicti prope Ligerim codicem ms. Juvenci exstare memorat, aliumque similem tom. II, pag. 112, in abbatia Metensi S. Arnoldi. Goldastus in epistola ad Weitzium, quæ editioni Dracontii ab hoc procuratæ præfixa est, sic habet : *De Prudentiis rescribam, ubi plus otii nactus fuero. Q. Vetti Aquilii Juvenci et Aratoris membranas non habeo integras : tamen quia eas a me tanto contendis opere, addico, et cum occasione ad te perferendas curabo.* In catalogo codicum mss., qui in monasterio Bobiensi asservabantur, sæculo X circiter exarato, apud Muratorium, tom. III Antiquit. Italic. medii ævi, pag. 818 seq., invenio ex bibliotheca veteri *Librum Juvenci* I, nempe codicem Juvenci unum : ex bibliotheca vero nova, seu libris quos Dungalus obtulit beatissimo Columbano, scilicet monasterio Bobiensi, a S. Columbano fundato, *Librum Fortunati unum, in quo est Paulinus, Arator, Juvencus, et Cato.* Ibidem ex libris Benedicti presbyteri, *Juvenci unum . . . . Sedulii, Juvencii, et Prosperi, ac Prudentii, et aliorum versificatorum liber unus.*

58. Montfauconius in Bibliotheca Biblioth. mss. pag. 219, **21** ex bibliotheca Cassinensi indicat *Juvenci presbyteri poema* XI *sæculo.* Item *ejusdem carmina* 600 *annorum.* Et pag. 225, num 526, ex eadem bibliotheca, *poema heroicum Juvenci presbyteri in quatuor Evangelia ;* et pag. 229, num. 509, *Juvenci versus super quatuor Evangelia :* qui duo codices diversi non videntur a duobus supra memoratis bibliothecæ Cassinensis.

59. Ex bibliotheca D. Vallettæ Neapoli idem Montfauconius, pag. 231, notat codicem ms. membranaceum *C. Vettii Aquilini Juvenci in quatuor Evangelia.*

40. In Bibliotheca S. Marci Dominicanorum Florentiæ, Montfauconius, pag. 425, col. 1, indicat : *C. Vectii Aquilini Juvenci v. c. presbyteri carmina in membr. In fine : Probæ cento ex carminibus P. Virgilii. Ad calcem libri : Cosmæ de Medicis Joannes Aretinus hunc librum Florentiæ idib. februarii absolvit feliciter.* Annum non invenio. Codex alius ejusdem bibliothecæ, pag. 497, Montfauconii, sic commemoratur : *Expositio Aquilini Juvenci presbyteri super Evangelia hexametris versibus.* Ex quodam Bibliothecæ S. Marci codice Reinesius, ut Schoettgenius notavit, talem titulum exscripsit : *G. Wetti Aquilini Juventi v. c. presbyteri.* Hic est codex priori loco a Montfauconio expositus, ut arbitror.

41. Inter libros bibliothecæ Patavinæ cathedralis Montfauconius, pag. 485, refert codicem *Juvenci Hispani super quatuor Evangelia,* cui alius addi potest in bibliotheca, quæ tunc erat canonicorum Lateran. ex Thomasino, de Biblioth. Patavin. In Ambrosiana vero bibliotheca, pag. 508 : *Aquilini Juvenis poema de Actis Apostolorum pergam. bis.* In indice tribuitur Juvenco hic codex, qui, ut puto, Juvencum et Aratorem complectitur. Vide, supra, num. 13. In eadem bibliotheca Ambrosiana, pag. 519 : *Juvenci presbyteri in Evangelia lib. quatuor pergam. antiq. bis bomb.*

42. Ex bibliotheca regis Angliæ, pag. 659, memorat Montfauconius : *Juvenci presbyteri Evangelicæ historiæ poematum libr. quatuor.* Ex Bodleiana, pag. 656 : *Juvenci poema de quatuor Evangeliis.* Ex bibliotheca Collegii S. Benedicti apud Cantabrigiam, pag. 671, col. 1 : *Codicem Juvenci, aliumque,* pag. 685, in mss. Eduardi Bernardi, et in Ædibus Jacobæis, pag. 686 : *Juvenci quatuor Evangelia metrice.* **22** Reuschius ait codicem Cantabrigiensem, qui quodam in Collegio asservatur, antiquissimum esse, et litteris uncialibus exaratum, alterum Cantabrigiensem exstare in bibliotheca Universitatis.

43. Bibliotheca San-Germanensis pag. 1135, apud Montfauconium, inter alia habet : *Juvenci presbyteri proœmium in opus paschale.* Non dubito, quin legendum sit *Sedulii presbyteri,* etc. In codice vero 675, pag. 1136 : JUVENCI, *aut sane Cypriani historia Genesis. Epistolæ quædam S. Hieronymi et S. Augustini. S. Cypriani quædam.* JUVENCI *carmen de Ascensione. Sibyllæ versus de die judicii.* De historia metrica

Genesis, quæ a plerisque Cypriano, aut Tertulliano ascribitur, a nonnullis Juvenco, confer dicta num. 16. Carmen de Ascensione quid ego opiner esse, exposui num. 19. In Prolegomen. ad Dracontium, num. 73, explicui, quinam sint Sibyllæ versus de die judicii.

44. Codex quidam monasterii Mediani in Vosago Ordinis S. Benedicti, teste eodem Montfauconio pag. 1180, repræsentat *Sedulii carmina*, *Juvenci presbyteri carmina*. Alius bibliothecæ Divio-Benignianæ, ibid., pag. 1286 : *Juvenci presbyteri libros quatuor Evangeliorum metro*. Ibidem, pag. 1373, ex bibliotheca S. Victoris Parisiensi indicatur : *Juvencus metrice in quatuor Evangelia;* et pag. 1408, ex bibliotheca monasterii S. Petri Corbeiensis : *Carmina Juvenci in vetus Testamentum, quibus succedunt Categoriæ Aristotelis, cod. membr. sæculi* x. Aliquis conjiciet, sermonem esse de carmine Juvenci in Genesin, quod, me invito, nonnulli Juvenco affingunt, ut animadverti num. 16. Verum facilius est suspicari mendum subesse, ac legendum : *Juvenci carmina in novum Testamentum*.

45. Angelus Maria Bandinius in Catalogo mss. bibliothecæ Laurentianæ Medicææ tom. I, col. 722, notat in cod. membran. sæculi xv, pag. 161 : *C. Vectii Juvenci Evangeliorum libros quatuor heroico carmine*. In libro IV deest ultimus versus, *Per Dominum*, etc. Ibidem, col. 772, cod. 22, sæculi XV : *Quatuor Evangelia versibus hexametris, auctore Juvenco, libris quatuor*. In principio legitur testimonium S. Hieronymi de Juvenco, ex cap. 84 de Vir. illustr. In fine : *Finis. Versus tria millia septingenti.* Hos duos **23** codices esse opinor, quos sic describit Montfauconius pag. 289, ubi loquitur de bibliotheca Laurentiana Medicæa : *C. Vetti Aquilini Juvenci c. v. Evangeliorum libri* IV *heroico carmine;* et p. 291 cod. papyr : *Juvenci presbyteri nobilissimi generis Hispani quatuor Evangelia hexametris versibus tribus mille septingentis pene ad verbum*. Nisi error est in numeris, longe editis exemplaribus auctior est hic codex Juvenci : nam in editis versus sunt circiter ter mille sexdecim. Ut a nobis editur Juvencus, constat versibus 3221. De altero ex his codicibus sic Reuschius : *Florentinus in bibliotheca S. Laurentii, non adeo antiquus, nitidissime litteris initialibus auro, et purpura perpolitus. In eodem libro membranaceo Prudentii carmina lyrica, Aratoris Actus Apostolorum, et Sedulii opera leguntur. Vocatur Noster ibi : Caius Vettus Juvencus, et in fine Caius Vettus Aquilinus*. De eodem, opinor, codice Omeisius : *Ex ms. Florent. S. Laurentii talem titulum descripsit illustris quidam fautor : Caii Vetti Juvenci præfatio in Evangeliorum libris. Plenius autem in fine ejusdem codicis nomen poetæ legitur: Caii Vetti Aquilini liber quartus, et ultimus feliciter explicit. Deo semper gratias. Amen.*

46. Catalogus mss. codicum bibliothecæ Bodleianæ nobis exhibet cod. 2219 : *Juvenci poema in quatuor Evangelia*; cod. 5137 : *Glossarium Latino-Francicum in Juvenco* (forte *in Juvencum*); cod. 6465 : *Juvenci presbyteri libros* IV. Oxoniensis codex, quem ex Spizelio indicat Reuschius, fortasse aliquis horum est, qui hoc catalogo referuntur. In catalogo mss. bibliothecæ Regiæ Parisiensis tom. IV, num. 8321, codex partim chartaceus, partim membranaceus, olim Colbertinus refertur, in quo inter alia indicatur *Juvenci presbyteri Historia evangelica libris* IV, *et versibus heroicis;* ejus carmina num. 544 ejusdem catalogi indicantur. De codice ms. Gandavensi, quocum collatus est Juvencus a Poelmanno, consule num. 70. Fabricius in Comm. Poetar. Christ. verbo *Debilis* duos codices mss. laudat Gandavensem et Mersburgicum. Codex quo usus est Barthius, et quo meliorem exstare vix putat Advers. libr. LIX, cap. 5, Cygneæ latitabat, dum Reuschius scribebat. Alius Coloniensis laudatur a Barthio Advers. libr. XIII, cap. 19 : *Membranæ Colonienses*, ait, *quas laudamus, scriptæ* **24** *sunt sub Ludovico Pio, Magni Caroli filio, quibus si quis antiquiores habet aliter scriptas, cedemus veritate*. Confer ejusdem Barthii verba a nobis relata in not. ad v. 9 l. I, et ad v. 2 l. II. Divionensem codicem in Monasterio S. Benigni vidit Juretus ad Paulinum Petrocorium de Vita S. Martini l. III, v. 62, p. 243, 255. Fuldensem Joachimus Zehnerus diligentissime contulit, ut Reuschius testatur. Idem Reuschius codicem Florentinum Antonii Magliabecchi non adeo antiquum vocat. Pithœano codice usus est Juretus ad Paulinum Petroc. pag. 255.

47. In bibliotheca Vaticana tres tantum reperi codices Juvenci, vel potius duos : nam primus solum continet post Horatii opera Orationem Dominicam hoc titulo : *Pater noster Juvenci*. Incipit : *Sic secreta domus*, etc., usque ad *Cedere nec durum erratis impendere pectus*, ut observare potes lib. I a v. 620. Codex hic est chartaceus non optimæ notæ inter codices reginæ Sueciæ numer. 1785. Montfauconius recensebat pag. 45, num. 1393 reginæ Sueciæ : *Juvenci presbyteri libros* IV *in Evangelia carmine. Sedulii libros* IV *veteris et novi Testamenti*. Ibidem num. 1396 Reg. Suec. : *Juvenci presbyteri carmina in quatuor Evangelia*. Ibid. pag. 50, num 1597 Reg. Succ. : *Excerpta conciliorum*, etc., *carmina nonnulla Augustini, Platonis, Aviti, Juvenci, et Fortunati. Chronica brevis Isidori Hispalensis*. Ibid. in bibliotheca Vaticana Alexandri Petavii pag. 67 : *Juvenci presbyteri in quatuor Evangelia versibus* 903, 1095, 95. Ibid. in bibliotheca Vaticana Ottoboniana pag. 190 : *Sedulius, Juvencus, codex vetus*. Ex his solum nunc apparent codex quem dixi, et duo alii, quos proxime describam.

48. Codex reginæ Sueciæ membranaceus in 4°, num. 333, complectitur opera Juvenci, et Sedulii. Juvencus hoc initium habet : *Incipit præfatio Juvenci presbyteri*. Subjiciuntur octo versus, quos nos pro prima præfatione ponimus, *Mattheus instituit*, etc. Consentiunt alii tres codices mss., ut dicam in nota ad primam hanc præfationem. Post hos versus : *Item præfatio*, quæ est præfatio vulgata, *Immortale*

nihil, etc., usque ad vers. *Dulcis Jordanis*, post quem A additur : *Explicit præfatio*, et sine alio titulo sequitur : *Rex fuit*, etc. In fine : *Explicit* **25** *liber* IV *Evangeliorum versibus Gaii Vetti Aquilini Juventi presbyteri*. Ratio scribendi hæc fere est in hoc codice : *nanctus* pro *nactus*, *Matheus*, *presbiteri*, *genetrix*, *inmortale*, *conjunx*, nonnumquam *ad* pro *at*, et *competa* pro *compita*. Nullæ virgulæ, nulla puncta a prima manu, aut rara, diphthongi solutæ. Capita Evangeliorum non indicantur, neque ulli sunt tituli, qui in plerisque editis apparent. Inter lineas quædam sunt glossæ, quarum nobis aliquis erit usus. Ætas codicis ad VIII, aut IX sæculum referenda est. Formam characteris æri incisam exhibemus. Hunc codicem in variis lectionibus *Reginæ Succiæ*, sive per compendium *Reg.* appellabimus. Octo versus, B quos pro prima præfatione hic codex exhibet, G. Fabricius in Comment. poet. Christ. verbo *Evangelistæ* olim ediderat, quos ait a se repertos in antiquo codice : sed cujus auctoris hic fuerit codex, non explicat. Eos itidem reperio post Sedulium in editione Basileensi, curante Poelmanno, cum hac nota ad marginem : *Auctoris nomen non erat additum in exemplari*. Profecto Sedulii non sunt : nam is in fine libri primi similem sententiam jam versibus concluserat. Restituendi ergo sunt illi versus Juvenco, quamvis plerique codices incipiant a secunda præfatione, *Immortale*, etc. De hac consuetudine, qua veteres poetæ duas præfationes carminibus suis apponebant, adisis Prolegom. in Dracontium num. 16. Secundus prologus *Immortale*, etc., qua temeritate, C aut negligentia antea operibus Ausonii insertus fuerit, jure miratur G. Fabricius.

49. Reginæ Sueciæ erat etiam codex num. 1596, qui nunc inter Ottobonianos relatus est sub num. 35, membranaceus in 4°, in quo pariter sunt carmina Sedulii, et Juvenci. Titulus Juvenci hic est : *Incipit præfatio Juvenci presbyteri*, nempe præfatio, quæ in editis vulgo legitur, *Immortale nihil*, etc. Postea, *Explicit præfatio*, et hoc loco inseritur S. Hieronymi elogium de Juvenco ex libr. de Vir. illustr., ut a nobis descriptum fuit num. 4. Scribitur *competa*, *subolem*, atque alia fere ut in codice superiori Reginæ Sueciæ, nisi quod in hoc sunt puncta. Desunt etiam tituli, neque indicantur capita Evangeliorum. In principio codicis notatum invenio : *Co-* D *dex admodum* **26** *antiquus ante* 700. Ejusdem fere ætatis, ac codex superior, mihi videtur esse. In fine legitur : *Finit. Explicit liber* IV *Evangeliorum versibus Gaii Vetti Aquilini Juvenci*. In codice superiori post Juvencum sequitur Sedulius, in hoc Ottoboniano Juvencum præcedit Sedulius, et inter utrumque insertum est ænigma quoddam sine auctore : nam Arnulfi nomen, quod apparet deletum, non videtur positum pro nomine auctoris. Nescio, an alicubi typis sit impressum hoc epigramma; sed vel ob hoc ipsum quia id nescio, hoc loco opportune a me edetur :

Quatuor una simul dat dictio nomina rebus.
Tota namque deum designat voce latinum,
Parte sed ablata fit proles Daunia prima;
Sublato medio, remanet contrarius ægro;
Extremo, restat, quod prandia cuncta recusat.

Explicatio ænigmatis præmittitur epigrammati, scilicet *Saturnus*, qui est deus Latinus : ex qua voce fit *Turnus*, ablata parte prima; ablato medio, *sanus*; ablato extremo, *satur*. Tertius versus planius procederet : *Parte sed ablata prima, fit Daunia proles*. Hic codex *Ottobonianus*, sive *Ott.* a nobis dicetur.

50. Codex alius, quo usi sumus, exstat in bibliotheca Collegii Romani, et continet carmina Aratoris, Juvenci, et Sedulii. Ante Juvencum refertur Hieronymi de eo testimonium expositum num. 4, hoc tantum discrimine : *Juvencus genere nobilissimus Hispanus presbyter fuit, quatuor*, etc. Titulus hic apponitur : *Incipit liber primus Juvenci Hispani presbyteri, ac genere nobilissimi, et primo proœmium, Immortale*, etc. Finito hoc proœmio : *Incipit historia, ac primus liber*. Quartus liber concluditur versu 751, *Militibus terror sensum discluserat omnem*, post quem illico additur : *Explicit Juvencus*. Scilicet mancus erat, ut videtur, codex vetus, ex quo hic descriptus est : nam hic chartaceus est, ad sæculum XV pertinens. In fine Sedulii notatur : *Iste liber est monasterii S. Georgii Majoris de Ven. Congregatione S. Justinæ*. Verum diversus est character Sedulii a charactere Aratoris, et Juvenci, et fortasse hi tres poetæ Christiani e diversis voluminibus in unum compacti sunt. Ad marginem Juvenci nonnullæ sunt notæ, ac **27** variæ lectiones. Hunc codicem *Romani Collegii*, sive C *Rom.* vocabimus.

51. Reuschius cum codices mss. Juvenci, de quibus ille quidem scire potuerat, recensuisset : *Cæterum*, ait, *dubium nullum est, quin plures hinc inde exstent membranæ : nullus siquidem hic ex Vindobonensi, Romana, Gallica, aliisque bibliothecis celeberrimis codex est notatus : ex iis itaque, qui plurium copiam nancisci poterit, meliorem parare editionem studeat*. Ipse vero Reuschius Trenchiniensi papyraceo codice monachalibus litteris usus fuerat, descripto ex alio exemplari, quod possederat Joannes Hadikius. Eum codicem cum Reuschio communicaverat Dan. Guil. Mollerus : sed tyrannidem glossatoris passus erat, qui plures lectiones variantes ex suo ingenio intruserat, v. g., ubi Juvencus D voce antiqua *plebes* usus est, ibi semper *turba*, vel vocem similem substituit. Bene autem habet, quod Reuschius ei codici soli numquam credidit. Neque tamen *plebes* in nominandi casu singularis numeri pro *plebs* vox antiqua dici debet, ut dicam ad v. 694 lib. IV. Poelmannus in sua editione, quam referam num. 70, usus videtur codice ms. qui fuit bibliothecæ Gandavensis. Cum codice Rottendorphii collata est editio Basileensis anni 1545, de qua numer. 74. Saubertus plurimas varias lectiones ex optima membrana Helmstadiensi collegerat, quibus usus est Omeisius n. 51 et 60 laudandus. Codicis Fuldensis nonnullæ lectiones a Zehnero exscriptæ usui fuerunt eidem Omeisio, ad quem etiam pervenit

collatio duorum codicum Cantabrigiensium, ut loc. cit. referam. Joan. Fr. Grunerus in Act. Soc. Lat. Ien. vol. III, opusc. 2, l. 1 Observat. Critic. cap. 6, nonnulla loca Juvenci ex codicibus mss. Cant., et Un., quos in Anglia Benzelius evolvit, diligenter illustrat : allegat etiam codicem D., qui, nescio, an diversus sit a duobus mss. Anglicis Un., et Cant. Laudat quidem Grunerus industriam Reuschii : sed addit : *Reuschium egregia sua ejus poetæ (Juvenci) editione non omnia librariorum vitia sustulisse facile credent, qui, quantus labor sit veteres auctores ad codices mss. recensere accuratius sciunt.*

28 CAPUT III.

Editiones Carminum Juvenci.

52. Prima editio. Bayerius in notis ad Biblioth. veter. Nic. Antonii ait, se habere editionem veterem Juvenci sine ulla epigraphe, aut inscriptione, sine loco, et anno circa annum, ut ipsi videtur, 1490 peractam simul cum Cypriano De ligno crucis, Psychomachia Prudentii, Aratoris apostolica Historia, Antonii Nebrissensis Cosmographia, Columella de Cultu hortorum, Palladio de Insitione, et Val. Probo de Compendiis litterarum in forma quarta. Joannes Albertus Fabricius inter alias Juvenci editiones recenset editionem antiquam sine loco et anno, in 4°, hoc titulo : *Juvencus presbyter immensam Evangelii majestatem heroicis versibus concludens.* Hæc videtur esse editio vetus, quæ exstat in bibliotheca Vaticana, de qua dicam num. 61.

53. Secunda editio anno 1499, ex Fabricio, qui ait, Parisiis eo anno editum fuisse Juvencum in fol. cum Sedulio, et P. Barri Pæanibus quinque festorum B. Virginis, edente Jacobo Fabro, qui in epistola ad Fabrum Stapulensem præmissa Aldhelmo de Virginitate edito Daventriæ 1512, in 4°, ait : *Considerans ego fructum illum, qui emersit ex editione illa divi Juvenci, quem ego ante multos annos primus omnium publicavi, qui erat mihi mutilatus, et imperfectus ob antiquitatem : quocirca in eam formam redegi, qua et hic, et in aliis locis circumfertur. Quæ enim et immutata sunt in eo, et quæ ad imperfectos versus accesserunt propter exemplaris depravationem, non facile dixerim.* Atqui dicere omnino debuit, ut nobis constaret, quid ille ex veteri exemplari mutilato, imperfecto, et depravato ediderit, quid ex ingenio suo, et penu adjecerit. Hanc editionem Parisiensem anno 1499, in fol., cum Sedulio, et aliis piis operibus, cura Jacobi Le Fèvre Ceillierius etiam recenset. Distincta ergo est hæc editio ab alia editione Parisiensi, quam nunc exponam. Reuschius monet, Nic. Heinsium hanc editionem possedisse, uti ex Catalogo illius librorum constat. **29** Meminit ejusdem Corn. a Beughem in Incunabulis typographicis p. 80. Titulus est : *P. Barri Pæanes quinque festorum D. Virginis; Juvenci, et Sedulii presbyteri carmina, Beroaldi, aliorumque, et Propertius.*

54. Tertia editio anno 1500 circiter : *Juvencus presbyter immensam evangelicæ legis majestatem heroicis versibus concludens. Venales reperiuntur in vico S. Jacobi apud Leonem Argenteum.* In 4°. Sunt novem quaterniones usque ad *i*, præterea *k* ternio, et *l* duo. In fronte est stemma cum epigraphe *Jehan Petit.* Sequuntur tria Juvenci elogia ex S. Hieronymo, item aliud ex Joanne Tritenhem, seu Tritemio, aliud ex Baptista Mantuano, aliud ex Francisco Petrarcha. Postea : *Incipit prologus Juvenci presbyteri in quatuor Evangelia.* Tum : *Juvenci Hispani presbyteri quatuor Evangelia Christi hexametris versibus transferentis liber primus.* Adsunt tituli, sive capita rerum, quæ carminibus explicantur.

55. In fine est Hermanni Buschii Monasterien. in presbyterum Juvencum Hispanum epigramma ad lectorem :

Nectite, Pierides, hederas, et carpite lauros :
Castalius liquidas porrigat altus aquas,
Insolitoque nemus tollat juga læta virore,
Quo stetit alatus Bellerophontis equus.
Permessus nitidis irroret gramina lymphis,
Littora Cephisi come, Thalia, tui.
Cyrrha ferat flores, violas, et lilia, circum
Spirent innumeris Delphica rura rosis.
Aura levi flatu tota regione susurret,
Stillent Cecropiis robora querna favis.
Applaudat reduci tellus Hispana Juvenco,
Neglectum cujus squalor edebat opus.
Qui modo canitie vultus abeunte beatos
Induit, et formæ pristina membra suæ.
Fulget apollineis iterum coma digna corymbis,
Et manus auratam pulsat eburna lyram.
Desine mirari, supplex si moverit Orpheus
Tartara, et inferni flebile numen agri.
30 Vana quidem sunt hæc, sed gloria tanta Juvenco
Advolet, æthereum qui movet ore deum.

56. Denique Faustus, qui Juvencum in schola prælecturus erat, sic lectorem alloquitur :

FAUSTUS LECTORI SALUTEM.

Cave, mi lector, cave, inquam, ne tam castum, tamque catholicum poetam ridiculo illo titulo dehonestes. Sic enim attitulandus est liber : Juvenci presbyteri Hispani poetæ celeberrimi de Evangelica historia liber primus. Si quid aliud vel temporum, vel impressorum incuria depravatum fuerit, id publica, quotidianaque lectione non incastigatum prætermittam. Tu autem cum ex Christianis parentibus Christianus natus sis, Juvencum et Christianum poetam, et de Christiana fide disserentem nocturna versato manu, versato diurna, ne semper gentiles tum poetas, tum oratores vel legere, vel audire videaris. Nihil profecto pulchrius, venustiusque est, quam divina mysteria eleganti carmine illustrata non ignorare. Cæterum non solum mihi ipsi, verum etiam fratri Alphonso Hispano doctissimo quidem theologo agendæ sunt non vulgares gratiæ. Ex eo enim jam diu quæsitum a me Juvencum accepi, acceptum publicavi, publicatum non sine maxima diligentia interpretabor, ut ex officina mea non tam sæculares, quam sacræ litteræ exiisse videantur. Vale.

57. Non satis intelligitur, quo pacto Faustus diu quæsierit Juvencum, cum Jacobus Faber primus omnium eum ediderit Parisiis anno 1499, ut nihil dicam de editione, quam num. 52 Bayerius ad annum 1490 referebat. In exemplari hujus editionis, quod asservatur in bibliotheca Angelica Romæ simul compactæ sunt satiræ Persii cum interpretatione Joannis

Britannici, et Jodoci Badii Ascensii, qui in præfatione laudat Faustum *præcipuum Galliarum specimen, ac litteraturæ præsidium, regium, dico, illum musicum, ac vatem clarissimum Parrhisios tot annos erudientem.* Subscribit Ascensius *ex officina Lugdunensi* 1499. Typi, quibus excusus est Juvencus, iidem omnino esse videntur, ac illi, quibus descriptæ sunt satiræ Persii : hæ autem excusæ dicuntur *in nobilissimo Parrhisiorum gymnasio anno* MD, **31** *ad quartum idus Maias, solerti opera Thielmanni Keruer.* In fronte Satirarum Persii est idem stemma, ac in Juvenco, et nota hæc : *Venditur in Leone Argenteo, et Pellicano regionis Divi Jacobi Parrhisiis.* Editio nitida est, sed mendosa multis in locis. Ab hac Juvenci editione diversam non censeo eam, quam Catalogus bibliothecæ Regiæ Parisiensis sic indicat : *Juvenci presbyteri historia evangelica heroicis versibus descripta, Parisiis Joannes Petit*, in 4°. Non exprimitur annus. De Joanne Parvo, seu *Petit*, consulendus Michael Maitaire Annal. typ. t. II, part. 1, p. 84.

58. Quisnam fuerit Faustus ille Juvenci enarrator, et quisnam frater Alphonsus Hispanus, a quo Faustus accepit Juvencum, etsi minus est necessarium, tamen opus est quærere, Publius Faustus Andrelinus Foroliviensis, poeta, ut ea tempora ferebant, egregius, in universitate Parisiensi ab anno 1489, litteras humaniores spatio triginta annorum magno cum plausu professus est. Hic ergo est Faustus interpres Juvenci, de cujus vita plura congerunt Mazzuchellius De Scriptor. Italic., et Tiraboschius tom. VI Hist. litter. part. II, libr. VI, cap. 5, num. 64. Confer etiam Maittairium loc. cit. pag. 91. Verba Fausti, quæ retulimus, Tiraboschium fortasse latuerunt, quibus certe uti potuit ad ejus mores contra Erasmi dicteria vindicandos : nam aliæ rationes, quas profert, imbecilliores sunt.

59. Alphonsum illum, a quo Faustus Juvencum accepit, crediderim esse Alphonsum de Cordova, Ordinis Augustiniani, qui suscepto Doctoratus honore in urbe Parisiorum, Salmanticæ cathedram rexit Gregorii Ariminensis propter doctrinæ ejus celebritatem ibi olim institutam, et decessit Abulæ anno 1542, ut refert Nicol. Antonius. Petrus Ciaconius in Historia ms. Universitatis Salmantinæ, quam penes se habebat Petrus Madariaga Ordinis Augustiniani nuper Assistens, narrat, anno 1508, Parisiis Salmanticam adductos homines doctos, qui philosophiam, et theologiam Nominalium docerent, ac tunc erectam cathedram, qua legebatur Gregorius Ariminensis. Ratio ergo temporum suadet, ut Alphonsum de Cordova, sive *de Corduba*, Nominalium patronum, a Fausto laudatum fuisse credamus.

60. Editio quarta anno 1501. Hæc est editio ab Aldo peracta **32** in 4°, quæ a nonnullis anno 1502 assignatur, quia hoc anno publicata est, ut constat ex epist. Aldi ad Danielem Clarium data mense Junio 1502. Collectio hæc est plurium poetarum Christianorum in duos tomos divisa, quorum primo Prudentius continetur, ut fusius explicui in Prolegom. ad Prudentium num. 104. Hic recusus est in 8° sine loco et anno cum Aldi epistola. In secundo volumine sunt Sedulius, Juvencus, Arator, Probæ Falconiæ Cento; Lactantius Firmianus de Resurrectionis dominicæ die, et de Passione; Cyprianus de Ligno crucis, Deprecatoria Tipherni ad Virginem, Oratio ad beatissimam Virginem; Precatio matutina ad omnipotentem Deum, *Omnipotens, quem mente colo,* etc., quæ inter Ausonii carmina reperitur; Damasus de laudibus Pauli apostoli, Elegia in Hierusalem, nonnulli hymni sapphici Raphaelis Zouenzonii. In fine : *Venetiis apud Aldum* 1501, *mense Januario.* Addidit Aldus, ut eodem volumine comprehenderentur, Vitam S. Martini non versibus, ut putabat Ceillierius, sed prosa oratione a Severo Sulpicio confectam, Vitam S. Nicolai e Græco sermone in Latinum conversam a Leonardo Justiniano, et Homerocentones Græce, et Latine. Reuschius Aldinam Juvenci editionem anno 1502 adjudicat, et aliam editionem Aldinam ejusdem poetæ anni 1582 exstare se legisse ait, nisi numerus a typographis mutatus. Certe mutatus est : non enim Aldus Juvencum edidit, nisi anno 1501. De Aldo judicium hoc est Barthii, l. XXVI Advers. c. 27 : *Is Aldus, ejusque asseclæ, ut non raro corruperint auctores audacia corrigendi, ita tamen ut optimorum Italiæ codicum subsidio nixi, nobis, recensentibus enucleate omnia, non sunt plane insuper habendi.*

61. Editio quinta anno circiter 1503. Hæc exstat in bibliotheca Vaticana in 4°, sine loco et anno. Titulus idem ac in editione Parisina nuper memorata, cum iisdem etiam Juvenci elogiis. Eodem pariter modo prologus, et initium libri primi prænotantur. In fine Hermanni Buschii epilogus ad lectorem, sive epigramma supra descriptum. Octo sunt quaterniones integri ab *a* ad *h*. In hoc exemplari Vaticano simul compacta sunt alia opera edita Daventriæ anno 1503, et circiter per Rithardum Pafræt, quæ simili charactere, ac Juvencus, excusa apparent. Ex Parisina **33** Joannis Petit videtur hæc editio repetita. Tituli, quibus capita rerum distinguuntur, diversi sunt ab Aldinis, et Poelmannianis. Primi vero tituli hi sunt : *De SS. Parentibus Joannis Baptistæ, et de ipsius præcursoris Domini conceptione. Lucæ* II; — *Annunciatio Mariæ;* — *Visitatio Mariæ,* etc. Omeisius possidebat editionem Juvenci sine loco et anno, quam ipse Coloniæ ante finem sæculi XV confectam existimabat, ut dicam num. 85; sed fortasse diversa non est ab hac, quam Daventriensem ego censeo. Reuschius quidem affirmat, editionem, quam possidebat Omeisius, exstare etiam in bibliothecis Vaticana, et Paulina Lipsiensi.

62. Editio sexta anno 1505 Lipsiæ in fol. ex catalogo bibliothecæ Francof. ad Viadrum, quem allegat Fabricius. Ceillierius hanc editionem commemorat fortasse ex Fabricio : Reuschius etiam, qui, ut opinor, eam vidit.

63. Editio septima anno 1506 Parisiis in 4° ex

bibliotheca Manarsiana pag. 335, apud Fabricium. Adhæret Ceillierius.

64. Editio octava anno 1509 Rothomagi in 4° cum notis Jodoci Badii Ascensii ex Fabricio, et Ceillierio. Hanc contulit G. Fabricius, ut ex comment. in poet. Christ. verbo *compleo* colligitur. Eamdem laudat Reuschius.

65. Editio nona anno 1511 Lipsiæ in 4° per Melch. Lotterum, adjuncto Hermanni Buschii epigrammate in Juvencum. Hanc editionem sine temporis nota viderat Fabricius, cui locum, et tempus indicavit Joannes Mollerus. Eam quoque recenset Ceillierius, sed ex Fabricio, ut opinor. Christophorus Cellarius in Curis poster. verbo *sanctificus* citat duas editiones Lipsienses, alteram anno 1512, alteram 1517. Sed fortasse in editione Panormitana Cellarii pro anno 1511 excidit 1512. Reuschius annum 1511 hujus editionis indicat. In editione Parisiensi anni 1545, quam mox referam, præfatus Wolfgangus Gulden Zcuigkauien. Magister, etc., qui subscribit Liptzlz secunda Januarii anno undecimo supra sesquimillesimum. Wolfgangus ita disserit, quasi ipse primus omnium Juvencum ediderit : ignorabat scilicet alias editiones Juvenci. Lipsiensis ergo editio anni 1511 ea esse videtur, quam procuravit Wolfgangus.

34 66. Editio decima anno 1517 Lipsiæ ex Cellario paulo ante laudato, et ex Catalogo bibliothecæ Bunavianæ tom. I, col 2018, ex quo patet, eam esse in 4°, et per Jacobum Thanner procuratam. Eo ipso anno repetita fuit Salmanticæ editio Juvenci cum notis Badii, cujus memini num. 64. Joseph Rodriguez de Castro, Biblioth. Hisp. tom. II, pag. 176, titulum hunc refert : *Juvencus presbyter immensam evangelicæ legis majestatem heroicis versibus concludens ab Jodoco Badio Ascensio paucis elucidatus.* In fine : *Liber Juvenci finem optatum accepit : Salmantica in civitate, in officina venerabilis Joannis de Porrs. Anno Domini* MDXVII *Kalendis Januarii* XVII. In hac editione Passio D. N. J. C. quodammodo a reliquo poemate separata est, fere ut in editione Parisiensi anni 1545, quam num. 73 recensebo. Typographi nomen est *Joannes de Porres,* vel *Porras.*

67. Editio undecima anno 1419 Viennæ ex Catalogo Bodleiano apud Fabricium. Eam sic describit Maittairius tom. II Annal. Typogr. part. I, pag. 531 : *Juvenci presbyteri Hispani de Evangelica Historia libri quatuor : per Joannem Singrenium, expensis ejusdem ;* in 4°, Viennæ Pannoniæ 1519.

68. Editio duodecima anno 1537 : *Juvenci presbyteri Hispani poetæ Christiani lib.* III (corrige IV) *de historia evangelica, emendati, et multis erroribus purgati. Aratoris subdiaconi libri* II, *Acta apostolica complectentes, antea in Germania non excusi. Aurelii Prudentii Clementis consularis viri* (corrige *clarissimi viri*) *Encheiridion veteris, et novi Instrumenti. Scholæ Christianæ necessarii libelli. Basileæ apud Bartholomæum Westhemerum, et Nicolaum Brylingerum anno* M. D. XXXVII, in 8° parvo. Hac editione usus sum ex bibliotheca selecta, et locupletissima eminentissimi cardinalis Valentis Gonzaga. Exstat etiam in bibliotheca Angelica. Repetita est, ut videtur, anno 1542.

69. Editio decima tertia anno 1537 : *Juvenci Hispani, et Sedulii Scotigenæ presbyterorum, et poetarum christianissimorum historiæ evangelicæ, versibus heroicis adamussim expressæ : jam tersiores, et ex veterum aliquot librorum collatione multo castigatiores in lucem prolatæ. Coloniæ apud Eucharium anno 1537, mens. Jul.* In 8°. Editor est Reinhardus Lorichius Hadamarius, cujus tamen epistola dedicatoria avulsa est ab exemplari quo utor, sed exstat in editione Poelmanni, quam nunc exponam. Typographus Eucharii Cervicorni nomine notus est.

70. Editio decima quarta eodem anno 1537, aut circiter. *Juvenci Hispani evangelicæ historiæ libri* IV. *Cælii Sedulii mirabilium divinorum, sive Paschalis carminis libri* IV *una cum hymnis aliquot. Aratoris in Acta Apostolica libri duo. Venantii Honorii Fortunati hymni duo per G. Cassandrum integritati suæ restituti. Omnia per Theodorum Poelmannum Cranenburgensem recognita. Basileæ.* In 8°. Nulla est nota temporis : sed Reinhardus **35** Lorichius Hadamarius epistolæ dedicatoriæ ad D. Joannem Comitem a Vueda subscribit Marpurgi nonis Julii anno M. D. XXXVII, qui ait, Juvencum, et Sedulium a se edi non paucis, quas a librariis, vel chalcotypis acceperant, mendarum injuriis vindicatos, et suo studio restitutos. Juvencus igitur cum Sedulio prodiit Coloniæ 1537, ex recensione Hadamarii, cujus editionem secutus postea fuit Poelmannus Basileæ, additis variis lectionibus in Juvencum, et Sedulium, sed præcipue in Juvencum. In Poelmanni Basileensi editione sine anni nota præter varias has lectiones, et epistolam dedicatoriam Hadamarii sunt duo epigrammata, aliud Poelmanni, aliud Hadamarii de utilitate legendi poetas sacros. Post Juvencum est carmen inscriptum, *Triumphus Christi heroicus*, de quo vide num. 19. Fortasse editio hæc differenda est ad annum 1551, ut n. 73 explicabo. De ea sic G. Fabricius comment. in poet. Christ. verbo *Juvencus : Lectionis diversitatem in Juvencum Basileæ impressum collegerat Theodorus Poelmannus ex editione, ni fallor, Rothomagensi, aut ex manuscripto, quod cum ea editione consensit : id autem manuscriptum e bibliotheca Gandavense fuisse, ipse postea annotavit.*

71. Editio decima quinta anno 1541 : *Cælii Sedulii presbyteri cum piissimi, tum doctissimi paschale opus, seu mirabilium divinorum libri quinque cum enarrationibus luculentissimis Ælii Antonii Nebrissensis. Adjunximus etiam Juvenci Hispani presbyteri evangelicam historiam ejusdem argumenti, additis et in eamdem commentariis. Omnia ad vetustissima exemplaria collata, et castigata. Cum indice locupletissimo. Basileæ anno* M. D. XL.I In 8. Post Sedulium hæc est inscriptio : *Juvenci presbyteri Hispani Poetæ Christiani lib.* III (corrige IV) *de historia evangelica emendati, et multis erroribus purgati.* Post Juvenci elogia : *Juvenci Hispani presbyteri in quatuor Evan-*

gelia dominicalia prologus. Commentarii Jodoci Badii Ascensii subjiciuntur, vel interseruntur. Post Juvencum carmen, *Triumphus Christi heroicus*, de quo num. 19. In fine : *Basileæ apud Bartholomæum Westhemerum anno* M. D. XLI. Præfatur is ipse Westhemerus, qui alios poetas Christianos in lucem edere cogitabat. **36** Tituli rerum in hac editione, in Aldo, in editione Vaticana veteri, seu Daventriensi, in Poelmanno, et in Hadamario diversi sunt. Margini ascriptæ sunt variæ lectiones. Westhemerus jam anno 1537, ediderat Juvencum, ut vidimus. Ex hujus editionis titulo hallucinatus est Kuhnius, qui, ut referam in var. lect. ad vers. 340, l. III, allegat editionem Antonii Nebrissensis, *quæ prima*, ait, *cum enarrationibus suis dedit Juvencum.* Nebrissensis enarrationes sunt in Sedulium : nam Juvencum ille numquam commentatus est, ut cum Nic. Antonio observavi num. 3.

72. Editio decima sexta anno 1542 Basileæ cum Dittochæo, sive Enchiridio Prudentii repetita ex Basileensi anni 1537, ut ex Ludewigio retuli in Prolegom. ad Prudentium num. 110. Neque a Fabricio, neque a Ceillierio hæc editio in suis catalogis commemoratur.

73. Editio decima septima anno 1545 : *Juvenci Hispani presbyteri Historia evangelica versu heroico descripta Parisiis excudebat Petrus Gallerus pro Joanne Barbæo, et Claudio Garamontio* 1545. In 16, vel 12. Præfatur Wolfgangus Gulden, ad cujus editionem Lipsiensem anni 1511, hæc Parisiensis conformatur. Confer num. 65. Finis libri IV ascribitur post vers. 403 : *Cuncta Pharisæis rerum miracula narrant.* Tum sequitur, *Passio D. N. Jesu Christi a Juvenco presbytero metrice composita.* Sed cum versus 404 per particulam *ergo* connectatur cum præcedentibus, inepte finis l. IV ante eum statuitur. Adduntur elogia Juvenci ex S. Hieronymo, Trithemio, Joanne Bapt. Mantuano, et Francisco Petrarcha, et Lactantii carmen de passione Domini. Tituli frequentiores, et uberiores sunt, quam in plerisque editionibus, ab Editore, ut conjicio, appositi.

74. Editio decima octava anno eodem 1545 Basileæ in 8°, cum Sedulio, et Aratore, collata cum codice Rottendorphii, et aliis mss. ex Fabricio, et Reuschio.

75. Editio decima nona anno 1551 : *Juvenci Hispani libr.* IV *evangelicæ Historiæ. . . . omnia recognita, et variis lectionibus illustrata studio Theodori Poelmanni Basileæ* 1551, in 8°, cum Sedulio, Aratore, et duobus hymnis Fortunati per **37** G. Cassandrum restitutis. Ex Catalogo Bibliothecæ Regiæ Parisiensis. Videtur hæc editio repetita ex prima editione Poelmanniana recensita num. 70, quæ prodiit sine anni nota, ut tunc dixi, nisi si forte in exemplari bibliothecæ Regiæ Parisiensis appositus fuerit verus annus editionis primæ manu alicujus, qui id noverit. Barthius libr. XLIX Advers., cap. 5, laudat editionem Lugdunensem anni 1551, quæ auctores tres Aratorem, Sedulium, Juvencum prorsus renovatos ad lectionem mss. præ se fert. Haud scio sane an diversæ sint hæ editiones; an Barthius pro Basileensi scripserit Lugdunensem.

76. Editio vigesima anno 1553 : *C. Juvenci, Cælii Sedulii, Aratoris sacra poesis recognita, et collata. Lugduni* 1553. In 12, aut 16, apud Joannem Tornæsium, et Gulielmum Gazeium. Hanc editionem contulerat Latinius, ut ex sua bibliotheca constat. In Bibliotheca Regia Parisiensi asservatur exemplar hujus editionis cum variis lectionibus mss. in C. Juvencum manu P. Rupellensis collatum. Repetita est hæc editio an. 1566, ut num. 78, animadvertam.

77. Editio vigesima prima anno 1564, Basileæ, in 4°, inter poetas Christianos cum commentariis Georgii Fabricii, quam editionem alii dicunt in fol., alii anno 1562 ascribunt : de qua plura ego disserui in Prolegom. ad Prudentium n. 111. Judicium Barthii de Fabricio proferam in nota ad v. 179 libr. I.

78. Editio vigesima secunda anno 1566 : *C. Juvenci, Cælii Sedulii, Aratoris sacra poesis, summa cura, et diligentia recognita, et collata. Lugduni apud Joannem Tornæsium* 1566. In forma minore, aut 16. Exstat hæc editio in bibliotheca Casanatensi : qua ego etiam usus sum ex bibliotheca eminentissimi et commendatissimi cardinalis Valentis Gonzaga. Dicata est Georgio Armagnacio S. R. E. cardinali anno 1553, kalendis Februarii. Renovata ergo est ex prima Tornæsiana, et eo anno 1553, vulgata, nisi forte eadem omnino est, mutata solum prima fronte : quæ solet esse fraus bibliopolarum. Ceillierius bis hanc editionem anni 1566 numerat, et ait esse in 18. Nic. Antonius utebatur editione Tornæsiana anni 1564, in 24, quam diversam ab his, quas dixi, non existimo.

38 79. Editio vigesima tertia anno 1569 : *Juvenci, et Aratoris sacra poesis. Mediolani imprimebat Pacificus Pontius* MDLXIX. In 8°. In fine exstat *Jacobi Sannazarii de morte Christi Domini ad mortales lamentatio.* Indicantur loca Evangeliorum, sed tituli non explanantur. In fine laudatur Juvencus a S. Hieronymo, Trithemio, Petro Crinito, Joanne Bapt. Mantuano, et Francisco Petrarcha, ut in editione Tornæsiana, ad quam conformata hæc Mediolanensis editio mihi conferenti visa est. Asservatur Romæ in celebri bibliotheca Barberina, et Collegii Romani.

80. Editio vigesima quarta anno 1573 : *Juvenci hispani evangelicæ Historiæ libri* IV. *Cælii Sedulii*, etc. *Omnia per Theodorum Poelmannum Cranenburgensem recognita Calari* MDLXXIII. *Excudebat Vincentius Sembeninus Salodiensis impressor R. D. Nicolai Canyelles, Vic. Gener. Sede vacante.* In 8°. Bandinius in Catalogo mss. bibliothecæ Mediceæ innuit, Theodorum Poelmannum curasse hanc editionem Calaritanam : quod ita intelligas, ut Poelmannus editionem Basileensem relatam num. 70 curaverit, ad cujus normam hæc editio Calaritana confecta fuerit expresso etiam primo titulo operis. Satis quidem correcta est hæc editio Calaritana, quæ exstat in bibliotheca Sapientiæ, et Angelicæ Romæ.

81. Editio vigesima quinta anno 1575 in Biblio-

theca Patrum Parisiensi, repetita in aliis editionibus bibliothecæ Patrum, ut Parisiis 1589, Coloniæ 1618, Parisiis 1624, 1644, et 1654, Lugduni 1677. An autem hæ omnes editiones Bibliothecæ Patrum reapse inter se distinctæ sint, dubitavi in Prolegom. ad Dracontium num. 60, neque adhuc verum invenire potui. Bibliotheca Patrum edita anno 1589 in Indice expurgatorio Brasichellensis recensita, et expurgata est, sed intactis Juvenci carminibus. Inter Bibliothecas Patrum reponi potest opus, quod Thomas Ittigius recenset in libro De Bibliothecis, et Catenis Patrum: *Divorum Patrum, et Doctorum Ecclesiæ, qui ligata oratione scripserunt, paraphrases, et meditationes in Evangelia dominicalia collectæ a M. Joanne Zehnero* 1602. *Lipsiæ.* Quo in systemate carminum sacrorum Juvencus **39** insertus est, aut aliquid ejus. Eodem pertinet, quod Andreas Wilkius anno 1610 edidit Heortographiam in 8°, in cujus priore parte legitur hymnus Juvenci *De Annunciatione.* Confer num. 16. Prodiit etiam Dominici Schram Benedictini Analysis operum SS. Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum in 8°, Augustæ Vindelicorum, et tomo IX, anno 1786, analysis operum Juvenci ex Gallandii editione. Schramus quædam reformare voluit, pleraque vitiose.

82. Editio vigesima sexta anno 1588: *C. Juvenci, Cœlii Sedulii, Aratoris sacra poesis. Lactantii Firmiani carmen de beneficiis Christi: omnia recognita, et collata cum variis editionibus, et mss. codicibus. Accedunt Probæ Falconiæ Centones in quædam historiæ sacræ capita. Lugduni Joannes Tornæsius* 1588. In 16. Ex Catalogo bibliothecæ Regiæ Parisiensis, et ex Ceillierio, qui, opinor, hanc intelligit, cum laudat editionem Lugdunensem anni 1588, in 8°, neque fortasse diversa editio ea est, quam Reuschius refert Genevæ 1588, in 12: conjungit enim hanc cum aliis Tornæsianis. Idem aliam editionem Venetam in 12, sine anno recenset: quam in hunc quoque locum conjicere visum est.

83. Editio vigesima septima anno 1603, in Corpore Latinorum poetarum Lugduni in 4°. Quo spectant aliæ editiones Juvenci in Corpore, et Choro Latinorum poetarum, ut Genevæ 1611 in 4°, Lugduni 1616 in 4, Genevæ 1627 et 1640 in 4°, Londini 1713 in fol., Pisauri 1766 in 4°, tom. V. Ceillierius recenset editionem Juvenci Lugdunensem anni 1616, in 4°, sed non puto, diversam eam esse ab editione Chori poetarum Latinorum eo anno ab Alexandro Fichetto, suo suppresso nomine, procurata.

84. Editio duodetrigesima anno 1710: *C. Vetti Aquilini Juvenci, Hispani presbyteri, Historiæ evangelicæ libri* IV, *cum notis integris Georgii Matthiæ Kœnigii, Magni Danielis Omeisii, et Christiani Schœttgenii; itemque Jodoci Badii Ascensii, Georgii Fabricii, aliorumque selectioribus. Erhardus Reusch recensuit, et memoriam Omeisianam cum duobus indicibus adjecit. Prostat Francofurti, et Lipsiæ apud Wolgangum Michaelles. bibliop. Norim.* CIↃIↃCCX. In 8°. Reuschius in præfatione ait: *In tantorum virorum labores ineditos id mihi juris sumere nolui, ut aliquid ex iis demerem, aut mutarem. Hoc enim si mihi permisissem, mutata parumper facie Juvencus prodiisset.* **40** *Omisissem quasdam locorum communium deductiones omniaque ea, quæ longius petita videri possent.* Addit, Omeisium in expendendis variis lectionibus parciorem fuisse, et morte præventum secundas curas adhibere non potuisse. Non tam se conjecturas attulisse ait Reuschius, quam potius lectiones, in codicibus repertas, judicii lance ponderasse. Paucissimas vero lectiones varias in notis ascripsit, quia animus illi erat, libellum earum ab Omeisio collectum, notis subjicere: sed, imminentibus nundinis, illum typis excudere non potuit. Cogitabat etiam peculiarem Dissertationem de poetarum Christianorum charactere edere, qua præstantiam Juvenci commonstraret.

85. Omeisius in præfatione sua refert, avunculum suum Joan. Saubertum consilium de edendo Juvenco multo ante cepisse ex optimâ membrana, editionumque collatione, ut declaravit in variis suis lectionibus in Matthæum pag. 259, et sub initium præfationis ad lectorem palæstræ suæ theologico-philosoph. Ex hujus suppellectile libraria Omeisius sibi comparavit editionem vetustam Juvenci forma majore octava, sine loco et anno impressionis, quam ipse conjiciebat Coloniæ ante finem sæculi quinti decimi peractam. Hujus editionis margini satis amplo Saubertus variarum lectionum quamplurimas ex optima illa membrana inclytæ Juliæ adjecerat, quibus non paucas subjunxit alias ex Hadamarii potissimum editione. Kœnigius, præceptor Omeisii, Altdorfii publice Juvencum prælegerat, et eruditas in illum, easque potissimum philologicas, dictaverat animadversiones, quas cum Omeisio communicavit. Omeisius anno 1705 in prælectionibus suis poeticis Juvencum interpretari cœpit, eumque tum selectioribus Ascensii Fabricii, et Andr. Wilkii, qui part. I Heortographiæ pag. 197, Lipsiæ 1676, historiam de Annunciatione B. Mariæ a Juvenco descriptam notis philologicis exornavit, tum Kœnigii integris, suisque multo copiosioribus animadversionibus illustrare. Consuluit etiam, præter alios, Joannis Pricæi commentarium in varios N. T. libros Londini 1660.

86. De codicibus mss., quorum, præter Helmstadiensem, quo scilicet Saubertus usus fuerat, in variis lectionibus **41** Omeisii fit mentio, is narrat, se exemplum Juvenci accepisse a Dan. Gul. Mollero, quod Trenchinii in urbe Hungariæ ex antiquo papyraceo ms. codice, exstante in bibliotheca Jo. Hadikii, ipsemet Mollerus manu sua pure descripserat. Præterea Godofredus Thomasius, ex bibliotheca Schleusingensium, Corpus poetarum christianorum Omeisio procuraverat, cujus oræ Joach. Zehnerus ex codice Fuldensi, et una alteraque editione variantes lectiones ascripserat. Jo. Albertus Fabricius collationem cum duobus codicibus Cantabrigiensibus ab Erico Benzelio accurate institutam transmiserat. Fabricius ipse in Biblioth. vet. Lat.

paulo aliter id narrat. In animo habuerat novam Juvenci editionem, ad mss. codices, et ad veteres editiones castigatam, studiosis offerre. Postea Omeisio collationes codicis Helmstadiensis, quas a rev. abb. Joanne Fabricio acceperat, et codicis Cantabrigiensis, quas ab Erico Benzelio habuerat, exhibuit. Epistolam Omeisii ad abb. Joannem Fabricium, qua de suis commentariis ad Juvencum loquitur, editam fuisse, Fabricius commemorat. Omeisius moriens curam edendi Juvenci Reuschio commisit, qui Schoettgenii notas, ab Omeisio non visas, adjecit, atque elogium ipsius Omeisii attexuit : ex quo annotare non pigeat, Omeisium in tori communionem ascivisse Mariam Dorotheam Rostiam, in celebri Hispaniæ emporio *S. Lucar* hodie appellato, a piis et honestis parentibus editam, et Conradi Pilnhuberi viduam, virtutibus ac forma egregiam.

87. Editio undetrigesima in Bibliotheca Patrum, Gallandii cura et studio, Venetiis ab anno 1765 et seqq., tomo IV in Prolegomenis, cap. 15, agit de Juvenco. Profert carmen in Genesin, tamquam certum Juvenci opus, ex Martenio cum hujus notis. Addit in fine Juvenci epigramma de quatuor Evangelistis ex Georg. Fabricio, et Barthio. Historiæ evangelicæ Juvenci breves notas subjungit. Etsi ergo aliæ editiones Juvenci in Bibliothecis Patrum simul in unum locum omnes a nobis conjectæ fuerint, tamen Gallandiana editio, peculiari studio et cura adornata, distinctum locum debuit obtinere.

42 CAPUT IV.

Elogia Juvenci ex veteribus scriptoribus, ac nonnullis recentibus, petita.

88. Laudes, quibus S. Hieronymus Juvencum prosequitur, cap. 1 commemoratæ sunt. Sed non omittendum hoc loco, quod ait comment. in Matth. libr. I, cap. II, 11, tom. VII, col. 14: *Pulcherrime munerum sacramenta Juvencus presbyter uno versiculo comprehendit :*

Thus, aurum, myrrham regique, hominique, Deoque
Dona ferunt.

89. Prosper, in Chronico, ad ann. 331, citatur a nonnullis, tamquam laudaverit Juvencum. In Chronico Prosperi nihil invenio. Fortasse intelligunt continuationem Chronici Eusebiani, auctore Hieronymo, cujus verba attuli, num. 22. Falsum etiam puto, quod Vasæus in Chronico tradit, Juvencum a Severo Sulpicio celebratum fuisse. Ab Aratore Juvencum et Sedulium laudatos fuisse, nonnulli colligunt ex Aldi relatione, qui in Vita Aratoris præmissa Collectioni poetarum christianorum sic ait : *Contulisse autem se ad scribendos Actus Apostolorum idcirco versibus Arator dicitur, quod fecisse idem in Evangelio Juvencum ac Sedulium vidisset. Id vero in eo Aratore licet videre, qui Venetiis et in D. Georgii cognomento Majoris et Deiparæ semper Virginis in Hortis bibliotheca alligatus est.*

90. Gelasius Papa, in celebri decreto quod in concilio Romano edidit de libris canonicis, ecclesiasticis et apocryphis, quod sub Hormisdæ nomine ex quodam codice a Francisco Jureto editum est, sic de Juvenco : *Item Juvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur.* Collatum est hoc decretum cum codice Vaticano a Fontanino in Append. ad Antiquit. Hortæ, et postea accuratius a Josepho Blanchinio in quodam exemplari Fontanini penes cl. Præsulem Reggium, cui manu varias lectiones adjecerat, quas etiam inseruit in Proleg. tom. IV Anastasii : nihil tamen in his verbis notat, nisi *lavoriosum* pro *laboriosum* ex codice Florentino. In decreto Gratiani **43** cap. *Sancta Romana Ecclesia, distinct.* 15, olim ita legebantur hæc verba : *Item Vincentii laboriosum opus non spernimus, sed imitamur.* Padilla, in Histor. eccles. Hisp., cent. 4, cap. 45, correxit *Juvenci* pro *Vincentii*, et advertit, male nonnullos id explicuisse de Speculo Histor. Vincentii Bellovacensis, qui sæculo XIII floruit. Reliquit autem Padilla intactum verbum *imitamur.* Veram lectionem aperuerat jam Antonius Augustinus, et ante hunc Covarruvias, libr. IV Var. Resol., cap. 16, quæ etiam exstat apud Burchardum et Ivonem, in eodem decreto Gelasii, et Chiffletium, ad Vigilium Taps., p. 149.

91. Venantius Fortunatus, lib. I de Vita S. Martini, initio :

Primus enim docili distinguens ordine carmen
Majestatis opus metri canit arte Juvencus.
Hinc quoque conspicui radiavit lingua Seduli.

Fortunatus non solum ait Juvencum primum omnium evangelicam majestatem metri legibus conclusisse, verum innuit etiam, Sedulium imitatione Juvenci opus paschale concinnasse; quo magis mirandum est Sedulium, in præfatione ad Macedonium, quodammodo dissimulasse, sibi notum fuisse Juvencum, cum tamen se versatum in S. Hieronymo, qui Juvencum sæpe laudavit, ostendat. Aldus, in Vita Aratoris præmissa Collectioni poetar. christ., ubi quædam adjungit de Sedulio, sic hanc conjecturam exponit : *Conjicimus tamen ex ejus epistola ad Macedonium presbyterum, Juvenci libros de historia evangelica non vidisse Sedulium. Nam cum in ea epistola causam reddit, cur versibus Evangelium scripserit, Juvenci, qui idem fecerat, haudquaquam meminit. Non enim culpa vacaret, si id sciens prætermisisset : et eo magis cum locus ipse exigeret, ut Juvencum, quem imitaretur, habere se diceret.* Certe nonnulla occasio Sedulio oblata est, ut Juvencum distincte nominaret, cum dixit : *Raro, pater optime, sicut vestra quoque peritia lectionis assiduitate cognoscit, divinæ munera pietatis stylo quisquam hujus modulationis aptavit; et multi sunt, quos studiorum sæcularium disciplina per poeticas magis delicias, et carminum voluptates oblectat.* Dubitare aliquis poterit, an etiam Orentius Juvencum æmulatus fuerit ex sententia Fortunati, **44** qui subinde addit :

Paucaque perstrinxit florente Orentius ore.

92. Isidorus, in versibus qui olim in Bibliotheca ejus legebantur :

Perlege facundi studiosum carmen Aviti :
Ecce Juvencus adest, Seduliusque tibi.
Ambo pares lingua, florentes versibus ambo,
Fonte evangelico pocula larga ferunt.
Desine gentilibus ergo inseruisse poetis,
Dum bona tanta potes, quid tibi Calliroen?

De his versibus plura disserui in notis ad Dracontium, libr. I de Deo, v. 176, pag. 143. Sed, ut aliquid novi addam, advertendum est, sex primos versus, quos proxime ab Eugenio de Levis, in suis Anecdotis, immerito pro ineditis habitos, et S. Damaso attributos, notavi, ab eo aliqua ex parte editos fuisse correctiores : nam quintus versus in editione matritensi operum S. Isidori, ita habet :

Hic gemmæ radiant veneranda volumina legis.

Melius Levisius ex suo codice, in quo S. Damaso illi versus ascribebantur :

Hic geminæ radiant veneranda volumina legis.

Sermo enim est de lege veteri, et nova, ut ex vers. seq. clare patet :

Condita sunt pariter hic nova cum veteri.

In versibus, quos nunc protuli, correxi alium errorem editionis matritensis, in qua legitur : *Ambo lingua pares*. Metrum poscit : *Ambo pares lingua*. Pro *gentilibus* aliud etiam mallem, ut metro consulerem: sed hic fortasse error est poetæ .Quid autem is sibi velit his verbis, *Quid tibi Calliroen*, intelliget, qui versum ultimum satiræ primæ Persii intelligat :

His mane edictum, post prandia Calliroen do.

Quidam putant, Calliroen esse nomen meretricis, alii comœdiæ cujusdam. Id magis congruit versui Isidoriano.

93. Ionas Scotus, in Vita S. Columbani, c. 14, al. num. 22, citat Juvenci vers. 44, l. I, ut ad eum locum recolam.

94. Beda non semel Juvenci versus usurpavit, ut exponam in var. lect. ad v. 340, l. 3; et not., ad. v. 632, l. 4, etc.

45 95. Alcuinus in præfat. in libros septem adversus Felicem ad Carolum Magnum, apud Baluzium, Miscellan. libr. IV, pag. mihi 416 : *In hoc namque opusculo catholicæ fidei veritatem ex sanctorum Patrum certissimis probare testimoniis nisus sum, id est, beati Hieronymi.... necnon et Isidori Hispaniensis, et Juvenci ejusdem provinciæ scholastici*. Idem Alcuinus, libr. II adversus Felicem : *At si mundi doctoribus cæteris vobis non libet credere, vestris saltem doctissimis viris credite. Cecinit Juvencus presbyter et doctissimus Hispanus scholasticus in carmine evangelico hoc modo: Nam tua concipient*, etc. (Vide lib. I, v. 95.) *Floruit vir iste temporibus Constantini principis. Videtis quidem ista : necdum adoptionis, vel nuncupationis hæresis in Hispania fuit. Aut istum, qui apud vos doctissimus exstat magister, hæreticum judicate, etc.* Rursus libr. II advers. Elipandum, idem Alcuinus : *Illi* (Patres Hispani) *sua habuerunt tempora, nobisque præclara sui sudoris in sancta conversatione reliquerunt vestigia, quos laudamus, amamus.... Beati itaque Isidori.... Sed et Juvenci presbyteri, atque optimi scholastici, quem beatus Hieronymus laudat, carmina evangelicæ historiæ prospeximus, qui in quodam versu Christum proprium Filium Dei catholico ore non formidavit appellare*. Eminentissimus cardinalis Lorenzana, cujus patrocinio et auxiliis plurimum hæc nostra studia debent, in pererudita præfatione ad tom. I Patrum Toletanorum, opportune Alcuini auctoritate utitur, ut demonstret Patres concilii Francofordiensis errore facti lapsos fuisse, dum crediderunt, Patres Toletanos hæresin de adoptiva Christi filiatione docuisse. Alcuinus alibi Juvencum imitatus est, versu ejus laudato, ut notabo ad libr. I, v. 30.

96. Inter veteres, qui Juvenci auctoritate et versibus usi sunt, connumeratur etiam Lupus abbas Ferrariensis : sed ejus verba exhibebo ad lib. I, v. 702.

97. Ado Viennensis, in Chron., sub Constantino: *Reticius Augustodunensis episcopus celeberrimæ famæ habetur, et Juvencus presbyter Hispanus, qui hexametris versibus quatuor libros Evangelii composuit*.

98. Freculphus episcopus Lexoviensis, in Chron., tom. I, **46** libr. III, cap. 21, de diversis doctoribus sub Constantino imperatore agit, et de Juvenco verba Hieronymi ex libro de Vir. illustr. exscribit. Exstat tom. XIV Biblioth. Patrum Lugd. pag. 1171.

99. Eulogius Cordubensis, in Memorial. Sanctor. libr. I, num. 3, versum Juvenci refert, *illud philosophicum* appellans, ut distinctius memorabo ad libr. I, v. 30.

100. Theodulfus Aurelianensis, lib. IV, carm. I, v. 11 :

Cura decens Patrum nec erat postrema piorum,
Quorum sunt subter nomina scripta, vide.
Sedulius, Rutilus, Paulinus, Arator, Avitus,
Et Fortunatus, tuque, Juvence tonans.

Sirmondo, in not. ad hunc locum, ignotum est, quisnam sit *Rutilus* christianus poeta. Nonnulli putant, legendum *Sedulius rutilus, Paulinus*, etc., ut *rutilus* sit adjectivum cohærens cum Sedulio. Id comprobari potest ex versu Fortunati, num. 91 :

Hinc quoque conspicui radiavit lingua Seduli.

Ut enim Fortunatus Sedulium conspicuum vocat, sic eumdem rutilum Theodulfus videtur appellare, fortasse Fortunatum, quem pariter nominat, imitatus. Arntzenius, in præfat. ad Sedulium p. 9, hanc interpretationem non probat.

101. Notkerus Balbulus, tom. I, col. 9, Thesaur. Anecdot. Bernardi Pezii, cap. 7 libri de interpret. Script. *Juvencum, et Sedulium, Aratorem, hymnosque Ambrosianos, scio, quia jam memoriæ commendasti*. Locus corruptus est. Lego : *Juvencum et Sedulium, Aratorem, hymnosque*, etc. Scribebat autem Notkerus ad Salomonem discipulum suum, postea Constantiensis Ecclesiæ episcopum.

102. Luitprandus, in Vitis Pontificum, cap. 51, de Gelasio : *Item Orosii Historiam laudat, et opus Sedulii, et Juvenci*.

103. Honorius Augustodunensis, l. I, c. 84, ex Hieronymo : *Juvencus nobilissimi generis Hispanus presbyter, quatuor Evangelia hexametris versibus composuit, et nonnulla eodem metro ad sacramentorum ordinem pertinentia. Floruit sub Constantino.*

104. Franciscus Petrarcha, eclog. 10, quæ inscribitur *Laurea occidens*, sic habet de multis poetis christianis, ac postremo de Juvenco :

47 Longe ibi trans fluvium regum inter busta seorsum,
Unus erat rutilus divini ruris Arator,
Qui pinguem scabro sulcabat vomere campum.
Huic comes hinc Prudens, hinc Sedulus alter aranti
Certabant rigido glebas convellere rastro.
Terra ferax, lassique boves, et laurea nusquam,
Nusquam hederæ, aut myrtus; viridis nam gloria serti,
Non studium musæ fragilis vox, area sacro
Fonte recens, atque alta domus, tum pinea late
Silva virens, dulcesque oleæ, gremioque decorum
Clara fovens roseo puerum stat limine Virgo.
Hæc matrona fuit hortis, quæ lecta remotis
Vimineis calathis templo aurea poma sacravit.
Mira loquar, supraque fidem, sed carmina vidi
Hic hominis, pariterque aquilæ, bovis, atque leonis
Hispanum nostra modulantem voce Juvencum.

105. Baptista Mantuanus, in Apolog. tom. I Oper.: *Certum est mihi cum his præstantibus viris malle carpi, quam vobiscum, o censores mei, ab imperito vulgo prædicari. Volo ante istorum oculos Juvencum Hispanum statuere, quem inter illustres viros, et in doctissimorum virorum catalogo Hieronymus enumerat, ut accidat eis, quod a Persio dicitur : Virtutem ut vidcant, intabescantque relicta. Prodite, o Zoili nostri : videte virum sacris initiatum mysteriis, lauro coronatum, musis undique cinctum, lyram tenentem. Currite ad rarum hoc et grande spectaculum : sed cavete ne repente culpetis. Laudatur hic ab Hieronymo. Hic igitur immensam evangelicæ legis majestatem versibus includit heroicis, et idem alii fecere christiani, et gravissimi et sanctissimi.*

106. Joannes Trithemius de Scriptor. eccles.: *Juvencus presbyter, natione Hispanus, vir nobilis, atque doctissimus philosophus, poeta, rhetor, et theologus insignis, et non minus conversatione quam scientia Scripturarum Ecclesiæ venerabilis, edidit pro ædificatione legentium, tam metro quam prosa, multa præclara volumina : sed pauca eorum ad notitiam meam pervenerunt. Legi opus insigne, quod hexametris pentametrisque* **48** *versibus composuit. De quatuor Evangeliis libros quatuor. Immortale nihil. De sacramentis duos libros. Cætera, quæ composuisse dicitur, ad manus nostras non venerunt. Claruit sub Constantino Magno et filiis ejus, anno Domini* 330. Juvencum prosa oratione aliquid conscripsisse alibi non legi. Illud certe falsum, evangelicam Historiam, quod innuit Trithemius, versibus hexametris pentametrisque constare.

107. Petrus Crinitus, de Poet. Latin. l. v, c. 89 : *Juvencus poeta natione Hispanus, familia insigni maximeque illustri natus est, ut ab Hieronymo traditur. Præcipue floruit imperantibus Constantio et Constante : qua tempestate in eloquentia apud Latinos clari fuerunt Tiberianus, Nazarius, et Flavius Vopiscus, qui de gestis Romanorum principum libros composuit. Inter alia poemata quæ dicuntur ab eo edita, scripsit quatuor evangelia hexametris versibus : qua in re majori diligentia usus est in servanda rerum historia, quam in demonstranda ingenii sui elegantia. Idem Juvencus aliquot hymnos fecit, quibus facile indicavit se optime meritum de religione christiana. Neque dubium est, fuisse illum relatum inter sacerdotes christianos, ut veteres auctores testantur. Divus Hieronymus alicubi repetit Juvenci carmina, eumque ut eruditum et elegantem poetam commendat.*

108. Reinhardus Lorichius Hadamarius, in epistola dedicatoria ad Joannem Comitem a Vueda, præmissa editioni Juvenci : *Longe tutius ac consultius ad eos auctores adhærescere, qui doctissimorum hominum judiciis numquam a possessione, ut ferunt, dejecti, multis jam sæculis florentes inclaruerunt. In quorum numero si non primas ferunt Juvencus hic noster, ac Sedulius, certe mea sententia non tamen in postremis erunt : quorum alterum divus Hieronymus non in uno loco prædicavit, quasi dignum Argivo, ut aiunt, clypeo : alterum adorantia Patrum sanctissimorum decreta laudibus tulerunt in cælum. Qui si non undique pomposo verborum apparatu intonantes, delicatis nimium, quæ magis elegantia sermonis, quam studio pietatis, sibi blandiuntur ac perplacent, ingeniis satisfacere videbuntur, omnia compensabunt uberrimo conspicuæ veritatis* **49** *et sanctimoniæ fructu.... Quamquam nihil occurrit, quod ab auctoribus hisce desumptum, et purgatis auribus insertum, offendiculo possit esse. Nihil enim a pura latinitate, nihil a legibus poeticis alienum, nihil barbarum, nihil quod, quasi scopulum, fugiendum ille dicebat, insolens. Dilucida phrasis emicat, at ab omni vitio remotus sermo. Non deest verborum ac rerum, quibus etiam critici morosiores acquiescerent, ornata dignitas. Hæc omnia commendatiora faciunt, et veluti solem inferentes illuminant, evangelicæ veritatis historiæ plenis veneranda majestate versibus expressæ.*

109. Eustathius Swartius, Analect. l. II, cap. 15 : *Dulcedo christiani nominis in Paulino facit, ut alium veri Apollinis cygnum tractare libido sit. Non erit ille poetarum summus, scio. Talis tamen erit, qualem amare vel ob styli simplicitatem quoque malint veri poetarum censores, quam nescio quos tumores, et affectatam non gravitatem, sed plumbeam difficultatem quorumdam aliorum vatum, qui dum aquilas meras somniant, vultures morticini fiunt, nihil non elegantiarum malis unguibus tractantes, unde apud vulgus sequatur fama virtutis, apud doctos nihil, nisi turpis rapacitatis inconditæ contemptus. Quem nos tractaturi diximus, is erit bonus Juvencus, Constantini imperatoris pii pius lenisque præco.*

110. Barthius, l. XLIII Advers. c. 23, col. 1973 : *Juvencus poeta est non paulo eruditior, quam vulgo putent, quamvis stylum premat, et verba ipsa sacræ Scripturæ retinere laboret.* Et l. LXIX, c. 5, col. 2777 : *In evangelicam Historiam Juvenci optimi codicis subsidio quædam superioribus libris commentati sumus : addemus scriptori prisco, et priscis æstimato, plura nos*

capite. Nec deterreant nos hominum umbraticorum deliria, qui hoc genus auctorum ideo damnant, quod de rebus divinis non cum Marone aut Ovidio, vel et Lucano potius loquuntur, quam Paulo, Isaia et Matthæo: scilicet ut sese proceres Romanæ eloquentiæ eo contemptu faciant. Ii enim homines imaginosum patiuntur cum tribus scriptoribus vix tertiam partem lectis, judicium sibi de omnibus vindicant : et veræ pietatis stylus etiam in cathedris Tulliorum suam simplicitatem probat. De quâ re **50** *disputabimus ita alibi, ut magnam partem supercilii sui pudore fatuitatis suæ ultro remissuri sint, opinor, illi censorii lemures.* Laudi etiam Juvenci verti debet, quod non solum Barthius, et Swartius modo memorati plura ejus loca illustraverint, ut Grunerus, Arntzenius, Vonckius, etc. Nonnulli etiam editionem Juvenci tentarunt, nec tamen perfecerunt, ut Joannes Weitzius, de quo vide notam ad v. 13, libr. I.

111. Plura testimonia ut facile est addere, ita minime est necessarium. Quædam alia indicare sufficiat : Platina in Vita Marci I pontificis; Lil. Gregorius Gyraldus, Histor. Poet. dial. 5; Joannes Petrus Lotichius, Biblioth. Poetic. part. I, pag. 76; Andreas Wilkius, Heortogr. part. 1, pag. 201; Gerardus Joannes Vossius, de Poet. Lat. cap. 4; Joannes Gottefridus Olearius, in Abaco Patrolog. pag. 283; Olaus Borrichius, dissert. Academ. de poetis, pag. 69. Iis adde Volaterranum, Eisengreinium, Bergomensem, Xystum Senensem, Centuriatores, Baronium, Scaligerum, Possevinum, innumerosque alios. Neque omittas eos, quorum verba in Juvenci laudem opportunis in locis a nobis allata sunt : Barthium, num. 12 Proleg.; Gallandium, num. 16; Felicium, Ferrarium, Maurolycum, n. 31; episc. Equilinum, n. 32; Tarafam, num. 36; Buschium, num. 55; Faustum, num. 56; Barthium, ad l. I, v. 9, 245, 399, 683; l. II, v. 2, 61; l. IV, v. 62, 93; Badium, ad l. I, v. 9, etc.

112. Parum igitur nobis obesse debet, quod nonnulli de stylo Juvenci minus recte sentire videantur, cum vel hi ipsi utilitatem, quæ ex ejus lectione percipi potest, minime negent. Jo. Ludovicus Vives, l. III de tradend. discipl. : *Juvencus, Sedulius, Prosper, Paulinus lutulentæ et perturbatæ sunt aquæ, salubres tamen, ut de quibusdam fluminibus ferunt.* Philippus Brietius l. IV de Poet. Lat. de Juvenco ejusque stylo : *Humilior est, dum Evangelii verbis nimis adhærescit, et veritatis quam poeseos amantior : quique nimis restringit se carmine magis pio, quam eleganti.* Alphonsus Garsias Matamoros, de academ., et doct. vir. Hisp. : *Prudentius vero, et Juvencus, si quod mihi est* **51** *in hac re cum libertate judicium, meliores versificatores, quam poetæ videntur.* Dupinius, in Nova Biblioth. tom. I, Juvencum vocat poetam magni pretii, et primum christianorum. Spiritus poeticos in ejus carmine agnoscit, numerumque versuum laudat : sed voces non semper esse poeticas, aliquando nec Latinas dicit. Addit tamen, vix fieri potuisse, ut melius et fidelius verba evangelica versibus concluderentur. A Ceillierius, de Script. eccles. t. IV, Juvenco objici humilem stylum, neglectum ornatus poetici, peccata metri et latinitatis.

113. Postularet hic locus, ut de prosodia et latinitate Juvenci dissererem. Sed universim de stylo et poesi christianorum poetarum non pauca dixi in Prolegomenis ad Dracontium, nimis etiam fortasse multa in Prolegomenis ad Prudentium. Eo autem libentius in præsentia ab hac disputatione abstinebo, quia illa ipsa, quæ metri et latinitatis peccata ab ignaris, sive, quod perinde est, a sciolis judicantur, longe rariora sunt in Juvenco, quam aut in Dracontio, aut in Prudentio, aut in quovis alio poeta christiano.

CAPUT V.

Matthæi locus cap. XX, *v.* 28, *aliter a Juvenco lectus, ac nunc in Vulgata legitur.*

114. Latinam sacrarum Scripturarum interpretationem, *Italam* nuncupatam, ante S. Hieronymum exstitisse, fortasse ab ipsis Apostolorum temporibus profectam, contra Bentleyum, et Casleyum Petrus Sabatier erudite et nervose confirmat in præfat. tom. III versionis veteris Italicæ ex mss antiquis depromptæ. Juvencus, ut fusius postea dicam, hanc versionem Latinam veterem potius sequebatur, quam Græca exemplaria N. T. : cum illa certe sæpe convenit. Insignis locus est, quem nunc referam, ex Matthæi cap. XX, 27, 28, 29.

115. Vulgata sic habet : *Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem* **52** *pro multis. Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa.* Vetus Itala versio ex ms. Colbert. : *Et qui voluerit. . . . pro multis. Vos autem quæritis de pusillo crescere, et de majore minores esse. Intrantes autem, et rogati ad cœnam nolite recumbere in locis eminentioribus, ne forte clarior te superveniat : et accedens qui ad cœnam vocavit te, dicat tibi : Adhuc deorsum accede; et confundaris. Si autem recubueris in loco inferiori, et supervenerit humilior te, dicat tibi, qui ad cœnam vocavit : Accede adhuc superius, et erit tibi utilius. Et egredientibus eis ab Jericho secutæ sunt eum turbæ multæ.*

116. Juvencus, ut notum est, Matthæum potissimum sequitur. Accipe igitur ejus versus lib. III, v. 608 :

> Nec primus quisquam, nisi cunctis serviat, unus
> Esse potest. Hominis natus sic vestra minister
> Obsequio solus proprio pia munera gestat,
> Pro multisque animam pretioso sanguine ponit.
> At vos ex minimis opibus transcendere vultis,
> Et sic e summis lapsi comprendilis imos.
> Si vos quisque vocat cœnæ convivia ponens,
> Cornibus in summis devitet ponere membra,
> Quisque sapit, etc.

Ex Juvenco patet, ea verba, quæ in Vulgata desiderantur, exstitisse olim in Itala. Hoc ipsum confirmant multi alii codices versionis antiquæ.

117. Discrimen autem nonnullum est in his verbis : *Vos autem quæritis de pusillo crescere, et de*

majore minores esse. Ita legitur in ms. Colbert., nisi quod mendum *minor esse* Sabatierus correxit per *minores esse:* erat enim, ut ait, lapsus calami satis apertus. Codex Corbeiens. 2 et Claromont. ita plane: *Vos autem quæritis de pusillo crescere, et de majore minores esse.* Corb. 1 solum immutat *quæretis* pro *quæritis*, et *de majore minores fieri* pro *esse.* Cantabr.: *Vos autem quæritis de minimo crescere, et de magno minui*, quod in idem recidit. Clarior videtur sententia in cod. Sangerm. 1 : *Vos autem quæritis de pusillo crescere, et de minore majores fieri*, **53** et in indice capitulorum, artic. 58 : *De filiis Zebedæi:* et *de minimo majores fieri :* et *de duobus cæcis.* Favet ms. codex monasterii S. Andreæ secus Avenionem: *Vos autem quæritis de pusillo crescere, et de magnis majores esse.*

118. S. Leo utroque modo videtur legisse. In epist. 18, ad Dorum Beneventanum episc., cum presbyteros, juri suo et honori temere cedentes, redargueret, sic ait: *Neque enim ignorabas, dixisse Dominum, quod, Qui se humiliat, exaltabitur; eumdemque dixisse : Qui vero se exaltat, humiliabitur. Vos autem quæritis de pusillo crescere, et de majore minores esse. Utrumque enim inordinatum, utrumque præposterum est.* Sic legit, et hanc lectionem tuetur Quesnellus contra alios, qui ediderant : *de pusillo crescere, et de honore majores esse.* Idem S. Leo, in epist. 79, ad Pulcheriam, c. 2 : *Hæc illis tunc insinuabantur, qui de pusillo volebant crescere, et de infimis ad summa transire.* Quesnellus negat, hæc verba *de infimis ad summa transire* esse explicationem illorum *de minore majores esse.* Certum potius videtur, inquit, nihil aliud esse, quam priorum repetitionem, aliis verbis conceptam : quod ex serie et contextu epistolæ probare conatur. Richardus Simonius, in Observat. ad textum et versiones novi Testamenti, cap. 21, a Quesnello dissentit. Consulenda est etiam dissertatio critica Simonii, in fine ejusdem operis, qua difficultatibus Antonii Arnaldi de codice Cantabrigiensi respondet. Contra Simonium vero prodiit *Dissertation critique touchant les exemplaires grecs, sur lesquels M. Simon prétend que l'ancienne Vulgate a été faite, et sur le jugement que l'on doit faire du fameux manuscrit de Bèze. A Cologne*, 1691.

119. Juvencus quidem scripturam codicis Colbertini tenet et explicat:

At vos ex minimis opibus transcendere vultis.

Hoc est : *Vos autem quæritis de pusillo crescere.*

Et sic e summis lapsi comprenditis imos :

Nimirum : *Et de majore minores esse.* Sabatierius sic commentatur : *Hic versus aperte reddit sententiam ms. nostri Colbertini : Et de majore minores esse; immo et planiorem facit.* **54** *Hæc enim si prima specie aliquantum obscuritatis habet in codice Latino, ut modo exprimitur a Juvenco, nihil offert quod sensum impediat. Quippe ita intelligi potest, ac si diceretur : Qua ambitione vos quæritis de pusillo crescere, ea ipsa labi quæritis, et de majore minores fieri. Vel, Quo ipso vos quæritis de pusillo crescere, in eo ipso labimini, et de majore minores estis.* Hæc interpretatio confirmatur exemplo subjecto ejus qui vocatus ad cœnam primum locum occupat, ex quo dejicitur.

120. Neque ab hac sententia longe abludit versio Anglo-Saxonica Matthæi in quatuor mss., apud Thomam Marescallum : *In rebus exiguis crescere vos cupitis, et in maximis rebus minui.* In Bibliis etiam polyglottis Londinensibus, tom. VI, totidem pene verbis ac in ms. Colbertino, Græce ex tribus apographis hæc ipsa proferuntur : *Vos autem quæritis,* etc. Joseph Blanchinius, in Evangel. Quadrupl. cum ms. Colbert. et Juvenco pariter legit ex mss. Veronensi et Vercellensi : *Vos autem quæritis de pusillo crescere, et de minore majores esse :* idque exstare in duobus mss. Bodleian. affirmat, quod alii quoque tradunt. Codex Vercellensis, qui manu S. Eusebii exaratus dicitur, collatus etiam est ab Andrea Iricio, qui in præfatione et in notis de hoc ipso additamento disputat.

121. Quod sequitur in versione Itala antiqua ms. Colbertini : *Intrantes autem, et rogati ad cœnam,* etc., pariter a Juvenco expressum est : *Si vos quisque vocat,* etc. Etsi enim apud Lucam, c. XIV, 8 seqq. similia legantur, tamen Juvencum ex Matthæo id sumpsisse probat Sabatierius. Siquidem duobus versibus, quibus prius additamentum expressit, adjunxit proxime : *Si vos quisque vocat,* etc. Et relictis sequentibus capitis XX Matthæi versiculis, quibus curatio duorum cæcorum enarratur, continuo venit ad caput XXI Matthæi, quod respondet Lucæ capiti 19, non vero his quæ sequuntur apud Lucam, cap. XIV, ubi de primo accubitu in cœna agitur.

122. Codici Colbertino adhærent duo codices Corbeienses, codex Monasterii S. Andreæ secus Avenionem, Claromontanus et Cantabrigiensis. E codicibus Sangermanensibus major, num. 15, habet prius assumentum : *Vos autem quæritis,* etc.; **55** non vero hoc secundum, *Intrantes autem, et rogati,* etc. Contra codex Sangermanensis minor absque numerica nota refert secundum hoc additamentum, *Intrantes autem,* secluso priori, *Vos autem quæritis.* Omnes autem hi codices in secundo additamento verbis dumtaxat, aut eorum ordine a ms. Colbertino differunt; re, et sensu cum eo consentiunt. Hæc ipsa parabola loc. cit. Matthæi legitur in textu Græco Biblior. Polyglottor. Londin., tom. VI, et in versione Anglo-Saxonica, interprete Marescallo. Eamdem indicant tres capitulorum indices præfixi Evangelio Matthæi in mss. Colbertino, et duobus Corbeiensibus. Hilarius etiam comment. in Matth., quamvis prius additamentum, *Vos autem quæritis,* prætereat, tamen hoc alterum diserte exponit : et in capitulis commentario Hilarii in Matthæum præfixis, num. 20, legitur : *De filiis Zebedæi; de primo accubitu; de duobus cæcis.* Duo veteres codices, quibus usus est Blanchinius in Evangeliof.

quadrupl., cum priori assumento hoc alterum exhibent: *Intrantes autem, et rogati ad cœnam*, etc. Cohærent duo alii codices Latini Bibliothecæ Bodleianæ a Blanchinio laudati. In Bibliotheca sacratissimi principis D. N. Pii VI, raris ac selectis libris referta, consului novum Testamentum Græcum cum lectionibus variantibus et commentario Joannis Jacobi Wetstenii Amstelodami 1751; tum Quatuor Evangelia Græce cum variantibus a textu lectionibus mss. codicum Havniae 1788, opera Andreæ Birch; præterea novum Testamentum Græce et Latine ex mss. nunquam antea examinatis maximam partem Mosquensibus, curante Christiano Friderico Matthæi Rigæ, in-8°. Tomus, quo Evangelium Matthæi continetur, prodiit anno 1788. Codices Frid. Matthæi et Birchii Vulgatæ consentiunt: ac solum Birchius indicat ex margine cod. Assemanii 1 versionis Syræ Philoxenianæ: *Vos autem quæritis de minimo augeri, et de magno minui*, cum parabola sequenti. Wetstenius reperit: *Vos autem quæritis de minimo crescere, et de majore minores esse*, cum reliquo additamento in codice regio 3935, Colbertino 4051 et 1895, et in codice Collegii Ludovici Magni, tunc Jesuitarum.

56 CAPUT VI.

Utilitas conferendi codices mss. Juvenci. Methodus hujus editionis.

123. Qui veteres scriptores typis primi commiserunt, unum vel alterum exemplar ms. nacti, sæpe mendosum, interdum mutilum, ita ipsi opera corrigebant et supplebant, ut sententia poscere videbatur; quin lectores monerent, quibus in locis a mss. codicibus recessissent. Digna, quæ legatur, est dissertatio Jo. Michaelis Heusingeri, part. 1 Actor. Societ. Latin. Ienens. pag. 40: *Descriptoribus Græcis et Romanis nondum ad veterum exemplarium fidem satis emendatis*. Quid Barthius in hoc genere de Aldinis editionibus censuerit, vidimus n. 61. Contra grammaticum supercilium Georgii Fabricii in edendis ac pro libitu corrigendis poetis christianis disputat idem Barthius, pag. 2778, a nobis referendus ad l. I, v. 179. Scilicet G. Fabricium in alienis operibus, quæ edebat, nimis fuisse ingeniosum, cum Joanne Alberto Fabricio et Daumio notavit Arntzenius in præfatione ad editionem Sedulii, et multo ante Gretserus. In Juvenco edendo Faber Stapulensis de seipso hoc etiam fatetur, ut observavi num. 55: *Quæ enim et immutata sunt in eo, et quæ ad imperfectos versus accesserunt propter exemplaris depravationem, non facile dixerim*. Judicium Gruneri de Juvenci editione a Reuschio adornata relege num. 51.

124. Si quis autem alius scriptor, Juvencus in primis accurata recensione indiget. Sæpe enim ex unius verbi mutatione diversa aliqua oriri potest sacræ Scripturæ interpretatio. Sic Barthius cum l. 29 Advers. c. 5, animadvertisset, lib. I, vers. 171, pro *dedecus oppressum* quemdam philologum veterem margini membranarum ascripsisse *dedecus oppressæ*, addidit: *Hac enim lectione vis illata Virgini, ut quidem videbatur bono illi Josepho, indicatur: quod apud animum ejus errantem a rei veritate, in ipsa tamen quoque falsitate excusabiliorem faciebat Virginem sponsam. Et hoc genus variantum lectionum ob talia* **57** *accuratius expendi decet, quam si alium quempiam scriptorem tractes, in talibus quidem sanctis mystis*. Accedit, multos librarios, primosve editores, lectioni Vulgatæ nostræ assuetos, sæpe verba Juvenci, eo traxisse, ut cum ea consentirent; cum tamen ipse veterem Italam secutus fuerit, atque alia omnia interdum dixerit, quam quæ in editis nunc apparent, ut multis in locis ex mss. demonstrabo.

125. Affirmant nonnulli, istiusmodi variis lectionibus annotandis omnia incerta reddi, et susquedeque verti. Qui an satis intelligant, quæ dicunt, incertum mihi est. Quid enim? Cum compertum sit, veterum scripta ignorantia, incuria, aut perversitate exscriptorum, temporis etiam injuria multis in locis corrupta esse, nonne satius est vera a falsis, certa ab incertis, probabilia ab absurdis, quantum quidem fieri potest, secernere, quam omnia sine ullo examine recipere? Nec propterea negaverim, hoc etiam in studio peccari posse. Contemnendum minime est judicium Barthii, l. XXXVI Advers. c. 20, col. 1669: *Et sane hoc dicam semel, ninium libris illis cascis a plerisque, hæc studia colentibus, tribuitur. Non culpanda quidem judicia existimo variantium lectionum, sed a quovis illas æstimari sane est origo infinitæ incertitudinis. Et jam eo ventum est, ut nemo ex quibusvis illis esse velit; adeo omnes in bicipiti illo monte somniasse videri volunt.*

126. Equidem in variis lectionibus veterum editionum, præsertim vero codicum mss., quos perlustravi, annotandis, diligentiam maximam adhibere constitui, quæ fortasse aliud agentibus nimia videri possit, sed inutilis minime est, ut viri critici judicium de re tota ferant. Inter discrepantes vero Scripturas, collatis mss. exemplaribus, eam plerumque seligo, quæ ad veterem Italam versionem Evangeliorum, qua Juvencus utebatur, proxime accedit: neque in ea explicanda immorari me piget. Tam in variis lectionibus, quam in notis subjectis, præter ea quæ ad latinitatem prosodiamque spectant, potissimum enucleanda suscipio, quæ peculiarem aliquam sacræ Scripturæ interpretationem a Juvenco adhibitam continent. Plurimi enim fieri debet ejus auctoritas cum in vera sacræ **58** Scripturæ lectione constituenda, tum in sententia explicanda. Nam eo tempore floruit Juvencus, quo minus corrupta erant exemplaria sacræ Scripturæ; et cum data opera ad Evangeliorum concordiam aggressus fuerit, æquum est credere, eum probatissima exemplaria præ oculis habuisse, easque explicationes adoptasse, quæ tunc in Ecclesia apud sanctissimos ejus æquales viros maxime vigebant. Etsi autem inter Græcos Tatianus hæreticus, Ammonius Alexandrinus, et Theophilus Antiochenus

harmoniam quatuor Evangeliorum composuisse dicantur, tamen inter Latinos ante Juvencum neminem legimus in hujusmodi arduum et difficillimum opus incubuisse. Eorum, qui post Juvencum concordiam evangelicam adornarunt, satis amplum catalogum exhibet Calmetus in Biblioth. sacr., ante Diction. Biblic.

127. Cum autem editiones veteres et mss. codices plerumque primis nominum litteris indicentur, tabulam hic subtexere juvabit, ut lectorum commodo consulatur :

ALD. Aldi editio. Vide n. 60. BARTH. Barthii Adversaria. BAS. Basileensis editio anni 1537. Vide n. 68. CA. CANT. Cantabrigienses codices apud Reuschium. Vide num. 86. DAVENTR. Daventriensis, ut puto, editio. Vide n. 61. FABR. Fabricius (Georgius) in Corpore poetarum christianorum. Vide num. 77. FAUST. Fausti editio. Vide num. 54 seqq. FULD. Fuldensis codex. Vide num. 86. GALLAND. Gallandii editio. Vide num. 87. HAD. Hadamarii editio. Vide num. 69. HELMST. Helmstadiensis codex. Vide num. 86. OTT. Ottobonianus codex vaticanus. Vide num. 49. POELM. Poelmanni editio. Vide n. 70. REG. Reginæ Sueciæ codex vaticanus, Vide num. 48. ROM. Romani collegii codex. Vid. num. 50. TORN. Tornæsiana editio. Vide num. 76, 78. WESTHEM. Westhemeri editio. Vide n. 71.

59 128. Versionis Italicæ veteris Evangeliorum codices sæpe ex Sabatierio laudare continget, nimirum Colbertinum, duos Sangermanenses, duos item Corbeienses, Cantabrigiensem, Claromontanum, S. Mauri Fossatensis, S. Gatiani, S. Martini, et majoris monasterii Turonensis. Quæ satis est monuisse, ut lector notas, sive primas litteras horum codicum, ubi occurrant, facile per se intelligat. Sabatierius Italam versionem titulo *versionis veteris*, vulgatam nostram *Vulgatæ novæ* prænotat : non quod hæc nova reipsa sit; est enim *vetus*, ut ait Synodus Tridentina sess. 4, decret. de edit. et us. sacr. libr., *et longo tot sæculorum usu in Ecclesia ipsa probata :* sed ita loqui amat Sabatierius, ut Vulgatam ab Itala versione antiquiori distinguat. Quæri hoc loco potest, an Juvencus Italica versione tunc communi usus fuerit, an Græcis exemplaribus novi Testamenti. Calmetus in Dictionar., verbo *Biblia Latina*, sic habet: *Hi tantummodo rudes homines Latinæ versionis indigebant : eruditi enim, quippe genere et nomine pollebant, Græcum idioma callentes, ad versionem minime confugiebant.* Præterea multæ erant versiones Latinæ, neque a doctissimis quidem viris confectæ, ut testatur S. Augustinus, de Doctr. christ. l. II, c. 11, n. 16 : *Qui Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt, numerari possunt : Latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.* Hinc mira nata confusio, et perturbatio, ut *tot pene essent exemplaria quot codices*, ut ait Hieronymus præfat. in quatuor Evangelia. Nihilominus existimo, Juvencum consuluisse quidem exemplaria Græca, sed potissimum secutum fuisse Italam versionem. Etsi enim plures aliæ fuerint versiones Latinæ, tamen ea, quæ Itala dicebatur, cæteris præstabat, et ab hominibus etiam doctis in pretio habebatur, quod *verborum tenacior esset cum perspicuitate sententiæ*, ut ait Augustinus, de Doctr. christ. cap. 15, l. II. Profecto Juvencus sæpe a Scriptura, quæ in codicibus Græcis reperitur, aperte recedit, ut sententiam teneat, quæ in plerisque mss. antiquis Italæ versionis conservatur. Varietas autem, **60** quæ inter exemplaria vetera Latina occurrit, non arguit versionum diversitatem, ut similis varietas in textu Græco, non probat diversum esse textum.

129. In notis sæpe lectorem ad Comment. in Prudentium notasque in Dracontium delego, ne actum agam, et inutili mole opus excreseat. Juvencum enim ita edo, ut cum Prudentio et Dracontio continenti serie ad unum christianorum poetarum constituendum corpus referatur.

C. VETTII AQUILINI JUVENCI

HISPANI PRESBYTERI

EVANGELICÆ HISTORIÆ

LIBRI IV.

Præfatio.

61 Mattheus instituit virtutum tramite mores, Et bene vivendi justo dedit ordine leges.

LECTIONES VARIANTES.

(Vers. 1). Codex reginæ Sueciæ et Barthii scribunt *Matheus*, atque ita scribendum nonnulli do-

NOTÆ.

(Vers. 1.) De hac prima præfatione egi in Prolegom. num. 48. Sabatierius, Biblior. sacror. Lat.

Marcus amat terras inter cœlumque volare,
62 Et vehemens aquila stricto secat omnia lapsu.
Lucas uberius describit prælia Christi,
Jure sacer vitulus, qui munia fatur Abia.
Joannes fremit ore leo, similis rugienti,
63 Intonat æternæ pandens mysteria vitæ.

LECTIONES VARIANTES.

cent. Poelmannus, et Reuschius male *Mathæus*, *instituit*. Fabricius : *Virtutum instituit Matthæus tramite mores*, ex ingenio, ut puto.

5. Reg. *videre*, supra *volare*, sive sit glossa, sive correctio. Fabricius, *Infremit ore pio Marcus, similisque leoni — Insonat æternæ pandens mysteria vitæ*. Aquilam Joanni Fabricius, v. 7 et 8, cum plerisque aliis tribuit.

6. Poelm. mendose *jura sacer*. Fabr. *vitulus, qui juxta mœnia fertur*. Poelm. *vitulus, qui juxta mœnia fatur*. Reg., et Barth., *vitulus, qui mœnia fatur avita*. Sic Cantabr., sed *quia* pro *qui*. Ex conjectura *qui munia fatur Abiæ*, vel *qui munera fatur Abia*, adjective *Abia*, vel *mœnera* more antiquo pro *munera* aut *mœnia* pro *munia*. Fortasse etiam *Abia* ponitur more indeclinabili, ut v. 141, libr. I : *Elisabeth*, et apud Lucam : *De vice Abia*.

7, 8. Fabr. *Terras inter amat, cœlumque volare Joannes, — Et vehemens aquilæ stricto secat omnia lapsu*.

NOTÆ.

version., initio Evangelii S. Marci, ex vetustissimo codice Sangermanensi primos duos versus protulit : *Mattheus instituit*, etc., quibus illico succedunt duo alii de S. Marco, sed in hanc sententiam : *Marcus fremit ore leo, similisque rudenti — Intonat æternæ pandens mysteria vitæ*. Reliqui versus de duobus aliis Evangelistis a Sabatierio omnino omittuntur. Abnormis vero est, et corruptus versus ille *Marcus fremit*, etc. Barthius, libr. XI Advers. cap. 23, ex codice ms. Juvenci octo integros versus descripsit fere, ut apud Poelmannum. Reuschius idem epigramma in codicibus Juvenci Cantabrigiensi, et Helmstadiensi inveniri testatur. Observat etiam duobus primis versibus innuere velle Juvencum, licet non exprimat, hominis specie notari Matthæum in rota Ezechielis : idque præcipue colligit ex verbis v. seq. *justo ordine*.

3. Marco figura leonis tribui solet, Joanni aquilæ etiam in picturis antiquis. Juvencus aliter judicat. Interpretationem addit glossator antiquus in codice Barthii : Matthæus, quia plus moralis fuit, quam cæteri Evangelistæ, idcirco per animal rationale, *id est*, *hominem designatur. Marcus dicitur volare inter cœlum et terram. Quia enim nativitatem Verbi, in qua terram nostræ carnis deitas assumpsit, sicut Matthæus, et Lucas, non descripsit, quasi terram non tetigit. Et quia de divinitate pauca dixit, nec cœlum, sicut Joannes, penetravit. Aquilæ vero propter velocitatem narrationis comparatur, quia breviloquus est in omnibus. Lucas figuram vituli tenet, qui in templo mactari solet, quia latius describit, quæ in templo, et circa templum gessit Dominus, et plura loquitur de passione Domini. Joannes per leonem exprimitur, quod quasi rugitum leonis edidit dicens, In principio erat verbum.* Lucæ nemo, quod sciam, vitulum negat. Thomasius etiam in dissertat. de quatuor insignibus Evangelistarum affirmat, omnes Lucæ figuram bovis ascribere. Augustinus in Joann. c. VIII, tract. 36, leonem tribuit Matthæo, non hominem : idque paucos alios asseruisse, confirmari potest. Plerique cum Hieronymo hominem Matthæo assignant ; Barthius auctor est, nonnullos angelum Matthæo appingere. Verum inter quatuor vulgata Evangelistarum insignia angelus locum non habet. Opinionem Juvenci tribuentis leonem Joanni, Marco aquilam, tenuerat Irenæus l. III advers. hæreses, cap. 11, et indicat Augustinus l. I de consensu Evangel. cap. 6, quamvis minus probet. Thomasius, loc. cit., eamdem impugnat, et in epigramma hoc nostrum invehitur, quasi ab aliquo nugatore post Augustinum confectum. Sed parum istius hominis judicio tribuam, qui magnum aliquid sibi conficere visus est, dum impugnationem concludit : *Sed manum de tabula*, et in ima ora subscripsit : *Erasm. in adag.*

4. *Stricto lapsu* intelligo *rapido*, ut habena contenta, seu adducta *stricta* dicitur. Sumi etiam potest *stricto* pro brevi : idque versus seq. innuit.

5. Uberior Marco Lucas est. Prælia autem Christi idcirco fortasse hoc loco commemorantur, quia, ut ait Petrus Aurorarius, sive Rigensis in prologo Evangeliorum, apud Barthium, loc cit., *Lucam designat bos victima, qui specialem — Materiam sumpsit de cruce, Christe, tua.*

6. Lucas, cap. I, 5 : *Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia*, etc. Abia fuit unus e posteris Eleazari filii Aaronis, caput octavæ classis sacerdotum in distributione Davidis, I Paralip. XXIV, 21. Quia ergo Lucas a sacrificio, et a sacerdote de vice Abia incipit, ideo sacer vitulus dicitur, qui munia fatur Abia, vel *quia munia fatur Abia*, ut emendavit Reinesius laudatus a Thomasio loc. cit.

7. Nonnulli putant, primam in *rugio* necessario esse producendam. Fortasse hac de causa Fabricius hanc vocem in Marco omisit. Posset ad ejus imitationem ita hic versus refingi : *Joannes fremit ore pio, similisque leoni*. Verum bene est *similis rugienti*, vel quia versus potest esse spondaicus, facta synæresi in *rugienti*, vel quia revera prima in *rugio* brevis est. Auctor carminis de Philomela, inter Ovidii poemata, in quibusdam editionibus, v. 49 : *Tigrides indomitæ rancant, rugiuntque leones*, ubi vel corripitur prima, vel fit synæresis in *rugiunt*.

8. Animadvertendum est, eo ordine quatuor Evangelistas in hoc epigrammate recenseri, quo in sacris Bibliis nunc exstant. In codice Evangeliorum Cantabrigiensi, et in alio Corbeiensi apud Sabatierium, initio Evangelii S. Marci, ordo Evangelistarum ita mutatur, primo loco Matthæus exstat, deinde Joannes, tum Lucas, postremo Marcus. Eodem ordine referuntur Evangelia in codice antiquissimo Vercellensi, in quo pro *Lucas* scribitur *Lucanus*. Iricius in præfatione ex Garbello in epistola ad Blanchinium, aliisque, olim in multis Ecclesiis ita usitatum fuisse ostendit. Hinc suspicio mihi suborta est, an hic idem ordo a Juvenco observatus fuerit, quem aliquis postea inverterit, ut usitato more Evangelistarum nomina distribueret. Ita potuit accidere, ut aquila Joanni, leo Marco a Juvenco tribueretur : postea vero inverso nominum ordine, etiam figuræ diverso modo applicatæ fuerint, ac auctor epigrammatis voluerit. In hanc sententiam facit discrepantia lectionum, quam ex Fabricio, aliisque mss. et editis annotavi. De figuris quatuor animalium, quibus quatuor Evangelistæ insigniuntur, videndus Barthius libr. XI Advers. cap. 23, et Jacobus Thomasius in dissertatione eo præside habita Lipsiæ anno 1667, et excusa anno 1671, *de insignibus quatuor Evangelistarum*, et in programmate *de quatuor Animalibus Ezechielis* inter dissertationes varii argumenti, num. 38, et in Thesauro Theologico Philolog., sive Sylloge Dissertat. tom. II, pag. 57. Ambrosius, in prolog. ad Lucam, epigrammatis nostri sententiam eodem fere modo exprimit : *Atque ita in libris singulis forma animalium figuratur, ut uniuscujusque libri series propositorum videatur animalium aut naturæ, aut virtuti, aut gratiæ, aut mira-*

ITEM PRÆFATIO.

Immortale nihil mundi compage tenetur,
64 Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
Non mare, non tellus, non ignea sidera cœli.
Nam statuit genitor rerum irrevocabile tempus,
Quo cunctum torrens rapiat flamma ultima mundum.
Sed tamen innumeros homines sublimia facta,
Et virtutis honos in tempora longa frequentant:
65 Accumulant quorum famam, laudesque poetæ.
Hos celsi cantus, Smyrnæ de fonte fluentes,
Illos Minciadæ celebrat dulcedo Maronis.
Nec minor ipsorum discurrit gloria vatum,

LECTIONES VARIANTES.

10. Ottobonianus codex *orbes*, bene correctum alia manu.

12. Fausti editio vetus *non* pro *nam* mendose.

13. Aldus, codex Rom. Colleg., Editio Tornæsiana, *rapiat*, quod tenent Reg., et Ott.; alii *rapiet*.

15. Fausti ed. *frequentent*, male.

16. Fausti ed., *quorum et famam*.

17. Reg., corrupte, *fluentæ*. Librarius fortasse voluit *fluente*.

19. Poelm., Fabr., *decurrit*. Reg., Ott., Barth., Ald., et alii, *discurrit*, quod etiam exstat in Faust., Poelm. pro diversa scriptura. Præferendum est *discurrit* etiam ex sententia Barthii: famam enim dicit Juvencus per omnia mundi spatia poetarum gloriam differentem.

NOTÆ.

culo convenire. Quæ licet omnia in omnibus sint, tamen plenitudo quædam in singulis virtutum est singularum Ortum hominis alius descripsit uberius, mores quoque hominis præceptis uberioribus erudivit. Alius a potentiæ cœpit expressione divinæ, quod ex rege rex, fortis ex forti, verus ex vero, vivida mortem virtute contempserit. Tertius sacrificium sacerdotale præmisit, et ipsam vituli immolationem stylo quodam pleniore diffudit. Quartus copiosius cæteris divinæ miracula resurrectionis expressit. Ambrosius autem a communi sententia in distribuendis Evangelistarum insignibus non recedit.

9. Barthius, libr. XI Advers. cap. 23, hos versus explicat. Sic autem exorditur: *Sunt apud me membranæ veteres librorum quatuor Aquilii Juvenci, quos ille Matthæum potissimum secutus, evangelicam historiam complectentes metro simplici, sed adeo non illatine scripsit, ut etiam antiquæ ejus linguæ ante Maronis ævum usitatæ non pauca in eo sint vestigia; unde ego conjectura ducor, plerosque barbarismos, qui in eo scriptore sunt, monachorum esse barbarorum. Liber noster optimus est, et ex quo multa corrupta apud poetam veterem, et plura corrigi possunt.* Observat, *compage* solidissimum nexum designare, ut apud Sedul. l. 5, v. 266: *Infernæ patuere viæ. ruptæque fatiscunt — Divisa compage petræ.* Badius Ascensius, *Auctor in hoc proloquio*, ait, *facile ostendit, quo sit ingenio præditus, et quam auream habeat in carmina venam, nisi eam fidei, quæ captivat omnem sensum, et sobrietati evangelicæ cohibere malit. Vix enim quidquam aut sententiosius, aut deliciosius hoc proœmio invenias.* Beda, de Metr. cap. de scansionibus, hunc versum in exemplum profert: *Conjuncta scansio*, inquit, *quæ cæteris laudabilior habetur, ea est, ubi nusquam pes cum verbo finitur, ut Immortale nihil*, etc.

10. In libro vetustissimo Barthii glossa erat: *Hoc ideo jungitur, quia vulgo æterna urbs Roma dicebatur.* Nil potuit magis commode, ut notat Barthius. Summa enim tria, quæ potuit, posuit Juvencus, quæque maximam habent speciem æternitatis, vel habebant potius. De nummis veteribus cum inscriptione *Romæ æternæ* vide Commentar. ad Prudentium, l. I contra Symmach. v. 219. Exstat Gab. Barri Francicani (sub hoc nomine latere dicitur doctissimus cardinalis Sirletus) *Liber unus de æternitate urbis. Romæ in ædibus populi Romani*, 1571. Virgilius, qui æternitatem imperii Romani tantopere prædicat, perituram tandem agnovit libr. II Georgic. v. 498: *Non ipsa Romanæ, perituraque regna*, etc. Roma, ut a Virgilio libr. II Georg. v. 534 *rerum pulcherrima*, sic ab aliis *aurea* dicitur non dissimili significatione. Ovidius, de Arte l. 3, v. 113. *Simplicitas rudis ante fuit, nunc aurea Roma — Edomiti magnas possidet orbis opes.* Ausonius, de Urb.: *Prima urbes inter, divum decus, aurea Roma.*

12. Lucretius, l. I, v. 469: *Ætas præterita irrevocabilis.* Quamquam apud Juvencum *irrevocabile* potius significat certo definitum, et quod mutari non possit. Livius, l. XLII, c. 62: *In casum irrevocabilem se daret.* Plinius Junior, libr. III, epist. 7: *Morbi tædio ad mortem irrevocabili constantia decucurrit*, al. *decurrit*, quod melius est.

13. Mundum flammis denique consumendum esse opinio inter ethnicos fuit, e sacris scilicet auctoribus petita, ut animadverti in Comment. ad. Prudentium, hymn. XI Cath. v. 106.; quem ad locum Weitzius laudat versus Sophoclis de mundi conflagratione, *quos adduco*, inquit, *ad Juvencum præfat.* Ex quo apparet, eum commentarios in Juvencum parasse. Vide Prolegom. num. 57.

15. *In tempora longa*, sed quæ tandem finem habebunt: nam *Immortale nihil mundi compage tenetur.* Notandus est usus verbi *frequentant* pro *celebrant*, notatus jam a Barthio, loc. cit. Idem verbum hac notione vulgo non cognita occurrit hoc l. I, v. 152; et l. II, v. 695, v. 727: et l. 3, v. 202; et l. IV, v. 222. Witechindus, libr. I: *Nomen novi Regis cum clamore valido frequentabant.* Nec absque melioris latinitatis usu, ut probat Barthius ex auctore Priapæorum, carm. 76: *Ætnææ Cererem nurus frequentant.* Magis ad rem nostram Sulpicia in Satyr.: *Musa, quibus numeris heroas, et arma frequentas.* Sic *frequentare memoriam alicujus* apud Senecam, de Consol. ad Marc. cap. 3. *Frequentare* pro narrare, iterare usurpatum etiam est a Vopisco, et Spartiano, et in codice Theodos., ut ostendit Ducangius.

17. Smyrna una ex urbibus, quæ sibi Homerum civem arrogabant. Statius, l. IV, Silv. 2, v. 9: *Nectat adoratas et Smyrna et Mantua lauros.* Forte *odoratas.* Hinc Homerus *Smyrnæus vates* dictus. Vide A. Gellium. l. 3, cap. 11, et dissertationem Leonis Allatii de *Patria Homeri.*

18. *Minciades, Minciadæ* nomen a Juvenco formatum ex *Mincio* fluvio, qui Mantuam alluit. Fontem Smyrnæ et fluvium Mantuæ Juvencus commemorat, ut v. 34 concludat, præstantiores esse aquas Jordanis ad æternum carmen peragendum.

Quæ manet æternæ similis, dum sæcla volabunt,
Et vertigo poli terras, atque æquora circum
Ætliera sidereum jusso moderamine volvet.
66 Quod si tam longam meruerunt carmina famam,
Quae veterum gestis hominum mendacia nectunt,
Nobis certa fides æternæ in sæcula laudis
Immortale decus tribuet, meritumque rependet.
Nam mihi carmen erit Christi vitalia gesta,
Divinum in populis falsi sine crimine donum.
67 Nec metus, ut mundi rapiant incendia secum
Hoc opus: hoc etenim forsan me subtrahet igni
Tunc, cum flammivoma descendet nube coruscans

LECTIONES VARIANTES.

20. Barthii codex *æternum similis*, quod Barthius, l. XI Advers. cap. 23, rejicit, quia durius esset, si *æternum* pro *æternorum* poneretur: sed l. XXXIV, cap. 13, præfert *æternum similis* poetice, quia sic melius Juvencus aliis poetis consentit, qui gloriam poetarum *æternam* esse dicunt. Intelligit, opinor, *æternum* esse adverbium. Malo *æternæ similis:* id enim vult Juvencus.

22. Reg., Ottob., Barth., Rom., *Jusso moderamine:* plerique *justo*. Tornæsius jam ediderat *jusso*.

27. Reg., Ott., Barth., Rom., *erit:* vulgo, *erunt*.

28. In Reg., deest *in*. Poelm., pro d.s., *in populos*.

31. Romani collegii codex: *Huc cum flamminea descendet*. Reg., *coruscus*.

NOTÆ.

20. Poetarum morem esse, æterna censere, quæ canant, animadvertit Barthius, libr. XXXIV Advers. cap. 13, col. 1568, ex hoc Juvenci loco, collatis aliis aliorum. Propertius, libr. III, el. 1, post multa alia concludit: *At non ingenio quæsitum nomen ab ævo — Excidit; ingenio stat sine morte decus*. Ovidius, libr. I Amor., el. 15, v. 31: *Ergo cum silices, cum dens patientis aratri — Depereant ævo, carmina morte carent*. Et l. IV de Ponto, el. 8, v. 47 seqq., plura in hanc sententiam affert. Horatius, l. IV, od. 8: *Dignum laude virum musa vetat mori, — Cœlo musa beat*. Sic Lucanus, et alii poetæ passim.

21. Ovidius l. II Metam. v. 70: *Adde quod assidua rapitur vertigine cœlum, — Sideraque alta trahit, celerique volumine torquet. Polus a* πολέω, *verto*, dicitur.

22. *Æthera* accusativus singularis Græco more pro *ætherem* a poetis Latinis frequenter usurpatur. *Jussum* dicitur moderamen, ut intelligamus, divina providentia mundum gubernari. Omeisius, qui præfert *justo*, intelligit pondus, mensuram ac numerum. Mox v. 41: *Moderaminis æqui*; et l. II, v. 577: *Justo moderamine legis*.

23. Hi versus usque ad prologi finem reperiuntur in quodam codice Vaticano reginæ Sueciæ, num. 29, in quo sunt diversa opera præsertim metrica, et in his Petri Aurorarii carmen de utroque Testamento. Prius legitur epigramma elegiacum in laudem argumenti sacri a poetis tractandi: *Aurea Mæonii concedant carmina vatis*, etc.; tum hi versus Juvenci, sed sine auctoris nomine. Strabo, de Vita B. Blaitmaici sec. III, part. II, Actor. SS. Ord. Benedict. Mabillonii: *Si tantam meruere suo pro carmine famam, — Qui scelerosorum mores, et facta tulerunt — Laudibus in cœlum*, etc.

25. Beda, de Metr. cap. de scans., in hoc versu observat scansionem mixtam, quæ utrumque in se habet, ut in quibusdam conjunctus, in quibusdam separatus sit pes.

26. Affirmavit supra, immortale nihil mundi compage teneri: nunc autem immortale decus ex suo carmine evangelico sibi pollicetur, quia, etiam cum mundus incendio peribit, sperat, se vitam æternam ob tempus ita bene collocatum consecuturum. Poetis profanis familiare est immortalitatem nominis sibi ex suis carminibus promittere. Lucanus, l. IX, v. 985: *Pharsalia nostra — Vivet, et a nullo tenebris damnabitur ævo*. Horatius, libr. III, od. ult.: *Exegi monumentum ære perennius, — Regalique situ pyramidum altius; — Quod non imber edax, non aquilo impotens — Possit diruere, aut innumerabilis — Annorum series, et fuga temporum. — Non omnis moriar*, etc. Ovidius in fine Metam. *Jamque opus exegi, quod nec Jovis ira, nec ignes, — Nec poterunt ferrum, nec edax abolere vetustas. — Cum volet illa dies, quæ nil nisi corporis hujus — Jus habet, incerti spatium mihi finiat ævi. — Parte tamen meliore mei super alta perennis — Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum*. Juvencus poetas ethnicos imitatus, sententiam eo direxit, quo Christiani omnes spectare unice debent: solum enim desiderat laudem quæ in æterna vita posita est, et quam bonis operibus consequi possumus.

28. *In populis*, quia donum illud gentibus jam cunctis exhibitum fuerat: adeoque significantius id est, quam si *in populos* legeremus, ut putat Reuschius. *Falsi sine crimine*, quia ipse ex Evangeliis argumentum suum desumit. Ethnici poetæ, aliique profani plerumque *gestis hominum mendacia nectunt*. Dio Chrysostomus orationem de *Ilio non capto* scripsit. Virgilii historiam in dubium multi revocant, ac magna ex parte certo falsam esse ostendunt. Hi autem duo, Homerus et Virgilius, præcipuam laudem in carminibus obtinuerunt, qui propterea præ cæteris a Juvenco commemorati sunt.

30. Juvencum exprimit Alcuinus in epistola ad episcopum quemdam Transalpinum, apud Mabillon., Veter. Analect. edition. Parisiens. 1733, pag. 403: *Hoc est opus tuum in præsenti luce, hoc est merces tua in æterna gloria. Ait enim quidam poeta de opere carminis evangelici: Hoc opus, hoc etenim forsan me subtrahit* (lege *subtrahet*) *igni — Tunc, cum flammivoma judex descendet ab arce. Dicam et ego: Hoc opus, hoc etenim non solum subtrahit igni — Te jam, sed faciat cœli conscendere in arcem*. Noster etiam S. Eulogius Cordubensis, initio Memorialis Sanctorum: *Et sicut me indignum tanto opere fateor, ita quoque sui perfectione non solum erui culpis confido, verum etiam pœnis abstractus, præstantiorem gratiam interventu ejus apud Dominum invenire spero: ut est illud philosophicum: Hoc opus, hoc olim forsan me subtrahet igni*. Ubi *olim* pro *etenim* ponitur, ut sententia hoc versu concludatur. Eulogius vero philosophorum nomine appellare solet Christianos, qui doctrina præstarent, quive doctores in Ecclesia essent, ut observat Ambrosius Morales in Scholiis ad num. 8, l. I. Omeisius huc affert Ovidii versus l. I Amor., el. 15, in fine: *Ergo etiam, cum me supremus adederit ignis, — Vivam, parsque mei magna superstes erit*. Sed Ovidius de supremo igne, quo corpora hominum olim post obitum cremabantur, manifeste loquitur. De hujusmodi precibus, quibus scriptores veteres ecclesiastici veniam pro extremo judicii die deposcere solebant, plura congessi in Prolegom. ad Prudentium, cap. 19., et in not. ad Dracontium, l. 3, v. 681.

31. Scriptorem, qui *flammivomus* dixerit, anti-

Judex, altithroni genitoris gloria, Christus.
Ergo age, sanctificus adsit mihi carminis auctor
Spiritus, et puro mentem riget amne canentis
Dulcis Jordanis, ut Christo digna loquamur.

LIBER PRIMUS.

Rex fuit Herodes judæa in gente cruentus
Sub quo servator justi, templique sacerdos
Zacharias, vicibus cui templum cura tueri,
Digesto instabat lectorum ex ordine vatum.
Hujus inhærebat thalamis dignissima conjux.
Cura his ambobus parilis moderaminis æqui,
Ambos annexos legis præcepta tenebant.

LECTIONES VARIANTES.

33. Codex Barth., *sanctificans.*

39. Rom. *Digesto stabat*, quod non displicet : nam *stare* proprie tribuitur sacerdotibus altari inservientibus, et constantiam denotat.

40. Poelm., pro divers. s., *Cujus* pro *Hujus.*

41. Reg., Ott., Ald., *his* : alii, *iis.*

NOTÆ.

quiorem Juvenco non novi. Eo vocabulo usus est Arator, l. II, v. 531 : *Flammivomo sub sole jacet.* Nonnulli legunt *Flammivolo sub sole*, quasi volante cum flammis; sed elegantius est *Flammivomo*, quod non solum in editis veteribus invenio, sed etiam in mss. codicibus vaticanis. Similiter codex Collegii Romani Aratorem, Juvencum, et Sedulium complectens, quocum Juvencum contuli, habet *Flammivomo sub sole jacet.* Rabanus Maurus, sive alius sit auctor hymni veteris in Ascensione Christi, Juvencum imitatur : *Ut cum flammivoma nube reverteris.* Editus est hic hymnus a Browero inter alios Rabani.

32. Libr. II, v. 62 : *Per patris altithroni nomen*, etc., et l. III, v. 409 : *Altithroni vultum genitoris.* Venantius Fortunatus a Juvenco, ut puto, hoc verbum mutuatus est l. I de Vita S. Martini v. 1. Clarius imitatur Engelmodus episcopus in versibus ad Ratbertum Abbatem, tom. IX Biblioth. Patrum part. II, pag. 897, Coloniæ 1618 : *Cum rex altithronus mundum discreverit urna — Judicii*, etc. Barthius interpretatur, Juvencum eo alludere, quod super Jordane dixit vox Dei, Matth. III, 17 : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, quod Juvencus, l. I, v. 398, sic vertit : *Te, nate, hodie per gaudia testor — Ex me progenitum : placet hæc mihi gloria prolis.* Epist. ad Hebr. I, 3 : *Qui cum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus*, etc.

33. In *sanctificus* producitur ultima ratione cæsuræ : neque enim Barthius, libr. XI Advers. cap. 230, et Cellarius, de Barbar. in curis poster., audiendi sunt, cum affirmant, metrum postulare *sanctificans.* Utrumque verbum *sanctificus*, et *sanctifico* ab ecclesiasticis scriptoribus tantum usurpatur, ut a Tertulliano, Prudentio, etc. Auctor incertus, de Bebiani baptismo : *Ergo ut sanctifica nituit renovatus ab unda.* Paulinus Petrocorius, libr. V. de Vita S. Martini : *Quæ tam sanctifici conservant munera tactus.* In liturgia hoc vocabulum satis usitatum est.

34. Heliconis undis, Smyrnæ fonti, et Mincio flumini opponit purum amnem dulcis Jordanis, cujus aquas haurire cupit, ut carmina Christo digna loquatur. Eccur autem Jordanem eam in rem laudat? Glossa in codice Barthii hanc allegoriam sic explicat : *Per Jordanem vult intelligi Spiritum sanctum. Jordanis a duobus fluviis nomen sortitur : quorum unus* JOR, *alter* DANIS *appellatur : qui confluentes faciunt Jordanem. Sic et Spiritus sanctus a Patre procedit, et Filio. Non enim dicitur, quod vel Pater sit Filii, et Spiritus sancti, vel quod Filius sit Patris, et Spiritus sancti. Sed veraciter confitemur, quod sanctus Spiritus sit Patris, et Filii, quod ex utroque procedit. Jordanis vero interpretatur descensus, quod nomen convenit Spiritui sancto, quia qui se ad aquas Baptismi humiliant, in hoc fit divinæ gratiæ, et benignitatis descensus, quæ specialiter Spiritui sancto attribuitur.* Corrigit Barthius *quippe qui se ad aquas Baptismi humilians, in hoc fit.* Incerta etiam est etymologia Jordanis, quæ affertur. Negant enim critici scriptores, Jordanem ex duobus amnibus conflari, aut aliquem esse amnem, qui *Dan* appelletur. Juvencus aquam Jordanis commemorat, ut gratiam Baptismatis explicet. Prudentius, hymn. 2 Cathem. v. 61 : *Durare nos tales jube, — Quales remotis sordibus — Nitere pridem jusseras, — Jordane tinctos flumine.* Ad hunc Prudentii locum plura commentatus sum de studio, quo veteres Christiani ambibant in Jordane baptizari, quia ibi baptizatus est Christus. Juvenci piam hanc invocationem imitatus est Paulinus, de Vita S. Martini l. IV: *Castalias poscant lymphatica pectora lymphas : — Altera pocla decent homines Jordane renatos.*

35. Fortasse ex imitatione Virgilii l. VI, v. 662 : *Quique pii vates, et Phœbo digna locuti.* Statius, l. IV, sat. 21, v. 10 : *Digna loquar*, etc. His Juvenci versibus respondent alii, l. IV, v. 803, in epilogo : *Has mea mens fidei vires, sanctique timoris — Cepit, et in tantum luxit mihi gratia Christi, — Versibus ut nostris divinæ gloria legis — Ornamenta libens caperet terrestria linguæ.*

36. In plerisque editionibus exprimuntur capita rerum, et indicantur loca Evangelistarum, quos Juvencus sequitur. A nostris codicibus absunt ejusmodi tituli. Eos igitur ex editione Aldi suis locis inseremus. Quamvis enim Juvencum poema sine his inscriptionibus composuisse certum nobis videatur, tamen utiles illæ sunt, et fortasse veterum scriptorum, aut glossatorum diligentia confectæ.

38. CAP. I. — *De parentibus, et conceptione Joannis Baptistæ præcursoris Domini* (Lucæ I, 26). — Explicat verba Lucæ *De vice Abia*, quod postea, v. 45, exponit per verbum *sorte.* Barthius, libr. XI Advers. cap. 12, notat, vices istas fuisse diarias, vel in diem sacerdotum sibi successiones, ad administrandum sacrificium et ritus debitos in templo, ex III Esdr. I, 1, 2 : *Et fecit Josias pascha..... statuens sacerdotes per vices dierum stolis amictos in templo Domini.* Extra canonem nostrum librorum sacrorum tertius hic liber Esdræ est. I Paralipom. XXIV, enumerantur viginti quatuor classes, seu vices in ministerio Domini a David designatæ, ubi, v. 3 : *Et divisit eos David.... secundum vices suas et ministerium.* Et v. 7 : *Exivit autem sors prima Jojarib*, etc. Deinde, v. 10 : *Octava* (sors) *Abia.* Rursus v. 19 : *Hæ vices eorum secundum ministeria sua.* Eucherius in Instructionibus, sive de Quæst. novi Testam : *Quid est, quod scribitur in Luca de Zacharia sacerdote, quod esset de vice Abia?* XXIV *sortibus in ministerium templi distributi fuerant sacerdotes, ut in ordine vicis suæ quisque sacerdotali fungeretur officio. In hoc ergo ordine octavam sortem Abia habuit, de qua vice Zacharias sacerdos fuit.*

39. Sacerdotes sæpe Juvencus *vates* appellat, ut h. l., v. 221, 327; l. III, v. 292; l. IV, v. 405, 524.

41. *Moderamen* pro moderatione. Prudentius, Psych. v. 274 : *At virtus placidi moderaminis.*

42. *Annexos* Barthius interpretatur, libr. XLIII Advers. cap. 23, ei soli curæ mancipatos, nullius alterius studii studiosos, quia Juvencus alludit ad jus vetus Romanum, quo *nexi* erant mancipio per æs et libram acquisiti, velut obstricti imperio : de quo videndus Turnebus, l. XX Advers. cap. 19. Mihi videtur Juvencus explicare voluisse verba Lucæ

70 Nec fuit his soboles, jam tum vergentibus A [annis,
Gratius ut donum jam desperantibus esset.
Sed cum sorte adytis, arisque inferret odores

71 Zacharias, visus cœlo descendere aperto
Nuntius, et soli jussas perferre loquelas,
(Cætera nam foribus plebes astrata rogabat:)
Quem tibi terribilis concussit corde pavorem

LECTIONES VARIANTES.

43. Reg., Ott., Ald., *His.* : alii, *iis*. Reg. *jam tum* : alii *jam tunc*, Ott., Rom., Ald., *jam tot*. Sabatierius edidit, *jam tunc urgentibus*, et pro d. s., *vergentibus*, quod alii præferunt, et præferendum videtur.

45. Codex Barth., Ald., Torn., minus bene, *Forte adytis*. In ms. Cantabrig. Evangelii legitur etiam *Forte accidit.*, etc.

46. Fabr., Ald., Torn., Reg., Ott., *visus*. Poelm., *jussus*, quod minus placet. In quodam ms. S. Gat. (veteris Italicæ) legitur *visus est* pro *apparuit*, hoc cap. S. Lucæ.

47. Ott. a prima manu, *Soli jussus*. Ita Fausti editio.

48. Codex Barthii, *Foribus tum plebs prostrata*. Reg., *foribus tunc plebs adstrata*. Ott., Rom., *foribus plebes adstrata*. Ald., Poelm., Torn., Fabr., *foribus plebes astrata*. Latinius in Bibl., *foribus plebes abstracta*, ex conjectura, ut puto, sed quæ probari potest. Nam verba Lucæ sunt : *Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi*. Pro *plebs* ponitur *plebes* : de quo vide l. IV, v. 694.

49. Poelm. *Quem tibi terribilis concussit corda pavorem — Visus, cum læti sermonis gratia placet?* Ita etiam Torn., et Reg., sed *corde* pro *corda*, et Reg. *placat* pro *placet*, et glossa *pavorem delectat*. Fausti editio : *Quid tibi terribilis concussu corda pavore — Visus : tum læti sermonis munere placat?* Reuschius : *Quid tibi terribilis concussit corda pavore — Visus, cum læti sermonis gratia placet?* Omeisius cum Fab. : *Quid tibi terribilis concussi corda pavore — Visus, cum læti sermonis gratia placet?* Codex Barthii : *Qui tibi terribilis concussit corde pavorem — Visus, eum læti sermonis gratia placet.* Barthius restituit : *Qui tibi terribilis concussit corda pavore — Visus eum*, etc. Poelm., pro d. s. : *Quid tibi terribilis concussi corda* B *pavore — Visus? tum læti sermonis munere placat.* Scriptura Ottob. vera videtur : *Quem tibi terribilis concussit corde pavorem — Visus, eum læti sermonis gratia placet*, quod placuit Latinio, et Aldo, qui mendose habet *pavore*, et *placat*. In Rom. eadem est scriptura, sed *placat* pro *placet*. Verba Lucæ I, 11 sunt : *Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua*. Barthius putabat, nulli ex tot editionibus venisse in mentem, legendum *eum* pro *cum*. In Basileensi etiam anni 1537, legitur *eum*, sed cum errore Aldi *pavore*.

NOTÆ.

sine querela. In textu Græco id dicitur ἄμεμπτοι, quod plerique vertunt *sine reprehensione*, et in codice Cantabrigiensi Evangeliorum, apud Sabatierium, *sine macula*. Sed cum fere omnes versiones veteres, Sanctique Patres Latini cum Vulgata exhibeant *sine querela*, idque optime respondeat verbo Græco, nam ἀμεμφία est *nulla querela*, Juvencus exposuit *annexos*, hoc est unanimes, et nullo unquam jurgio inter se C discordes. Similis sententia, h. l. v. 341 : *Ad proprium semper cogens nectebat amorem*. Formula frequens est in inscriptionibus antiquis ad significandam concordiam conjugum, *Cum qua vixit sine querela*. Apud Gruterum, pag. 1145, num. 8 : *Conjugi dulcissimo, cum quo advixit sine querela per annos viginti*. Plures aliæ similes videri possunt apud eumdem Gruterum, et apud Manutium, et Cellarium in Orthogr. Fabrettus, pag. 256 seqq., 15 inscriptiones profert, quibus ea formula *sine querela*, aut *sine ulla querela*, vel, ut in lapidibus scribitur, *querella* conjugum constantem concordiam significat. Hoc sensu Apuleius, libr. II Floridor. : *Proinde sedulo consuleret, ne post querelæ causam caperet*. Ita Crates Hipparchem virginem, conjugium optantem, admonebat. Horatius non dissimili modo de concordia amantium, l. I, od. 13 : *Felices ter, et amplius, — Quos irrupta tenet copula, nec malis — Divulsus querimoniis — Suprema citius solvet amor die*. Etsi D autem *querelæ* vocabulum non dicatur proprium esse de animi offensa conjugali amori interveniente, ut vult Petrus Clovius, ad loc. cit. Apuleii, tamen negari nequit, frequentissime ita accipi, ut cum sermo est de conjugibus, ea significatio præferenda sit. Critici interpretes, qui hunc locum expendunt, partim obscura hæc esse verba dicunt, ut Valla; partim exponunt innoxios, intemeratos, integros, insontes, irreprehensibiles, sine querela Dei et hominum, nimirum non solum conscientia pura, verum et fama integra. Atqui verbum ipsum Græcum verti posset *non jurgiosi*; neque culpandus est interpres Latinus, qui phrasin communiorem usurpavit *sine querela*. Petrus Chrysol., serm. 89, interpretationem Juvenci videtur amplecti; sic enim de his conjugibus ait : *Est nova felicitas, et conjugium singulare, quando manet in duobus una mens, una sanctitas in duobus : constabat mente, quod distabat in sexu; et in moribus erat unum, quod geminabat aspectus : ac virtus reddebat pares, impares dederat quos natura*. Eo autem magis notandum est, vixisse hos conjuges unanimes, et sine querela, quia processerant ambo in diebus suis, et non erat illis filius. Dedecori enim, et probro feminis, præsertim judæis, vertebatur, si steriles C essent.

43. Lucanus, l. I, v. 130 : *Nec coiere pares : alter vergentibus annis — In senium*. Tacitus, Annal. II, cap. 43, simpliciter dixit : *Nam suam ætatem vergere, Drusi non satis adolevisse. Ætatem vergere* pro *inclinare in senium*.

44. Barthius, lib. XLIII Advers. cap. 23, similem versum Prosperi allegat : *Gratior est fructus, quem spes productior edit*. Juvenci versum laudat Jonas Scotus, monachus Bobiensis, in Vita S. Columbani, num. 22 : *Huic soboles nulla erat, ut Juvencus de Elisabeth et Zacharia ait : Gratius ut donum*, etc. Beda, ad h. l., ex Juvenco, ut puto : *Quatenus inopinato prolis ortu et ipsis donum gratius existeret, et cæteros miraculi stupor futuri prophetæ pararet auditui*.

45. Sic etiam Irenæus, l. III, cap 10 : *Secundum consuetudinem sacerdotii* SORTE *exivit, ut incensum poneret, et venit, uti sacrificaret, intrans in templum* D *Domini*. Sic etiam Vulgata, et antiqua Itala versio in multis mss., *sorte exiit*. Sanctuarium pars erat templi secretior, quam ingredi soli summo sacerdoti licebat. Sanctum a sanctuario velo dividebatur; et in sanctum simplices etiam sacerdotes, non vero laici, ingrediebantur. Id vocabant ethnici *adytum*, et *adyta*, quod vocabulum christiani etiam scriptores usurpant. Paulinus, poem. 35, de Obitu Celsi : *Tunc et discisso nudata* (al. *discusso nudata*, al. *nudato discissa*) *altaria velo — Amisere sacri relligionem adyti*. In sancto aureum altare erat, quo odores incendebantur. Laici ad septum hujus loci accedebant, ut hostias et oblationes traderent, sed intus non penetrabant.

48. *Foribus* sancti, ut ego puto. Barthius, lib. XLIII, Advers. cap. 23, affirmat, simile habuisse apud ethnicos institutum, qui corpora liminibus ipsis, et foribus templorum prosternere solebant. Id respicit loctio

Visus, eum læti sermonis gratia placet.
Nam me propitius rerum pater unicus alto
72 A cœli solio tibi nunc in verba venire
Præcipit, et chara tibi mox e conjuge natum
Promittit, grandis rerum cui gloria restat,
Plurima qui populis nascendo gaudia quæret,
Sobrius æternum; clausum quem Spiritus ipsis
Visceribus matris complebit numine claro.
Istius hic populi partem pleramque docendo
Ad verum convertet iter, dominumque Deumque.
Continuo primus noscet, plebemque vocabit:
73 Nomine Joannen hunc tu vocitare memento.
Olli confusa respondit mente sacerdos:
Æmula promissis obsistit talibus ætas,
Nec senibus soboles poterit contingere fessis,
Quam Deus avertens primævo in flore negavit.
Hæc trepidans vates; cui talia nuntius addit:

LECTIONES VARIANTES.

51. Torn. : *Jam me demissum rerum.* Reg. : *Nam me demissum.* Plerique : *Nam me propitius.*

53. Ald., Reg., Ott., Torn., *Mox e.* Fabr., Poelm., *Mox de.*

56. Barthii codex, *Sobrius : æternus*, quæ scriptura valde mihi probabilis est, ut *æternus spiritus* pro Spiritu sancto ponatur. Alii, repugnante Barthio, *sobrius æternum*, et in Reg. est glossa *æternaliter*, et indicatur Spiritum dici sobrium. Aliter ego interpungo.

57. Sabatierius edidit *lumine claro*, et pro d. s. *numine*. In mss. et editis tantum reperio *numine*, quod confirmatur verbis Lucæ I, 15 : *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.*

58. Barth. codex, *Populi partem plebemque docendo—Ad verum convertet iter*, quod non absonum Barthio videtur, sed non audet mutare *plebemque* pro *pleramque*, quia continuo sequitur *plebemque vocabit*. Faust. : *populi partem magnamque docendo—Ad verum convertet iter*. Cui consentit hic, ut sæpe alibi, editio vetus in Bibliotheca Vaticana, quam Daventriensem appello. Poelm., *Hic partem populi plerumque docendo — Ad verum convertet iter*. Ita Fabr., sed *pleramque;* et Ald., Rom., Ott., sed *hi populi partem pleramque*. Veteres editiones apud Barthium, Torn., Reg., *populi partem pleramque reverti — Ad verum suadebit iter.*

60. Reg., Torn., Fabr., Gall., *Novabit :* plerique *Vocabit.*

61. Reg., Ott., Rom., *Joannem hunc tu*, quod non abhorret, et editum est in Torn. Plerique *quem tu*. Rescribo *Joannem hunc*. Reuschius ad vers. 58 *Istius hic populi* monet, *hic* et *hunc* semper cum dignitate aliqua, et ornamento ejus de quo sermo est, usurpari. Ipse autem scribit *Joannem hunc*, quod sustineri potest per hiatum, et quia aspiratio vim consonantis nonnunquam habet. Id probat etiam Beda De metr. cap. de synalœph. hoc versu Juvenci.

64 Reg., Ald., Poelmann. pro d. s., Torn., Fabr., *soboles* : alii *fœtus*. Reuschius *soboles* præfert, quia v. 67 Angelus Mariæ respondens eodem vocabulo utitur.

65. Alii *quam*, scilicet *sobolem ;* alii *quem*, nempe *fœtum.*

66. Ald., Fabric., Poelm. pro d. s., Ott., *infert.* Alii *addit.* Rom. *infert*, sed forte fuit *infit.*

NOTÆ.

nem vulgatam *astrata*, vel *adstrata*, vel *prostrata*, ut mss. codex Barthii habet. Verbo *asterno* hac significatione usus est Ovidius lib. II Metam., v. 343 : *Nocte dieque vocant, asternunturque sepulcro.* Apud Lucam nulla mentio fit hujus moris ; vero tamen simillimum est eum a Juvenco expressum fuisse. *Rogabat* simpliciter positum pro *Deum orabat*. Hinc *rogationes* preces, supplicationes ecclesiasticæ, de quo verbo consulendus Ducangius. Simili modo *orare* absolute ab ecclesiasticis scriptoribus usurpatur.

50. Fortasse alludit ad illud Virgilianum lib. XII, v. 48 : *Quam pro me curam geris, hanc, precor, optime, pro me — Deponas.* Ita certe putabat Barthius, loc. cit.

51. In Prolegom. ad Prudentium, num. 205. ostendi, primam in *propitius* recte produci posse. Confer etiam Satisfactionem Dracontii, v. 14, pag. 369, et adde Guilielmum Britonem, epist. ad Karlotum, vers. 18 : *Hunc quoque propitio cœlestis sidere vultus — Vel semel illustra.*

52. *Venire tibi in verba* notanda phrasis, ut *venire in conspectum alicujus, venire in sermonem alicujus*, vel *alicui.*

56. *Sobrius æternum* ponitur pro his Lucæ verbis, *Vinum et siceram non bibet.* Interdum *æternum* adverbium accipitur pro assidue, valde. Virgilius, lib. II Georg., v. 399 : *Terque quaterque solum scindendum, glebaque versis — Æternum frangenda bidentibus.* Et libr. VI Æneid., vers. 400 : *Licet ingens janitor antro — Æternum latrans exsangues terreat umbras.* Omeisius, cui arridet *æternum*, interpretatur *perpetuo sobrius.* Joannes enim toto vitæ suæ tempore fuit sobrius, ac cibi parcus.

57. Evangelista ait : *Ab utero matris suæ*, quod nonnulli hæretici interpretantur *ab infantia sua.* Juvencus recte cum aliis Patribus, *clausum ipsis visceribus matris.*

58. *Populi partem pleramque*, scilicet *multos filiorum Israel*, ut ait Lucas. In singulari numero *plerusque* Sallustius, Gellius, Apuleius, et alii dixerunt.

60. Ea verba Lucæ I, 16, 17 : *Et multos filiorum Israel convertet ad dominum deum ipsorum. Et ipse præcedet ante illum in spiritu, et virtute Eliæ : ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.* Itaque sic Juvenci verba interpungo et explico, : partem pleramque populi ad verum iter, dominumque, deumque convertet. Ipse primus noscet (Dominum videlicet, dum in utero matris exsultavit) et plebem vocabit, quia vox erit clamantis in deserto, etc., aut plebem novabit, quia Domino plebem perfectam parabit : nam *novabit* respicere potest aliquo pacto ad baptismum Joannis, vel elegans est metaphora, ut ait ad h. l. Maldonatus, quasi Joannes serendum a Christo agrum proscinderet, ac novaret. Plerique ita distinguunt, *Ad verum convertet iter, dominumque, deumque..... Continuo primus noscet :* quod magis a verbis Evangelii recedit.

63. Sic Virgilius l. v, vers. 415 : *Æmula necdum Temporibus geminis canebat sparsa senectus.*

64. *Fessus* sæpe sonat generationi ineptum, infecundum, ut v. 110, *Ævo defessis auxit miracula membris.* Claudianus, De rapt. Proserpinæ l. I, vers. 124 : *Fessaque post primos hæserunt viscera partus.*

65. Reuschius supplet *Quam Deus avertens se*, et de aversione Dei, quæ frequenter indignationem denotat, plura disserit. Sed potius intelligendum est, *quam* esse accusativum jungendum participio *avertens*, et verbo *negavit*, ut in re simili dicam l. III, v. 304, var. lect.

Si tibi mortalis sobolem promitteret ullus,
Ad desperandum forsan cunctatio mentis
74 Debuerat tardis hærens insistere verbis.
Nunc ego, quem Dominus, cœli terræque repertor,
Ante suos vultus voluit parere ministrum,
Auribus ingratis hominis, visuque receptus,
Supremi mandata Dei temnenda peregi.
Quare promissis manet irrevocabile donum ;
Sed tibi claudetur trepidæ vox nuntia mentis,
Donec cuncta Dei firmentur munera vobis.
75 Hæc ait, et sese teneris immiscuit auris.
Interea populus miracula longa trahebat,
Quid tantum in templo vellet cessare sacerdos.
Egressus trepide, numen vidisse supernum
Nutibus edocuit, miseræ et dispendia vocis.

LECTIONES VARIANTES.

68. Barthii codex *ad disperandum*, quod Barthio arridet, quia *disperare* est secus sperare, ut *dissentire*, et mille talia usu habet latinitas. Omeisius a Barthio dissentit, quem novarum vocum affectorem vocat.

70. Ald., Torn., Barthii codex, Reg., Rom., Ott., *repertor*. quod pro d. s. posuit Poelmannus. Alii *creator*. Grunerus Act. Soc. Lat. Ien. vol. III, distinguit *quem Dominus, cœli terræque repertor*. Alii *dominus cœli, terræque repertor*.

71. Sabatierius edidit *patere*, et pro d. s. *parere*. Id unice verum est, et in mss., et editis quos vidi, tantum exstat. *Patere* metri legibus adversatur.

72. Barthius scribendum existimat *homini* : sed bene est *hominis*. Barthius intelligit, esse dativum pro ablativo, ut sæpe fit.

73. Codex Barthii *Supremi mandata Dei tempnanda peregi* : qua scriptura aliud aliquid latere putat Barthius. Ita exhibent nostri codd. Reg., et Ott., sed *temnenda*, vel *tempnenda*, quod in mss. codd. inveniri confirmat Gallandius. Reuschius cum editis *Summi jussa Dei non contemnenda peregi*. Grunerus loc. cit., *Supremi mandata Dei temnenda peregi?* h. e., Peragere debeo? vel peregisse debeo? Gallandius *Summi jussa Dei non contemnenda peregi?* In Rom. *tenenda* mendum est pro *temnenda* : reliqua, ut in Reg., et Ott. Omeisius fatetur, quatuor codices cum nostris facere, sed putat legendum *Dei haud temnenda*. Reuschius vero suspicatur *Dei contempta*. Retineo *Dei temnenda*, nempe quæ Zacharias contemneret, vel contempturus erat.

75. Tornæs., Reg., *Trepidæ*, quod expressit Gallandius cum Grunero loc. cit. ex mss. Angl. Un., Cant. Plerique editi *rapidæ* : quod Reuschius retinuit, et explicat Badius, quia mens unico momento cœlos penetrat. *Trepidæ* sumitur pro *dubiæ, incertæ, dubitantis*.

77. Poelm., Reg., Ott., Rom., Fabr., Gall., *et se se teneris immiscuit auris*. Vetus editio Fausti, Ald., Torn., Poelmann. pro d. s., *et subito tenues se misit in auras*.

78. Reg., Ottob., Poelm., Ald., Torn., Rom., Daventr., *populus miracula longa trahebat*. Barthii codex, *populus miracula longa trahebant*. Fabr., *populum miracula longa trahebant*.

79. Fabr., *Quid tamen in templo*, minus bene. In Reg., *Quid tantum templo*, deest, *in*. Reuschius ait, *tamen* non adeo inconcinnum esse.

80. Reg., *Progressus trepidæ*. Barthii codex melius *Progressus trepide*. Sic Rom.

81. Plerique editi *miseræ et dispendia vocis*. Reg., *misere dispendia vocis*; ita Ott., sed post *misere* abrasum aliquid videtur. Rom. *miseræ dispendia vocis*. Barth. codex *miseræ dispendia voci*, quæ genuina lectio Barthio videtur. Fortasse legere præstiterit *miseræ ob dispendia vocis*, quæ fuerit causa cur nutibus edocuerit, etc. Sed lectio vulgata bene procedit. Cornelius Val. Vonck Observ. Miscell. cap. 31, pag. 118, rescribere mallet *misera et dispendia vocis* : nam ita amat Juvencus ultimo substantivo epitheton negare, ut mox v. 84, *Nec dilata diu venerunt munera prolis*.

NOTÆ.

67. Pulchra hæc est interpretatio verborum Lucæ cap. I, vers. 19, 20 : *Et respondens Angelus dixit ei : Ego sum Gabriel qui asto ante Deum, et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare. Et ecce eris tacens*, etc. Beda, in carminibus Juvenci versatus, hanc explicationem arripuit ad h. l. : *Vult intelligi, quod si homo talia promitteret, impune signum flagitare liceret : at cum angelus promittat, jam dubitari non deceat*.

69. Reuschius exponit, Debuisset etiam linguam cohibere, ut tardus ad loquendum esses. Malo, Debuerat insistere his tuis verbis, quibus tardum te ad credendum ostendis.

70. *Terræque repertor*, ut *rerum repertor* apud Virgilium, *orbis repertor* apud Prudentium, et similia alia apud alios, quæ longum esset recensere.

71. Prima significatio verbi *pareo* est *adesse, præsto esse*, quæ huic loco convenit. Adisis Comment. ad Prudentium libr. II, contra Symmach. v. 237, *Quæ simules parere meis virtutibus*.

74. Dracontius de munere divino, fortasse Juvencum imitatus, lib. I, vers. 605 : *Manet irrevocabile munus*.

77. *Teneris auris*. Sic Prudentius Psych. vers. 122, *Per teneros crispata notos*. Confer Comment.

78. Barthius ait, pulcherrime usurpatum *trahebat*, vel, quod ipse mavult, et elegantius quidem est, *trahebant*, quod videlicet longa videatur series temporis continuata. Sic Virgilius lib. IV Georgic. vers. 392, *Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur*, et Juvencus noster h. l. vers. 542, *Interea veteris scripti per debita currens*,—*Omnia sæclorum series promissa trahebat*. Adhuc tamen obscurum remanet, quid sit, populum miracula longa trahere. Verba Lucæ hæc sunt : *Et erat plebs exspectans Zachariam, et mirabantur quod tardaret ipse in templo*. Plures quidem ac diversæ sunt significationes verbi *traho*; sed ad rem nostram ea maxime facit, qua accipitur pro agitare, reputare animo, considerare. Sallustius De bello Jugurth. cap. 98 : *Marius anxius... trahere cum animo suo, omitteretne inceptum.... an fortunam opperiretur*. Tacitus Annal. I, cap. 76, ad fin. : *Cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant*; hoc est, varie interpretabantur.

79. *Tantum cessare*, tantopere cessare. Vide not. ad Dracontium l. III, v. 250, *Et neget, Abraham tantum fecisse beatum*.

80. Glossa notabilis in Barthii codice hæc erat : « *Numen supernum*. Angelum sic dicit, ut in historia Abrahami. Vel mittentem pro misso. Quoniam Deum homo videre non poterat, et vivere. Numen autem minus est, quam si Deum dixisset. Numen enim quasi nutamen Dei dicitur. » Quod postremum ait Barthius ex scelerato Paulo illo ortum esse, qui carnificina Festi innumerabiles bonas res omni posteritatis memoriæ male exemit, dignus optima sui parte pati, quæ fecit illi. Certe *numen* est nutus, voluntas, et fere dicebatur ab ethnicis de voluntate et potentia deorum, atque adeo de ipsis diis, et de divinitate.

81. *Dispendia vocis*, ut *famæ dispendia, moræ dispendia*.

76 Inde domum remeat completo ex ordine vates
Officio, amissamque levant promissa loquelam,
Nec dilata diu venerunt munera prolis ;
Anxia sed ventris celabat gaudia conjux,
Donec quinque cavam complerent lumina lunam.

Tunc majora dehinc idem mandata minister
Detulit, ad Mariæ demissus Virginis aures.
Hæc desponsa suo per tempora certa propinquo,
77 Abdita virgineis caste pubescere tectis,
78 Et servare diem jussis permissa parentum.

LECTIONES VARIANTES.

82. Reg., Ott., Faust., Poelmann. pro d. s., Ald., Torn., *remeat*. Fabric., Poelm. in textu *rediit*. Rom., *repedat*.

87. Poelm. pro d. s., *Nunc* : melius, *Tunc*.

88. Poelm. minus bene *dimissus* pro *demissus*.

90. Rom., *pubescere tædis* cum nota in margine, *Virgineæ tædæ*, scilicet animadversione id dignum esse, quasi Virgo pubesceret in nuptias.

NOTÆ.

83. *Levant*, levem et tolerabilem faciunt amissam loquelam. Virgilius l. I, vers. 334 : *Sis felix, nostrumque leves quæcumque laborem* ; et l. VIII, vers. 309 : *Ingrediens, varioque viam sermone levabat*. Hinc *levamen*, consolatio.

85. *Anxia celabat*, quia *occultabat se*, ut ait Lucas, quasi erubesceret quod in senectute operam liberis dedisset. Schoettgenius tum hic, tum vers. 117, *anxia* interpretatur læta. *Gaudia ventris*, quia vere gaudebat, gratiasque Deo agebat, quod abstulisset *opprobrium ejus inter homines*. Nam omnes gentes probro vertebant sterilitatem feminarum. Inter Judæos hujusmodi opprobrium eo majus erat, quia Messiam ex sua gente nasciturum sperabant ; ac proinde feminæ steriles in hujus gloriæ partem venire non poterant. Prudentius Dittoch. vers. 14, *In ista — Risit Sara casa, sobolis sibi gaudia sera — Ferri*, et Sedulius l. II, vers. 66: *Quæ ventre beato— Gaudia matris habens cum virginitatis honore.*

87. CAPUT II.—*Angelus Gabriel mittitur a Deo ad Mariam Virginem* (*Luc.* I, 26-39). Quamvis idem minister fuerit, idem angelus Gabriel, tamen ad Mariam Virginem *majora* detulit. Annuntiavit enim Christum ex ea nasciturum.

89. *Desponsa* ; verbum magis Latinum, quam *deponsata* : quamquam et hoc, quo Vulgata utitur, probum est. Multi intelligunt jam tunc B. Virginem nuptam fuisse, et significatione minus propria dici desponsam, vel desponsatam. Juvencus, cujus sane auctoritas contemnenda non est, contrariam innuit, vel clare etiam tenet opinionem. Etsi autem Juvencum, ut communi Patrum et theologorum sententiæ cohæreat, explicare voluerimus de solemni celebratione nuptiarum, quam etiam post veri matrimonii contractum dilatam esse intelligat, adhuc tamen a plerisque hac in re dissidet, quod in eadem domo cum Josepho non habitasse crediderit, etiam postquam desponsa illi fuerat, aut matrimonium cum eo contraxerat. Negari nequit rationes probabiles pro utraque sententia ex Evangeliis peti, ut vel ex iis colligi potest, quæ S. Thomas egregie disputat III part., quæst. 29, art. 2 : *Ad tertium dicendum, quod sicut Chrysostomus dicit super Matthæum, Beata Virgo sic fuit desponsata Joseph, quod etiam esset domi habita. Nam sicut in ea, quæ in domo viri concipit, intelligitur conceptio maritalis : sic in ea, quæ extra domum concipit, est suspecta conceptio. Et ita non esset sufficienter provisum famæ B. Virginis per hoc, quod fuit desponsata, nisi etiam fuisset domi habita. Unde quod dicitur, Nollet eam traducere, melius intelligitur, id est, nollet eam diffamare in publicum, quam quod intelligatur de traductione in domum. Unde et Evangelista subdit, quod voluit occulte dimittere eam. Quamvis tamen esset domi habita propter primam desponsationis fidem, nondum tamen intervenerat solemnis celebratio nuptiarum, propter quod etiam nondum carnaliter convenerant. Unde, sicut Chrysostomus dicit, non dicit Evangelista, Antequam duceretur in domum sponsi, etenim intus jam erat. Consuetudo enim fuit veteribus, ut sponsæ in sponsorum domibus haberentur. Et ideo etiam Angelus dicit Joseph : Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam, id est, non timeas nuptias ejus solemniter celebrare : licet alii dicant, quod nondum erat in domum inducta, sed solum desponsata. Primum tamen magis consonat Evangelio.* Opinionem, quæ magis placet S. Thomæ, confirmat Suarius disput. 7, tom. XVII. Aliam interpretationem, quæ ad Juvencum magis accedit, tenent Anselmus, Abulensis, Cajetanus, Baronius, et alii. Juvencus hoc ordine rem totam mihi narrare videtur. B. Virgo jam antea, et fortasse antequam nubilis esset, desponsa erat suo propinquo, sed jussis parentum abdita virgineis tectis pubescebat, tempusque opportunum matrimonii contrahendi exspectabat. Hoc ipso tempore apparuit illi angelus, et cum de Spiritu sancto concepisset, illico matrimonium verum cum sponso suo Josepho contraxit, et ad salutandam Elisabetham se contulit. Nam si abdita virgineis tectis servabat diem nuptiarum, statim ac extra ea tecta prodisse, et quidem in montana in civitatem Judæ cum festinatione ivisse cognoscimus, facile intelligimus, id peractum post diem nuptiarum. Re ita exposita, vix ulla erit difficultas, quæ levi negotio non dissolvatur. Ea enim, quæ postea narrat Juvencus vers. 168 seqq., commode explicantur de Josepho jam conjuge, et viro B. Virginis, qui secum cogitaverit de Maria conjuge sua dimittenda.

90. Martialis libr. I, epigr. 71, *Virgineam domum* vocat virginum Vestalium ædes. Simili modo *virgineis tectis* explicare possumus de aliqua domo, in qua virgines simul essent, et educarentur. P. Canisius libr. I De Deipara V. cap. 12, et Suarius in 3 part., quæst. 29, art. 2, disp. 7, ex Patribus probant, fuisse in templo Hierosolymitano locum in quo virgines Deo dicatæ habitabant, et in his virgineis ædibus B. Virginem ab anno ætatis suæ tertio, quo a parentibus in templo præsentata est, ut pie creditur, usque ad suam desponsationem, vitam egisse. De hujusmodi asceterio virginum intelligi potest illud Machab. II, III, 19 : *Accinctæque mulieres ciliciis pectus, per plateas confluebant. Sed et virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam.* Abdita ergo virgineis hujusmodi tectis B. Virgo caste et pie vitam transegit usque ad pubertatis tempus : sed annuntiatio Verbi divini eo loco certe peracta non est, quandoquidem angelus missus est a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth. Oportet ergo, ut intelligamus etiam in civitate Nazareth fuisse aliquem locum virginibus educandis accommodatum, vel tecta virginea, quæ Juvencus memorat, nihil aliud fuisse, quam cubiculum secretum in domo paterna Deiparæ, in quo hæc soli Deo vacabat, atque ostio clauso orabat Patrem in abscondito. Natalis Alexander Sec. I Histor. eccles. cap. 1, art. 2, locum I. II Machabæorum de virginibus, quæ conclusæ erant, explicat de puellis quæ pie educabantur, et propriis sibi cubiculis paternæ domus, sive penetralibus latebant, neque prodire foras sinebantur. De his ergo paternæ domus tectis æquum est Juvencum exponere. Vide notam ad v. 620 h. l.

91. Glossa Reg., *servare diem — Futurum nuptiarum*. Ita alii hunc locum interpretantur, præsertim Kœnigius. Quod si teneamus, matrimonium jam

Ad quam tranquillum sermonem nuntius infit :
Salve, progenie terras jutura salubri,
Desine conspectu mentem turbare verendo.
Nam tua concipient cœlesti viscera jussu
Natum, quem regnare Deus per sæcula cuncta,
79 Et propriam credi sobolem gaudetque, jubetque.
Hunc ubi sub lucem dederis, sit nomine Iesus.
Ad quem Virgo dehinc pavido sic inchoat ore :
Nullos conceptus fieri sine conjuge dicunt.
Unde igitur sobolem mihimet sperabo venire?
Nuntius hæc contra celeri sermone fatetur :
Virtus celsa Dei circumvolitabit obumbrans,
Spiritus et veniet purus, lectissima virgo,
Ac tibi mox puerum casto sermone jubebit
80 Magnificum gigni populis, quem credere sanctum
Supremique Dei natum vocitare necesse est.

LECTIONES VARIANTES.

92. Poelm. pro d. s., Ald., *nuntius infert* pro *infit*.

93. Poelm. in textu, Rom., Ottob., Fabr., *Salve, progenie terras jutura salubri*. Ald., Torn., Poelm. pro d. s., Faust., et Daventr. *Salve progeniem terris paritura salubrem*. Reg., *Salve, progenies terras jutura salubris*, ut Virgo dicatur progenies salubris. Grunerus loc. cit. ex mss. Un. *progenie terris futura salubri*, et Cant. *progenies terris futura salubris*, legit *progenie terris futura salubris*, quod merito displicet Gallandio, qui præfert *progenie terras jutura salubri :* ac revera metrum non patitur *futura*, ac *paritura* videtur glossema.

94. Torn., *conspec'a* mendose.

95. Alcuinus l. II contra Elipandum male *Non* pro *Nam*.

96. Alcuinus loc. cit., *per sæcula;* l. II contra Felicem male legit *per singula*.

97. Rom., *ut propriam*.

98. Poelm., Faust., Gall., Torn., Fabr., *Huic, ubi sub lucem dederis, sit nomen Iesus*. Un. apud Grunerum, *Huic, ubi sub luce dederis, sit nomen Iesus*. Barthii codex, Grunerus loc. cit., Alcuinus advers. Elipand., Rom., Ott., *Hunc ubi sub lucem dederis, sit nomine Iesus*. Ita Reg.; Cant., et Ald., *sed nomen Iesus*.

99. Ald., Torn., Faust., Rom., *sic incipit*. Poelm., Fabr., et alii, *sic inchoat*.

101. Rom., codex Barthii, Reg., Ottob., Gall., *mihimet;* quod magis placet, quam *mihi nunc* in Aldo, Poelm., Torn., et aliis.

102. Torn., Faust., Rom., Ald., Fabr., Poelm. pro d. s., *profatur* Reg., Ott. cum aliis, *fatetur*.

104. Codex Barthii, *Spiritus adveniet*. Rom., *Spiritus ac veniet*.

106. Plerique editi distinguunt *gigni : populis*. Ald., Rom., Faust., *gigni populis, quem ;* quod sequitur Gallandius ex IX, 6 Isaiæ, *Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis*, et Lucæ II, 11 : *Natus est vobis hodie Salvator*. Reuschius probat *gigni : populis quem*, ex Act. Apost. IV, 12.

NOTÆ.

tunc contractum fuisse, id intelligemus de die quo cæremoniæ publicæ, et solemnes matrimonii peragi debebant, vel quo Joseph in domum suam eam ducturus erat. *Servare* interdum sumitur pro observare, esse in specula, exspectare. *Dies* etiam sumitur pro tempore indefinito, ut idem sit *servare diem*, ac exspectare tempus opportunum. Igitur B. Virgo jussis parentum permissa est, nempe data, seu tradita est ; nam hanc significationem habet hoc loco verbum *permitto*, ut pubesceret virgineis tectis, et servaret diem. Sic enim procedit sensus horum versuum, non, ut exponit Wilkius, *abdita est pubescere et servare*. Innuit Juvencus, Virginem Josepho desponsam fuisse, dum adhuc SS. ejus parentes Joachim et Anna viverent. Multi tamen asserant, parentes Mariæ Virginis e vita excessisse, cum hæc annum ætatis XIV circiter ageret, ac proinde a sacerdotibus nuptui traditam fuisse Josepho. Res incerta est, neque desunt scriptores antiqui, qui affirment utrumque parentem, aut saltem S. Annam superstitem fuisse ad annum quartum vitæ Salvatoris nostri. Accipio autem vocabulum *parentum* propria significatione, non alia minus propria, quæ sequiori ævo invaluit, qua propinqui *parentes* dicuntur : de qua dixi ad Dracontium v. 556 libr. III.

92. Virgilius l. XI, vers. 242, *Ita farier infit*. Sic alii passim cum infinitivo : sed cum accusativo *sermonem infit* non facile invenies.

93. A *juvo* participium est *jutus* et *juturus* apud Tacitum, Palladium, et Columellam, qui l. X, vers. 121 ait : *Rutaque Palladiæ baccæ jutura saporem*. Alii habent *victura* pro *jutura*.

95. His versibus Juvenci contra Felicem, et Elipandum probat Alcuinus, Christum filium Dei naturalem esse, ut ostendi in Prolegom. num. 94.

98. Nomine *Iesus* trissyllabo uti solet Juvencus; atque adeo legi potest *nomen Iesus*. Verum etiam in hac scriptura *nomine Iesus* intelligo, *Iesus* esse trissyllabum, elisa ultima in *nomine*.

101. B. Virgo sibi conscia erat virginitatis, eamque Deo voverat. Hinc ait : *Mihimet sperabo*, etc., quod magis energicum est, quam *mihi nunc sperabo*. Vide vers. 292 h. l., et vers. 301 et 617 libr. II; quibus in locis vox *sibimet* occurrit.

103. Verba Lucæ sunt cap. I, vers. 35 : *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Arnulfus Lexoviensis carm. I imitatus est Juvencum, vel potius ipsius sacri codicis verba ipsa retinuit, ut observat Barthius libr. IX Advers. cap. 17, col. 449. Versus Arnulfi est : *Virgineumque uterum virtus sacra Patris obumbrans*. Hoc verbo utuntur veteres omnes versiones, et plerique Patres. Victorinus Africanus l. I adversus Arium dixit et *obumbrabit* et *inumbrabit*. Utrumque verbum bene Latinum est. Hugo Grotius putat, translationem sumptam ab avibus pullos excludentibus. Gregorius Magnus Moral. XVIII, Job. XVII : *Veluti umbram quamdam tibi circumfundet, qua te ab æstu libidinis refrigerando contutabit*. Theophylactus primum affert similitudinem avis pullos suos contegentis, sive alis obumbrantis ; tum quasi dubitans proponit comparationem pictoris primum delineantis, et umbras inducentis, et deinde perfectum colorem addentis. Maldonatus hanc similitudinem rejicit, primam sic reformat : *Melius fortasse dixisset, sicut solet avis ova sua tegere, ut ejus calore pulli gignantur, excludanturque*. Hoc adoptavit Grotius.

107. Animadvertenda est explicatio verborum Lucæ I, 35 : *Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*. Videtur Juvencus ita distinxisse *et quod nascetur ex te, sanctum vocabitur, Filius Dei*. Aperte Tertullianus libr. IV advers. Marcion. pag. 701 : *Propterea quod in te nascetur, vocabitur sanctum, Filius Dei*. Verbum *vocabitur* exponit Juvencus *vocitare necesse est*. Nam in sacris litteris *vocari* sæpe idem est, ac *esse*, Hebraico scilicet idiomate, ut Isaiæ cap. I, vers. 26 : *Posthæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis*, et hoc cap. I Lucæ vers. 32, *Filius Altissimi vocabitur*. Sic etiam Homerus Iliad. l. IV, vers. 6, verba Junonis ad Jovem refert : *Utrumque, tum quod ad genus, tum quod tua conjux — Vocor*. Videlicet, *Et soror, et conjux tua sum*. Interpretatio Juvenci hæc est : *Sermone, et virtute Spiritus sancti*

Sic cognata tibi, sterilis quæ credita cunctis,
Zachariæ conjux mortali germine nuper
Ævo defessis auxit miracula membris.
Sextus adest mensis : parent sic omnia jussis.
81 Virgo dehinc : Domino famulam nunc ecce [jubenti,
Ut tua verba sonant, cernis servire paratam.
Nuntius abscedens vacuis se condidit auris.
Illa dehinc rapidis Judæam passibus urbem,
Zachariæque domum penetrat, gravidamque [salutat,
Elisabeth : clausæ cui protinus anxia prolis
Membra uteri gremio, motu majore resultant :
Et simul exsiluit mater concussa tremore
Divinæ vocis : completa afflamine sancto,
82 Et magnum clamans : Felix o femina, [salve,
Felicem gestans uteri sinuamine fœtum.
Unde meam tanto voluit Deus æquus honore
Illustrare domum, quam mater numinis alti
Viseret! Ecce meo gaudens in viscere proles
Exsultat, Mariæ cum prima affamina sensit.

LECTIONES VARIANTES.

108. Fortasse, *Sic cognata tua sterilis.*

110. Reg., *hauxit*, quod videtur fuisse in Ottob., fortasse pro *hausit*. Sed *auxit* bonum est.

112. Nonnulli editi *nunc esse*. Fabricius cum Ald., Faust. edidit *nunc ecce*, quod confirmatum reperio in mss. Reg., Rom., et Ottobon., ubi mendum est *nunc et ecce*. Sic etiam Lucas : *Ecce ancilla Domini*, etc.

117. Ottob., *prolis*, a sec. m. *proles*, non bene.

119. Ott., Reg., Ald., Torn., Faust., *exsiluit;* alii, *exiliit.*

120. Rom., Codex Barth., Reg., *vocis completa est flamine sancto*. Ita etiam codex Un. apud Grunerum. Ex quo conjici posset *Divinæ vocis : completa et flamine sancto*, sic enim omittitur vocabulum *afflamen*, de quo dicam in nota ad vers. 126. Ott., *vocis, completa affamine*, sed videtur fuisse *afflamine*. Grunerus ex cod. D. (fort. Cant.), *completa est famine* legi vellet *affamine*, ut vers. 126, *affamina sensit*, Gallandio vitiosa hæc ejusdem vocis repetitio videtur. Plerique habent *Divinæ vocis completa afflamine sancto*. Lucas ait : *Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth. Et exclamavit voce magna, et dixit.* Hoc ergo est *afflamen sanctum*. Nam *Divinæ vocis* jungo cum *tremore*, nempe *ut audivit salutationem*, etc.

122. Rom. mendose, *uteri sinu animæ.*

NOTÆ.

puer generabitur ex te, qui erit sanctus, et Filius Dei. Nonnulli interpretes monent, *sanctum* jungendum cum verbo *nascetur*, quia ita in emendatis Bibliis interpungitur. Joannes Albertus Bengelius Gnom. novi Testament. ad h. l. cum Tertulliano, interprete Syro, et auctore sermonis contra omnes hæreses apud Athanasium in Juvenci explicationem propendet, ut *sanctum* pro parte prædicati habeatur. Mazochius t. III Spicil. ad h. loc. ita interpungendum conjiciebat, ut cap. II Lucæ vers. 23 : *Sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* Maldonatus hanc interpungendi rationem non probat, qui etiam observat, eam a Beda fuisse rejectam. Minus vero probandum est, quod ipse *sanctum* vim potius adverbii, quam nominis habere cum paucis aliis censet.

108. Cum in Vulgata Latina versione, et in Itala, et apud alios Patres legatur *cognata tua*, non ægre feram, si aliquis ita legat in Juvenco, *Sic cognata tua, sterilis quæ credita cunctis*, producta scilicet ultima in *tua* ob *st* dictionis sequentis. S. Elisabetham sororem S. Annæ matris Mariæ Virginis fuisse aliqui tradunt. Alii alio modo explicant cognationem Deiparæ cum S. Elisabetha.

109. *Mortali germine*, ut discrimen inter conceptionem Christi, et S. Joannis Baptistæ indicetur.

110. *Ævum* sumitur etiam pro senio, sive extrema senectutis parte.

111. *Parent sic omnia jussis*, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Victor. l. I Genes. vers. 73 : *Plus sit tibi credere semper — Posse Deum, quidquid fieri non posse putatur.*

113. His verbis consensus præstatur a Maria Virgine : *Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundum verbum tuum.* In veteri Itala versione : *contingat mihi secundum verbum tuum.* In Juvenco *secundum verbum tuum* ita exprimitur, *Ut tua verba sonant*, nimirum ut tua verba significant : habet enim verbum *sonare* hanc significationem. Cicero, l. III Offic., cap. 21 : *Hæc duo verba inter se discrepare, re tamen unum sonare videantur;* et lib. II. De finibus, cap. 2., al. 6 : *Non intelligere interdum, quid sonet hæc vox voluptatis.* B. Virgo Maria se Deo servire paratam ostendit eo videlicet in opere, quod Angelus explicuerat : quo consensu exhibito, illico Verbum caro factum est. Putant nonnulli, verba illa, *Fiat mihi secundum verbum tuum*, innuere desiderium in Virgine. Juvencus solum consensum agnoscit, quem plerique alii sequuntur. Perinde enim est, ac si B. Virgo diceret : *Ecce ancillam Domino me exhibeo, ut fiat mihi secundum verbum tuum.*

115. CAPUT III. *Visit Mariam Elisabeth.* Luc. I, 31-56. *Judæam urbem*, videlicet Hebronem, ut plerique volunt. Evangelista ait, *In civitatem Juda*, et in veteri Itala versione *Judæ*, vel *Judææ.*

119. Gifanius in Indice Lucretii verbo *dissilui* contendit, veteres ita sæpissime locutos *dissilui, exsilui, prosilui*, non *dissilii, exsilii, prosilii.* Forcellinus etiam in Lexico affirmat, tutius, et usitatius esse *exsilui*, quam *exsilii.* Omeisius contra asserit legendum *exsilii*, quia ponitur pro *exsilivi*, ut dicitur *audii, audivi.*

120. Similia occurrunt 150, seq., *Mox etiam assuetam penetrant spiracula mentem. — Completusque canit venturi conscia dicta :* et v. 250.

121. *Magnum* adverbii more, ut dicam ad v. 128.

122. Glossa in codice Reg. *sinuamine-gremio.* Badius exponit *complexu recurvo.* Juvencus rursus l. III, v. 56, Prudentius, et Sidonius hoc vocabulo *sinuamen* usi sunt.

123. Rursus. v. 135. *Et seclis voluit Deus æquus haberi.* Vide not. ad v. 713.

125. *Viscus* est quodcumque intestinum animalis: nominatim pro utero ponitur, præsertim in numero plurali ab Ovidio, Seneca, Ulpiano, et aliis. Ecclesia etiam canit : *Beata viscera quæ portaverunt æterni Patris Filium*, etc.

126. *Affamen* semel, et iterum ab Apuleio usurpatum lib. XI Metam. Ut igitur Juvencus *affamen, sinuamen* dicit, sic *afflamen* vers. 120 eum dixisse credendum est. Kœnigius plura similia profert, *allegamen, eructamen, frustramen, imprecamen, irrigamen, micamen, picturamen, quassamen, scrutamen, surculamen, temperamen, veteramen.* Sed multa horum ex recentioribus petita sunt, neque imitatione digna.

Felix, quæ credit finem mox affore verbis, A
Quæ Deus ad famulos ; magnum dignando, lo-
[cutus.
Illa trahens animum per gaudia mixta pudore,
83 Suppressæ vocis pavitantia dicta volutat :
Magnificas laudes animus, gratesque celebrat
Immensi Domino mundi. Vix gaudia tanta
Spiritus iste capit, quod me dignatus in altum
Erigere ex humili celsam, cunctisque beatam
84 Gentibus, et seclis voluit Deus æquus haberi.
Sustulit ecce thronum sævis, fregitque superbos,
Largifluis humiles opibus ditavit egentes.
Tunc illic mansit trinos ex ordine menses,
Ad propriamque domum repedat jam certa futuri.

LECTIONES VARIANTES.

127. Codex Un., *Felix qui credit*. Grunerus ex conjectura mallet *quæ credis* ex *Beata, quæ credidisti*. Vulgata, Poelm. pro div. script., Fabr., *quæ confisa fidem mox*. Plerique, *quæ credit finem mox affore verbis*. Fabr., *verbo* pro *verbis*, et vers. seq. *quod* pro quæ.

128. Barthius etsi legerit cum suo cod. *verbis*, nunc legit *quod*. Rejicit *locutus* pro *loquetur* in Fabricio, quia illud fidem in præterita solum declarat, hoc autem eamdem etiam in sequentia dirigit. Fabricius ex ingenio, ut arbitror, posuit *locutus* ut exprimeret verba Lucæ I, 45 : *Et beata quæ credidisti*. Cæterum in veteri editione Fausti etiam legitur *quod*, sed supra *verbis*, et mox *loquetur*. Reuschius sic legit : *Quæ Deus ad famulam, magnum dignando, loculus*, ex textu Græco : Ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ Κυρίου. Idem notaverat Omeisius. Saltem *locutus* retinendum est. Aliqui mss. Lucæ delent *illi*, aut *tibi*.

129. Codex Barth., Reg. a p. m. : *Illa trahens animo per gaudia mixta pudorem, supressæ vobis pavitantia dicta volutat*. Ita etiam Torn., ubi tamen legitur *suppresse* mendose, ut puto, pro *supressæ*. Rom. *Illa trahens animo per gaudia mixta pudore — Suppresse vocis*. Omeisius scripturam Barthii in codice Fuldensi invenit, eamque reliquis prætulit. Accedit Reuschius, qui interpretatur, pudorem ex agnitione indignitatis ortum : qui tamen indignitatis sensus gaudio admixtus erat, quod Dominus ipsam respexit. Editio Coloniensis Hadamarii anni 1537 : *Illa trahens animum per gaudia mixta pudorem— Suppresso, vocis*, quod Poelm. admisit in textu. Reg. a sec. m., et Ott. *Illa trahens animum per gaudia mixta pudore, — Suppressæ vocis :* quæ lectio mihi placet, quamvis Reuschius putet loquendi hunc modum nimium popularem esse, et Juvenco indignum; cujus dicti rationem nullam affert. Vide Virgil. l. 4, Æn. 285. Poelm. pro div. scr., Dav., Ald., Faust. *Illa trahens animum per gaudia multa pudore — Suppresso, vocis pavitantia dicta volutat*. Ita Fab., sed *mixta* pro *multa*, qua scriptura Fabricii suam longe meliorem esse ait Barthius. Ego mallem *Suppressa voce*.

131. Ott. a p. m., Reg., Rom., *animo*, quod edidit Torn. Plerique, *animus*. Faust., Rom., Ott., Reg., Ald., Poelm., pro div. s. *celebrat*. Torn. et B alii, *rependit*, quæ est glossa in Reg.

132. Codex Barth., Rom., Ott., Torn. *Immensi :* ita Reg. cum glossa, *totius*. Alii, *Immenso*. Faust. distinguit, *Immenso Domino : mundi*.

133. Poelm., pro d. scrip., *vix gaudia tota—Ipsum te caperent*, quod exstat etiam in ed. Fausti cum mendo *caperant*. Reuschius cum aliis, *vix gaudia tanta — Spiritus iste capit*, videlicet animus ; negatque, cum Un. legendum *ipse* pro *iste*. Sciendum quippe est, pronomen *iste* aliquando pro *hic* poni, ut contra *hic* pro *iste*.

136. Ald. *Abstulit :* alii, *Sustulit*. Poelm., pro d. s., *servis* pro *sævis ;* id probum est. Rom., *serus*.

137. Poelm., pro d. s., *Immensis humiles*.

138. Faust., Fabr., *ternos ex*.

139. Faust., Ottob., Reg., Poelm., pro d. script., Torn., Fabr., Rom., Ald., et alii, *repedat*, quod verius videtur, quam *remeat*, ut legitur in aliis, et in veteri etiam codice Barthii : qui fatetur quidem, C *repedare* esse verbum antiquum, et probe Latinum, sed illo tot locis ait scatere christianos scriptores, ut sæpe in illorum locis aliud legere velit.

NOTÆ.

127. Finis, ait Barthius, est propter quem datur quid : quo effato scripturam editam confirmat. Iterum Juvencus hoc l. vers. 238, *Finemque imponere verbis — Dignetur cum pace suis*.

128. *Magnum* adverbii more pro *valde*. Val. Flaccus l. I, vers. 263, *Magnumque sonantes*. Adde Plautum, Gellium, alios.

130. *Suppressæ vocis dicta* sunt verba prolata summissa voce. Quod clarius dici potuit, et ut ego conjicio, dixit Juvencus *Suppressa voce pavitantia dicta volutat*, producta ultima in *vore* ratione cæsuræ : quæ quidem ita apud antiquos insolens est, sed frequens apud poetas sequioris ævi, et frequentior appareret, si librarii audaces, ejusque consuetudinis ignari, multos versus non corrupissent. Denotatur modestia Virginis in colloquio. Cicero, pro Sylla, cap. 10 : *Qui cum suppressa voce de scelere P. Lentuli, de audacia conjuratorum omnium dixisset, tantummodo ut vos, qui ea probatis, exaudire possetis : de supplicio P. Lentuli, de carcere magna, et queribunda voce dicebat*. Vox propria poetarum est *pavitantia*, sed bonorum tamen poetarum, ut Virgilii, Lucretii, Terentii, Valerii Flacci, Senecæ Tragici.

132. *Immensi mundi*, ut in oratione Eugenii Toletani ex optimis exemplaribus, *Rex Deus, immensi quo constat machina mundi*, non, ut in aliis legitur, *Rex Deus immense, quos constat machina mundi*. Vide Prolegom. in Dracontium, n. 66, pag. 49 seq. Reuschius id confirmat, quia si mundus immensus, quantus erit ille, qui eum condidit? Prudentius, l. I contra Symm. : *Magnique immensa creaverit orbis*. Ovidius, l. II Met. v. 35 : *Ille refert : O lux immensi publica mundi*.

134. Plerique verba Deiparæ, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*, intelligunt de virtute humilitatis : Maldonatus cum Juvenco, et aliis de abjecta, vilique conditione.

136. *Fregit superbos* eleganter, ut *frangere hostes, nationes*. Cicero, I Catilin. cap. 9 : *Te ut ulla res frangat? Tu ut unquam te corrigas?* De voce *thronus* vide Comm. ad Prudentium, v. 102, Apoth.

137. *Largifluus* vox est veterum Lucretii, et Pa- D cuvii.

138. In Vulgata habemus *quasi mensibus tribus*. In multis exemplaribus veteris Italicæ deest *quasi*, ut hic apud Juvencum et S. Ambrosium, libr. II in Lucam. Sæpe apud Juvencum occurit adjectivum hoc numerale *trinus*, quod distributivum est, verum interdum ponitur extra distributionem, ut hoc, et aliis in locis a Juvenco. Idem significat, et eodem modo accipi solet *ternus* sive distributive, sive extra distributionem ; ex quo accidere solet, ut in mss. non solum Juvenci, sed etiam aliorum unum pro altero ponatur, ac discrepent inter se vetera exemplaria.

139. Fabricius in Commentar. poet. christ. ait, *repedare* esse pedibus domum remeare. Origo qui-

Jamque aderat tempus, quo jussum fundere A [fœtum
85 Elisabeth volvenda dies in luminis auras
Cogeret. Ad partus famam collecta cucurrit.
Turba propinquorum, tum gaudia mira frequen [tes
Concelebrant, nomenque jubent genitoris ha- [bere.
Abnuit hoc genitrix, sed Joannes vocitetur, Ingeminat. Placuit muti tunc jussa parentis
Consulere, scriptoque rogant edicere nomen.
Sed, proh mira fides! tabulis cum scribere ten- [tat,
86 Implicitam solvit per verba sonantia lin- [guam.
Mox etiam assuetam penetrant spiracula men- [tem,

LECTIONES VARIANTES.

140. Reg., Ott., Rom., Reuschius cum quinque codicibus, Barth., Poelm., pro div. s., *quo jussum fundere fœtum — Elisabeth volvenda dies in luminis auras—Cogeret: ad partus famam collecta.* Ita Torn., sed distinguit *Cogeret ad partus famam: collecta*, minus bene; pejus vero, quod scribit cum aliis *Elizabeth* pro *Elisabeth*, quod poscit metrum. Ald., Faust., Fabr., Poelm. in textu, Daventr., et alii, *quo sarcina deserat alvum — Elisabeth liquidas solvenda in luminis auras:—Ad partus fama tantos collecta.* Barthius, qui hanc scripturam alibi falsam judicavit, quasi errorem peperisset nomen *Elisabeth* indeclinabile positum, postea, l. LVI, cap. 17, eamdem videtur admittere: sed pro *deserat* legit *deseret* a verbo *deserare*, recludere, resignare, quod poscit solvendi verbum de altero versu sese ingerens. Idem Barthius in Fulgentio corrigit, *Descrate flosculis* pro *Reserate*, libr. I Mythol., et apud Apul., l. I Metam., nonnulli legunt *deseratus* pro *reseratus*.

143. Poelm., pro d. s., *per gaudia*. Barthii codex *frequentans* pro *frequentes*.

145. Reuschius distinguit: *Abnuit hoc genitrix; sed, Joannes vocitetur, — Ingeminat.* Alii, *sed Joannes*.

146. Ott., *ingemuit*, recte correctum per *ingemi-* B *nat*. Hadamarii Ed., Rom., Poelm., in textu, *cunctis tunc*. Plerique, *muti tunc*.

147. Reg., Ott., Poelm., pro d. script., Torn., Fabr., *Consulere, scriptoque rogant edicere nomen*, quod bonum est, producto *e* postremo in *consulere* ob duas consonantes vocis sequentis. Barthii codex, *Consulerent, scriptoque rogant*. Rom., *Consulere, et scriptoque rogant*. Ald., Faust., Poelm., pro alia scriptura, *Consulere, in scripto rogitantque edicere nomen*. Poelm., in textu, Hadamarius, *in scriptoque rogant*.

148. Barthius alicubi legit *dum* pro *cum*.

149. Mendum crediderim in Fabricio *sonentia* pro *sonantia*, quamvis *sonere* pro *sonare* dixerint veteres, ut multa similia, quæ hoc loco congerit Schoettgenius.

150. Fabr., mendose, *penetrans*. Codex Barthii, *penetrant spiracula linguam*. Torn., *essuetam*, Hadamarius, *assueta*, quod edidit etiam Westhemerus pro divers. script., Rom., *assuetam penetrant spiritalia mentem*: sed fortasse prius fuit *spiracula*, quod unice probo. Non male esset *assueta*, producta ultima ratione cæsuræ. Sed *assuetam* confirmat versus 720, l. II.

NOTÆ.

dem verbi hæc videtur esse, quasi *pedem retrahere*, C sed simpliciter ponitur pro *reverti*. Hoc verbum, a Lucilio et Pacuvio usitatum, deinde in obsoletis positum, in usum denique reduxerunt cadentis latinitatis scriptores, Juvencus, Ammianus, Damasus, alii. Vide Gellarium, Cur. Posterior., et Jo. Ludovicum de la Cerda, Advers. sacr., cap. 21, num. 6. Reversa vero est Deipara in domum suam *jam certa futuri*, non quod antea certa non esset, sed quia experientia didicit, vera esse, quæ Angelus de Elisabetha pronuntiaverat.

140. CAPUT IV. *Joannis Baptistæ nativitas*. Lucæ I, 56, 80. Phrasis *Fundere fœtum* facilitatem edendi fœtum innuit. Dracontius, l. II, v. 682, de eodem partu S. Elisabethæ: *Fundatur de ventre puer sub sorte beata.*

141. *Elisabeth* indeclinabile: scilicet volvenda dies cogeret Elisabetham fundere fœtum. *Volvenda dies* habet vim instantis temporis, ut observavit Gifanius, Ind. Lucretii, verbo *volveada*. Virgilius l. IX, D v. 6: *Turne, quod optanti Divum promittere nemo — Auderet, volvenda dies en attulit ultro*. Avitus, l. V, v. 411, al. 416: *Maxima nocturnas jam pars exegerat horas, — Et volvenda dies instabat sorte propinqua.*

142. Notandus est mos a Græcis, Latinis, et Judæis usitatus, quod propinqui convenire solebant ad visendas puerperas, et adesse, cum post octo, vel novem dies, infanti nomen imponebatur.

145. Sumit particulam *sed* ex Evangelio: *Dixit, Nequaquam, sed Joannes vocabitur.*

147. Maldonatus ad hunc Evangelistæ locum sic ait: *Juvencus scripto existimat Zachariam interrogatum.* Mens Juvenci alia mihi videtur, nimirum Zachariam nutibus rogatum, ut scripto nomen pueri ediceret.

148. Vulgata, *Et postulans pugillarem*: sic etiam Itala in plerisque ms., sed in Cantabr.: *Et cum petisset tabulam scripsit: Joannes est nomen ejus.* Ambrosius in Luc.: *Et accepit pugillares*, etc., quod magis Latinum est: nam in singulari neutrum est *pugillar*. Subaudiri autem potest *tabellam* in *pugillarem*. Nam etiam *pugillares* adjectivum est, et subauditur *tabellæ*, *codicilli*, aut aliquid simile. Prudentius, hymn. 9, Peristeph. de S. Cassiano, v. 15: *Unde pugillares soliti percurrere ceras.* Forcellinus ait: *Corripit hic Prudentius primam, malus auctor prosodiæ.* Ego vero non video, cur reprehendendus sit Prudentius, cum *pugillar* a *pugillo*, seu *pugno* dicatur, et in *pugillo* prima sit brevis. Corripuit etiam Ausonius in iambico dimetro, epigr. 146, *Bipatens pugillar expedi.* De hujusmodi tabellis cera illitis, quibus veteres scribebant, vide Comment. ad cit. hymn. S. Cassiani. Juvenci sententia ita exponenda est, ut Zacharias simul et scripserit nomen; et, recuperata facultate loquendi, illud pronuntiaverit. Hoc innuit Evangelista: *Scripsit dicens: Joannes est nomen ejus: Et mirati sunt universi.* Et videtur potior fuisse ratio, cur mirarentur, quod nomen pronuntiaverit, quam quod scripserit. Poterant enim Zacharias et Elisabeth nutu et scripto antea inter se consensisse de nomine Joannis imponendo. Equidem non satis intelligo rationem S. Ambrosii in comment. ad h. l.: *Et quidem ille mutus intimare vocabulum filii nequivit uxori: sed per prophetiam Elisabeth didicit, quod non didicerat a marito.* Ratio Ambrosii confirmari poterit, si dicatur, ita Zachariam fuisse mutum, ut non solum non loqui, et non audire, sed neque scribere quidem posset. Verum id neque ab Ambrosio exprimitur, neque, ut ego censeo, ab evangelista innuitur.

Completusque canit venturi conscia dicta : [tent A
Concelebrent cuncti laudes, gratesque frequen-
Astrorum, et terræ, pontique, hominumque pa-
[renti :
Visere quod voluit, propriamque absolvere
[plebem.
En beat antiquam gentem, cornuque salutis
Erecto, indulget Davidis origine lumen.
Hoc est, quod prisci cecinere ex ordine vates :
Hæc est illa salus, quæ nos ex hostibus atris
Eripit, ut juste justo servire queamus.
87 Et tu, parve puer, sanctus, dignusque propheta
Dicere, et Dominum mox prægrediere viando.
Illius et populum duces per lumen apertum :
Errorem per te spernent, mortisque tenebras
Abrumpent omnes, tua qui præcepta sequentur.
Exhinc secretis in vallibus abdita semper
Vita fuit puero, donec, poscentibus annis,
Vatis ad officium pleno pubesceret ævo.
Interea Mariæ sponso miracula mentem
Sollicitant, manifesta uteri quod pondera vidit :
Et secum volvit, quanam ratione propinquæ
Dedecus oppressum celet, thalamosque recuset.
88 Talia tractanti torpescunt membra sopore,

LECTIONES VARIANTES.

151. Barthii membranæ, *Completusque Dei venturo conscia dicta*, ex quo Barthius restituere vult *Dei venturi conscia dictat*. Torn., *ventura* vitiose.

152. Ott. *concelebrant* et *frequentant*, minus bene.

154. Torn., Rom., Reg., Ott., *quod* : alii, *qui*. B

160. Poelm., Rom., Ald., Fabr., *Et tu*. Reg., Ott. cum Torn., *At tu*. Versiones Vulgata, et Itala, *Et tu, puer*. Codex Cantrabr., *Et tu autem, infans*.

161. Torn., Reg., Ottobon., *Dicere, et Dominum mox prægrediere viando*. Ald. ita, sed *progrediere*. Cum Aldo facit Rom., sed mendose *progredire*. Poelm., *Diceris, Dominum mox prægrediere viando*, et pro div. s., *progrediere*. *Prægrediere* præferendum est ex verbis Lucæ I, 76 : *Præibis enim ante faciem Domini*. Et in codice Cantabr., apud Sabatierium, *Antecedes enim ante faciem Domini*. Faustus cum Aldo facit, alii cum aliis, *prægrediere*.

162. Ald., Roman., Torn. *per limen*. Plerique *per lumen*, quod ad verba Lucæ I, 79, propius accedit.

165. Plerique scribunt, *Exhinc* : Sabatierius, pro d. s., *Exin*.

168. Roman. et codex Barthii, *Mariæ sponsi*, quod tantumdem est, ut ait Barthius, cap. 5, libr. LXIX Advers.

171. Barthii codicis margini apposita erat conjectura philologi veteris *Dedecus oppressæ*, qua indicatur, S. Josephum existimasse vim illatam fuisse Virgini. In Rom., *cedet*, error, pro *celet*.

NOTÆ.

154. *Visere* et *visitare* in mysterio Incarnationis exponendo sæpe usurpatur. Confer Commentar. hymn. XI Cathem. Prudentii, v. 32 : *Dignatus orbem viseret*.

155. *Cornu salutis*, ex sacro codice. *Cornu* Hebraica phrasi potentiam et regnum significat.

156. Verba Lucæ sunt : *Et erexit cornu salutis in* C *domo David pueri sui*. Versio Itala ex ms. Colbert., *in domum*. Erigit ergo Deus potentiam et salutem, indulgetque lumen ex familia David.

161. De verbo *viare* egi in comment. ad Prudentium, præfat. 2 Apoth., vers. 15. Adde Cerdam Advers. sacr., cap. 144, n. 34.

164. *Abrumpent*, discutient, dispellent ; e tenebris emergent.

166. Trigesimo ætatis anno eos, qui ex ordine sacerdotali erant, Judæi ad officium sacerdotis admittere solebant. Numer. cap. IV, vers. 3 et 47.

167. *Pleno ævo*, plena ætate, plenis annis, ut Virgilius dixit de Lavinia, *Jam plenis nubilis annis*. Vide notata a nobis ad vers. 384, l. I Dracontii.

168. CAPUT V. *Joseph cogitat relinquere Mariam*. Matthæi I, 19-24.

169. *Onus* uteri hoc pariter modo dicunt Ovidius, Gellius, Sidonius, Avitus, Sedulius, quorum loca annotavit Oudendorpius. Ovidius, l. III Fast. vers. 42 : *Cœlesti tumidus pondere venter erat*. Consule Arntzenium, ad Sedulium, l. I, vers. 96. D

171. Glossa in codice Reg. est, *thalamos — sponsalia*. Sponsalia proprie sunt promissio et stipulatio futurarum nuptiarum. Juvenalis, sat. 6, vers. 25 : *Conventum tamen et pactum, et sponsalia nostra — Tempestate paras*. Glossa confirmari potest versu 178 : *Hæc præcepta sequens servat sponsalia pacta*. Verba Matthæi sunt : *Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam*. Pro *traducere* Græce est παραδειματίσαι, quod est ignominiæ exponere, ostendere in exemplum, infamare. *Dimittere*, quod omnes exhibent, in textu Græco est ἀπολῦσαι : quod si sermo sit de conjuge, verti posset *divortium cum ea facere*, si de sponsa, melius esset *repudiare* : nam repudiari etiam potest futurum matrimonium. In codice Cantabr., *Et nollet eam præpalare*. Hilarius, in Matth. I : *Et dictum hoc Joseph volenti eam abjicere, quia justus ipse nollet in eam lege decerni*. Augustinus, epist. 153 : *Et nollet eam divulgare*. Vigilius Taps., lib. XII de Trin. : *Et nollet eam detegere*. Secum igitur cogitabat Joseph, quanam ratione dedecus Mariæ celaret, eamque dimitteret, aut ejus conjugium abjiceret. Hæc est expositio Juvenci, qui propterea non approbat sententiam nonnullorum, qui explicant *nollet eam traducere*, hoc est, nollet eam in domum suam ducere. Barthius, libr. XXXXIV Advers. cap. 9, probat, *traducere* verbum nuptiale esse ex Prudentio Juniore Hispano puto, in Vita B. Mariæ virginis. Verum hic auctor, ut egó *traducere* dixit, ut explicaret, novam nuptam in aliam familiam transiisse, quia jam tum aliqui verba Matthæi, *Et nollet eam traducere* sic accipiebant. Alii existimant, Josephum nihil mali de B. Virgine judicasse, vel quia intellexerat, eam concepisse de Spiritu sancto, vel quia eximia Virginis sanctitate permotus omne judicium sustinuit. Ab his etiam dissentit Juvencus, qui potius cum Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, Justino, aliisque Patribus et interpretibus tenet, Josephum sibi persuasisse Mariam concepisse ex adulterio. Menochius ab opinione philologi veteris, qui in Juvenco conjiciebat *Dedecus oppressæ*, non abhorret. *Fortasse*, ait, *existimavit Joseph, Mariæ vim illatam, atque ita absque illius peccato gravidam esse*. In novo Thesauro Theologico-Philologico inserta est dissertatio Francisci Baringii *De paradigmatismo, seu repudio sponsæ adulteræ*.

172. *Divinum hoc est*, ait Barthius pag. 2778 : *Quod indicat, non somnium solum, sed ipsum etiam somnum homini immissum a Deo : quo pacto sæpius ad capienda per soporem monita, et præsagia divina hominum animi disponuntur ex sententia gentilium poetarum, ut Homerus* ἐκ Διὸς ὕπνον *appellarit*. De somniis, quæ a Deo in veteri, et novo Testamento immissa esse constat, agit Durantus in tract. De visionib, cap. 9, et Benedictus XIV, de Beatif. libr. III, cap. 51.

Audivitque Dei super horrida somnia vocem :
89 Accipe conjugium nullo cum crimine [pactæ,
Spiritus implevit sancto cui viscera fœtu.
Hanc cecinit vates venturam ex virgine prolem;
Nobiscum Deus est nomen cui. Protinus ille
90. Hæc præcepta sequens, servat sponsalia [pacta.
Sed tum forte novi capitum discussio census
Cæsaris Augusti jussis per plurima terræ

LECTIONES VARIANTES.

173. Poelm., pro d. s., Fabr., ita legunt hunc versum : *Mox stertente, Dei vox est audita monentis*, quem spurium esse recte judicat Barthius loc. cit.

174. Torn., *pactum ;* alii, *pactæ*. Poelm., pro div. s., ita legit : *Tu sponsam capias, vacat omni pactio fraude.*

175. Codex Barthii *sanctus*, quod Barthius præfert *sancto;* idque ab sciolis correctoribus positum affirmat, sed non confirmat. Favet illi, quod apud Matthæum legitur, *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est*. Hoc tamen ipsum innuit nostra scriptura verbis *sancto fœtu.*

177. Rom. et editi omnes, quos vidi, ita habent : *Nobiscum Deus est cui nomen, protinus ille.* Reg., et Ott. : *Nobiscum Deus est nomen cui protinus ille*, et a pr. m. ita videtur esse scriptum, ut intelligatur *cui* scilicet *virgini*, sed a sec. m. in Reg. addita est interpunctio *nomen cui : protinus*, cum glossa *cui — proli.*

179. Poel., Hadam., *Sed tum forte novi capitum discussio census*, quæ scriptura approbatur a Barthio ex suis membranis, et exstat in Ott., in Torn., ubi mendose *furte*, et *discussia* exaratur, et in Aldo, qui *cum* habet pro *tum*. Aldo adhæret Rom., sed ad marg. pro *capitum* corrigitur *capitur*. In Reg. non contemnenda est varietas *novo capitum discussio censu*. Fabric., Faust., *novus, capitum discussio, census*, quod exprimitur a Poelm., pro d. s., *Sed cum forte novus*, et a Barthio, libr. XI Advers. cap. 20.

180. Reg. *Cæsaris Augusti ex jussis*. Faust., Poelm. pro d. s. : *Cæsareque Augusto jussus per plurima scribi*, quod spurium videtur. Plerique *Cæsaris Augusti jussis per plurima terræ*, quæ est interpretatio verborum Lucæ II, 1 : *Ut describeretur universus orbis*. Fabricius edidit *jussu* pro *jussis*, secutusque eum est Sabatierius.

NOTÆ.

173. In scripto codice Barthii glossa hæc erat : *Horrida somnia — quod somno dubietatis premebatur :* quæ loquitur de illa suspicione, quam de vitiata conjuge habebat Joseph, adeoque ad hunc locum parum, aut nihil potius facit, ut animadvertit Barthius. Vocem *horrida* poeticam dicit idem Barthius, et ex re ipsa natam, cujus quidam velut horror ansam dederit mutationi. Juvencus iterum hoc libr. vers. 286, de Magis, *Totam mox horrida somnia noctem — Sollicitant*. Adde, horrorem de metu religioso dici, et sæpe cum veneratione conjungi. Valer. Flaccus, l. II, vers. 432 : *Threiciis arcana sacris : hic numinis ingens — Horror*. Confer Comment. ad Prudentium, l. I contra Symm. vers. 199.

174. In codice ms. Barthii glossa erat, *Posse hinc concludi inter consponsos solum, firmum tamen esse conjugium*. Nescio quo hæc pertineant, nisi fortasse innuitur, nondum fuisse matrimonium verum inter Josephum et Mariam. Plerique tamen sentiunt, cum Joseph eam animo volvebat cogitationem, ratum matrimonium jam fuisse contractum, et verba Matthæi, *Accipere conjugem tuam* interpretantur retinere, non dimittere; et quoniam animo jam cogitaverat eam dimittere, jubetur ab Angelo eam cogitationem abjicere. *Pacta* proprie erat puella, quando de nuptiis certa conditione convenerat : *sponsa*, cum solemnes stipulationes, quæ sponsalia dicebantur, accedebant. Hoc tamen discrimen a bonis scriptoribus non semper observari, demonstrat Reuschius, qui etiam tenet, *conjugium pactæ* dici pro *conjugem pactam* more Græcorum. Hieronymus hac in re dubius mihi videtur in cap. I Matthæi : *Martyr Ignatius etiam quartam addit causam, cur a desponsata conceptus sit : Ut partus, inquiens, ejus celaretur diabolo, dum eum putat, non de virgine, sed de uxore generatum.* Hic astruitur matrimonium ratum. Diabolus enim, qui non ubique præsens est, et ignorat ea quæ, ubi ipse non est, aguntur, videns, Mariam uxorem esse Josephi, putare potuit, partum non de virgine, sed de uxore generatum. Addit Hieronymus : *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Non ab alio inventa est nisi a Joseph, qui pene licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat.* Intelligo *licentia pene maritali*, quia sponsus erat, non maritus, quod clarius exprimitur verbis *futuræ uxoris*. Nondum ergo Maria uxor erat. Postea tamen subjungit : *Quomodo Joseph, cum crimen celaret uxoris, justus scribitur ! Sed hoc testimonium Mariæ est, quod Joseph sciens illius castitatem, et admirans, quod celat silentio, cujus mysterium nesciebat.* Hic simpliciter vocat *uxorem* Mariam, cum paulo ante *futuram uxorem* appellasset. Nescio vero, an probari possit, nomine *futuræ uxoris* ab Hieronymo intelligi *futuram matrem* aut *matrem familias :* Hieronymus enim in *futura uxore* rationem innuit cur Joseph omnia sciverit.

177. Matthæus, I, 23 : *Et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus*. In codice Barthii glossa erat *Homo-Deus*. Relativum *cui* in fine periodi rarum est, sed aliquando tamen usitatum, ut a Prudentio hymn. 2 Perist. v. 299 : *Gemmas corusci luminis, — Ornatur hoc templum quibus :* quo versu clauditur stropha.

178. *Sponsalia pacta :* si proprietatem verborum attendas, rursus censebis Juvencum in ea fuisse opinione, B. Virginem nondum Josepho nupsisse, cum is ejus thalamos recusare, et ab sponsalibus recedere cogitabat. Sed necesse non est, ut in Juvenco magis quam in Evangelio proprietatem verborum retineamus. Confer notam. ad vers. 174.

179. CAPUT VI. *Edictum Augusti Cæsaris.* Lucæ II, 1-7. *Novum censum* vocat Juvencus, ut explicet verba Lucæ cap. cit., v. 2 : *Hæc professio prima facta est*, etc. Ex his versibus, ut ait Barthius l. LXIX, cap. 5, clarissime docemur, et quid discussio sit in talibus scriptorum locis, et quæ illa recensio fuerit populorum sub Augusto : quali vix multis verborum periodis descripserint alii. Addit, discussionem novi census dici, quia non talis discussio census fuerat per terrarum orbem ulla temporum memoria audita. Invehitur deinde contra Georg. Fabricium, quod aut mutaverit ipse veram scripturam, aut vitiosam priscam editionem sequi voluerit. *Certe*, inquit, *suspicor, nimia licentia in auctores, quos scholæ commendabat, ipsum illusum a scholastico supercilio. Cui generi hominum parum abest, quin bonorum auctorum recensio semper aliquid superbiæ culpabilis induerit.* Catholici scriptores, qui ita de Fabricio judicarunt, auctoritate acatholici hominis Barthii facile suum judicium tueri possunt. *Discussio* autem quid sit, explicat Barthius locis citatis. Erat enim quoddam officium discussoris, nempe inspectoris, censoris, aut quæstoris ; ac proinde discussio est inspectio, censio, census, diligentior examinatio, scrutatio. Vide l. x Cod., tit. 30, leg. 1, etc. Macrobius, Symmachus, Julius Firmicus vocabulum *discussio* hac significatione usurpant.

180. *Plurima terræ*, ut *amœna locorum, aspera*

Describebatur, Syriam cum jure regebat
91 Cyrinus, proprios cui tota per oppida fines
Edebant populi, vires, nomenque, genusque.
Urbs est Judææ Bethlehem, Davida canorum
Quæ genuit, generis quæ censum jure petebat.
Edidit hic Mariam Davidis origine Joseph,
Desponsamque sibi scribens, gravidamque profes-
sus.
Hospitium amborum Bethlehem sub mœnibus urbis
92 Augusti fuerant præparva habitacula ruris.
Illic virgo novo completo in tempore fœtu.

LECTIONES VARIANTES.

181. Rom., *Syriæ hoc tum jure regebat.* Omeisius cum uno Cantabrigiensi, *Describebatur. Syriam tunc jure* : quæ lectio se Reuschio approbabat, sed propter otiosam particulæ *tunc* repetitionem edidit cum Poelm., Ald., Torn., Hadam., Fabr., *Syriæ, quam*, ut intelligatur *terræ Syriæ*. In Reg. est. *Syria*, sed videtur fuisse *Syriæ*. Ott., probe, *Describebatur, Syriam cum jure regebat* : nam *plurima terræ*, id est, loca, vel aliud simile innuunt verba Lucæ *universus orbis*. Faustus edidit, *Describebatur Syrie : quam*, ut sit *Syrie* pro *Syria*.

182. Poelm., pro div. script., *proprii*, ut intelligantur populi, quod tenent Ald., Torn. In utroque Cantabr. et Reg., *Cyrinus proprio*, minus recte, quasi *proprio jure*. Reline *proprios*, videlicet *fines*.

183. Poelm., Ald., Torn., Hadamar., Fabr., et alii, *Addebant*. Vera lectio, *Edebant*, quæ exstat in Barthii codice, et in nostro Ottob. *Edere* verbum proprium in censu, et paulo post recurrit, ubi aliqui legunt, *Obtulit hic illum*. Rom., perperam, *vires, genusque, nomenque*.

185. Ott., *quæ genuit : Mariæ quæ censum*. Reg., *quæ genuit, generis quæ censum*. Aldus, Rom., et alii, *quæ genuit, generis censum quæ*.

186. Daventr. : *Obtulit hic illum : genus hinc utrque trahebat*. Torn., Poelm., Hadamar., Fabr., *Obtulit hic illum, genus hinc quod uterque trahebat*. Ott. : *Edidit hic illam Davidis origine Joseph*. Reg. *Edidit Mariam Davidis origine Joseph* : a sec. m., *hic Mariam* cum glossa *in Bethleem*. Aldus, *Edidit hic Mariam. Davidis origine Joseph* : sed punctum post *Mariam* mendose appictum videtur. Codex Barthii ita sine puncto, cui consonat Rom., et duo Cantabr. Sabatierius ex utraque lectione duos versus effecit : *Edidit hic Mariam : Davidis origine Joseph — Obtulit hic illam, genus hinc quod uterque trahebat*, — *Desponsamque*, etc. Schœttgenius restituere volebat : *Obtulit hic illum Davidis origine Cæsar*, — *Addidit et Mariam, genus hinc quod uterque trahebat* : videlicet HIC, *Bethlehemi* ; ILLUM, *censum*. Ita vero ordinem versuum seqq. collocat : *Desponsamque* — *Illic* cum duobus seqq — *Hospitium*. — *Augusti* — *Circa*.

188. Reg., *hospitio amborum* cum cod. Barthii, et Rom. Ald., perperam, *Hospitum amborum*.

189. Editi plerique, et Rom. *perparva*. In cod. Reg. est *præparva*, idemque videtur esse in Ott. Codex Barthii, *præparva habitacula arvi* : quo postremo latere aliam vocem Barthius censet. Aliquid cogitabat de *antro*. Conjicere libet, ut morem illi geram, *Angusto fuerant præparva habitacula in antro*. Ald., *fuerat*.

190. Et seqq. Ott., Reg., Codex Barthii, et apud hunc Lugdunensis editio anni 1551, Poelm., pro d. s., Torn., *Illic virgo novo completo in tempore fœtu* — *Solvitur, et puerum veteri cunabula textu* — *Involvunt, duroque datur præsepe cubili*. In Ott., a pr. m., *cubile*, et videtur fuisse *completa*, quod clare legitur in Reg. et Rom. Ad sexti casus concursum vitandum Reuschius edidit *completa in tempora* : sed veram lectionem autumat : *Illic virgo novum completo in tempore fœtum* — *Solvitur*, per synecdochen. In Torn., et secunda scriptura Poelm., *completo in tempore*. Ald., Hadamar., Fabr., Poelm., in textu, *Illic Virgo novum completo tempore fœtum* — *Edidit, et leni pannoso tegmine motu* — *Texit, cui durum cunas præsepe ministrat*. Fabr., *fotu* pro *motu* ; Hadamar., vitiose, *complures* pro *completo*. Daventr., *cui cunas durum*. Schœttgenius : *Edidit, atque levi pannoso tegmine fotu*. Barthius totam hanc lectionem tamquam spuriam merito rejicit.

NOTÆ.

belli, infra vers. 262, *per longa viarum*, et similia. *Plurimus* cum genitivo legitur apud Silium, libr. XVI, vers. 362 : *Insignis multa cervice et plurimus idem* — *Ludentis per colla jubæ*.

183. *Edebant*, hoc est, profitebantur, promulgabant, exponebant. Est verbum forense. Ulpianus, Dig. libr. II, tit. 13, qui totus est *de edendo*, leg. 1 : *Edere est etiam copiam describendi facere, vel in libello complecti, et dare, vel dictare*. Plinius, libr. X, epist. 92 : *Cum annos ejus, et censum, sicut præceperas, ederem, admonitus sum a peritioribus*, etc. Alii *credebam*, minus bene.

184. Possis ita explicare, Bethlehem urbs Judææ est. Sed fortasse Juvencus legit, In *Bethlehem Judææ* : ita enim legitur in versione veteri ms. Cantabr., et in textu Græco. Et hanc lectionem tuetur Mazochius, t. III Spic. Bibl., ad Matth. II, 5, contra S. Hieronymum, qui errorem librariorum existimabat *Judææ* pro *Juda*, aut *Judæ*. *Davida canorum*, ut l. II, vers. 572 : *Legistis certe in templo Davida canorum*. Alii variant in quantitate syllabarum vocis *Davidis*.

187. *Desponsa* hoc loco de uxore certe dicitur. Lucas, vers. 5 : *Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*. *Profiteri* verbum censuale est.

189. De voce *habitaculum* dixi in Commentar. ad Prudentium, hymn. 10 Cathem. vers. 40. Sannazarius fortasse Juvencum imitatus est l. II de Part. Virg. : *Est specus haud ingens parvæ sub mœnibus urbis*. Juvencus opinionem eorum sequitur, qui Salvatorem in suburbiis Bethlehem natum affirmant. Innuit autem diversorium, de quo Lucas, fuisse speluncam quamdam, aut terræ foramen : ita enim alii etiam tradunt. Nonnulli docent, in ipsa urbe Bethlehem Dominum natum fuisse. Beda, cap. 8 de Locis sanctis, narrat diversorium fuisse quasi naturale semiantrum, in orientali angulo Bethlehem situm. Juvenci sententia et communior fuit inter veteres, et inter catholicos nunc satis est recepta. Nihil tamen certi ex sacris litteris eruitur, ut ejusmodi opiniones confirmentur. Vide Suarium, tom. XVII, quæst. 55, disput. 13, sect. 3, ut plures omittam ex Protestantibus, qui peculiares dissertationes *de Loco natali Jesu Christi* conscripserunt, Strauchium, Gothofredum Wegnerum, Joannem Henricum Krause, Samuelem Scherflium. Inter catholicos pro suburbio stant Tillemontius, Serryus, et alii : pro urbe Petavius, Sandinius, aliique plurimi.

190. Sacer textus : *Cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio : quia non erat eis locus in diversorio*. Videri possunt Joannis Christophori Letschii Exercitatio philologica *de Cunabulis Christi* ; Danielis Vogelii dissertatio *de Stabulo Bethlehemitico*, in quo humani generis Redemptor natus est ; Ern. Salom. Cypriani disser-

Solvitur, et puerum veteri cunabula textu
93 Involvunt, duroque datur præsepe cubili.
Circa sollicitæ pecorum custodia noctis
Pastores tenuit vigiles per pascua læta.
Ecce Dei monitu visus descendere cœlo
Nuntius, et subitus terror tremefacta pavore
Prostravit viridi pastorum corpora terræ.
94 Talis et attonitis cœlo vox missa cucurrit :
Ponite terrorem mentis : mea sumite dicta,
Pastores, quibus hæc ingentia gaudia porto.
Nam genitus puer est Davidis origine clara,
Qui populis lucem mox, lætitiamque propaget.
Hoc signum dicam, puerum quod cernere vobis
Jam licet, implentem gracili præsepia voce.
Talia dicenti junguntur millia plebis
Cœlestis, cunctique Deum laudantque, rogant-
[que,
Talis et uniti vox agminis aera complet :
Gloria supremum comitetur debita patrem,
95 In terris justos homines pax digna sequatur.

LECTIONES VARIANTES.

193. Ald., Rom. *cura sollicitæ*, ut *cura* sit in auferendi casu. Plerique *circa*. Evangelista in Itala veteri, *in illa regione*, in Vulgata *in eadem regione*. Adverbii more sæpe adhibetur *circa* sine casu. Ad clariorem syntaxin conjiciebam *Circa sollicitos pecorum*, nempe sollicitos de pecoribus. Ald., Poelm. pro d. s., Rom. *pecudum*, Torn., *pecudes* ; alii, *pecorum*.

195. Reg., Ott., Rom., Barthii membranæ, Editio Lugdunensis anni 1551, Poelm., pro d. s., Torn., Ald., *visus* ; nonnulli ed., *jussus*.

196. Ald., *et subito* ; Fabr., *ac subito* ; Torn., Poelm. in textu, *ac subitus*. Ott., Rom., *et subitus* ; Reg., *at subitus*.

198. Rom , *et attonitos*, minus bene.

201. Rom., *Jam puer est genitus D.*

202. Torn., vitiose, *propagat*.

204. Vonckius rescribere mallet *præsepia fotu*, quia *vocis* nulla mentio apud Lucam, et Juvencus exponit illa verba : *Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio.* Reponit Gallandius, explicari id posse cum Badio de infantili vagitu. Quod autem Vonckius ait, supra etiam legi *tegmine fotu*, id solum invenitur in scriptura supposititia, quam secutus est Fabricius. Vide supra vers. 191. Gracilem vocem, sive ejulatum expressit auctor antiquus Homiliæ in Occursum Domini : *Infantem ejulantem, ac vitam mundo, gaudiumque largientem.*

208. Reg., et Ott., *comitatur*, sed vers. seq., *sequatur*, quod poscere videtur *comitetur*. Rom., *comitatur*, et vers. seq., *sequetur*.

209. Ald., Rom., *sequetur* ; alii, *sequatur*.

NOTÆ.

tatio *de Fasciis Christi* ; Georgii Goetii Lucubratio *de præsepio Christi* ; Francisci Blanchinii dissertatio *de Translatione sacrorum cunabulorum, ac præsepis Domini, necnon corporis B. Hieronymi ab ecclesia Bethlehemitica ad basilicam Liberianam* , tom. III Anastasii.

191. Quod cunabula veteri textu involverint puerum, difficultatem antiquis librariis creavit, qui propterea locum hunc mutarunt. Sed advertendum est, cunabula sumi etiam pro ipso lectulo infantum, aut pro fasciis, quibus involvuntur. Plautus Amph. act. v, scen. 1, vers. 51 : *Sed puer ille, quem ego lavi, ut magnus est, et multum valet! — Neque eum quisquam colligare quivit in cunabulis :* ubi alii legunt *quivit incunabulis*, ut in Trucul. act. v, scen. 1, vers. 11 : *Nunc opus est carbonibus, fasciis, opus est pulvinis, — Cunis, incunabulis.* Ita etiam legi posset in Juvenco *veteri incunabula textu*, etc. Beda de Orthographia : *Cunabula sunt panni infantiæ, sed Joannes Constantinopolitanus episcopus scribit, Lazarum in monumento cunabulis involutum.* Ad hæc verba Cerda, Advers. cap. 121, num. 68, ait : *Tu hic rimare, quid sint.* Opinor, a nonnullis sumi *cunabula* pro quibusvis fasciis. *Veteri textu* paupertatem denotat, quam immerito nonnulli a Jesu Christi parentibus removere tentant. Juvenco accinit Sedulius l. II, vers. 57 : *Omnia qui propriis vestit nascentia donis, — Obsitus exiguis habuit velamina pannis.*

192. Cubile, seu præsepe, in quo jacuit Dominus, Juvencus vocat *durum :* quod minime evincit, non fuisse ligneum, ut contra Basnagium ostendi in Commentario ad Prudentium hymn. 9 Cathem. vers. 77, ubi ad v. 80, pag. 374, aeri incisam exhibui imaginem antiquam lignei præsepis Salvatoris, quam commendatissimus cardinalis Borgia e locupleti suo museo pro singulari studio quo sacras litteras colit, et fovet, mecum liberaliter communicaverat.

193. CAPUT VII. *Angelus nativitatem Christi pastoribus nuntiat. Luc.* II. 8-20. Syntaxis nonnihil implexa est *pecorum custodia sollicitæ noctis.* In sacro codice : *Custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Reuschius agnoscit, duos genitivos *pecorum, sollicitæ noctis* ab uno substantivo regi, ut l. III, vers. 369, *Incubuit , mentisque simul convulsa venena— Dæmonis horrendi, purgato corde, fugavit.* Omeisius sic verba ordinat : *Custodia noctis tenuit pastores pecorum*, etc.

197. *Viridi terræ*, ut vers. 194, *pascua læta.* Neque est, cur dubitet Schoettgenius, an Bethlehemitico in agro viride solum fuerit, quamvis hiberno tempore natus fuerit Salvator : cum in ea regione cœlum sit temperatum. Multo minus unum hoc verbum nos cogeret a communi sententia recedere de die, et mense natalis Domini, quamvis tot hac in re inter se discrepent sententiæ, ut, excepto Julio, nullum sciam esse mensem, qui defensorem aliquem non habeat. Eas omnes sententias expendit Trombellius in Vita Deiparæ, t. III, part. I, dissert. 18, cap. 1 seqq., apud quem plures alii videri possunt.

198. Hunc versum laudat Omeisius, similemque dicit illi Maronis libr. XI, vers. 296 : *Variusque per ora cucurrit — Ausonidum turbata fremor.* Infra, v. 396 : *Tunc vox missa Dei longum per inane cucurrit.*

200. *Portare* proprie est gestare , sed accipitur sæpe pro afferre. Ovidius, libr. III ex Ponto eleg. 4, vers. 1 : *Hæc tibi non vanam portantia verba salutem — Naso Tomitana mittit ab urbe tuus.* Terentius Andr. act. II, sc. 2, vers. 1 : *Dii boni, boni quid porto ?*

205. *Plebs cœlestis* vocantur angeli per tapinosin, quæ est rei magnæ humilis explicatio. Epithetum vero *cœlestis* facit, ut cum dignitate id dicatur. Sic *in gurgite vasto* de mari apte dixit Virgilius.

207. *Agminis* videlicet cœlestis. In Vulgata, *Multitudo militiæ cœlestis* ; in Itala versione : *Multitudo exercitus cœlestis.* Angelos dici, et esse *militiam cœli* docui in notis ad Dracontium l. II, vers. 475. Astra etiam, et sol *militia poli* vocantur ab eodem Dracontio lib. I , vers. 229, et lib. II, vers. 25 et v. 333.

209. In plerisque mss. Græci textus legitur ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, *in hominibus bona voluntas.* In non-

210. Et simul his dictis cœli secreta revisunt.
Pastores propere veniunt, puerumque jacentem
Præsepis gremio cernunt : post inde sequentes
Dispergunt late celeris vaga semina famæ.
Mirantes laudant, lætantes constupuerunt,
215. Omnia nocturnis monitis quod vera recurrant.

96 Viderat octavam lucem puer : ecce recidi
Ad morem legis, nomenque aptare necesse est :
Impositumque illi est, monitis cœlestibus olim
Quod Mariæ vox missa Deo præcepit, Iesus.

LECTIONES VARIANTES.

210. Ald., Rom., *his;* alii, *iis*. In Torn., *his doctis*, mendum puto.
212. Poelm. pro d. s., *inde sequentes*.
213. Torn., Ott., Reg., codex Barthii, *celeris;* plerique editi, *celebris*, quod in Ott. videtur fuisse a pr. m., et est in Rom. Omeisius præfert etiam *celebris*, quia vox *vaga* celeritatem jam indicat.
214. In Ottobon. prius ponitur versus seq., *Omnia*, dein hic *Mirantes*.
216. Barthii codex, *atque recidi*, quam scripturam unice probat Barthius. Plerique, *ecce recidi*, quod æque bonum est.
218. Torn., *illi*, *monitis*, sine *est*.
219. Reg., *missa a Deo*, contra metrum, immisso *a* ex aliqua glossa in textum.

NOTÆ.

nullis tamen, ut in Vulgata, et in Itala versione *hominibus bonæ voluntatis*, εὐδοκίας. Vulgatæ magno consensu accinunt Patres. Juvencus etiam *justos homines cum dicit*, intelligit *in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Menochius sic textus Latini sensum exponit : *In terra pax hominibus bonæ voluntatis divinæ, et beneplaciti divini, id est, pax hominibus quos Deus amat, et jam gratos habet, et in quibus sibi complacet*. Maldonatus idem tenuerat, qui ad prædestinatos hunc locum refert. Alii *bonæ voluntatis homines* appellant, qui bonam habeant voluntatem, et ad recipiendam pacem, quæ annuntiabatur, propensam. Wetsteniu sscripturam in mss. Græcis communem acriter defendit.

210. Vulgata, *Discesserunt ab eis angeli in cœlum*. Simili modo textus græcus. At Itala vetus in nonnullis mss. in singulari, *Discessit angelus*. *Cœli secreta;* phrasis ab aliis etiam poetis usurpata, ut dixi ad Dracontium lib. II, vers. 4, *Quæ cœli secreta tegunt*. A poetis alii id acceperunt, ut Gregorius Magnus lib. II Dialog. cap. 33, *Cœli secreta penetrare*. Apposite etiam *revisunt* dictum de angelis, qui ad locum suum, unde venerunt, redeunt. Virgilius non semel hoc verbo usus est tali significatu.

212. *Gremium* eleganter transfertur, et de rebus inanimis dicitur, ut *gremium terræ, gremium urbis, gremium Græciæ*. Silius lib. VIII, vers. 192, de flumine : *Donec arenoso (sic fama) Numicius illam — Suscepit gremio, vitreisque abscondit in antris*. In re nostra, cum sermo sit de puero, majorem venustatem habet *Præsepis gremio cernunt puerum jacentem*.

213. Juvencus vim verbi Græci complexus est : nam διεγνώρισαν ambiguum est, et significat *cognoverunt*, ac simul *nota aliis fecerunt;* quod utrumque Juvencus expressit.

214. *Constupuerunt* a *constupeo*, quod verbum, nescio, an alium auctorem habeat præter Juvencum. Et potuit quidem is dicere *lætantes obstupuerunt :* sed maluit *constupuerunt*, ut simul omnes stupuisse declararet.

215. Stupebant pastores, quod omnia monitis nocturnis responderent; vera nimirum essent ea, de quibus noctu admoniti fuerant. Hic autem stupor narrari videtur de die, aut diebus sequentibus. Cum enim pastores vidissent puerum jacentem, *post*, ut vers. 212 dicitur, *disperserunt vaga semina celeris famæ*. Inde sequitur, *Lætantes obstupuerunt, — Omnia nocturnis monitis quod vera recurrant*. Ordo idem expositus esse videtur in sacro codice, *Vera recurrant*, ut lib. II vers. 769, *Ut dictum Isaiæ merita de plebe recurrat*.

216. CAPUT VIII. *Circumcisio Domini*. Luc. II, 21.

217. Exstant peculiares Dissertationes *De circumcisione Domini* a Guil. Lysero, Antonio Bynæo, Dan. Gerdesio conscriptæ. Verba Evangelistæ non exprimunt clare, circumcisum fuisse puerum Jesum : *Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus Jesus*. Apertius circumcisio indicatur in textu Græco, ubi post *puer* est particula *et*, qua quodammodo asseritur circumcisio, et additur impositio nominis : Juvencus certe circumcisionem astruit; quæ fide divina credenda est, cum universa Ecclesia ita verba Lucæ intellexerit. Quod autem *necesse fuerit*, Christum ad morem legis circumcidi, commoda distinctione explicandum est. Christus enim præcepto circumcisionis subjectus non erat, adeoque parentes ejus non fuerunt obligati ad illum circumcidendum. Nam præterquam quod Deus erat, non fuerat ex semine virili generatus. Nihilominus Suarius tom. XVII, disp. 15, sect. 1, docet, *quamvis per se non fuerit necessarium parentibus Christi puerum circumcidere, per accidens tamen ad vitandum scandalum merito existimari potuisse necessarium*. Præterea maxime decuit, Christum circumcidi. S. Thomas part. III, quæst. 37, art. 1, theologica illa sua gravitate, et singulari ingenii perspicacia, quo res ad vivum resecare solet, septem causas distincte memorat, ob quas Christus debuit circumcidi. Id autem satis est, ut aliquo sensu necessarium fuisse dicatur, Christum ad morem legis recidi. *Aptare nomen* videtur mutuatus pseudo-Cyprianus in tractatu de cardinalibus Christi Operib., cap. de ratione circumcisionis : *Hoc cum octava die jussum sit, celebrari, et nomen circumciso aptari*, etc.

218. Impositum illi est nomen, quod vox præcepit, etc., scilicet *Jesus*.

219. *Missa Deo* pro *a Deo*, dativus pro ablativo, quod Juvenco familiare est in hujusmodi verbis passivis. De hac voce *missa a Deo* vide vers. 98. Lucas, qui historiam Magorum penitus omittit, post circumcisionem illico purificationem Mariæ enarrat. *Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est, ab angelo priusquam in utero conciperetur. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino*. At Matthæus, qui purificationem Mariæ silentio præteriit, statim post ortum Salvatoris Domini magorum adventum commemorat, et subinde fugam illius in Ægyptum. *Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis regis, ecce magi ab Oriente venerunt Jerosolymam*, etc. *Qui cum recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum*. Difficultas hæc jam diu torquet interpretes, priorne fuerit purificatio adventu magorum, an adventus magorum purificatione. Si dicamus, primus venisse magos, quam Christus in templo oblatus fuerit, non intelligitur, qui fieri potuerit, ut post adventum magorum Christus præsentatus fuerit in templo, cum et Herodes

97 Scripserat antiquæ Moses moderamina legis, A
98 Inter quæ, primos prisco de sanguine vatum,
Observare dedit, fetus offerre sacrandos,
Implumesque simul ferre ad delubra columbas.
Hæc ubi per Mariam templo servata feruntur,
Ecce senex Simeon, dignus comprendere [sensu
Cœlestes voces, cui quondam præscia rerum
Virtus prodiderat, quod carcere corporis ægri
Deposito, mortem liber, requiemque videret,
Cum primum cœli laudem, terræque salutem,
99 Omnia quem vatum spondent oracula, [Christum
Vidisset templo solemnes ferre palumbes.

LECTIONES VARIANTES.

221. Sabatierius, *Atque inter primos*, et pro d. s. *Inter quæ primos*, quod unum in mss., et editis invenio.

225. Ald., Torn., Rom., Reg., Ott., sed a sec. m., ut videtur, codex Barthii, et alii *sensu — Cœlestes voces*. Hadamar., Poelm., Fabr., *sensum — Cœlestis vocis*. Codex Barthii pro *cœlestes* scribit *cœlesteis*, ex quo fortasse natum est *cœlestis vocis*, et prius factum *sensum* ex *sensu*. Poelm. etiam pro d. s., *sensu — Cœlesteis voces*. In Ott. mendum est *dignis* pro *dignus*, uti ibi correctum apparet.

231. Reg., Rom., *palumbes*. Ott., Torn., Ald., Poelm. pro d. s., Fabr., *palumbos*. Poelm. in textu, Hadam., *columbas*.

B

NOTÆ.

illusus a magis illum quæreret ad perdendum eum, et Joseph, postquam recesserunt magi, admonitus fuerit ab angelo fugere in Ægyptum. Præterea quod Herodes jussit, occidi infantes omnes a *bimatu, et infra*, ostendit, magos non statim ac puer natus est, venisse Jerosolymam. Contra si asseramus, ante magorum adventum Christi præsentationem, et purificationem Mariæ peractam, explicandum est, qua ratione acciderit, quod magi in civitate Bethlehem infantem Jesum adoraverint. Addit enim Lucas post oblationem in templo commemoratam cap. 2, vers. 39 : *Et, ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth*. Hac difficultate non deterritus Juvencus, primum præsentationem in templo refert, tum adventum magorum. Revera cum Mariæ purificatio quadragesimo die post Jesum natum secundum legem acciderit, quod Lucas narrat, parentes Jesu in Galilæam revertisse, potest quidem id ita accipi, ut C statim reverterint, sed postea, vertente anno, eo fere tempore, quo natus fuerat Salvator, in civitatem Bethlehem redierint, ut idem narrat Lucas 41 : *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem in die solemni paschæ*. S. Epiphanius, qui l. I Hæres. 30, num. 29, affirmat, exacto biennio venisse magos ad Christum adorandum, tradit etiam, Josephum, et Mariam cum infante quotannis, vel certe primo, et secundo anno eo tempore, quo puer natus erat, Bethlehemum accessisse. Alii autem potius arbitrantur, Lucam post narratam purificationem illico retulisse, parentes Jesu cum puero in Galilæam remeasse, quia nihil de fuga in Ægyptum dicturus erat : de qua in somnis admonitus fuit Joseph post præsentationem in templo, antequam in Galilæam revertissent. Ita sentiunt Augustinus de consens. Evangelist. lib. II, cap. 5. Beda, Jansenius Gandavensis, Cajetanus, et alii plures. Etsi ergo plerique existiment, adorationem magorum aut die 13 post ortum Salvatoris, aut saltem ante quadragesimum diem D contigisse, tamen contemnenda non est ratio concordiæ a Juvenco, antiquissimo interprete, inita. Conferri in hanc rem possunt Hermanni Rombachii opus : *Primitiæ gentium, sive historia, et encomium Sanctorum trium magorum;* Petri de Marca Dissertatio *De adventu magorum ad Christum, et an reges fuerint;* Florentinii Exercitatio 3, *De Magorum ad Christum venientium historia, itinerisque tempore;* Alphonsus de Mendoza *De magorum historia;* Stephanus Salazar *De adventu magorum;* Leichnerus *De tempore magorum;* Augustinus Calmet in Dissertatione *De magis;* Balthasar Stolberg ; Daniel Roden *De iisdem magis;* Laurentius Benedictus Triebel *De Magis post Jesum in templo repræsentatum advenientibus* in novo Thesauro theologico-philologico. Peculiaris est opinio Hardulni, et Berruyerii, qui commiscuntur, oblationem Christi in templo tunc peractam, cum jam trimus esset, ea fere ætate qua Anna filium suum Samuelem ad templum adduxit. Eorum interpretationem fuse exponit, et refellit Trombellius de vita Deiparæ t. III p. I, diss. 22.

220. CAPUT IX. *Purificatio Mariæ*. Luc II, 9-39. Verior esset inscriptio *Præsentatio Christi in templo :* nam de purificatione Mariæ vix loquitur Juvencus.

221. Constructio obscura, nec satis clara sententia. Evangelista sic habet v. 23 : *Sicut scriptum est in lege Domini : quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Sensus ergo verborum Juvenci hic erui potest ; inter quæ moderamina antiquæ legis Moyses dedit, ut id observarent, quod primos fetus ii, qui sunt prisco de semine sacerdotum offerrent Deo sacrandos. Lex enim ipsa Levit. XII, 6, sic concepta est : *Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, sive pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ, sive turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet sacerdoti. Qui offeret illa coram Domino, et orabit*, etc.

222. *Observare dedit*, Græcismus, ut *Ferre sui dederat monumentum, et pignus amoris, Magnum dat ferre talentum*. Virgilius, et alii. Vide infra v. 309.

224. Quamvis nec Christus lege præsentationis in templo, neque Maria lege purificationis comprehenderetur, tamen maxime decuit, eam legem a Maria pro filio, et pro se observari, ut de circumcisione diximus ad v. 217. Agunt hac de re theologi in III part. S. Thomæ, quæst 37, art. 3 et 4.

225. *Simeon* significat *audientem, obedientem :* ad quod etymon fortasse respicit Juvencus, dum ait, eum fuisse dignum *comprendere sensu cœlestes voces*.

227. *Carcerem corporis* vocat phrasi familiari sacris et ecclesiasticis scriptoribus, de qua plura in Comment. ad Prudentium v. 44 proœmii pag. 235.

228. *Mortem videret* ex sacra pagina, *Non visurum se mortem*, quod eodem modo in textu Græco dicitur. Fortasse hæc locutio ad illam figuram pertinet, qua interdum unus sensus, vel actus ejus pro alio ponitur. Sumitur *videre* pro experiri, ut psalm. XV, vers. 10, *Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*.

229. *Cœli laudem*, nimirum quem cœli laudant.

230. Infra, v. 272, *Omnia venturum spondent quem oracula vatum*. De vaticinantibus, et vatibus id verbum *spondere* sæpe dici solet.

231. In lege scriptum erat, *Par turturum, aut duos pullos columbarum;* et paulo ante Juvencus ait *Implumesque simul ferre ad delubra columbas*. Cur ergo nunc dicit *palumbes?* Opinor, quia paupertatem

Isque ubi, curvato defessus corpore, templum
Jam gravior penetrat, monuit quod spiritus [auctor,
Ecce simul parvum gremio genitricis Iesum
100 Ad templum sensit venisse, trementibus [ulnis
Accepit puerum, lætusque hæc dicta profatur:
Nunc, nunc me famulum Dominus nunc liberet [arctis
Corporis e vinclis, finemque imponere verbis
Dignetur cum pace suis. En splendida nostros
Lux oculos tua circumstat, radiisque refulget,
Quam cunctis hominum lustratis gentibus addet
Israelitarum cumulatæ gloria plebis.
101 Quid tantum Mariæ stupuerunt pectora [matris?
Hic puer ad populi casum datur: iste renasci
Concedet populis: dicta in contraria signum

LECTIONES VARIANTES.

232. Trombellius in Vita V. Deiparæ, tom. III, dissert. 22, legit, *Ipse ubi curvato*, et pro d. s., *Isque ubi*, quod alii præferunt. Crediderim, a Juvenco scriptum *Is ubi*, producto monosyllabo *is*, ut in similibus alibi dicam. Torn., *ubi curato* perperam. Sensus enim poscit *curvato*.

233. Trombellius in Vita Deiparæ, l. c. dissert. 22, q. 7, cap. 1, legit *movit*, et pro d. s. *monvit*; probat *movit*, nempe Deus vires corpori Simeonis addidit. Lectio communis *monuit* verior etiam est. Verba Evangelistæ sunt: *Et venit in spiritu in templum*.

237. Torn., *Nunc me famulum*, repugnante metro. Grunero magis arridet lectio cod. Un., *Nunc, nunc jam famulum*. Ald., Poelm. in textu, Reg., Rom., Hadamar., *atris*. Torn., Fabr., *arctis*. In Ott. deletum est *arctis*, et factum *atris*. Magis placet *arctis*. In Rom. mendum *Deus* pro *Dominus*. Sabatierius, *liberat arctis;* sed postea v. 239, *Dignetur*. Mss. et editi exhibent *liberet*, et mox *Dignetur*. Sed verbis Lucæ magis convenit *liberat*... *Dignatur*. Versiones veteres, et Patres constanter habent, *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace*. Ambrosius tamen libr. De Josue, cap. III, legit: *Nunc, Domine, dimitte servum tuum in pace*, et ita etiam libr. II in Lucam. Alibi autem cum aliis facit.

238. In Ottob. et Reg. *vinculis* recte correctum est per *vinclis*.

240. Ald., Torn., Fabr., Reg., Poelm. pro d. s., *radiisque refulget*. Hadamar., Poelm. in textu, *radiusque refulget*. Ottob. contra rationem metri *radiisque renitet*, nisi emendes *renidet*, ut videtur factum in Rom. Kœnigius ex membranis Barthii protulit *renidet*, editum etiam a Reuschio.

241. Poelm. pro d. s., Rom., Ott. a pr. m., Torn., Ald., Fabr., *addet*. Reg., Hadam., et alii, *addit*. Ald. *mentibus* pro *gentibus*.

242. Fortasse *cumulata*, vel *cumulate*. Post hunc versum in Poelm., Ald., Torn., Fabr., Daventr., legitur hic alius, *Hinc ait: Hæc quid, virgo, tibi tam mira videntur?* qui ab aliquo sciolo intrusus est, ut cum Evangelista sermo Simeonis ad Virginem conversus ostendetur. Deest in cod. Barthii, in nostris Reg., Rom., Ott. Omissus etiam fuit in editione Reuschiana, quod typographi vitio evenisse minus recte suspicatus est Gallandius.

243. In Aldo deest hic versus: *Quid tantum Mariæ*. Barthius libr. LVIII, c. 5, ait, vulgo scriptum esse *viscera matris*: quod ego ne in Fabricio quidem invenio, cujus editionem illo loco Barthius plerumque emendat.

244. Codex Barthii, Rom., *ad casum populi datur*, quod edidit Torn. Alii, *ad populi casum*. Al., Daventr., *ad casum populis datur*.

245. Reg., *Concedet populos*, cum Torn. Plerique, *populis*. Grunerus cum codd. Angl. præfert *populos*. Torn., Ald., Fabr., Daventr., post *populos*, vel *populis*, ita legunt, *illi signum esse negabunt — Fœderis, hi contra cœlo venisse tenebunt. — Livor edax faciet, lethum ut percurrat amarum: — Atque animam*, etc. Ita etiam Poelm. pro d. s., sed cum Aldo, et Torn. legit, *Atque tuam fulgens animam, nihi*

NOTÆ.

Virginis ita magis declarare voluit. Est enim *palumbes*, vel *palumbus* columbus silvestris, in arboribus, ac sepibus nidificans. Ex Evangelio quidem non liquet, an Deipara turtures, an columbas, an palumbes obtulerit. Suarius in III part., quæst. 37, disp. 16, sect. 1: *Est autem*, inquit, *observatione dignum, cur Evangelista non definite, sed sub disjunctione eorum oblationem retulerit: lex enim sub disjunctione fuit lata, quia voluit hoc offerentium voluntati relinquere, tamen in effectu non servabatur, nisi definite alterum eorum offerendo. Cum ergo Lucas non legislatoris, sed historiographi munus exerceat, cur non definite retulit quid Virgo obtulerit? Revera nulla alia est ratio, nisi quia solum voluit significare Virginis paupertatem, quod nobis esse poterat utile. Nam quod obtulerit turturem, aut pullum columbæ, nihil ad nostram institutionem referebat.*

232. Senectus Simeonis describitur. Ex senio curvatur corpus. *Silicernium* hominem decrepitum dictum putant, quasi *silicem cernat*. Senem fuisse Simeonem ex Evangelio colligi potest, et canit Ecclesia in antiphona ad Magnificat in primis Vesperis Purificationis. In lectionibus 2 nocturni ejusdem festi ex quodam sermone, qui S. Augustini dicitur, sed nunc hujus esse non creditur, id asseritur: *In templo præsentabatur, et a Simeone sene, famoso, annoso, probato, coronato agnoscebatur*. Certius S. Augustini est sermo 20 de Tempore, ubi ait: *Simeon ille senex diu vixerat*.

233. Gremium a sinu differt, quia sinus est intra pectus, et brachia, gremium est complexus ventris et feminum, quem sedentes efficimus. Si proprietas verborum servetur, hic pro *gremio* dicendum esset *sinu*. Sed unum pro altero sæpe ponitur, quidquid contra disputet Valla Elegant. l. IV, c. 37, quem videtur sequi Badius: quamquam is interpretatur, inferiorem pueri partem in gremio foveri potuisse, dum pars superior in brachiis recubabat.

238. *Corporis e vinclis*, ut v. 227, *carcere corporis*. Vide etiam Barthium Advers. pag. 1064, ubi probat, vincula pro corporibus, seu potius vitis, ut ait, poni.

239. Evangelista ait, *in pace:* quæ formula e psalmis, aliisque sacræ Scripturæ locis petita, a Christianis semper adhibita fuit, et in elogiis sepulcralibus passim inscripta. Confer Lupium Diss. 1, De baptister., num. 138 seq.

241. *Lustratis*, purgatis, a scelere expiatis; aut illustratis. Vide v. 280.

242. De tertia syllaba in *Israelitarum* litem movet Kœnigius, quasi necessario sit longa. Sed præterquam quod nullum esset peccatum, si secunda, et tertia corripiantur, potest etiam per synæresin utraque vocalis contrahi, ut primus pes sit spondæus: quod ipse Kœnigius concedere videtur, dum ex *a*, et *e* diphthongum fieri posse animadvertit. Pari omnino modo *Israelitarum* in suis versibus hexametris dixerunt Dracontius, Fortunatus, Drepanius, et alii.

243. *Tantum*, tantopere, ut supra v. 79.

245. Verba Lucæ sunt: *Ecce positus est hic*

Istius adveniet; percurret debita letho,
102 Atque animam matris ferro fulgente [machæra;
Quo pateant tecti tenebrosa volumina cordis.
Hæc ait in Simeone Deus : mox ecce prophetæ
Femineam sancto complet spiramine mentem.
Anna fuit natu gravior, quam in flore juventæ
Destituit viduam mors immatura mariti.
Casta sed in templo semper pro conjuge vita,
103 Et cultus cessere Dei; quæ numine jussa
Cognovit Christum, et simili sermone locuta est.
Inde ubi solemnem pueri pro nomine legem
Complevit genitrix, et Joseph omnia mirans,
Ad patriam læti repedant, puerumque reportant.

LECTIONES VARIANTES.

crede, machæra, pro quo alii *Atque animam matris ferro fulgente machæra*. Codex Barthii, Poelm. in textu, Rom., Ott., Hadamar., *populis, dicta in contraria signum — Istius adveniet percurrens debita letho, — Atque animam matris ferro fulgente machæra; — Quo pateant.*, etc. Ita Reg., sed, ut dixi antea, *populos*, et mox *percurret debita*, uti etiam habet Ott. In Rom. est *animum* pro *animam*. Barthius sui codicis lectionem iis expendendam relinquit, qui optimum Christi vatem, ut ait, et antiquitati æstimabilem nova aliquando recensione exornabunt. Eamdem lectionem in editione Reuschiana minus rectam putat Gallandius. Teneo scripturam breviorem; nam alia longior videtur esse facta, ut Juvenci versus, aliquantulum obscuri, clariores reddantur.

249. Editi omnes, quos vidi, ita habent, *Hæc ait in Simeone Deus : vox ecce prophetæ*. Barthius in suo codice corruptum id reperit, *Hæc Simeon dixit mox Deus ecce prophetæ :* veram scripturam ex aliis codicibus in medium reducendam sperabat. Eam exhibent tres codices apud Reuschium, et tres nostri Rom., Reg., et Ott., *Hæc ait in Simeone Deus : mox ecce prophetæ — Femineam*, etc. Explicatur id in glossa Reg., *prophetæ — Prophetissæ Annæ :* scilicet Deus complevit femineam mentem Annæ prophetissæ. Cum non intelligerent librarii, *propheten* dici de femina, ut *sacerdotem, vatem*, et similia, versum corruperunt, posito *vox* pro *mox*.

252. Poelm. pro div. script., Ald., Daventr., *Constituit viduam*.

253. Editi, *Hinc fruitur casta charo pro conjuge vita, — Continuoque Dei cultu : quæ numine ducta — Cognovit*. Apud Reuschium nonnulli codices, ut hic innuit, et nostri Reg., Rom., Ott. ita legunt *Casta sed in templo semper pro conjuge vita, — Et cultus cessere Dei, quæ numine jussa — Cognovit*. Et glossa in Reg., « *cessere*, accessere illi feminæ; *jussa*, compulsa. »

257. Rom., *genitrix, Joseph*, deest *et*.

258. Poelm. in textu, Hadam., *redeunt;* plerique, *repedant*. Barthii codex, *repetunt :* sic cum præpositione *ad* usurpant verbum *repeto* Virgilius, Gratius, et alii. Rom., mendose, *Ad primam læti*.

NOTÆ.

in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum, cui contradicetur. His respondent versus Juvenci, *Hic puer* usque ad *adveniet*. Sequitur Lucas: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*. Vetus Italica in ms. Colbert., *Et tuam, et ipsius animam pertransiet*, etc., et in ms. Cantabr., *Et tuam ipsius autem animam*. Juvencus hæc ita reddit, *Machæra ferro fulgente percurret debita letho, atque animam matris*. Intelligo *debita letho*, vitam filii, quæ letho debita erat, ut dicitur *Debitum naturæ persolvere* : quæ est interpretatio Reuschii. Hæc autem ipsa machæra erit signum, quo demonstratur puerum hunc esse Messiam : sed nonnulli negabunt, eam machæram esse signum Messiæ. *Signum dicta in contraria* ex Græco textu petitum est, σημεῖον ἀντιλεγόμενον, nempe signum, de quo in utramque partem disceptabitur. Ita quidem idem Reuschius, suam scripturam secutus. Sed verius cum Maldonato interpretor, Christum positum esse in signum, in quod omnes fere Judæi non solum lingua, sed etiam manu tela sua conjicerent : non enim contenti sæpe blasphemasse, etiam crucifixerunt. Christus enim in passione similis scopo fuit, cui contradici, id est, de quo feriendo, configendoque certari solet. Ipsa vero passio vehementem adeo dolorem Mariæ attulit, ut tamquam gladius animam ejus pertransierit. Christo autem ita patiente, apparuit, quo quisque erga illum animo, qua fide fuerit.

247. *Machæra* in Vulgata, et veteri Itala versione dicitur gladius, a Paulino epist. 50, al. 43, *framea*, vel *gladius*, ab Augustino epist. 149, *framea*, in textu Græco ῥομφαία, *rhomphæa*. *Machæra* est gladius longus ab una parte acutus, *framea*, et *rhomphæa* hastæ genus, sed tempore Augustini *framea* etiam, et *rhompbæa* quoddam gladii genus significabant. Vide epist. Augustini 120, cap. 16, et Isidorum l. XVIII Orig., cap. 6.

248. Nota, quo pacto Juvencus interpretatur verba Evangelii, *Ut revelentur :* non enim particula *Ut* est causalis hoc in loco. *Quo pateant* idem est, ac *Tunc patebunt*. *Volumina cordis* nove fortasse dictum, sed eleganter. Volumen est, quidquid in gyrum flectitur. Translate quoque Plinius l. VII, cap. 45, *Magna sortis humanæ volumina*.

249. Cur *propheta*, vel *prophetes*, *prophetæ* de femina dici non possit, nullam idoneam rationem video. Reuschius non dubitasset nostram scripturam sequi, si hic usus vocabuli *prophetes* probatus illi fuisset. Atqui Hilarius in psalm. XIV, num. 4, aperte ait, *Anna prophetes*. Vetus Italica in ms. Cantabr. habet, *Anna prophetis;* genitivus erit *prophetis*, vel *prophetidis*. Possis ergo ita legere *mox ecce prophetis*. Sed cum auctorem Hilarium habeamus, communi voce utimur *prophetæ*, quæ per sequentem dictionem *Femineam mentem* ad feminam prophetem restringitur. Vossius l. I de Anal. c. 19, ex Æschilo profert τὰς προφήτας, ex Tertulliano *prophetes* non semel, et ex Sidonio *psaltes*.

250. Vide notam ad v. 120.

254. *Cessere*, successere, evenere, accessere, tamquam sors optima in locum conjugis. Nepos in Vita Datam. cap. 1 : *Ea, quæ prospere ei cesserunt*. Virgilius l. III Æneid. v. 333 : *Morte Neoptolemi regnorum reddita cessit — Pars Heleno*. Hujus significationis ignoratio ansam corrumpendi locum librariis dedit. *Numine jussa*, quasi Dei nutu, et voluntate jubente, ut v. 299, *Divino numine jussus*.

256. *Pueri pro nomine*, pro ipsa pueri persona, ut Apocalyps. cap. III, vers. 4. Confer, quæ hanc in rem disserui in Hymnod. Hisp. in not. ad hymnum S. Isidori pag. 275.

258. *Ad patriam*, videlicet Nazareth. Sequitur enim Lucam cap. II, vers 39 : *Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth*. Quid ergo fieri potuit, ut Bethlehemi Christus post præsentationem in templo a Magis adoratus fuerit? Pro Juvenco respondeat Epiphanius, qui, ut dixi ad v. 220, parentes Jesu cum eo Bethlehemum e Galilæa iterum venisse opinatur.

Gens est ulterior, surgenti conscia soli,
104 Astrorum solers ortusque, obitusque notare.
Hujus primores nomen tenuere Magorum.
Hinc lecti proceres Solymos per longa viarum
Deveniunt, regemque adeunt, orantque doceri,
Quæ regio imperio puerum Judæa teneret
Progenitum : sese stellæ fulgentis ab ortu
105 Admonitos venisse viam, quo supplice dextra
Exortum terris venerabile numen adorent.
Territus Herodes Solymorum culmina vatum,

LECTIONES VARIANTES.

259. Reg., Rom., Ott., Poelm. pro d. s., Torn., *Gens est ulterior, surgenti conscia soli.* Ità Aldus, sed *proxima* pro *conscia.* Fabr., Poelm. in textu, Hadam. *Gens est eoi Phœbo orio proxima regni.* Forte *surgentis conscia solis.*

261. Barthius, libr. LVII Advers. cap. 2, edidit *Quorum primores*, nescio, an casu pro *Hujus primores.*

262. Poelm. pro d. s., Ottobon., Rom., *Solymos.* Reg., *Tunc hi delecti Solymos*, et prius videtur fuisse *dilecti.* Alii, *Solymas.*

265. Hadam., Poelm. in textu *Jam genitum : et sese.* Poelm. pro d. s., Fabr. *Progenitum; et sese.* Elegantius Ald., Torn. cum Reg., et Ott. *Progenitum : sese* sine *et.* Sic etiam Rom., et Dav. Iterum v. 274. *Progigni maneat.*

266. Ott. a pr. m., *via.* Melius, *viam.* Trombellius de Vita Deip. tom. III, part. I, dissert. 23, nescio, unde edidit *venisse diem :* pro d. s. indicat *viam.*

268. Poelm. in textu, Ald., Hadam., Fabr., *Herodes vatum, legumque peritos.* Torn., Poelm. pro d. s., Reg., Rom., Ott., *Herodes Solymorum culmina vatum.*

NOTÆ.

259. CAPUT X. *Magi cum muneribus veniunt.* Matth. II, 1-12. Reuschius in hanc propendet interpretationem, quod gens illa dicatur conscia soli nascenti, quia ejus ortum callebat. Melius puto, quia veluti contermina erat soli nascenti. Oratio de Magis ex Oriente habita a Samuele Durrio, moderante Omeisio, excusa est Altfordii anno 1686. De iisdem Magis scripserunt plures auctores, quos indicavi ad v. 220. Antonius Collinus impudentissime veritatem historiæ Magorum negavit, quam in Evangelium Matthæi intrusam fuisse probare conatus est. Intolerabilis hic error, ut aliorum veterum Patrum, sic etiam auctoritate minime suspecta Juvenci refellitur. Adisis eruditam Dissertationem Liberati Fassonii *De veritate, atque divinitate historiæ Magorum, quæ est apud Matthæum. Romæ* 1758. Magos remotis Orientis paribus venisse Juvencus sentit, cum eorum gentem *ulteriorem* dicat, *nascentique soli consciam.* Paulo post v. 276, eos Persas vocat : quo nomine omnes orientales extra Romanum imperium nationes Juvenci tempore censebantur, ut existimat Barthius l. LVIII, cap. 2. At Juvencum pro veris Persis eos habuisse facile crediderim. Quin etiam Prudentium puto imitatione Juvenci sic cecinisse hymn. 12, Cath., v. 25 : *En Persici ex orbis sinu, — Sol unde sumit januam, — Cernunt periti interpretes — Regale vexillum Magi.* Confer nostrum Comment. ad hunc Prudentii locum.

260. *Solers notare.* Horatius libr. IV, od. 8, vers. 7. *Hic saxo, liquidis ille coloribus — Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.* Sic Ovidius, Silius, aliique poetæ locuti sunt. Diversarum gentium sapientes, qui sacris præerant, cæremoniasque dirigebant, et recondilis disciplinis addicti erant, Magi appellabantur. Juvencus astronomiam, et mathematicas contemplationes illis attribuit, idemque Tertullianus, S. Leo, Sicardus Cremonensis, Arnoldus Abbas Bonævallis, atque S. Thomas, cui scholastici plerique adhærent, senserunt. Prudentius Apoth. v. 617, de Magis : *Diriguit trepidans chaldæo in vertice pernox — Astrologus :* quem ad locum Weitzius profert versiculum : *Ille penes Persas magus est, qui sidera norit. Magicum* olim vocabatur, quidquid arcanum erat, et a vulgi captu remotum. Sic Lucanus, l. III Pharsaliæ, hierogiyphicas Ægyptiorum sculpturas vocat *magicas linguas :* ita enim ait v. 223 : *Et saxis tantum volucresque, feræque, — Sculptaque servabant magicas animalia linguas.*

261. Etiam id in controversiam vocatur, fuerintne reges Magi. Ita vulgo creditur : sed hæc opinio veterum certa auctoritate caret. Juvencus *Primores* illius gentis vocat, a veneratione, ait Barthius col. 2722, studiorum sapientiæ, quibus Magi erant populis orientalibus accepti. Profecto ex Juvenco potius colligitur, non fuisse reges, quam fuisse. A regibus proximam dignitatem Magos habuisse, censet Fabricius in Commentar. poetar. Christianor.

262. Innuit Juvencus, magos tamquam legatos, a suis gentibus delectos, venisse, ut Christum adorarent. Gaudentius Brixianus ad Paulum fratrem serm. 19 : *Herodes persequitur parvulum : sed stellæ obsequentis fulgor magnum declarat Deum; quem legati universarum gentium Magi suppliciter adorantes cœlesti regi debitam honorificentiam, oblatione mysticorum munerum, deferebant.* Hoc etiam obscurum est : neque enim ab universis gentibus reipsa missi sunt Magi. His tamen gentes significantur. *Per longa viarum*, ut supra v. 180, *Per plurima terræ.* Palæstinæ urbs princeps Hierusalem dicebatur etiam *Solyma, Solymorum.* Populi Palæstinæ *Solymi* appellabantur. Tacitus l. V Hist. cap. 2 : *Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ urbi Hierosolymam nomen e suo fecisse.* Hinc *Solymus* adjective. Juvenalis sat. 6, v. 543 : *Interpres legum Solymarum.*

264. Schoettgenius explicat, *Quæ Judæa*, quæ pars Judææ, *teneret puerum regio imperio :* scilicet invitis musis. Expono. *Quæ regio Judæa*, etc.

265. Oratio *de Stella Magorum duce* habita a Guilielmo Frizio, moderante Omeisio, typis edita fuit Altfordii anno 1683.

266. *Venisse viam*, ut *ire iter, vivere vitam, servire servitutem.* Cicero Philipp. II, cap. 25 : *Venisse tot dierum viam.* Revera elegantius id a Cicerone dicitur, quia additur *tot dierum*, ut elegantius dicitur *vivo vitam infelicem*, quam simpliciter *vivo vitam;* et infra Juvencus *Gaudia magna Magi gaudent*, quod venustius est, quam si dixisset *Gaudia Magi gaudent* sine ullo adjectivo, quod vicem adverbii gerat.

267. *Numen adorent.* Sic v. 277, *Monstrare colendum;* et v. 285, *Regique, hominique, Deoque — Dona dabant.* Ita Juvencus, ita alii Patres in Evangelio legunt, Christum a Magis adoratum tamquam Deum. Recte igitur impudentem temeritatem Basnagii, Clerici, et Richardi Simonis coarguunt, et refellunt Joann. Franciscus Buddeus Medit. sacr. pag. 56, Honoratus a S. Maria tom. II Animadvers. in reg. crit. l. III, dissert. 4, art. 5, et Fassonius in peculiari dissertatione *de Cultu Jesu Christo a Magis adhibito, Romæ* 1736, ut alios omittam.

268. Sacerdotes ethnicorum vates, et prophetæ dicebantur. Macrobius l. VII Saturn. c. 13 : *Adeo, inquit, Disari, verum ita ut dicis Ægyptios opinari, ut ego sacerdotes eorum, quos prophetas vocant, cum vidissem*, etc. Cum autem v. 279 dicit Juvencus *Imperio accitos*, mutat genus, quia ad sensum respicit, non ad verba. Vide Comment. ad Prud. l. II, contra Symm. v. 504, et not. ad Dracontium Eleg. v. 153.

Quique prophetarum veterum prædicta recensent
Imperio accitos jubet omnia quærere legis,
Queis pateat, quæ sint genitalia mœnia Christo;
Omnia venturum spondent quem oracula vatum.
106 Tunc manifestatur, Bethlehem quod mœ-
[nibus illum
Progigni maneat, cui sacram ducere plebem
Israelitarum sancta virtute necesse est.
Tunc jubet Herodes, Persas pertendere gres-
[sum,
Inventumque sibi puerum monstrare colendum.
Ecce iteris medio stellam præcurrere cernunt.
Sulcantem flammis auras, quæ culmine summo
Restitit, et pueri lustrata habitacula monstrat.
Gaudia magna Magi gaudent, sidusque salutant:
107 Et postquam puerum videre sub ubere
[matris,
Dejecti prono texerunt corpore terram.
Summissique simul quæsunt : tum munera
[trina,
Thus, aurum, myrrham regique, hominique,
[Deoque

LECTIONES VARIANTES.

269. Ald., cum aliis, *præsagia noscunt*. Reg., Rom., Ott. cum aliis, *prædicta recensent*.

270. Hadam., Poelm. *omnia acquirere*, quod lex metri respuit. Sabatierius pro d. s. notavit etiam *omnia acquirere*. Pro *omnia* conjici licet *omina*.

271. Ald., Torn., *quo pateat*. Fabr., *qua pateat*. Hadam., Poelm., Ott., Reg., Rom., *queis*, vel *quis pateat* cum glossa in Reg. *quibus sacerdotibus compertum sit;* sed melius intelligetur, *quibus præsagiis*, vel *prophetiis legis*.

272. Ott., mendose, *spondentque oracula*.

273. Reg., Ald., Ottob. scribunt *Bethleem;* alii, *Bethlem;* Rom., *Betheleem*.

275. Hadamar., Poelm. in textu, Fabr. *sacra:* Ott., Ald., Torn., Rom., Dav., *sancta;* Reg., *prompta virtute*.

276. Ald., Reg., Poelm. pro d. s., *Tunc jubet*. Rom., Ott., et alii, *Hinc jubet*. Mallem *Huc jubet*. Sacer textus : *Et mittens illos in Bethlehem*.

277. Poelm. pro d. s., *videndum;* plerique, *colendum*, quod ex ipso Evangelio petitum est.

278. Poelm. pro d. s., Ald., *ecce viæ*. Reg., Ott. cum aliis *ecce iteris*. In Westhemero *iterum* pro d. s. fortasse mendum est pro *iteris:* in textu habet *viæ*. In Rom. etiam est *iterum :* ibidem *percurrere* pro *præcurrere*. Sabatierius etiam edidit *percurrere :* sed Evangelio magis congruit *præcurrere*.

279. Poelm., Hadam., *auram*. Reg., Ott., Ald., et alii *auras*. Reg., et, ut videtur, Ottob., *quæ culmine*, Editi, quos vidi, *quæ in culmine*.

281. Poelm. in textu, Hadam., *magna Magis redeunt;* lege cum Rom., Reg., Ott., Ald., Torn. et aliis, *magna Magi gaudent*.

282. Reg., Ott. cum Torn., *Et postquam*. Rom. et alii, *At*.

284. Ald., Torn., Hadamar., Dav., Poelm., in textu, Fabr., *Summissique simul mox mystica munera promunt*. Poelm., pro d. s. : *Summissique simul quærunt tunc munera trina*. Ita Reg., Rom., Ott., sed *quæsunt* pro *quærunt :* in Ott. prius fuit *simulque sunt*, sed correctum fuit per *simul quæsunt*. Hæc vera scriptura videtur : ponitur *quæsunt* pro orant, ut *quæso, quæsumus, quæsit* apud Lucretium, *quæsere* apud Plautum.

285. Poelm., in textu, Hadam., Torn., Fabr. : *Aurum, thus, myrrham regique, Deoque, hominique*, quod aptius videtur Labbeo de Script. eccles., ubi agit de Juvenco, ut singula membra sibi invicem respondeant. Ald. Daventr. cum nostris Ottob., Rom., Reg., *Thus, aurum, myrrham regique, hominique, Deoque*. Ita fuit in membranis Barthii, qui libr. LVIII, cap. 2, melius versum collocandum ait, si legatur *Aurum, myrrham, thus regique, hominique, Deoque*. S. Hieronymus, qui hunc versum laudat, ita eum legit, ut in nostris codicibus exstat. Isidorus, l. I Orig. cap. 11, postrema verba sic refert : *Subjunctivæ dicuntur, quia subjunguntur, utque : dicimus enim, Regique, hominique, Deoque : non dicimus, que regi, que homini, que Deo*. Alcuinus, de divin. Offic., cap. 5 : *Hæc dona Juvencus presbyter mire* (al. *metro*) *conclusit : Aurum, thus, myrrham regique, Deoque, hominique — Dona ferunt*.

NOTÆ.

269. Cicero II de Leg. c. 8 : *Interpretari fatidicorum, et vatum effata incognita*.

270. *Omnia legis* pro *omnem legem*, vel *omnes leges*, ut v. 262, *longa viarum*, et v. 180, *plurima terræ*.

274. *Maneat*, fixum sit. Cicero non semel, *Maneat ergo, Illud maneat;* quem alii imitantur.

276. *Pertendere gressum*, ut *tendere iter, tendere cursum*.

278. *Iteris* pro *itineris*, quod usitatius est. Obliquis *iteris*, etc., usi sunt Lucretius, Propertius, Accius, Varro, Nævius, Julius Hyginus. De stella, quæ Magis apparuit, videndæ sunt Dissertationes Joannis Friderici Freuzel, Eliæ Bertrandi, et Jac. Elsneri.

279. *Sulcantem auras*, elegans metaphora. Virgilius l. II Æneid. vers. 694 seqq. : *Stella facem ducens multa cum luce cucurrit..... Tum longo limite sulcus — Dat lucem*. Similia Lucanus, Val. Flaccus, Prudentius, aliique boni poetæ habent.

280. *Lustrata*, nempe ab ipsa stella veluti illustrata. Sæpe enim verbum simplex pro composito ponitur, ut *verto* pro *everto*. Neque aliam significationem verbo *lustro* tribuo, cum ait Virgilius l. IV Æn. v. 607 : *Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras;* et l. VII, vers. 148 : *Postera cum prima lustrabat lampade terras — Orta dies*.

281. *Gaudia magna gaudent*, eleganter dictum, ut animadverti ad vers. 266. Inter epistolas familiares Ciceronis l. VIII, epist. 2, quæ Cœlii est ad Ciceronem, *Ut suum gaudium gauderemus*. Terentius Andr. scen. 5, act. V, in fine : *Nam hunc scio mea solide solum gavisurum gaudia*. Adde A. Gellium, l. IX, c. 9 : *Gaudium gaudeat genuinum et intimum*.

282. *Videre* verbum notandum. Etsi enim Vulgata habeat *invenerunt*, tamen *viderunt* reperitur in plerisque mss. Græcis apud Wetstenium, Birchium, et Matthæium. Vetustissimum exemplar Vaticanum 1209 pariter exhibet *viderunt*, uti etiam versio Latina antiqui codicis Cantabr., et Auctor Oper. imperf. in Matth.

285. Cum munera a magis oblata mystice innuant Deum, regem, hominem, minime dubium est, quin thus Deum significet, aurum regem, myrrha hominem, quocumque tandem ordine ea dona commemorentur. Eandem significationem his muneribus tribuit Prudentius in Dittochæo, neque tamen ordinem servat : *Hic pretiosa magi sub Virginis ubere Christo — Dona ferunt puero, myrrhæque, et thuris, et auri, — Miratur genitrix tot casti ventris honores, — Seque Deum genuisse, hominem, regem quoque summum*. De hac munerum oblatione plura dixi in Comment. ad Prudentium, hymn. 12 Cath. vers. 69.

Dona dabant. Totam mox horrida somnia no- [ctem
Sollicitant, sævumque jubent vitare tyrannum.
108 Denique diversis Herodis callibus aulam
Diffugiunt, patriamque magi rediere latentes.
Ipsum etiam puerum monitis cœlestibus actus
Ægyptum cum matre simul transportat Ioseph.
At ferus Herodes sibimet succedere credit,
Quem callens astris quæsisset cura magorum.
Quorum præcauto discessu sollicitatus,

Horribilem jussit Bethlehem per compita cæ- [dem,
109 Infantes mandans, teneramque sub ubere [plebem
Avelli ferro nullo sub crimine culpæ.
Hæc etiam cædes olim præscripta manebat,
Quam bonus Hieremias, divino numine jussus,
Complorat, misero sobolis pro funere matres
Horrendis graviter cœlum pulsare querelis.
Ast ubi sopitus furor est, et sæva tyranni

LECTIONES VARIANTES.

286. Ott., Reg., Poelm., pro d. s., *Dona dabant*. Fortasse *Donabant*; nam supra præcessit *munera*. Ald. cum plerisque *Dona ferunt*, uti etiam legitur apud Hieronymum et Alcuinum.

287. Rom. *Sollicitant, scevumque jubent:* ita solet scribere Rom. *scevus* pro *sævus*: et sæpe in mss. hæc vocabula sunt inter se confusa, videlicet *scævus* et *sævus*.

289. Ald., *rediere latenter*. Rom., male, *magi redire lætantes*.

293. Rom. ad marg., *Quæ* pro *Quem*.

295. Reg., Rom., Ottob.: *Horribilem jussit Bethleem per compita cædem, — Infantes mandans, teneramque sub ubere plebem — Avelli ferro nullo sub crimine culpæ*. In Rom. est *cunctos* pro *mandans*, et *evelli* pro *avelli*. In Ott. est *teneram sub*, sed addendum est *que*, ut metro consulatur. Poelm., in textu, Hadam.: *Crudeli tinxit Bethlemica compita cæde, — Infantes cunctos, teneramque sub ubere plebem — Evellit ferro nullo sub crimine culpæ*. Ald., Torn., Fabr. ita, sed *mandans, teneramque sub ubere plebem — Innocuam in sinibus rigido succumbere ferro*. Fabricius legit *teneroque*, et mox *in sinubus*. Poelm., pro d. s., conjunxit utramque lectionem *Horribilem*, etc.; *Infantes*, etc., ut in Reg.; et postea *Innocuam*, ut in Aldo.

299. Ott., Rom.; *Quam bonus Hieremias divino numine jussus*: cohæret Reg., sed scribit *Heremias*. Editi, quos videre licuit, *Nam pius hanc vates divino numine doctus:* in Torn. est *jussus* pro *doctus*. Sic vers. 348, h. l.: *Isaias vates cecinit quod numine jussus*: et vers. 254: *Numine jussa*. Hoc verbo *jussus* Juvencum delectari constat. Retineo lectionem codd. Vatt., et Rom., quam fortasse mutarunt, qui non intellexerunt recte procedere metrum cum *Jeremias*, facta synæresi in duabus primis vocalibus, ut in *Jesus* sæpe fecit Prudentius.

300. Sabatierius, *Complerat*, et pro d. s., *Complorat*, quod unum in editis et mss. reperio. Ald., Poelm., pro d. s., *miseræ*. Reg., Rom., et alii, *misero*: in Ott., fortasse a pr. m., fuit *miseræ*, aut *miseras*, a sec. m., est *misera*, quod sustineri nequit. Aldus *miseras* intelligit matres, ut ex Scriptura vers. seq. liquet.

301. Ald., Poelm., pro d. s., *Horrenda graviter pulsabunt æthera voce*. Alii, *Horrendis graviter cœlum pulsare querelis*.

302. Rom., *et scæva tyranni*.

NOTÆ.

288. *Diversis Herodis callibus aulam:* trajectio verborum non nihil implexa pro *diversis callibus aulam Herodis*. Similes locutiones non raro apud poetas occurrunt.

290. CAPUT XI. *Joseph ab Angelo in somnis admonitus cum puero et matre ejus in Ægyptum fugit, et infantes occiduntur*. Matth. II, 19. Infanticidium Herodianum, quod tamquam apocryphum, et Evangelio Matthæi assutum nonnemo impie refellebat, certa, ac divina fide credendum esse, demonstrant Joannes Fidalke, in *Historia infanticidii Herodiani*; Car. Gotlieb Hoffmann, in dissertatione, *Cur Josephus cædem infantum Bethlehemitarum tacuerit*; et Castus Innocens Ansaldi, in *Vindiciis Herodiani infanticidii*: sic enim defensionem historiæ de infanticidio Herodiano inscribere voluit.

291. *Ægyptum* pro *in Ægyptum*. Ejusmodi præpositio a poetis non raro omittitur, nonnumquam etiam ab historicis. *Transportare* communi usu de iis dicitur, quæ navi trans mare, vel flumen vehuntur. Juvencus utitur pro *porto*.

292. *Sibimet* emphasin habet, ut vers. 101: *Unde igitur sobolem mihimet sperabo venire?* Juvencus tempus mutat *succedere* pro *successurum*: quæ mutatio temporum familiaris fuit poetis christianis, et aliquando ab antiquioribus scriptoribus usitata, ut notavi ad Dracontium, libr. III, v. 376. Simili ratione cum nascente Augusto denuntiatum fuisset, regem populo Romano naturam parturire, senatus exterritus censuit, *Ne quis illo anno genitus educaretur*. Suetonius, in Augusto, cap. 94, ita refert, et addit, eos, qui gravidas uxores haberent, quo ad se quisque spem traheret, curasse, ne senatusconsultum ad ærarium deferretur.

293. Hunc versum Vigilius, l. IV, contra Eutychen, a Juvenco mutuatus est, pag. 42: *Eumdem Herodis insidiis appetitum, quem callens astris quæsivit cura magorum*, etc. *Callere* pro *perfecte scire* melius jungitur cum accusativo, quam cum ablativo. Reperitur tamen cum ablativo apud Justinum, Solinum, Valerium Maximum, Apuleium. Figurata constructio est: *cura callens magorum* pro *cura magorum callentium*. Figurate etiam ponitur *astris* pro *astronomia*.

295. *Jussit cædem*, ut *imperat tributa*. Tacitus, Annal. l. IV, c. 72: *Tributum iis Drusus jusserat*, et l. XIII, cap. 15: *Neque jubere cædem fratris palam audebat*, et in Vita Agricolæ, cap. 45: *Nero jussit scelera, non spectavit*.

296. Juvencus libenter easdem phrases repetit. Paulo ante, vers. 282: *Videre sub ubere matris*.

297. *Crimen* hic sumi potest pro causa, seu prætextu. Virgilius, l. VII, vers. 339: *Disjice compositam pacem: sere crimina belli*. Tullius etiam dixit, notante Reuschio, *Suscipere crimen culpæ*.

299. *Bonus* est probus, ac fortasse hoc loco misericors, quod indicat verbum *complorat*. Sæpe etiam *bonus* significat beneficum, facilem, clementem.

300. *Funere*, morte: quæ significatio obvia est.

301. *Pulsare* regitur a *complorat*. Videlicet plorat Jeremias, quod vox in Rama audita est, etc. Reuschius ait, subaudiendum hic esse *jubens*. Similem femineum ululatum describit ex Ennio Virgilius, libr. II Æn. vers. 486: *At domus interior gemitu, miseroque tumultu—Miscetur*. Statius, Silv. 5, 1, 22: *Injustos rabidis pulsare querelis — Cœlicolas solamen erat*. Maldonatus innuit, Juvencum respexisse ad significationem vocis *Rama, excelsum*, quasi vox usque ad cœlos pervenerit. Vide not. ad l. III, v. 142.

Infantum horribili feritas satiata cruore
Exstinxisse putat cunctos, quos primus, et alter
110 Annus lethiferi miseros oppresserat ævi :
Mirandis rursus devinctus membra sopore
Urgetur monitis Mariam, puerumque Ioseph
Ægypto ad patriam vectare, ubi Nazara felix
Olim prædictum puero dedit addere nomen.
Dixit et alterius quondam prænuntia vatis
111 Vox instincta Deo : Veniet, veniet mea [proles
Ægypto ex alta terris lumenque, salusque.
Crescebat rapidis annorum gressibus infans,
Occurrens ævum sapientia præveniebat ;
Gratiaque in vultu, et verbis veneranda micabat.
Et jam bissenos ævi comprenderat annos,
Cum paschæ ritum servare ex more parentes
Ad templum læti puerum perducere festis
Omnibus annorum vicibus de more solebant.
Ergo aderant paschæ pariter, cunctisque diebus
Festorum impletis patriam remeare parabant.

LECTIONES VARIANTES.

303. Ald., Poelm., pro d. s., *roseo* : plerique *horribili*.

304. Reuschius edidit *unus, et alter*, quod ipse, Kœnigius et Schœttgenius explicant de binario, quamvis lis sit inter philologos, num hac locutione binarius, an ternarius numerus explicetur. Nostri codd. habent *primus, et alter*, cum aliis editis, ut l. 4, v. 236 : *Tum primus, et alter*.

305. Poelm., in textu. Hadam., Fabr., *misere suppresserat*. Ald., Ott., Rom., *miseros oppresserat*. Torn., *miseros suppresserat*. Reg., *miserandus presserat*. Fortasse præstabit legere *lethiferi miserandos presserat*.

306. Poelm., Hadam., *rursum*. Reg., Rom., Ott. cum aliis, *rursus*. Reuschius, pro d. s., *devictus*, quod non censet absurdum, ut apud Ovidium, l. I Metam. vers. 684, de Mercurio, *Servantia lumina* (Argi) *tentat vincere*, et v. 685 : *Pugnat molles evincere somnos*.

307. Reg., Rom., *Urgetur monitis Mariam, puerumque Joseph* : ita etiam Ott., sed mendose *quæ* pro *que*. Forte legendum *puerumque Josephus*, aut hiatus admittendus est in *puerumque Joseph*, neglecta synalœpha : quem Reuschius putat de industria a Juvenco admissum. Editi : *Joseph urgetur monitis Mariam. puerumque*.

308. Poelm., mendose, *victare*.

309. Ald., Torn., Poelmann., pro d. s., Fabr., *prædictum*, quod exstat etiam in Reg., et Ott., et significat *prænuntiatum nomen : Quoniam Nazaræus vocabitur*. Hadam., Poelm., in textu, *prædicto*, minus bene. In Rom. mendum est *puro* pro *puero*.

311. Ald., Poelm., pro. d. s., *instructa* pro *instincta* : quod postremum longe melius est. Rom., corrupte, *Mox instincta*.

314. Rom., *Procurrens* : Ald., Fabric., *Præcurrens* : alii, *Occurrens*. In Aldo et Rom. mendum est *proveniebat*.

315. Poelm., pro. d. s., *Omniaque in vultu et verbis veneranda micabant*.

316. Ald., Torn., Reg., Ottob., Rom., *Et jam*. Alii, *At jam*.

317. Ald., Torn., Rom., *servando* pro *servare*, quem græcismum infinitivi pro gerundio vocat Reuschius.

318. Ald., Ott., *læti* : alii, *lætis*.

NOTÆ.

305. *Lethiferum ævum* vocat ætatem infantium, quia Herodes jusserat occidi omnes *a bimatu, et infra*.

306. CAPUT XII. *Joseph in somnis monitus puerum, et matrem ejus in patriam reducit*. Matthæi II, 19-23.

307. *Urgeo* cum infinitivo : de quo videsis not. ad Dracontium, l. III, v. 446.

308. *Ægypto* sine præpositione *ex*, ut in re simili dixi supra ad vers. 308. *Nazara*, seu Nazareth felix, ut iterum l. II, vers. 106, quia ibi habitavit Jesus, nomenque Nazaræi illi dedit, sive potius addidit.

309. *Dedit addere* simili syntaxi, ac supra, v. 222: *Observare dedit*.

310. Conjungit Juvencus duas has prædictiones, quæ seorsum ab Evangelista memorantur ; nempe vers. 15, cap. 2, ait Matthæus, *Ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum* : quod ex Osea XI, 1, petitum est. Rursus Matthæus, II, 23 : *Ut adimpleretur quod dictum est per prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur*. Evangelista numerum multitudinis pro singulari usurpat, ut Juvencus cum aliis interpretibus exponit. Intelligitur autem Isaias, XI, 1, ut multi volunt. Fortasse Juvencus exemplar Matthæi vidit, in quo scriptum esset *per prophetam* : nam versio vetus in mss. Colb., et Corb. et textus Græcus in ms. 1, Bodl., in singulari exhibent *per prophetam*.

311. *Instincta*, verbum ab optimis scriptoribus usitatum, et sæpe adhibitum, cum sermo est de afflatu divino, qui etiam instinctus divinus a Cicerone dicitur. *Instincta Deo* pro *a Deo*, ut supra, vers. 219 : *Vox missa Deo*.

312. *Ægypto ex alta*. Fortasse innuit Ægyptum superiorem, nimirum Thebaidem, quo Dominum confugisse multorum, etiam veterum, est opinio. Vel Ægyptum vocat altam, h. e. profundam, sive inferiorem Judæa, ex phrasi sacra Scripturæ *descendere in Ægyptum : ascendere ex Ægypto*.

315. Hi tres versus desumpti sunt ex Luc. II, 40. Juvencus ita narrationem disponit. Ex Luca accipit, et continenter narrat nativitatem Christi, circumcisionem, et præsentationem in templo usque ad v. 39 cap. II : *Et, ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam*. Tum interserit magorum adventum, et adorationem, infanticidium Herodianum, fugam in Ægyptum, ac regressum in civitatem Nazareth ex Matthæo. Subinde ex Lucæ cit. v. 40 c. II, pergit narrare res gestas in pueritia Jesu.

316. CAPUT XIII. *Jesus quæsitus a parentibus invenitur in medio doctorum disputans*. Lucæ II, 42—51.

317. *Cum*, et postea *ferebant* in indicativo, quia mentio temporis præcessit. Vide not., ad l. II, v. 6.

319. *Omnibus annorum vicibus*, nempe *per omnes annos*, ut ait Evangelista. *Vices* sæpe significant vicissitudinem, alternationem. Plinius, l. XII, c. 14 : *Per vices annorum*, quod exponitur *alternis annis*. Interdum tamen *vices* denotant tempora, quibus aliquid fit. Horatius, libr. IV, od. 14, v. 13 : *Dejecit acer plus vice simplici*. Columella, l. III, cap. ult., *Annua vice*, scilicet omnibus annis. Non omnino certum est, Christum per singulos annos Jerusalem ascendisse. Sed id ab Evangelista quodammodo indicatur, atque ita etiam sentit Beda cum Juvenco.

321. *Patriam* pro *in patriam*, ut observatum fuit ad v. 291. Virgilius, l. XI, v. 793 : *Patriam remeabo inglorius urbem*. Statius, l. III, silv. ult., v. 12. *Anne quod Euboicos fessus remeare penates—Auguror?*

112 Cum puer in populo comitis vestigia matris
Deseruit, templique libens secreta petivit.
Illum per vicos urbis, perque abdita tecta,
Perque iteris stratas, per notos, perque propin-
[quos
Quærebat genitrix : sed lux ubi tertia venit,
113 Ad templum propere remeat ; vatumque
[choreis
Invenit insertum, legumque obscura senili
Tractantem cœtu. Vix admiratio digna
De pueri verbis senibus fuit. At pia mater,
Nate, ait, amissum lacrymis te quæro profusis
Anxia cum genitore gemens : quæ causa paren-
[tum
Secernit gressu, templique in sede retentat ?
Ille autem : Quid me tantum, quid quæritis?
[inquit.
An nondum sentis, genitrix, quod jure paternis
Sedibus, et domibus natum inhabitare necesse
[est?

LECTIONES VARIANTES.

322. Poelm., pro d. s., Reg., Ott., Rom., *Cum puer*. Ald., et alii, *Dum puer*.

324. Reg., *per vicos, urbes*, et glossa, *et urbes*. Ott., Ald., Torn., Rom., *per vicos urbis, perque*. Poelm., Fabr., *per vicos, urbisque per abdita*. Hadam. contra metrum, *per vicos urbisque perque abdita tecta*.

325. Ald. *perque viæ :* lege *perque iteris* cum plerisque. In Westhemero, *perque itineris* ad marg. mendum est, aut glossa. Sabatierius ex ingenio, ut puto, *Perque vias stratas :* quod necessarium non est; nam vers. 350 idem sine *vias* legit *stratas*.

327. Fabr., Poelm., pro d. s., *vatumque coronæ*, quod præferunt Kœnigius et Schœttgenius, quia *corona* cœtum denotat.

331. Westhemerus, pro div. script., *te quæso*, quod antiquum verbum est pro *quæro*, ut dictum ad v. 284.

333. Torn. *secrevit*, quod invenio in Reg. cum glossa *separavit :* sed fortasse fuit a pr. m. *secernit*, quod habent Ott., Rom., et alii.

336. Ald., Torn., Hadam., Dav., et alii, *Sedibus, et domibus natum est habitare necesse*. Reg., et Ott. veteres mss. cum recentiori codice Romani collegii: *Sedibus, et domibus natum inhabitare necesse est*. Ita edidit Fabricius, nisi quod initio legit *ædibus, atque domo*. Melius est *Sedibus*, nam templum sedes Do-
B mini appellatur, et paulo ante dicitur *templique in sede*. Idem Fabricius, in indice, sive commentario, verbo *inhabitare*, notat, primam apud Juvencum esse longam, uti apud Fortunatum, de gaudiis vitæ æternæ : *Virgineam gaudens inhabitare domum*. Barthius, libr. XXI, cap. 17, similibus exemplis Ausonii, Althelmi, Jonæ Aurelii ostendit, apud scriptores, præsertim cadentis latinitatis *h* in versibus valuisse litteram, ac juvisse, ut syllaba produceretur : laudatque hunc ipsum Juvenci versum. Becmanus, cap. 4, Manuduct. in ling. Lat., probat, immerito *h* eximi e sensu litterarum, cum ob alias rationes, tum quia sæpe positionem efficit, ut apud Virgilium, eclog. 6, vers. 53 : *Ille latus niveum molli fultus hyacintho*.

NOTÆ.

322. *In populo*, in multitudine, in turba. Hanc
C enim significationem habet etiam *populus*, ut ostendi ad Prudent. hymn. XI Peristeph. vers. 5. Omeisius minus apte hæc verba *in populo* refert ad Evangelistæ verba *in comitatu*. Schoettgenius Juvencum redarguit, quod statuat, Christum jam fuisse in via, et deinde reversum esse Hierosolymam : quod cum Evangelista pugnat, quippe qui diserte asserit, Christum statim in templo mansisse. At vere Juvenco cum Evangelista optime convenire, perlectis Evangelii verbis, aperte convincitur. Sic ait Lucas II, 43 seq. : *Consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. Existimantes autem, illum esse in comitatu, venerunt iter diei*. Juvencus ait, quod *puer comitis vestigia matris deseruit, templique libens secreta petivit*. Id fieri potuit, sive puer in templo deseruerit vestigia matris, ac secretiora templi loca petiverit, sive extra templum in urbe a matre recesserit, ac sese in templum receperit : quod postremum Evan-
D gelista et Juvencus innuunt. Falsum enim est, ex Evangelio constare, puerum statim in templo mansisse. Quod autem ait Juvencus, puerum vestigia matris deseruisse, fortasse denotare vult singulârem pueri amorem erga matrem, cujus vestigia numquam alias deserebat. Narrant Judæi, hunc olim morem fuisse, ut seorsum viri, ac seorsum feminæ iter facerent, cum Hierosolymam peterent, aut inde reverterentur. Pueri, ut credere par est, matribus adhærebant. Puer Jesus, cum jam esset annorum duodecim, vestigia matris deseruit, ut templum peteret. Mater, ut videtur, existimabat, hoc illum fecisse, ut se viris adjungeret.

325. *Strata*, *stratæ* pro via, ex quo Itali, Hispanique vocant *strada*, *estrada*. Antiquiores Latini dicebant *strata via :* Virgilius, poetice, l. I, vers. 426 : *Strata viarum*, ut *Opaca locorum*. Sequioris ævi scriptores passim eo vocabulo *strata*, *stratæ* utebantur, ut Eutropius, imperatores Honorius et Theodosius in cod. Theod., Victor Vitensis, Alcuinus, et alii. Confer Cellarium, de barbar. Cur post., et Ducangium.

326. Verbum Evangelistæ *Requirebant eum inter cognatos et notos*, majorem animi attentionem innuit, quam simplex verbum *quærebat*. Addit tamen Juvencus, ut diligentiam, et sedulitatem significet, *Perque iteris stratas*.

327. *Chorea* hoc loco significat *chorum*, a quo dicitur *chorea*, nempe cœtum, seu comitatum. Si legas *vatumque coronæ*, explicare poteris Evangelistæ verbis, *In medio doctorum*.

328. *Legum obscura*, vide vers. 180.

329. *Tractantem*, verbum ecclesiasticum. Vide comm. Prud. 13 Perist. 101.

330. Fabricius in Commentar. poet. christ. accipit adjective *senibus*, et interpretatur *verbis homini seni convenientibus*. Nihil ineptius dici potuit. Sensus verus est : Vix senes satis digne admirabantur verba pueri. Evangelista ait : *Stupebant autem omnes, qui eum audiebant*, etc.

332. S. Joseph, ut pater putatus Jesu Christi dicitur, ita genitor putatus a Juvenco dicitur. Non tamen facile hæc appellatio extra metrum usurpari debet : nam S. Joseph pater etiam aliis rationibus dici potuit, at genitor solum, quia ita vulgo putabatur. Adisis Suarium tom. XVII, part. II, de Incarnat. quæst. 29, disp. 8, sect. 1.

333. *Retentare* verbum frequentativum a *retineo* eadem fere significatione a multis bonis scriptoribus usurpatum. Alio sensu *retentare* est iterum tentare.

334. *Tantum*, tantopere, ut supra v. 79.

336. Verba Vulgatæ sunt, *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse ?* Consentit Italica in plerisque codicibus : sed in Corbeiens., *quia in Patris mei oportet me esse?* Tertullianus, libr. contra Prax., *quod in Patris mei me esse oportet?* Ambrosius, *quia in propria Patris mei oportet me esse?* S. Leo Magnus, epist. 16, in quodam cod.

114 Hæc ait, et gressum sociat, patriamque A [revisit:
Nec genitrix tanti persensit pondera verbi,
Ordine cuncta tamen cordis secreta reservant.
At puer obsequiis apte prædulcibus ambos
Ad proprium semper cogens nectebat amorem.
Interea veteris scripti per debita currens
Omnia seclorum series promissa trahebat.
115 Zachariæ soboles desertis vallibus omnes
Ad deponendas maculas clamore vocabat,
Fluminis ut liquidi caperent miranda lavacra,
Queis animæ species abluta sorde niteret,
Isaias vates ecccinit quod numine jussus :
Vox late resonat desertis vallibus; amplas
Instruite stratas, omnis sit recta viarum
Semita, quæ Domini digne vestigia gestet.
Subsident colles, vallis complebitur omnis :
Corriget anfractus iteris bona linea recti,
Corporeisque oculis lumen tractare serenum
116 Omnibus indulget Genitor, Dominusque [salutis.
Ergo aderant populi, passimque hinc inde ruentes
Complebant ripas, avidique lavacra petebant.
Texta camelorum fuerant velamina setis,

LECTIONES VARIANTES.

339. Daventr. *reservant* : plerique *reservat*. Vix dubito, quin legendum sit *reservant*, ut intelligatur, B arcana cordis reservasse cuncta verba, quæ Virgo audierat. *Mentis secreta*, et *cordis secreta* non semel occurrit apud Juvencum. In codice quidem Vat., Reg., videtur quoddam signum supra *reservat*, ex quo colligi possit alia scriptura *reservant*. Conjiciat aliquis *secreto corde reservat* : sed id a codicum verbis nimium discrepat. Omeisius tamen in cod. Un. invenit *corde secreto reservat*, vacillante metro. Idem conjiciebat *cuncta intra cordis secreta reservat*. Westhemerus in textu edidit *reservant*, ad marginem *reservat*.

341. Poelm., pro d. s., *vectabat*. Westhemerus ad marg., *vectebat*, in textu *nectebat*, cum aliis, quod melius est. Hadamar., mendose, *semperque cogens*. Rom., *nectabat* pro *nectebat*, aut *vectabat*.

344. Nonnulli interpungunt *Zachariæ soboles, desertis vallibus, omnes* : quod sustineri nequit. Clamabat enim Joannes in ipsis desertis vallibus, seu locis.

347. Reg. : *Queis animæ virtus*. In Torn. men-B dum est *specie*.

348. Alii, *Esaias*, alii *Isaias* scribunt.

350. Placet lectio codd. Vatt., Reg., et Ott. cum Rom : *Instruite stratas*. Melius sane est *instruere stratas*, nimirum construere, ornare, parare, quam *sternere stratas*. In editis solum invenio *Sternite jam stratas*, quod a librariis factum videtur, quod putarent, metrum non procedere cum *Instruite stratas*. Verum exploratum est, ultimam in *instruite* produci posse, et ex quorumdam sententia debere ob *st* dictionis sequentis. Ex ejus rei ignoratione nonnulli versus in Prudentio corrupti fuerant. Vide quæ notata a me sunt in Prolegom. ad Prudent., pag. 186 et seq.

351. Ald., Poelm., prod. d. s., *quæ Domini plantis calcanda beatis*. Reg., Rom., Ottob. cum plerisque, *quæ Domini digne vestigia gestet*.

355. Reg., Rom., Ott., Torn., *iteris*. Alii cum Aldo, *callis*.

354. Rom., corrupte, *tractate sereniter*.

NOTÆ.

Attreb. S. Vedasti : *Nescitis, quod in domo Patris mei oportet me esse? Significans, ejus se esse filium, cujus esset et templum*. Armeni etiam, Syri et Persæ legunt, *In domo Patris mei*. Neque alium sensum habent verba textus Græci ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου, ut idoneis exemplis confirmat Lamyus, in Harmon., ad hunc locum. Videndus etiam Spencerus, de leg. hebr. Rit. pag. 1186. Plerique interpretes ita exponunt : Nesciebatis, me in his negotiis esse oportere, quæ mihi a Patre commissa sunt? A quibus ultro dissentio, ut Juvenci interpretationem sequar.

338. *Pondera verbi*, ut apud Ciceronem, II de Orat. cap. 17 : *Omnium sententiarum gravitate, omnium verborum ponderibus est utendum*. Hoc sensu Horatius, in Art. poet. vers. 319 : *Fabula nullius veneris, sine pondere et arte*.

340. *Prædulcibus;* hoc vocabulo Lucretius, Virgilius, aliique optimi scriptores usi sunt.

341. *Ad proprium cogens amorem*, impellebat, ut eum amarent : nam *cogere* pro compellere, vim afferre ad aliquid faciendum poni solet. *Nectebat* habere potest significationem, quam ex Barthio explicui ad v. 42. Videtur idem accusativus cum præpositione *ad* regi a verbo *nectebat*, et participio præsenti *cogens*. Vide lect. var., ad vers. 304 l. III.

342. CAPUT XIV. *Baptisma Joannis in Jordane, et victus, habitusque ejusdem. Item Christus baptizatur, cœlum aperitur, vox Patris auditur*. Matth. III, 1 seqq.; Marc. I, 1 sqq.; Luc. III, 1 sqq,; Joann. I, 19 sqq.

343. Ordo verborum hic est : Interea series seclorum, currens per debita, trahebat omnia promissa veteris scripti. *Per debita currens*, explens, quæ in lege veteri prædicta erant, sive debito tempore ap-C propinquans. *Veteris scripti*, videlicet veteris Testamenti.

344. Matth. III : *Venit Joannes prædicans in deserto Judææ*. Marc. I : *Fuit Joannes in deserto baptizans et prædicans*. Juvencus poetarum more sine præpositione *in* usurpat *desertis vallibus* pro *in desertis vallibus*. Rursus v. 349 : *Vox late resonat desertis vallibus*.

346. De nomine *lavacrum*, quo baptismus solet appellari, egregie disserit Antonius Maria Lupius, in dissertatione italica *de sacris baptisteriis*, quam absolvit, eruditisque notis ornavit v. c. Franciscus Antonius Zacharias.

347. *Species animæ*, pulchritudo.

348. *Numine jussus*, ut v. 299.

354. Lucæ, III, 6 : *Et videbit omnis caro salutare Dei*. Phrasis notanda est *oculis tractare lumen* pro *videre*, aut *lumen accipere*. Pertinet *tractare* ad sensum attrectandi. Cicero, V Tuscul. c. 38 : *Ea quæ gustamus, olfacimus, tractamus, audimus, in ea* D *ipsa, ubi sentimus, parte versantur*. Sæpe autem unus sensus pro alio ponitur.

356. *Passimque hinc inde* : hoc exemplo, ait Reuschius, augeri potest Index λέξεων ἰσοδυναμουσῶν, quem Vechnerus exhibet, Hellenolex. I, 6, pag. 91 seqq. *Ruere* interdum accipitur pro *ardenter ac festinanter ire*. Cicero, ad Attic. l. VII, ep. 19, al. 20 : *At illum ruere nuntiant, et jam jamque adesse*. Poetis id familiare est. Post. v. 363 : *Irruere ad fluvium*.

358. Matthæus, loc. cit. : *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum*. Id nonnulli ita explicant, ut pellem cameli pro veste habuerit Joannes. Verior est interpretatio Juvenci, qui ves-

Et zonæ pelles medium cinxere prophetam,
Arvis qui solitus ruralibus esse locustas,
117 Et tenuem victum præbent silvestria mella.
Isque ubi tot populos diversis sedibus ortos
Irruere ad fluvium cernit, sic increpat ore :
Vipereæ gentis soboles, quis debita vobis
Supplicia, urgentesque iras evadere monstrat ?
Sed facite, o miseri, fructum, si pœnitet, aptum,
Nec generis vestri tollat fiducia mentes.

A

Nam facile e saxis etiam pro nomine plebes
Succedent vestro, soboles, quia degener errat.
Proxima roboreis jam jam radicibus instat
Cunctorum ante oculos, aciesque levata securis.
Cædentur silvæ steriles, ignemque fovebunt.
118 Nunc ego præteritas maculas in flumine puro
Abluere institui : veniet sed fortior alter,
Cujus vincla pedum non sum contingere dignus.

LECTIONES VARIANTES.

359. Reg., *pelles* : in Ott., *pellis*, sed a veteri manu factum *pelles*. Sic *zonæ* erit casus gignendi in numero singulari. Alii : *Et zonæ pellis*. Evangelista Matthæus ait : *Et zonam pelliceam circa lumbos suos*.

360. Reg., Daventr., Ott., Rom., Ald. *Edere locustas solitus ruralibus arvis* : sed in Ott. versus ita a manu eadem veteri in fine paginæ ascribitur; nam suo loco omnino deest. In eodem Ott. *hedere* ponitur pro *edere*. Torn., Hadam., Poelm., Fabr., et alii, *Arvis qui solitus ruralibus esse locustas* : quæ scriptura verior mihi videtur; nam prima in *edere* pro *comedere* corripienda esset, et Latini pro *comedere* dicebant *esse*, non *edere*. Fortasse quia prima in *locusta* brevis a plerisque creditur, nonnulli substituerunt *Edere locustas*, etc. Verum etsi apud veteres Latinos *Locusta*, nomen feminæ, occurrat, prima producta, non tamen facile ostendes, primam in *locusta* insecto, necessario esse protrahendam. Eam corripuit Prudentius, in Dittoch. v. 117. Confer commentarium meum in eum locum. Potest nihilominus sustineri lectio codicum mss. auctoritate Rustici Helpidii in Histor. vet. et nov. Testam. v. 17 : *Discus habet, quæ cuncta jubet Pater edere Petrum*.

361. Torn., Fabr., Poelm., pro d. s., *victum silvestria mandere mella*. Reg., Ott., Rom. cum Ald. et aliis, *victum præbent silvestria mella*. Conjici potest, *Cui tenuem* pro *Et tenuem*.

362. Ald., *Usque ubi tot populos* minus bene. Fortasse Juvencus scripsit *Is ubi*. Vide var. lect. ad v. 232.

363. Rom., *sic incipit ore*.

367. In Ott., pro d. s., videtur esse *vestras tollat*.

368. Reg., Ott., Torn., Poelm., pro d. s., *Nam facile e saxis etiam pro nomine plebes — Succedent vestro, soboles quia degener errat*. In Reg. scribitur *sobolis*, et in Ott. *plebis*, sed id factum *plebes*. Aldus cum aliis : *Nam potis est dura superum rex cote creare—Progeniem, quando soboles sua degener errat*, quam lectionem præferebat Schœttgenius, quia proxime ad verba Evangelistæ accedit, dissentiente Reuschio, cui ethnicismus videtur phrasis *Superum rex*, in Juvenco non ferendus. Sabatierius edidit, *rex caute*, et, pro d. s., *degener erat* : id cum metro non stat.

371. Torn., Poelm., in textu, Hadam., *aciesque levata*. Ald., Westh., in textu, Fabr., Poelm., pro d. s., *acies sublata*. Reg., Ott., Rom., *acies levata*, resistente metro, ut in Daventr. *aciesque elevata*. In Reg. est glossa *subrecta* pro *levata*. Fortasse prius fuit *subrecta*, cujus glossa fuerit *levata* : nam id verbum glossam sapit, quæ postea in textum commigrarit. Conjici potest *acies elata*, vel *Cunctorum ante oculos, faciesque levata securis*.

372. Reg., Ott., Rom., *cæduntur* : lege *cædentur*, nam sequitur *fovebunt*: Vulgata, *Excidetur, et in ignem mittetur*. Codex Cantabr. et Sangerm. 1, et Lucifer Calaritanus, l. II pro S. Athanasio : *Excinditur et in ignem mittitur*.

374. Torn., corrupte, *instituti*.

NOTÆ.

tem Joannis pilis camelorum contextam repræsentat. Ita etiam Hilarius, in Matth. : *Pilis camelorum vestis adtexta*. Et Paulinus, in carm. VI de S. Joanne Baptista : *Vestis erat curvi setis contexta cameli*, al. *conserta*. Conferri possunt dissertationes, sive exercitationes Balthasaris Holberg *de amictu et victu Joannis Baptistæ*; Conradi Oldii *de domicilio, victu et amictu ejusdem*, Friderici Spanhemii, de eodem argumento; Salomonis Deylingi, *de Joannis Baptistæ natalibus, educatione*, etc.; Pauli Rabe, *de victu et vestitu ejusdem*. Vilem fuisse amictum, victumque contra nonnullos tenendum est.

360. Rursus, v. 578, occurrit *ruralis*. Hoc vocabulo utuntur Macrobius, Nemesianus, Ammianus, Julius Firmicus, et ex fide quorumdam exemplarium Cæsar, l. III B. Gall. c. 14, apud quem plerique non *ruralium*, sed *muralium* legunt. In codice Reg. glossa est *locustas—ozillas, vel aves parvas;* fortasse legendum *acridas* ex verbo Græco, quo locustæ significantur. De hujusmodi locustis et melle silvestri, quibus Joannes vescebatur, legesis Comment. nostr. in Prudentium hymn. 7 Perist. v. 69.

366. *Facite fructum* ; hebraismum hunc esse ait Schœttgenius, ut cap. I Genes. 11. Ejusmodi opera pœnitentiæ distinctius enumerantur a Paulo Ephes. v, 9 : *Fructus enim lucis*, etc.

367. Virgilius, Æn. lib. I, v. 136 : *Tantane vos generis tenuit fiducia vestri ?*

370. *Roboreis*, species arboris pro genere. Evangelista ait: *Jam enim securis ad radicem arborum posita est*.

373. Maldonatus objicientes, Prudentium, et Juvencum baptismum Joannis Baptismo Christi videri æquiparasse, sic refellit : *Possem respondere, non subtiliter, sed poetice locutos. Sed non opus est poesi sententiam excusare, cum possimus in bonam partem interpretari. Multi enim veteres auctores eodem modo loculi sunt... Dicunt enim, baptismum Joannis datum fuisse in pœnitentiam, in remissionem peccatorum, Luc.* III, *non quod per illum peccata remitterentur, sed quod ad pœnitentiam excitaret*. Adisis comment. ad Prudentium, hymn. 7 Cathem. v. 76.

375. Sic exponit verba Evangelistarum. Matth. ait : *Cujus non sum dignus calceamenta portare*. Marcus : *Cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus*. Lucas : *Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus*. Balduinus, de Calceo antiquo, c. 11, probat, vincula a poetis pro quovis calceo usurpari, sed præcipue pro soleis. Calcei Hebræorum plantas pedum solum tegebant, teretibus habenis, seu corrigiis supra colligati : atque adeo similes erant soleis Romanorum. Figuram ejusmodi calceorum Lamyus exhibet in Harm. Evang. ad hunc locum. Prudentius, hymn. 5 Cathem. v. 35, de Moyse ita habet : *Jussus nexa pedum solvere vincula*. Arator, l. II, v. 81 : *Quæ ligat excelsas humilis corrigia plantas*. Cicero vocat *corrigias calceamenti*, Petronius *calceamentorum vincula*. Erat autem famulorum munus non solum vincula calceorum sol-

Abluet ille homines sancto in spiramine mergens,
Flammarumque globis purgabit noxia corda.
119 Illius et manibus ruralis pala tenetur.
Et propria ipsius purgabitur area frugum,
Horreaque implebit secreti copia farris,
Æternusque leves paleas populabitur ignis.
Hæc ait, et properis per silvam passibus ipsum
Cernit Jordanis veneranda lavacra petentem.
Sed vetat increpitans vates, et talia fatur :
Tune meis manibus dignaris mergier undis,
Cum tua me melius possint purgare lavacra?
Dixit Joannes, cui talia reddit Iesus.
Nunc sine : nam decet hoc : sic sancta per omnia nobis
Justitiæ consectandus complebitur ordo.
120 Hæc memorans, vitreas penetrabat fluminis undas.
Gentì manifesta dei præsentia claret.

LECTIONES VARIANTES.

376. Reg., Rom., cum editis, *sancto spiramine*. Ott., *sancto inspiramine*, ex quo ita lego *sancto in spiramine*. Matth. III, 11 : *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni*. Ita etiam Versiones veteres. S. Ambrosius sæpe *in Spiritu*, sed in libr. de Spiritu sancto sine præpositione *Baptizabit Spiritu ;* et eodem modo Vigilius Tapsensis, l. II de Trin. His confirmari potest lectio vulgata Juvenci.

382. Ald., Rom., *propere;* alii, *properis*,

383. Poelm. pro d. s., *Cernit Joannes*.

385. Hadamar., Torn., Fabr., Poelm., *dignoris*. Reg., Rom., Ott. cum Aldo, *dignaris*.

386. Sabatierius edidit *mundare*, et pro d. s. *purgare*, quod plures alii præferunt.

387. Rom., *reddidit Iesus*, quod non videtur ex usu Juvenci. Prudentius quidem ita sæpe *Jesus* extulit, ut ex primis duabus vocalibus una fieret per synæresin.

390. Codex Helmst., *penetrabat flumen in undas :* quæ, ait Reuschius, mira est emphasis, qua illa quorundam interpretum observatio innuitur, seipsum flumini immersisse : neutiquam vero a Joanne fuisse submersum. Sed obstat supra v. 385.

NOTÆ.

vere, sed etiam eos portare, quo domini jussissent, ut in conviviis, aut aliis in locis diverso calceorum genere uterentur. Et erat id quidem vilissimum ministerium, ut videri potest apud Joann. Christophorum Wolfium, Cur. Philolog. ad N.T., aliosque ibi citatos. Aliquando etiam domini propter locum sacrum calceos deponebant, quos interea portare famulus jubebatur : vel certe cum dominus loca sacra ingrederetur, famulus calceamentorum ligulas solvebat, easque servabat. Apud Hebræos discipuli magistris suis, et inferiores dignitate superioribus honoris causa detrahere calceos solebant, uti primi Christiani episcopis, et adhuc subdiaconus episcopo celebranti. In Smyrnæorum epistola, de S. Polycarpi passione : *Calceos etiam sibi ipsi detrahere tentabat : quod quidem antea minime consueverat, quippe cum singuli fidelium quotidie inter se ambitiose certarent, quisnam prior corporis ipsius cutem contingeret.* Huic consuetudini osculum pedum Romani Pontificis successisse conjicitur. Præter scriptores *de calceo antiquo*, Balduinum et Bynæum, legi potest dissertatio Joannis Adami Kœnigii, *de ritu portandi calceos*.

378. *Pala* est instrumentum ferreum, quo terra versatur, et egeritur, sed ligone latius, et planius. Hujus instrumenti imitatione erant aliæ palæ ligneæ, quas Cato De re rustica cap. 11 memorat; quæ ad ventilandum in area frumentum utiles erant. Tertullianus de Præscript. cap. 5 : *Palam in manu portat ad purgandam aream suam*. Isidorus libr. XX Orig. cap. 14 : *Pala, quæ ventilabrum vulgo dicitur, a ventilandis paleis nominata*. Apud Tertullianum nonnulli mss. habent *ventilabrum*, sed *palam* præfert Pamelius ex libro ejusdem Tertulliani de Fuga in persecut., ac præterea ex Cypriano et Hieronymo.

380. *Secreti*, separati a paleis. Etiam pro eximio, selecto adhibetur *secretus* a Quintiliano l. IX, c. 3.

381. *Populor* de igne consumente satis frequenter usurpatur, ut a Floro l. II, c. 2, Ovidio II Metam. v. 319. Adde Senecam Tragicum, Virgilium et alios.

383. Juvencus, et alii producunt *a* in *Jordanis*. Tertullianus l. III contra Marcion. corripit : *Jordane percusso pedibus via facta regressus*. Baptismus Joannis vocatur *lavacra veneranda*, ut v. 346, *miranda lavacra*.

384. *Increpitans*, clamans, dictitans, intonans; est enim ejusdem fere significationis, atque *increpo*, quod pro *dictito* usurpatur a Propertio libr. III, eleg. 8, v. 9 : *Alcyonum positis requiescant ora querelis : — Increpet absumptum nec sua mater Itys*. Juvencus infra v. 456. *Nuntiat*, *increpitans præconia larga salutis*.

388. Verba Matthæi sunt : *Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam*. Reuschius dubitat, num Juvencus sacramenta intellexerit : sed mallet, ad omnia legis præcepta eum respexisse.

390. Epitheton *vitreus* pro pellucido sæpe aquis tribuitur a poetis.

391. Glossa Reg., *Surgenti — elevanti caput Christo*. Tria distincte affirmat Juvencus, manifestam Dei præsentiam claruisse, cœlos apertos fuisse, et Spiritum sanctum corporali specie sicut columbam descendisse. Videtur ergo aliquid in Evangeliis legisse, quod nunc non exstat. Matthæus hæc refert : *Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se*. Marcus vero : *Et baptizatus est a Joanne in Jordane. Et statim ascendens de aqua, vidit cœlos apertos, et Spiritum tamquam columbam descendentem, et manentem in ipso*. Lucas autem : *Et Jesu baptizato, et orante, apertum est cœlum. Et descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum*. Juvencus igitur fortasse nactus fuit codicem Evangelii S. Matthæi similem Sangermanensi 1 apud Sabatierium et Martianæum : *Et cum baptizaretur Jesus, lumen magnum fulgebat de aqua : ita ut timerent omnes, qui congregati erant*. Iis concinit codex Evangeliorum manu, ut creditur, S. Eusebii Vercellensis exaratus col. 2 : *Et cum baptizaretur, lumen ingens circumfulsit de aqua ita ut timerent omnes, qui advenerant*. Manifesta præsentia Dei, quæ claruit, et lumen magnum fulgens de aqua non multum inter se differunt, vel unum, idemque sunt. Videndus est ad hunc locum Millius in Prolegom. ad novum Testamentum græcum num. 766, pag. 73, ubi de Juvenco agit, et Grotius ad h. l., qui in Liturgia Syrorum idem narrari observat, Joannes Andreas Iricius in præfat., et not. ad codicem Vercellensem, et in primis Justinus Martyr Dialog. cum Tryph. § 88. Fabricius Cod. apocryph. novi Testam. p. 347, t. I, cum Dodwello negat, Justinum ex Evangelio Ebionitarum suam narrationem accepisse. Est enim paululum diversa, et ex alia traditione videtur desumpta. Non autem repugnabo, siquis ita Juvencum exponat, ut hic versus sit veluti explicatio sequentis, quo magis ad verbum textus evangelicus

Scinditur auricolor cœli septemplicis æthra,
121 Corporeamque gerens speciem descendit [ab alto
Spiritus, aeream simulans ex nube colum [bam,
Et sancto flatu corpus perfudit Iesu.
Tum vox missa Dei longum per inane cucurrit,
Ablutumque undis Christum, flatuque per- [unctum.
Alloquitur : Te, nate, hodie per gaudia testor
122 Ex me progenitum; placet hæc mihi [gloria prolis.

LECTIONES VARIANTES.

392. Poelm. mendose *auriculor*. Ald., Poelm. pro d. s., *septemplicis æthera cœli*. Alii, *cœli septemplicis ethra*, sed in Reg. *æther* pro *æthra*.

394. Reg., Torn., *aeream simulans*. Ald., Rom. et alii, *aeream similans*; in Ott. a sec. manu veteri, *ætheream simulans*. Magis placet *simulans*, quam *similans*. Infra occurrit *simulatio* eodem sensu libr. II, v. 548. Vide etiam l. III, vers. 266. Reuschius veram hanc lectionem putat, sed alteram *similans* castiorem, et reverentiorem. Sed verior præferenda est.

395. Rom., *perfundit*. Alii, *perfudit*.

396. Legerem, si haberem exemplar ms., quod sequerer, *vox missa Deo*. Supra v. 219. *Quod Mariæ vox missa Deo præcepit;* et v. 311, *vox instincta Deo*.

397. Poelmann. pro d. s., *ambitumque undis*.

NOTÆ.

exprimitur : *Et ecce aperti sunt ei cœli*, quod Suarius in III part., quæst. 39, disp. 27, sect. 1, exponit de mutatione aliqua in aere supra Salvatorem facta, atque omnibus, qui præsentes aderant, manifesta. Quod enim Vulgata habet *aperti sunt ei*, ex textu Græco verti posset *aperti sunt supra eum*, et in multis mss. veteris versionis simpliciter dicitur *aperti sunt cœli* sine *ei*. Schoettgenius putat, Juvencum manifesta hac præsentia respexisse ad antiquam traditionem, quam etiamnum servant imagines, Deum nempe Patrem una cum S. Spiritu se conspiciendum præbuisse. Ait enim, Dei præsentiam visam, postquam Salvator ex aquis ascendit.

392. Cœlum septemplex cur a veteribus dictum fuerit, explicui in not. ad Dracont. l. I, vers. 5, et in Comment. ad Prudent. hymn. 7 Cath. vers. 56 : *Non ante cœli principem septemplicis*. Non reperio scriptorem Juvenco antiquiorem, qui verbo *auricolor* usus fuerit : sed recte illud formatum est, et ex analogia, ut *versicolor*, *unicolor*.

394. S. Thomas, quem multi scholastici sequuntur, III, p. quæst. 39, art. 7, docet columbam, in qua Spiritus sanctus apparuit, fuisse verum animal. Ambrosius id aperte negat l. I de Sacram. cap. 5 : *Non columba descendit, sed quasi columba. Christus carnem suscepit, non sicut carnem, sed carnis veritatem. Spiritus autem sanctus in specie columbæ, non in veritate columbæ.* Hanc interpretationem magis probat Suarius ad loc. cit. S. Thomæ disp. 27, sect. 2, quam secutus etiam fuerat S. Thomas in I, d. 16, a. 3, q. unica, et multi interpretes amplectuntur. Præivit Juvencus, *eleganter admodum, ac graphice hanc apparitionem Spiritus sancti depingens*, ut ait Aug. Varenus in Dissert. *De Columba super caput Christi descendente.*

395. *Corpus perfudit Iesu*, quia descendit super ipsum, et mansit in ipso.

396. *Inane* pro aere. Vide not. ad Dracont. l. I, vers. 152.

397. *Flatuque perunctum*, ut supra *flatu corpus perfudit*. Hieronymus in Evangelio, quod sermone Hebræo conscriptum legebant Nazaræi, hæc reperit, in Isaiam cap. XI. tom. III : *Factum est autem, cum ascendisset Dominus de aqua, descendit fons omnis Spiritus sancti, et requievit super eum.*. Hilarius ad hunc locum Matthæi sic habet : *Ordo etiam in eo arcani cœlestis exprimitur : nam baptizato eo, resera is cœlorum aditibus, Spiritus sanctus emittitur, et specie columbæ visibilis agnoscitur, et istiusmodi paternæ pietatis unctione perfunditur : vox deinde de cœlis ita oquitur.*

398. Quærat aliquis, undenam Juvencus id sumpserit : *Te, nate, hodie per gaudia testor — Ex me progenitum*. Nam Matthæus solum habet : *Et ecce vox de cœlis dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Marcus : *Et vox facta est in cœlis : Tu es Filius meus dilectus, in te complacui*. Lucas : *Et vox de cœlo facta est : Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi*. Huic quæstioni respondetur, in Itala veteri versione ms. Cantabrig. hanc lectionem exhiberi apud Lucam : *Factum est autem, cum baptizatus esset omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, aperiri cœlum, et descendere Spiritum sanctum corporali figura quasi columbam in eum : et vocem de cœlo factam : Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Respondet his textus Græcus in eodem codice. Cohæret codex Colbert. *Et vox de cœlo facta est : Filius meus es tu, ego hodie genui te.* In codice Vercellensi post verbum *complacui* in Matthæo aliquid vetustate consumptum est, quod ad hanc ipsam scripturam pertinuisse non immerito conjicit Iricius. Ita etiam legerat Hilarius libr. VIII de Trinit. num. 25, et rursus lib. XI, num. 18. *Ascendente eo de Jordane, vox Dei Patris audita est : Filius meus es tu, ego hodie genui te, ut per hoc testimonium sanctificatæ in eo carnis unctio spiritalis virtutis cognosceretur;* et in psalm. II, num. 29, et in Comment. ad Matthæi cap. II. Concinit Justinus Martyr dial. contra Tryph. : *Postquam namque Christus ex amne Jordane ascendit, voce de eo edita, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Eamdem scripturam agnovit Lactantius l. IV, cap. 15, et Faustus Manichæus apud S. Augustinum l. XXIII contra ipsum Faustum. Ipse Augustinus De consensu Evangel. lib. II, num. 31 : *Illud vero quod nonnulli codices habent secundum Lucam, hoc illa voce sonuisse, quod in psalmo scriptum est : Filius meus es tu, ego hodie genui te : quamquam in antiquioribus codicibus Græcis non inveniri perhibeatur, tamen si aliquibus fide dignis exemplaribus confirmari possit, quid aliud, quam utrumque intelligendum est quolibet verborum ordine de cœlo sonuisse?* An vero in Evangelio Matthæi hæc ipsa verba *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, aliquando exstiterint, res est minus explorata : etsi enim ex Epiphanio hæresi 30 constat, Ebionæos in Evangelio Matthæi, quo uno utebantur, ita legisse, tamen ipse Epiphanius advertit, hoc Ebionitarum Evangelium interpolatum fuisse, multisque in locis corruptum. Vide Sabatierium in notis ad Matthæum, et Lucam, et Fabricium Cod. Apocryph. novi Testamenti tom. I, pag. 347 seq., ubi ex Epiphanio fragmentum Evangelii Ebionitarum exscribit, et scriptores nonnullos recenset, qui de hoc argumento agunt.

399. Barthius, lib. XLVIII Advers. cap. 9, explicat versiculum Matthæi : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, quem interpres Germanicus male reddiderat, cum non aliud innuerit, nisi quod Pater Filio delectetur. Ex sententia vero Matthæi Pater in Filio sibi complacuit, atque adeo ut per eum, qui sapientia ejus ipsius, et virtus est, condiderit ante,

Tum petit umbrosos montes, et lustra ferarum,
Obsequiumque illi Patris præbere ministri
123 Certabant, rabidi mox livor dæmonis atram
Cum terrore rapit mentem, nec defuit ægro
Tentandi interea Christum versutia fallax.
Quadraginta illi fuerant ex ordine soles,
Ex quo nulla cibi, potusve alimenta dabantur:
Sed contexta simul firmi jejunia cordis
Terrarum ad regnum mentis secreta tenebant.
Tunc epulas demum monuit conquirere corpus.
Horrendi interea sceleris fallacia tentans,
124 Si te pro certo genuit Deus, omnibus, inquit,
Ilis poteris saxis forti sermone jubere
Usum triticei, formamque capessere panis.
Christus ad hæc fatur · Nil me jam talia terrent.
Nam memini scriptum, Quoniam non sola tenebit
Vitam credentis facilis substantia panis:
Sed sermone Dei complet pia pectora virtus.
Rursus at ille dolos versutis artibus aptans
Nectere tentator properat. Nam mœnibus urbis

LECTIONES VARIANTES.

400. Ald., *nunc;* alii, *tum*, vel *tunc*.

401. Ottobon., *patrii*, sed prius videtur fuisse *Patris*. Utrumlibet bonum est.

402. Reg., Rom., Ottob. cum Ald., Torn., *atram*, quam lectionem Schœttgenius probat. Hadam., Poelmann., et alii, *ater*. Nec mihi displiceret *atro cum terrore*. Marius Victor libr. III, col. 344 editionis Fabricii, *Exterretque animos niger horror;* idem eod. l. col. 343: *Ecce niger terror, tremor horridus*. In Reg. mendum est *Certabat rapidi* cum glossa *celeres* supra *rapidi*. Corrigi potest *Certabant rapidi, mox*. Rom., *Certabant: rapidi mox*. Plerique, *Certabant, rabidi mox*.

405. Ott. a pr. m., *fuerunt*, quod defendi posset: sed melius est *fuerant*. Forte, *illic fuerat*.

406. Ott. a pr. m., *potusque*, quod edidit Fabricius.

408. Ott., Rom., *cordis secreta*.

409. Reg., Rom., Ott., *Tuncque epulas*. Ald., et alii, *Tunc epulas*, quod habet Ott. a pr. m. Rom., *dæmon*, aut *demon* pro *demum*. Nonnulli ita interpungunt, quasi fallacia monuerit corpus conquirere epulas. Sensus verus est: Corpus monuit Christum conquirere epulas. Verbum Evangelistarum est *Esuriit*.

413. Ald. scribit *capescere*.

414. Reg. *nihil*, quod retineri potest per synæresin. Rom., *me tam talia*, non male.

415. Ald., Poelm. pro d. s., *scriptum, quod non sit sola datura*.

419. Barthius, lib. XXVI, cap. 7, corrigit *properat, quam mœnibus urbis—Mox inferre pedem tendit: vis*, etc., quia Matthæus refert, Dominum a diabolo assumptum in sanctam civitatem, non ipsum eam ingressum fuisse. Intelligit autem Barthius tmesin in *quam mox*, quam librarii non adverterint, adeoque veram scripturam corruperint. Paulo post apud Aldum occurrit *tendit* pro *suasit*, aut *fecit*. Verum Barthii correctio necessaria non est: sentiebat enim diabolus, Christum, ab eo assumptum, pedem in urbem intulisse. Neque vero Christus ductus, aut assumptus est quasi coactus, sed libens, ut multi interpretes sentiunt, quibus facile assentior: et fortasse hanc interpretationem innuere voluit Juvencus. Iterum v. 434 redit idem verbum *sensit*, eademque controversia.

NOTÆ.

et nunc conservet omnia, ut per eum genus humanum benedixerit: *Sententiam*, addit, *hujus versiculi elegantissime expressit paraphrastes, poeticus quidem, sed quem ego pro optimo explanatore multis mihi locis satisfecisse memini, Juvencus Aquilius*. Hæc ergo Juvenci verba, *Placet hæc mihi gloria prolis* pro optima explicatione versiculi Matthæi non immerito habebat Barthius.

400. CAPUT XV. *Post jejunium quadraginta dierum, et noctium Jesus tentatur a diabolo*. Matth. VI, 1 seqq.; Marc. I, 12 seq.; Luc. IV, 1 seqq. Quod ait Juvencus *et lustra ferarum*, ex Evangelio Marci petitum est: *Et tentabatur a Satana, eratque cum bestiis*, quod de dæmonibus minus bene alii exponunt. Montem *Quarantana* locum desertum esse, in quo Christus jejunavit, traditione veteri constat. De Christi tentationis historia legendus Salom. Deylingus Observat. sac. tom. II, cap. 27, et alii, quorum exstant Dissertationes in Thesaur. Theolog. Philolog.

402. Barthius l. XXXIII Advers. cap. 19, observat, veteres omnia male grata aut contraria, *nigra* et *atra*, appellare consuevisse, præcipue poetas Christianos.

403. Livor huc illuc mentem dæmonis trahebat, cum de Christi divinitate et redemptione humani generis suspicaretur. *Æger* hoc loco ponitur pro sollicito, invido, tristi: quæ significatio satis obvia est præsertim apud poetas, aliosque idoneos auctores, ut observat Reuschius.

405. *Quadraginta soles*, dies, phrasi a bonis poetis usitata.

407. *Contexta*, continuata virtute divina, vel etiam a Deo Patre jussa, ac veluti parata. Illud prius magis placet, ut l. III, vers. 380: *Multaque robusti jejunia pectoris arcent*.

408. Prudentius de eodem jejunio Christi Cathem. hymn. 7, v. 189: *Firmans salubri scilicet jejunio — Vas appetendis imbecillum gaudiis*. Glossa in Reg., *Terrarum ad regnum*, ad destruendum diaboli regnum, *tenebant*, confirmabant. Possis etiam interpretari ad obtinendum terrarum regnum, vel ad regnum gratiæ his in terris inchoandum. Fortasse etiam *mentis secreta* est nominativus, a quo regitur verbum *tenebant*, non contra *jejunia:* ac sensus erit, Mens secreta tenebat, seu observabat jejunia cordis continuata ad terrarum regnum: *Mentis secreta*, ut vers. 359, *Cordis secreta*.

410. *Sceleris fallacia* figurate pro scelerati fallacia. Vide lection. variant. ad vers. 644, l. IV.

411. Notæ sunt hæ phrases *pro certo scire, pro certo habere, pro certo putare, pro certo credere, pro certo dicere, pro certo negare, pro certo polliceri*. Tamen nonnihil est diversum *pro certo genuit*, ubi *pro certo* idem est ac *certo;* sed non multum dissimile est *pro certo polliceri*.

415. *Quoniam* pro *quia*. S. Ambrosius libr. IV in Luc.: *Respondit dicens: Scriptum est: Quoniam non in solo pane vivit homo*. Pro *vivit* nonnulli codices Italæ Versionis in Luca, et plerique in Matthæo legunt *vivet*, ut legit Juvencus. Græce etiam, ζήσεται. Augustinus pariter l. II de Cons. Evangelist., et Arnobius Annot. in Evangel., *vivet* pro *vivit*. *Tenebit vitam*, custodiet, conservabit. Martialis l. XIV, ep. 108: *Quæ non sollicitus teneat, servetque minister, — Sume saguntino pocula ficta luto*.

416. *Substantia panis*, ut hoc libr. vers. 631: *Vitalisque hodie sancti substantia panis*. Pro *cibo* usurpat etiam *substantiam* Prudentius hymn. 7 Cathem. v. 40: *Omni carentem cerneret substantia:* ubi Iso apponit glossam *cibo, ciborum*. Confer cod. Theodos. tit. 3 leg. ult. de Cust. reor., et tit. 27 leg. 2 de Alim., et Ducangium verbo *Substantia, alimentum*.

Mox inferre pedem sensit, vis livida Christum A
125 Culmine marmoreo suasit consistere tem-
[pli.
Tunc sic aggreditur vocis fallente veneno :
Si deus est vere genitor tibi, culmine templi
Aera per vacuum saltu jaculabere corpus.
Testis erit scriptura tibi, quæ spondet aperte
Mandatum summi genitoris tale ministris,
Ut lapsum studeant casu defendere corpus,
Et famulis manibus curent tua membra levare,
Ne lapidis laedat summas offensio plantas.
Reddidit his Christus dictis contraria dicta :
126 Me meminisse magis scripti cœlestis
[oportet,
Ne vires Domini fidens audacia tentet.
Rursus in abrupti montis consistere celsis
Mox furibunda jugis sensit fallacia Christum,
Ostendens illi fulgentia regna per orbem,
Cernis, ait, quæ sit tantarum gloria rerum ?
Cuncta tuo possum jamjam concedere regno,
Talia donantem me si veneratus adores.
Tum sic instantem dictis rejecit Jesus :
Effuge, pestiferi rabies vesana veneni,
Hæreat ut semper nobis immobile jussum,
Ut justus cœli Dominum devotus adoret,
Unius et famulans veneretur numen in ævum.
Talibus excussus fugit per devia daemon.
127 Ille ubi Joannem cognovit carceris umbris

LECTIONES VARIANTES.

420. Ott. videtur ita distinguere *sensit vis livida Christum*, quod minus probatur ; nam *vis livida* ad solum verbum *suasit* melius accommodatur.

421. Ald., Daventr., Poelm. pro d. s., *marmoreo tendit*. Torn., Ott., *marmoreo fecit*, in Ott. supra *suasit*. Reg., Rom. *marmoreo suasit*. Fabr., Poelm. in textu cum Had., ut solet, *marmorei suasit*.

422. Hic versus, et sequens deerant in Reg., sed a manu veteri additi sunt margini.

426. Torn., Ald., Poelmann. pro d. s., *id esse* pro *tale*. Rom. non inepte *tale, ministri* — *Ut lapsum studeant*. In Torn. *mundatum* est mendum.

427. Torn., *descendere corpus*, corrige *defendere*.

430. Ald., Torn., *his dictis Christus*. Alii, *his Christus dictis*.

431. Rom., *Te meminisse*. Alii, *Me meminisse*. In Reg. prius ponitur *Ne vires*, etc. ; dein, *Me meminisse*. In Rom. deest versus *Ne vires*.

434. Ald , Poelm. d. s. *magis* pro *jugis*. De verbo *sensit* eadem excitari potest conjectura, quæ supra ex Barthio proposita est ad vers. 420. In Rom. legitur *scensit*. Hoc vero loco libentius legam *suasit*, aut *fecit*, aut *tendit*, ut vers. 421. Badius verba Evangelistæ, *Iterum assumpsit eum diabolus* interpretatur, ut illa, *Assumpsit Jesus discipulos suos*, nempe non portandos, sed comites.

435. Reg., Ott., Ald., Torn., *illi*. Hadamar., Poelm., et alii, *olli*, quod perinde est.

437. Ald., Poelmann. pro d. s., Fabr., *tibi* pro *tuo*, et *regna* pro *regno*.

438. Sabatierius cum Aldo, *si me :* pro d. s. assignat *me si*, quod in reliquis invenitur.

441. Ott., *Hæreat, ut nobis semper* : postea factum *ut semper nobis*. Reg. male *Hæreat semper ut nobis*. In Ott., *donum* supra *jussum*.

442. Reg., *Dominum cœli*.

443. Reg., Rom., Ott., *numen* cum Aldo. In Ott. a. pr. m. fuit *nomen*, quod habent plerique editi.

NOTÆ.

420. Plerique putant Christum a diabolo fuisse asportatum vel in manibus, vel super humeros, vel ita ut diabolus impulsum in corpore Christi impresserit, quo delatus fuerit in pinnaculum templi. Maldonatus cum Origene, Euthymio, et Anselmo censet, Christum ita a diabolo ductum, ut suis ipse pedibus iter egerit. *Vis livida*, ut vers. 402, *Rabidi mox livor dæmonis*. Hæc loquendi ratio sæpe adhibetur a poetis, ut *vis equi* pro equo, *vis animi* pro animo, *vis flammea* pro flamma, seu maximo igni, *vis canum* pro canibus. Confer Cifanium Ind. Lucr. verbo *vis*.

422. *Venenum* voci invidi et maledici sæpe tribuitur. Ovidius de invidia libr. II Metam. v. 777 : *Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno*. Silius l. VII, v. 260 : *Fraudisque veneno—Aggreditur mentes*. Prudentius Dittoch. v. 1 : *Eva columba fuit tum candida, nigra deinde — Facta per anguinum malesuada fraude venenum*. Sic alii passim.

424. *Jaculari*, vi emittere. Libr. III, vers. 406 : *Præcipitemque maris sese jaculetur in undas*. Florus libr. I, cap. 14 : *In confertissima se hostium tela jaculatus*. Plinius libr. II, cap. 25 : *In quas partes sese jaculetur*. Barthius libr. XXXIII Advers. cap. 19 observat, ex Democriti philosophia poetas Latinos dicere *Aera vacuum*, quos chorus poetarum Christianorum secutus est.

427. Propria significatio verbi *defendo* est *prohibere, arcere, propulsare*, quod exemplis confirmare supervacaneum est.

428. Adjective *famulus*, ut apud Ovidium non semel, et Prudentium vers. 80 Hamartig.

429. *Offensio lapidis*, incursus in lapidem, vel noxa ex hoc incursu. Utramque enim significationem habet verbum *offensio* : sed huic loco magis congruit prima.

430. Supra v. 245 : *Dicta in contraria*.

434. *Furibunda fallacia*, figurate pro *dæmon furibundus et fallax*, ut v. 440, *Sceleris fallacia*, v. 420, *Vis livida*.

436. Imitatione Virgilii libr. IV *Æn.* vers. 272 : *Si te nulla movet tantarum gloria rerum*.

440. Etiam id figurate dictum, ut vers. 434, *furibunda fallacia*.

442. *Devotus*, deditus, addictus, voto consecratus: quo sensu ab optimis scriptoribus hæc vox usurpatur. Pro pio, religioso verbum est proprium Christianorum, Arnobii, Lactantii, Prudentii, Hieronymi et æqualium, ac multo magis posteriorum.

444. *Excussus*, vi ac veluti quatiendo ejectus, dejectus. Hilarius, in Matth. IV. *Post hanc ergo diaboli fugam, Angeli Christo ministrant*. In Evangelio solum legitur, *Reliquit eum diabolus*, aut *dimisit eum*, aut *discessit ab eo*, aut *recessit ab eo*. Prudentius eamdem fugam dæmonis sic expressit hymn. 7 Cathemer. vers. 195 : *Sed, increpata fraude, post tergum ruit*. Prudentium verum lapsum diaboli in tergum affirmasse, putabat Mazochius, ut in Comment. ad eum locum explicui. Confer Centonem Probæ.

445. CAPUT XVI. *Jesus, Joanne capto, secedit in Galilæam*. Matth. IV, 12 seqq. ; Marc. I, 14 ; Luc. IV, 14. Lamyus in Harmon. Evang. contra omnium interpretum sententiam, ut profitetur, astruit, carcerem, de quo hic fit sermo, non fuisse Herodianum. Putat enim, bis in carcerem Joannem traditum fuisse, primum a proceribus synedrii Hierosolymitani, deinde, interposito aliquo tempore, ab Herode

Immersum, tristi compressit corda dolore,
Finibus et statuit Zabulonum ponere sedes,
Ut dictum Isaiæ concurreret ordine secli :
Terra Zabulonum, et regionis Nephthala nomen,
Et via trans pelagus longe, Galilæiaque arva,
128 Trans et Jordanem gentes, populique [tenebris
Inclusi, magnum lumen, subitumque videbunt:
In mortisque illis umbra residentibus alma
Exoritur fidei resplendens luce voluntas.
Ergo instare Dei regnantis munera Christus
Nuntiat, increpitans præconia larga salutis.
Præteriensque videt ponti per littora fratres,
Præsolidumque Simon, dignum cognomine Pe- [tri,
Andreamque simul, sinuosa volumina lini,
Piscibus insidias disponere marmoris undis.
Nunc, inquit, pisces capitis maris æstibus altis:
129 Sed me si libeat sectari, fortia vobis
Provenient hominum præpulchra indagine lucra.
Illi confestim firmato pectore certi,
Retibus abjectis, pariter præcepta sequuntur.
Post fratres Jacobum, Joannemque marinis
Insidias gregibus maculoso innectere textu
pugnat metrum.

LECTIONES VARIANTES.

446. Hadam., Poelman., Ald., Fabric., *Submersum*. Torn., Reg., *Demersum*. Ott., Rom., *Immersum*. Poelm., in textu, Hadam., Fabr., Reg., Ott. a sec. m., *tristi compressit corda dolore*. Ald., Torn., Ott. a pr. m., Rom. *corde dolorem* : quasi dolorem signis et verbis non manifestaverit, quam poetæ mentem non esse. Reuschius censet. Cæteroquin *comprimere corda dolore* pro *concipere, accipere*, phrasis parum usitata est.

449. Hadam., Reuschius, Poelman. in textu, Fabr. : *Terra Zabulon, et regio cui Nephthala nomen*. Ita Ald., Daventr., et Torn., sed *Zabulonum* pro *Zabulon*, et Torn., mendose, *Nephthalia*. Rom. et Vatt. Reg., et Ott., ita habent : *Terra Zabulonum, et regionis Nephthala nomen*. In qualibet ex his Scripturis diverso intervallo quantitatis effertur *Zabulon* in hoc versu, et in versu 447, quod in aliis nominibus propriis fecisse Juvencum liquet. Cæterum cum in sacris litteris proferatur *Zabulon* indeclinabile, et secunda ejus nominis Græce per diphthongum scribatur, possent ita hi versus restitui : *Finibus et statuit Zabulon ponere sedes. Terra Zabulon, regio cui Nephthala nomen*. Notandum etiam, *a* in *terra* produci ob *z* dictionis sequentis, quæ vim duplicis consonantis obtinet.

450. Barthii codex, Rom., Reg., Ott., Basil., Ald., *Galilæaque arva*, ex quo Barthius recte conjicit *Galilæiaque arva*. Editi plerique *Galilæaque rura*. Torn., mendose, *Galilæque rura*. Nonnulli scribunt *Galileaque*.

451. Reg. distinguit : *Jordanem. Gentes*. Alii : *Jordanem gentes*.

453. Rom., *In morteque illius umbra*, quod mendosum est.

454. Reg., et, a pr. m., Ott., *splendens* : sed reluctat metrum.

455. Ott., a pr. m., *munere* ; a sec. m., *munera*, cum multis. Rom., Bas., Ald., *munia*.

457. Rom., *vidit* : retinendum *videt*. Sabatierius edidit *geminos*, et, pro d. s. ; *ponti*, quod alii editi et mss. exhibent.

458. Rom. *Prosolidum* : lege *Præsolidum*. Aldus edidit : *Præsolidum Simonem dignum cognomine Petri* ; correxit in Erratis *Præsolidumque Simonem dignum cognomine Petri* ; sed fortasse voluit corrigere *Præsolidumque Simonem, dignum nomine Petri*, correpto *si*, ut ab aliis fieri solet, vel *Præsolidumque Simon*, indeclinabili modo. Juvencus alibi in *Simonis* primam semper corripit, secundam producit. Vide not. ad Dracont. l. III, v. 230, ubi de quantitate primæ et secundæ in hac voce disserui. Legi posset *Præsolidum Simonem, dignum nomine*.

461. Reg., *altos*, et glossa, *profundos*.

465. Rom. *perpulchra* : plerique *præpulchra*, quod ex usu Juvenci ait Gallandius esse pro *perpulchra*, ut v. 458, *præsolidum* pro *persolidum*.

466. Ald., Rom. Bas., Torn., *Post fratres geminos Jacobum, Joannemque marinis*. Ita etiam Ott., a sec. m., nisi *fratres* appositum sit pro diversa scriptura, vel glossa. Plerique : *Post fratres Jacobum, Joannemque marinis* : Poelm., pro diversa lectione, Reuschius : *Post geminos Jacobum*, etc. In hac scriptura Badius ait, *Jacobum* quatuor syllabarum vocem esse, quarum tertia longa. Sic et Claudianus (vel alius potius) *Ne laceres versus, dux Jacobe, meos*. Poterit tamen esse trisyllabum tam *Jacobum*, quam *Joannem*, productis duabus primis in *Jacobum*. Mirum quantum poetæ christiani varient in quantitate syllabarum hujus vocis.

NOTÆ.

Ita ergo ordinem historiæ collocat : Post Christi jejunium Joannes se præcursorem Christi esse judæis asseruit, et testimonium de Jesu Christo Messia reddidit : quo testimonio audito, Petrus, et Andreas, Joannis discipuli, secuti sunt Salvatorem. Cum autem paulo post, aut die sequenti post testimonium Joannis de eo audivisset, Joannem in carcerem conjectum fuisse (scilicet a proceribus synedrii Hierosolymitani,) in Galilæam secessit. Juvencus, ut vides, aliter historiam contexit ; quem nos libentibus animis sequimur, ne a communi omnium interpretum sententia recedamus.

448. *Concurrere* eodem sensu libr. II, v. 346 : *Ille ubi cognovit certum concurrere tempus* ; et ibidem v. 828 : *Ordine seclorum jussis concurrere rebus*.

452. *Inclusi*, immersi. Simili modo hoc libr., v. 165 : *Mortisque tenebras — Abrumpent omnes*.

456. *Increpitans*, prædicans, intonans. Vide notata ad v. 384.

457. CAPUT XVII. *Petrum et Andream, Joannem et Jacobum piscatores convocat*. Matth. IV, 18 seqq. ; Marc. I, 16 seqq.

458. *Præsolidum* : alludit ad nomen Petri, et ad verba Christi : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*.

459. *Sinuosa volumina* : de serpente dixit Virgilius, l. XI, v. 753 : *Saucius at serpens sinuosa volumina versat*. Pro linea piscatoria, ex qua pendet hamus, linum simpliciter ponitur aliquando, ut apud Ovidium, libr. XIII Metam. v. 923 : *Nunc in mole sedens moderabar arundine linum*, et paulo post, *Cespite consedi, dum lina madentia sicco*. Adde Juvenalem, Sedulium, Fortunatum, Sulpicium Severum.

460. *Marmor* pro mari a poetis sæpe adhibetur, ut notavi ad Dracont. v. 578, libr. I.

463. *Indago* est vox venatorum propria : ita enim vocant inclusionem ferarum in aliquem locum, ex quo feræ evadere non possunt ; quæ inclusio diversis modis fieri solet. Virgilius, lib. IV Æn. v. 121 : *Dum trepidant alæ, saltusque indagine cingunt*. Hic sonat inquisitionem. Notandum quoque *fortia lucra*.

467. *Gregibus marinis*, piscibus, quos Proteus gregatim agere dicitur. *Maculæ* sunt foramina retis,

Ut vidit, similemque dedit de littore vocem,
Illi Zebedeum genitorem in puppe relinquunt
Illico, sectantes pulcherrima jussa salutis.
Exin per terram Galilææ sancta serebat
Insinuans populis regni præconia Christus,
Donabatque citam fessis, ægrisque medelam,
130 Et mox crebra procul Syriam jam fama te-
[nebat,
Mille sonans linguis præsentia munera Christi.
Denique certatim languoris tabe peresos,
Diversisque malis nexos, queis longa dolorum
Absumpsit populans membrorum robora tabes,
Monstrabant Christo : facili sed munere cunctos
Reddebat propere miranda ad gaudia sanos.

Jamque animæ ipsius morbi, sævique furores,
Et lunæ cursum comitata insania mentis
Discessere gravi sermonis pondere jussa.
131 Illum stipantes miracula magna moventem
Mixtæ sectantur turbæ, Solymique, Syrique,
Et Judæa frequens populis, Galilæaque plebes,
Quos et Jordanis dirimit stagnante fluento.
Hos populos cernens, præcelsa in rupe resedit,
Ac sic discipulis gremium cingentibus infit :
Felices humiles, pauper quos spiritus ambit :
Illos nam cœli regnum sublime receptat.
His similes mites, quos mansuetudo coronat,
Quorum debetur juri pulcherrima tellus.
Hos modo lugentes solatia digna sequentur.

LECTIONES VARIANTES.

469. In nonnullis editis male scriptum est *Zebedæum.*

471. Reg., Ott., *per terram Galileam.* Rom. cum editis *Galileæ*, vel *Galilææ.* Poelm., pro diversa lectione, *sancta ferebat :* quæ lectio incommoda non est, sed melior est *serebat.*

473. Reg., Torn., *citam fessis, ægrisque ;* et glossa Reg., *invalidis* supra *fessis.* Plerique *citam invalidis, ægrisque.*

476. Ald. Bas., *languores.* Mss. et plerique editi, *languoris.*

477. Reg., Torn., *dolorum.* Ott., *doloris.* Rom. cum plerisque editis, *dolore.*

479. Rom., *Monstrabant : Christus facili sed murmure cunctos,* et correctum id per *Christus facile sub munere cunctos.* Reliqui omnes, quos vidi, *Monstrabant Christo : facili sed munere cunctos.*

480. Rom., *sanctos :* corrige, *sanos,*

494. *Reg., Hoc modo lugentes solatio digna sequen-*

NOTÆ.

Hispanice *mallas*, ut explicui ad Prudent. hymn. 3 Cathem., v. 42. Hinc *maculosus textus* pro maculis, seu reti : quo tamen sensu non invenio, quisnam alius *maculosus* dixerit.

469. Eodem intervallo syllabarum iterum occurrit *Zebedeus*, libr. III, v. 516 : *Petrum Zebedeique duos per devia natos*, quod non damno.

471. CAPUT XVIII. *Jesus Galilæam circuiens, pœnitentiam prædicat, et varios languores hominum curat.* Matth. IV, 23, seq. ; Marc. III, 7 ; Luc. VI, 17.

474. Servius, ad v. 10 Æneid., lib. VI, putat, *procul* duplicem significationem habere et *juxta*, et *longe*, quasi *porro ab oculis*, aut *præ oculis*. Alii rectius existimant, *procul* et parvam, et magnam distantiam significare. Hoc loco a Juvenco *procul* sumitur pro *longe lateque :* nam verba Matthæi sunt : *Et abiit opinio ejus in totam Syriam.* Reuschius alio sensu explicat : Fama per Syriam prope adjacentem, vel circumjacentem dispersa erat ; quod minus placet.

475. Famæ mille linguæ, hoc est, multæ tribuuntur. Virgilius, lib. IV Æneid. v. 181, de fama : *Monstrum horrendum ingens : cui quot sunt corpore plumæ, — Tot vigiles oculi subter (mirabile dictu), — Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures.* Ovidius, l. XII Metam. 47, de fama : *Tota fremit, vocesque refert, iteratque, quod audit. Centum*, et *mille* poetæ adhibere solent pro plurimis, ut oratores, et historici *sexcenta.*

478. *Membrorum robora*, membra, vim membrorum. Sic Lucretius pro saxo, aut duritia saxi, dixit l. I, v. 889 : *robur saxi.* Virgilius, pro ferro, l. VII, v. 609, *robora ferri.* Vide Gifanium, Ind. Lucret., verb. *robur saxi*, et *vis morbi.*

481. *Morbi animi* a Latinis cupiditates, perturbationes animi, et vitia interdum dicuntur, quamvis Cicero, III Tuscul. c. 4, hanc translationem minus probet. Ipse certe sæpe ea utitur. Juvencus morbos animæ vocat eos, qui mentem e suo statu naturali dejiciunt, ut insaniam, furores, vel vitia mentis ex diuturna dæmonis præsentia contracta.

482. Lunaticus morbus describitur. Nonnulli de epilepticis exponunt. Isidorus, Orig. IV, 7 : *Hos* (epilepticos) *vulgus lunaticos vocat, quod pro lunæ cursu comitetur insania :* quod fortasse ex hoc Juvenci loco petitum est. Præcedit enim in Isidoro : *Epilepsia vocabulum sumpsit, quod mentem apprehendens, pariter et corpus possideat.*

483. Sæpe Juvencus hoc verbum adhibet, ut vim divini imperii ostendat. Confer Ovidium, Met. II, 844 ; III, 105 et 130. Contrarium est *injussus* de iis, quæ sponte proveniunt.

485. *Plebes* in nominativo singulari ; de quo dicam ad v. 694 l. IV. in var. lect.

488. CAPUT XIX. *Qui beati futuri sint.* Matth. V, 1 seqq. ; Lucæ VI, 20 seqq. Videtur innuere Juvencus, in monte sermonem hunc habitum. Magna quidem est interpretum hac in re dissensio, quorum diversæ opiniones legi possunt apud Nic. Albertum de Vita Christi p. 2, num. 101. Nonnulli putant, Christum sermonem habuisse ad discipulos supra montem, ut ait Matthæus, quem ad turbas *in loco campestri*, ut ait Lucas, repetiverit.

489. Ovidius libr. IV ex Ponto eleg. 9, v. 17 : *Dumque latus sancti cinget tibi turba senatus.* Sic *cingere sinum*, vel *gremium*, quamvis neminem alium ita loquentem invenerim. Badius exponit *gremium cingentibus*, hoc est, in circuitu sedentibus.

490. Multi auctores harmoniarum Evangelicarum hunc sermonem serius a Domino factum existimant. Lamyus fere cum Juvenco facit. Qui novam legem, inquit, prolaturus venerat, statim ac plures discipulos collegit, et miraculis suis obtinuit, ut crederetur, cur illam legem non protulisset, optima doctrina imbuens discipulos, et plebem, quæ eos sequebatur? An autem in prima hac beatitudine pauperes spiritu omnes illi intelligantur, qui tumore animi carent, an illi, qui vere penuria laborant, sed tamen sorte sua sunt contenti, disputatum est inter interpretes. Juvencus priorem expositionem potius exprimit, uti etiam sentiunt Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, Hilarius, Basilius, Gregorius, aliique plures patres. Confer Heinsium in Exercit. sacr. ad hunc Matth. locum cap. IV, pag. 23.

491. *Receptat*, fortasse ex imitatione Lucretii libr. II v. 998 : *Quod missum est ex ætheris oris — Id rursum cœli relatum templa receptant.*

492. Observandum, Juvencum non textum Græcum sequi, in quo hæc beatitudo sequenti postponitur, sed Italam versionem veterem, in qua idem ordo ac in Vulgata, servatur.

132 Pabula justitiæ qui nunc, potusque requirunt,
Illos plena manet saturandos copia mensæ.
Felix, qui miseri doluit de pectore sortem:
Illum nam Domini miseratio larga manebit.
Felices, puro qui cœlum corde tuentur:
Visibilis Deus iis per sæcula cuncta patebit.
Pacificos Deus in numerum sibi prolis adoptat.
Felices nimium, quos insectatio frendens
Propter justitiam premit: iis mox regia cœli
Pandetur. Gaudete, operum quos justa tenentes
Urgebit præceps stimulis injuria sævis.
133 Plurima nam merces vobis servatur in æthra;
Namque prophetarum fuit insectatio talis.
Discite, vos hac in terra salis esse saporem.
Hic sapor amissa si jam virtute senescit,
Quæ salis absumptos acuet substantia gustus?
Nec quisquam vani post hæc superest salis usus,
Ni longe abjectum cuncta ut vestigia calcent.
Vos estis mundi clarum (ne abscondite) lumen.
Nam quis præcelsis impostam rupibus urbem
Occultare queat? Vestrum sed lumen ad omnes
134 Perveniat, rerumque decus sub luce serena
Ponatur. Cunctis genitoris gloria vestri
Laudetur, celsi thronus est cui regia cœli.
Non ego nunc priscas leges dissolvere veni,

LECTIONES VARIANTES.

tur. Ita etiam Rom., sed magis videtur *solatia*, quam *solatio*. Glossa in Reg. est *Hoc modo — tali modo*, et *solatio — consolatio*. Fortasse legendum *Hoc modo lugentes solatio digna sequetur*. Reliqui omnes, quos vidi, habent *Hic modo lugentes solatia digna sequentur*.

499. Reg., Rom., Ott., *puro qui cœlum*. Editi, *puro cœlum qui*.

500. Reg., Ott., Rom., *patebit*. Editi, *manebit*, quod præcessit, et minus placet.

501. Ald., *Pacificum*.

503. Ald., Bas., *premet*; alii, *premit*.

508. Reg. a pr. m., *Dicite vos*.

509. Reg., *senescet*.

511. Reg. pro div. script., *Nequicquam vani*. Reuschius censet, Parisinæ lectionem, *Nec cuiquam* non incommodam esse, et fortasse reliquis præstare. Pro *vani* nonnulli legunt *fatui*, teste Reuschio, qui ait, codices tueri *vani*. Sabatierius *fatui*, pro d. s. *vani*.

512. Sabatierius, *abjecti*, pro d. s. *abjectum*, quod reliqui præferunt.

514. Westhem. in textu *Nam qui*, ad marg. *Nam quis*.

516. Ald., *Proveniat;* alii, *Perveniat*. Torn., *verumque decus*. Rom., *rerum decus*, mendose.

518. Rom., *throni est*: lege *thronus est*.

NOTÆ.

495. *Pabula* et *potus*, metaphora, intensam cupiditatem notans. Horatius l. I, ep. 18, v. 23: *Quem tenet argenti sitis importuna, famesque.*

497. *De pectore*: interdum *de* superfluum est, ut notavi in Comment. ad Prudent. Psychom. v. 3, interdum ponitur pro *ex*, ut apud Propertium, notante Kœnigio.

499. Itala vetus, et Vulgata; *Beati mundo corde*. S. Cyprianus epist. 46 dicit, *Beatos esse puros corde:* et S. Augustinus serm. 12 tom. V, *Beati, qui puro sunt corde. Tueri* sæpe significat avide et cum summa attentione conspicere.

501. Hic versus exemplum est scansionis mixtæ apud Bedam De metr. cap. de scansionib. Vide supra not. ad v. 25.

502. *Insectatio* iterum v. 507. D. Brutus in epist. famil. Cicer. libr. XI, epist. 1, *Tanta est hominum insolentia, et nostri insectatio*. Ita alii optimi scriptores locuti sunt.

504. *Operum justa* pro *opera justa:* quæ loquendi ratio familiaris est Juvenco. Schœttgenius *hendiadyn* vocare voluit.

505. Lucanus libr. I, v. 262: *Dubiæque in prælia menti — Urgentes addunt stimulos*. Juvencus *stimulos* sumit pro molestia, vexatione, insectatione: sic *stimulos doloris* Cicero, aliique dicunt. Exprimit Juvencus v. 11 Matth. v: *Beati estis, cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos mentientes propter me*. De quibus omnibus siluisse Juvencum immerito pronuntiat Sabatierius, qui ad versiculum 12 ejusdem cap. 5 refert hæc verba: *Gaudete, operum quos justa tenentes — Urgebit præceps stimulis injuria sævis*, simul cum duobus versibus sequentibus. Sequitur Juvencus versionem veterem, qualem exhibet codex ms. Colbert., *Dicent omne malum adversus vos, propter justitiam:* cui concinunt codex Sangerm. 1, Cantabrig., Hilarius, Ambrosius, Ambrosiaster, Symmachus pontifex et alii a Sabatierio relati.

506. Utitur verbo Evangelistæ: *Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis*. Bonis justorum operibus per gratiam Dei factis gloria, seu vita æterna conceditur tamquam merces. Definitum aperte id est in concilio Tridentino sess. 6. can. 53: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ob eo per Dei gratiam, et per Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ* (*si tamen in gratia decesserit*) *consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit*. Meritum hujusmodi vitæ æternæ condignum esse, quamvis conceptis verbis definitum non sit, tamen ex sacris litteris, conciliis, ac Patribus evidentissime colligitur. Quod satis fuerit contra Kœnigii notam hoc loco indicasse.

508. CAPUT XX. *Apostolos sal terræ vocat*. Matth. v, 13; Marc. IX, 49; Luc. XIV, 34. Quod ait Juvencus *hac in terra*, intelligo in hoc mundo. Evangelista sic habet: *Vos estis sal terræ*, ut paulo post: *Vos estis lux mundi*. Ponitur autem *salis sapor*, ut infra *salis substantia*, pro sale. In hanc rem exstat dissertatio Valerii Greissengii inscripta: *Sal infatuatum*. Schœttgenius, cum Lomeiero exponit *hac in terra*, h. e., in Judæa, non in universa terra.

510. *Salis substantia* eo modo dictum, quo v. 416, h. l. *substantia panis*.

511. Versio Itala, et Vulgata, *Quod si sal evanuerit:* verum Itala in nonnullis mss., et multi Patres: *Quod si sal infatuatum fuerit*.

512. *Vestigia*, metonymice pro ima pedis parte, et pro ipsis pedibus.

513. CAPUT XXI. *Iidem apostoli lumina mundi dicuntur*. Matth. v, 14; Marc. IV, 21; Lucæ VIII, 16, et XI, 33.

517. *Cunctis* pro *a cunctis*: dativus pro ablativo in his verbis passivis sæpe a Juvenco adhibetur.

518. *Thronus*: dixi de hac voce ad Prudentium v. 102 Apoth.

519. CAPUT XXII. *Quod non venerit solvere legem, sed adimplere*. Matth. v, 17 seqq.

Vertere nec, veteres ponunt quæ jussa prophetæ.
Omnia nam vobis per me complenda manebunt.
Vera loquor, donec cœli, terræque, marisque
Interitus veniat, legis ne littera saltem,
Aut apicis parvi gracilis distinctio deerit,
Omnia quin fiant digesta ex ordine sæcli.
Siquis enim minimam mandati solvere partem
Ausus erit, pariterque homines suadendo docebit,
135 Ille minimi nomen cœlesti in sede tenebit.
At quicumque operis proprii moderamina ser-
[vans,
Inviolata simul tradet præcepta priorum,
Magnus erit, magnique feret trans sidera nomen.
Audistis veteris jussum moderamine legis:
Humano si quis macularit sanguine palmas,
Ille reus ferro persolvet vindice pœnas.
Ast ego præcipiam, ne quis consurgere in iras
Audeat, atque odio fratris fervente moveri.
136 Nam reus hic æquo pœnas sub judice
[reddet.
Nec minor illorum convicia flamma sequetur,
Qui fatui, miserive cient sub nomine fratrem.

LECTIONES VARIANTES.

522. Rom., *Verba loquor* minus bene.

523. Reg., et a pr. m. Ott., *legum nec*. Rom., *ulla nec*. Plerique, *legis ne*.

525. Rom., *Omnia quando fiant :* corrige *quin fiant*. Rom., et Ald., *digesto*, ut hoc libro v. 39.

527. Reg., *audendo*, Ottob., *suadendo* cum plerisque, sed supra *audendo*, quod praefert Reuschius cum tribus codicibus : qui exponit *audendo*, hoc est, B malo exemplo. Evangelista potius distinguit opus pravum, et pravam doctrinam.

529. Ott. a sec. m., *moderamine*.

530. Torn., et Bas., *piorum :* cæteri melius, *priorum*.

533. Bas., *palmos :* retine *palmas*.

535. Sabatierius edidit *præcipio*, et pro d. s., *præcipiam*, quod in aliis extat. Existimo, Sabatierium has mutationes ex ingenio interdum invehere. *Præcipiam* magis poeticum est, nec mutandum.

537. Reg. et, ut videtur, Ot., *æque pœnas*. Rom., *pendet*, quod edidit etiam Fabricius.

539. Ott. a pr. m. *miserique*, a sec. m. *miserive*. Ordo videtur exposcere *Qui miseri, fatuive*.

NOTÆ.

521. Omnia per me complenda vobis manebunt, ut vos ita etiam ea impleatis. Deus enim per gratiam suam supernaturalem facit nos legem implere.

523. Notanda significatio particulæ *saltem*, quæ hoc loco significat *solum*, *tantum*, *tantummodo*. Cellarius in Cur. poster. append. miscell. de hac significatione contra Borrichium disputat. Borrichius Virgilium, et Ovidium ita locutos existimat : Cellarius vix argenteo sæculo ita dici cœptum concedit. Inferiorem latinitatem ab hoc minus abhorruisse, exemplo Hieronymi, et Apulei confirmat. Forcellinus omnia loca, quæ pro hac significatione afferuntur, aliter C posse explicari contendit. Equidem non video, quem alium sensum apud Juvencum hoc loco habeat particula *saltem*.

524. *Gracilis distinctio apicis parvi*, quia apex erat gracilis virgula appicta supra vocalem, ut brevis a longa distingueretur, ut docet Scaurus in fine suæ Orthographiæ. Quintilianus lib. I, cap. 7, al. 13 : MALUS *utrum arborem significet, an hominem non bonum, apice distinguitur*. Nonnulli puncta Hebræorum innui existimarunt : quæ opinio omnino rejicienda est.

528. *Minimi nomen tenebit*, vocabitur minimus, quod idem sonat, ac *erit minimus*, ut explicui ad v. 107. *Minimus* vero est novissimus, prope nullus, vel potius nullus. Hilarius Comment. in Matth : *Futuros minimos, id est, novissimos, ac pene nullos denuntians minima solventes*. Kœnigius Hebraismum esse ait *minimus* pro *nullus*, sive nullum locum habens.

529. *Moderamina :* frequens usus hujus vocis apud Juvencum, neque obviæ significationis. Paulo D post v. 532 : *Moderamine legis*. Hoc loco *Operis proprii moderamina servans* idem est, ac *qui fecerit mandata*.

530. *Priorum*, majorum : quæ significatio proba, et cognita est ex Virgilio, Tacito, Plinio Juniore.

531. *Trans sidera*, in regno cœlorum, ait Evangelista.

532. CAPUT XXIII. *De homicidio*. Matth. v, 21 seqq.

535. *Ego* ex Evangelio sumptum, quod emphasin habet. Donatus ad Terent. Eunuch. v, 9 : *Quod Ego addidit, eo dicto usus est, quo uti solent, qui plus in negotio vident. Consurgere in iras*, ut l. IV, v. 564 : *Consurgat in iras — Religio*.

536. Itala vetus in multis mss. : *Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo sine causa, Reus erit judicio*. In Vulgata, et in probatissimis codicibus textus Græci deest *sine causa :* quam lectionem probare videtur Augustinus libr. I Retract. cap. 19, et aperte defendit Hieronymus Comment. in Matth. *In quibusdam codicibus additur* SINE CAUSA : *cæterum in veris definita sententia est, et ira penitus tollitur, dicente Scriptura : Qui irascitur fratri suo, reus erit*, etc. *Radendum est ergo* SINE CAUSA. Hanc scripturam confirmant hi versus Juvenci, antiquitate sua venerabiles. Nonnulli ita explicant hæc verba Evangelii, ut qui irascitur fratri suo, sit dignus, ut in judicio C ejus exploretur causa. Maldonatus interpretationem Juvenci et Euthymii præfert, reum esse pœnæ capitalis, quæ contra homicidas in judicio decernebatur. Significat Christus, eum qui in Evangelio sola occidit voluntate, non minore dignum esse pœna, quam qui re ipsa occidebat in Lege.

537. *Pœnas reddet*, dabit. Sallustius de Bello Jugurth. c. 17 : *Impietatis in parentem nostrum graves pœnas reddat*. Evangelistæ verba sunt : *Reus erit judicio*, quod interpretes referunt ad quoddam tribunal, ab Hebræis *Mispat*, id est, *judicium* nuncupatum. Ita etiam alia verba *Reus erit concilio* exponunt de graviori alio tribunali, quod Synedrion dicebatur. Significat ergo Evangelista, æterna pœna puniendum, qui gravi odio fratri suo iratus fuerit ; sed graviorem pœnam iis esse infligendam, qui in verba contumeliæ erumpunt. Eamdem sententiam exprimit Juvencus, sed de tribunali *judicii* et *concilii*, seu Sanedrim distincte nihil expromit. Etenim verba *æquo sub judice* de Deo potius accipio.

538. *Nec minor*, hoc est, major ; hanc enim vim, ut puto, habent hæc verba.

539. Glossa in mss. Reg., *cient — vocant*. Ovidius libr. IV Fast., v. 484 : *Clamat, et alternis nomen utrumque ciet*. Suetonius in Nerone cap. 46 : *Exaudita vox est, nomine eum cientis*. Redundat *sub* in Juvenco *sub nomine*, ut sæpe apud Dracontium, in cujus indice verborum plura loco notata sunt verbo *sub*. Confer etiam Comment. ad Prudent. l. II contra Symmach. v. 102. Hoc versu Juvencus duplex convicium comprehendit, ab Evangelista sic expositum : *Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis*. Juvencus prius *fatuum* profert, tum *Raca*, quod interpretatur *miserum*, videlicet calamitosum,

Sin offerre voles, venerans altaria donis,
Et tua tunc tacitæ mentis penetralia tanget,
Quod tibi sit cum fratre domi suscepta simultas,
137 Munera cuncta illic adytis admota relinque:
Et prius ad pacem properans transcurre petendam.
Fraterno demum jam conciliatus amori,
Offer grata deo tranquillo pectore dona.
Est tibi præterea virtus contraria semper
Corporis : hoc casti celeri curetur amore,
Dum rapidæ tecum graditur per compita vitæ.
138 Accusabit enim polluti corporis usus,
Et te sublimi statuet sub judice vinctum.
Damnatum rapient ad vincula sæva ministri,
Nec prius e tenebris solveris carceris atri,
Ultima quam minimi reddatur portio nummi.
Haud ignota, reor, vobis stat cautio legis,
Corpus adulterio prohibens : sed nunc mea jussa
Occulta internæ frenent molimina mentis :
Nec minus optati, quam facti pœna luenda.
Si te forte oculi dextri laqueaverit error,

LECTIONES VARIANTES.

540. Reg., et, ut videtur, Ott. a pr. m., *volens*. Leg. voles. Reg., *munus*, et pro div. script., *donis*.

541. Ald., Bas., *tangent* : Rom., *tangunt*. In Reg. et Ott., *tangent* correctum per *tanget*.

542. Rom. in textu *fratre* cum aliis omnibus : ad marg., *fraude*.

543. Ald., *cuncta adytis illic admota*, cum Torn., et Bas. In aliis editis *cuncta adytis illis admota*. Mss. Reg., Ottob., Rom., *cuncta illic adytis admota*.

547. Ald., Rom., Poelm., pro div. s., Daventr., *semper contraria virtus* : plerique *virtus contraria semper*.

548. Rom., Reg., Ottobon., Ald., Daventr., Bas., *Corporis: hoc casti*. Poelm. cum aliis editis, *Corporis hæc casti*, quam interpunctionem præfert Reuschius; quia Juvencus connectit hanc textus sacri partem cum sequentibus, ubi Christo sermo est de adulterio. Intelligit Reuschius per virtutem contrariam cogitationem malam, cui remedium hoc paratur.

549. Reg., Ottob., Rom., *rapide;* sed diphthongi in his codd. modo omittuntur, modo abundant. Editi, *rapidæ*. Rom., *Cum* pro *Dum*.

550. Ott. a pr. m., *Accusabat enim*.

553. Rom., Fabr., Ald., *solveris* : quæ est diversa lectio in Reg., Ott., Poelm., in quibus a pr. m. est *mitteris*. Ex v. præc. colligi potest, *solveris* lectionem esse magis genuinam.

554. Rom. *Ultra quam minimi* : lege *Ultima quam*.

557. Ott. *interne feriant* : corrige *frenent*. Rom. etiam *interne* pro *internæ*.

558. Reg., et Ott. *luenda* : Rom. cum editis *luenda est*.

NOTÆ.

æruinnosum. Alii *raca* seu *racha* exponunt hominem vacuum cerebro, vanum, homuncionem : alii ex Græco ῥάκος, *pannus*, hominem pauperem et pannosum : quo forte se respicit juvencus. Evangelista tres gradus peccatorum, et pœnarum ita distinguit, ut primus sit ira in verba non erumpens, judicio puniendo, secundus verbum contumeliosum, quo frater raca, levis, inconstans, aut infelix, miser homo dicitur, concilii pœna, seu sententia dignum, tertius verbum magis contumeliosum, quo frater fatuus appellatur, gehenna ignis puniendum. Etsi autem idem sit pœnæ genus, nempe mors æterna, gradus tamen pœnæ ex diversa gravitate distinguuntur.

540. CAPUT XXIV. *De oblatione*. Matth. v, 23, 24. *Offerre* pro consecrare Deo vox a Christianis sæpe usurpata, et in re liturgica passim obvia. Prudentius hymn. 5 Cathem. v. 155. *Lumen, quod famulans offero, suscipe*. In Juvenco subintelligi potest *dona*, seu *munera*, ut v. 546 : *Offer grata Deo tranquillo pectore dona*. Evangelista ait : *Si offers munus tuum ad altare*, vel in Itala versione : *Si offeres munus tuum ad altare*. *Christus de veteribus* Judæorum sacrificiis loquitur : sed multo magis id intelligere oportet de Eucharistia.

547. CAPUT XXV. *Adversario, virtuti scilicet, et rationi, quæ vitiis adversantur, consentiendum esse in via, hoc est, in vita*. Matth. v, 25 seq. Glossa in codice Reg. *Virtus contraria—sermo divinus tibi, dum vadis cum adversario tuo in via*. Ita etiam verba Evangelistæ interpretatur S. Paulinus. Matthæus sic habet : *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo : ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro, et in carcerem mittaris*. Pro *esto consentiens* nonnulli habent *esto benevolus*, aut *concorda cum adversario tuo*. Expositio communis obvia est. Juvencus aliam sequi videtur, nimirum per virtutem corporis contrariam homini intelligit carnis concupiscentiam, quæ celeri amore casti, seu castitatis curanda est. Ratio ergo consentiendi huic adversario, seu concordandi cum illo, a Juvenco in eo collocatur, quod castitatis amor pravas cogitationes expellat : sic enim corpus et anima quodammodo in concordiam rediguntur. *Virtus corporis* pro *corpus*, ut v. 478, *Membrorum robora* pro *membra*. Vide notam ad eum versum. Omeisius explicationem Juvenci hodie recipi negat. Maldonatus plures interpretationes profert, ac fatetur, opinionem hanc Juvenci, adversarium esse carnem, quæ concupiscit adversus spiritum, teneri etiam ab Athanasio quæst. 62, quam Hieronymus quoque in comment. ad hunc locum videtur approbare.

549. Glossa Reg. : *graditur—illa virtus contraria*. Scilicet corpus, seu virtus corporis, ut ego quidem interpretor. *Per compita vitæ* est expositio ejus, quod ait Matthæus *in via*. Hilarius Comment. in Matth. : *Cito in omni vitæ nostræ via reconciliari nos adversario benignitate præcepit*.

550. *Polluti corporis usus*, adversarius tuus tibi repugnans. Caro enim concupiscit adversus spiritum, nisi castitatis amore curetur : tunc enim inter se consentiunt caro, et spiritus. Innuit Juvencus libidinem, et fornicationem : connectit enim hanc sacri textus partem cum sequentibus de adulterio.

554. Evangelii verba sunt : *Donec reddas novissimum quadrantem*. Tertullianus, et Cyprianus habent *ultimum quadrantem*. Pro *novissimus*, et *ultimus* non male est *minimus*. Vide notam ad vers. 528 : *Hic minimi nomen cœlesti in sede tenebit*. Prudentius Hamart. v. 950 : *Cuncta exacturus ad usque—Quadrantem minimum*. Fortunatus de extremo Judicio : *Cogentur minimi quadrantem solvere nummi*. Sic etiam auctor libri de Quadraginta mansion. : *Dico, tibi, Non exies inde, donec etiam minimum quadrantem reddas*.

555. CAPUT XXVI. *Adulterium fugiendum*. Matth. v, 27 seq. Vulgata : *Dictum est antiquis*. Plerique Græci omittunt *antiquis*.

556. Sic Juvencus reddit verba Matthæi : *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*.

557. *Molimina* a poetis potissimum usurpatur pro molitione, conatu. Eo verbo sæpe utitur Juvencus. Libr. II, vers. 18 : *Gentis sic sunt molimina vestræ*.

559. CAPUT XXVII. *Eruendum esse oculum, et*

Auctorem miseræ properans convellito labis,
139 Et jaculare procul. Nam membrum perdere refert
Exiguum, flammis quam totum dedere corpus,
Perpetuisque animam pariter convolvere pœnis.
Et si dextra manus mentem per devia ducit,
Erroris causam præstat decidere ferro,
Quam totum æternis corpus concedere flammis.
Præcipiunt veteres, siquis connubia rumpet,
Scribere discidium, juris feralia verba.
Sola viri recte discedet adultera tectis,
140 Ast aliæ maneant : nam casti jura pudoris
Auctore amittet mulier deserta marito.
Antiquæ leges prohibent perjuria linguis.
Sed nostris cedat jurandi audacia jussis;
Nec fas est homini cœlum jurare per altum,
Quod sedes Domini est, nec quæ vestigia gestat
Terra Dei, Solymæque Urbis venerabile nomen,

LECTIONES VARIANTES.

561. Reg., Ott., Rom., et Poelm. pro div. s., *refert*; editi plerique *præstat*.

562. Ald., *tradere corpus*.

565. In Onob. factum est *præsta* ex *præstat*: sed hoc retinendum est. Poelm. pro d. s., *causam magis utile vellere ferro*.

567. Poelm. pro div. s., *Permittunt veteres*. Reg., Ott., Rom., Ald., *rumpet*. Alii, *rumpit*.

568. Reg., Ott., Dav., Rom., Ald., Bas., *discidium*: alii, *dissidium*. Omeisio rectius videtur *discidium*.

571. Ott., *amittit*: alii, *amittet*.

573. Sabatierius perperam, et contra regulam metri, *Sed nostris jurandi cedat audacia jussis*.

575. Torn. corrupte, *sede Domini*. Reg., Rom., Bas., Ott., Ald., *Domini est*, *nec*. Alii editi, *Domini*, *nec* sine *est*. Hadamar, *nec qui*, Poelmann. pro div. s., *nec quod*. Rom., *gestat*. ad marg., *gestet*.

576. Reg., *Terra : Solymæve*, supra *Dei*, ut sit *Terra Dei :* sed vers. præc. glossa inepta *nostra* ad *vestigia*, nam sunt vestigia Dei. In Ott. *orbis* correctum per *urbis*.

NOTÆ.

amputandam esse manum, si erraverint. Matth. v, 29 seq. Verbum *laqueo*, *laqueas* deest in Forcellino, deest in Ducangio : sed apposite formatum est ex *laqueus*. Composito *illaqueo* utuntur Horatius, et Prudentius, et *illaqueatus* Cicero, ut *laqueatus* Columella, et Solinus. Hinc *laqueatores* in circo dicti, qui laqueis alios implicare didicerant. Alio sensu *laqueatus* est laquearibus ornatus. Juvencus alibi dixit *Erroris laqueos* pro scandalis. Vide l. III, vers. 12, cum nota.

561. *Jaculare*, projice. Vide notam ad v. 424 h. l. Notanda est constructio hæc, *Refert perdere membrum, quam* pro *magis refert, quam*. Ita etiam Vulgata, et Italica vetus : *Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam corpus totum tuum eat in gehennam*. Boni etiam scriptores Latini aliquando in comparationibus ejusmodi *magis* vel *potius* omittunt. Tacitus Annal. I, cap. 58 : *Pacem, quam bellum probabam*. Consule Forcellinum verbo *quam*, et *potius*. Prima in *refero* communis est : sic enim multi existimant de præpositione *re*. Impersonale *refert* semper producitur.

563. *Perpetuis pœnis :* quia in Evangelio fit mentio gehennæ, sive ignis perpetui. Sabatierius suspicatur, Juvencum legisse *quam corpus totum tuum, et anima mittatur in gehennam*, quod nusquam reperitur. Verum Juvencus nihil aliud agit, nisi ut vulgatam lectionem explicet.

567. CAPUT XXVIII. *Uxorem non nisi ob adulterium dimittendam*. Matth. v, 31, XIX, 7 seqq. ; Marc. x, 11, 12; Luc. XVI, 18.

568. Matthæus v, 31 : *Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii*. Verba, quibus libellus repudii scribebatur, dicuntur *feralia*, hoc est, funesta, tristia, dira, et fortasse litibus obnoxia. Inter alia vir uxori libellum repudii tradebat, in quo scriptum erat : *Dedi illi libellum repudii in manu, schedam abscissionis, signaculum divisionis*. Alioquin libellus repudii conferebat mulieri jus ad alias nuptias. Confer not. ad l. III, vers. 475.

569. Matthæi hæc verba sunt : *Omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit, adulterat*. Interpretes catholici id ita exponunt. Sola fornicationis, sive adulterii causa, aut quæ huic par, graviorve ea sit, idonea esse potest, ut uxor, quantum quidem ad torum et domum attinet, separetur a viro ; quod cum fit, matrimonii vinculum non dissolvitur, quod natura sua indissolubile est ; et a Christo novis suis legibus indissolubile declaratur. Vir autem, qui sine causa fornicationis, aut alia pari, vel majori, uxorem a se dimittit, facit eam mœchari, quia sine ulla uxoris culpa eam libidini suæ permittit. Juvencus nonnihil obscurus est, sed ad hanc certe sententiam est revocandus.

571. Mulier sine causa idonea deserta, aut e viri domo ejecta, si alteri nubat, aut mœchetur, amittet jura casti pudoris, hoc est, violabit pudorem, auctore marito. Videlicet culpæ marito dabitur, quod uxor ejus violet pudorem. Badius exponit : *Amittet*, etc., non ducetur a alio, quia qui dimissam duxerit, adulterat. Juvenc., l. III, vers. 476, iterum de hoc argumento : *Nam emere exsolvet casti qui jura cubilis*, — *Alteraque illius thalamis sociabitur uxor*, — *Crimen adulterii populo sub teste subibit*. Fortasse ergo sententia hujus loci est : Mulier per libellum repudii deserta, auctore marito, amittet jura casti pudoris, sive cubilis, aut conjugii.

572. CAPUT XXIX. *Non esse jurandum ullo modo, sed Est, et Non est, dicendum*. Matth. v, 33, seqq.

575. *Vestigia*, pedes, seu imam pedum partem. Vide not. ad vers. 512.

576. Judæi summopere vitabant jurare per Deum : sed facile, et temere jurabant per cœlum, terram, Hierosolymam, caput proprium : quæ vera juramenta esse non credebant. Maimonides in tractatu *Shebuoth*, sive *De juramentis* cap. 12, num. 3 et 4 : *Si quis juraverit per cœlum, et terram, et solem, et similia, tametsi cogitaverit tantum de eo, qui ea creavit, juramentum nihilominus non est*. Hæc est causa, cur Martialis l. XI, epigr. 95, Verpum, sive Judæum sic alloquitur : *Ecce negas, jurasque mihi per templa Tonantis*.—*Non credo. Jura, Verpe, per Anchialum*. Sic vocat juramentum per Deum, quod Hebræi ita formabant *An chi alon*, *Non : vivit Altissimus*. Alii *Anchialum* Hebraice sonare aiunt *per Deum viventem*, vel *per eum, qui vivit in æternum*. Isaac Vossius ad Pompon. Melam. l. I, c. 8, corrigit *Ancharium*, h. e., asinum : quia Judæis imputabatur, quod asinum adorarent. Christus prohibet omnia hæc juramenta, quæ vere esse juramenta declarat : prohibet, inquam, non solum ne falso, sed etiam ne temere, et sine causa emittantur. Jurisjurandi exemplum per terram apud Theocritum occurrit Νὰ Δᾶν dorice pro νὴ Γᾶν.

Quod regis magni propria est, jurabitur unquam.
141 Nec caput in proprium cuiquam jurare [licebit,
Namque potestatem minimi non esse capilli
Cernitis, albumve, aut nigrum mutare colo- [rem.
Est, est, sufficiat; quod non est, dicite, Non [est.
Quod superest istis, totum fallaciter ægro
Suggerit obreptans animo vis tetra veneni.
Pervulgata diu legis præcepta tenetis,
Lædentem semper similis vindicta sequatur.
Sed tranquilla malum melius patientia vincet.
Ac si quis partem palma percusserit oris,
142 Mox aliam partem vultus præbere me- [mento,
Auferat aut tunicam si quis vi judicis instans,
Cede libens, pariterque ferat tua pallia secum.
Si te forte aliquis passus per mille jubebit
Ire viam, gravidique oneris perferre laborem,
Mox perges, aliudque iteris comitabere du- [plum.
Siquis egens poscet, vel se simulabit egentem,
Ex animo miserans largire; aut mutua si quis
Orabit, tribue, et mitem ne subtrahe vultum.
Nec tibi sit placitum solis succurrere amicis,
Aut cæcis odiis inimicos ducere dignos.
143 Quin ego præcipiam blando super esse [per omnes
Obsequio, precibusque Deum mollire benignis
Pro vita ipsorum, qui vos excindere gaudent,
Adversisque truces animis, odiisque sequuntur.
Nam genitor noster communia lumina solis,
Communesque dedit pluvias justisque malisque.

LECTIONES VARIANTES.

577. Rom., Ott., *propria est*. Reg. cum plerisque editis *patria est*. Gallandio magis placet *propria est* ex Matth. v, 35; *Neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis*, et Psalm. XLVII, 3: *Civitas regis magni*. Hæc tamen utramlibet lectionem æque confirmant. Kœnigius pro *propria* addit cap. VI, vers. 6 l. II Paralip., et Virgilium, III Æneid. v. 85: *Da propriam, Thymbræe, domum*, hoc est, sedem, quam jure meo teneam.

580. Reg., *albumque, aut*.

581. Ald., *Est, est, ferte quod est: quod non est, dicite, non est*. Alii, ut editum est; sed Torn. et Poelm. pro div. s., *dicere non est*. Vide, num præstet interpungere. *Est? est, sufficiat*.

584. Rom., *tenebat*: lege *tenetis*.

585. Rom., *sequetur*: retine *sequatur* ex Evangelii verbis.

587. Rom., *Te siquis partem*, quod sensu caret. Ald. *si tibi quis partem*. Reg., Ottob., et plerique editi, *Ac si quis partem*. Barthius libr. XXVI, cap. 7, col. 1265, ex sententia id emaculandum ait: *Hanc si quis partem;* quod et elegantius, et verbis Evangelii convenientius esse affirmat. Verba Matthæi sunt cap. V. vers. 39: *Sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe et illi alteram*. Et Lucæ cap. VI, vers. 29: *Et qui te percutit in maxillam, præbe et alteram*. Nihilominus lectio codicum et editionum *Ac si quis*. bene procedere mihi videtur.

589. Reg., *Auferat aut tunicam siquis tibi: illico cuncta - Cede libens*, et glossa *cuncta - vestimenta*. Cæteri ut editum est. Ott. a sec. m. scribit *tonicam*. In Rom. error est *Aufert pro Auferat*.

592. Editi, *gravis atque oneris*. Rom. depravate, *grandique oneris*. Reg., *gravidumque oneris*. Ott., *gravidique oneris*, quod magis arridet, *ut gravidus* ponatur pro *gravis*: nam a *gravis* dicitur *gravidus*.

593. Mss. nostri *aliudque iteris* cum nonnullis editis. Ald., Poelm., et alii *aliudque viæ*.

594. Reg., Ott. a pr. m., Torn., Bas., Ald. *vel si*. Ott. a sec. m., Rom., Poelmann., et alii *vel se*.

596. Reg., *et tristem*, melius, *et mitem*.

598. Ald., *Nec cæcis*.

599. Daventr., Ald. et alii editi, *præcipiam semper blando esse*. Contra mss. Rom., Reg., Ott., *præcipiam blando super esse;* et glossa in Reg., *super esse — super eminere*. Sic restituit Reuschius, qui *super* accipit pro *insuper*, et *per omnes* pro *in omnes*, quod latinius est.

NOTÆ.

573. Martialis l. IX, epigr. 49: *Per tua jurares sacra, caputque tuum*.

583. *Obreptans*. Plauti Ciceronisque verbum. *Vis tetra veneni*, ut vers. 420, *Vis livida;* et vers. 440, *Effuge, pestiferi rabies vesana veneni*. Etiam hoc loco sermo de diabolo esse videtur. Matthæus ait: *Quod autem his abundantius est, a malo est*. Maldonatus eamdem interpretationem cum Theophylacto tuetur. Alii alio modo exponunt.

584. CAPUT XXX. *Qualem quisque inflixerit pœnam, talem et ipse sustinere cogebatur: quia par pari veteri lege referendum*. Matth. v, 38 seqq.

585. *Sequatur*, ut vers. 535: *Nec minor illorum convicia flamma sequetur*. Vide not. ad Dracont. l. II, v. 470.

588. *Præbere*, passim usitatum in re simili, ut *præbere collum cultro, præbere jugulum, præbere cervicem, os ad contumeliam*.

591. CAPUT XXXI. *Jubenti ire viam, onusve ferre, parendum*. Matthæi, v, 41.

592. *Ire viam*, ut vers. 266. h. l., *Venisse viam*.

594. CAPUT XXXII. *Eleemosynas erogandas, et mutuum dandum gratis*. Matth. v, 42. Evangelistæ verba sunt: *Petenti a te, da ei, et volenti mutuari a te, ne avertaris*. Nonnulli etiam prima verba explicant de eo, qui petit, ut sibi aliquid commodetur. Juvencus diserte refert ad eleemosynam, quæ facienda est illis quoque, qui se egentes simulant. Nam in nonnullis Italæ mss. ita hæc verba exprimuntur: *Omni qui petit a te, vel Omni petenti*. Isidorus libr. III. Sentent. cap. 60, num. 13: *Quicumque non egens poscit, etiamsi indigentem se simulet, ex toto illi corde commisereri oportet. Et licet ille fortasse falsam indigentis speciem præferat, is tamen qui simpliciter impertit, fructum misericordiæ non amittit*. Fortasse legendum *Quicumque egens poscit*, vel *Quicumque poscit, etiamsi*, etc.

597. CAPUT XXXIII. *Diligendos esse Inimicos*. Matth. v, 43 seqq; Lucæ VI, 27.

598. *Cæcus* ad affectus animi, qui homines cæcos, et præcipites faciunt, sæpe trahitur, ut *cæca cupiditas, ira, avaritia*, et similia.

601. *Excindere* eleganter, quasi de urbe aliqua diruenda agatur.

602. *Sequi adversis animis, odiisque*, scilicet persequi, insectari. Tacitus libr. IV Hist. cap. 29, *Hostem pilo sequi*. Sic locuti Virgilius, Ovidius, Cæsar, Florus.

604. Confer notam ad l. II, vers. 560.

Quod si conjunctos tantum veneramur amicos, A
Quis locus hic justæ poterit mercedis haberi?
Servit amicitiæ tantum gens dedita lucris.
Sed vos perfecto similes estote parenti.
Sicubi justitiæ pandetur pulchra facultas,
Devitate oculos hominum : nam nulla manebit
144 Merces, posterius quæ factum tale sequatur.
Applaudet tantum sterilis laudatio vulgi.
Sed tu quod dextra facias, nescire sinistram
Convenit, et justis meritis tunc digna rependet
Occulti solus scrutator præmia cordis.
Sunt, quos prætumidæ tollit jactatio mentis,
Et precibus propriis gaudent assistere turbas,
Multifluisque diem verbis ducendo fatigant.
His votis pompæ fructus succedit inanis.
Sed secreta domus precibus penetralia castis
145 Claudantur, paucisque Deum venerabere verbis.
Scit Pater ipse, tui quæ sit trepidatio cordis.
Nil, absente Deo, loquimur, nil abdita clausum
Pectoris antra tegunt : præsens Deus omnia cernit.
His igitur votum placeat concludere verbis :
Sidereo genitor residens in vertice cœli,
Nominis, oramus, veneratio sanctificetur

LECTIONES VARIANTES.

606. Ald., *hic juste.*

608. Poelm. pro diu. script., *perfecti.*

609. Basil., *Sicui* : ita ediderat Aldus, sed in Erratis emendavit *Sicubi*, vel *Sic ubi*. Poelm., *Sicubi*, et pro div. script., *Si tibi*. Rom. cum Hadamar., Poelm. et aliis *justa*. Reg., Ott. cum Ald. et aliis editis, *pulchra*. Westhemerus in textu, *Si tibi justitiæ pendetur justa facultas*, ad marg., *Sicubi justitiæ pandetur pulchra facultas*. Badius, *Sicubi justitiæ pendetur pulchra facultas*. et interpretatur *pendetur*, h. e., impendetur,

610. Plerique, *Devitate*. Poelmann. pro d. s., *Devites*. Westhemerus in textu *Divites*; opinor, corrigendum *Devites*, ad marg., *Devitare*. In Rom. a pr. m. est *Devitate*, a sec. m. *Devitare*.

611. Reg., Ottob., Rom., Poelm., pro div. script., *Merces posterius quæ*. Ald., et plerique editi, *Merces in cœlo quæ*.

612. Rom., Ald., Bas., *Ut laudet tantum*. In Torn. mendum est *Ut audet*. Ott., Reg. cum multis editis, *Applaudet tantum*. Rom., Reg., Ott., Fabr., *laudatio vulgi*. Ald., Poelm., et alii *jactatio vulgi*. Schœttgenius mallet, *Si laudet tantum sterilis jactatio vulgi*.

613. Reg., *Sed te quod dextra facias, nescire sinistram — Convenit, et justis* B. Sensus exigeret, *Sed tu*, etc. Et ita placet hæc scriptura. Reliqui, *Sed quod dextra facit, facias nescire sinistram*, etc.

614. Ald., Poelm., Hadam., Ott., *sinistram*, — *Conveniet : justis*. Reg., ut vers. præc. dixi. Rom., *sinistram*. — *Cum veniet, justis*. Ita edidit Fabricius. Ald., Rom. a sec. m., *condigna* : alii, *tum digna*.

616. Reg., *jactantia*, pro div. script., *jactatio* cum aliis.

617. Torn., *gaudet*, lege *gaudent*.

618. Rom., *Multifluique*; melius, *Multifluisque*.

619. Hadam., mendose, *His vocis pompæ*. Rom., *succedet*.

621. Poelm., Hadam., *Claudentur*. Codices mss., et multi editi, *Claudantur*.

622. Reg., Ott., Torn, Bas., Rom., Ald., *ipse*, tui. Poelm., Hadam., *ipse, tibi*.

625. In codice altero vaticano Reginæ Sueciæ num. 1785, in quo pauci hi versus continentur, legitur *nil abdita clausi*.

627. Reuschius, vulgata interpunctione rejecta, ut ait, distinguit *sanctificetur—In nobis, pater alte, tui: tranquillaque*. Ita fere jam distinxerat Poelm. cum aliis. C

NOTÆ.

605. Plerique mss. Græci, et Patres apud Wetstenium legunt cap. v Matth. vers. 47, *amicos*, pro *fratres*.

607. Hic versus explicandus est ex Evangelii textu : *Nonne et publicani hoc faciunt?* scilicet diligere amicos. Gens ergo dedita lucris, hoc est publicani serviunt tantum amicis.

608. *Perfectus*, numeris omnibus absolutus, etiam de homine dicitur. Cicero de Offic. libr. I, cap. 15 : *Quoniam vivitur non cum perfectis hominibus, plenequæ sapientibus*, etc.

609. CAPUT XXXIV. *Ostentationem inanem in bonis operibus devitandam esse.* Matth. VI, 1 seqq. Justitiæ nomine eleemosynam hoc loco intelligi, plerique docent : Hebræi enim simili vocabulo eleemosynam appellabant.

611. *Posterius* more adverbii pro *post*, *postea*, Cicero, Nepos, Plautus, aliique usurpant. Ut pœna crimen sequitur, sic merces bonum opus. Sallustius in orat. Philippi contra Lepidum ante med. libr. I Fragment. Histor. cap. 14 : *Ubi malos præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est.* D

616. CAPUT XXXV. *Captationem laudum in oratione declinandam.* Matth. VI, 5 seqq. Verbum *prætumidus* apud Claudianum non semel occurrit.

617. Glossa Reg., *assistere — adesse sibi*. Hæc est propria significatio verbi *assisto*, quasi pro *asto*, *vicinum me sisto*. Exemplorum optimorum plena ubique sunt Lexica.

618 *Multifluis*, ut vers. 137, *Largifluis*. Arator l. II, vers. 1064 : *Pocula dat de vase suo, cunctosque rigari — Multifluo sermone jubet*. Sic Dracontius effinxit *dulcifluus* libr. I, vers. 164. Sermo est de battologia precum, qua multis verbis multa petuntur, aut eadem verba iterum, atque iterum inani sono repetuntur.

620. Hebræorum mos erat secreta cubicula intra ædes quasi oratoria habere. Vide Judith cap. VIII, vers. 5. Ovidius II Metam. vers. 737, *Pars secreta domus*, ex quo eamdem consuetudinem apud ethnicos viguisse colligitur. In hunc Matthæi locum expendendæ sunt observationes Balthasaris Helberg, et Salom. Deylingii *De battologia precum*. Distinguendum quippe est multiloquium inane, quod jure reprehenditur, a jugi precatione ad pietatis regulas conformata. Augustinus epist. 130, al. 121, cap. 10 : *Absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari est ad eum, quem precamur, diuturna et pia cordis exercitatione pulsare.*

622. *Trepidatio*, tremor, palpitatio cordis rei alicujus desiderio, vel metu commoti. Est enim cor sedes affectuum. Tibullus l. I, eleg. 11, v. 11 : *Nec tristia nossem — Arma, nec audissem corde micante tubam.* Plautus Aulul. IV, 3, 3, *Continuo meum cor cœpit artem facere ludicram*, — *Atque in pectus emicare.*

625. *Votum* interdum est optatum, desiderium, voluntas : aliquando precatio. Utrolibet modo hic sumi potest : sed rectius videtur, ut pro precibus sumatur.

626. CAPUT XXXVI. *Oratio dominica.* Matt. VI, 9 seqq.; Lucæ XI, 2 seqq.

627. *Sanctificetur* : de hoc verbo recole notam ad vers. 55. h. l.

In nobis, pater alte, tui : tranquillaque mundo A
Adveniat, regnique tui lux alma patescat.
Sic, cœlo ut, terris tua fiat clara voluntas,
146 Vitalisque hodie sancti substantia panis
Proveniat nobis, tua mox largitio solvat
Innumera indulgens erroris debita pravi ;
Et nos haud aliter concedere fenera fas est.
Tetri sæva procul tentatio dæmonis absit,
Eque malis tua nos in lucem dextera tollat.
Sic etenim genitor populis delicta remittet,
Si vestra alterni vobis peccata velitis
Cedere, nec durum erratis impendere pectus.
Sunt etiam pergrata Deo jejunia plebis.
147 Sed propriam multi faciem fœdare laborant,
Quo vanam capiant hominum jejunia famam.
Tu vero et grato crinem nitefactus olivo,
Lætantem puris de fontibus ablue vultum :
Ut solus genitor devoti pectoris aptum
Servitium cernens, laudem, meritumque re- [pendat.
Vanum est defossis terra invigilare talentis :
Illic ærugo, et tineæ dominantur edaces,
Cunctaque diripiunt fures egesta latebris.
Condite thesauros vobis in vertice cœli.
Non ærugo illos, tineæve, aut horrida furum
Factio diripiet. Vobis ubi condita res est,

LECTIONES VARIANTES.

629. Ott., Poelm., Fabr., *lux ampla patescat.* B Ald., Reg., *alma patescat*, et glossa, seu diversa lectio in Reg., *lux sancta redundet*, in quo a pr. m. in textu videtur fuisse *lux ampla*. Rom., et codex alter Reg. num. 1785, *lux alma redundet*. Reuschius congruentius putat *lux alma*.

630. Ald. distinguit *Sic, cœlo, ut terris fiat*. Ex Evangelii verbis oportet interpungere *Sic, cœlo ut terris*. Reg., Ott., Rom., *tua fiat*. Codex alter Reginæ Sueciæ num. 1785, *In cœlo, et terris tua fiat*. Editi plerique, *Sic, cœlo ut, terris fiat tua*.

634. Reg., *fenera fas est* melius, quam alii omnes *fenera nostris*.

636. Fabr., *Deque malis;* alii, *Eque malis*.

637. Poelm., Hadamar., Fabr., Ald., *Tunc etenim genitor populis delicta remittet*. Reg., *Sic etenim genitor populis peccata remittet*. Ott., *Sic etenim genitor populis delicta remittit*. Codex alter Reginæ Sueciæ num. 1785; *Sic etenim genitor populis delicta remittet*. Nonnulli, *Tunc etenim genitor populis peccata remittet*.

658. Conjici potest *alternis*.

659. Badius pro *cedere*, remittere, legit *credere* cum interpretatione *in confessione*. Reg., Ald., Fabr., Torn., Basil., *intendere*, nempe indurare per odium, et iracundiam : alii mss. et editi *impendere*.

643. Ald., Poelm. pro d. script. Basil. *madefactus*. Mss., et plerique editi, *nitefactus*, quod retinendum.

646. Ott., Ald., Rom. ad marg., *laudet, meritumque rependat*, quod fortasse verum est. Rom. mendose, *meritumque rependet*.

647. Reg., Torn., *terræ;* alii, *terra*.

649. Ott. scribit *deripiunt*.

652. Ald., Poelmann., Fabr., Hadam., Reg., Ott., *Pactio*. Rom., Torn., *Factio*, quod probum videtur : et Juvencus quidem sæpe hoc vocabulo *factio* utitur. Vide Indicem verborum.

NOTÆ.

631. In nonnullis mss. Italicæ veteris versionis C legitur : *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie* pro *Panem nostrum quotidianum*, etc. Græce est ἐπιούσιον, quod nonnulli reddunt *supervenientem*, alii *crastinum*, alii *substantivum*, alii *egregium*, plerique *supersubstantialem*. Putat Sabatierius, ad hanc lectionem respicere Juvencum. Sed incerta res est : nam Juvencus pro pane dixit vers. 416, *substantia panis*, et pro sale vers. 540, *substantia salis*. Schœttgenius putat, *vitalem* dici panem vita spirituali, quia *sanctus* vocatur.

635. *Debitum* absolute est res debita, æs alienum. In plurali raro usurpatur ab antiquioribus.

634. *Fenus* est lucrum ex pecunia proveniens : ponitur et pro ipsa sorte. Verba Evangelii sunt : *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Kœnigius *fenera* pro debito abusive positum ait : et deesse putat *fac*, aut aliquid aliud, scilicet in vulgata scriptura. Locus hic a nobis restitutus bono sensu procedit.

635. Exponit verba : *Et ne nos inducas in tentationem*. In Itala versione : *Et ne passus nos fueris in-* D *duci in tentationem*. Hilarius in Psalm. CXVIII : *Non derelinquas nos in tentatione, quam ferre non possimus*. Concinunt alii Patres, qui fortasse magis sensum, quam verba orationis Dominicæ exhibent.

636. Illa verba orationis Dominicæ, *Libera nos a malo* ex Græco multi exponunt, Libera nos a dæmone, qui malus antonomastice dicitur. Juvencus cum plerisque *a malo* accepit neutro genere. *Lux* hic, et alibi statum prosperum denotat.

640. CAPUT XXXVII. *Jejunandum esse, non tamen ad captandam famam, ut faciunt hypocritæ*. Matth. VI, 16 seqq.

641. *Fœdare* loco verbi *extermino*, quod Itala versio, et Vulgata proferunt. Hieronymus in Comment. ad hunc loc. *Verbum* EXTERMINANT, *quod in ecclesiasticis scripturis vitio interpretum tritum est, aliud multo significat, quam vulgo intelligitur : exterminantur quippe exules, qui mittuntur extra terminos. Pro hoc ergo sermone demoliuntur semper accipere debemus*. Re vera in nonnullis mss. legitur *demoliuntur*. In Juvenco *fœdare* est explicatio utriuslibet verbi, sive *demoliuntur*, sive *exterminant*. Terentius Phorm. I, 2, id dixit *formam exstinguere*. Nativum colorem in pallorem convertere alicujus medicamenti artificio veteres didicerant.

643. *Nitefactus* ex *nitefacio*. Gellius l. XVIII, c. 11 : *Ventus mare cæruleum crispicans nitefacit*. Similia apud alios sunt *inanefactus, cadefactus, aliefactus, ardefactus*. Kœnigius *nitefacio* alicubi inveniri ignorabat.

644. *De* abundat, ut sæpe apud poetas Christianos. Hæc autem vel de privatis jejuniis intelliguntur, vel eo spectant, ut jejunantes non affectent pallorem vultus.

647. CAPUT XXXVIII. *Terreno thesauro non esse imminendum, sed cœlesti*. Matth. VI, 19 seqq.; Luc. XII, 33.

648. Serenus Sammonicus De medic. produxit primam in *tinea : Natura, interno cum viscere tinea serpens*. Cohæret Sedulius IV, 20 : *Non mordax ærugo vorat, non tinea sulcat*. Corripuit Prudentius Psychom. vers. 600 : *Materiem, tineis etiam marsupia crebris*. Corripuerunt antiquiores Horatius, Ovidius, Juvenalis, nisi malis synæresin agnoscere, quam pariter in Juvenco et Prudentio debes admittere. Sed potius tenendum est, primam esse brevem : nam apud Serenum legendum est *tænia serpens*.

652. *Res* pro re familiari, opibus, censu, patrimonio, bonis sæpe apud poetas et quosvis alios scriptores occurrit.

148 Illic corda etiam simili ditione tenentur.
Corporis est lumen, quo publica lumina cernis :
Sed si pura acies oculis, simplexque nitebit,
Totius clare splendebunt corporis artus.
Sin vero nequam fuerit, pravumque videbit,
Obscuræ incumbent super omnia membra te-
[nebræ.
In nigras lumen sed si convertitur umbras,
Ipsis horror erit quantus sine luce tenebris?
Nemo potest dominis æque servire duobus :
Unius aut odiis cedet, vel cedet amori.
Nec pariter dominum servus patietur utrumque.
Haud unquam poterit quis divitiisque, Deoque
149 Inservire simul. Sed vos hæc jussa tenete.
Sollicitet proprio ne vos pro corpore vestis,
Neu faciles victus ægra disquirite cura.
Nonne animam pluris facimus, quam corporis
[escas ?
Aut dubitat corpus quisquam præponere vesti ?
Aerias spectemus aves : non vomere presso
Terga soli subigunt, jaciunt aut semina farris,
Aut segetum culmos incurva falce recidunt.
Proveniet tamen his satias potusque, cibique.
Nonne Deo magis est hominum curatio cordi?
150 Nec dignum fuerat vestis suspendere cu-
[ram

LECTIONES VARIANTES.

655. Poelm., Had., Fabr., *Sed si pura acies oculi, simplexque.* Ott., Ald., Bas., Torn., *Sed si pura acies oculis, simplexque.* Reg., *Sed si pura oculis acies, simplexque.* Rom., *Quod si pura oculos acies, simplexque*, sed *oculos* clare mendum est pro *oculis*.

656. Poelm., Fabr., Ald., Daventr., Had., aliique editi, *Clare totius splendebunt.* Codices mss. variant. Reg., *Totius clare;* ad marg. eadem veteri manu, *Tunc totius clare.* Rom., *Et totius clare.* Ott., *Totius, clare;* sed a pr. m. fuit, *Tunc totius clare*, aut *Et totius clare :* nam ante *totius* aliquid abrasum est. Fortasse ita scriptum fuit a Juvenco, *Tunc totius clare*, aut *Et totius clare*, ut monosyllabum sit *totius* per synæresin. Sed cum necessarium non sit *Et*, vel *Tunc*, omittatur, per me licet.

657. Basil., *pronumque videbit :* retine *pravumque videbit.*

662. Ott. a pr. m., *aut odiis cedit, aut cedit amore:* correctum supra veteri manu. *cedet, vel cedet amori.* Fortasse, *cedet, aut cedet.* Aliquando tamen post unum *aut* sequitur *vel.*

664. Basil., *poteris quis.*

665. Rom., *sed hæc vos jussa;* alii, *sed vos hæc jussa.*

667. Ott., *Neu facilis ;* lege *Neu faciles.*

669. Poelm., Ald., Hadam., Reg., Ott., *Aut dubitat.* Reg. a sec. m., *Aut dubitet.* Rom., *Haud dubitat.* Torn., *haud* dubitet. Si legatur *Haud dubitat*, sine interrogatione id efferendum est. Forte præstabit scribere *An dubitat*, vel *An dubitet.* Sententia eadem est.

670. Ott., et a sec. m. Reg. scribunt *Aerias;* alii, *Aereas.* Bas., Ald., *num vomere presso — Terga soli subigunt ?* Alii, *non vomere*, sine interrogatione, quæ etiam a textu Evangelii abest. Reuschius, *num*, cum interrogatione præ reliquis lectionibus eligit.

671. Rom., *subeunt :* corrige, *subigunt.* Poelm. in textu, Hadam., Torn., *haud.* Mss., Bas., Poelm., pro div. script., *aut.* Fabr., *nec.* Sensus idem est. Aldus interrogationem pergit adhibere *jaciunt aut semina farris ?* Sic etiam v. seq.

673. Reg., *Proveniet his tamen saties*, quod metri ratio non patitur. Fabr., *Provenit et tamen his satias.* Ald., Rom., Torn., Bas., *Proveniet tamen his saties.* Ott., Poelm., *Proveniet tamen his satias.* Magis probatum est *satias*, quam *saties.*

674. Rom., *Numne Deo magis est hominum curatio cordis?* quod profecto sustineri nequit.

675. Vide, num melius, *Et dignum fuerit vestis suspendere curam*, hoc est, differre curam.

NOTÆ.

657. *Oculus nequam*, vitiosus, aut inutilis, et ad videndum ineptus. *Pravum* adverbii more: quod Juvenco frequens est.

658. *Incumbere* pro instare, ingruere, ut *tempestas incubuit, venti incubuerunt.* Reuschius tmesim agnoscit in *incumbent super:* sed melius est *super membra incumbent.*

660. *Sine luce tenebris ;* quia tenebræ nullam unquam lucem habent, aut habere possunt. Matthæus ait : *Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt : ipsæ tenebræ quantæ erunt ?*

661. CAPUT XXXIX. *Non posse quemquam servire duobus dominis. Item nimiam ciborum, et vestium curam e corde eliminandam, nec plus æquo sollicitos esse oportere.* Matth. VI, 24 seqq., Lucæ XII, 22, et XVI, 13.

666. *Sollicitet :* idem verbum in simili argumento apud Prudentium, et Columbanum, ut leges in not. ad v. 683. h. l.

667. *Faciles victus*, quia victus homini necessarius facilis est, et parabilis, sive facile obtinetur. Hac significatione *victus* dicitur tam in singulari, quam in plurali.

670. Virgilius l. I Georg. vers. 45 : *Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro — Ingemere.* Plinius l. XVII, cap. 4, dixit *vomerem imprimere.* Hoc sensu *vomere presso* pro *depresso*, aut *impresso.*

671. *Terga* pro superficie, ut terga maris. Virgilius libr. I. Georg. vers. 97 : *Et qui proscisso quæ suscitat æquore terga, — Rursus in obliquum verso perrumpit aratro.* Et libr. II, vers. 236 : *Glebas cunctantes, crassaque terga — Exspecta, et validis terram proscinde juvencis.* Juvencus sæpe idem vocabulum ad terræ superficiem indicandam adhibet. Columella l. II, cap. 2, vers. fin. : *Exiguis vomeribus, et dentalibus terram subigere.*

673. Cellarius De Barbarism. in Cur. poster. ait, non satis constare de auctoritate verbi *saties* pro *satietas.* At verbum *satias* pro *satietas* probat idem Cellarius, quia non solum antiquissimorum est Terentii et Lucretii, sed etiam Livii, et Taciti. Alios addit Forcellinus.

674. *Curatio* proprie est cura, administratio. Hinc transfertur ad illam curam, quæ morbis adhibetur.

675. Sententia inversa est in Juvenco, aut trajecta sunt verba, et aliquod hemistichium deest. Evangelista ait : *Nonne vos magis pluris estis illis ? Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ? Et de vestimento quid solliciti estis ? Considerate lilia agri, quomodo crescunt : non laborant, neque nent*, etc. Igitur hæc verba, *Nec dignum fuerat vestis suspendere curam*, conjungenda sunt cum verbis, *Cernite per pingues*, etc. Obscurum etiam est, *Nec dignum fuerat vestis suspendere curam — Pectoribus* pro *Nec dignum fuerat curam de veste retinere pectore.* Verbum autem *cubitalia* probum est : quo utuntur Livius, Plinius, Palladius.

Pectoribus nostris. Numquid cubitalia possunt
Incrementa suis homines imponere membris ?
Cernite, per pingues agros ut lilia florent.
Non ulli tamen iis umquam incubuere labores.
Nec Salomona illum, cum regni divitis aula
151 Affluēret, talis contexit gratia vestis.
Naturale bonum terris commune placebit.
Quod si pratorum, fruticumque virentia læta
Ipse Deus vestit, nostris obnoxia flammis,
Cur vobis potior non est fiducia patris ?
Ergo cibum, potum, vestemque, et inania cuncta,
Gentibus infidis terrenam linquite curam.
Vos potius digne cœlestia quærite regna,
Justitiamque Dei : spontanea cætera current :
Crastina nec vobis curetur copia rerum.
152 Quisque dies sibimet satis est pro fraude [diurna.
Judicium vestrum fugiat damnatio sæva.
Nam Dominus juris vestri documenta sequetur.
Quæ vos in terris statuetis tempore capti,
Hæc eadem vobis Genitor servabit in æthra.
Mensuram tibi, quam ponis, portare necesse est.

LECTIONES VARIANTES.

676. Ott., *Pectoribus nostris non sicubitalia possent*, ut vix appareat distinctio in *sicubitalia*. Reg., *necsicubitalia*, fere eodem modo, sed glossa inepta supra *si ubicumque*. Rom., *nam sicubi talia possent*. Fabr., Poelmann. in textu, Hadam., *num sicubi talia possunt*. Poelm. pro d. s.; Ald., Torn., Bas., *Pectoribus, si nunc habitam transire figuram — Per se nemo potest, aut quicquam imponere membro*. Koenigius conjecit, *Pectoribus nostris. Numquid cubitalia possunt — Incrementa suis homines imponere membris?* Quam conjecturam confirmavit Reuschius ex codd. Helmst., et Fuld. Favent nostri codices Vatt., Reg., Ott. Suspicabitur aliquis, *num sic cubitalia possunt*, etc. Reuschius ex suis codicibus legit *Pectoribus nostris : non, si cubitalia possent*, etc., et commentatur : Ne dignum quidem est discipulo meo curis angi, si vel maxime efficere posset, ut staturam suam excederet, atque corporis altitudini partem alterius adderet. Pro *Pectoribus nostris* melius videtur *Pectoribus vestris*.

677. Ita Poelm. in textu, Fabr., Hadam., et alii cum mss. nostris. Aldus et alii editi *Per se*, etc., ut nuper explicui.

678. Reg., *lilia fulgent*. Tentabam ordinem horum versuum ita restituere : *Nonne Deo magis est hominum curatio cordi? — Pectoribus, nostis, numquid cubitalia possint — Incrementa suis homines imponere membris? — Et dignum fuerat vestis suspendere curam. — Cernite per pingues*, etc. Intelligo *Pectoribus*, cogitantes, aut cogitando : quamvis enim id durum sit, tamen refertur ad Evangelium : *Numquid potest homo cogitans*, etc. Pro cogitatione *pectora* posuit Juvencus l. II, vers. 84.

679. Reg., Ott., Poelmann. pro d. s., Rom., *labores*. Ald., Had., Fabr. et alii, *ligones*. Conjiciat aliquis, *ligone*.

680. Ald., Fabr., Hadam., Poelmann. in textu, Daventr., et alii, *Nec Salomona gravem*. Reg., Ott., *Nec Salomona illum*. Rom., *Nec Salomon illum*. Ex vulgata lectione *Nec Salomona gravem* conjici potest. *Nec Salomona tamen*. Poelm. pro d. s. posuit *Nec Salomona illum*, quod etiam amplexus est Omeisius. Vide lect. var. l. II, vers. 712.

682. Abest hic versus ab editis, etiam ab editione Reuschiana. Sed cum adsit in nostris mss. Reg., Ott., Rom., cur eum diutius abesse patiemur ?

685. Rom., *Cur nobis potior non est fiducia præsens ?* Retine quod editum est.

689. Ald., Bas., *currunt ?* alii, *current*.

695. Mss. nostri Reg., Ott., Rom., *juris vestri*. Editi, *vestri juris*.

694. Ott., Bas., Torn., Ald., Poelm. pro d. s., *Quæcumque in terris*. Reg., Rom. et alii, *Quæ vos in terris*. Ald., Bas., *tempora ;* alii, *tempore*. Badius exhibet, et explicat *tempora*, hoc est temporalia judicia : *capti*, hoc est, illecebris, et divitiis. Reuschius præfert *statuetis, tempore capti*, ubi tempus metonymice sumitur pro eo, quod male fit in tempore, ut in illo : *o tempora, o mores !*

696. Vulgo male hic versus interpungitur. Sensus enim est : necesse tibi est portare mensuram quam ponis, scilicet aliis imponis.

NOTÆ.

680. Intelligo, cum Salomon affluēret regni divitis aula, ut *aula* sit in auferendi casu.

681. *Gratia* pro elegantia, venustate, pulchritudine. Sic hoc verbum accipiunt Plinius, Celsus, Quintilianus, Apuleius, et æquales. Hinc tres Gratiæ nomen traxerunt.

685 Barthius libr. XXXV Advers. cap. 12 hæc observat : *Nemini non ignarissimo non est notum* CULTA *poetis loca fertilia, fecunda, et subacta esse. At vero non est proletarium,* LÆTA *eadem significari. Juvencus libr.* I : *Quod si pratorum, fruticumque virentia læta — Ipse Deus vestit, Et in talibus tales scriptores non sunt aspernandi, quos vulgus nulla ratione contemnit : essent autem majoris auctoritatis, nisi per tot barbaras monachorum manus ad nos pervenissent.* Rogarem a Barthio, per quas alias doctiores manus ad nos pervenire potuissent hæc carmina ? Aut quo pacto nos ea nunc haberemus, nisi per monachorum manus ad nos tandem essent delata ? Neque vero probo, quod ait Barthius, *læta* poetis esse loca fertilia ex hoc loco Juvenci : nam cum *læta* conjungatur cum *virentia*, hoc potius nomen absolute positum esse censendum est, ut l. II, vers. 817 : *Seminibusque illud minus omnibus esse virentum*. Columella libr. I, cap. 5 : *Armentis, et virentibus, eorumque fructibus*. Et l. III, cap. 8 : *Natura parem legem fecunditatis dixit virentibus, atque hominibus, cæterisque animalibus*.

684. *Vestit :* de hac metaphora vide not. ad Dracont. l. I, vers. 184 : *Nostris obnoxia flammis*, quia Evangelista Matthæus ait : *Si autem fœnum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit*, etc. Nempe in furnum mittitur. Clarius Itala vetus in ms. 1 Sangerm., *Et cras in ignem mittitur*. Badius de exustione solis verba Juvenci præpostere exponebat.

689. *Spontaneus*, Senecæ, et posteriorum verbum. A Cellario sæculo argenteo restituitur contra Vossium : sed locus Plinii, quem allegat ex Borrichio, incertæ lectionis est.

690. Prudentius Psych. v. 615 : *Nec te sollicitet res crastina*. Columbanus : *Nec te sollicitet circumflua copia rerum :* quod ex cit. loco Prudentii sumptum, et ex alio Hamartig. v. 333 : *Et nitidis fallens circumflua copia rebus*.

691. Evangelii textus est : *Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi : sufficit enim diei malitia sua*. Græce pro *malitia* est κακία, *afflictio, molestia*. Recte ergo Juvencus *pro fraude :* nam *fraus* damnum etiam significat. Confer not. ad Dracont. l. III, v. 326.

692. CAPUT XL. *Non esse temere judicandum. Tum cernere nos festucam in alieno oculo, trabem vero in nostro non sentire. Item non jaciendas esse porcis margaritas*. Matth. VII, 1 seqq. ; Lucæ VI, 37 ; Marc. IV, 24.

695. *Juris vestri documenta sequetur :* judicabit vos in judicio, quo vos judicaveritis. Par pari referet.

Cernis adhærentem festucam in lumine fratris, A
Nec tamen in proprio tignum consistere sentis ?
Atque oculum prius alterius purgare laboras ?
Diripe sed proprio fallax de lumine tignum.
Tum minimam alterius curabis demere aristam.
Ne canibus sanctum dederitis, neve velitis
153 Turpiter immundis jactare monilia porcis.
Namque illa in cœno pedibus subjecta jacebunt,
Conversique sues vasto vos vulnere rumpent.
Poscenti dabitur, quærens inventa tenebit,
Pulsantique aditus foribus pandetur apertis.
Vos homines natis panem poscentibus omnes
Num lapidem dabitis, piscemve petentibus,
[anguem ?
Vos, inquam, rigidi, quibus alte est insita cordi
Duritics, vestris dabitis semper bona natis.
Indulgens hominum Genitor bona mitia digne
Quam præstare magis gaudet poscentibus æquis !
Quæ cupitis vobis hominum benefacta venire,
154 Hæc eadem vestro cunctis præstate favore.
Hæc legis summa est, hoc jus dixere prophetæ.
Ite per angustam, justi, supra sidera portam.
Quam lata, et spatiosa via est, quæ limite lævo
Præruptum convolvit iter caligine mortis,
Innumeræque illam penetrant per prona ca-
[tervæ !
Vitalis vastis stipatur semita saxis,
Celsaque vix paucos ducit per scrupea virtus.
At si quos nimium fallax, illexque malorum
Planities suasit deformi lubrica lapsu,

LECTIONES VARIANTES.

697. Ott. scribit *fistucam*.

698. Badius legit *lignum*, sed conjiciebat legendum *tignum*, quod habent reliqui.

699. Rom., *labores ;* alii, *laboras*. Poelm., et alii *laboras ?* cum interrogationis nota, quæ in Evangelio etiam exstat. Nonnulli *laboras* sine interrogatione.

700. Poelm. pro d. s., *Eripe ;* in textu, *Diripe*, cum plerisque. Ott., *Deripe*. Reg., Ott., Ald , Daventr., Bas., *lumine trabem :* quod mirum est, nam *a* in *trabem* corripitur. Rom., Had., Poelm., et alii recte, *tignum*.

702. Lupus abbas Ferrariensis legebat *Ne sanctum canibus*. In mss. nostris et editis invenio : *Ne canibus sanctum*.

703. Reg., et a sec. m. Ott. scribunt *munilia* pro *monilia*.

704. Hadam., *Namque illo in cœno :* lege cum aliis *illa*.

705. Bas., *conversique suos* mendose. Fabr., Torn., *Conversique canes*. Poelm. pro d. s., *Conversæque sues*, in textu cum mss. et plerisque editis, *Conversique sues*.

707. Bas., *adytus*, quo fortasse respicit Rom., *adytis*. Sed *aditus* verum est. In Rom. est *aperte*, et supra tamquam diversa lectio *apertis*.

B 709. Reg., Ott., Rom., *Non lapidem dabitis, piscemve petentibus, anguem*. Editi, *Num lapidem dabitis, piscemve petentibus, anguem ?* Id magis accedit ad textum Evangelii : et SS. Patres etiam plerumque cum interrogatione hanc sententiam efferunt.

711. Fabr., *dabitis dona optima natis :* nescio a quo id mutuatus fuerit; nam mss. et editi habent *dabitis semper bona natis*, quod probum est.

715. Fortasse, *poscentibus æquus*, vel *poscentibus æqua*.

714. Poelm. in textu *hominum* cum plerisque : pro d. s., *homini*.

717. Reg., Ott., Rom., *supra sidera*. Editi, *super æthera*.

718. Poelm. in textu cum aliis *Quam*, pro d. s., *Quod*.

721. Reg., *strictis*, supra pro d. s., *vastis*, quod exstat in Ott., Rom. et editis.

C 722. Reg., Rom., et Ott. a s. m., *ducit*, quod edidit Torn. Alii plerique editi cum Ott. in textu *ducet*. Ott. et Rom. scribunt *scropea*.

723. In mss. Reg., Ott., Rom. scribitur *inlex* pro *illex*.

NOTÆ.

702. Audiendus hoc loco est Lupus abbas Ferrariensis epist. 8 : *Servius auctor est, qui in eo versu, ubi Virgilius systolen fecit his verbis, Egerimus, nosti, et nimium meminisse necesse est, Ri, inquit, metri necessitate corripuit. Item Juvencus : Ne sanctum canibus dederitis, neve velitis, licet quidam præteritum perfectum subjunctivi, et futurum differre scribant.* Quidquid id est, grammatices tuta regula est, *Ri subjunctivi poterit variare poesis*. Exempla in optimis quibusque poetis invenire licet.

703. *Monilia :* hoc est, margaritas, quibus ornantur monilia.

705. *Rumpent*, lacerabunt. Ovidius in Ibin v. 603 : *Quidque Lycurgiden lethavit et arbore natum, — Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper*. Adde Martialem l. XII, epigr. 14.

706. CAPUT XLI. *Petendum, quærendum, et pulsandum esse*. Matth. VII, 7 seqq., XXI, 22 ; Marc. XI, 24 ; Luc. XI, 9 ; Joan. XIV, 13.

D 711. *Durities*, quia homines rigidi, et duri sunt, hoc est, ad benignitatem parum proclives.

713. *Quam magis gaudet*, hoc est, quanto magis : nam *quam* proprie significat *quantum, quantopere*. Pro bonis, justis adhibetur *æquis*. Virgilius Æneid. lib. VI, 129 : *Pauci, quos æquus, amavit — Jupiter*. Vide 125 h. l.

717. CAPUT XLII. *Latam esse viam, quæ ducit ad perditionem, angustam vero, quæ ad salutem*. Matth. VII, 13 seqq. ; Luc. XIII, 24.

718. *Quam lata*, forte valde lata, et spatiosa via est. Evangelista ait : *Intrate per angustam portam, quia lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam*. At in versiculo seq. cum admiratione : *Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam ; et pauci sunt, qui inveniunt eam !* Crediderim tamen, abesse posse etiam a textu sacro eam notam admirationis : nam rectus est hic sensus, Valde angusta porta, et arcta via est, eam enim vim habet particula *quam*. Itaque in hac ipsa sententia exprimenda eam particulam omittunt Hilarius, Ambrosius, Leo Magnus, et alii. Plerique mss. codices Græci apud Wetstenium, et Matthæum habent non ὅτι, sed τί. Hæc particula interrogationem, vel admirationem etiam in Juvenco arguere potest.

720. *Per prona*, per declive, quia *facilis descensus averni*. Silius libr. XV, 234 : *Pugnabat natura soli, parvoque superne — Bellantum nisu, passim per prona veluti — Truncato instabiles fundebant corpore vitam*. Seneca epist. 123 : *Qui per pronum eunt, resupinant corpora, qui in arduum, incumbunt*.

722. *Scrupus* est saxum asperum : hinc *scrupeus*, saxis asperis plenus, et *scrupea* loca aditu difficilia vastis saxis horrida. *Celsa* cum *virtus* potius conjungendum, quam cum *scrupea*.

723. *Illex* ab *illiciendo :* vide comment. ad Prudent v. 328 Psychom. Cum genitivo apud Apuleium in Apologo : *Illex animi Venus*.

724. *Suasit* cum accusativo loco dativi. Sic etiam Apuleius, Tertullianus, et alii locuti sunt. Si sequa-

155 Arripit hos, pronosque trahit, velut im- [petus amnis,
Aut alacer sonipes ruptis effrenus habenis,
Aut rectoris egens ventosa per æquora puppis.
Observate illos, falso qui nomine vobis
Insidias faciunt, appellanturque prophetæ.
Hos ovium species vestit, sed sæva luporum
Pectora fraude tegunt, lacerantque incauta [trahentes
Agmina credentum, sævus quos decipit error.
Fructibus e propriis noscuntur talia monstra :
Quemque petat finem fallax doctrina, viden- [dum.
Quapropter rerum molitio perspiciatur.
Nam neque de tribulis ficus, nec sentibus uvas
Provenisse umquam ruris per terga notastis.
Utque arbor proprio vestitur germine pomi,
156 Sic dolus illorum fructu monstrante pa- [teseit.
Non ego palpantum verbis, et honore mo- [vebor,
Nec me quod Dominum perblanda adulatio dicit,
Præmia cœlestis capiet spontanea sedis.
Illi sed merito gaudebunt munere regni,
Qui faciunt nostri Genitoris jussa volentes.
Adveniet mox summa dies, quæ jure severo
Præmia justitiæ tribuet, scelerique gehennam.
Tum mihi multorum clamabit talia fletus.
Nonne tuo quondam magnæ sub nomine nobis
Virtutes sanctis domuerunt omnia jussis?
Sæpe etiam nostra est vox annumerata pro- [phetis :
Servivitque tuo nobis sub nomine dæmon.
Tunc jurabo illis, quod talis cognita numquam
157 Vita mihi est hominum, gestis quæ sor- [det iniquis.
Quisque meis monitis auresque, et facta dicabit,
Hunc æquabo viro, solidis fundamina saxis

LECTIONES VARIANTES.

726. Fabr. *effrenis* : mss. et alii editi *effrenus*, quod mutari non debuit.

732. In Ott. factum est *cedentum* fortasse ex *credentum* : nam aliquid est abrasum. Magis probo *credentum*.

734. Ott., *videndum* sine *est*, quod elegantiam præfert. Plerique tamen *videndum est*.

735. Hic versus *Quapropter* in Ott. virgula inclusus est, et circumscriptus. In aliis nostris mss. et editis sine ulla nota reperitur. Omeisius et Schœttgenius Fabricium et codd. Helmst. et Ca. secuti, illum commode abesse posse censuerunt. Reuschius, quamvis hæsitans, retinuit tamen, et sermonem esse ait de illis, qui vitam corruptam dissimulant : quos ut caveamus, non solum doctrina, sed et vita est inspicienda.

756. Fabr., *ficus, de sentibus*. Alii, *ficus, nec sentibus*.

738. Reg., *Utque arbor vestitur proprio;* emenda : *Utque arbor proprio vestitur*.

740. Sabatierius ad cap. VII Matth. edidit *Non ergo :* sed lex metri exigit *Non ego*.

741. Reg., Ott., Rom., Fabr., *perblanda*. Ald. et alii editi, *præblanda*, quam vocem novam esse observat Omeisius. Reg. scribit *adolatio :* et hæc scriptura magis congruit metro, quam *adulatio*, ut habent cæteri mss. et editi : nam secunda in *adulatio* est longa. A Juvenco per systolen corripi, Omeisius astruit. Rom., *quæ Dominum*, neque aliud fortasse voluit Aldus in nexu litterarum. Reg., a s. m. Rom., *dicet :* alii, *dicit*.

743. Poelm., in textu, *Olli :* plerique, *Illi*.

744. Codex Helmst., *volenter*, quo adverbio Apuleius etiam usus est.

745 Bas. *qua :* lege *quæ*. In Reg. non satis exprimitur, an *severo*, an *severa*, an aliud legendum sit.

748. Reg., Ott., Rom., Poelm. pro d. s. *quondam magnæ sub nomine nobis — Virtutes sanctis domuerunt omnia jussis*. Ald., Hadam., Fabr., et alii editi *quondam nobis sub nomine virtus — Exstitit, et nostris parebant omnia jussis*. Priorem lectionem tuetur Reuschius, qui ait, *nobis* esse dativum personæ, cui aliquid acquiritur. Notatur arrogantia istorum hominum, qui virtutes, quas per eos Deus operatus est, sibi transcribere non verentur : quo etiam v. seq. respiciunt verba *sanctis jussis*.

753. Rom ; *genitis :* corrige *gestis*.

754. Reg., *meritis :* lege *monitis*.

NOTÆ.

tur infinitivus, tunc non ita rarum est *suadeo* cum accusativo personæ, ut *Suadeo te quiescere*. Semper tamen melius est *Suadeo tibi*.

725. *Pronosque*, ut v. 720, *per prona*.

726. *Sonipes* poeticum pro equo. Hæc a Juvenco addita sunt, ut sententiam evangelicam confirmet. Quo loco satis ostendit, quam sublimi stylo canere potuisset, si liberius vagari voluisset.

727. Horatius, l. III, od. 4, v. 45 : *Qui terram inertem, qui mare temperat — Ventosum*.

728. CAPUT XLIII. *De pseudoprophetis et hypocritis*. Matth. VII, 15 seq. ; Luc. VI, 44. *Observare aliquem* interdum est venerari et colere : sed aliquando significat considerare, et speculari, ut ab ejus insidiis caveat is, qui observat.

735. *Molitio*, conatus : de re bona et mala promiscue adhibetur. Insidiantium non solum doctrina perspicienda est, sed etiam mores explorandi.

737. *Ruris per terga :* Vide not. ad v. 671.

740. CAPUT XLIV. *Non qui dicunt, Domine, Domine, intraturos in regnum cœlorum, sed qui faciunt jussa Dei*. Matth. VII, 21 seqq. Omeisius per hendiadyn exponit *verbis, et honore*, videlicet *verbis honorificis*.

742. *Spontanea :* vide not. ad v. 689.

745. Virgilius, libr. II Æneid. v. 324 : *Venit summa dies, et ineluctabile tempus*.

749. *Virtutes :* hoc vocabulum in sacris litteris, et ab ecclesiasticis scriptoribus passim miraculis tribuitur.

753. *Res gestæ* et *gesta* sunt insigniora quædam acta. Idcirco Badius melius putaret *factis*, quia de privatis loquitur.

754. CAPUT XLV. *Domum supra petram ædificatam manere illæsam, supra arenam vero ruere*. Matth. VII, 24, seqq., Luc. VI, 47 seqq. De vocabulo *quisque* pro *quisquis* vide not. ad Dracont. libr. II. 719, et comment. ad Prudent. hymn. 7 Cath. v. 216.

755. *Fundamina* vox poetica Virgilii, Ovidii et aliorum.

Ponenti, librata super quæ mœnia surgent.
Illa domus pluviis, ventisque illæsa manebit,
Torrentumque minas firmato robore vincet:
Hærent immotæ quoniam fundamina petræ.
Qui vero auditu tantum mea jussa tenebit,
Diversisque procul factis per lubrica perget,
Hunc similem faciam volucri qui fulcit arena
Fundamenta domus, primo cui flamine venti,
Et pluvia effusis cœpit cum incumbere rivis,
Omnis subverso procumbit pondere moles,
158 Insequiturque gravi tectorum strage ruina.

Talia dicentem magna admiratio plebis
Immensum stupuit, quoniam transcenderat alte
Doctrinam veterum Christo concessa potestas.

Denique linquentem celsi fastigia montis
Stipabat gaudens populorum turba sequentum.
Ecce sed horrenda confixus viscera tabe,
Quem toto obsessum fœdarat corpore lepra,
Procubuit venerans juvenis, Christumque precatur;
Ut caream tandem languoris pondere tanti,
Sufficiat voluisse tuum. Tum dextera Christi
Attactu solo purgavit lurida membra.
Incolumique dehinc, celaret gaudia, jussit,
159 Et legi parens offerret munera templo.
Inde recedenti supplex se protinus offert
Centurio, et precibus projectus talibus orat.
Impubis pueri cruciatur spiritus æger,
Cujus cuncta repens membrorum munia languor
Dissolvit, vitamque tenet jam pœna superstes.

LECTIONES VARIANTES.

756. Bas., *ponénte*, mendose. Rom., *super cui*, minus bene. Poelm., pro d. s., *surgunt*: alii, *surgent*.

759. Ald., *immoto*. Torn., Bas., *immota*. Plerique, *immotæ*. Ald., *fundamine*: sic etiam Bas., et Torn. Alii, *fundamina*. Poelm. in textu *immotæ q. fundamina*, pro d. s., *immoto q. fundamine*.

761. Reg., *pergit*: cæteri, *perget*.

762. Fabr. *Hanc*: emenda *Hunc*.

763. Ott., *primo cui flamine venti*, — *Et pluvia effusis cœpit cum incumbere rivis*. Reg. sic, sed *infusis* pro *effusis*, et glossa in *venti* — *cum cœperunt incumbere*. In Ott., a pr. m., forte fuit *flamina*, ex quo factum est *flamine*. Rom., *Fundamenta domus, cui flamine venti*, — *Et pluviæ fusis cœpit cum incumbere rivis*. Deest *primo*. In editis aliter id expressum est, nempe *Fundamenta domus; cui mox ut flamina venti*, — *Et pluvia effusis cœpere incumbere rivis*.

766. Reg., Ott., Rom., Ald., *gravi*. Fabr., Poelm., et nonnulli alii, *gravis*.

767. Reg.: *Talia dicente fixa admiratio*; et glossa, *dicente* — *Domino*.

768. Reg., Ott., Rom., *transcenderat*; editi, *transcenderet*.

775. Rom., *Et*, ad marg. *Ut*. Conjicere licet *Ut caream*. Matthæus enim ait: *Adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare*. Simili modo Marcus et Lucas. Itaque conjecturam sequor, quamvis alii omnes habeant *careat*.

776. Poelm., pro d. s., *sufficiet*: plerique, *Sufficiat*.

778. Reg., Ott., a sec. m. scribunt *Incolomi*. Poelm., in textu, Torn., Hadam., *celare hæc gaudia jussit*, — *Et legi parens offerri munera templo*. Poelm., pro d. s., Fabr., *celaret gaudia... offerret*. Reg., a pr. m., *celare gaudia... offerret*. Reg., ex correctione, Ott., Daventr., Ald., Rom., Bas., *celare hæc... offerret*.

781. Ald., *projectis*.

783. Ald., Daventr., Had., Poelm., et plerique editi, *tepens*. Fabricius edidit *repens*, fortasse pro *repente*, non a *repo*, quod exstat etiam in Reg. et Ottobon. Consonat Rom., ubi mendum est *reperis* pro *repens*, et pro *Cujus* legitur *Ejus*. Duo etiam codices apud Oneisium exhibent *repens*. Reuschius edidit *tepens*, et explicat *remittens*: sed advertit, Prudentium corripuisse etiam primam in *repo*, hymn. 3 Perist. v. 161: *Emicat inde columba repens*. Mihi non satis id constat: nam eo in loco *repens* fortasse positum est pro *repente*: et Isonis vetus glossa explicat *repens*—*subita*. In not. ad Dracontium, libr. I v. 285: *Et maculosa repit squamis per viscera serpens*, ostendi nonnullam esse rationem, cur prima in *repo* corripi possit. *Repo* per metathesin a verbo græco ἕρπω originem trahere confirmat Forcellinus.

NOTÆ.

756. *Librata*, quasi ad libram collocata, ad libram condita, ut nutare nequeant, libellæ instrumento æquata. *Surgent*, ex Virgilio, l. I Æneid. v. 441: *O fortunati, quorum jam mœnia surgunt*.

761. *Diversis*: nempe oppositis, contrariis, nam hac etiam significatione nomen *diversus* gaudet, quod multis exemplis Lexicographi confirmant, *Lubricum* substantivi more dixerunt Plinius, Macrobius, Ulpianus et alii.

768. *Immensum* adverbii more efferunt Sallustius, Ovidius, Tacitus et alii. *Stupuit* de stupore ex admiratione orto cum accusativo iterum l. II, v. 297: *Stupuere magistrum*.

769. Evangelista Matthæus ait: *Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, et non sicut scribæ eorum, et pharisæi*. Intelligit ergo Juvencus *veterum* nomine scribas, et pharisæos, aut etiam seniores.

770. CAPUT XLVI. *Descendens Jesus de monte, leprosum curat*. Matth. VIII, 1. seqq., Marc. I, 40; Luc. V, 12.

774. *Juvenis*. immo *vir plenus lepra*, ut ait Lucas. Adisis not. ad l. II v. 332, 419, de hac voce *juvenis*.

776. *Voluisse tuum*, voluntas tua. Vide not. ad Dracont. libr. I, v. 367.

777. Virgilius, libr. VII, v. 350: *Volvitur attactu nullo*. Varro etiam ablativo *attactu* usus est: ac negat Forcellinus, extra ablativum casum exempla reperiri... *Purgare* verbum est huic rei accommodatissimum, ut notavit Arntzenius, Observat. Spec. cap. 9. Cyprianus, de idol. Vanit., *Leprosos purgaret*.

780. CAPUT XLVII. *Puerum centurionis paralyticum curatum*. Matth. VIII, 5 seqq.; Lucæ VII, 1.

782. Quem Matthæus *puerum* semper, Lucas plerumque *servum*, aliquando *puerum* vocat. Romani servos suos etiam senes vocabant *pueros*. Confer comment. ad Prudent. hymn. 9 Cathem. v. 1. Non igitur video, cur Juvencus *impubem puerum* dicat centurionis servum. Sæpe *juvenem* vocat hominem adultum: at *puer impubes* ad veram pueritiam omnino referendum est.

784. *Dissolvit*: verbum proprium ad paralysin explicandam. Vide not. ad Dracont. l. II, v. 118: *Ossibus et nervis resoluta carne retectis*. Quod *pœna superstes* vitam teneret, ita intelligo, in membris paralysi resolutis et mortuis pœnam fuisse, quæ superstes erat vitæ aliorum membrorum. Confer not. ad v. 605 l. II.

Sed jussu miserere, precor : nam tecta subire
Crimina nostra vetant vitæ, lucisque parentem.
Nunc verbo satis est jubeas remeare salutem.
Subjectos mihi sæpe viros sic nostra potestas
Officiis verbo jussis parere coegit.
Dixerat : ille viri motus precibusque, fideque,
Talia conversus populo dat dicta sequenti.
Haud umquam talem memini me gentis avitæ
160 Invenisse fidem : sed veris discite dictis,
Quod multos homines diversis partibus orbis
Progenitos cœli regnum sublime vocabit
Cum patribus nostris vitali accumbere mensæ :
Progenies quorum cæcis demersa tenebris
Dentibus horrendum stridens, fletumque frequentans
Perpetuis pœnam cruciatibus acta subibit.
At tibi jam juveni mentis virtute fidelis,
161 Ut credis, veniet fructus cum luce salutis.
Dixerat, et dicto citius cum voce loquentis
Ad puerum celeris transcurrunt munera verbi.
Ingressusque domum miles properante recursu
Prævenisse Dei lætatur dona medentis.
Ædes inde Petri sanctus penetrabat Iesus,
Cujus anhela socrus æstu, febrique jacebat.
Utque illi dextram tetigit Salvator Iesus,
Sana ministerium præbebat femina mensis.

LECTIONES VARIANTES.

794. Reg., Ott., Rom., Ald., Torn., Bas., *Quod multos.* Hadam., Fabr., Poelm., pro d. s., *Quam multos.*

796. Ald., *vestris :* alii, *nostris.*

797. Torn., Fabr., scribunt *demersa :* plerique, *dimersa.* Bas., *diversa*, minus bene, quamvis bono aliquo sensu explicari id possit, nempe *opposita*, aut *in parte contraria et opposita.* Vide not. ad v. 761.

798. Ott., a pr. m., *fletamque*, in Reg., a pr. m., fortasse fuit *flentumque.* Scriptura communis, *fletumque.*

799. Reg., *pœnæ ;* reliqui, *pœnam.*

800. Reg., Ott., Rom., Ald., *At tibi.* Ita etiam Torn., et Bas. Alii cum Hadam. Poelm., in textu, *Ac tibi.* Ald., Fabr., Rom., Torn., Bas., *juvenis.* Alii, *juveni.* In Reg. ex *fidelis* factum *fideli*, scilicet virtute. Reuschius, *At tibi jam juveni mentis virtute fidelis*, etc. Scilicet, Tibi, o centurio, fidei tuæ fructus veniet : juvenis, quem adeo fidelem tibi et obsequentem prædicasti, accipiet lucem salutis, sive sanitatem. Duo dativi eidem verbo adjunguntur in hac Reuschii scriptura et expositione.

803. Ald., Bas., Poelm., pro d. s., *percurrunt :* alii, *transcurrunt.*

805. Rom., *Provenisse :* melius cæteri *Prævenisse.*

808. Reg., *Servator :* reliqui, *Salvator.*

809. Post hunc v. Reg. : *Explicit liber* I, *Incipit liber* II.

NOTÆ.

791. *Dat dicta :* aliquando *dare verba* significat loqui, non fallere. Exempla protuli in not. ad Dracont. libr. III, v. 456.

792. *Memini me invenisse :* elegans esset cum infinitivo præsenti, etiamsi de re præterita sermo sit. Verum etiam cum infinitivo præterito apud Ciceronem, Virgilium aliosque probos scriptores reperitur.

795. *Cœli regnum sublime* figurate pro *regnator cœli sublimis.* Reuschius supplebat, *Vel cœli regnum tenens vocabit*, vel *Pater cœlestis ad cœli regnum vocabit.* Notandum *vocabit* cum infinitivo *accumbere vitali mensæ.* Horatius, libr. II, od. 18, in fin., de Charonte: *Hic levare functum — Pauperem laboribus — Vocatus, atque non vocatus audit.* Nonnulli ita ordinem collocant : *Charon vocatus, atque non vocatus audit levare*, etc. Alii, melius : *Vocatus levare pauperem functum laboribus, atque non vocatus, audit.* Nimirum pauperem a laboribus sublevat, sive ad id vocetur, sive non vocetur. Notandum etiam verbum ipsum *vocabit*, quod absolute positum solemne est pro *invitare ad cœnam.* Hinc *vocator*, et *vocatio.* Exempla, qui voles, leges apud Forcellinum, aliosve lexicographos.

796. Virgilius, I Æn. v. 85 : *Tu das epulis accumbere Divum.*

797. Matthæus hic, et cap. XXII, v. 13, vocat *tenebras exteriores.* Mazochius, ad Matth. VIII, 12, tom. II Spicil., hanc appellationem desumit ex eo, quod locus carceris secretior, et obscurior erat veluti carcer extra carcerem. Acta S. Vincentii, sect. 8 : *Quærite locum tenebrosum, et oppressum urgente tectura, ab omni publica luce sepositum, perpetuaque nocte damnatum, reatui ejus peculiarem, extra videlicet carceres carcerem.*

798. *Horrendum* adverbii more. Virgilius, lib. VI, 288 : *Horrendum stridens.* Mitto alios.

799. *Acta*, coacta, impulsa, subacta. Has enim significationes aliasque id verbum habet.

802. *Cum voce :* vide var. Lect. ad l. II, v. 597, *Cum dicto.*

804. *Recursus* proprie significat reditum, qui currendo fit. Matthæus in Vulgata solum habet : *Et dixit Jesus centurioni : Vade, et sicut credidisti, fiat tibi : et sanatus est puer in illa hora.* Itala in nonnullis mss., plerique Græci codices, Versio Æthiopica, et Syra altera, addunt : *Et conversus centurio in domum suam, eadem hora invenit puerum sanum.*

805. *Lætatur* cum infinitivo satis usitatum est.

806. CAPUT XLVIII. *Socrum Petri febricitantem tactu liberatam.* Matt. VIII, 14 seq.; Marc. I, 30 seq.; Luc. IV, 38.

807. Sedulius, libr. III v. 33 : *Forte Petri validæ torrebat lampadis æstu — Febris anhela socrum.* Proprie *anhela* est anhelans, ut *socrus anhela.* Sedulius febrim *anhelam* vocat, quia anhelare facit. Consule notas in editione Arntzenii. *Jacebat* apposite etiam dictum : nam hoc verbum sæpe adhibetur, cum de ægris sermo est.

808. *Salvator :* vox antiquioribus ignota, a christianis scriptoribus, Tertulliano, Lactantio, et aliis usurpari cœpta : cujus proinde usum egregie vindicat Augustinus, serm. 299, sect. 6. Profertur etiam vetus inscriptio ex Grutero, pag. 15, num. 5 : *Jovi custodi Quirino Salvatori pro salute Cæsaris Nervæ Trajani*, etc. Isidorus, l. VII Orig. cap. 2, cum S. Augustino idem verbum defendit. Annotator Isidori advertit, *sotera*, seu *salvatorem* non satis exprimi *servatoris* voce.

809. *Ministerium præbere* dixit Ulpianus, ut alii *ministerium præstare, facere.*

LIBER SECUNDUS.

162 Jamque dies prono decedens lumine, A [pontum
Inciderat, furvamque super nox cœrula pallam
Sidereis pictam flammis per inane trahebat :
Cum multos homines, mentis languore ruentes,
Devinctosque animam scelerata dæmonis arte,
163 Certatim populi cæca jam nocte ferebant.
Sed verbum Christi, tanto languore remoto,
Omnibus indulgens præbebat munera Patris.
Ecce sed exortus major cum luce tumultus
Gratantis populi cum turbis : anxius ille
In mare velivolum celsam deducere jussit
Discipulis puppim. Precibus tum scriba profusis
Navigio Sancti pariter poscebat abire.
Olli Christus ait : Quo me tu, scriba, sequeris ?
164 Vulpibus in saltu rupes excisa latebram

LECTIONES VARIANTES.

2. Reg., Torn., *Contigerat*, et in Reg. supra tamquam glossa *Inciderat*, vel *intraverat*. Communis lectio *Inciderat* proba est. Apud Reuschium nonnulli cum Aldo *æmula* : sed *cærula* epitheton nocti convenientissimum esse, ex Græcorum appellatione apposite notavit Kœnigius.

5. Reg., Ott., Rom., Poelm., pro d. s., *Devinctosque animam*, qui Græcismus est vulgo notus. Plerique editi *Devinctasque animas*. In Torn. mendum videtur *Devictasque animas*.

7. Rom., *ferebant — Ad verbum Christi : tactu languore remoto*.

8. In Poelm. error videtur *munere* : in aliis est *munera*, et glossa in Reg. *sanitates*.

9. Ott., Rom., Torn., *exorta*. Reg. *extorta*, non bene. Aldus edidit *exortas* in Erratis correxit *exortus*, quod habent Hadam., Poelm. in textu, et alii.

10. Plerique sic interpungunt *Gratantis populi, cum turbis anxius ille :* quod sic exponendum est, cum ille anxius pro turbis. Distinguo, *Gratantis populi cum turbis : anxius ille*.

12. Plerique, *Discipulis;* nonnulli apud Omeisium, *Discipulos*. Utrumque rectum est. Rom., *profusus :* B rectius alii, *profusis*.

13. Omeisius testatur, nonneminem legere malle *sancto* pro *Sancti :* quo nomine Juvencus per autonomasiam Christum frequenter appellat. Et hæc est glossa Reg., *Sancti—Christi*.

14. Hic, et aliis in locis variant mss., et editi : modo *olli*, modo *illi* scribitur.

15. Reg., Ott. scribunt *rupis*. Observat Reuschius, in Fuldensi non male legi *rupes exesa*, ut *exesum antrum* apud Senecam Tragicum, *exesa saxa* apud Senecam Philosophum.

NOTÆ.

1. CAPUT I. *Plurimos ægrotos curatos, ac verba Domini ad scribam, qui eum sequi volebat*. Matth. VIII, 16, seqq.; Marc. I, 32; Luc. IX, 58. Advertendum est, in ea distinctione capitum Evangelii Matthæi, qua nunc utimur, librum secundum Juvenci inchoari v. C 46 cap. VIII. At olim alio modo capita indicabantur, ut videre licet apud Martianæum et Sabatierium. Juvencus igitur, Matthæum potissimum secutus, primum librum perduxit ad caput XX Matthæi juxta veterem capitum distinctionem : inde a cap. XXI exorsus est librum secundum sui carminis, quem perduxit ad caput usque XL. Librum ni a cap. XLI ad caput LXII continuavit. Postremus liber historiæ evangelicæ reliqua Matthæi capita a c. LXIII ad caput ultimum LXXIV comprehendit. In primo hujus libri versu notandum est *prono lumine* : nam *prona dies*, *pronum sidus*, *prona lux* eleganter a poetis dicitur, cum ea prope occasum sunt. Badius ait : *Descriptio temporis vespertini, qua nihil elegantius*.

2. *Inciderat pontum* pro *Inciderat in pontum* : sic postea, v. 591 : *Foveam si forte pecuscula vestra — Inciderint*. Prudentius, Psychom. v. 270 : *Hunc eques illa dolum, dum fertur præpete cursu, — Incidit*. Nepos in Attico, cap. 10 : *Ne quod periculum incideret, quod noctu fiebat, præsidium ei misit*. Quædam alia Virgilii D et Lucretii allegantur, sed dubiæ lectionis. *Super* videtur hic positum pro *desuper*. Nocti tribuitur *palla*, quæ est vestis muliebris. Vide not. ad Dracont. l. II v. 521, et comment. ad Prudent. hymn. 5 Cathem. v. 27, 28, quo loco Prudentius Juvencum visus est Giselino imitari : *Absentemque diem lux agit æmula*. Barthius, libr. X Advers. cap. 20 : *Peplum illum* (noctis) *non ineleganter describit Juvencus initio* l. II : *Ne quis in poeta Christum professo insolens hoc opinetur. Jamque*, etc. *Eleganter quidem; et non pauca in eo poeta, quæ pressisse ingenium in gratiam materiæ arguunt, ut docebimus aliquando prolixius, præcipue cum optimo exemplari membraneo simus instructi, quo melius neminem hactenus contulisse, sed nec vidisse opinamur*.

3. *Flamma*, et *ignis* ab antiquis, sed præsertim a poetis passim sideribus tribuitur. *Per inane :* id etiam poeticum est pro *per aerem*. Vide l. I, v. 396.

6. *Cæca nocte*, obscura. *Ferebant :* adverbium temporis *cum* indicativo jungitur, cum mentio temporis præcessit. Vide l. I vers. 517 seqq.

9. Libro I, vers. 801 : *Cum luce salutis*.

10. *Gratantis*, gratulantis, vel potius gratias agentis. Nam *grator* hanc etiam significationem habet, quamvis dubia nonnullis videatur lectio apud Ovidium l. III Fast. vers. 418. qui pro *Gratare* legunt *Cratera*. *Anxius*, ut alii distinguunt, ponitur cum dativo. Ovidius Heroid. epist. 20, vers. 198, *Anxia sunt vitæ pectora nostra tuæ*, hoc est, pro tua vita.

11. *Mare velivolum*, ex Virgilio. Vide not. ad Dracont. l. II vers. 185, *Deducere puppim ;* phrasis nautica, cum naves ex navalibus, seu portu in mare ducuntur. Loca similia scriptorum Lexicographi indicant. Evangelista paucis ait : *Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum*. Versio antiqua : *Jussit discipulos suos ire trans fretum*.

13. Navigium de quovis navis genere dicitur. D Omeisius *navigio* pro navi more scriptorum sequioris latinitatis positum ait.

14. Interpretatio verborum Matthæi : *Et accedens unus scriba, ait illi : Magister, sequar te quocumque ieris. Et dicit ei Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos : filius autem hominis non habet, ubi reclinet caput*. Simili modo explicat Hieronymus, dum Jesum sic loquentem inducit : *Quid me propter divitias, et sæculi lucra sequi vis, cum nec hospitiolum habeam*. Juvencus autem potius notare videtur perfidiam Judæorum eum insectantium : ait enim vers. 18 : *Gentis sic sunt molimina vestræ*.

15. *Latebræ* in plurali magis usitatum : sed tot sunt exempla singularis *latebra* apud probatissimos scriptores, ut in controversiam id vocari non debeat.

Præbet, et aeriis avibus dat silva quietem,
Ast hominis nato nullis succedere tectis
Est licitum : gentis sic sunt molimina vestræ.
Tunc e discipulis unus sic ore rogabat :
Ultima defuncto debentur munera patri.
Hinc spatium tribuat nobis tua, Sancte, voluntas,
Ut liceat miseri genitoris condere corpus.
Christus ad hæc : Itiner potius comitabere nos-
Et sine defunctis defunctos condere terræ. [trum,
165 Conscendunt navem, ventoque inflata [tumescunt
Vela suo, fluctuque volat stridente carina.
Postquam altum tenuit puppis, consurgere in [iras
Pontus, et immensis hinc inde tumescere [ventis
Instat, et ad cœlum rabidos sustollere montes.
Et nunc mole ferit puppim, nunc turbine pro- [ram,
Illisosque super laterum tabulata receptant
Fluctus, disjectoque aperitur terra profundo.
Interea in puppi somnum carpebat Iesus.
Illum discipuli pariter, nautæque paventes
Evigilare rogant, pontique pericula monstrant.
Ille dehinc : Quam nulla subest fiducia vobis!
166 Infidos animos timor irruit! Inde procellis
Imperat, et placidam sternit super æquora pa- [cem.

LECTIONES VARIANTES.

16. Rom., *Æthereis avibus præbet ut silva quietem*, non inepte, et fortasse legendum est *ac silva*. Prius fuit *silvam*. Alii *aeriis*, alii *aereis* scribunt.

17. Bas., *secedere tectis* : melius cæteri, *succedere*.

18. Ottob., Poelm. pro d. s., *gentis sic est intentio vestræ*. Alii *gentis sic sunt molimina vestræ*. Infra vers. 310, *Ille sed internæ cernens molimina mentis*. Alibi pariter eodem vocabulo utitur Juvencus.

21. Rom., Ald., Bas, *Sed* : alii *Hinc*. Ott., Reg., Rom., Ald., Torn. Bas., *nobis tua*. Had., Fabr., Poelm., *tua nobis*. Plerique, *sancta* ; in Ott. videtur esse *Sancte*, quod, ut puto, a manu Juvenci est : nam solet ita Christum appellare : et infra vers. 181 simili modo ait : *Haud dubium est, quin larga Dei te, Sancte, voluntas*, etc. Consule, si placet, notam ad vers. 96 hymni 3 Cathemerinωn Prudentii : *Nos igitur tua, Sancte, manus*.

23. Ottob. a pr. m., *itener*, correctum per *itiner*, quod habent plerique. Bas., Poelm. pro d. s., *callem*. Aldus, *calcem*. Fabricius legit *itiner*, et in comment. observat, pro *itineris* passim *iteris* apud Juvencum reposuisse Georgium Cassandrum : se autem ait in suo vetusto codice aliter invenisse : nimirum *vide*, aut aliquid aliud. Vide lect. var. ad vers. 325 l. I. Rom. depravate. *Christus ad hæc : itinere melius contrahere naturam*. Torn., *itiner melius comitabere nostrum*. Alii *potius* pro *melius*.

24. Rom., Torn., Bas., Ald., *terræ*. Alii, *terra*. Vide l. III, vers. 69, ubi omnes legunt *Discipuli condunt terræ*.

25. Rom. scribit *navim*.

26. Ott. pro d. s., *flatuque volat*.

28. Reg., *et immissis hic* : Torn., *et immissis hinc* : alii, *et immensis hinc* : quod mavult Reuschius, ut repetitæ voculæ *tumescere* significatus augeatur. Cicero dixit pariter *immensus aer*, Virgilius *immensæ nubes*.

29. Reg., *Instat, et ad cœlum rapidos sustollere*. Ald., Bas., Torn., *Cœpit, et ad cœlum rapidos*. Rom., Ott., Had., Poelm. in textu, et alii, *Instat, et ad cœlum rabidos*. Fabr., *Cœpit, et abruptos ad cœlum tollere montes*. Poelm. pro d. s. tres versus apponit pro hoc solo, scilicet, *Ventorum rabies, mixtis hinc inde procellis.— Cœpit, et ad cœlum rapidos sustollere montes : — Pontus et abruptos tollit trans sidera montes*. Omeisius ait, verbum *sustollere* probum esse, quo et antiquiores usi, et Juvencus l. II, vers. 599, libr. III, vers. 536.

31. Poelm. pro d. s., *receptat* : melius *receptant*, nempe tabulata super, vel desuper receptant. Id placebat etiam Reuschio, qui in nonnullis codd. ait legi *receptat*. Non autem absurdum censet, si *super* Græcorum more cum casu secundo *laterum* construatur. Vide Vossium de Construct. cap. 65, p. 585.

32. Poelm. pro d. s., Torn., *dissectoque* : alii, *disjectoque*, quod melius est.

33. Rom., *capiebat* : cæteri, *carpebat*.

36. Reg., Ottob., Rom., Poelm. pro d. s., *quam nulla subest*. Ald., et plerique editi, *quam parva subest*. *Nullus* sæpe est levis, exiguus, inanis. Terentius Hec. v, 3, 2 : *Ob rem nullam misit*.

37. Fabr., *timor arguit* : mss. et omnes alii editi, *timor irruit*, et in Reg. glossa, *Mirantis vox*. Fabricius fortasse ex Virgilio IV Æn. vers. 13 *arguit* sumpsit : *Degeneres animos timor arguit*. Omeisius vulgatam lectionem, quæ codicum auctoritate nititur, præferendam recte existimat. Nonnulli cum interrogationis nota efferunt *Infidos animos timor irruit?*

NOTÆ.

17. *Succedere*, subire, de eo, qui domum aliquam subit, frequenter usurpatum. Cicero Pro domo sua cap. 44 : *Ut is, qui in Marsis, ubi natus est, tectum quo imbris vitandi causa succederet, nullum haberet, ædes in Palatio nobilissimas emisse se diceret*. Virgilius libr. I Æneid. vers. 651 : *Quare agite, o tectis, juvenes, succedite nostris*.

18. *Molimina* vide l. I vers. 557.

19. CAPUT II. *Jesus discipulo præcipit, ut sequatur, patre inhumato relicto*. Matth. VIII, 21 seq.; Luc. IX, 59 seq.

20. *Munera ultima*, sive officia suprema de funere scite dictum. Virgilius libr. VI vers. 213 : *Et cineri ingrato suprema ferebat. Munera*. Confer comment. ad Prud. hymn. 10 Cath. vers. 47, *Honor ultimus accipit artus*.

25. CAPUT III. *Jesum in navi dormientem excitant discipuli, quo tempestatem sedet*. Matth. VIII, 23 seqq.; Marc. IV, 35 seqq.; Luc. VIII, 22 seqq.

26. Verbis in re nautica maxime propriis utitur, *Conscendunt, volat, stridente*, etc., quibus explicandis diutius immorari nos non licet.

27. Libr. I, vers. 555 : *Ne quis consurgere in iras— Audeat*.

31. *Tabulatum* est superficies, tabulis junctis constrata.

32. *Profundum* pro mari. Vide not. ad Dracont. l. I, vers. 394.

36. Evangelii hæc sunt verba, *Quid timidi estis, modicæ fidei?*

38. *Sternere æquor, undas* vulgo notum. *Sternit pacem*, id est, tranquillitatem inducit.

Illi inter sese timidis miracula miscent
Colloquiis : quæ tanta illi permissa potestas,
Quodve sit imperium , cui sic freta concita [ventis,
Erectæque minis summittant colla procellæ.
Jam Gerasenorum steterat sub littore puppis;
Ecce sed egresso juvenis (mirabile dictu)
Occurrit, miseram cui mentem spiritus ater
167 Immunda implebat lacerans virtute furoris.
Illi grata domus tetris habitare sepulcris :
Nec poterat rabidum quisquam retinere furorem.
Fortia quin etiam rumpebat vincula ferri,
Scindebatque graves, ut lanea fila, catenas.
Et jam compedibus levis insultare solutis
Ludus erat, saxisque ferum concidere pectus.
Isque ubi pergentem Christum per littora vidit,
Cum clamore ruit, longeque accurrit adorans :
Regnantis semper Domini certissima proles,
Oramus, ne nos solitæ regionis ab oris
Excutias, longe tormentis excruciatos.
168 Nam nomen Legio est nobis, multosque [sub uno
Nomine consociat flatus vis sola nocendi.
Cernis, ut immundi subigant hæc pascua porci?
His saltem liceat rabiem satiare repulsam,
Per Patris altithroni nomen sublime rogamus.

LECTIONES VARIANTES.

39. Ott., *timidi;* alii, *timidis.*

40. Ald., Had., Fabr., Poelm., et alii editi, *quæ tanta illi permissa.* Reg., *quæ tanta sibi est permissa.* Rom., *quæ tanta sibi permissa.* Ott., *quæ tanta sit ei permissa*, ut videtur. Aliud prius erat, sed abrasum est. In Reg., *sibi* est pro *ei.*

42. Ald., Torn., Bas., *nimis.* Alii editi cum mss., *minis.*

43. Reg. scribit, *Jerasenorum.*

45. Reg. a pr. m., et Ott. a pr. m., *misero cui*, uterque a sec. m., *miseram cui* cum Rom. et aliis. Ott., *acer* pro *ater.*

46. Editi plerique, *Immunda implebat*, quod etiam in Rom. legitur. Poel. pro d. s., Reg., *Horrenda*, et in Reg. glossa *pavenda.* In Ott. forte fuit *Immundam*, nunc est *Immunda.*

47. Aldus edidit *terris* pro *tetris :* in Erratis sic legit hunc versum *Illi grata domus habitare sepulcris :* desideratur *tetris.*

48. Torn., Fabr. cum mss. Reg., et Ott., *rabidum.* Alii, *rapidum.* In Reg. videtur fuisse *poterant* pro *poterat.*

49. Sabatierius edidit *rumpebant*, quod mendosum est. Rom., Ott., Ald., Poelm. pro d. s., *Fortia.... ferri.* Reg. cum aliis, *Ferrea.... vincula membris.*

50. Rom., Reg., Ott., Ald., *lanea fila.* Hadam., Poelm., Fabr., *linea fila.*

51. Mss. Torn. et Poelm. pro d. s., *solutis.* Plerique editi *soluto.*

52. Ott., *Nudatis : saxisque.* Alii, *Ludus erat, saxisque.* Rom., *feris.*

53. Poelm. pro d. s., *ibi :* alii, *ubi.* Libenter legerem *Is ubi.*

56. Hadam., Poelm., Fabr., *solitæ ne nos.* Aldus cum mss., *ne nos solitæ.*

57. Reg., *Extrudas longe.* Ott., Rom., Hadam., *Excutias longe.* Aldus, *Excutias, valde.*

60. Ald., Poelm., Had., Fabr., et alii editi, *subigunt.* Mss. Ottob., Reg., Rom., *subigant.* In Ott. prætermissus fuerat hic versus, sed adjectus est in principio paginæ. Interrogatio deest in aliis.

61. Poelm. pro d. s., *saltem liceat.*

62. In Reg. videtur fuisse *numen* pro *nomen.*

NOTÆ.

39. *Illi inter sese :* hemistichium Virgilianum libr. VIII, vers. 452.

42. *Summittant colla :* desumptum ex more veteri triumphantium, quorum pedibus colla bello captorum proterebantur. Vide not. ad Dracontii Satisfact. v. 167.

43. CAPUT IV. *In terra Gerasenorum dæmonia ab homine expulsa, et in porcos missa.* Matth. VIII, 28 seqq.; Marc. V, 11; Luc. VIII, 32. Apud Juvencum, ejusque æquales *sub* sæpe redundat, aut ponitur pro *in*, ut *steterat sub littore puppis.*

44. *Juvenis.* Lucas ait *vir quidam*, neque aliunde constat fuisse juvenem. Sed Juvencus pro homine alibi etiam ponit *Juvenem*, ut paulo post v. 76, et l. I, vers. 774. Duos dæmoniacos tunc a Domino sanatos narrat Matthæus, unius tantum mentionem faciunt Lucas et Marcus, vel quia unus sævior, notiorque fuerat, vel quia satis esse duxerunt, si unum commemorassent. Fabricius in Comment. poet. Christ. verbo *Bustialis*, et in expositione ad hymn. 9 Cathem. Prudentii vers. 52 observavit, Sedulium cum Marco (corrige *cum Matthæo*) duos dæmoniacos posuisse, Prudentium, et Juvencum cum Luca et Matthæo (corrige *et Marco*) unum tantum. In expositione hymni 10 Peristeph. v. 57 recte ait, Prudentium, et Juvencum cum Marco de uno tantum dæmoniaco loqui.

45. *Spiritus ater* de dæmone. Sedulius l. IV, vers. 160 : *Nec tantum hoc gaudete, viri, quod spiritus ater — Subjaceat vobis.* Christiani dæmonem nigrum, atrum, æthiopem appellare solent.

46. *Virtus* in malam partem raro; aliquando tamen accipitur. Statius libr. XI Theb. init.: *Postquam magnanimus furias virtutis iniquæ—Consumpsit Capaneus.*

51. Sacer textus apud Marcum : *Quoniam sæpe compedibus et catenis vinctus, dirupisset catenas, et compedes comminuisset, et nemo poterat eum domare.* Igitur illi homini a dæmone obsesso, solutis compedibus, levis ludus erat insultare eos qui eum domare vellent. *Insultare aliquem*, vel *in aliquem* est vexare, infestare.

52. *Ludus erat :* facile erat. Phrasis bene Latina. Cicero lib. I de Fin. cap. 8 : *Cum præsertim illa perdiscere ludus esset.* Silius libr. XVI, vers. 575, al. 566 : *Cui ludus nullam cursu non tollere damam.* Virgilius l. IX, vers. 606 : *Flectere ludus equos.*

56. *Regionis ab oris :* hendiadys, unum per duo. Vide not. ad Dracont. vers. 21, lib. III.

57. Marcus sic habet : *Adjuro te per Deum, ne me torqueas.* Sic etiam obsessi alii exorcismis se torqueri professi sunt. Vide comment. ad vers. 415 Apotheos. Prudentii.

59. *Multos flatus*, seu spiritus sub uno nomine consociat vis sola nocendi.

60. *Subigant pascua*, quia terram quasi aratro versant. Id enim significat *subigere arva.* Denotat etiam *subigo, in altum ago*, quod huic loco congruere potest.

61. Glossa Reg., *His—porcis—repulsam—ab homine.*

62. *Altithroni :* vide not. ad. l. I, vers. 32. Ratbertus carm. 2 editionis Rivini non solum hac voce *altithronus*, sed etiam *celsithronus* usus est.

Imperat iis hominis mentem dimittere Christus, A
Porcorumque sinit gregibus finire furores.
Jamque hominis stupidum, decusso dæmone, [pectus
Insperata suæ veneratur dona salutis.
Et jam præcipites scopulorum margine porci
In mare dejecti properant disperdere vitas.
At vero e speculis miracula tanta paventes
Diffugiunt, urbisque ruunt ad tecta subulci,
Et famam accendunt, populosque ad littora [cogunt.

169 Insanum vero juvenem postquam resipisse
Credere cernentum populorum turba coacta est,
Orabant pavidi, regionem linqueret illam.
Inde domum repedat terrarum lumen Iesus.
Ecce revertenti juvenis torpentia membra,
Officium quorum morbus dissolverat acer,
Ante pedes Christi lecto posuere cubantem.
Quem miserans animo verbis compellat Iesus:
Adsit certa tuæ, juvenis, constantia menti,
Nam tibi præteritus vitæ donabitur error.
170 Hoc dictum Scribæ mentis, per operta ma- [lignæ
Carpebant, quod verba Dei virtute ferenda
Protulerat. Christus sed pectora talia cernens,
Hoc, inquit, verbum Scribarum dicta retractant.
Quod quanto levius fuerit dixisse, sequentis
Et dicti, et facti pariter virtute probabunt,
Et mihi concessum peccata remittere cernent.

LECTIONES VARIANTES.

65. Pro *decusso* Kœnigius suspicatur *discluso*. Sic l. III, vers. 193 legit, *Virginis et mentem, discluso aæmone, virtus*. Alii, *discusso*. Pro *expellere* alibi etiam Juvencus usurpat *discludere*, utl. III, vers. 162.

68. Reg., *In mare conjecti*. Ald., Poelm. pro d. s., *vitam*; alii, *vitas*.

69. Reg., *At vero ex scopulis*. Rom., *At vero scopulis*. Ott. cum editis, *At vero e speculis*.

71. Reg., Ott., Rom., Torn., *Et famam accendunt*. Plerique editi, *Et famam spargunt*. Poelm. pro d. s., *Et famam intendunt*, quod in Parisina repertum Omeisio non displicebat, ut apud Tacitum, *Intenditur socordia*, hoc est, augetur. Ita etiam edidit Reuschius. Verum *accendunt* eadem significatione elegantius videtur. Sic dicitur *accendere* liduciam, alacritatem, sitim, spem, curam, desiderium, vitia, pretium.

72. Mss. Reg., Ott., Rom. cum editis Bas., Ald., Poelm. pro d. s., *Insanum vero juvenem postquam resipisse*. Hadamar., Torn., Fabr., Poelm. in textu, Reusch., *Insanum juvenem postquam resipisse videbant*. C

74. Rom., *regionem ut linqueret illam*.

77. Reg., *dissolverat æger*.

78. Reg., Ott., Rom. cum Poelmann. pro d. s., *Ante pedes Christi lecto posuere cubantem*. Ald. et fere omnes alii editi, *Ante pedes ponunt tepido recu-* B *bantia lecto*. Reuschius priorem lectionem genuinam esse Juvenci confirmat: qua synthesis generis elegantissima fit. Nimirum *juvenis torpentia membra* positum est pro juvene habente torpentia membra. De ejusmodi mutatione generis vide not. ad Dracont. vers. 153. Satisfact. Eadem figura alibi etiam occurrit apud Juvencum.

83. Sabatierius, nescio, unde profert *virtute verenda*. Probum est *ferenda*, hoc est, proferenda.

84. Editi interpungunt, *Protulerat Christus: sed pectora*. Melius videtur cum Rom., *Protulerat. Christus sed pectora*.

85. Ald. cum nonnullis *retrectant;* alii, *retractant*. Rom., mendose, *retractans*.

86. Ald., Poelm. pro d. s., Bas., *Quod quantum facile fuerit dixisse*. Rom., *Sed quanto levius fuerat, dixisse*. Ott., *Quod quanto levius dixisse*, supra insertum *fuerit* inter *levius*, et *dixisse*. Reg., Hadam, Poelm. in textu, Torn., *Quod quanto levius fuerit dixisse*.

87. Ald., Fabr., Had., Poelm. in textu, Torn., *probabo*... Poelm, pro. d. s. cum mss. Rom., Reg., Ott., *probabunt*: glossa in Reg., *probabunt— Scribæ;* in Ott. a pr. m. fuit *probabant*. Reuschius sustinet *probabunt*, tum quia sequitur *cernent*, tum quia Domini laudes populus celebrasse dicitur vers. 93 seq.

88. Ald., Fabr., *cernant*. Poelm., Hadam, *cer-*

NOTÆ.

65. *Hominis pectus* figurate pro *homo stupidus*. Virgilius l. XI, vers. 215: *Hic chara sororum— Pectora mœrentum, puerique parentibus orbi*.

66. *Dona salutis:* scilicet datorem salutis.

68. *Vitas* in plurali rarum; sed ab A. Gellio non semel usurpatum, et in editis a Cornelio Nepote: nam codices mss. hujus *vitam* præferre, nonnulli testantur.

69. *E speculis:* vide vers. 715, l. IV.

72. *Resipiscere* est ad pristinum sensuum statum D redire. Præteritum verbi *resipisco*, et *resipio* est *resipivi*, *resipii*, *resipui;* hinc per contractionem *resipisse*. Plautus Mil. IV, 8, 35: *Jam resipisti?* Syntaxis horum versuum est: *Postquam turba cernentum populorum coacta est credere, insanum juvenem resipisse, orabant pavidi*, etc.

75. CAPUT V. *Jesus paralytico sanato jussit abire, humeris imposito lecto*. Matth. IX, 1, etc.; Marc. II, 1, etc.; Luc. V, 17 seqq. *Jesus terrarum lumen* postea etiam dicitur vers. 735 h. l.

76. *Juvenis*, scilicet homo, qui erat paralyticus, ut ait Lucas. Confer not. ad vers. 44.

77. *Dissolverat*, paralysi conveniens verbum, ut dixi ad vers. 784 libr. I.

81. *Præteritus vitæ error:* figurate, et potuit quidem dixisse *præteritæ vitæ donabitur error*, sed alio modo venustius est. *Donabitur error*, remittetur, ut l. III, vers. 436: *Sed decuplata super donentur vulnera fratri*. Alia indicat Arntzenius ad Sedulium l. II vers. 26. Similia exempla attuli ad Dracont l. II vers. 556, *Donatque reatum*. Addo nunc, ex hac significatione verbi *dono* natum, quod sequiori sæculo pro *veniam concedere* multi usurpaverint *perdonare;* de quo vide Ducangium. Vocabuli Hispanici *perdon*, et *perdonar* aliam originem incassum alii quærunt.

82. *Opertum* substantivi more. Cicero Parad. IV sub fin., Prudentius hymn. 11 Perist. vers. 169. Vide comment. ad hunc locum Prudentii.

84. Matthæus ait: *Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum*, etc. Nimirum pectore consilia, et cogitationes versari veteres, præsertim poetæ, dicebant. Quare pectus pro cogitatione, et consilio nonnumquam sumitur. Livius l. I, cap. 59: *Ibi oratio habita, nequaquam ejus pectoris, ingeniique, quod simulatum ad eam diem fuerat*.

85. *Retractare* præter alias significationes denotat etiam improbare, reprehendere, reprobare. Gellius l. XIV, c. 3: *Eo facto, scriptoque ejus usque adeo permotum esse Platonem ferunt, ut quodam in libro mentione Cyri regis habita retractandi, levandique ejus operis gratia*, etc. Videlicet ut Cyropædiam Xenophontis notaret, ac reprehenderet.

Quapropter juvenis, firmato corporis usu, A
Surge vigens, stratumque tuum sub tecta referto.
Surrexit, lectumque humeris jam fortibus aptat,
171 Per mediumque vigens populi mirantis [abibat.
Tunc timor, et laudes Domini per pectora plebis
Concelebrata, simul miracula læta frequentant.
Progrediens tunc inde ad vectigalia, vidit
Consessu in medio Matthæum : protinus illi
Discipulis hærere jubet; nihil ille recusans
Imperio Christi paret, gaudetque secutus.
Indeiter ingrediens, simili sermone Philippum
Hortatur, comitemque suis ascivit amicis.
Ille ubi cognovit Christi viresque, viamque,
Ut primum justo concurrit Nathanaeli,
172 En nostris, inquit, concessum est visere [seclis,
Quem voces veterum, et sancti cecinere pro- [phetæ.
Hunc genuit veniens Davidis origine Ioseph.
Nazara cui felix patria est, et nomen Iesus.
Ille refert : Genuit quidquam si Nazara, miror,
Quod dignum tantis umquam virtutibus esset.
Inde Philippus ait : Cernes, dubitare quiesce :
Progrediensque vide; nam oculis spectare li- [cebit.
Illum ubi tendentem longe respexit Iesus :
Vir venit huc justus, cui pectora nescia falsi,

LECTIONES VARIANTES.

nent, sed Poelm. pro d. s., *cernant*, Mss. Rom., Reg., Ott. *cernent*, sed in Reg., et Ott. prius fuit *cernunt*. Qui legunt *cernant*, præmittunt *Ut;* qui *cernent*, præmittunt *Et*. B

90. Poelm. pro d. s., Fabr., *sub tecta reporta*.

96. Mss. Reg., Ott., Rom. constanter scribunt *Mattheum*.

98. Reg. *gaudet secutus :* emenda *gaudetque secutus*, quod lex metri postulat.

102. Ald., Had., *Tum primum*. Rom., Reg. cum aliis editis *Ut primum*, et glossa in Reg, *postquam*. Ott., *Et primum*. Poelm., in textu, *Tum primum*, pro d. s., *Ut primum*.

103. Reg., *In nostris . . . . . surgere seclis*. Ott., *En nostris . . . visere*, sed videtur prius fuisse, *Et nostris*. Rom., *In nostris . . . . visere*. Editi plerique, *En nostris . . . visere*. Poelm., pro d. s., *Et nostris . . . surgere*.

104. Ottob., *Quæ voces :* melius, *Quem voces*.

105. Rom., Ott., Torn., Bas., Ald., Poelm., pro d. s., *Hunc genuit veniens Davidis origine Joseph*. C Sic Hadam., Fabr., Poelm. in textu, sed *virgo* pro *Joseph*. Reg., *Filius inventus Davidis origine Joseph*.

106. Rom., *patria, et nomine Jesus* non bene.

109. Rom., *Unde :* alii *Inde*. Rom., Reg., a pr. m., Fabr., Poelm., d. s., Torn., *cernes, dubitare quiesce*. Ott., Reg., a sec. m., Daventr., *cernis : dubitare quiesce*. Ald., Bas., *cernens dubitare quiesce*. Pro *desine dubitare* recte usurpatur *dubitare quiesce*. A. Gellius, l. II, cap. 28 : *Statuere, et edicere quiescebant*. Sacer textus habet, *Veni, et vide*. Conjiciebam *cernens dubitare quiesces*, omisso versu seq., qui inutilis est. Hadamar., Poel., in textu, *cernens noli dubitare*.

110. In mss. ita legitur hic versus : *Progrediens vide, nam oculis tueri licebit :* in Rom., *Progrediensque*, in Ott. factum *tuere* ex *tueri*. Editi omnes, *Progrediensque vide, nam oculis spectare licebit*. Fortasse totus hic versus glossa est, quæ ab aliquo in textum invecta fuerit.

112. Rom., Ott., Reg., *Vir venit huc justus, cui nescia pectora falsi*, subaudito *ait*, vel *dixit*. In Reg. videtur fuisse *huic*, aut *hunc* pro *huc*. Poelm., in textu; Hadam., Fabr., *Vir venit hic justus*., Poelm., pro d. s., Torn., *Vere, ait, hic justus*. Ald., Bas., *Vir, ait, hic justus*. Reuschius ait, ad scriptoris divini verba magis accedere *Vere, ait, hic justus:* sed veretur, ne Juvencus scripserit : *Vir venit hic justus*. Poelm., pro d. s., Parisina editio apud Reuschium, *nescia fellis*, quod haud ineptum est, ut Reuschio videtur. Lectio vulgata verior est ex sacro textu : *In quo dolus non est*.

NOTÆ.

90. *Stratum* proprie est id, quo lectus operitur : sed pro lecto ipso accipi solet.

91. *Fortibus*, bene valentibus, robustis : etsi enim *fortis* ad animum plerumque referatur, tamen de robore corporis interdum ab optimis scriptoribus usurpatur.

92. Quintilianus, libr. IV, cap. 2 : *Nec liceat ire per medium*.

95. CAPUT VI. *Matthæus ad apostolatum vocatur*. D Matth. IX, 9, etc.; Marc. II, 13, etc.; Luc. V, 27, seqq.

99. CAPUT VII. *Philippus ad apostolatum vocatur : et verba Christi ad Nathanaelem*. Joann. I, 43 seqq. Statim post vocationem Petri narrat Joannes vocationem Philippi : *Intuitus autem eum Jesus, dixit : Tu es Simon filius Jona : tu vocaberis Cephas; quod interpretatur Petrus. In crastinum voluit exire in Galilæam, et invenit Philippum. Et dicit ei Jesus : Sequere me*, etc. Lamyus hunc ipsum ordinem tenet: etsi enim alii evangelistæ narrent, Jesum secessisse in Galilæam, postquam audierat, Joannem carceri traditum esse, tamen id ita interpretatur, ut dicat, bis Joannem in carcerem fuisse conjectum, primum a proceribus synedrii Hierosolymitani, postea procedente tempore ab Herode. Alii, rejecta hac Lamyi opinione, censent, eadem die Christum et a Judæa in Galilæam migrasse, et Philippum Apostolum vocasse, et ad nuptias invitatum miraculum illud mutatæ in vinum aquæ fecisse, Juvencus vocationem Petri multo ante narravit; postea plura addidit miracula a Christo patrata: ac tandem vocationem Matthæi, Philippi et Nathanaelis recenset. Non igitur putabat, miraculum in Cana Galilææ, quo aquam in vinum convertit, fuisse primum eorum omnium, quæ palam fecit Jesus, sed primum eorum, quæ fecit in Cana Galilææ : nonnulli enim sic interpretantur Joannem. Plerique tamen intelligunt, revera conversionem aquæ in vinum in Cana Galilææ fuisse primum omnium miraculorum, quæ saltem publice fecit Jesus, ut se a Patre missum ostenderet.

101. *Viam*, rationem vitæ, aut etiam legem, aut mores : nam in sacris litteris *via* has aliasque similes habet significationes.

102. *Concurrit Nathanaeli*, convenit Nathanaelem. Terentius, Eunuch. II, 2, 25 : *Concurrunt læti mihi, obviam cupedinarii*.

103. Philippus dixit Nathanaeli : *Invenimus Jesum filium Joseph a Nazareth*. Putabat tunc Philippus, Jesum a Josepho genitum. Hoc certe Juvencus Philippo tribuit.

107. *Miror si* Ciceronianum est.

111. *Tendere* pro iter facere, pergere, venire. Sæpe tamen hoc sensu accusativum aliquem habet, quem hic facile supplebis : *illum ubi tendentem ad se e longinquo*, etc.

173 Virtutem puram servans, sine fraude A [maligna.
Ille sub hæc : Ubinam, vel quo me tempore [nosti?
Cui Dominus dicta hæc divino pectore promit :
Cum te diffusæ tegerent umbracula ficus,
Ante etiam quam te vocitarent verba Philippi,
Vidit, et elegit comitem te spiritus auctor.
Talibus attoniti sequitur vox Nathanaelis :
Progenies veneranda Dei, rex inclyte gentis,
Tu populi, terræque salus, vitæque magister.
Christus ad hæc : Facilis suasit tibi credere [virtus,
Arborea quod te vidi recubare sub umbra.
174 Sed majora dehinc rerum miracula re- [stant.
Cernetis, pariter totum se scindere cœlum,
Atque Dei celeres æthram penetrare ministros,
Inde hominis nato claram deferre coronam.
Interea thalamis connubia festa parabant
In regione Canan, ubi clari mater Iesu
Nato cum pariter convivia concelebrabat.

LECTIONES VARIANTES.

113. Reg., Torn., *servant*, quod videtur fuisse in Ott., ubi nunc apparet *servans* cum Rom. et editis. Reg., *sine fraude nocendi*. Ott., Rom., *sine fraude maligna*. Poelm. pro d. s., *maligni*, vel *veneni*. Editi plerique *maligna*. Reuschius edidit *maligni* cum Badio, qui diabolum innui existimat : sed lectionem Parisinæ *veneni* non inconvenientem esse dicit.

115. Rom., *Cui Deus* : lege *Cui Dominus*.

116. Reg., Ott., *diffusa*, et glossa in Reg., *expansa*. Rom. cum editis *diffusæ*, quod retineri potest.

121. Reg., Rom., Ald., Torn., Bas., *Tu populis*. Ott., cum aliis, *Tu populi*.

125. In Ott. ex *Cernitis* recte factum *Cernetis*.

126. Ottob. scribit *celeris* : clarius est *celeres*, nempe ministros.

129. Torn., Bas., Ald., Fabr. *mitis*. Mss. cum Had., Poelm., *clari* : quo epitheto usus etiam est Juvencus l. III, vers. 3.

130. Rom., Ottob., *Nato cum pariter*. Reg., *Nato compariter*, et glossa, *nato—cum*. Editi, *Cum nato pariter*, sed in Ald. et Day. mendose *concelebrabant*. C

B Versus hic si ita edatur *Cum nato pariter convivia concelebrabat* est fistularis : ita enim vocatur versus, in quo syllabarum numerus cum singulis verbis crescit ; qualis est apud Prudentium. Apoth. vers 86 : *Nec capit humanis angoribus excruciari*. Existimo, Juvencum scripsisse *Nato cum pariter*, ut postponatur *cum*, quia scilicet Cicero in Orat. cap. 45, et Quintilianus libr. VIII, cap. 3, plaudentibus grammaticis, vetant, jungi *cum* vocibus ab *n* incipientibus, vel quia obscœnius concurrerent litteræ, ut ait Cicero, vel potius quia, ut ait Quintilianus, littera *m* labris coeuntibus exprimi debet, adeoque nos intersistere cogit, si sequatur littera *n*, quæ labris apertis profertur, aut in naturam hujus litteræ *n* corrumpitur. Observatum tamen est, a Cicerone cap. 9. Pro domo sua dictum : *Cum nominibus*. Alia exempla ex eodem Cicerone indicat Tursellinus Partic. cap. 40, num. 11. Pro domo sua ad Pontif., *Cum neque servus* ; Verr. ult., *Cum nihil* ; 3 leg., *Cum nullo magistratu*. Plura ex aliis facile esset proferre.

NOTÆ.

116. Libr. III, vers. 655 : *Tendentem diffusa umbracula ficum*. Macrobius, libr. VI Saturn. cap. 4 : *Visne, ea, quæ restant, in illis alnorum umbraculis prosequamur?* quæ verba ex Cicerone protulit, ut ostendat, non primum fuisse Virgilium, qui hoc vocabulo usus fuerit. Allegat etiam Varronem.

118. *Spiritus auctor*, spiritus divinus qui in me est. Vocationem Nathanaelis eisdem verbis Juvencus exponit, ac vocationem Philippi vers 100 h. l. : *Comitemque suis ascivit amicis*. Joannes solum id refert : *Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te*. Fortasse Juvencus in ea erat opinione, hunc Nathanaelem distinctum non esse a Bartholomæo apostolo, cujus vocatio nullo alio Evangelii loco descripta est, cum aliorum omnium apostolorum vocatio distincte referatur. Ita quidem sentiunt Rupertus, Abulensis, Jansenius, Cornelius a Lapide, et alii : quorum tamen sententiam Maldonatus cum S. Augustino rejicit.

120. *Gentis* : antonomastice pro gente Israelitica : *Tu es filius Dei, tu es rex Israel*. Vide Dilherr. Farrag. rit. sacror., et sæcul. l. II cap. 6, et Dictionar. sacr. Script. Caroli Hure, verb. *gens*.

122. *Facilis virtus* : facile prodigium, facile, sive non arduum miraculum. *Virtus* pro miraculo sæpe in sacris litteris, et ab ecclesiasticis scriptoribus usurpatur. Consule not. ad Dracont. l. III vers. 214. Omeisius explicabat : Virtus mea ubique præsens, qua te sub ficu vidi, facile tibi persuasit, ut crederes.

123. Joannes ita : *Quia dixi tibi : Vidi te sub ficu, credis. Majus his videbis*. Ambrosius libr. I de Cain cap. 8 : *Priusquam stares sub arbore fici*, etc. Fuit quidem Nathanael sub ficu, stans vero, an recubans, non liquet.

125. *Se scindere cœlum*. Virgilius I Æn. vers. 591 : *Scindit se nubes, et in æthera purgat apertum*.

127. Joannis verba sunt : *Videbitis cœlum apertum, et angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis*. Notanda Juvenci interpretatio : Angeli in cœlum ascendent, et inde descendentes deferent coronam Filio hominis. Ita enim explicat verba *supra filium hominis*. Quo tempore id acciderit, incertum. Nonnulli putant, sermonem esse de ascensione Domini, et per angelos ascendentes, et descendentes significari ministerium angelorum Christo famulantium, ut Jacob videbat in scala angelos ascendentes et descendentes, videlicet ministrantes Deo. *Ascendere et descendere*, cum de angelis dicitur, significat ministerium ordinarium angelorum, ut *ingredi, et egredi* ministerium ordinarium hominum, quæ phrasis frequens est in sacra pagina. Alii Joannis hunc D locum ad diem judicii extremi referunt, cum Christus cum angelis sibi ministrantibus venturus est, ut mundum judicet. Jansenius cum aliis existimat, hanc visionem Christo quidem in terris obtigisse, sed ab Evangelistis silentio fuisse prætermissam. Theophylactus ad h. l. : *Porro hæc in cruce, et ascensione evenerunt. Nam et ante tempus passionis angelus de cœlo confortavit eum, et in sepulcro visi sunt angeli, et in assumptione, sicut Lucas prodit*.

128. CAPUT VIII. *Jesus cum discipulis vocatus ad nuptias, aquam in vinum convertit*. Joann. II, 1, etc. Non adverterem, *festa* adjectivum esse, et *connubia* substantivum, nisi Omeisius contra docuisset, *connubia* adjectivum esse, hoc est, *connubialia* : quod minime mihi probatur.

175 Vina sed interea convivis deficiebant. A
Tunc mater Christum per talia dicta precatur :
Cernis, lætitiæ jam defecisse liquorem ?
Adsint, nate, bonis ex te data munera mensis.
Olli respondit terrarum gloria Christus :
Festinas, genitrix ; nondum me talia cogit
Ad victus hominum tempus concedere dona.
Mensarum tunc inde vocat lætata ministros
Mater, et imperiis nati parere jubebat.
Sex illic fuerant saxis præpulchra cavatis
176 Vascula, quæ ternis aperirent ilia metris.
Hæc jubet e fontis gremio complere ministros.
Præceptis parent juvenes, undasque coronant,
Completis labiis lapidum : tum spuma per oras
Commixtas undis auras ad summa volutat.
Hinc jubet, ut summo tradant gustanda ministro.
177 Ille ubi percepit venerandi dona saporis.
Nescius, in vini gratum transisse liquorem
Egestas nuper puris de fontibus undas, B
Increpat ignarum sponsum, quod pulchra reservans,
Deteriora prius per mensas vina dedisset.
His signis digne credentum discipulorum
Perpetuam stabili firmavit robore mentem.
Inde ubi Judæis aderant solemnia paschæ,

LECTIONES VARIANTES.

131. Deest hic versus in Reg., sed in fine paginæ suppletur.

135. Alii, *Olli respondet ;* alii, *Olli respondit ;* alii, *Illi respondit*, vel *respondet.*

141. Mss. cum editis, *aperirent illia metris*, et in Reg. glossa, *ilia — cavitatem sui quasi ventris. — metris — metretis, vel mensuris.* Fabricius edidit *aperirent ora metretis*, sed, ut opinor, ex conjectura, non ex fide codicum. Sic Arator, libr. II, v. 892 : *Sic etenim ternas capiunt sex vasa metretas.* Reuschius legit *ilia metretis*, ut *ilia* sit disyllabum per synæresin, nisi hic pro spondæo anapæstum agnoscere velimus. Ponitur *ilia* pro cavitate, seu ventre, quia hujusmodi vasis plura nomina ex humanis membris translata assignantur, ut v. 144 : *lapidum labiis.*

144. Reg., Ott., *Completis labiis lapidum* cum B Poelm., pro d. s., et Rom., ubi error est *labis* pro *labiis.* Alii, *Completis lapidum labiis.*

145. Reg., *undis, aurasque ad summa.* Forte ita intelligendum est : *Spuma volutat* (subintellecto *se*) *per oras commixtas undis, et per auras.* Verum quamvis in participio præsenti *volvens* sæpe *se* subaudiatur, tamen in aliis temporibus verbi *volvo*, aut *voluto* non facile id admiserim.

146. Fabr., *magistro :* reliqui *ministro :* quod præferendum est ; præcedit enim *summo.*

149. Rom., *Aggestas.* Alii, *Egestas.*

150. Mss. et plerique editi, *quod.* Poelm., *quid*, minus bene.

154. Reg., *Inde ubi aderant Judæis.* Ott., *Inde ubi aderant*, et supra inter *ubi* et *aderant* insertum *Judæis*, quod rectum est.

NOTÆ.

132. *Per talia dicta :* talibus dictis, sic enim usitatius dicitur. Sedulius, l. v vers. 217 : *Alter* C *adorato per verba precantia Christo.*

133. *Lætitiæ liquorem :* vinum cur ita dicatur, vide not. ad Dracont. l. I, v. 172 : *Munera lætitiæ*, etc.

134. *Bonis mensis :* amicis mensis, lautis, lætis. Plautus, Menæchm. II, 2, dixit *bonum prandium.*

136. Joannes, loc. cit. : *Quid mihi, et tibi est, mulier ? Nondum venit hora mea.* Augustinus, libr. de ver. Relig. tom. I, col. 757 : *Recede a me, mulier ? mihi, et tibi quid est ? Nondum venit hora mea.* Juvencus explicat : *Festinas, genitrix*, etc. Cur autem non retinuit *mulier?* Potuit enim dicere *Festinas, mulier.* Fortasse innuere voluit interpretationem Theophylacti : *Dicit enim, Si non adest vinum, oportet illos ipsos, quibus deest, accedere, et rogare, et non te matrem. Nam quando hortantur domestici, scandalum fit videntibus : quando autem hi rogant, qui opus habent, suspicione res caret.*

138. *Lætata :* etsi enim responsio filii reprehensionis quadam formula concepta esset, ut plerique interpretes docent, tamen intellexit Deipara, suis D precibus filium fuisse permotum, ut vinum procuraret. Maldonatus versum hunc Juvenci hoc sensu accipit. *Lætatam enim dicit Christi responso, quia cognovit, eum velle facere miraculum.* Ex quo colligit, Matrem a Christo non fuisse reprehensam.

140. *Præpulchra*, ut vers. 463 libr. I, *Saxis cavatis :* hydriæ, sive vasa aquaria fieri solebant e lapidibus excavatis, ut cernere adhuc licet in multis, quæ exstant. Confer Observationes Angeli M. Bandinii in antiquam tabulam eburneam, in qua hoc Christi miraculum exhibetur. Juvencus Evangelii verba expressit : *Erant autem illic lapideæ hydriæ sex.* Ad hanc regulam judicandum est de vasis, quæ inter cimelia sacra in nonnullis ecclesiis ostenduntur, tamquam ea fuerint, quæ in Cana Galilææ miraculo inservierunt. In picturis et monumentis antiquis hoc miraculum sæpe reperitur expressum, ut cernere licet in opere : *Sculture e pitture sagre estratte dai Cimiteri di Roma* 1737.

141. De sex hydriarum capacitate scripsit Matthæus Hostus. Joannes Tabingius, De hydriis in Cana Galilææ in Novo Thes. Theol. Phil.

142. *Fontis gremio*, quasi sinu. Confer not. ad l. I, v. 212, et Gifanii indicem in Lucret., verbo *gremium terræ.*

143. Ex Virgilio, l. I Æneid. v. 728, *Crateras magnos statuunt, et vina coronant*, hoc est, usque ad marginem implent. Alia est interpretatio, Serto, aut corona cingunt pocula. Juvencus priori adhæsit. Lucretius, l. III v. 925 : *Hoc etiam faciunt, ubi discubuere, tenentque — Pocula sæpe homines, et inumbrant ora coronis*, secundam potius rationem coronandi respicit.

145. *Commixtas undis auras :* physica hæc est ratio, cur spuma fiat, quia auræ undis commiscentur, Descriptione ergo utitur, ut spumam indicet.

146. *Summo ministro :* arch. triclino, ut ait Joannes. Nonnulli intelligunt, esse eum, qui curator, seu magister erat convivii, et cibos ac vina præ- D gustabat. Pignorius, de Servis pag. 54, docet, plures fuisse servos tricliniares, quorum aliqui aquam in manus infundebant, aliqui fercula inferebant, *infertores* appellati, etc. Servus triclinio præfectus in veteri epigrammate nominatur *triclinarcha.* Hic ergo a Juvenco dicitur *summus minister.* Alius erat rex convivii.

150. *Pulchra vina :* bona. Accipitur enim aliquando *pulchrum* pro bono in quocumque genere. Horatius, libr. I epist. 15, v. 41 : *Cum sit obeso — Nil melius turdo, nil vulva pulchrius ampla.* Cato, De Re rust. cap. 104 : *Acetum acerrimum et pulcherrimum erit.* Infra, v. 305 : *pulchri cibi*, et v. 317 : *pulcher labor.*

151. *Per mensas :* hoc ipsum dixit *mensatim*, l. III, v. 214. Frequens hæc est adverbii circumlocutio tam apud Græcos, quam apud Latinos.

154. CAPUT IX. *Jesus ementes et vendentes ejecit de templo.* Joannis II, 13, etc. ; Matth. XXI, 12 ;

Ad Solymos direxit iter, temploque subibat. A
Repperit hic populum venalia multa locantem:
Pars vendebat oves, pars corpora magna ju-
[vencum,
178 Pars inhians nummis artem numerare
[vacabat.
Restibus hic Christus connectit verbera flagri,
Et tales populos sancta proturbat ab æde,
Et mensas vertens, æris profundit acervos,
Et superincrepitans: Procul hæc auferte, pro-
[fani,
Ut meus hic Genitor, non sordida lucra, co-
[latur.
Tunc poscens signum plebes Judæa fremebat,
Quo fidens animos in talia facta levaret.
Ventura obscuris tunc Christus talia miscet:
Solvite pollutis manibus venerabile templum
179 Hoc: ego restituam cum tertia lumina solis
Incipient rutilam terris infundere lucem.
Illi inter sese tractantes murmure cæco,
Hoc, aiunt, vix sex et quadraginta per annos
Constructum veteris regni molimine templum

LECTIONES VARIANTES.

155. Reg., Ott., *deflexit*: in Ott., supra, *direxit*, cum Rom et editis. Reg., Ott. cum aliis, *temploque*. Rom. cum reliquis, *templumque*. Utrolibet modo recte dicitur.

158. Reg., Ott., *Pars inhians nummis artem numerare vacabat*. Cohæret Rom., ubi est *arte* pro *artem*. In Reg., glossa est *artem—pretii, vel quæstus conquirendi*. Editi omnes: *Pars inhians nummis mensas oneraverat ære*. Reuschius vulgatam hanc scripturam edidit, sed non dissimulat, priorem, quam, ut opinor, in mss. invenit, doctiorem videri. Intelligit, *artem* per metalepsin denotare pecuniam, dolo et fraude partam. Vide, num liceat rescribere *arti numerare*, scilicet vacabat arti numerandi.

160. Rom., Torn., *proturbat*: alii, *perturbat*. Illud magis placet.

161. Rom., Ott., *Ac* pro *Et*. Ott., *menses*, correctum per *mensas*. Reg., *æres* correctum per *æris*. Reg., Ott., Fabr., *profundit*. Rom., Had., Poelm., *profudit*. Ald., Torn., Bas., *ærisque profudit*. A Lucilio quidem et aliis prima in *profudit* corripitur, sed producitur a Catullo aliisque multis. Melius ergo est *Et mensas vertens æris profundit acervos*.

162. Ott., *Tum super increpitans*.

163. In Ott., *colatur*, factum ex *colantur*. Rom., unice, *colatur*. Scilicet, *Ut meus hic Genitor, non* B *sordida lucra, colatur*. Plerique *colantur*.

164. Bas., Ald., *Nunc poscens*: lege *Tunc*.

166. Reg., *tunc Christus tempora miscet*, et glossa in *obscuris—temporibus*.

168. Poelm. distinguit *templum — Hoc, ego restituam*. Aldus et alii, *templum:— Hoc ego restituam*. Distinctionem Poelmanni præfert Kœnigius, qui putat Christum id dixisse digitis corpus suum monstrando. Joannes ait: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*.

169. Mss., Poelm., in textu, et alii editi, *rutilam terris infundere lucem*. Aldus, cum cæteris, *rutilum terris infundere lumen*. Sed v. prox. jam præcessit *lumina*.

170. Westhemerus, in textu, et Poel., pro d. s., *Hoc inter*. Communis scriptura, ut supra, v. 39: *Illi inter sese*, quam habet Westh. ad marg.

171. Ald., Westh., in textu, Bas., *Illud aiunt*. Westh., ad marg., cum plerisque, *Hoc aiunt*, quod lex metri exigit. Rom., *Hæc aiunt: Vix sex*, etc.

NOTÆ.

Marc. XI, 15; Luc. XIX, 45. Juvencus pergit narra- C tionem contexere ex Joanne, qui post nuptias in Cana celebratas Jesum in urbem Capharnaum cum matre et discipulis suis descendisse refert. *Et ibi*, ait, *manserunt non multis diebus. Et prope erat pascha Judæorum, et ascendit Jesus Hierosolymam*, etc. Nonnulli ea verba, *Et prope erat pascha* ita interpretantur, ut sensus sit, *Et quando prope fuit pascha*. Alii aiunt, evangelistas sæpe res dissitas continua narratione conjungere, cum de tempore, quod intercessit, mentionem non facere decreverunt. Sic opinatur Lamyus, qui inter nuptias Cana, et adventum hunc Christi in urbem Hierusalem multum temporis, ac plura gesta Christi intercessisse statuit. Theophylactus duo facta distinguit, alterum quod narrat Joannes in initio signorum, alterum quod Matthæus commemorat prope tempus passionis. Ita etiam existimat Toletus ad cap. II Joannis.

156. *Locantem*, collocantem, vel addicentem iis, qui pretio dato emerent.

157. *Corpora juvencum*: hoc est, corpora juvencorum. Idem autem est corpora magna juvencorum, ac juvenci magnis corporibus. Sic *corpora germana septem* pro septem Germani h. l. vers. 731. Virgilius, libr. II Æneid. v. 18: *Huc delecta virum sortiti corpora*. Sic *corpus Turni* apud eumdem Virgilium, l. VII, v. 650, *corpus Divum* apud Lucretium, v. 1014 l. I. Interdum *corpora* pro animalibus simpliciter ponuntur. Græci etiam dicunt *corpus fluvii, corpus venti*.

159. *Verbera flagri*: hendiadys, ut vulgo vocant, unum per duo.

161. Joannes, loc. cit.: *Et nummulariorum effudit æs, et mensas subvertit*. Nummularii, sive trapezitæ, sic dicti a mensis, acervos pecuniæ minutæ, sive æris, in mensis habebant, quibus quæstum facerent pecuniis permutandis.

162. *Superincrepitans*, formatum ex analogia cum aliis similibus verbis, *superincumbo*, *superingero*, *superimpono*. Ii, qui a sacris removebantur, *profani* vocari solebant: *Procul, o procul este profani*. Virgilius VI, 258.

164. CAPUT X. *Judæi a Jesu signum petunt*. Joan. II, 18 seq.; Matth. XXVI, 61; XXVII, 40; Marc. XIV, 58; XV, 29. *Plebes* pro *plebs*, ut sæpe alias.

165. *In talia facta levaret*: excitaret. Reuschius interpretatur *talibus factis*. Vide not. ad v. 223 h. l. Malim, Excitaret ad exsequenda facta, quæ Jesus præscribebat.

167. *Venerabile templum*. Badius advertit, in Evangelio templum non dici venerabile, ne de se Christus arroganter, aut de templo jactanter loqui videatur.

168. *Tertia lumina solis* pro tertia die, vel sole tertio die resurgente. Lucretius, l. VI vers. 1195: *Octavoque fere cadenti lumine solis*, — *Aut etiam nona reddebat lampade vitam*. D

169. Videtur astruere, Christum e mortuis surrexisse sub solis, aut saltem sub auroræ ortum. Tenebræ quidem erant, cum resurrexit, ut ex sacris litteris constat. Id autem tunc ipsum accidisse, cum lucifer splendescere cœperat, inter tenebras scilicet, et lucem, probabilis est opinio, quam confirmavi in not. ad Dracont. vers. 542 lib. II.

170. *Murmure cæco*, quod audiri non poterat, ut interpretatur Schœttgenius, vel inconsulto.

171. *Quadraginta*: postremam esse communem certis exemplis probatur. Badius licenter a Juvenco corripi, nulla ratione ductus, affirmavit.

172. Quæri potest, de quo veteri regno Juvencus

180 Tu poteris tribus in spatiis renovare die- A
[rum?
Hoc verbum quondam post tempora debita digni
Cognovere viri, proprio de corpore Chri-
[stum
Delubrum dixisse Dei : sed signa videntes
Tunc multi cepere fidem, Sanctumque secuti.
Nocte sub obscura celso sublatus honore
Primorum procerum Judæi nominis unus
Venit, et ad Christum summissa voce profa-
[tur :
Haud dubium est, quin larga Dei te, Sancte,
[voluntas
Humanis lucem concessit surgere rebus,
Nec quisquam tantis tribuit miracula signis,
181 Ni comitata Dei jubeat splendescere
[virtus.
Christus ad hæc : Iteris justi si culmina quæris,
Nullus ad excelsum poterit conscendere regnum,
Reddita ni penetret nascendi exordia rursus,
Atque novam capiat divino munere vitam.
Ille autem tantis stupefactus corda loquelis,
Hoc, inquit, nostræ non est comprehendere
[mentis.
Quis poterit cœptæ revocare exordia vitæ?
An rursus senior matris correptet in alvum,
Ut novus in lucem veniat, vitamque resumat?
Ille sub hæc : Liquido si quis de fonte renatus,

LECTIONES VARIANTES.

173. Reg., Ott., Rom., Ald., Daventr., Westh., B in textu, *Tu poteris tribus in spatiis renovare dierum?* Hadam., Poelm., in textu, et alii : *Tu poterisne trium spatio renovare dierum?* Reuschius hanc constructionem sine præpositione *in* usitatiorem esse animadvertit, sed priorem scripturam edidit.

174. In Reg. et Ott. prius erat *verbo*, postea factum *verbum*.

176. Ott., *sed tanta videntes*.

177. Reg., Ott., Ald., scribunt *cœpere*, at *cepere* verum est.

178. Ott.: *Nocte sed obscura*, sed forte fuit *sub* pro *sed*, et sensus potius postulat *sub*.

180. Rom. *prostratur* : corrige *profatur*.

181. Ott., Reg., Rom., Ald., *te, Sancte, voluntas*. Hadam. et alii editi, *te sancta voluntas*. In Daventr., *te, Sancte*, et manu glossatoris factum *te sancta*. Ald., Bas., Torn., *quin;* alii, *quod*, male, ut ait Reuschius. *Concessit* dicitur pro *concesserit* archaismo notissimo. Neque poetis inusitatum indicativum pro conjunctivo ponere. Confer Vossium, III de Analog. c. 15, et Freinshemium, ad Phædrum, l. I fab. 14.

183. In Reg et Ott. videtur fuisse, a pr. m., *tribuat*.

184. Ald., *diu* : corrige *Dei*.

185. Mss. Reg., Ott., Rom., *iteris* : editi *callis*.

192. Fabr., Poelm., pro d. s., *correpet*. Mss. et plerique editi, *correptet* : Reg. scribit *correptæt*, Torn. *correpiet*, ut videtur.

193. Reg., *vitamque resolvat*, supra glossa, vel diversa lectio, *resumat*. Rom., mendose, *vitaque resumat*. Reuschius testatur plures editiones legere *vitamque revolvat*, quod ad Parcarum fabulam alludere videtur. Tuetur vero *vitamque resumat*, quia scriptores sacri crebrius *vitam sumere*, et *vitam ponere* dixerunt, ut Prudentius, hymn. 5 Perist. circa fin.; Sedulius, libr. IV initio; Juvencus sæpe.

NOTÆ.

loquatur. Joannes tantum ait : *Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud?* Existimo, Juvencum hæc verba intellexisse de templo, quod Zorobabel sub Cyro inchoavit, et sexto anno Darii post annos sex et quadraginta absolvit : ea scilicet ratione, quam exponit Sigonius, de Republ. Hebræor. l. II cap. 5. *Judæi cum redarguere Christum vellent, et scirent, templum primum a Salomone conditum spatio septem annorum, secundum a Zorobabele quadraginta sex, tertium ab Herode unius anni, et paulo amplius, neque primum, neque tertium nominarunt, ut ea, quæ parum causæ suæ faverent, sed secundum : multo enim longius absunt tres dies a quadraginta sex annis, quam ab uno.* Nonnulli putant, Herodem templum vetus amplificasse, non autem novum condidisse, vetere destructo, ut narrat Josephus. Alii, ne Josephum in re tam insigni mendacii arguant, ac Judæos tam ineptos fingant, ut de templi Zorobabelis ædificatione locuti fuerint, cum sermo esset de templo tunc præsenti, contendunt probare, ab anno quo Herodes cœpit templum reficere, usque ad annum quo Christo hæc Judæi objiciebant, quadraginta sex annos effluxisse : quo toto tempore semper aliquid templo additum fuit, neque perfectum illud est, nisi sub Agrippa juniore. Hæc autem opinio verbis Juvenci parum congruit : non enim tunc dixisset, *Veteris regni molimine.* C D

177. *Sanctum*, Christum : sic enim Christum vocare solet Juvencus.

178. CAPUT XI. *Jesus Nicodemum alloquitur de baptismate et aliis multis.* Joann. III, 1 seqq.

179. *Unus primorum procerum Judæi nominis.* Ut *Latinum nomen* de Latinis, sive gente Latina, sic *Judæum nomen* de gente Judæa usurpatur. *Unus* pro *aliquis*, *quidam*.

182. *Surgere* pro oriri, nasci, existere obvium est. Concessit Dei voluntas, te, tamquam lucem, surgere humanis rebus. Jo. Vorstius, de Lat. merito suspecta c. 20 p. 180, 181 : *Latini*, inquit, *non dicunt, Surrexit malus logicus, sed Exstitit, exortus est malus logicus.* Sed Juvencus, ut a nobis exponitur, reprehensione hac vacat.

183. Joannes, loc. cit. : *Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Miracula tantis signis* videtur esse hendiadys. *Tribuit* hic est *facit, præstat, distribuit, impendit, exhibet.* Infra, vers. 641 : *Et potiora dehinc tribuet miracula rerum.*

187. *Reddita rursus*, pleonasmus frequens, de quo in not. ad Dracont. l. I vers. 111.

189. *Stupefactus corda* : Græcismus Juvenco familiaris.

192. *Correpo* est irrepo, occulte intro : *correpto* eadem significatione, quod a Forcellino rejectum est ad barbara. Ut a *repo* formatur *repto*, sic *correpto* a *correpo* : sed *repto* bonorum scriptorum auctoritate se tuetur, et eleganter adhibetur, cum de infantibus, sed jam natis, est sermo. Juvencus fortasse huc respexit. *In alvum*, in uterum. Cicero, l. I de Divin. c. 20 : *Cum prægnans hunc ipsum Dionysium alvo contineret.* Adde Plautum, et alios, qui *alvum* pro muliebri utero accipiunt.

194. Phrasis est ecclesiastica *De fonte renasci*, pro aquis lustralibus ablui. Baptisterii nomen maxime notum in ecclesia est *fons baptismalis*. Vide dissertat. Antonii M. Lupi de sacris baptisteriis.

Et flatu sancto, rudibus consistere membris
Cœperit, ætheream liber conscendet in aulam.
Terrenum corpus terreno corpore natum est.
Spiritus haud aliter similem generat sibi flatum,
182 Spiritus hic Deus est, cui parent omnia mundi.
Hic, ubi vult, quocumque volat, vocemque per auras
Jactat, sed nescis, quæ sint exordia vocis,
Quamque petant ejus currentia flamina partem.
Quisque igitur justæ repetit primordia vitæ,
Hunc similem sancti flatus revigescere certum est.
Et Judæus ad hæc: Nihil horum cernere possum.
Talia tum Christus: Solymorum magne magister,
183 Israelitarum sublimis gloria gentis,
A Tune etiam mentem vitæ de lumine raptam
Demergis præceps furvis miserande tenebris,
Nec potes obtuso comprendere talia sensu?
Ecce fides nulla est, tantum terrestria dixi.
Quid, si cœlestis vires conscendere sermo
Cœperit, et superas rerum comprendere formas?
Quis vestrum duram poterit mihi pandere mentem?
Accipite ergo, novis quæ sit sententia rebus.
Sidereum nullus poterit conscendere cœlum,
Ni solus, cœli venit qui missus ab aula,
Idem hominis natus, cœli qui in sede moratur.
Ut serpens olim regionibus in desertis
184 Mosei manibus summo sublatus honore est,

LECTIONES VARIANTES.

196. Bas., Ald., *conscendit*. Ott., *conscenderet*, vel *conscendere*.

197. Plerique *natum est*. Poelm., pro d. s., *natum*, sine *est*.

199. Rom., *cui patent* : lege, *parent*, ad regulas metri. Ott., *mundi*, cum reliquis, sed pro d. s., vel glossa, *rerum* : quam lectionem apud alios etiam invenit Kœnigius, qui eam non improbat.

200. Poelm., pro d. s., *Hic, cum vult, quocumque volat*. Eamdem significationem habere potest. *Hic, ubi vult, quocumque volat*.

201. Ald. Bas., *quæ sunt exordia* : plerique *quæ sint*.

202. Reg., *ejus concurrentia*, sed non satis clarum est, an *ejus*, an *ei* sit scriptum.

204. Ottob., Rom. Ald., *reviviscere*. Reg. *revisvescere*, ex quo factum *revisviscere*, et glossa *renasci*. Verum cum metro non stat *revisviscere*, aut *revivescere*, immo nec *reviviscere*, nisi contra suam naturam secunda corripiatur. Hinc est, quod Hadam. et plerique editi habent *revigescere*. Omeisius id volebat, quamvis apud antiquiorem Juvenco scriptorem eam vocem non legisset : sed Nonius, cap. 9, n. 12, apud Ciceronem, l. 1 Tuscul. cap. 16, legebat *reviguit*, pro quo alii habent *sic viguit*. Reuschio ex conjectura magis placebat *revirescere*, quod certe verbum et metro congruit, et a multis usurpatur pro *renasci*, *renovari*, *reviviscere*.

205. Rom., *possim* : lege *possum*.

206. In Reg., hic et sequens versus manu glossatoris videntur additi.

209. Bas., Westhem. in textu, Ald., *Demerges*. Westh. ad marg. cum mss. et aliis editis, *Demergis*, in Ald. *miserandæ*, et in Rom. *miseram de* emenda per *miserande*.

210. Reg., Ott., obtunso Rom. cum editis, *obtuso*. Apud alios pariter scriptores nonnulli ex mss. legunt *obtunso* : sed plerique *obtuso*.

212. Rom. *Quod si cœlestes vires descendere sermo*. Non male esset *quod* : sed in aliis melius est *cœlestis*, et *conscendere*. Reuschio non displicet *cœlestes* hoc sensu : si sermo meus ad virtutes cœlestes enarrandas ascenderit. Textus sacer : *Quomodo, si dixero vobis cœlestia, credetis?*

215. Ott., Torn : , *Accipe* : legendum *Accipite*, ut versus constet. Omeisius, Kœnigius, et Reuschius hiatum admittunt *Accipe ergo*, cujus apud solum Virgilium 43 exempla Nic. Erythræus observavit. Sed cum præcedat *Quis vestrum*, sensus ipse exigere videtur *Accipite*.

217. Ott., Reg., *Nisi solus* : correctum utrobique per *Ni solus*. Ald., *cœli qui missus venit* : plerique, *cœli venit qui missus*.

219. Plerique editi, *Ut serpens olim vastæ regionis in oris* : ubi est hendiadys, sive una res per duo nomina *regionis* et *oris*. Poelm., pro d. s., *Ut serpens in desertis regionibus olim*. Torn., Ott., Reg., Rom., venusto versu spondaico. *Ut serpens olim regionibus in desertis* : sed Rom., mendose, *inque* pro *in*.

220. In editis fere omnibus, *Moseis*. Poelm., pro d. s., *Moysi*, ut *Ulysses*, *Ulyssi*, vel *Ulyssis*, Reg., Ott., *Mosei*, in Ott., supra, factum est *Moysei*. Dracontius bis usus est *Moseo* in casu dandi et auferendi, scilicet libr. II, v. 162, et in eleg. vers 17.

NOTÆ.

195. *Rudibus*, novis, recentibus. Confer comment. ad Psych. Prudentii vers. 219.

199. Joann. III, 6 : *Quod natum est ex carne, caro est, et quod natum est ex spiritu, spiritus est*. In codice Vercellensi additur, *Quod natum est de spiritu, spiritus est, quia Deus spiritus est, et ex Deo natus est*. Sic legerat Juvencus, et Hilarius l. VII de Trinit., et codex Corbeiensis. Vide Ivonem, epist. I, et Iricium, in præfat. et not. ad codicem Vercellensem. Eamdem lectionem tuetur Ambrosius, l. II de Spiritu sancto c. 7, et l. III, c. 10 : *Ipse Dominus dixit in Evangelio : Quoniam Deus spiritus est. Quem locum ita expresse, Ariani, testificamini esse de Spiritu, ut eum de vestris codicibus auferatis : atque utinam de vestris, et non etiam de Ecclesiæ codicibus tolleretis... Et fortasse hoc etiam in Oriente fecistis.*

200. Sacer textus : *Spiritus, ubi vult, spirat, et vocem ejus audis*, etc. Tribuitur vox spiritui, quia vox pro quovis sono accipitur. Virgilius, III Æneid. vers. 669, conjunxit : *Ad sonitum vocis*.

203. *Quisque*, quicumque, ut alibi dictum.

205. *Cernere*, intelligere. *Cerno* pro *videre* sæpe ad animum transfertur. Cicero, lib. III de Orat. cap. 31: *Neque tanta tamen (est) in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo aspexerit*. Interdum additur *animo cernere*.

207. Libr. I vers 242 : *Israelitarum cumulatæ gloria plebis*.

208. *Raptam*, abreptam, excæcatam Omeisius suspicatur Juvencum respexisse ad originem animæ cum allusione ad fabulam Promethei.

215. *Novis rebus*, hoc est, de novis rebus. *De* enim aliquando abundat, aliquando subauditur. Vel intellige potius : Accipite, quæ subsit sententia rebus novis hactenus dictis.

220. *Summo sublatus honore* : hemistichium repetitum ex vers. 178.

Sic hominis natum tolli in sublime necesse est, A
Ut quicumque fidem mentis penetralibus altis
Illius ad numen statuit, sub turbine secli
Proculcet pedibus lethum, et trans sidera sur-
[gens
Sublimis capiat donum inviolabile vitæ.
Namque Deus mundum tanto dilexit amore,
Ejus ut in terras descenderet unica proles,
Credentes Domino vitæ junctura perenni.
Nec Deus hunc natum disquirere jure severo,
Judiciove truci terras expendere misit :
185 Mitia sed populis veniant ut munera vitæ.
Namque ubi certa fides fuerit complexa salutem,
Non erit ulla illic anceps agitatio juris.
Ast ubi dona procul fuerint exclusa medelæ,
Jam propria ipsorum mentem damnatio torquet. B
Unica nam Domini fuit his incognita proles.
Adventum lucis miseri fugere superbi,
Et magis amplexi cæcas tenuere latebras.
Sic quicumque malis mentem maculaverit actis,
Ad tenebras pavidus refugit, ne lumine claro
Sordida pollutæ pateant contagia mentis.
At quicumque piæ tenuit vestigia vitæ,
Ad medium properat, lucemque nitescere gau-
[det,
Splendeat ut claris virtutis gloria factis.
Inde Galilæam repetit Salvator Iesus :
186 Præteriens sed forte venit Samaritida
[Sichem.
Illic fundus erat, Jacob de nomine pollens,
Et puteus gelido demersus in abdita fonte.
Sederat hic rapido Servator anhelus in æstu :
Discipulique escas mercantes mœnibus urbis
Passim dispersi, solum liquere magistrum.
Mœnibus egrediens Samaritis femina venit,
Hauritura cavis putei penetralibus undas.

LECTIONES VARIANTES.

222. Ott., *penetrabilibus :* ita fuit etiam in Reg., sed recte postea correctum per *penetralibus.*

223. Reg., Torn., Bas., Ald., Rom., *statuet :* Ott., cum aliis editis, *statuit :* quod magis congruit textui evangelico : *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Cyprianus tamen, libr. II Testim. : *Ut omnis qui crediderit in Filium, habeat vitam æternam.*

224. Ald., Poelm., pro d. s., *Conculcet :* alii, *Proculcet.*, Rom., depravate, *Propulcher.* Reg., *lethum trans,* et scribit *lætum.*

225. Ald., *capiet :* retine *capiat.*

226. Ottob., *Nam Dominus mundum.* Reg., Rom. cum editis, *Namque Deus.*

228. Ott., *Credentes Dominum.* Melius *Domino.* Reuschius post *Domino* posituram, seu virgulam collocavit ex præcepto, ut ait, grammaticorum, ne C quis *Domino perenni,* aut *Domino vitæ* conjungeret. Ex sacræ Scripturæ stylo dicendum esset *credentes in Dominum.*

231. Rom., *Diva sed populis,* et forte fuit *Divæ,* vel *Diæ,* quod minus ineptum est.

233. Ald., *ulla anceps illic.*

234. Rom., *excussa:* alii, *exclusa.*

236. Mss. et nonnulli editi, *fuit his :* in aliis *fuit iis.*

237. Mss. Reg., Ott., Rom., Poelm., pro d. s., *superbi.* Ald. et alii editi *supernæ.* Kœnigius conjicit *superbe* adverbialiter. Reuschius hanc conjecturam non spernendam ait, sed præfert *supernæ,* et per lucem supernam intelligit Christum, vel Evangelium, quod e cœlo demissum omnia collustrat.

238. Rom., *tenebras* : alii, *latebras.*

240. Rom., *e lumine :* lege *ne lumine.*

243. Poelm., pro d. s., *In medium :* in textu cum aliis, *Ad medium.*

244. Ott., *caris,* a pr. m., ex quo factum *claris.*

245. Reg., *petiit servator,* sed ex *petiit* factum *repetit.*

246. Reg., *Sichæ,* Ott., *Sicæm,* supra *Sichæm :* alii, *Sichem :* sic appellabant Samaritani; Judæi vero *Sichar* per ludibrium, quasi urbem ebriorum.

247. Reg., Ott., Rom., Ald., Fabr. Torn., *Jacob de nomine pollens.* Poelm., in textu, Hadam. *Jacob cognomine pollens.* In Ott., a pr. m., fuerat *Jacobi de nomine pollens :* quod non est absonum, et exstat in codice Cantuariensi. Sic Fortunatus duas priores corripuit in *Jacobus,* l. IV de Judicio extremo: *Dirigit et Jacobos terra beata sacros.* Reuschius præfert *Jacobi nomine pollens,* ut l. III vers. 258 : *Clara Philippæo quæ pollent nomine rura.*

248. Variant mss. et editi : nam alii habent *dimersus,* alii melius *demersus.*

249. Arntzenius ad Sedulium, libr. II vers. 58, emendari jubet hoc loco *rabido* pro *rapido:* cui tamen morem non geram. Rom., *Salvator :* alii, *Servator,* quod habet etiam Rom. ad marg.

253. Ald., Poelm., pro d. s., *Extractura.* Mss. et plerique editi, *Hauritura.* Præteritum *haurivi* et supinum *hauritum* minus sunt in usu; sed tamen non est, cur rejiciamus scripturam codicum *Hauritura,* cum apud bonos auctores id reperiatur. In Rom., male, est *cavis puteis ;* et in Ott., *penetrabilibus.*

NOTÆ.

222. Statius libr. III, silv. ult. vers. 56 : *Animi* D *penetralibus imis.*

223. *Statuere fidem ad numen,* pro credere nove dictum. Reuschius sic accipiebat versum 165 h. l. *Animos in talia facta levaret.*

224. *Proculcet pedibus :* triumphantium ritu, de quo ad vers. 42 h. l.

229. *Disquirere terras :* in disquisitionem vocare. Eo verbo usus est Horatius.

230. Exponit verba Joannis : *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Græce est ἵνα κρίνῃ, ut damnet mundum, pœnas ab eo exigat. Primus Christi adventus fuit, ut salvaret mundum : secundus erit, ut judicet mundum. *Expendere* est quasi pendendo examinare. Vide comment. ad Prudentium hymn. 4 Peristeph. vers. 11 : *Gentibus justam positurus æquo — Pondere libram.*

233. *Agitatio,* commotio : recte de jure *anceps agitatio,* ut agitationes fluctuum, et similia. Perinde est, ac si dicat, *Non condemnabitur.* Joannes ait : *Qui credit in eum, non judicatur : qui autem non credit, jam judicatus est.*

237. *Miseri superbi,* peccatores superbi. Rursus h. l. v. 663 : *Judicioque gravi miseros exurgere pravos.* Stylo ecclesiastico veteri peccatores vocari *miseros* ostendi ad Dracont. l. I vers. 11, et l. II vers. 150.

238. *Amplexi tenuere* energice dictum : ac notandum, eumdem casum accusandi regi a duobus verbis ; quod apud Juvencum non semel occurrit.

243. *Ad medium,* ad lucem publicam. Cicero, Famil. XV, ep. 2 : *Se tamen ante illud tempus eam rem numquam in medium propter periculi metum protulisse.* Eodem pertinet *ponere in medio, sumere de medio,* etc.

245. CAPUT XII. *Jesus cum muliere Samaritana loquitur.* Joann. IV, 1 seqq.

Olli Christus ait : Laticis da, femina, potum. A
Respondens mulier : Mirum mihi præcipis, inquit,
Ut tibi Judæo mulier Samaritica potum,
Dispernens veterum Samaritum jussa, ministrem.

187 Tum Servator ait : Domini si munera nosses,
Et quis te sitiens putealia pocula poscat,
Tu potius peteres, vivam tibi traderet undam.
Illa sub hæc : Puteus gremium sinuatur in altum,
Urceus est nullus, nec sunt tibi vincula funis.
Unde igitur poteris undam mihi tradere vivam?
Num tu major eris nostri virtute parentis?
Hunc Jacob etenim puteum cum prole bibebat,
Et proprios huc sæpe greges ad pocula duxit.
Olli respondit mundi regnator Iesus :

188 Ex ista plene nullus satiabitur unda,
Nam rursus sitiet : sed nostri dona liquoris
Ardorem excludent æterna in secla bibendi.
Dulcia provenient nostri cui pocula fontis,
Largior inde fluet vitalis gratia fluctus.
Sed desiderium nostræ si te capit undæ,
Excitus veniat tecum mox urbe maritus.
Conjugio sese mulier negat esse revinctam.
Tum sic prosequitur mentis perspector Iesus :
Femina, veridicis loqueris de conjuge verbis.
Nam tu connubiis nexa es jam quinque virorum,
Nunc aliena super thalamorum vincula tollis.
Tum mulier : Sanctum te certum est esse prophetam.
Sed nostri istius venerandum montis in arce

LECTIONES VARIANTES.

254. Ald., Poelm., in textu ; Bas., *Olli Christus ait : Laticis da, femina, potum.* Had. *Olli Christus ait latius : Da, femina, potum*, quod mendosum est. Rom. *Sic olim Christus : Laticis da, femina potum.* Westhem., in textu, *ait laticis da :* ad marg. *ait latus da*, quod nullum rectum sensum habet. Poelm. pro d. s., Torn., *Illam deposcit potum sibi tradere Christus.* Reg., et Ott. utrumque versum conjungunt : *Illam deposcit potum sibi tradere Christus — Illi Christus ait : Laticis da, femina potum.* Reuschius posteriorem omittit, priorem præfert, quia Juvencus sæpius ita loqui amat, ut l. II, vers. 259, 336, 430. Aliud teneo.

256. Poelm. in textu, Reg., Hadam., Fabr., *Judæo mulier Samaritica potum.* Ald., Bas., *Judæo Samaritis femina potum.* Poelm., pro d. s., Ott., *mulier Samaritida potum*, quod nullo modo est admittendum. In Rom. ita leguntur hi duo versus : *Ut tibi nunc tribuam mulier Samaritida potum — Disperdens veterum Samaritum jussa ministrum.*

258. Reg., Ott., Rom., in textu ; Ald., Bas., *Servator.* Poelm. et alii editi, *Salvator*, quod exstat etiam in Rom. ad marg. Pro *nosses*, Rom. et Torn., *nosces.*

260. In Reg. et Ott. ex *tradere* factum recte *traderet.* Rom., *Vivam ut tibi traderet undam.*

265. Ott., Rom., Ald., Bas., *Hunc Jacob etenim puteum.* Poelm., in textu ; Hadam., Reg., Westh., ad marg., *Hoc etenim Jacob puteum.* Poelm., pro d. s., Torn., Fabr., *Hoc etenim Jacob puteo.* Westh., in textu, *Hoc Jacob enim puteo*, productis duabus primis in *Jacob*, et correpta postrema. Reuschius mavult *puteum*, quam *puteo*, ut *bibere aquam, pocula*, et similia. Omeisius retinet *Hoc etenim Jacob puteum* ex Varrone, qui neutro genere *puteum* dixit.

267. Bas., *summi regnator olympi.* Ald., *Illi respondit summi regnator olympi.* Plerique, *Olli respondit mundi regnator Iesus.*

268. Reg., *plane ;* et glossa, *certe :* alii *plene.* Ald., corrupte, *plenæ.*

270. Ott., *libendi :* corrige *bibendi.*

272. Ald., Torn., Bas., *unde.* Mss. et alii editi, *inde.* Rom., *luet* ; emenda *fluet.*

276. Torn. *prospector :* quæ vox occurrit apud Apuleium, et Tertullianum. Omeisius cum melioribus mavult *perspector*, quod apud antiquiorem Juvenco non legitur.

278. Reg. *vivorum :* corrige *virorum.*

281. In Reg. glossa est *præceptum venerandum — adorandi :* ex quo conjicio, legendum *venerandi*, scilicet liquere nobis præceptum venerandi, seu adorandi in arce nostri istius montis. Infra, vers. 286 : *Omnibus et Solymis aberit veneratio longe. Venerari* pro *colere, orare* usitatum est a probis latinitatis auctoribus. In lectione vulgata sensus est, Liquere præceptum, venerandum esse, etc., ut vers. 283, *Orandum dicitis.* Nonnulli Plauto attribuunt *venero* activum.

NOTÆ.

257. *Dispernens :* participio *dispretus* usus est Gellius l. VII, cap. 18, ubi alii legunt *discerpti*, non *dispreti.* Ambrosius, serm. 27, al. 18, inter sermones ipsi adscriptos in Append. edit. Maur. : *Præcepta ejus minime dispernamus. Samaritum* vel est contractum pro *Samaritarum* a *Samarita*, aut *Samarites*, vel est a *Samarites* in plurali, ut *Curetes, Curetum.* Rursus vers. 324 : *Ecce Samaritum populi*, ubi secunda producitur, cum alibi corripiatur. Vide var. lect., ad vers. 436.

259. *Posco* cum duobus accusativis. Vide var. lect., ad vers. 254 h. l.

261. *Gremium* de puteo, ut supra, vers 142, *fontis gremio.*

265. Barthius, libr. XXXV Advers. cap. 16, pag. 1616 ; VIVUS, ait, *apud Christianos poetas, imitatione cæterorum, ingenuum, florentem suis opibus, vividumque denotat.* Allegatque Paulinum, Marium Victorem, Tertullianum, ac Juvencum hoc loco. At Juvencus Evangelium potius sequitur : *Et dedisset tibi aquam vivam.* Dicitur autem *aqua viva*, ut fontes perennes *fontes vivi.*

264. *Nostri virtute parentis*, hoc est, nostro parente Jacob, cujus virtus tantopere celebratur. Horatius, libr. II, sat. I : *Quin ubi se a vulgo et scena in secreta remorant — Virtus Scipiadæ, et mitis sapientia Læli.*

266. *Pocula*, potus. Virgilius, eclog. 8, vers. 27 : *Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.*

268. *Ex* abundat, ut sæpe *de.*

272. Omittitur pronomen *ei :* videlicet *Largior gratia fluet ei, cui proveniet*, etc.

274. *Excitus :* secunda producta ab *excio ;* quæ corripitur, cum est ab *excieo.*

277. *Veridicis :* proba vox, qua Cicero etiam utitur. Catullus, carm. 63, de Nupt. Pel. et Thet. dixit, *Oraclum veridicum.*

278. *Nexa* ut supra *revinctam*, matrimonii vinculum denotat, et significantius est, quam si dixisset, *juncta es.*

279. Conferenda sunt cum Juvenco verba Evangelii : *Dicit ei Jesus : Bene dixisti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti, et nunc quem habes, non est tuus vir.* Nimirum is, quo libidinis explendæ causa uteris, non est tuus vir, sed concubinarius. Ita ergo Juvencum intelligo : Nunc super te tollis, seu fers aliena vincula thalamorum. Ac fortasse innuit, virum, quo Samaritana abutebatur, fuisse maritum alterius. Sic exponunt Schoettgenius et Reuschius, qui Samaritanam causam fuisse, cur scortator ejus uxorem legitime ductam dimisisset, arbitrantur. *Super* est *insuper.*

281. *In arce*, in vertice. A poetis præsertim *arx*

189 Præceptum nobis quondam liquore paren- A [tes.
At vos in Solymis orandum dicitis oris.
Talia dicenti mox talia reddit Iesus :
En aderit tempus, montis cum vertice vestri,
Omnibus et Solymis aberit veneratio longe.
Sed nunc certa salus Judæis surgit ab oris.
Et nunc instantis cursus jam temporis urget,
Cum veri sanctum Genitorem, errore remoto,
Cultores, justis armati legibus, orent.
Spiritus his, ac plena fides erit, et Pater altus
Talia conquirit cultorum pectora terris.
Illa dehinc : Scimus, quod Christus nuntius [orbi
190 Adventu proprio vitalia secula pandet.
Et tunc peccantum largus miserator Iesus
Se lumen terris Christum venisse fatetur.
Et jam discipuli reduces stupuere magistrum,
Quod secreta illius poteretur femina verbis.
At properans urnam mulier pro fonte reliquit,
Et populum totis eduxit mœnibus urbis.
Omnia nam memorat sibimet sermone prophetæ.
Gesserat ipsa prius quæcumque, ex ordine dicta.
Tum propere Christum fusæ petiere catervæ.
Discipuli interea rogitabant sumeret escas.
Ille satis sibi pulchrorum superesse ciborum
Respondit. Sed tum mirantum discipulorum
Inter se occultis currebat sermo loquelis :
191 Forte aliquis prior hic epulas dedit ante [magistro,
Nostras ut merito satiatus respuat escas.
Ille sed internæ cernens molimina mentis :
B Hæ mihi sunt epulæ, pectus satiabitur istud,
Si faciam magni Genitoris jussa per orbem.

LECTIONES VARIANTES.

283. Rom., *Et vos* : alii, *At vos*.

284. Rom., *reddidit Iesus*, quasi dissyllabum sit *Iesus*, ut sæpe apud Prudentium. Juvencus trisyllabum solet efferre *Iesus*.

287. Reg., *venit ab oris*.

291. Ott., *Christus his*, correctum *Spiritus his*. Pro *his* alii habent *iis*.

292. Ott., Rom., Ald , Torn., Bas., *conquiret ;* Reg., et alii, *conquirit*.

297. Rom., *At;* alii, *Et*.

298. Ott., *illius*, sed factum *illis*. In Reg., *illis* et glossa, pro *illius*. Rom., *illis* cum multis editis. Ald. cum aliis, *piis*. Reuschius omnino legendum censet *illius*, ex mss. Cant. ; ne tamen aliquem offendat crasis *illius*, in textu ponendum curavit *ejus*, ex cod. Un. Ex glossa Reg., supra *secreta*, nempe *sola*, C conjici posset *Quod sola illius*. Mss. Reg., Rom., Ott. cum multis editis, *potiretur*. Sed metrum exigit *poteretur* cum Hadam. et aliis, a *potior poteris* tertiæ conjugationis, non a *potior potiris*. Pro *secreta* bene esset *secrete*, vel *secreto*.

299. Rom., *mulier cum fonte reliquit*. Reg., *mulier prope fonte reliquit*. Ott., *mulier pro fonte reliquit*, quam lectionem exhibuit Reuschius ex cod. Helmstad. Eadem scriptura probabatur etiam Gallandio ; sic infra, vers. 586 : *Pro limine cernit*, et vers. 728 : *Pro foribus mater cum fratribus astitit illic*. Cicero, pro Milone, initio : *Illa præsidia, quæ pro templis omnibus cernitis*. In editionibus veteribus legitur *fontem prope liquit*.

304. Mss. Reg., Rom., Ottobon., Ald., Bas., *rogitabant sumeret escas*. Hadam. et alii, *rogitant ut sumeret escas :* quæ lectio, ait Reuschius, ut ut cum regulis grammaticorum pugnare videatur, contra auctoritatem veterum non est.

309. Reg. *sociatos*, ex quo factum *sociatus*. Ott. prius *socialus*, tum *satiatus*. Idem Ott., *respuit*, supra, *respuat*. Lege *satiatus respuat*.

311. In Reg. ex *sociabitur* factum *satiabitur*.

NOTÆ.

de cacumine montis sæpe dicitur. Virgilius, de septem collibus Romæ, libr. II Georg. vers. 535 : *septemque una sibi muro circumdedit arces*.

283. *Orandum*, simpliciter de oratione, seu precibus ad Deum factis. Vide not. ad l. I, vers. 48. Reuschius expanit *adorandum*.

288. *Nunc jam* pleonasmus, qui alibi etiam occurrit.

289. Duriuscula syntaxis : intelligitur enim, quod veri cultores, errore remoto, orent sanctum Genitorem.

290. Leges muniunt, ac defendunt. Vide Comment. ad Prudent. l. II, contra Symm. vers. 179, ubi præter alia in hanc sententiam referuntur verba Trebellii Pollionis : *Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed et legibus oportet esse armatam*. Illud autem quærendum, cur veros Dei cultores Juvencus dicat *justis armatos legibus?* Sacer textus ita habet : *Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum.* Spiritus est Deus : et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. Juvencus *in veritate* exponit *errore remoto* : superest ergo, ut *justis armati legibus* sit interpretatio horum verborum *in spiritu :* quasi spiritus ac religio christiana id jubeat, qua veri cultores armati intrepide Deum ubique adorabunt. Huc etiam revocari potest, quod *Pater alius talia conquirit cultorum pectora terris*.

292. *Conquirit*, requirit. *Talia cultorum pectora*, cultores tali pectore, vel talem constantiam in cultoribus. Vide vers. 84 h. l. : *Sed talia pectora cernens*, et not. ad vers. 65 h. l.

295. *Miserator* : ante Juvencum usus hoc vocabulo est Tertullianus, libr. v contra Marcion. cap. 11.

297. *Stupeo*, pro valde admirari, regit accusativum apud poetas, quod exemplis confirmare supervacaneum esset.

300. Figurate *populum totis eduxit mœnibus*, pro *populum totum*, etc.

D 303. *Fusæ*, hoc est, effusæ, multæ. Cicero, l. II de Orat. cap. 38 : *Genus sermonis affert non liquidum, non fusum, ac profluens, sed exile, aridum, concisum, ac minutum*.

305. *Pulchrorum ciborum* : vide notam ad vers. 150.

307. *Inter se* reciprocum pro relativo *inter illos*, quod aliquando usurpatur, frustra repugnante Valla.

308. *Prior ante*, pleonasmus, ut apud Virgilium, l. IV Æneid. vers. 24 : *Vel tellus, optem, prius ima dehiscat... Ante pudor, quam te violo*.

309. *Respuat*, repudiet, non admittat ; hanc enim significationem præter alias habet *respuo*. Neque assentior Reuschio, qui annotat : *Durior vox, quam castigatiores veterum aures vix ferrent*.

310. *Molimina mentis*, vide vers. 18.

311. *Pectus istud* ; præstitisset dicere *pectus hoc ;* nam de se loquitur Christus. Verum est nihilominus interdum a Cicerone et aliis *iste* pro *hic* poni, et contra *hic* pro *iste*.

Quatuor hinc menses lætæ ad primordia messis
Frugiferæ æstatis certe superesse putatis.
Erigite ergo oculos, albentes cernite campos,
192 Cunctaque maturam jam rura exposcere messem,
Nunc quicumque metet, pulchri mercede laboris,
Vitalique dehinc gaudebit fruge redundans,
Et sator accipiet messorum gaudia lætus.
Vos ego nunc misi gravidam succidere messem,
Quæ non est vestro sulcis inserta labore.
Vos aliena bonæ ditabunt munera frugis.
Talibus alloquiis comitum dum pectora complet,
Ecce Samaritum populi venere rogantes,
Exorantque illic geminos impendere soles.
Jamque fides multos plebis fundaverat alta,
Nec jam femineis tantum concredere verbis
Ipsos, sed coram virtus manifesta docebat,
Venisset secli quod jam Servator Iesus.
Jamque Galilæam remeaverat in regionem,
193 Quondam ubi fontanas vino mutaverat undas.
Regius hic juvenis, cui natum morbus anhelo
Ardore extremis vitæ torrebat in oris,
Comperit ut Christum certo remeasse recursu,
Advolat, et precibus soboli pro sorte profusis
Orabat, celeris deposcens dona salutis,
Ne pius ad lethum natus traheretur acerbum.
Christus ad hæc : Signis nisi suadeat omnia virtus,
Non erit ulla fides : sed perge, et sospite vita
Ædibus in vestris dulcem complectere natum.

LECTIONES VARIANTES.

313. Ott, *hic*. Reg., Rom., editi, *hinc*.

314. Reg., Rom., Ott., *æstatis* : videlicet *primordia messis æstatis frugiferæ*, vel sunt duo genitivi, qui conjunguntur cum *primordia*. Vide not. ad l. I vers. 193. Editi plerique *æstati*, hoc est, usque ad æstatem.

319. Ald., *excipiet*, pro *accipiet*.

320. Mss. cum plerisque editis, *Vos ego*. Poelm., Fabr., *Hos ego*. Rom., supra, *ergo* pro *ego* repugnante metro.

322. Reg., a pr. m, *bona* : forte legendum : *Vos aliena bona ditabunt munera fruge*, nempe *fruge bona*.

325. Mss. Reg., Rom., Ott., *impendere soles*, quod melius est pro insumere, quam *expendere*, quod editi exhibent. Suetonius, in August. cap. 98 : *Caprearum secessui quatriduum impendit*. Reuschius, ex Fuld., *impendere* ; et quadam editione *illis* conjiciebat cum Zehnero, *illis geminos impendere soles*.

327. Ald. distinguit *verbis*, — *Ipsos sed*.

329. Reg., Rom., Ott., *Servator*. Editi, *Salvator*.

330. Reg., *Jamque iterum terram remeaverat in Galilæam*. Ott., Rom. cum editis, *Jamque Galilæam remeaverat in regionem*.

331. Rom., *vinum* : forte, *fontanam in vinum mutaverat undam*, vel *vinum* in Rom. est nominativus. Nihil tamen muto.

332. In Ottob. ex *morbis* recte factum *morbus*.

333. Duo codd. apud Reuschium, *horis*, sed *oris* magis poeticum est ; et in mss. aspirans littera sæpe vocalibus adjungitur, sæpe detrahitur, veluti *harundo*, *ymnus*. Postea vers. 344. *Luminis oras*.

337. Rom., *Ne prius* : alii, *Ne pius*. Apud Virgilium et alios, *pius* et *prius* inter se permutata sunt. Reuschius eligit *prius* ex codice sacro, *Priusquam moriatur*. Aliud malo.

339. Ald., *Non erat ulla fides* : alii, *erit*.

340. Rom., *Sedibus* : alii, *Ædibus*.

NOTÆ.

313. Joann. loc. cit : *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit ? Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem*. Ita etiam Itala vetus. Explicat id Juvencus, post quatuor menses futura primordia messis. Lamyus, in Harmonia Evang., ex græco textu, τετράμηνον, *quadrimestre spatium*, sic explicat : *Proverbialis est sermo : quasi dixerit Christus : Inter vos tritus est sermo : Adhuc quadrimestre est spatium, per quod messis colligi potest ; messis venit, sed non præteriit : ita nunc celeritate opus non est*. Mazochius, ad h. l. quatuor non amplius menses in Judæa sementem inter ac messem intercessisse putat, atque ita exponit : *Vos, semente facta, tritum illud usurpatis : Quæ sulcis mandavimus, ex iis post quatuor menses fructum demetemus : at sationis spiritualis fructus longe præcocior ; jam enim regiones flavescunt ad messem*. Præcesserat Maldonatus, qui simile proverbium Latinum profert : *Adhuc seges in herba est*.

315. *Albentes messes*, flavescentes. Utitur verbo Evangelii *albæ*. Hieronymus, comment. in Mich. VII : *Videte regiones, quia jam candidæ sunt ad metendum*. Mazochius, ad h. l., observat, genus tritici in regno Neapolitano esse, quod *album* vulgo appellant : cujus seges dum messem exspectat, albicat, non flavescit. Non tamen inde colligam, ejus generis fuisse triticum judaicum.

317. *Pulchri laboris*, ut *pulchra libertas* apud Virgilium, et similia, de quibus ad vers. 150.

319. Joannes ait : *Ut et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit*. Illi satores sunt prophetæ, qui olim prima semina verbi divini jecerant.

320. Virgilius, l. I Georg. vers. 297 : *At rubicunda Ceres medio succiditur æstu*, hoc est, metitur medio die, et æstu. Silius, l. XV vers. 536 : *Immatura seges rapido succiditur ense*.

324. Supra non semel duas primas in *Samaritum*, et *Samaritis* corripuit. Confer var. lect. ad vers. 436.

325. *Exorant*, obtinent, orando impetrant. Joannes, loc. cit : *Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret, et mansit duos dies*.

226. Notanda phrasis *multos plebis*, pro *multos e plebe*.

330. CAPUT XIII. *Filium Reguli a morte liberatum*. Joann. IV, 46 seqq.

332. Evangelii verba sunt : *Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur*, etc. Græce pro *Regulus* βασιλικὸς, al. βασιλίσκος. Juvencus regulum vocat *regium juvenem*, videlicet virum ex aula regia, fortasse Herodis. Sæpe Juvencus *juvenem* pro homine, seu viro, ponit, ut dixi ad vers. 44 h. l. Cicero, II Famil., ad Curionem jam 54 annos natum, ut observat Gothofredus : *Ut ætas nostra ingravescens in adolescentia tua conquiescat*. Confer etiam not. ad l. III vers. 55.

333. Ovidius, Heroid. epist. ult. vers. 169 : *At mihi (væ miseræ !) torrentur febribus artus*. Sic *æstus febris*, l. I, vers. 799.

335. *Pro sorte*, pro statu, pro salute. Fortasse eo respexit Juvencus, quod soboles sors patris dicebatur. Ovidius, l. VI Fast. vers. 29 : *Si genus aspicitur, Saturnum prima parentem — Feci : Saturni sors ego prima fui*.

337. *Lethum acerbum*, funus immaturum : elegantia nota.

340. *Ædibus in vestris*, pro *tuis*, ea loquendi ratione, quæ, cadente latinitate, invalescere cœpit. Vel intellige *tuis, et tuorum*.

His verbis fructum mox perceptura salutis
Pulchra fides animum lætanti in pectore firmat.
Jamque iter ingresso properantibus obvia servis
194 Nuntia fama venit, pueroque in luminis [oras
Limine de mortis subitam remeasse salutem.
Ille ubi cognovit, certum concurrere tempus
Sanantis Christi verbis, seseque, domumque
Mancipat, amplexus fidei venerabile donum.
Forte dies epulis multos sociaverat una,
Publica conductis qui vectigalia lucris
Professi, rapiunt alieno nomine prædam.
Hos cum discipulis simul accipiebat Iesus.
Ecce Pharisæi occulto reprehendere nisu,
Quod legis doctor convivia talia iniret.

A **195** Ille sed inspiciens, quid pectora sæva te- [nerent,
Non, inquit, medicis opus est, ubi fortia membra
Intemerata salus vegetat virtutis honore.
Ægris sed merito miserans adhibenda medela est.
Discite nunc saltem, jubeant quid verba prophetæ:
Non ego sacra magis, quam mitia pectora quæro.
Haud etenim justos veni ad directa viantes,
Sed revocare malos peccantum a limine gressus.
Ecce sed e numero mirantum munera Christi
Unus Joannis quærebat discipulorum,
Cur ipsi legis jejunia crebra tenerent,
Nullaque sub Christo plebes jejunia ferret.
Christus ad hæc contra placido sic ore profatur:
Qui sponsi lætis comitantur vota choreis,
196 Non, præsente illo, jejunia tristia portant.

LECTIONES VARIANTES.

341. Rom., *fratrem :* lege *fructum.*

342. Rom., male, *animi*, pro *animum.* Ott., *lætanti pectore*, sine *in.*

344. Ald., Bas., Poelm., pro d. s., *puero resonatque jacenti.* Reg., Ottob. cum aliis editis, *pueroque in luminis oras :* Rom., perperam, *puerumque.* Non male esset *puero sub luminis oras*, etc. In lectione communiori subintelligi potest *refert*, vel *narrat remeasse salutem.*

347. Reg., *Sanati.* In Ott. videtur fuisse *Sanatis.* Rom., *Sanantis*, cum editis.

349. Reg., Rom., Ott., Torn., Poelm., pro d. s., *una* : alii, *unus.* Mss. cum plerisque editis, *sociaverat.* Ald., Torn., Bas., *satiaverat.* In Daventr., *sociaverat unus* ; sed glossa mss. *repleverat* videtur facta pro *satiaverat*, quod minus probo.

353. Mss. et editi constanter, *occulto reprehendere risu.* Sed quid rogo, est occultus hic risus? Nullus dubito, quin legere oporteat *occulto reprehendere nisu*, scilicet occulta molitione et conatu. Supra vers. 18 : *Gentis sic sunt molimina vestræ*, et vers. 310 : *Ille sed internæ molimina mentis.* Lib. III vers. 152 seq., pariter legam, *Quod verba loquentis —Occulto carpant scribarum pectora nisu.*

354. Reg., Ott., *vellet :* in Ott., supra, *iniret*, quod habent plerique editi. Poelm. pro d. s., Fabr., B *adiret.*

355. Ald., Fabric., Bas., Poelm., pro d. s., *clausa.* Mss. cum aliis editis, *sæva :* quod præfero, quamvis non displiceat *clausa*, hoc est, tecta et ficta.

356. Un. apud Reuschium, per interrogationem : *Numquid, ait, medicis opus est*, etc.

357. Rom., Reg., Ottob., Poelm., pro d. s., *vegetat virtutis honore.* In Ottob., pro d. s., *vegetat viresque ministrat*, quod reperitur in plerisque editis. Reuschius amplexus est *virtutis honore*, hoc est, virtute et viribus. Similis locutio apud Ovidium, II Metam. vers. 283, al. 285.

358. Wopkensius, ad Sedulium, l. I vers. 22, conjiciebat *miseris* pro *miserans.*

359. Reg. scribit *saltim.*

364. In Ott. ex *Joannes* recte factum *Joannis.*

366. Reg., Ott., Torn., Fabr., *ferret.* Rom. cum Ald., et aliis editis *ferrent*, quod fortasse fuit in Ott., a pr. m. Sed, ut opinor, *ferrent* a librariis scriptum, C qui *plebes* in nominativo plurali esse putaverint. Haud equidem negaverim, eleganter cum *plebes* seu *populus* in singulari posse conjungi verbum *ferrent* in plurali. Sed cum de hac elegantia non constat, ægre eam admittam in poetis christianis. Etsi autem *plebes* in plurali aliquando dictum fuerit, tamen longe usitatius est in singulari.

NOTÆ.

342. *Pulchra fides* ea significatione, quæ vers. 150, et 317 explicata est.

346. *Concurrere*, congruere, convenire. Vide l. I vers. 448, et h. l. II vers. 831.

348. Glossa in cod. Reg., *Mancipat-subdit Christo.*

349. CAPUT XIV. *Jesus pharisæis murmurantibus de convivio publicanorum dicit, non opus esse sanis medico.* Matth. IX, 10, etc. ; Marc. II, 15, etc.

350. Pulchra descriptio publicanorum, qui professi publica vectigalia conductis lucris, rapiunt sibi prædam nomine fisci. Jansenius Gandavensis hoc ipsum tenet, Judæis publicanos invisos, quod vi, et D rapinis grassarentur.

351. Quæstus publicanorum recte *prædam* vocat. Cicero V in Verr., al. l. III cap. 50 : *Maximos quæstus, prædasque fecisse.* Vide not. ad Dracont. l. II vers. 769.

352. Videtur hypallage, quasi velit Juvencus dicere : Hi accipiebant convivio Jesum cum discipulis. Sed potius Juvencus verba Evangelii exprimere voluerit. Matthæus : *Et factum est, discumbente eo in domo, multi publicani et peccatores venerunt, et recumbebant cum Jesu, et cum discipulis ejus.* Marcus addit : *Erant enim multi, qui et sequebantur eum.*

360. Rursus vers. 581 : *Quod non sacra Deus, sed mallet mitia corda.*

363. CAPUT XV. *Discipulis Joannis interrogantibus, quare non jejunarent discipuli ejus, parabola proponitur panni scissuræ, et utris.* Matth. IX, 14 seq.; Marc. II, 18 seq.; Luc. V, 33 seq.

368. *Sponsi vota :* sic nuptiæ appellantur in cod. Theodos. l. III, tit. 5, leg. 7. Apuleius, l. IV Metam., post med. : *Votis nuptialibus pacto jugali pridem destinatus.* Matthæus et Lucas comites sponsi, qui D eum lætis choreis comitabantur et ad thalamum deducebant, vocant *filios sponsi*, Marcus vero *filios nuptiarum.* De hoc ritu deducendi et comitandi sponsum cum lampadibus, seu facibus, choreis et canticis, consule Martinum Roa, l. II Singular. c. 21.

369. Vulgata Evangelii Matthæi : *Et ait illis Jesus : Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, et tunc jejunabunt.* Itala vetus : *Numquid possunt filii sponsi jejunare.* Hilarius ad hunc locum : *Præsente sponso, jejunandi necessitatem discipulis non esse respondet..... Ablato autem se, jejunaturos esse dicit.*

Jamque dies aderit, cum sponsus turbine sæcli
E medio comitum rapietur : tristibus illi
Languida concipient animis jejunia flentes.
Quam stultum est rudibus veteres subtexere [pannis,
Vestibus ut turpis pejus scissura patescat ?
Aut utribus calidum tritis committere mustum,
197 Queis ruptis totum sequitur disperdere [vinum ?
Sed rudibus rectum est utribus spumantia musta
Condere : sic vinum conservant fortia vasa.

Talia tractanti perculsus pectora luctu
Ecce sacerdotum princeps procumbit adorans,
Et sibi defunctam, funus miserabile, natam
Implorat lacrymans, certamque venire salutem
Defunctis etiam poscebat munera Christi.
Haud mora, consurgens graditur Servator Iesus.
Progressi mulier sequitur vestigia servans,
198 Quam languore gravi bis sex labentibus [annis
Carpebat fluxus, lacerans sine fine, cruoris,
Viribus absumptis, et toto corpore fessam.

LECTIONES VARIANTES.

371. Poelm. in textu, Dauventr., Hadam., Ald., Fabr., *Tristibus illi—Tuncque dabunt animos lacrymis horrore ciborum, — Languida concipient animis jejunia flentes. — Quam stultum.* In Rom., et Poelm., a sec. m., *Spondebunt* pro *Tuncque dabunt.* In Ott. etiam, *Spondebunt*, sed deest versus *Languida.* In Reg. pariter, *Spondebunt*, sed prius ponitur versus *Languida;* tum alius *Spondebunt.* Sane alteruter superfluus est : sed magis spurius mihi videtur *Spondebunt animos lacrymis horrore ciborum.* Kœnigius conjiciebat *Sponte dabunt animos.* In cod. Ca. scriptum erat *Languida concupient.*

373. Reg., a sec. m., Ott., *pannis*, — *Vestibus ut turpis pejus scissura patescat :* quæ videtur proba lectio, et distinctio. Alii *pannos* — *Vestibus, ut.*

374. Rom., Torn., *Vestibus, ut turpis pejor scissura patescat.* Codex Fuld., *ut pejor turpis.* Codex Cant., *ut ruptis pejor.* Poelm. in textu, Hadam., *ut veteris pejor scissura patescat*, quod exponit Reuschius, nova scissura pejor veteri scissura, per constructionem comparativi cum genitivo. Ald., Poelm., pro d. script., *ut turpis pejus scissura notetur.* Teneo scripturam, quam ex mss. Reg. et Ott. vers. præc. indicavit.

375. Mss. Rom., Reg., Ott., *Aut utribus calidum.* Editi, *Utribus aut calidum.* Fortasse id factum ab editoribus, quia putabant, primam in *utribus* necessario esse longam : quod tamen fundamento caret, quamvis in antiquioribus exemplum non occurrat, ex quo liqueat. corripi eam posse.

377. Ott., Rom., *Sed rudibus rectum est utribus spumantia musta.* Ita Reg. sed sine *est*, et cum glossa *rudibus — novis.* Editi, *Utribus est rectum rudibus spumantia musta*, ne scilicet prima in *utribus* corripiatur, ut nuper aiebam.

380. In Ottob. videtur factum *ad oras* pro *adorans.*

381. Rom. *Ut sibi defunctam.* Bas., *Et sibi defunctum.* Lege *Et sibi defunctam.*

382. Kœnigius conjicit, *Complorat lacrymis.*

383. In Rom. deest hic versus. Reg., Ottob., *Defunctis etiam poscebat munera Christi*, quod edidit Poelm. pro d. s. Plerique editi, *Defunctæ vita poscebat munere Christi.* Hadam., *Defuncto vita, poscebat munera Christi.*

384. Rom. a pr. m., Ald., Daventr., Reg., Ott., Bas., *Servator :* alii, *Salvator.*

385. Mss. et plerique editi, *Progressi.* Hadamar., Poelm., in textu, *Progressos ;* quam lectionem tolerari posse ait Reuschius : sed aliam præfert hac syntaxi : *Progressi Salvatoris vestigia servans mulier sequitur*, ut absorbeatur alter accusandi casus, qui facile suppleri potest. Vel dic eumdem accusativum *vestigia* regi a duobus verbis.

387. Reg., Rom., Fabr., *Carpebat fluxus lacerans sine fine cruoris.* Ald., Bas., *Torquebat fluxus macerans sine fine cruoris.* Rom., Hadamar., Poelm., *Carpebat fluxus lacerans sine fine cruoris.* In *macero*, *a* producitur : hac ratione rejeci etiam hymn. 8 Cathem. Prudentii vers. 22 : *Sordidus cultu macerare frontem,* ut legit Nebrissensis : pro quo alii, melius, *Sordidus cultu lacerare frontem.* Kœnigius suspicatur : *manans sine fine.* Post hunc versum in Poelm., Hadam., Torn., inseritur alius, scilicet : *Torquebat solvens morbus pallore virentem :* sed Torn. et, pro d. s., Poelm. legit *Torquebatque gravi morbus.* In plerisque deest hic versus.

388. Ald., Torn., Bas., Rom., *fessa — Pectoris*

NOTÆ.

370. *Turbine sæcli*, ut ut vers. 223 h. l.

372. *Ferre jejunia, portare, concipere* pro jejunare.

373. Matthæus : *Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus : tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, et pejor scissura fit.* Hæc sententia melius fortasse exprimeretur sic : Quam stultum est rudes pannos veteribus subtexere? Pannus novus assutus panno veteri eam panni veteris partem auferre solet, cui per suturam adhæret. Id autem accidit, sive ex duplici panno veteri, et novo vestis fiat, sive panno vestis jam tritæ novus, et rudis pannus assuatur. Juvencus igitur *subtexere* usurpat pro *contexere :* et utroque modo rectum est, sive rudes pannos veteribus contexere, sive veteres pannos novis. Reuschius existimat, non tam scitum fuisse veterum suendi modum, quam quidem apud nos est, sed crassius fuisse τὸ πλήρωμα, quod inserendum erat vestimento veteri, adeo ut proinde exstantius esset, et vestem citius detereret.

375. Pro *calidum mustum* in sacro textu est *vinum novum.*

376. *Disperdere* pro *disperdi* per enallagen, ut ait Reuschius.

379. CAPUT XVI. *Inter eundum ad suscitandam filiam principis sacerdotum, mulierem a profluvio sanguinis sanat Jesus.* Matth. IX, 18 seq. ; Marc. V, 22 seq. ; Luc. VIII, 41 seq. De verbo *tracto* stylo ecclesiastico pro *dissero* vide comment. ad Prudent. hymn. 15 Perist. vers. 101.

380. Ab Evangelistis dicitur archisynagogus, sive princeps synagogæ, qui scilicet caput erat synagogæ, cujus jussu res in synagoga fieri solitæ decernebantur.

382. *Implorat lacrymans* est pleonasmus : nam in *implorat* jam lacrymæ intelliguntur. Notanda vero hoc loco significatio non obvia verbi *imploro* : idem est enim *implorat natam*, ac nominat, appellat cum lacrymis natam, et nomen ejus repetit. Cicero, Verr. VII, al. libr. V cap. 49 : *Me suam salutem appellans, te suum carnificem nominans, filii nomen implorans.* Reuschius explicat, *Implorat lacrymans*, h. e., lacrymis et suspiriis confirmat verum esse id quod de morte filiæ dicat. Sedulius Juvencum imitatur, l. III, vers. 298, *Imploratque gemens :* quem ad locum videndus Wopkensius.

385. *Vestigia servans*, observans.

387. *Sine fine :* phrasis ecclesiasticis scriptoribus familiaris. Vide not. ad Dracont. vers. 21 libr. I.

Pectoris hæc tacitam volvebat credula mentem
Arcano, secumque fide jam certa tenebat,
Actutum fesso fugeret quod corpore tabes,
Extremam Christi posset si tangere vestem.
Hæc ubi per populum summi pendentia pepli
Fila manu trepida tractavit, protinus ille,
199 Et causas morbi et credentia pectora [cernens,
Concessit celerem tali cum voce salutem :
Accipe, quod meruit fidei constantia, munus,
Et mox restricto viguerunt sanguine venæ. [gens
Postquam perventum est, ubi funera virginis in-
Plangentis populi fremitus, clangorque tubarum
Ultima supremæ celebrabant munera pompæ :
Abscedant, inquit, tectis hæc tristia vestris.
Namque puella jacet placido demersa sopore,
200 Defunctam retur flentum quam nescia [plebes.
Talia dicentem ridentum turba reliquit,
Quod morte abreptam dixit dormire puellam.
Sed Christus lethi victor, vitæque repertor
Frigentis dextram dignatus prendere dextra,
Surgere mox jussit miranda ad gaudia patris.
Inde revertenti clamor se protinus offert
Cæcorum pariter gressu labente duorum.
Illis Christus ait : Si credunt pectora vestra,

LECTIONES VARIANTES.

hæc, etc. Alii, *fessam*. — *Pectoris*. Reuschius, *fessa*. — *Pectoris*, in sexto casu *fessa*, ut subintelligatur *muliere* : quod non probo.

389. Ott., *hic*, recte factum *hæc*.

390. Reg., Daventr., Torn., Bas., Poelm., pro d. s. ; Ald., Fabr., *Arcana, secumque fide*. In Ott., *Arcano, secumque fide*, et forte fuit *fidem*. In Rom., *Arcanum secumque fides*. Hadam., Poelm. in textu, *Arcanaque fide secum*. Conjiciat aliquis *Arcana secura fide*. Cæterum scriptura Ott. cæteris melior videtur. *Arcano* adverbium est a Plauto, Cæsare, et Cicerone usurpatum : quamquam apud hunc incerta est lectio. Potest autem interpungi vel *mentem — Arcano;* vel *mentem, — Arcano*.

392. Rom., *si posset* : alii, *posset si*.

395. Reg., *causam*, sed videtur fuisse *causas*.

398. Mss. nostri, et alii *restricto* : Ald., et nonnulli editi, *constricto;* alii, *constrictæ*. Fabr. pro *viguerunt* habet *viguerunt*, nescio an ex conjectura, an ex fide alicujus codicis. Hanc scripturam confirmat Reuschius, quamvis aliam ipse teneat, ex Lucano l. iv : *Sicca rigens astrinxit vulnera sanguis*. In Westh. ad marg. pro *constricto* in textu legitur *constantiæ*, quod videtur mendum.

399. Forte *funere*. Reg. cum Ald., et aliis distinguit *funera virginis, ingens*. Sed cum postea vers. 401 recurrat *funera pompæ*, videtur hoc loco interpungendum *ubi funera virginis, ingens*, scilicet ubi erant funera virginis. Melius vero legetur vers. 401, *munera pompæ*.

401. In Reg., et Ott. factum est *celebrabat* ex *celebrabant*. Editi, et mss., *funera* : sed libenter legam *munera*. Quid enim sunt *ultima funera supremæ pompæ?* At *munera ultima* scite positum est ex dictis ad vers. 20 hujus libri : *Ultima defuncto debentur munera patri*. Est autem *munera* accusativus appositus ; et sensus est : Postquam perventum est, ubi fremitus, clangorque celebrabant funera virginis, ultima munera, etc. Porro hanc conjecturam, quæ olim Rivini etiam fuit, Codd. Cantabrigienses fulciunt, et secutus est Reuschius.

403. Lego potius *demersa* cum mss. nostris, quam *dimersa*, quod habent Ald., et alii.

404. Poelm. pro d. s., *fertur:* sed sensus exigit *retur*.

405. Rom., *relinquit*, quod etiam videtur a pr. m. fuisse in Ott. pro *reliquit*.

411. Mss. nostri, et Poelm. pro d. s., *Cæcorum pariter gressu*. Editi plerique, *Lumine captorum gressu*. Juvencus fortasse scripsit *gressu labante*, producta prima in *labante*, ut l. ii. vers. 437, et l. iii, vers. 373, *Labat quia pectore vestro — Instabilis fidei nutans per lubrica gressus*.

412. Fabr., Westh. in textu, *Atque iis Christus*

NOTÆ.

389. *Pectoris mentem*, cogitationem. Hendiadys, unum per duo, ut sæpe alibi occurrit, nisi malis *pectoris arcano*.

391. Fabricius in Comment., verbo *Actutum*, ait dictionem hanc esse comicam, qua etiam usus est Alcimus libr. i : *Actutum suavi producens omnia fœtu*. Verum eamdem vocem usurparunt Cicero, Livius, Virgilius, aliique non comici.

393. *Per populum* : Marcus ait : *Venit in turba retro, et tetigit vestimentum ejus*. Peplum quodvis amiculum dici, ex hoc versu probat Barthius l. xxxiv Advers. cap. 4, col. 1552. Fabricius, in comment., verbo *Peplum*, ait esse vestem fluxam et talarem, sine manicis, viris feminisque communem. Universim sumitur *peplum* pro quacumque veste laxa.

394. Descriptio fimbriæ : *Fila pendentia summi pepli*. Nam extrema vestium, præsertim si incisuras habeant, *fimbria* dicuntur. *Tractavit*, tetigit ; eadem significatione l. i, vers. 354 : *Corporeisque oculis lumen tractare serenum*.

395. Causæ aliquando pro morbis simpliciter ponuntur, ut confirmavi ad Prudent. hymn. 1 Peristeph. vers. 20 : *Supplicum causas petitis quæ medelis irrigant*.

396. *Tali cum voce*, ut libr. h, v. 597, *Cum dicto*.

400. Musicam funebrem tubarum sono exornatam fuisse, ex hoc loco arguit Barthius l. xxxiv, cap. 5. Sed quamvis usus tibiæ in funeribus frequentior fuerit, atque adeo mentio tibicinum fiat apud evangelistam Matthæum in Vulgata, tamen multis ex locis constat, adhibitam quoque fuisse tubam. Virgilius l. xi, vers. 92, de funere Pallantis : *It cœlo clamorque virum clangorque tubarum*. Adde Ovidium, Horatium, Persium, et alios. Notat vero Gellius l. xx, c. 2, eos, qui *apud sitos* canere soliti essent, hoc est, vita functos, et sepultos, *siticines* dictos, diversumque a cæteris tubæ genus habuisse. Iricius in codice Vercellensi Versionis Italæ apud Matthæum invenit *tubicines*, sed præferendum ait *tibicines* cum Vulgata, quia minoris ætatis funera ad tibiam, majoris ad tubam proferebantur ex Servio ad v Æn. *Laudumque arrecta cupido*. Sed, ut verum sit hoc discrimen, ex Vulgata non constat, puellam, de qua agimus, in minori ætate fuisse constitutam. Favet tamen textus græcus *puellula*, *filiola;* at Marcus aperte ait eam fuisse annorum duodecim. Servius autem per minorem ætatem intelligere videtur infantes. Vide Berald ad Stat. vi Theb. 121.

407. Ut diabolus *mortis repertor*, sic contra Christus *lethi victor*, *vitæque repertor* dicitur. Vide quæ in hanc rem dixi comment. ad Prudent. hymn. 4 Cath. v. 9.

408. *Frigentis*, h. e. mortuæ. Virgilius libr. vi vers. 219 : *Corpusque lavant frigentis, et ungunt*. Hinc *frigida mors* ab effectu.

410. CAPUT XVII. *Duo cæci liberantur*. Matth. ix, 27, etc.

411. *Gressu labente* ; eccur ita? An claudi etiam

Nunc virtute mea se reddet lumen ademptum.
Illi firmato se credere corde fatentur.
Tum Christus fatur : Credentes cernite lucem,
201 Nec cuiquam nostrum post hæc edicite [nomen.
Dixit : sed major per gaudia tanta videntum
Ardor inexpletus famam per cuncta ferebat.
Offerturque dehinc juvenis, cui rapta sonoræ
Dæmonis incursu fuerat substantia vocis.
Ast ubi propulsus fugit de pectore dæmon,
Confestim sanæ redierunt munera linguæ.
Talia mirantis populi stipante tumultu
Vallatur : cernens sed millia tanta virorum,
Ingemit, ut ruris Dominus, cui pascua læta
Innumeræ tondent pecudes, rectoris egentes.
Tunc ad discipulos depromit talia verba :
Quam læta segetes ruris per terga patescunt!
202 Sed rarus messor frugis superatur acervo.
Jam superest dominum segetis deposcere tantæ,
Ut sua rura velit numero complere colentum.
Hæc fatus, populo ex omni delecta seorsum
Fortia conglomerat bisseno pectora cœtu.
Hos ubi delegit, præceptis talibus implet :
Devitate itiner, quod gentes perfidiosæ,
Et Samaritarum fraudis vestigia calcant.
Pergite, qua patrii pecoris custodia labat.

LECTIONES VARIANTES.

ait ; ad marg., *Ollis Christus ait*. Ald., Bas., *Istis ;* alii, *Illis*, vel *Ollis*. In Reg., et Torn. eleganter cum interrogatione : *Quid credunt pectora vestra? — Num virtute mea se reddet lumen ademptum?* Ita a pr. m. fuit, ut videtur, in Ott. Plerique sine interrogatione: *Si credunt pectora vestra, — Nunc virtute mea se reddet lumen ademptum*. Matthæus ait: *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* Nihilominus Reuschius mavult sine interrogatione. Alii, etiamsi scribatur *si credunt*, interrogationem apponunt, quia *si* accipiunt pro *num*, ut l. IV, vers. 355.

414. Alii, *Olli;* alii, *Illi*.

415. Ott., Torn., Bas., Ald., et alii, *lucem*. Reg., Rom., Had., et alii, *lumen*.

416. Rom., *Nec cuiquam vestrum* videtur mendum pro *nostrum*. Ottob., *post hæc vos dicite*.

417. Reg., Torn., Rom., Bas., Ald., *sed propere*. Ott. cum aliis editis, *sed major*.

418. Rom., *per cuncta serebat;* ad marg. diversa lectio, vel correctio *ferebat*.

419. Ald., Poelm. pro d. s., *Afferturque ;* plerique, *Offerturque*. Ald., *sonore*, corrige *sonoræ*.

421. Reg., Rom., Ott., Ald., Torn., Bas., *Ast ubi propulsus*. Poelm. in textu, Fabr., *Atque ubi propulsus*. Hadam., Poelm. pro d. s., *Atque propulsus ubi*. Lex metri utrumque patitur.

425. In Ott. ex *Ingemuit* recte factum *Ingemit*.

427. Rom., Ald., et alii, *talia dicta*.

428. Ald., Bas., *Quam late segetes ruris per terga latescunt*. Torn., *En late segetes ruris per terga patescunt*, quod habet etiam Poelm. pro d. s. Plerique editi cum mss. nostris, *Quam lætæ segetes ruris per terga patescunt!*

431. Reg., *numeros;* sed videtur correctum per *numero* cum glossa *de numero*. In Ott., ex *colentem* factum *colentum*. Plerique, *numero complere colentum*.

432. In Ott. ex *dilecta* factum *delecta*. Ibidem mendose *seorum* pro *seorsum*. Non ineptum esset *suorum*. Matthæus : *Et convocatis duodecim discipulis suis*, etc.

433. Editi, et mss. plerique, *Fortia conglomerat bisseno pectora cœtu, — Bis sex consociat fidorum corda virorum. — Hos ubi*, etc. Ott. prius habet versum *Bis sex*, tum *Fortia*. In Torn. deest hic versus *Fortia*, qui etiam omissus est a Fabricio, neque est certe valde necessarius. Potest etiam hic retineri, et omitti versus *Bis sex*, etc. Id igitur sequor.

434. Ott., *dilegit*, a sec. m., *delegit*.

435. Mss., et plerique editi, *Devitate itiner, quod*. Ald., Fabr., *Devitate viam, quam*.

436. Reg., Ott., *Et Samaritum*, sed in Reg. forte fuit *Et Samaritarum*. Rom., Ald., Bas., *Et Samaritarum*. Had., Poelm., in textu, *Atque Samaritum*, ut supra vers. 324, *Ecce Samaritum*, nisi eo loco legere malis *En Samaritarum*. Juvencus sæpius duas primas corripit. Alii alio modo. In Ott., *fraudes;* in Torn., *fraudibus*, pro *fraudis*, quod retinendum est.

437. Mss. nostri Reg., Rom., Ottob. cum Daventr., Westh. in textu, Ald., *labat*, cum glossa in Reg., *deficit :* sed in hoc eodem Reg. forte fuit *balat*, quod exstat in Hadam, Poelm., et aliis editis. Videtur præferendum *labat* ex textu Evangelii Matth. x, 6 : *Sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel*. Obstat prima in *labat*, quæ brevis est. Sed quid est *balat custodia?* Mihi enim dubium non est, quin *custodia* significet custodes. Teneo igitur *labat*, producta prima contra antiquiorum usum. Kœnigius retinet *custodia balat*, et custodiam accipit passive pro re custodita. Verum etiam sic Evangelii sententia non

NOTÆ.

erant? Silet Evangelista. Labebatur ergo, sive lababat, aut nutabat gressus eorum, quia, cum cæci essent, non ita expedite ambulare poterant.

418. *Per cuncta*, per omnia, ubique. Dixi de hac loquendi ratione ad Dracont. lib. I, vers. 292.

419. CAPUT XVIII. *Dæmonium mutum ejectum, et turbam ad Jesum confluxisse*. Matth. IX, 32 seqq.; Luc. XI, 14, etc. Juvencus *juvènem* vocat hominem mutum, dæmonium habentem, ut ait Matthæus. Vide not. ad l. I vers. 774, et h. l. vers. 332.

420. *Substantia vocis, vox*, ut *substantia salis* libr. I vers. 510. Vide notam ad vers. 631 libr. I.

425. *Tumultus* hoc loco significat turbam, et multitudinem discursantium, et strepentium ob admirationem. Lucanus l. III, vers. 102 : *Non fictas læto voces simulare tumultu*.

424. *Tanta* pro *tot :* vide not. ad Dracont. l. III, vers 554, ubi occurrit *quanti* pro *quot*.

425. *Pascua læta*, ut Virgilius libr. I Georg. vers. 1 : *Quid faciat lætas segetes*, etc.

426. *Tondent*, carpunt, pascuntur : quæ hujus verbi significatio poetis familiaris est. Vide Virgilium I Georg. 15.

428. *Lætæ segetes*, ut dixi ad v. 425, *Ruris per terga*, ut l. I vers. 671.

430. Sacer textus ait : *Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*. Usus verbi *deposcere* exigeret *a domino messis*. *Orare* utrumque admittit, *rogare* petit accusativum.

431. *Numerus* pro multitudine, et copia sæpe ponitur, ut *numerus frumenti, numerus vini*.

432. CAPUT XIX. *Quid facturi sint, præcipit discipulis*. Matth. x, 1, etc.; Marc. III, 17, VI, 8; Luc. VI, 13, IX, 1.

433. *Conglomerat :* hoc verbo usi sunt Lucretius, et Ennius, *conglomeratus* Celsus, *conglomeratio* Codex Justinianæus. Juvencus hoc l. vers. 579 : *Vestræ glomeratio turbæ*, et alibi sæpe *glomerandi* verbum usurpat.

436. *Samaritarum fraudis vestigia*, videlicet fraudulenta vestigia Samaritanorum, vel vestigia fraudis Samaritanorum. Videntur esse duo genitivi, qui ab eodem nomine reguntur. Vide supra v. 313.

203 Pergentes vero similem mihi sumite A [mentem,
Ut vobis subigat virtutes dæmonis atri
Sancta fides, curamque piam languoribus aptet.
Hæ vires nulla vobis mercede dabuntur.
Et vos haud aliter gratis impendite dona.
Non auri, argentive domet possessio mentem,
Nec vos nummorum subigat scelerata cupido:
Nec geminas vestes, nec plantis tegmina bina
Virtutis nudæ cupiat servare minister.
Ingressi muros urbis, perquirite semper,
Hospitio quorum par sit succedere justis.
Ingressique dehinc pacem sub tecta vocate:
Si tranquilla domus fuerit, pax illa manebit.
204 Sin erit indignis habitantum moribus hor- [rens,
Diffugiet, vestrumque abitum pax vestra se- [quetur.
Excludet quicumque ferus vos limine tecti,
Auribus aut duris spernet vitalia verba:
Excutite egressi domibus vestigia vestra,
Hæreat injuste ne vobis portio vitæ.
Illos deterior Sodomorum pœna manebit
Suppliciis, veniet mundo cum terminus omni.
Pergitis en, ut oves, sævorum præda luporum:
Sed vos arguto serpentum corde vigete,
205 Simplicitate tamen dulces superate co- [lumbas.
Nam sæpe incumbet vobis injuria præceps,
Conciliisque hominum statuentur corpora vestra.
Vos flagris, vinclisque feris, durisque tyrannis
Frendens urgebit pro me violentia sæcli.

LECTIONES VARIANTES.

satis exprimitur. Posset ex conjectura restitui *custodia lapsat*: sed hoc verbum minus significat, quam *labat*. Libr. IV, vers. 501, mss. nostri æque referunt *sed corpus debile labat*, pro quo nonnulli editi habent *lapsat*. Confer etiam vers. 573 l. III.

439. Poelm., pro d. s., *virtutem:* in textu, cum aliis, *virtutes*.

441. Torn., *vocis:* lege *vobis*.

442. Ott., *gravita pendite*, correctum per *gratuita pendite*. Reg., *gratuita impendite;* sed pro tribus extremis litteris in *impendite* aliud fuisse videtur. Rom., *gratis impendite*. Editi omnes, quos vidi, *cunctis impendite*. Præferendum, opinor cum Rom., *gratis impendite*, ex Matth. x, 8: *Gratis accepistis, gratis date*.

445. Ald., *Non geminas*. Ald., Poelm. pro d. s. cum mss. Ott., Rom., *tegmina bina — Virtutis nudæ cupiat servare minister*. Sic Reg., sed *portare* pro *servare*. Hadam., aliique editi *tegmina bina, — Virtuti nudæ cupiat servire minister*.

452. Rom., Ott., Reg. scribunt *habitum*, et in Reg. glossa apponitur *sanctitatis*. Ex editis etiam Ald., Daventr., Vesth. in textu præferunt *habitum*. Hadam., Poelm., et alii, *abitum*. Hæc scriptura proba est, et Evangelii verbis consonans. Matth. x, 13: *Et siquidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos*. Apud Hilarium in hunc locum: *Quæ si digna est, et pacis communione sit digna: si indigna, pax invicem revertatur*.

453. Reg., Rom., Ott., Poelm. pro d. s., *ferus;* alii, *feroæ*. Rom., *de limine:* melius, cum reliquis, *vos limine*.

454. Reg., Ott., Rom., Ald., Daventr., *spernet*. Hadam., Poelm. in textu; et nonnulli alii, *penetret*. Post hunc versum in editis Daventr., Poelm., et aliis inseruntur duo alii versus ejusdem sententiæ, videlicet, *Sive aversa Dei famulos succedere tectis*, B — *Hospitiique focos miscere gravata vetabit*. Absunt ab Aldo, et a nostris mss. Rom., Reg., Ott., et ab aliis præstantissimis codicibus mss. ex fide Reuschii: itaque eos loco hoc expellere oportet, utpote spurios, præsertim cum Evangelii sententia sine eis egregie sit explicata a Juvenco. Matth. x, 14: *Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris;* et simili modo Marc. VI, 11: *Et quicumque non receperint vos, neque audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris*, etc. In priori versu e duobus, quos rejicio, Poelm. notat diversam lectionem, *Sive adversa* pro *Sive aversa*.

455. Poelm. pro d. s., *egressu;* in textu cum reliquis, *egressi*.

456. Ott., *vobis ne*. Reg., Rom. cum editis, *ne vobis*.

457. Apud Kœnigium alii *Illos*, alii *Illis*. Rom. *horridior*, cæteri *deterior*.

458. Sabatierius legit *omnis*, quod fortasse casu illi excidit: nam alii habent *omni*.

459. Rom., Ald., Bas., *Pergite nunc, ut oves*. Alii, *Pergitis en, ut oves*, quod magis accedit ad verba Evangelii Matth. x, 16: *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum;* et Lucæ x, 3: *Ite; ecce ego mitto vos, quemadmodum agnos in medio luporum*. In hoc eodem versu Rom., Reg., cum multis editis, habent *sævorum;* Ott., cum aliis, *durorum*.

461. Reg., Ott. cum Poelm. in textu, Hadam., *dulces;* Rom. *dulci*, scilicet simplicitate. Ald., cum aliis editis, *puras;* ita etiam edidit Fabricius ex manuscripto, ut ait: qui etiam observat, non aliter legisse Ravisium.

463. Poelm. pro d. s., *consistent;* in textu cum aliis, *statuentur*.

464. Ott., *dirisque*, sed videtur fuisse *durisque*.

NOTÆ.

439. *Dæmonis atri:* supra vers. 45, *Spiritus ater;* et infra v. 616, *Si dæmone pellitur atro*.

445. *Tegmina bina:* sic exponit Matthæum, *Neque duas tunicas, neque calceamenta*. Nam Marcus c. VI ait: *Sed calceatos sandaliis*. Non ergo vetantur calceamenta discipulis, sed bina calceamenta, ut binæ tunicæ. Hujus opinionis ducem Juvencum sequuntur S. Thomas, Cajetanus, et Maldonatus, ut notavit Julius Nigronus de Caliga cap. 2, num. 52.

446. *Virtus nuda*, simplex. Lactantius init. libr. I Institut.: *Ut solam, nudamque virtutem nudi, expeditique sequerentur:* alii *veritatem* pro *virtutem*.

448. *Hospitio succedere*. Confer not. ad vers. 17, D *Succedere tectis*.

450. Intelligi potest, *Pax manebit illa tecta*.

456. Reddit rationem, cur discipuli excutere pulverem e pedibus jubeantur.

461. Cur simplicitas columbæ laudetur, lege Barthium l. XXXIII Adv. cap. 11.

462. *Incumbet:* Scaliger l. IV, c. 16 Poetic. notat, hoc verbum, quo sæpius Maro utitur, grave, et sonorum esse. Eodem Juvencus pariter delectatur.

463. *Statuentur corpora vestra:* statuemini. Sæpe Juvencus *corpora* ponit pro hominibus, aut suppositis, quæ corpore, et anima constant. *Statuentur:* pro *sistere* ponitur *statuo:* nam *sistere* verbum juris est.

Cum vos prodiderint, verborum ponite curam:
Sponte fluens dabitur sermonis gratia vobis.
Spiritus in vobis pro vobis digna loquetur.
Prodet enim fratrem scelerata insania fratris,
Ad lethumque dabunt genitorum corpora nati.
Vos odia urgebunt semper pro nomine nostro,
Sed finem fidei comitatur gloria vitæ.
Profugite ex tectis, quæ vos sectabitur, urbis:
206 Inde aliam, mox inde aliam conquirite se-
[dem.
Nam vobis urbes semper superesse necesse est,
Israelitarum quæ dent sub nomine plebem.
Discipulus numquam transcendit celsa magistri
Culmina, nec Dominum tentet præcellere ser-
[vus.
Discipulo satis est vires æquare magistri,
Vel domini similem virtutem prendere servo.
Pectoribus vestris semper timor omnis aberret:
Nam nudata suis promuntur cuncta latebris.
In tenebris tacite vobis quæcumque jubentur,
207 Dicite præclaro nitidi sub lumine solis.
Auribus et vestris dicam quæcumque susur-
[rans,
Excelso in populos spargantur culmine tecti.
Despicite illorum rabiem, qui corpora vestra
Prosternunt ferro: non est his ulla potestas
Vivacem letho pariter demittere mentem:
Illum sed potius cordis secreta pavescant,
Corporis est, animæque simul cui cuncta po-
[testas.

LECTIONES VARIANTES.

466. Ald., cum nonnullis, *tradiderint:* Mss. nostri, et meliores apud Reuschium cum plerisque editis, *prodiderint.*

469. Poelm. pro d. s., *Fratrem autem tradet:* in textu cum cæteris, *Prodet enim fratrem.*

470. In Aldo mendum puto *genitorem* pro *genitorum.*

471. Ald., Bas., Poelm. pro d. s., *odio;* alii editi cum mss., *odia*, quod majorem emphasin habet.

475. Editi, *e tectis;* mss. Reg., Rom., Ott., *ex tectis.*

477. Rom., *transcendit;* alii mss. et editi, *transcendat:* ut vers. seq., *tentet.* Mihi tamen non displicet hoc vers. *transcendit*, et vers. seq. *tentet:* nam *transcendit* positum videtur pro *est super* apud Matth. x, 24: *Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum.* Aliud est de verbo *tentat:* non enim recte dicetur, servus non tentat præcellere dominum suum, ut significetur id, *Servus non est super dominum suum.*

482. Rom., *Jam;* alii, *Nam.* Ott., Reg., Rom., *promuntur.* Editi omnes, *promentur.* Hæc lectio magis congruit Vulgatæ Matth. x, 26: *Nihil enim est opertum quod non revelabitur, et occultum, quod non scietur.* Retineo tamen scripturam codicum nostrorum mss., quæ magis consentanea est versioni Italicæ ex ms. Colbert. apud Sabatierium hoc loco: *Nihil enim opertum est, quod non reveletur, et occultum, quod non sciatur;* et ex mss. Corb., *Nihil est enim opertum, quod non reveletur: et occultum, quod non manifestetur.* Consonat etiam auctor operis imperf. in Matth. hom. 25: *Nihil opertum, quod non revelebitur; et occultum, quod non sciatur.* Nec dissimili modo hæc exponuntur Marc. iv, 22, et Luc. viii, 17, xii, 2. Poelm. in textu habet *cuncta* cum aliis; pro d. s. *lata*, quod minus placet. Suspicor autem, irrepsisse errorem typographi, quo diversa lectio *lata* pro *cuncta* huic versui affingatur, cum ea magis propria sit versus 491, *Corporis*, etc.

484. Rom., *sub nomine;* codd. nonnulli apud Reuschium, *sub limine;* lege *sub lumine.*

486. Ald., Bas., *spargentur:* quo spectat Rom., quamvis depravate scribat *populo spergentur.* Reliqui, *spargantur.*

488. Reg., Rom., *Prosternunt.* Ottob., cum editis, *Prosternent.* In Vulgata est, *Occidunt corpus.* Patres alii ita, alii; *Qui possunt occidere corpus;* nonnulli, *Qui corpus occidant.* Reg., et Ott., *non his est ulla.* Rom., cum editis, *non est his*, vel *iis.*

489. Rom., *dimittere:* melius alii, *demittere.*

491. Reg. a pr. m., itemque Ottobon. a pr. m., *animique* pro *animæque.* Ald., Bas., *lata* pro *cuncta.* Confer. lectionem variam ad v. 482.

NOTÆ.

466. *Ponite*, deponite. *Ponere curas* dixit Livius l. i., c. 19. Alii, *ponere metum, moras, arma*, etc.

469. *Insania fratris*, insanus frater.

470. *Genitorum corpora*, genitores, ut paulo ante v. 463, *Corpora vestra.* Notanda etiam phrasis, *Ad lethum dabunt*, ut *neci, letho demittere.*

472. Hunc verborum ordinem statuo: Gloria fidei comitatur finem vitæ. Matthæus habet: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

475. *Sectari* vel pro assectari, et comitari, vel pro insectari, et urgere accipitur. Utraque significatio proba est: secunda hoc loco obtinet.

474. Accipe verba Evangelii Matthæi: *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Juvencus veterem Italam legerat, qualis in ms. Corb. reperitur: *Cum autem persequentur vos incivitate ista, fugite in aliam: quod si in aliam persequentur vos, fugite in alteram.* Concinunt in re ipsa duo mss. Sangerm., Claromont., S. Gat., et Maj. Mon., versio Anglo-Saxonica, ms. Cantabr., textus Græcus in pluribus mss., Hilarius, Ambrosius, etc.

475. Pergit Matthæus: *Amen dico vobis: Non consummabitis civitates Israel, donec veniat filius hominis.* Quæ verba eleganter, ait Schoettgenius, explicat Juvencus. Semper vobis usque ad diem novissimum erunt urbes, et populi, qui in Judæorum populum succedent.

480. *Vel* pro *et.* Vide not. ad Dracont. l. i, vers. 266: *Virtutem similem Domini*, videlicet similem virtuti Domini. Non dissimile est, quod vers. 458 dixit: *Similem mihi sumite mentem.*

486. *Culmine tecti:* sacer textus, *super tecta.* Codex Cantabr., *in tectis.* Audiendus Hieronymus ep. 106, al. 405, num. 65, ad Sun. et Fretell., post medium: *In Ægypto, et Palæstina... non habent in tectis culmina, sed domata quæ Romæ vel solaria, vel meniana vocant, id est, plana tecta, quæ transversis trabibus sustentantur. Hinc in Evangelio: Quæ auditis in aure, dicetis super domata.* Græce est ἐπὶ τῶν δωμάτων. Nihilominus Juvencus culmen tecti nominat, quia re vera *culmen* accipi solet pro altiore domus parte, et pro quocumque tecto. Juvencus ergo eamdem interpretationem tenet; ac Hieronymus. In tectis domorum soliti erant Judæi confabulari; sed cum facile a vicinis audiri possent, minime secreta erant, de quibus ibi sermonem habebant.

489. *Letho demittere.* Virgilius ii, Æn. 85, *demisere neci.* Similia alii poetæ passim.

490. *Cordis secreta.* Libr. i, vers. 339, et l. iii, vers. 146, *Cordis secreta.* Lib. i, vers. 408, *Mentis secreta.* Lib. iii, vers. 169, *Secreto cordis.*

Passeribus pretium, nummi vix portio parva A
Proveniet : non est tamen unum credere di-
[gnum,
Ni jussu Domini, laqueos incurrere vestros.
208 Quis dubitet sapiens Domini sub pe-
[ctore multis
Credere pennatis hominem pro milibus unum ?
Qui me confessus fuerit sub judice terræ,
Hunc ego non aliter coram Genitore fatebor.
Sic iidem coram Genitore negabo negantem.
Non ego nunc pacem terris immittere veni,
Sed gladium, patrio dirimat qui pectore natum,
Et dulcem natam dirimat qui pectore matris.
Si quis amore meo genitorem pluris habebit,
Vel matri, sobolive meum postponet amorem,
Sentiet horribilem nostra de sede repulsam. B
Contemnet quicumque animam pro nomine
Inveniet læta florentem fruge salutis. [nostro,
209 Qui vos suscipiet, me suscepisse benignis
Obsequiis, idem me pro Genitore supremo
Suscepisse sibi gaudebit perpete vita.
Talia discipulis bis sex cum jussa dedisset,
Justus Joannes cæci de carceris umbris
Sectantum e numero delectos talia dicta
Ad Christum portare jubet, verumque referre :
Tune piis animis requies, quam regia cœli
Pollicita est terris, nostro sub tempore fulges ?
An aliam superest posthac sperare salutem ?
Talibus hæc Christus dictis mandata remittit.
Cæcorum tenebræ mutantur lumine lucis,
Debiliumque vigent firmato robore membra.
Lurida discutitur squamoso corpore lepra,

LECTIONES VARIANTES.

494. Mss. Rom., Reg., cum plerisque editis, *Ni jussu ;* et glossa in Reg., *nisi cum jussione.* In Ott., apparet *jussu*, et abrasum est *ni*, aut aliud. Ald., Bas., *Injussu*, quod præfert, et optimum dicit Gallandius, elegans Reuschius, ut *Injussu populi.* Verum verba Evangelii æque bene explicantur, sive *Injussu*, sive *Ni jussu* legamus. Matth. x, 29 : *Nonne duo passeres asse veneunt : et unus ex illis non cadit super terram sine voluntate Patris vestri ?*

495. Schoettgenius ad verba, *Quis dubitet*, ait, nullam plane in hoc versu esse difficultatem, si legamus vel *judicet*, vel *dicat :* sed si vers. seq. legatur *Credere*, sic bene est *dubitet*, pro quo metrum non patitur *judicet*. Rom., *multos :* corrige *multis.*

496. Gallandius rectius ait esse *Cedere* cum Omeisio, quam *Credere*. Equidem *credere* in ms. Rom. invenio, in editis *cedere*. Ott. male scribit *cædere*. In Reg. glossa est, *cedere—antecedere*. Idem Gallandius ex editione Parisiensi allegat *præ milibus :* plerique habent *pro milibus*. Reg., Ott., Daventr., Ald., Torn., *hominem*, quod magis placet, quam *hominum* in Rom., Poelm., et aliis.

502. Rom., Daventr., Hadam., Poelm., *Et dulcem natam dirimat qui pectore matris*. Sic Reg., et Ottobon., sed *dulci* pro *dulcem*. Ald., Torn., Bas., *Et dulcem matris dirimat qui pectore natam.*

504. Rom., *Vel matris, sobolisve meum :* clarius est *Vel matri, sobolive*. Idem Rom. *postponit*, pro quo melius alii *postponet.*

507. Rom., Ald., *florentem fruge salutem*. Reg., Ott. cum plerisque editis *florentem fruge salutis*, et explicat glossa in Reg., *florentem—animam vel vitam*. In Ott. prius forte fuit *salutem.*

509. Rom., *itidem*, pro *idem.*

512. Ott., Rom., Ald., Bas., *cæcis*. Reg., Had., Poelm., *cæci*, quod prætulit Reuschius.

516. Daventr., Torn., *Largitur terris*. Mss. et plerique editi, *Pollicita est terris*. Reg., Ott., *fulgens ;* alii, *fulges.*

517. Hadam., Poelm., Fabr., *An superest aliam posthac*. Reg., Daventr., *An aliam superest posthac*. Ott., Ald., Bas., *Anne aliam superest post hæc sperare*. Sic Torn., et Rom., sed *posthac* pro *post hæc*. Mihi placet lectio Reg., *An aliam superest posthac*. Neque obstat, quod *an* corripi soleat : nam et quædam exempla sunt, quibus producitur, licet nonnulli in scriptura varient, legentes *anne*, et mihi valde probabile est, hujusmodi monosyllaba, quæ brevia a plerisque dicuntur, communi gaudere intervallo quantitatis, ut dixi ad Dracontium, vers. 357 libr. I Carminis de Deo. Juvencus alibi etiam producit *an*, ut vers. 326, 682, l. III, et 529 l. IV.

NOTÆ.

492. *Passeribus pretium*, etc. Manilius de pauperibus aviculas venales circumferentibus lib. V, vers. 380 : *Totamque per urbem—Qui gestant caveis volucres ad jussa paratas,—Quorum omnis parvo consistit passere census.*

496. Similis versus his, quos Ovidius profert lib. I Met. v. 325 : *Et superesse videt de tot modo milibus unum, — Et superesse videt de tōt modo milibus unam.*

502. *Dulcis* epitheton filiis maxime conveniens : quo alibi etiam utitur Juvencus.

503. Matthæus : *Qui amat patrem, aut matrem, plusquam me, non est me dignus*, etc. Juvencus ergo sic fere : Si quis pluris habebit genitorem, quam amare me, etc., *Amor meus* potest esse vel amor quo ego amo, vel amor quo alius me amat. Hoc secundo sensu Deus ait : *Si quis amore meo genitorem pluris habebit.*

507. *Invenio* pro acquirere, adipisci, ut *nomen invenit* etc., et similia nonnulla.

510. *Sibi gaudebit*, suo bono gaudebit. *Sibi* ita sæpe abundat, sed eleganter tamen adhibetur ut *quid sibi vult? quid sibi quærit?* Poetæ christiani sæpe *perpes* pro perpetuo usurpant. Vide Indicem verborum Dracontii.

511. CAPUT XX. *Joannes ad Jesum discipulos mittit, et Jesus de Joanne ad turbas loquitur.* Matth. XI, 7, etc.; Luc. VII, 24, etc.

514. *Portare*, ferre, ut portare preces, salutem, etc. Virgilius, l. IX, vers. 312 : *Multa patri portanda dabat mandata.*

516. *Sub* vel superfluum est, vel ponitur pro *in*. Dracontius, l. I, vers. 230 : *Sub tempore primo ;* l. II, vers. 356 : *Sub tempore parvo.*

517. Virgilius, l. II Æneid. vers. 354 : *Una salus victis nullam sperare salutem.*

519. *Lumine lucis*, hendiadys.

521. Latini antiquiores in plurali numero semper *lepras* proferebant. Scribonius Largus, compos. 250, in singulari *lepram* dixit. Juvencus et alii christiani scriptores plerumque ita efferunt. Dicitur autem lepra a λέπος, vel λεπὶς, *squama*, quia lepræ sæpe cutem asperam et squamosam reddunt : ex quo scite Juvencus. *squamoso corpore*. In hanc sententiam disserit Guillelmus Ader, de Ægrotis et Morbis in Evangelio, part. III, enarrat. 1, pag. 267.

210 Aeriæ vocis penetrat surdas sonus aures. A
Redditur amissæ lethi post funera vitæ
Depositum repetens animæ substantia corpus,
Pauperibusque suis non dedignata patescit
Fulgentis splendens adventus gloria nostri.
Ille beatus erit, quem non deceperit error.
Talia discipuli referunt mandata magistro.
Hoc super ad populum depromit talia Christus:
Cur in deserto voluistis viscre nuper
211 Stramen arundineum vento vibrante moveri?
Cur etiam molli vestitum veste videre?
In domibus regum molli cum veste tenentur.
Ille prophetarum solus transcendere vires
Indicio veteris scripti promittitur olim.
Hunc etenim memorat venerandæ lectio vocis:
En ego mitto meum stratas aptare ministrum
Ante tuos vultus: genuit nec femina quemquam,
Major Joannis nostri qui viribus esset.
212 Sed minor hoc cœli fiet sublimior aula.
Hujus ab exortu vim cœli regia sentit,

LECTIONES VARIANTES.

523. Reg., Rom., *amissæ lethi post funera vitæ*, quod teneo, et Davisius ex quodam ms. reposuerat ad cap. 70 § 6 Cæsaris, de Bell. Alexandr. Vide Arntzenium, ad Sedulium, libr. IV, vers. 137 : Alii *amissa lethi post funera vita*. Post hunc versum in B Reg. et Rom. legitur : *Depositum repetens animæ substantia corpus, Ad corpus remeans animæ jam libera virtus.* In Poelm., Hadam., Daventr. et aliis, iidem sunt versus, sed inverso ordine, prius *Ad corpus*, tum *Depositum*. Ott., Ald., Bas., Fabr., omnino omittunt versum *Depositum*, et solum referunt versum *Ad corpus* ; quæ scriptura retineri posset. Sed versus *Depositum*, etc. magis redolet antiquitatem, et Juvenci stylum : alter versus *Ad corpus* glossema sapit. Christiani antiqui corpus defunctorum *depositum* scilicet ad diem judicii sæpe dicebant. Consule not. ad Dracont. l. I vers. 681 : *Animæ substantia* a Juvenco dicitur, ut vers. 420 h. l., *substantia vocis* ; libr. I vers. 510, *substantia salis*, etc. Reuschius cum aliis versum *Ad corpus* retinuit, alterum *Depositum repetens* rejecit.

526. Mss. Reg., Rom., Ott., Poelm., pro d. s., *nostri*. Ald. et plerique editi, *terris*, quod melius putat Reuschius.

529. Rom. cum plerisque editis *Hæc super*. Reg., C Ott., *Hoc super*, quod Omeisio et Gallandio placuit ; et Gallandius ait, id esse ex contextu Evangelii. Matth. XI, 7, in versione Itala : *Abeuntibus autem illis, cœpit Jesus dicere de Joanne Baptista : Quid existis in desertum videre*, etc. Hilarius in hunc locum : *Abeuntibus illis, ad turbas de eo locutus est : Quid existis in desertum videre*, etc. Itaque *hoc super* idem est ac *de hoc magistro*, scilicet Joanne Baptista.

530. Mss. Reg., Ott., Rom., *deserto*, quod edidit etiam Ald. Latinius quidem est *desertis*, ut habent Hadam., Poelm., in textu, et alii : sed præferendum est *deserto*, quo verbo utitur etiam Hilarius ; et versio antiqua sacræ Scripturæ quæ tempore Juvenci videtur fuisse in usu, apud Sabatierium : *Quid existis in desertum videre ?*

531. Rom., *stamen :* in Ott. etiam, *stamen* factum ex *stramen*. Eadem lectio exstabat in codice Barthii, quam is approbare videtur, quando in margine apposuit *Optime*, ut refert Kœnigius. Reg. cum editis, D *stramen*. Verba versionis Italicæ sunt, *Arundinem a vento agitari ;* Vulgatæ, *Arundinem vento agitatam*. Hieronymus, in Ezechiel. XL : *Calamum vento agitari*. Auctor operis imperfecti, in Matth., hom. 27 : *Calamum a vento moveri*. Alii plerique Patres *arundinem* distincte nominant. Juvencus utrumque videtur exprimere voluisse. *Stramen* est stipula, culmus, et alia similia, quæ lecto rustico sternendo deserviæ solent. *Stamen* per metaphoram dicuntur fibræ in ligno, et fila in herbis, et floribus recto ordine in longum protensa : adeoque aliquo pacto posset etiam sustineri *Stamen arundineum*.

532. In Ott. prius fuit *videri*, recte emendatum per *videre*.

534. Ald., Bas., Poelm., pro d. s., *Fatidicis longe præponitur ille prophetis, — Ut veteris quondam cecinere oracula scripti*. Mss. et plerique editi, *Ille prophetarum solus transcendere vires — Indicio veteris scripti promittitur olim*. Reuschius pro *solus* alicubi invenit *socius*, quod rejicit. Hoc ipsum advertit Sigebertus Havercampus, Ind. crit. in Sallustium, verb. *indicare :* qui ex optimis membranis reponit *solus*. Torn., *viris*, male, pro *vires*. Reg., et Rom., *Judicio veteris*, quod non displicet. *Indicium* et *judicium* in veteribus exemplaribus sæpe confundi, observatum ab aliis, observatum etiam a me est in not. ad Dracontium, vers. 560 libr. II Carm. de Deo. Hoc autem loco præferam *Indicio*.

536. Ott., a pr. m., *Hinc ;* a sec. m., cum aliis mss. et plerisque editis, *Hunc*. Poelm., pro d. s., *Nunc*.

537. Ald., Rom., Bas., *mitto illum :* alii, *mitto meum*, quod magis verbis Evangelii consentaneum est. Matth. X, 10 : *Hic est enim, de quo scriptum est : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam*, etc.

539. Poelm., pro d. s., *Qui major nostris Joanne hoc viribus esset ;* in textu cum reliquis, *Major Joannis nostri qui viribus esset*.

540. Poelm., pro d. s., Fabr., *Sed minimus cœli qui in regno est, major habetur*. Mss. et plerique editi, *Sed minor hoc cœli fiet sublimior aura*. In Rom. et Ald., pro *hoc* est *hæc*, et in Rom. ad marg. *fecit* pro *fiet*. Syntaxis implexa est, ita explicanda : Sed minor (*in*) cœli aula fiet sublimior hoc, Joanne scilicet. In Græco est *minor*, non *minimus*. Reuschius sic ordinem collocat : Qui minor est hoc Joanne in aula cœli fiet, existet, erit in illa beatitate sublimior, augustior, beatior. Quæ explicatio vix clarior est ipso Juvenci versu.

541. Rom., *Cujus :* alii, *Hujus*. Mss. Rom., Reg., Ott., *sentit*. Editi *sensit*. Melius est *sentit*. Sic Matth. XI, 12 : *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*.

NOTÆ.

522. *Vox aeria* a causa, vel a natura ipsa. Seneca, libr. II Nat. Quæst. cap. 29 : *Cum vox nihil aliud sit, quam ictus aer*.

523. Sedulius, l. IV, vers. 137 : *Et licet amissæ passus discrimina vitæ. Lethi post funera :* Reuschius *lethi* abstractum accipit pro concreto *lethalia*.

555. Matthæus : *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt*. Apud Juvencum igitur *molli cum veste* idem est ac ii qui molli veste utuntur : *tenentur*, sunt, existunt, degunt. Animadvertendæ enim sunt istiusmodi significationes minus obviæ.

539. *Joannis viribus*, pro Joanne, ut alibi *virtus animæ, scribarum pectora, vis vulneris, robur saxi*.

541. Matthæi Evangelium : *A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*. Versio antiqua codicis Colbert., *Regnum cœlorum cogitur, et cogentes diripiunt illud*. Sic multi alii, et constanter Ambrosius multis in locis. Omeisius *vim sensit* exponit : Homines magno numero, et quasi violenti, in cœlum irrumpunt. Maldonatus interpretatur, regnum cœlorum omnibus expositum esse, ut quicunque velit, irruat in illud.

Et cœli regnum violentia diripit atrox.
Lex omnis summam Baptistæ a tempore cepit,
Atque prophetarum finis concluditur idem.
Si vultis volucris penetralia noscere sæcli,
Corpus Joannis felix habitabile sumpsit
213 Elias, quondam quem turbine jussa corusco
Flammipedum rapuit simulatio quadrijugorum.
Audiat hæc dictis pandens vitalibus aures.
Nunc tibi confiteor, Genitor, cui gloria servit
Fulgentis cœli, et terrarum frugiferentum,
A **214** Celasti nunc quod sapientibus ista superbis,
Parvulaque infantum vis hæc comprendere corda.
Jam mihi regnantis sunt omnia tradita Patris,
Nec quisquam Domini poterit cognoscere Natum,
Ni solus Genitor; Genitorem mente videbit
Filius, aut idem pandet cui talia Natus.
Huc omnes veniant, oneris quos sarcina vasti
Comprimit, is poterit virtus mea munere Patris
Antiquas vires hilari reparare quiete.
Sumite forte jugum, levis est mea sarcina justis,

LECTIONES VARIANTES.

543. Reg., Ott., Ald., Bas., *Lex omnis summam, Baptistæ a tempore cepit.* Hadam., Poelm. in textu, Westh. ad marg., *ad tempora.* Torn., *a tempore cœpit.* Poelm., pro d. s., *in tempore.* Bas., *Lex omni.* Rom., *Vox omnis summa Baptistæ a tempore cœpit.*

544. Ald., Bas., *conclusus eodem.* Cæteri, *concluditur idem.*

545. In Reg. hic versus et seqq., usque ad versum *Quanto igitur nobis*, desunt, et in folio annexo suppleti sunt recentiori manu.

546. Post vers. *Si vultis*, Had., Poelm., *Ipse est Elias felix venturus in ævum, — Corpus Joannis felix habitabile sumpsit — Elias quondam.* Sic Daventr., sed *Ipse est Joannes*, pro *Ipse est Elias.* Rom., Reg., *Corpus Joannes felix habitabile sumpsit, — Ipse est Joannes felix venturus in ævum — Elias quondam.* Ott., et Ald., post vers. *Si vultis*, omisso omnino versu *Ipse est*, statim legunt : *Corpus Joannis felix habitabile sumpsit — Elias, quondam.* Id magis videtur esse ex textu Matth. XI, 14 : *Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.* Reuschius putat, poetam per hypallagen inverso ordine dictum Christi de Elia novi Fœderis testimonium enuntiare : quod artificium, addit, glossatori displicuit, qui ideo verba textus accuratius exprimere satagens, hunc versum obtrusit : *Ipse est Elias, felix venturus in ævum.* Suspicabar : *Si vultis volucris penetralia noscere sæcli, — Ipse est Joannes felix venturus in ævum — Elias quondam quem*, etc. C

547. Rom., Ott., *missa*, quod in Ott. factum est ex *misso.* Reg. cum plerisque editis, *jussa :* quo verbo delectatur Juvencus. Aptum quidem hoc est ad simulationem quadrijugorum exprimendam, quæ jussu divino peracta est. Aldus vero edidit *missa.*

548. Rom. *quadrigarum.* Alii *quadrijugorum*, quod B melius cohæret cum *Flammipedum.*

551. Hadam., Poelm., Fabr., et alii *frugiferarum.* Mss. omnes nostri cum Ald. et Daventr., *frugiferentum*, quod arridebat etiam Gallandio, quia hæc vox Lucretii est libr. I vers. 3 : *Quæ mare navigerum, quæ terras frugiferentes.*

552. Torn., Poelm., pro d. s., *Namque abscondisti.* Westh., in textu, ita ; ad marg., *Cœlesti nunc quod*, mendose, pro *Celasti nunc quod*, quod exhibent mss. et plerique editi. In Ott., post hunc versum, inseritur hic alius : *Occulis hæc quondam parve sapientibus orsa, —Parvulaque*, etc. Fortasse, *prave sapientibus.*

553. Reg. *Parvula qui infantum*, quod subobscure indicatur in Rom., ubi mendum est *vix* pro *vis.*

554. Conjiciet aliquis ex textu Evangelii, *Jam mihi regnanti sunt omnia tradita Patri*, pro *a regnante Patre.* Solet enim Juvencus his dativis pro ablativis uti. In re præsenti nimis implexa sic evaderet syntaxis, et parum clara sententia.

559. Poelm., Ott., a pr. m., *munera*, ex quo in Ott. recte factum *munere*, consentientibus aliis mss. et editis. C

561. Schoettgenius suspicatur *ferre* pro *forte :* hoc

NOTÆ.

542. *Atrox*, in bonam partem, vehemens, constans. Horatius, l. II, od. 1, vers. 23 : *Et cuncta terrarum subacta — Præter atrocem animum Catonis.* Silius, l. VI, vers. 378 : *Atroxilla fides.*

543. *Summam*, finem, complementum. Quintilianus, l. III c. 2 : *Huic studium, et incrementum dederit utilitas, summam ratio et exercitatio.* Confer Barthium et Burmannum, ad Gratii Cyneget. vers. 317.

545. Matthæus solum hæc; *Et si vultis recipere.* Versio vetus in cod. Colbert. cum Tertulliano, l. de Anima cap. 35 : *Et si vultis audire.* Codex Sangerm. 1, cum Claramont., *Et si vultis scire.*

546. Verba Matthæi sunt: *Ipse est Elias, qui venturus est.* Quod autem Elias sumpserit habitabile corpus Joannis, metempsychosin redolet. Erat quidem hoc dogma satis frequens inter Judæos Christi ætate : qui propterea putabant Christum esse Joannem Baptistam, aut Jeremiam, aut Eliam, aut alium ex prophetis. Eodem pertinet quod Herodes dicebat Matthæi XIV, 2 : *Hic est Joannes Baptista : ipse surrexit a mortuis.* Christus de Joanne eodem modo ait : *Ipse est Elias ;* sed cum addat : *Qui habet aures audiendi, audiat*, mystice illud intelligendum esse aperte declarat. Eadem interpretatio quadrat in Juvencum, qui illico subjungit : *Audiat hæc dictis pandens vitalibus aures.* Reuschius tamen suspicatur ex hoc loco, et ex vers. 524, Juvencum ex Platonis schola prodiisse : agnoscit enim apertam metempsychosin eo vers. 524, quem sic legit : *Ad corpus remeans animæ jam libera virtus.*

548. *Flammipes*, vocabulum novum a Juvenco ratione analogiæ formatum. *Simulatio* interdum similitudinem imitationemque significat; quod hoc Juvenci versu confirmat Forcellinus. Glossa in cod. Reg. est *simulatio—sicut visus est.* Libr. III, vers. 265, in eodem argumento : *Quem præpete curru—Turbine cœlesti quondam simulata quadrigis— Astris inseruit rapidæ vis fervida flammæ.* Sedulius, I, 163 : *Aurea flammigeris evectus in astra quadrigis.* Arntzenius, ad h. l., non dissimile ait esse hoc Juvenci, sed legit *Flammigerum rapuit.* Conferendus est etiam Muncker ad Fulgent. l. I Mythol. p. 616.

549. Supra, vers. 454 : *Auribus aut duris spernet* D *vitalia verba.*

550. CAPUT XXI. *Confessio Jesu ad Patrem, et jugum Domini leve esse.* Matth. XI, 25 seq.; Luc. X, 21 seqq.

554. *Omnia Patris*, nempe omnia, quæ Patris sunt, ut l. h. vers. 199 : *Omnia mundi;* et l. IV, vers. 218 : *Omnia pompæ.* Matthæus ait : *Omnia mihi tradita sunt a Patre.*

560. Matthæus : *Et ego reficiam vos.* Sangerm. 2 : *Et ego reficiam, vos requiescere faciam.* Hieronymus, in Isaiam LVIII : *Et ego vobis dabo requiem* : hoc enim significat, ait ipse, ἀναπαύσω ὑμᾶς. Cohærent Prædestinatus, libr. III, tom. I Sirmondi, auctor operis imperfecti in Matt., et hoc loco Juvencus. Schœttgenius observat, eleganter Juvencum circumscripsisse τὸ ἀναπαύσω cum interprete Syro. Simile quid animadvertit ad cap. V Matt. 45 : *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos.*

561. *Forte* accipiendum est adverbii more, pro *for-*

Namque humili dulcem largibor corde salutem. A
215 Hæc ubi dicta dedit, messis per culta [gravatæ
Præterit, et populus sectantum discipulorum
Spicarum gravidam carpebat in ordine frugem.
Ille dies veteri poscebat lege quietem :
Sabbata nam priscis repetebant otia jussis.
Ecce pharisæi coram reprehendere Christum,
Quod sanctæ legis calcarent jussa metentes
Discipuli. Legum sed tunc completor Iesus
Incipit, his veteris scripti monumenta retexens:
Legistis certe, in templo Davida canorum
Cum populo quondam panes sumpsisse sacratos,
Et propriam comitumque famem sedasse ; sed [illos
Illicitum cuiquam fuerat contingere panes,
Sumere quos solus poterat de lege sacerdos.
216 Ejusdem scriptum est justo moderamine [legis :
Sabbata profanant templo sine crimine vates.
Nec minor est isthic vestræ glomeratio turbæ,
Quam templi virtus. Caperent si pectora vestra,
Quod non sacra Deus, sed mallet mitia corda,
Non tam sæpe viros damnasset factio sacros,

LECTIONES VARIANTES.

est, ad ferendum. Reuschius retinet *forte*, nempe bonum et salutare, vel adverbii more pro *fortiter*, constanti animo.

562. Torn. cum mss. nostris omnibus, *largibor*. Plerique editi, *largitur*. Plautus usus est *largibor*, Bach. IV, 7, 50. Sic prisci in verbis quartæ factitabant. Gallandius edidit *largibor*, sed ex quadam editione Parisiensi pro diversa lectione annotat *præbebo*. B

567. Ott., *Sabbati*, recte emendatum per *Sabbata*.

568. Poelm. in textu, Hadam., Fabr., *curant*. Mss. omnes nostri cum præstantissimis editis, *coram:* quia scilicet intelligitur *cœperunt*, aut aliud simile verbum. Alii scribunt *reprehendere ;* alii *reprendere*.

569. Ald., *Qui :* lege *Quod*.

571. Poelm., *iis*. Ald., cum mss., *his*.

574. Reg., Rom., *Et comitum, propriamque famem*. Ott., cum editis, *Et propriam comitumque famem*.

577. Reg., *scriptum justo :* alii, *scriptum est justo*.

578. Ott., Torn., Hadam., *Sabbata profanent templo sine crimine vates*. Reg., et Rom. ita, sed *profanant;* Westhemerus autem, ad marg., *Sabbata profanet*, etc. Poelm., Fabr., *Vates in templo sine crimine festa profanent ;* sic Westh., Ald., et Bas., sed *profanant*. Magis consonat Evangelii verbis *profanant*, quam *profanent*. Matth. XII, 5 : *Aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt?* Etsi autem prima in *profano* corripi soleat, tamen censeo veram esse nostrorum mss. codicum lectionem *Sabbata profanant :* non enim video, cur produci ea non possit, ut sæpe producitur in *propino*, *profundo*, *procuro*, etaliquando in *profari*, *profiteor*, *profugio*, *profectus*. Immo in Latinis plerumque protrahitur, ut in *promoveo*, *profero*.

579. Rom. *ista :* alii, *istic*, vel *isthic*. In eodem Rom., mendose, *minorem* pro *minor est*.

581. Reg., Torn., *malit*. Ott., *malet;* supra, *mallet*, cum aliis.

582. Ott. *vires;* supra, recte, *viros*. Idem Ott., Ald., Daventr., Bas., Rom., *factio sacros*, quod displicet Reuschio, quia sequitur *Expertes culpæ*. Reg. *factio præceps* cum glossa, vel diversa lectione *vestra*. Poelm. in textu, Had., *factio vestra*.

NOTÆ.

titer. Cum enim sarcina dicatur levis, jugum nullo C commodo sensu forte appellari potest, quamvis Reuschius aliter opinetur.

562. Intelligo : Largibor dulcem salutem ei, qui est humilis corde.

563. CAPUT XXII. *Discipuli spicas vellunt*. Matt. XII, 1 seq. ; Marc. II, 23 ; Luc. VI, 1. *Culta*, absolute sunt agri culti non solum apud poetas, sed et apud alios. In Reg. glossa est *gravatæ — maturæ*.

564. *Prætерit per culta*. Plautus, Merc. V, 4, 46 : *Qui prætereant per vias*. *Populus* significat multitudinem, ut l. I, vers. 322 et alibi.

565. Virgilius, l. III Georg. vers. 176 : *Sed frumenta manu carpes sata*. Sic alii verbo *carpo* eadem significatione utuntur. Addit Juvencus *in ordine*, quia id licebat judæis. Deuteron. XXIII, 24 seq. : *Ingressus vineam proximi tui, comede uvas, quantum tibi placuerit : foras autem ne auferas tecum. Si intraveris in segetem amici tui, franges spicas, et manu conteres: falce autem non metes*. Omeisius aliud putabat. *In ordine :* Non extra viam, inquit, vagabantur disci- D puli.

570. *Completor :* nemo Juvenco antiquior, quod sciam, hoc verbo usus est.

571. *Retexens*, denuo explicans, recensens, evolvens. Hanc significationem verbo *retexo* tribuunt Claudianus, Ausonius, Apuleius, aliique æquales : immo Cicero.

572. Libr. I, vers. 184, simili modo, *Davida canorum*.

576. *De lege* pro *ex lege ;* aut *de* superfluum est, ut sæpe evenit.

577. *Justo moderamine :* vide lect. var. et not. ad l. I, vers. 22.

579. Accipe verba Matthæi : *Amen dico vobis, quia templo major est hic*. Sic versio vetus in codic. Colbert. Codex Sangerm. 1, cum Clarom., et Corb. 2 : *Quia sabbato major est hic*. Corb. 1 : *Quia majus est hic, quam templum*. Cantabrig. : *Quia a templo major est hic*. Irenæus, lib. IV, cap. 9 : *Plus est enim templo hic*. Hilarius, in Matth. : *Templum seipsum indicat.... quia major ipse sit sabbato*. Hieronymus, in Matth. : Hic *non pronomen, sed adverbium loci legendum, quod major templo sit locus, qui Dominum templi teneat*. In Græco textu alii mss. habent *major;* alii, *majus*. Juvencus ergo legit, *Quia majus templo est hic*, et interpretatur, *Quia in hoc loco majus aliquid est templo :* ipsa videlicet turba discipulorum præferenda est templo : sunt enim justi templum vivum Dei. Poterant ergo esurientes sibi vellere spicas sabbato, quin peccarent, ut sacerdotes non peccabant, dum sabbato ea facerent, quæ templi cultui erant necessaria. Huic interpretationi accedit etiam Reuschius. *Glomeratio*, apud Plinium, l. VIII, c. 42, in fin., est actus glomerandi : hoc loco est congregatio, quia *glomero*, uti *conglomero*, *agglomero*, pro cogere, congregare, sumuntur. Confer vers. 435, 723, h. l. ; et 581, 756, l. III.

581. Recole vers. 360 h. l., ubi eadem expressa est sententia.

582. Sæpe hoc vocabulum *factio* in malam partem usurpat Juvencus : et paulo post, vers. 608 : *Cæca pharisææ cognovit factio gentis*.

217 Experles culpæ. Sed nunc ego sabbata A [cuncta,
Sponte mea dominans, legis sub jure tenebo.
Tunc conventicula ipsorum post talia dicta
Ingreditur : mox hic juvenem pro limine cernit,
Siccatum ex humero cui pondus inutile palmæ
Pendebat : sed tum dictis tentando dolosis,
Ægris an liceat per sabbata ferre medelam,
Quærunt, calcatæ ut legis vindicta maneret.
Christus ad hæc : Foveam si forte pecuscula [vestra
Inciderint, certe transibitis otia legis,
Et pecus abrupto tolletis vile profundo.
Quanto igitur nobis hominum curatio major
Ad benefacta animos tollens accendere debet !
Ergo age tu, juvenis, sanam protendito dextram.
Cum dicto palmam sanus porrexit utramque.
218 His tum pro signis, quæ vix veneratio [posset
Mirantis digno populi sustollere cultu,
Conciliis trucibus conclamant decipiendum.
Talia prospiciens procerum molimina Christus,
Discedens, variis hominum languoribus aptat
Concessam in populos patria virtute medelam.
219 Oblatusque ibidem est, quem dæmonis [horrida virtus

LECTIONES VARIANTES.

585. Ald., Poelm., pro d. s., *illorum*. Mss., et alii B editi, *ipsorum*.

586. Rom., Torn., *pro lumine*. Poelman., pro d. s., *de limine*; in textu, cum plerisque, *pro limine*, ea significatione quæ ad vers. 299 hujus libri notata est.

587. Rom., *Cæcatum*; corrige *Siccatum* : nec male esset *Siccatæ*.

592. Reg. Ott. *Inciderent*. Ott., supra, Rom. cum editis, *Inciderint*. Alii apud Omeisium, *Inciderit*, ut *pecuscula* sit femininum singularis numeri, quod insolitum est.

595. Kœnigio suspectum est *tollens* : qui propterea conjicit *molles*. Reuschius existimat *tollens* respicere ad *tolletis* vers. 593.

596. Mss. Rom., Reg., Ott., *juvenis*, *sanam protendito dextram*, quod indicavit Poelm., pro d. s. Alii editi, *Juvenis*, *redivivam extendito dextram*, quod minus placet.

597. Poelm. pro d. s., *Cum dixit*. Alii mss. et editi, *Cum dicto*, quod probum est, et quater ab C Apuleio, libr. I, usitatum, ut observavit Barthius, libr. XXXV Advers. cap. 14, col. 1612, ubi similem locutionem profert ex Juvenco, lib. IV, vers. 512 : *Cum dicto Judas numero stipante catervæ — Advenit*. Martianus Capella etiam usurpavit *Cum dicto* pro *nulla interposita mora*, libr. IX, initio, pag. 302. Itaque etsi possit conjici *Quo dicto*, tamen retinenda est vetus scriptura. Juvencus, libr. I, vers. 802, eamdem phrasin usurpat : *Dixerat, et dicto citius cum voce loquentis*, etc. Reg., Ott., Fabr., Poelm., Hadam., *palmam sanus porrexit utramque*. Reuschius, Rom., *palmam sanam porrexit utramque*. Ald., Daventr., Torn., Bas., *palmas sanas porrexit utrasque*. Reuschius aliquam emphasin in repetitione *palmam sanam* reperit. Sed cum addatur *utramque*, hæc vere non est repetitio. Melius ergo est *palmam sanus porrexit utramque*, et eam, quæ sanata fuit, et alteram quæ sana semper fuerat.

598. Reg., Ottob., *His tum pro signis* : quod præfero aliis lectionibus, et prætulit etiam Gallandius, D ex codice Helmst. Reuschius immisit *Justum pro signis* : quod habet Poelm., pro d. s. In Rom., Ald., Daventr., ut videtur, *Istum pro signis*. Poelm. in textu, Hadam., Fabr., *Istis pro signis*. Badius suspicatur *Christum pro signis*; Reuschius *Isti pro signis*, nempe pharisæi. Eidem Reuschio conjectura Badii arridet, omnino vero displicet *Istis*. Deinde Ald., Bas., *signis quem vix* : plerique *signis*, *quæ vix*; Rom., minus opportune *signis quævis veneratio*. Retine *quæ vix*.

600. Pro *Conciliis* fortasse reponendum *Consiliis*, quo vocabulo utitur Evangelista. Sabatierius quidem edidit *Consiliis*, fortasse casu, aut ex conjectura. Ottob., a pr. m., *despiciendum*, aut *dispiciendum*; pro d. s., *decipien'um*, quod exstat in plerisque mss. et editis. Gallandius cum Torn. edidit *deripiendum*, neque approbat *decipiendum*. Verum mihi i magis placet quam aliud. Verba Matth. XII, 54, hæc sunt : *Exeuntes autem pharisæi consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent*. Sumitur scilicet verbum hoc *decipere* pro circumvenire, et capere fraude.

601. Reg., *Perspiciens*, sed forte fuit *Prospiciens* : nam aliquid est abrasum.

602. Hadam., Fabr., Poelm., in textu, *Decedens*. Poelm., pro d. s., *Decessit*. Mss. nostri Rom., Reg., Ott., *Discedens*, quod Westhemerus, ad marg., posuit. Ald., Torn., Bas., Westh., in textu, *Discessit* : quod prætulit Reuschius, putans, mutationem præteriti in participium natam ex mutatione temporis, poetis non infrequenti.

603. Ald., Bas., Poelmann., pro d. s., *in populis*; Rom., *in populo* : plerique, *in populos*. Ald. *prima*; Rom., in textu, obscure, *patria*; ad marg., *propria*; alii mss. et editi, *patria virtute* quod recte se habet.

604. Daventr., *Oblatusque ibidem nox dæmonis*. Ald., *Oblatusque ibidem nox dæmonis*. Ott., Rom., *Oblatusque ibidem est, quem dæmonis*. Reg. cum multis editis, *Oblatusque illi est, quem* : quod fortasse factum, ne secunda in *ibidem* corripiatur. At constat ex mss. nostris omnibus, ac præstantissimis editionibus, corripi a Juvenco, libr. III vers. 80 : *Ille jubet cunctis ibidem convivia poni*, quamvis aliqui etiam eo loco mutent *illic*, aut *itidem* pro *ibidem*. In carmine Claudiani Mamerci, seu Mamerti, quod etiam Paulino Nolano adscribitur, vers. 84 : *Cognosces ibidem, ne pergas tradere fatis*. Vossius, part. I de Art. grammat. l. II, c. 20, hunc Juvenci versum ita reformandum putabat : *Oblatusque ibi mox, quem*. Wasius, Senar. c. 15, a Plauto correptum *ibidem* probat.

NOTÆ.

585. CAPUT XXIII. *Manum aridam hominis sanatam esse*. Matth. XII, 9 seqq.; Marc. III, 1; Luc. VI, 6. *Conventiculum*, et in plurali *conventicula* Latinis est, quod Græcis synagoga.

589. *Per sabbata*, die sabbati.

591. *Pecusculum* diminutivum, quod ante Juvencum non reperitur.

593. *Profundum*, absolute pro loco profundo, vel fovea.

595. Debet accendere nobis animos tollens eos ad benefacta. Sic enim persæpe Juvencus eidem accusativo duo verba accommodat.

598. CAPUT XXIV. *Hominem a dæmonio, et cæcum, et mutum curatos esse, et in principe dæmoniorum id facere opinantes refellisse*. Matth. XII, 14 seqq.; Marc. III, 22 seq.; Luc. XI, 15.

601. *Molimina* : vide lect. var. ad vers. 18 h. l.

604. *Dæmonis horrida virtus*, sic vers. 429 l. I : *vis livida*, de dæmone.

Et lingua, et visu truncatum vivere pœnæ,
Et propriis escam cruciatibus esse volebat.
Hunc ubi curatum, visuque et voce vigentem
Cæca pharisææ cognovit factio gentis,
Dæmonis auxilio, qui princeps dæmoniorum
Solus nequitiæ vires ditione teneret,
Hæc illum fecisse ferunt. Sed talia Christus
Veridicis aperit convincens pectora verbis :
Si gemina regnum distractum parte dehiscat,
Et scissa adversum sese divisio pugnet,
Disruptis propere labentur cuncta medullis.
220 Horridus et dæmon si dæmone pellitur [atro,
Adversa sibimet scissus virtute repugnat.

A Quis poterit prædam tectis auferre virorum,
Ni prius aggressus custodum brachia nodis
Vinciat, ut facilis veniat direptio prædæ?
Quisque meis aberit discretus miles ab armis,
Hostis in adversa consistet fronte duelli.
Quisque meis gregibus cogendis liber aberrat,
Disjicit ille mei pecoris per devia pastus.
Sed quicumque hominum fuerit super omnibus [error,
221 Dimitti poterit : tantum ne Spiritus unquam
Vocibus insana laceretur mente profusis.
Sive furens hominis Nato convicia quisquam
Ingeret, hæc etiam poterunt peccata remitti.
Spiritus at sanctus tantum cuicumque profana

LECTIONES VARIANTES.

605. Ald. *vivere pene*, videlicet *pene* pro fere, B vel potius *vix*, ut Hispani dicunt *apenas*, quod ab hoc adverbio originem fortasse trahit. Rectius scribitur *pæne* ex quorumdam opinione. Rom. fortasse huc respicit *vivere pone*. Plerique, *vivere pœnæ*, quod sententiæ apposite congruit, et clarius explicatur vers. seq. Poelm. pro d. s., Bas., *afflixit amare*, quod a Juvenci manu alienum videtur.

608. Reg., *Pharisæe cognoscunt pectora plebis :* alii, *pharisææ cognovit factio gentis*, quod magis sapit stylum Juvenci.

614. Fabr., *distractio* ; Reg., *divulsio*, sed aliud prius fuit, et, pro d. s., ponitur *divisio*. Editi et mss. plerique *divisio*.

615. Rom., *Diruptis :* alii, *Disruptis*. Utrolibet modo scribi solet et potest, *dirumpo*, et *disrumpo*.

617. Rom., non male, *repugnet*, pro *repugnat*. Supra, *labentur*.

619. Reg., *aggressus*, veluti *aggrediens ;* cæteri *aggressor*, quod rarum vocabulum ait Omeisius, a nemine veterum usurpatum. Sed fallitur : nam eo C utitur sæpe Ulpianus in Digest., qui pro prædone et raptore illud speciatim adhibet l. XLVII, tit. 9, leg. 3. Nihilominus præfero *aggressus*. Rom., *nobis*, corrige *nodis*.

620. Ald., Bas., *et facilis*, pro *ut facilis*. Verba Matth. XII, 29, hæc sunt : *Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem ? et tunc domum illius diripiet*. Quæ scripturæ Aldi favent. Reuschius etiam mallet *et facilis veniet*.

623. Mss. et plerique editi, *aberrat*. Ald., Bas., *oberrans ;* Torn., *oberrat*. Reuschius eligit *oberrat*, h. e., huc illuc vagatur, et rejicit *aberrat*. Westh., in textu perperam, *cogentibus ;* ad marg., *cogendis*.

624. Reg., Ott., *Dissicet*, quo respicit Rom., *Dissitet*. In Reg., glossa, *dispergit*. Plures editi, *Disjicit ;* Ald. *Disjicet ;* Bas., *Dejiciet*, quod metro adversatur. Matth. XII, 30 : *Qui non est mecum, contra me est : et qui non congregat mecum, spargit :* et in versione antiqua ex ms. Colbert. apud Sabatierium : *Et qui mecum non colligit, dispergit*. Retineo igitur *Disjicit*, quamvis non negem scribi etiam posse *Dissicit*, ut apud alios quoque scriptores in multis veteribus exemplaribus exaratum legitur. De quo verbo *dissicit*, aut *disicit* cum uno *s*, pro quo nonnulli scribunt *dissecat*, consule comment. ad Prudentii hymn. 1 Cathem. vers. 97, et hymn. 2 Peristeph. vers. 20) ; et Priscianum, libr. XIV, pag. 1002, edit. Putsch.

625. Rom., *horror ;* retine *error*, pro crimine.

629. Rom., *Ingeret ;* Reg., *Ingerat ;* reliqui, *Ingerit*. Præferendum videtur *Ingeret*, aut *Ingerat*, ex Matth. XII, 32 : *Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei*. Sic vers. 625, *fuerit ;* et 631, *violabitur*. In Ott. fuit, a pr. m., *relinqui*, correctum *remitti*.

630. Sabatierius edidit *tantum a quocumque*, et, pro d. s., *tantum cuicumque*, quod solum invenio in mss., et editis, pro quo, mendose, Rom., *cujuscumque*. Et est phrasis propria Juvenci dandi casus pro casu auferendi cum verbo passivo. Ponitur quidem *cuicumque* pro *a quocumque* significatione satis usitata saltem a sequioris ævi scriptoribus.

NOTÆ.

605. Plinius, l. XVI, c. 1 : *Multis fortuna parcit in pœnam*, quod sumptum est ex Laberio : *Fortuna multis parcere in pœnam solet*. Paulinus, de obitu Celsi vers. 569 : *Vita erit his sine fine mori, et mors vivere pœnis* Juvencus, l. I, vers. 784 : *Vitamque tenet jam pœna superstes*, pro vitam superstitem per hypallagen, ut explicat Omeisius.

610. *Nequitiæ vires :* alios dæmonas.

615. *Medullis*, ex comparatione regni cum humano corpore. Civitatem cum corpore humano comparat etiam elegauter Maximus Tyrius, serm. 41.

616. *Dæmone atro*, supra, vers. 45 et 459.

622. Fabricius in comment., *duellum* exponit bellum inter duos, quod hoc versu confirmat. Sed Juvencus duellum pro bello simpliciter accipit, cum dicat *in fronte duelli*, nempe in prima acie hostium : et hæc est vera significatio hujus vocis *duellum*. Veteres enim pro *b* interdum *du* adhibebant ; qui usus in *duellum* permansit, et promiscue dicitur *bellum*, vel *duellum*. Scriptores sequioris ævi *duellum* ad bellum inter duos restringere cœperunt, quæ significatio in vulgares linguas permanavit.

623. Notanda est interpretatio Juvenci. Matthæus tantum ait : *Et qui non congregat mecum, spargit*. D Juvencus recte exponit de gregibus, quos Dominus congregaturus advenerat.

627. Spiritus sanctus laceratur vocibus insana mente profusis, cum opera ejus dæmoni attribuuntur ; quod faciebant Judæi, cum dicebant, in Beelzebub principe dæmoniorum Christum ejicere dæmones. Tanta est hæc iniquitas, ut vix unquam et difficillime remittatur ; et cum excusationem nullam habeat, qualis solet in aliis peccatis esse, natura sua veniam non meretur : quo sensu explicanda sunt verba Salvatoris. Alii aliter.

628. *Sive* conflatum est ex *si*, et *vel* ; et reipsa interdum ponitur pro *vel si*, *et si*. Hæc significatio huic loco congruit.

Verborum rabie violabitur, irrevocatis
Suppliciis, nunc et semper torrebitur igni.
Quando veneniferi serpentis sæva propago
Sermonum dulci poterit mitescere fructu?
Nam bona thesauris promuntur dulcia justis,
Et mala lethifero procedunt ore venena.
222 Verborum meritis veniet sub judice vita,
Verborum meritis dabitur sub judice pœna.
Quæ Genitor faciet, sectabitur omnia Natus.
Namque idem Nato manifestat cuncta videnda,
Et potiora dehinc tribuet miracula rerum.
Sicut enim Genitor demortua corpora reddit
Ad claram vitæ lucem, sic omnia Natus,
A Quæ volet, ad superos surgentia corpora ducet.
223 Nec Genitor quemquam vestri, se judice, [quærit,
Sed dedit hæc Nato quærendi jura per orbem,
Gloria quo maneat similis Natoque, Patrique.
Namque repulsus erit vestro si Natus honore,
Improbitate pari Genitorem despicietis.
Sed sui nostra fidem sermonis gratia figit,
Mox me mittentis Genitoris dona patescent.
Æternamque dabit præsens constantia vitam.
Judiciumque illi non est, sed migrat ab atra
Morte procul, lucisque vigens ad limina tendit.
Adveniet tempus, cum mortua corpora vocem

LECTIONES VARIANTES.

632. Reg., *torrebitur igni*, quod editum fuit a Fabricio, et mihi arridet, quia magis concinit Matthæo XII, 32 : *Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Alii : *Suppliciis nunc et semper torrebitur ignis.*

633. Rom. *venenifici :* alii, *veneniferi*, quod magis Latinum est, et ab Ovidio, libr. III Metam. vers. 85, usurpatum. Fabricius, mendose, *suæ*, pro *sæva.*

634. Ott., a pr. m., *mitiscere;* a sec. m., *mitescere.*

635. Reg., *promuntur congrua justis.*

637. Rom., Ald., Bas., referunt hunc versum : *Verborum meritis dabitur sub judice vita*, et omittunt versum sequentem. Ott. Solum habet : *Verborum meritis dabitur sub judice pœnæ*, supra *pœna*, et in principio paginæ idem versus describitur cum voce *pœna.* Hic solus versus *sub judice pœna* exstat in Torn. In Reg. sunt hi duo : *Verborum meritis veniet sub judice vita, — Verborum meritis dabitur sub judice pœna.* In Daventr., inverso ordine, *Verborum meritis veniet sub judice pœna, — Verborum meritis dabitur sub judice vita*, sed mendose *sub indice vita.* Poelm., Hadam., Fabr.: *Verborum meritis dabitur sub judice vita,— Verborum meritis veniet sub judice pœna.* Matth. XII, 37 : *Unusquisque enim verbis suis justificabitur, aut verbis suis condemnabitur.* Hinc scriptura Reg. aut Hadam. præferenda est. Præterquam quod frequentes erant apud veteres poetas istiusmodi repetitiones.

639. Bas., *faciat :* lege *faciet.*

641. Ottob., pr. m., *tribuit :* a sec. m., *tribuet*, cum reliquis mss. et editis.

642. Ott., Ald., Bas., *emortua.* Reg., Hadam. et plerique editi, *demortua.* Rom., male, *Genitor sua mortua corpora.* Verbum Ciceronis est *demortuus;* sed mihi non displiceret *emortua* in Juvenco, de quo vocabulo confer, si lubet, quæ notavi ad Dracontium, libr. II, vers. 623. Solemne est nostris christianis poetis, ut ratione cæsuræ brevem producant : quod fortasse ut effugeret aliquis librarius, mutavit *Genitor emortua* in *Genitor demortua.* Sed quoniam fide codicis ms. Reg. tueri possumus *demortua*, id libenti animo retinemus. Ott., *reddet :* alii, *reddit.*

644. Reg., *ad lumen surgentia.* Ald., *ducit*, quod fuit in Ott., ex quo factum *ducet*, quæ est communis lectio. Legerem, si per mss. liceret, *Quæ vult, ad Superos surgentia corpora ducit*, ex Joann. v, 21 : *Sic et Filius, quos vult, vivificat.* Reuschius fatetur, in Græco textu esse tempus præsens; sed putat, Juvencum ad judicium novissimum id retulisse.

645. Reg., Rom., Poelm., pro d. s., *quemquam vestri.* Ott., *quicquam vestri.* Plures editi, *quemquam vestrum.* Reg., *quærit;* cæteri, *quæret.* Magis accedit ad verba Evangelii *quærit.* Joann. v, 22 : *Neque enim Pater judicat quemquam : sed judicium omne dedit Filio.*

650. Fabr., *figit*, cum Poelm. et Ottob., a pr. m., ex quo in Ott. videtur factum *figet*, quod habent alii mss. et editi. Joannes ait : *Qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me.* Reuschius textum sacrum secutus, cessante enallage, quam in præcedentibus admiserat, præsens pro futuro recepit. Nec refert, quod vers. seq. sit *patescent.* Ita enim Latini loqui amant, *Si das, accipies.*

651. Codex Un., *Mox me emittentis.* Reuschius ex codd. restituit *dona patescent*, quod nostri mss. Rom., Reg., Ott., comprobant. Veteres editiones *dona videbit.* Omisit Juvencus dandi casum *ei :* quod aliis etiam scriptoribus familiare est.

652. In Ottob., a pr. m., videtur fuisse *Æternumque*, quod more adverbii non esset contemnendum.

654. Torn., Rom., *lumina*, quod Schoettgenio displicet. Plerique mss. et editi, *limina.* Non dissimulabo tamen, h. l. vers. 519, a Juvenco dictum *lumine lucis.*

655. Reg., Ott., Rom., *tempus cum mortua.* Ald., Hadam., Poelm., Fabric. *tempus quo mortua.* Accom-

NOTÆ.

631. *Irrevocatis :* hac voce Horatius et Ovidius utuntur. Juvencus *irrevocatis* ponit pro *irrevocabilibus.*

635. *Thesauris justis :* Evangelista ait, *De bono thesauro.*

636. *Venenum* sæpe in malam partem accipitur; sed ex prima significatione vox est media, quæ in utramque partem sumi potest. Libr. L Dig. tit. 16, de verbor. signif. leg. 236 : *Qui venenum dicit, adjicere debet, utrum malum, an bonum : nam et medicamenta venena sunt.* Cicero, pro Cluentio cap. 54, ex veteri lege : *Qui venenum malum fecit, fecerit.*

637. Sabatierius observat, Juvencum prætermisisse vers. 36 Matthæi : *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii :* Sed Juvencus hoc et seq. vers. satis sententiam hanc ipsam Evangelii comprehendit.

639. CAPUT XXV. *Quæcumque Pater fecerit, facturum et Filium, et nunc esse horam, qua mortui audient vocem filii Dei, et alia item multa dicit Jesus Judæis.* Joan. v, 19. *Sectabitur* idem est ac faciet, imitabitur, exsequetur.

645. Notandus est ablativus absolutus *se judice*, nempe ipse judex. Plura similia ex Avito, Aratore, Fortunato profert Arntzenius ad Sedulium, l. IV, vers. 8, *Se judice præstat.* In inscriptionibus non rarum est *se vivo, fecit. Quærit*, in quæstionem vocat, inquirit in quemquam. Satis vulgata est hæc significatio verbi *quæro :* ex quo *quæstio*, et *quæsitores* dicuntur.

648. *Repulsus honore* pro *repulsus ab honore.* Ovidius, III Amor., eleg. 11, vers. 9 : *Ergo ego sustinui foribus tam sæpe repulsus*, etc. Adde Horatium, Serm. l. II, sat. 7 : *Foribusque repulsum — Perfundit gelida.*

224 Accipient nostram, et vitam cum voce [tenebunt.
Nam sicut Genitor vitam sibi possidet in se,
Sic tribuit Nato vitam, et jus dicere jussit
In terris, hominis quoniam de corpore venit.
Nec vobis mirum videatur, corpora cuncta
Vocis ad auditum propriis exsurgere bustis,
Justorumque animas redivivo corpore necti,
Judicioque gravi miseros exsurgere pravos.
Nec mihi judicium tribuit mea sola potestas;
Arbitrio quoniam Genitoris cuncta jubentur,
Qui me justitiam terris disquirere jussit.
Namque ego si proprio testis pro nomine sur- [gam,
Falsa loquar; aliusque itidem quia testis habetur.
225 Pro nobis, recte mihi talia temnere [fas est.
Nam veris operum signis manifestior omni
Luce nitet præsens nostris testatio factis.
Talia concedens Genitor mihi testis adhæret,
Qui me dimisit terris sua ponere jussa.
Hujus enim vocem numquam comprendere [quistis,
Nec speciem propriam concessit visere vobis.
Nec sermo ipsius potuit per vestra sedere
Pectora, credendi quoniam substantia nulla est.
Quæratur veterum scriptorum lectio vobis,
Perpetuam cunctis vitam quam ferre putatis.

LECTIONES VARIANTES.

modatius videtur ad textum Evangelii *cum*, quam *quo*. Joannis v, 25: *Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei:* et in versione antiqua, ex ms. Cantabr., apud Sabatierium: *Quoniam venit hora, et nunc est, cum mortui audient*, etc. Non tamen ineptum est *quo:* simili enim modo nonnulli Patres eum locum exhibent.

657. Rom., *Genitor sibi vitam possidet:* alii, *Genitor vitam sibi possidet.*

659. Reg., Rom., Poelmann., pro d. s., *In terras*, quod edidit Reuschius, quia Joannes indicare vult reum, non locum judicii. Ott. cum plerisque editis, *In terris*, quod retinuit Gallandius. Nonnulli sic interpungunt *jus dicere jussit*, — *In terras hominis*, vel *In terris hominis*. Ald., Daventr., Bas., Torn., Gallandius, *cum corpore*. Mss. nostri cum Hadamar., et multis aliis editis, *de corpore*. Sententia eadem est.

662. Hi duo versus *Justorumque*, *Judicioque* omissi erant in Ott., sed suppleti sunt eadem veteri manu in fine paginæ.

663. Torn., *Judicioque gravi:* corrige *Judicioque*.

664. Torn., cum mss. Reg., Rom., *tribuit:* Ott., *tribuat:* editi plures, *tribuet*. Reg., *voluntas*: alii, *potestas*. Utraque lectio sustineri potest. Joannis v, 30: *Non possum ego a me ipso facere quidquam. Sicut audio, judico: et judicium meum justum est: quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*. Magis placet *tribuit*, quam *tribuet;* rejiciendum vero est *tribuat*.

668. Reg., Ott., Daventr., Ald., *Falsa loquar, aliusque itidem quia*. Sic Rom., sed *inde* minus bene pro *itidem*. Hadam., Poelm., Fabr.: *Falsa loqui possem: ast alius quia*. Sic Torn., sed *est* pro *ast*. Sabatierius edidit *Falsa loqui possem: est alius, qui testis habetur*, nescio, an casu, an de industria: nam in mss. et editis solum reperio *quia testis*. Verba apud Joannem, v, 31, sunt: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum*. Itaque retineo *Falsa loquar*. Illico vers. seq.: *Alius est, qui testimonium perhibet de me, et scio quia verum est testimonium quod perhibet de me*. Fortasse legendum est *Falsa loquar, alius itidem quia testis habetur*, omissa conjunctione *que* post *alius*, quæ superflua est. Ratione cæsuræ produci potest secunda in *loquar*, et tertia in *alius*, quod non advertentes librarii lectionem veram corruperunt.

669. Ald., *Pro vobis:* emenda *Pro nobis*. In Bas., *tum vero*, mendum, pro *temnere*. Reg., *semper* pro *recte*, non male. Rom., *tennere talia*, sed corrupte *tenere* pro *temnere*. Plerique mss. et editi, *talia temnere*.

672. Ott., *testes*, bene ibidem correctum per *testis*.

673. Rom., Ald., Fabr., *demisit:* alii *dimisit*, eadem significatione.

676. Rom., *poterat:* Ott. cum plerisque *poterit*, pro d. s., *potuit*. Bene est *potuit:* sed suspicabar *potis est:* quam phrasin nonnulli librarii non intelligentes in quibusdam mss. exemplaribus, aliam lectionem invexerunt. Verba Joann. v, 38, tempus præsens innuunt: *Et verbum ejus non habetis in vobis manens*.

679. Reg., *Perpetuam cuncti vita quam*, et glossa in *putatis: vobis*, quod aut obscurum, aut corruptum est. Rom., *Perpetuam cuncti vitam qua ferre putatis*. Id satis accedit ad textum Joann. v, 39: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere*. Communis lectio eodem recidit: *Perpetuam cunctis vitam quam ferre putatis*.

NOTÆ.

656. *Accipient*, audient, intelligent. Obvia hæc significatio verbi *accipio* apud Ciceronem, et alios. *Tenebunt*, assequentur. Usus verbi *teneo* mirum quantum patet. Hic est *obtinebunt*. Obtinebunt ergo vitam *cum voce*, cum dicto, ut supra, vers. 597.

659. Joannes, loc. cit.: *Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est*. Christus Filius est hominis, quia ex Maria virgine natus est, adeoque hominis de corpore venit.

663. *Miseros pravos:* ut l. IV, vers. 304: *Æternum miseri pœna fodientur iniqui*. Vide lect. var. ad vers. 257 l. II.: *Miseri fugere superbi*.

666. Joannes: *Quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me*.

669. *Talia temnere*, calumnias Judæorum, et falsiloquia, seu falsa hominum de me judicia.

671. *Testatio*, testimonii dictio. Verbum in jurisconsultorum libris frequens.

672. *Adhæret*, pro me stat, meas partes agit. Elegantissima metaphora, ait Reuschius.

675. Joannes, loc. cit.: *Nec speciem ejus vidistis*. Versio vetus in nonnullis mss., et aliqui SS. Patres, paulo aliter, *neque figuram ejus*, vel *neque formam ejus*, vel *neque faciem ejus*.

676. *Per vestra sedere pectora*, vestris pectoribus insidere, infigi.

677. Joannes: *Quia quem misit ille, huic vos non creditis*. Varius est usus hujus vocis *substantia* apud Juvencum. Vide l. I, vers. 416. Cyprianus, de Bono patientiæ, p. 216, patientiam vocat *sustinendi tolerandique substantiam*.

226 Hæc etiam nostrum testatur lectio donum.
Nec tamen audetis propius consistere nobis,
Ne veræ vobis contingat gratia vitæ.
Non mihi captatur terrenæ gloria laudis.
Namque ego quod summi Genitoris nomine veni,
Respuor a vobis : veniet sed discolor alter,
Nomine quem fultum proprio gens vestra se-[quetur.
Alternæ vobis captatur gloria famæ,
Unius et solam fugitis disquirere laudem.
Nec vos arguerim coram Genitore, sed illic
Accusator erit, quem spes modo vestra cele-[brat,

227 Moses, quem fidei nullo servatis honore.
Ejus enim scriptis vester si crederet error,
Crederet et nobis, Mosei quem scripta frequen- B [tant.

Talia tum contra scribarum verba sequuntur :

Vocibus indubitata fides comitabitur istis,
Si virtus certis firmet miracula signis.
Ille dehinc : Polluta malis generatio quærit
Signa sibi : rebus stabunt sed signa futuris,
Namque propheta cavo quantum sub pectore ceti
Temporis absumpsit, terræ in penetralibus altis,
Progenies hominis tantum demersa manebit.
Adveniet tempus, cum surget reddita vitæ
Gens hominum, propriis in fletum dedita gestis.
Hæc istam digno damnabit crimine gentem,
228 Quod maris e fundo surgentis voce pro-[phetæ
Commonita, in lacrymas Dominum projecta re-[flexit.
Hic et Jonæis monitis potiora jubentur,
Contemnitque feris animis gens impia lucem.
Et regina noti vitales surget in oras.

LECTIONES VARIANTES.

682. Mss. Rom., Reg., Ott., *Contingat gratia vitæ*. Editi, *contingant gaudia vitæ*.

684. Reg., Rom., Ottobon., *Namque ego quod summi* : hoc ipsum videtur voluisse Aldus in nexu litterarum. Alii *Namque ego, qui summi*.

685. Mss. nostri cum Ald., Bas., Daventr., *Respuitur vobis*, et glossa in Reg., *scilicet mea prædicatio*. Vel intellige, respuitur a vobis, quod ego veni, etc. Alii habent *Respuor a vobis* : quod concinit verbis Joannis v, 43 : *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me*. Poelm., Fabr., *veniet sed dyscolus alter* : sic Ald., Daventr., Bas., Badius, Hadam., qui scribunt *discolus*. Nostri codices mss. Rom., Ott., a sec. m., vel pro d. s., cum Torn., Reuschio, *veniet sed discolor alter* : quod magis placet, quasi varius, diversus, dissimilis. Cap. cit. Joann. vers. cod. 43 : *Si alius venerit in nomine suo,* C *illum accipietis*. Nullus hic est locus vocabulo *dyscolus, pravus, difficilis*, quod ad barbara a Forcellino rejectum est. In membranis vaticanis Reg. et Ottob., a pr. m., *veniet sed decolor alter*, quasi turpis. Sic. Cant. unus.

687. Editi et mss., *Alternæ in vobis*. Vera tamen mihi lectio est *Alternæ vobis captatur*, ut vers. 683. *Non mihi captatur terrenæ gloria laudis*. Sacer textus : *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis?* Forte, *Alternis vobis*.

689. Rom., Ald., Hadamar., *Nec vos* : Poelm. cum aliis, *Ne vos*, pro d. s., *Nec vos*. Utrumvis elige.

691. Alii, *Moyses;* alii *Moses* scribunt. Ald., Poelm., pro d. s., *servastis* : plerique *servatis*.

693. Reg., *Mosei;* Ott., *Moysei* ; Rom., *Moysi* ; alii, *Mosi*, quod in editis maxime apparet.

697. Ott. *Polluta malis*, quod a Fabricio post Daventr. editum est : cæteri *Polluta magis*. Matthæus : *Generatio mala et adultera signum quærit*, etc. Kœnigius conjiciebat etiam *Polluta malis*, ex l. IV, vers. 564 : *Polluta malis consurgat in iras — Religio*.

700. Reg. *absumit* : retine *absumpsit*. Ott., *penetrabilibus* : ita etiam Reg., sed in hoc scite correctum *penetralibus*.

701. Ald., *diversa*, quod error videtur pro *demersa*.

702. Poelm., *Advenit tempus* : Rom. cum plerisque, *Adveniet tempus*, quod consentaneum est verbis Evangelii Matth. XII, 41 : *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione*, etc. Ex quo rejici debet *surgit* in Rom., et legi *surget* cum aliis.

704. Rom., *Nec istam* : lege *Hæc istam*.

705. Rom., *Sed maris* : corrige *Quod maris*.

706. Bas., *Communita*, mendose, pro *commonita*.

707. Rom., *Sic et* : alii, *Hic et*.

709. In Ott. ex *surgit* probe factum *surget*, ex Evangelii sententia. In Rom., ad marg., pro *oras* diversa lectio, sive correctio, exhibetur *auras* : sed *oras* alii præferunt.

NOTÆ.

688. Sacer codex : *Et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis*. Cantabr., *Et gloriam ab unico Deo non quæritis*. Hilarius, lib. x de Trinit. : *Et honorem ejus, qui est solus Deus, non quæritis*. Huic lectioni favet Juvencus,

690. Joannes : *In quo vos speratis*.

692. *Si crederet error* : si vos, qui nunc erratis, quia non creditis, crederetis, nobis etiam crederetis, adeoque cessaret error.

694. CAPUT XXVI. *Pharisæis, signum petentibus, Jonæ et Ninivitarum signum tradit*. Matth. XII, 38 seqq.; Luc. XI, 29; Marc. VIII, 11.

695. *Comitor* cum dativo, ut libr. IV, vers. 219 : *Et sponso tantum comitatur factio prudens*. Consule lect. var. ad eum versum.

699. *Cetus, ceti*, in singulari, *cete* in plurali.

703. *Gens hominum*, Ninivitæ. Inter gentes terræ a Rabbinis Ninivitas numerari observat Omeisius. *In fletum dedita* : Ovidius, II Met. 584 : *Datque animum in luctus*.

704. *Crimine*, accusatione : ita enim *crimen* non raro accipitur.

706. Qui lacrymis aliquid obtinere volunt, plerumque projecti, seu prostrati flent. Cæsar, l. VII Bell. Gall. cap. 26 : *Matresfamilias repente in publicum* D *procurrerunt, flentesque projectæ ad pedes suorum;* et l. III Bell. civil. cap. 98 : *Passisque palmis, projecti ad terram, flentes ab eo petierunt salutem*. Reuschius ex Livio allegat, *Se in muliebres fletus projicere* : explicat vero *reflexit*, animum ad Dominum revocavit, vel mente Dominum respexit. *Reflecto* proprie est incurvo.

707. Joannes : *Et ecce plusquam Jonas hic*. Hilarius, in psalm. II : *Et ecce major Jona hic*. Sed ex textu Græco constat, *hic* in Latinis versionibus non esse pronomen, sed adverbium, videlicet *hoc in loco*. Recte ergo Juvencus per adverbium reddit, et explicat : *Hic et Jonæis monitis potiora jubentur*.

709. Itala versio et Vulgata constanter exhibent *regina austri*. Idem ventus qui Latinis auster dicitur,

Illius ad specimen damnabitur effera plebes,
Finibus extremis Libyæ quod venerit illa,
Ut Salomona pium, præceptis dedita justis,
229 Audiret : potior nunc est Salomone potestas
Et tamen obtusæ cæcantur pectora plebis.
Expulsus siquando fugit de pectore dæmon,
Quem turbat sanctus purgato corpore flatus,
Ille venenatis collustrat passibus oras,
Qua nulla excurrit fontani gurgitis unda,
Nec requiem placidæ sedis sibi repperit ardens.
Tunc repetit suetæ sitiens habitacula mentis.
A At si forte suis obnoxia corda venenis,
230 Ornatuque levi ridentia limina cernit,
Associat septem similes glomerando furores
Vis inimica homini, penetratque in viscera serpens.
Sic genus hoc vero sensu cum degener errat,
Vincula perpetuis deflebit subdita pœnis.
Atque ea dum populis vitalia dicta frequentat,
Pro foribus mater cum fratribus astitit illic,
Et miscere foris sermonem cominus orat.
Talia tum matris mandatis dicta remittit :

LECTIONES VARIANTES.

710. Reg., et Ott. *speciem*, pro d. s., *specimen*, cum Rom. et editis. Defendi potest *speciem*, sed præferendum est *specimen* pro exemplo. In Rom., *plebes* corrigi videtur per *proles*. Reliqui, *plebes*.

712. Reg., *Ut Salomona regem* : metri lex id prohibet, fortasse præstiterit legere *Ut Salomon regem*. Sed cum idem Reg., pro d. s., referat *Ut Salomona* B *pium*, consentientibus aliis mss. et editis, id sane retineamus, accipiamusque *pium* pro pacifico, miti : de qua significatione hujus vocis plura dixi in notis ad Dracontium, libr. I, vers. 11. Nonnulli scribunt *Solomona*, et paulo post *Solomone*, quod etiam accidit in quibusdam veteribus exemplaribus Bibliorum, nimirum ex Græco textu. Confer var. lect. ad vers. 680 l. I.

714. Reg., *Et tamen obtuso cæcatur pectore plebes*. Alii, *Et tamen obtusæ cæcantur pectora plebis ;* sed in Ott. scribitur *obtunsæ*, quod perinde est. Nec mihi displiceret : *Et tamen obtusa cæcantur pectora plebis*. Virgilius, I. Æn. 571 : *Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni*.

715. In Ott. fuit *expulsis*, bene inde factum *expulsus*.

716. Reg., Ott., *purgato pectore*. Ott., pro d. s., Daventr., Ald., *purgato corpore*. Rom., *purgato e pectore*. Poelm., et alii editi, *purgato e corpore*. Co- C dex Un. *Quem purgat sanctus prolato e corpore flatus*, ubi forte legendum *proluto e corpore*, ut conjicit Reuschius : qui tamen commodum sensum inde erui posse negat : ut de pleonasmo ne quid dicamus.

717. Torn., *venenatus* : ita etiam edidit Aldus, sed in Emendatis recte correxit *venenatis*, id enim longe elegantius est.

719. Aldus cum aliis editis : *Si requiem placidæ sedis non repperit, ardens*. Mss. Reg., Ott., Rom., *Nec requiem placidæ sedis sibi repperit ardens* : sed in Reg., *placitæ* pro *placidæ*. Scriptura nostrorum codicum magis congruit Evangelii verbis Matth. XII, 43 : *Ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit*. Reuschius mavult *Si* pro *postquam*, *cum* : quia Juvencus numero oratorio conclusit, quæ dictione simplici grammatica Christus protulit.

720. Reg. *repetit suetæ quærens habitacula*, sed corrupte *habicula* pro *habitacula* : alii omnes, *repetit suetæ sitiens habitacula*.

721. In Ott. videtur prius fuisse *Ac si* pro *At si*. Rom., *Et si*.

723. Poelm., Had., *similis*. Rom. cum plerisque editis, *similes*.

724. Editi, *homini*. Mss. Rom., Reg., *hominis* : ita etiam fortasse fuit in Ottob., ubi nunc est *homini*. Præferam *homini*. Rom., *penetrat qui viscera serpens* : retine *penetratque in viscera serpens*.

725. Ott. : *Sic genus hoc vero mentis cum degener errat* : alii, *sensu* pro *mentis*. Suspicor *hoc veri sensu cum*. Reuschius in suis mss. invenit etiam *vero mentis*, quam lectionem non inconcinnam dicit, nempe *a vero, a veritate*. Ante hunc versum *Sic genus*, in Rom. legitur hic alius abnormis : *Sic erit hæc generatio deteriora priorum*. Idem versus, cum hoc solo discrimine *Sic ista generatio*, etc., exstat in Reg. post hunc versum *Sic genus*. Fortasse aliquis versus a poeta additus fuit, ut explicaret verba Matth. XII, 45 : *Et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus*. Nam quæ sequuntur, *Sic erit et generationi huic pessimæ*, comprehenduntur his duobus versibus, *Sic genus*, et *Vincula*.

727. Poelm., pro d. s., *Atque hæc* ; in textu, *Atque ea*. Ald., Bas., Rom., *dum* : alii *cum*.

729. Ott., a pr. m., *misceri* : probe factum *miscere*.

NOTÆ.

græcis est *notus*, quo vocabulo poetæ Latini frequenter utuntur. Quod Juvencus ait *vitales surget in oras*, sacer textus refert *surget in judicio*.

710. *Ad specimen*, comparatione facta cum ea. Omeisius commentatur, ad illius respectum, probationem, exemplum.

711. Matthæus ait : *Quia venit a finibus terræ*. D Juvencus Libyam designat. Eam reginam, *Nicaulam* nomine, ex Æthiopia Hierosolymam adiisse multi narrant. Alii eam Arabiæ reginam fuisse aiunt, et ab Arabibus *Balkis* nuncupatam memorant. Juvencus priorem opinionem tenet, et Libyæ nomine universam Africam intelligit, ut Virgilius, I. I Georg. vers. 240 : *Mundus ut ad Scythiam, Rhiphæasque arduus arces — Consurgit, premitur Libyæ devexus in austros*. Ex Libris Reg. solum constat, reginam Saba eam dictam.

713. Matthæus : *Et ecce plusquam Salomon hic*, ubi *hic* est adverbium, ut paulo ante, vers. 707. Ac potuit sane scripsisse Juvencus : *Audiret : potior hic est Salomone potestas*. Sententia fere eadem cum *nunc*. Sed si alio modo, quem dixi, Juvencus scripsisset, nihilominus exscriptores ejus rei ignari versum corrupissent.

716. *Turbat*, exturbat : verbum simplex pro composito. *Sanctus flatus*, quia Christiani in more habent in exorcismis insufflare dæmonas : de quo vide comment. ad Prudentium hymn. 10, Perist. vers. 920 : *Insufflat, ipsos ceu videret dæmones*.

720. *Suetæ mentis*, ut libr. I, vers. 150 : *Mox etiam assuetam penetrant spiracula mentem*.

722. *Ridentia* ; nota, sed elegans metaphora.

723. *Glomerando* : confer not. ad vers. 579. *Furores*, spiritus nequiores se, ut ait Matthæus, vel spiritus furentes, ut *scelus* pro scelesto.

727. CAPUT XXVII. *Matrem, et fratres esse eos, qui audiunt, et faciunt verbum Dei*. Matth. XII, 46. seq. ; Marc. III, 31. ; Luc. VIII, 20. 728. *Pro foribus* : consule lec. var. advers. 299 hujus libri.

728. Et foris orant miscere cominus sermonem. Matthæus : *Stabant foris, quærentes loqui ei*.

Illic mecum genitrix, mecum germana residunt
Corpora. Nam patria impletur cuicumque vo-
[luntas.
231 Ille meo proprium connectit sanguine cor-
[pus,
Et matris, generisque mei sub nomine ha-
[betur.
Progreditur templo terrarum lumen Iesus,
Et maris extrema, terræque resedit in ora,
Innumeræque illuc plebis fluxere catervæ.
Ille sed excelsam scandens, quæ proxima,
[puppim,
Littora complenti depromit talia plebi:

Ecce sator proprio commendat semina ruri,
Illa cadunt diversa solo, sortemque locorum
Pro virtute ferunt. Nam sicubi trita viarum
232 Sub pedibus solido densetur limite tellus,
Aeriis avibus nuda dant semina prædam.
Ast ubi pertenui velantur pulvere saxa,
Farra quidem viridem depromunt germinis
[ortum;
Sed quia nulla subest siccis substantia glebis,
Inserto arescunt radicum fila calore.
Cunctaque mox apicum labuntur acumina letho,
Seminibusque aliis contingunt aspera rura:
Sentibus hic, spinisque feris velocius exit

LECTIONES VARIANTES.

731. Ott., a sec. m,, *resident :* verum lex metri exigit *residunt*, a *resido, residis.* Virgilius, libr. VIII, vers. 467 : *Congressi jungunt dextras, mediisque residunt — Ædibus.* Sic alii vulgo. in Reg. glossa, aut diversa lectio est *mecum et germana*, pro *mecum germana.*

732. In Rom., ad marg., annotatur tamquam diversa scriptura *propria*, et *cujuscumque* pro *patria*, et *cuicumque :* utrumque ineptum. Sententia clara est apud Matth. XII, 50 : *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse meus frater et soror, et mater est.*

735. Schœttgenius volebat *Egreditur tecto*, quia Matthæus ait : *In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare.* Multi codices mss. versionis Italicæ omittunt *de domo.* Nihilominus probabilis est conjectura Schœttgenii, nisi dicamus, Juvencum verba illa *de domo* exposuisse de domo Dei, seu templo.

736. Torn, *residit :* melius *resedit.*

737. Rom., *cinxere* pro *fluxere:* fortasse, *illum plebis cinxere.*

738. Reg., Rom., *scandens in proxima puppim.* Ott., Hadam., Poelm., in textu, *scandens, quæ proxima, puppim.* Ald., Poelmann., pro d. s., *scandens celeri pede puppim.*

739. Torn., mendose, *complectit* pro *compleuti.*

740. Ott., *propria*, alii, *proprio.* Scriptura *propria* confirmatur ex Lucæ VIII, 5 : *Exiit qui seminat, seminare semen suum.* Accedit versio Itala in ms. S. Germani 1, apud Sabatierum: *Ecce exit qui seminat, seminare semen suum.* et in ms. Cantabr. *Exivit seminator seminare semen suum*, et in Græcis exemplaribus: Ἐξῆλθεν ὁ σπείρων τοῦ σπεῖραι τὸν σπόρον αὐτοῦ : et auctor operis imperfecti in Matth. hom. 25: *Exivit seminator seminare semen suum.* Lectio communior est *proprio*, quæ etiam comprobatur ex vers. 798, 816., et Ambrosio in Psalm. XXXVI: *Ecce exiit qui seminat, seminare agrum suum.*

741. *Diversa* melius, quam *divisa* in nonnullis apud Reuschium: illa enim semina non quidem in se, sed pro varia sorte, seu conditione soli diversa erant, seu diverso modo proveniebant. In Bas., *sole* error est pro *solo.* Hadam., Poelm., in textu, Fabr., *sortesque.* Mss. et pleræque editiones, *sortemque.*

742. Daventr., Westh., in textu, Ald., *etenim si ubi trita.* Reg., Ott., *nam sic ubi trita.* Rom., Westhem., ad marg., et multi alii editi, *nam sicubi trita.* Rom., minus bene, *serunt* pro *ferunt.*

743. Codex Un., non incongrue, *solito* pro *solido.*

744. Hadam., Poelm., *dant vilem semina.* Ott., a sec. m., *avibus nudam dant semina ;* Ald., *avibus dant nudam semina.* Reg., *avibus dant nuda semina*, mâle ; nec melius Rom., *avibus dant nudaque semina.* Reuschius cum Aldo facit, et hunc verborum et sententiæ ordinem collocat : Sicubi tellus densetur sub pedibus solito, vel solido limite, trita viarum dant, exponunt semina, prædam avibus. Vix dubito quin legendum sit *avibus dant nudam semina*, aut *avibus nudam dant semina* aut potius *avibus nuda dant semina*, scilicet *a* in *nuda* productio ratione cæsuræ, quod frequens est christianis poetis. Sententia liquet ex Matth. XIII, 4 seq : *Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam. et venerunt volucres cœli et comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam*, etc. Semina ergo quæ ceciderunt secus viam, nuda erant, quia terra non erant cooperta, cum eo loco neque aratro subacta fuerit terra : adeoque facile volucres cœli ea comederunt. Hanc interpretationem confirmat versus sequens, *Ast ubi pertenui velantur pulvere saxa:* eandemque eodem vocabulo Prudentius expressit vers. 1031, libr. II, contra Simm. *Et ne jacta viæ spargantur in aggere grana: — Hæc avibus quia nuda patent, passimque vorantur.*

746. Conjiciat aliquis *viridis depromunt germinis.*

747. Reg., *subest duris substantia:* editi, *subest siccis substantia.* Rom., *subest succi substantia :* quæ lectio si vera non est, certe acumine non caret.

750. Melius *Seminibus aliis.*

NOTÆ.

731. *Germana corpora :* sic l. IV, vers. 20 : *Septem germana fuerunt — Corpora.* Vide not. ad vers. 157. l. I.

733. *Connectit* de conjunctione consanguinitatis. Tacitus, Annal. l. IV, cap. 66: *Claris majoribus, et Varo connexus.*

735. CAPUT XXVIII. *Sedens in navicula Jesus turbis parabolas exponit.* Matth. XIII, 1 seqq. ; Marc IV, 1. Luc. 8, 5.

736. Recte littus vocat *extremam maris, terræque oram.*

743. Sensus est : Sicubi, vel ubi tellus trita viarum solido limite sub pedibus densetur, etc.; vel etiam : tellus trita sub pedibus densetur solido limite viarum. *Densetur* hoc loco est a *denso, densas.* Dicitur etiam *denseo, denses.*

747. *Substantia* hic accipitur pro succo, in quo aristæ vita consistit. Confer vers. 631 l. I.

748. *Filum* de re quapiam subtili et filo simili dicitur. Ovidius, l. I Fast. vers. 342 : *Nec fuerant rubri cognita fila croci.* Martialis, libr. XI, epigr. 53.: *Porris fila resecta suis.* Columella, libr. X, vers. 375 : *Asparagi corruda simillima filo.*

749. *Labuntur letho*, moriuntur : metaphora nota de herbis, quæ arescunt. *Apicum acumina*, acumina aristarum. Intelliguntur aristæ ipsæ, culmis.

233 Roboris augmentum, frugemque interne- A [cat angens.
Uberibus vero quæ dantur semina glebis,
Illa ferunt pulchram segetem, cui læta frequen- [tat
Incrementa sui centeno copia fœtu.
Audiat hæc, aures mentis qui gestat apertas.
Talia discipuli mirantes dicta, requirunt,
Implicitis populo cur clauderet omnia verbis,
Ille sed, admota credentum plebe, profatur :
Vobis, qui firmo robustam pectore mentem
234 Ad capienda Dei penetralia constabili- [stis ,
Concessum est adytis penitus consistere regni.
Illis pro merito clauduntur lumina mentis.
Si quis habet dignus, capiet potiora redundans.
Qui vero expertes cœlestis muneris errant,
Amittent etiam, proprium quodcumque retentant,
Idcirco obscuris cooperta ambagibus, illum
Præstringit populum sermonis gratia nostri ,
Ut dictum Isaiæ merita de plebe recurrat.
En populi mentes velantur ad omnia crassis
235 Objicibus, sensu ne tangant munera vitæ.
Auribus assistunt clausis, oculisque gravatis,
Ne conversa bono sanetur noxia plebes.
Quam vestræ nunc sunt aures, oculique beati !
Nam multi veteres justi, sanctique prophetæ,
Quæ vobis clarent, orarunt cernere dona.

LECTIONES VARIANTES.

752. Bas., *augens :* quod emendandum est per B *angens.*

753. Rom., Ald., Bas., Fabr., *dantur quæ :* alii, *quæ dantur.*

754. In Reg. et Ott. videtur, a pr. m., fuisse *frequentant.* At sensus postulat *frequentat.* In Rom. satis clare est *frequentant*, cum hac tamen distinctione *cui læta frequentant—Incrementa sui, centeno copia fœtu.*

755. Torn., *centena :* lege *centeno*, ut metro sensuique consulas.

759. Rom., *ammota credentum plebe profatus.* Suspicari aliquis possit, an legere oporteat *amota.* Postea quidem inter discipulos et plebem in fine parabolæ hæc fit distinctio vers. 796 : *Hæc tum discipulis plebique hæc insuper addit;* et clarius libr. III, vers. 74 seqq. : *Ille ubi credentum turbas in valle remota — Convenisse videt.... Discipuli Christo suadent dimittere turbas.* Revera Reuschius legit *amota*, idque ex mente poetæ rectius esse judicat. Non tamen ausim mutare *admota* in *amota*, præsertim quia C ea, quæ in Evangelio et Juvenco sequuntur, non apte cadunt in plebem credentum, nisi credentes dicantur ii qui, vers. 772, *Auribus assistunt clausis, oculisque gravatis.* Juvencus *plebem* et *populum* de discipulis sæpe dicit. Confer l. II, vers. 564; l. III, vers. 494; l. IV, vers. 52.

763. Reg., Rom., Poelm., pro d. s., *lumina mentis.* Otiob., *limina mentis.* Ald. cum plerisque editis, *limina vitæ.* Magis ex Evangelii sententia est *lumina mentis.* Matth. XIII, 11 : *Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum : illis autem non est datum.* In aliis versionibus veteribus, *Scire arcana Dei, scire mysterium regni cœlorum.* Tertullianus, libr. de Præscript., cap. 22 : *Illis datum est cognoscere arcana, quæ populo intelligere non liceret.* Kœnigius præfert *limina vitæ*, quia præcessit *consistere adytis*, et l. IV, vers. 443, Juvencus ait : *Si numquam terris tetigisset limina vitæ.*

764. Mss. Reg, Rom., Ott. cum Ald., Daventr., *Si quis habet dignus.* Hadam., aliique editi, *Si quid habet dignus.* Præfero *Si quis*, ex loc. cit. Matth. XII : *Qui enim habet, dabitur ei.* In Reg. sic legitur hic versus : *Si quis habet dignus meritis, potiora capesset :* correctum videtur *mentis* pro *meri is.*

768. Editi omnes, *Promitur in populum.* Mss. nostri Reg., Ott., *Præstringit populum ;* Rom., *Perstringit populum.* De diversa hac scribendi ratione *præstringo*, et *prestringo*, dixi ad Prudentium vers. D 507 Psychom. Hoc loco *præstringit* est leviter tangit, veluti transeundo attingit, in transcursu radit, quia gratia sermonis non plene cum populo communicabatur. Hanc significationem librarii ignorantes, e C suo ingenio exscripserunt *Promitur in populum.* Schœttgenius, et Reuschius edunt *Perstringit*, aut *Præstringit*, sed exponunt hebetat, obtundit, excæcat.

769. Ott., *recurrant :* quod solum posset sustineri, si legeretur *dicta* pro *dictum.*

770. Ald., *populi mentis :* rectius *populi mentes.*

771. In mss. nostris et Ald. scribitur *Obicibus*, non *Objicibus.*

775. Ald., Torn., Bas., *veterum :* alii, *veteres.* Rom., *veteres sancti, justique prophetæ.*

776. Omeisio non displicet *optarunt cernere*, uti est in Had.

NOTÆ.

752. In Reg., glosa, *angens — suffocans.* Scilicet augmentum spinarum angens, seu suffocans, internecat frugem. Idem accusativus *frugem* regitur a verbo *internecat*, et a participio *angens :* quod sæpe D in Juvenco observatur. Barthius, libr. XXXV Advers. cap. 19, col. 1621, advertit, in hoc Juvenci versu *internecare* esse necare, aut enecare. Eodem verbo usus est Prudentius, Apoth. præfat. 2, vers 49 : *Ne forte culmum fibra inanis spiceum — Simul revulsa internecet.* De verbo *angens* pro *suffocans* disserit idem Barthius, l. XXIV, cap. 19, col. 1272 seq. Columella, l. X, *herbam angentem* nominat. Proprie *angere* est strangulare, suffocare, sed translate sumitur pro contristari, vexare. Simile quid accidit in *suggillo*, quod est strangulo, suffoco, et translate molestia afficio, constringo. Ex quo intelligitur, quod ait Lucas, XVIII, 5 : *Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggillet me :* Confer, si placet, Ducangium, verbo *suggillo*, et not. ad l, III, vers. 448.

754. *Pulchram segetem :* dictum de eo epitheto ad vers. 150.

756. *Gestat*, ejusdem fere significationis ac *gerit.*

761. *Dei penetralia :* Matthæus : *mysterium regni cœlorum.* In nonnullis mss. antiquæ Italicæ versionis, *arcana Dei*, aut *arcana regni cœlorum.*

766. *Retentant*, frequentativum a *retineo*, ejusdemque significationis. Sumitur etiam pro retracto, resumo.

769. *Recurrat*, verum esse ostendatur. Vide vers. 215, l. I,

770. *Crassis objicibus*, ex Matthæi textu : *Incrassatum est enim cor populi*, etc. Apuleius, init. l. I Metam. : *Tu vero crassis auribus et obstinato corde respuis, quæ forsitan vere perhibeantur.*

771. Glossa Reg., *Objicibus — obstaculis dubietatis.* Matthæus : *Ne quando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos.* Hinc *munera vitæ*, vitam.

776. *Clarent*, manifesta sunt. Lib. IV, vers. 148 : *clarebunt.* Nescio cur antiquum verbum vocet Kœnigius. Lucretius, l. VI, vers. 937 : *Quod in primo quoque carmine claret.* Claudianus, de IV consulat. Honorii 191 : *Ventura potestas — Claruit Ascanio.* Alio sensu *clarere* est lucere, alio illustrem, celebrem, seu clarum esse.

Accipite ergo animis, qui sit de semine sensus.
Quisque meum verbum summas dimittit in aures,
Nec sensus recipit stabili præcepta vigore,
Eripit illius totum de pectore dæmon.
236 Hic agro est similis, duro qui germina [calle
Exponit rapidis avibus sine fruge rapinam.
Sunt alii, læto qui pectore nostra receptant,
Sed brevis est illis perceptæ gratia frugis.
Nam si dura premat mentem strictura coercens,
Continuo trepidi produnt sibi credita letho.
His saxosus ager simili levitate virescit.
At spinosus ager curarum mole gravatis
Respondet, pressant quos pondera divitiarum.
Semina sic nostri sermonis pressa gravantur,
Nec fructus sequitur spinarum horrore necatus.
Pinguia sic itidem paribus stant viribus arva.
Illis, qui clare capiunt præcepta salutis,
Quæ penetrant animum sensu tractata tenaci,
237 Centuplicemque ferunt virtutis roborè [frugem.
Hæc tunc discipulis, plebique hæc insuper addit.
Agricolæ simile est regnum sublime Tonantis.
Ille jacit proprio mandans bona semina ruri :
Sed post subrepens hominum insidiando sopori
Trux inimicus adit, loliumque inspergit amārum.
Ecce sed ad fructum culmis cum spiceus horror
Processit, lolio messis maculata redundat.

LECTIONES VARIANTES.

777. Reusch., Ald., *quis sit :* alii, *qui sit*. Litteram s in fine, et initio vocum concurrentem exscriptores interdum non duplicabant : quæ tamen merito duplicanda, ut ait Reuschius.

778. Mss. nostri, *dimittit :* editi partim, *dimittit*, partim *demittit*. Hadam., Fabr., Poelm., in textu, *in auras*. Mss. nostri cum Aldo, *in aures*. Hæc est genuina scriptura. Matth. XIII, 19 : *Omnis, qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus*, etc. Hoc est *verbum Domini summas dimittere in aures*. Nam, ut sermo bene intelligatur, debet intimas aures penetrare, et non in externa parte residere. Hoc sensu Seneca, libr. I de Ira cap. ult : *Non ex alto venire nequitiam, sed summo, quod aiunt, animo inhærere*, videlicet non penetrare. Virgilius, libr. XII, vers. 434 : *Summaque per galeam delibans oscula, fatur*. Hinc proverbium *Summis labris aliquid degustare*. In eadem parabola explicanda Prudentius, l. II contra Symm. vers. 1055 : *Jus cœleste Patris non summa intelligit aure, — Sed simul et cordis segetem disponit, et agri, — Ne minus interno niteant præcordia cultu*. Adisis comment. ad hunc locum.

779. Reg., *Nec velox recipit :* et glossa, *desiderio fervens*. Eadem lectio exstat in Rom. Editi cum Ott : *Nec sensus recipit :* intelligo *stabili vigore sensus*, sive interni auditus, aut etiam mentis, et intelligentiæ. Matthæus : *Omnis, qui audit verbum Dei, et non intelligit*.

780. Reg. *Illius eripiet totum :* Matthæus in præsenti *rapit*.

781. Mss. cum pluribus editis, *Hic agro est similis, duro qui germina calle :* quæ lectio proba est ; innuitur enim semen, quod secus viam accidit. Ald., *Talis agro est similis duro, qui germina farris*. Aldo concinit Basileensis editio, sed in hac desideratur *qui*.

785. Reg , *mentem tribulatio cordis*, quod ab aliquo fortasse factum, qui nescierit quid sit *strictura coercens*, vel glossam in textum invexerit. Favet tamen huic scripturæ evangelicus textus Matthæi : *Facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur*. *Strictura* proprie est massa ferri rudis, quæ malleo stringitur : hinc ponitur a Prudentio, l. II contra Symm. vers. 286, pro ipsa tunsione massæ candentis, et metaphorice ab aliis pro quavis constrictione, seu compressione, ut a Cœlio Aureliano, l. I Acutor., et alibi. Verum in Juvenco restituendum puto *tritura* ex textu græco θλῖψις, *tribulatio, tritura*.

786. Reg., Ottob., Rom., Poelm., pro d. s., *credita letho : senium*, et *mors* herbis passim tribuitur. Alii cum Aldo et Daventr., *credita farra*.

792. In Reg. nunc quidem est *stant viribus arva :* sed aliud apparet abrasum.

793. Ott. *clare*, pro d. s., *clara*. In Rom. et Ald. etiam scriptum est *clare*, non *claræ*, ut in plerisque editis invenitur : et melius certe est *clare*, vel *clara*.

794. Rom., *animam :* alii, *animum*. Reg., Rom, *tractata :* ita etiam fuit in Ott., sed hic factum cum editis est *tractante*.

795. Rom., *Centiplicemque :* ita etiam scribitur pro *Centuplicem*. Vide comment. ad Prudentium hymn. 7 Cathem. vers. ult. *Ditatque fructus fœnerantem centuplex*, ubi pariter nonnulli scribunt *centiplex*.

798. Poelm., mendose, *jacet* pro *jacit*.

799. Rom., *Quod post :* alii, *Sed post*. Ald., et plerique editi, *subripiens* (*homini insidiando*) *saporem*. Poelm., pro d. s., Torn., *hominum insidiando sapori*. Ott., Rom., *hominum insidiando soperi :* quo respicit Reg., *hominum insidiare sopori*. Sabatierius edidit *homini insidiando soporem :* sed fortasse voluit edere *saporem*. Genuina lectio est *hominum insidiando sopori*, ex Matth. XIII, 25 : *Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus*, etc. Verum pro *subripiens* malo *subrepens*, ex conjectura. Reuschius, in lectione vulgata *surripiens* intelligit bona semina, quod ex Evangelio non constat, aut in lectione alia *surripiens saporem*, hoc est, sensum et intelligentiam.

800. Hadam., Fabr., Poelm., scribunt *inspargit :* mss. et alii editi, *inspergit*.

801. Hadam., Fabric., Poelm., *culmus cum spiceus* (*horror*) — *Processit*. Mss. nostri, Ald., Daventr., Bas., recte, *culmis cum spiceus horror — Processit* : et glossa in Reg., *horror — asperitas*. Vide supra, vers. 791.

NOTÆ.

781. *Callis*, ex Servio ad IV n. vers. 405 : *est semita tenuior, callo pecorum prædurata*. Sumitur pro quavis via.

782. *Sine fruge*, quia antequam semen in frugem evadat, volucres illud comedunt.

786. *Produnt letho*, perdunt, quia a doctrina suscepta recedunt.

789. *Pressant*, premunt. Gaudet hujusmodi frequentativis Juvencus, ut *receptant, retentant*.

791. Paulo post, vers. 801 : *Culmis cum spiceus horror*. *Horror* est asperitas.

797. CAPUT XXIX. *Parabola de tritico et zizania*. Matth. XIII, 14 seq. ; Marc. IV, 26. Christianis poetis *Tonans* est Deus. Confer not. ad Dracont. l. I, vers. 1.

800. Lolium amarum est. *Zizania*, ait Cornelius a Lapide, ad cap. XIII Matth., *sua amaritie et malignitate terram, et consequenter triticum ex ea germinans, inficiunt, corrumpunt, strangulant*.

Tum Domino famuli, mirantes talia, fantur :
Nonne bonum terræ semen per terga dedisti ?
Unde igitur lolio turpi tua rura gravantur ?
Sed jam, si jubeas, messem purgabimus omnem,
Triticeusque nitor, selecta sorde, resistet.
238 Tum Dominus miti contra sermone profatur :
Hic dolus est, inimice, tuus, sed farra sinamus
Crescere cum lolio : pleno nam tempore messis
Secretum lolium connexo fasce jubebo
Ignibus exuri : at nostro de semine messor
Horrea nostra dehinc purgata fruge replebit.
Haud aliter simile est, cordis si panditis aures,
Præparvi grano regnum cœleste sinapis,
Quod proprio insinuans disponit cultor agello.
Seminibusque illud minus omnibus esse virentum
Creditur : at justi mox incrementa viroris
239 Sumpserit, erecto transcendit vertice cunctas
Agrorum fruges, ramis ut plumea turba
Colludat, possitque umbras habitare virentes.
Fermento par est munus cœleste salubri,
Quod magna condit mulier sub mole farinæ.
Illa dehinc modico fermenti mixta calore
Conducto, unius coalescit corpore massæ.
Talia tum populo perplexis condita verbis
Promebat, veteris quo possent dicta prophetæ
Ordine seclorum jussis concurrere rebus :
Os aperire meum dignabor, condita mundi
Convolvet ructans varii sermonis imago.
Inde domum repetit serus, turbasque reliquit.

LECTIONES VARIANTES.

804. Planius esset *bonum semen terræ per terga.*

807. Reg., *nitor, electa sorde, nitebit;* et glossa, *seorsum lecta.* Ott., *nitor, selecta sorde, resistet.* Rom., *nitor, selecta sorde, nitebit.* Sic editi, nisi quod Hadam., Poelm., pro *nitebit* præferunt *nitescet.* Pro *selecta*, vel *electa*, bene etiam esset *secreta sorde*, ut vers. 811 : *Secretum lolium*, vel *collecta*, ex Matth. XIII, 28 : *Vis, imus, et colligimus ea ?* nempe *zizania.* Non autem probo *nitor nitebit*, aut *nitor nitescet.* Obscurum est *triticeus nitor resistet :* sed id magis placet, ac fortasse ideo ab ignaris exscriptoribus mutatum est, quia ab eis non intelligebatur. *Resisto* significat manere, permanere. Cicero, l. v Tuscul. c. 28 : *Vita beata . . . . virtutibus omnibus sine ullo animi terrore ad cruciatum profectis, resistet extra fores, ut ante dixi, limenque carceris.* Plautus, Trin. IV, 4 : *Hic meo hero amicus solus firmus restitit, neque demutavit animum de firma fide.*

810. Poelm., in textu *messis*, pro d. s., *messor*, minus bene.

812. Ald., Bas., *messis :* alii, *messor.*

817. Fortasse, *Seminibus illud.*

818. Rom., Reg., Ott., *at justi mox incrementa viroris :* in Reg. videtur fuisse *ac*, et in Ott. scribitur *ad* pro *at.* Editi omnes, *at justi mox ut crementa viroris :* quam scripturam Barthius approbat libr. IV, cap. 24, col. 205, similibus exemplis Aratoris et Strabonis, Fuldensis poetæ. Utitur etiam vocabulo *crementum* Dracontius, Satisfact. vers. 237. Confer. notam ad eum locum. Sed cum mss. nobis exhibeant *incrementa*, id retinere præstat. Rom., pro *viroris*, ad marg., habet *nitoris.* Opportunius certe esset *viroris.* Sed *viror* verbum est bene Latinum, quod ostendi in not. ad Dracontium, Satisfact. vers. 231 : *Numquid mox natas segetes viror armat aristis ?* Kœnigius auctoritate Palladii, l. III, tit. 24, et Apuleii, in Floridis, rejicit Burerum, qui nimis liberaliter asseruerat, nullum exemplum hujus vocabuli reperiri.

821. Reg., *Conludat;* et glossa, *ibi habitans.* Cohæret Rom., in quo scribitur *Colludat.* Alii, *Considat.*

822. Rom., ad marg., *par erit.*

823. Poelm., in textu, Hadam., *Quod condit magna mulier.* Mss. et editi magno numero, *Quod magna condit mulier.*

824. Reg., *colore;* recenti manu, *calore.*

826. Ald., Bas., Poelm., pro d. s., *dum :* reliqui, *tum.*

827. Reg., Ott., *possint :* Rom. cum editis, *possent.* In Reg., *veteres* error est pro *veteris :* nam glossa, in *prophetæ—David psalmographi* aperte postulat *veteris.* Mendum etiam est in Had., *quo poscent.*

830. Ott., *Convolvit*, ex quo videtur factum *Cum volvet.* In Rom., *vani sermonis*, corrige per *varii sermonis.*

831. Ald., Torn., Bas., *sero :* elegantius alii, *serus*, nam poetæ adjectiva interdum loco adverbiorum usurpant. Lucanus, Horatius, *serus* pro *sero.* Rom., *reliquit :* Reg., Ott., utramque lectionem repræsentant, *relinquit* et *reliquit :* editiones variant. Sententia eadem est. Reg., Ott., *Explicit liber secundus. Incipit liber tertius.*

NOTÆ.

804. *Terræ per terga :* recole not. ad vers. 671, l. I.

811. *Secretum*, separatum a tritico.

814. CAPUT XXX. *Parabola de grano sinapis.* Matth. XIII, 31 seqq.; Marc. IV, 31 ; Luc. XIII, 19.

815. *Præparvi :* non liquet, alium ante Juvencum hoc vocabulo usum. Alii dicunt *perparvus :* sed Juvencus alio modo solet hæc nomina formare, ut *præsolidus*, etc.

816. *Insinuans*, inserens, injiciens, ac velut in sinum terræ condens. Eleganter ita poni hoc verbum, ait Kœnigius.

817. *Virentum*, substantivi more. Confer not. ad l. I, vers. 682.

820. Dracontius, l. II, vers. 240 : *Exilit inde volans gens plumea læta per auras.*

822. CAPUT XXXI. *Parabola de fermento.* Matth. XIII, 33 seq. ; Lucæ XIII, 20.

825. Glossa Reg., *Conducto—mixto simul.* Reuschii nota hæc est : Ex quantitate farinæ discreta fit panis quantitas continuata.

828. Supra, vers. 346, *concurrere tempus.*

830. *Ructans*, ex sacro codice : *Aperiam in parabolis os meum : eructabo abscondita a constitutione mundi.* Hanc metaphoram e sacris litteris petitam indecoram non esse in Latino idiomate, probavi contra Cellarium in comment. ad Prudent. vers. 93, Apoth. : *Protulit imperium patrio ructata profundo.* Eadem est ratio de phrasi *evomere verba*, quam inter hebraismos nonnulli recensent.

LIBER TERTIUS

240 Fuderat in terras roseum jubar ignico- A
[mus sol.
Discipuli rogitant, Lolii quid quæstio vellet,
Et segetis : clarus quibus hæc depromit Iesus :
Optima qui farris commendat semina glebis,
Filius est hominis : mundum sub nomine ruris
Accipite, atque homines puro pro semine justos.
At Lolium infelix cooperti dæmonis arte
Sunt homines : inimicus erit, vis horrida, dæ-
[mon.
Extremus mundi finis pro tempore messis.
Messores patrii venient per rura ministri,
Quos hominis natus proprii de corpore regni
Colligere erroris laqueos, labemque jubebit,
241 Collectosque simul rapidis exurere flammis.
Dentibus hic stridor semper, fletusque perennis :
Secretisque piis veniet lux aurea vitæ,
Sedibus ut cœli vibrantur lumina solis.
Hæc docuit, patriamque redit Salvator in urbem,
Illic expediens populis (mirabile dictu)
Justitiæ leges, vitæque salubria jussa,
Virtutes patrias simul insinuando docebat.
Tunc livore gravi plebes commota suorum,
Præsentisque simul Domini miracula volvens,
Et generis noti reputans ex ordine gentem,
Hæc inter sese mussanti voce susurrant :
242 Nonne hic est fabri soboles, cui nomen
[Ioseph ?
Non Maria est genitrix ? non fratrum nota propago
[est ?

LECTIONES VARIANTES.

Versu 1. Ott., Rom., *in terris :* Reg. cum editis, B *in terras.*

2. Ott., *velit*, factum, ut videtur ex *vellet.* Lex carminis poscit *vellet.*

3. Reg., *Et segetis, Christus quibus :* cæteri, *clarus*, pro *Christus.*

10. Mss. Reg., Ott., Rom. cum Torn., Poelmann., pro d. s., et Gallandio, *patrii.* Ald., Daventi., Hadam., *patris.* Pro *venient* Ald., Bas., *veniunt.* Retineo *venient.*

12. Ott., *Corrigere :* in Reg. fortasse etiam fuit *Corrigere*, nunc est *Colligere*, quod verbum ex re ipsa et ex sententia Evangelii unice verum esse ostenditur.

14. Rom., Reg., Ald., Poelm., pro d, s., *fletusque perennis.* Alii cum Ott., *luctusque perennis.* Tum in Vulgata, tum in versionibus antiquis hoc loco vocabulum *fletus* adhibetur. Putabam *Dentibus hic.*

17. Reg., Rom., *Servator :* alii cum Ott. *Salvator.* In Rom., *primamque* mendum videtur pro *patriamque.*

20. Rom., *primas :* lege *patrias.*

24. Ott., Rom., *sese musitanti voce volutant.* Reg., *sese mussanti voce susurrant.* Ald., Hadam., Poelm., in C textu, Reusch., Torn., *sese summissa voce volutant.* Fabric., Poelmannus, pro d. s., Gallandius *sese mussanti voce volutant.* Placet præ cæteris scriptura Reg., *sese mussanti voce susurrant. Mussare* est clam murmurare, apud Virgilium et alios. Inde fit frequentativum *mussito*, quod in Ott. et Rom. male exprimitur per *musitanti :* neque metrum patitur, ut dicatur *mussitanti. Susurrare* simili modo est occulte sermones serere. Ovidius, Heroid. epist. ultim. vers. 233 : *Is quoque, nescio quam, nunc ut vaga fama susurrat,—Neglectam queritur testis habere fidem.* Hinc *susurrones* ab scriptoribus christianis dicti, qui occulte maledicunt, et dissensiones susurris inter alios moliuntur.

25. Rom., *Nun hic :* fortasse librarius scribere voluit *Numne hic.* Ald., Bas., *soboles fabri :* alii, *fabri soboles.*

26. Ott., *Non Maria genetrix?* sine *est.* Rom., Ald., *Num Maria est genitrix? num fratrum nota propago est?* Alii, *Non Maria est genitrix? non fratrum nota propago est?* Omitto Vallam, qui *Mariam* in nominativo semper legendum putat, ut *Adam, Abraham.*

NOTÆ.

Vers. 1. CAPUT I. *Interpretatur discipulis parabolam de zizania.* Matthæi XIII, 36 seqq. Primum hunc versum Juvencus de suo addidit. Matthæus solum ait : *Tunc dimissis turbis, venit in domum ; et accesserunt ad eum discipuli ejus dicentes : Edissere nobis parabolam zizaniorum agri.* Lib. IV, vers. 151, stellæ dicuntur *ignicomæ.* Voce *ignicomus* Ausonius et Nemesianus usi sunt, Avienus etiam *ignicomans* dixit. Comas soli, stellis, immo et igni passim tribuunt poetæ. Hinc etiam *sol auricomus.*

7. Virgilius, eclog. 5, vers. 37 : *Infelix lolium, et steriles dominantur avenæ.* Isidorus, libr. XVII. Orig. cap. 9, num. 132 : *Zizania, quod poetæ semper infelix lolium dicunt, quod sit inutile, et infœcundum.* Syntaxis est : Homines cooperti arte dæmonis sunt lolium infelix, inutile. *Cooperti dæmonis arte* ab Evangelista dicuntur *filii nequam.*

8. Sensus est : Inimicus erit dæmon, vis horrida. *Vis horrida* casus appositus. Libr. I, vers. 420, D dæmon dicitur *vis livida.*

12. Hoc l. vers. 38 : *Erroris labem*, et vers. 402, *Erroris laqueos ;* et l. IV, vers. 732, rursus *Erroris laqueos.* Sic exponit vocem *scandala*, ut l. I, vers. 559 : *Si te forte oculi dextri laqueaverit error ;* et l. IV, vers. 98 : *Credulitas laqueis errantum præcipitetur.*

15. *Secretis*, segregatis. Mox. vers. 96 : *Secretusque dehinc Genitoris numen adorat.* Virgilius, l. VIII, vers. 670 : *Secretosque pios, his dantem jura Catonem.*

16. Sacer codex : *Tunc justi fulgebunt, sicut sol in regno Patris eorum.* Pro fulgent ponitur *vibrantur*, pro quo alii dicunt *vibrant*, ubi intelligitur accusativus *flammas*, aut aliquid simile. *Vibrare* proprie est projicere, concutere. Virgilius, VII Æn. vers. 524 : *Vibratus ab æthere fulgor.*

17. CAPUT II. *Prophetam in patria sua sine honore esse.* Matth. XIII, 53 seq. ; Marc. VI, 1 ; Luc. IV, 16 ; Joann. VI, 42.

18. *Expediens*, explicans, exponens. Elegantia nota.

20. *Insinuare se* est aditum sibi facere ad causam. Interdum usurpatur *insinuare* neutrorum more sine accusativo, qui facile subauditur. Hoc loco potest idem accusativus *virtutes* deservire pro *insinuando*, et *docebat*, ut sæpe evenit apud Juvencum. Insinuatio rhetorica quid sit, docet Cicero, l. I de Invent. cap. 15.

21. *Situm*, civium scilicet. De simili loquendi ratione consule not. ad Dracont. l. III, vers. 255.

Unde igitur legis doctor, tantæque minister
Virtutis, cedit cui labes victa laborum ?
Nazara sic plebes : cui talia reddit Iesus :
Temnuntur propriis miracula semper in oris,
Et sine honore manent patria sub sede prophetæ.
Talibus indignans pressit sua munera Christus.
Interea ad regem volitabat fama superbum,
Quod mala cuncta illius virtus divina domaret.
243 Sed putat Herodes, lethi quod lege remissus
Tanta, ut Joannes, virtutis dona teneret.
Nam quondam cernens liventi pectore dæmon,
Erroris labem puris quod solveret undis
Justus Joannes, damnis accensa malorum
Tunc petit Herodem pestis sævissima regem,
Et facile injusti penetrans habitacula cordis,
Accumulare feris subigit scelera impia gestis.
Arserat illicito Herodes accensus amore
In thalamos fratris, sancto quod jure vetabat
Doctus Joannes. Feritas sed nescia recti
Subjecit leges pedibus, fruiturque nefandis
Connubiis, ipsumque super, quia prava vetabat,
244 Carceris immersit tenebris, vinclisque gravavit.
Sanguine nam justi primo compressa timore
Abstinuit sitiens feritas, quia magna prophetam
Plebis Joannem veneratio suspiciebat.
Natali sed forte die cum læta tyrannus
Herodes celsis strueret convivia tectis,

LECTIONES VARIANTES.

27. Reg., Ottob., Daventr., *tantæque minister.* Rom. et pleræque editiones *tantæque magister.* Matthæus solum ait : *Unde igitur huic omnia ista?* Comprehendit autem doctrinam, et miraculorum potestatem. Lego igitur *minister*, quod Reuschius etiam prætulit.

28. Reg., Rom., *labes cuncta :* editi cum Ott., *labes victa.* Reg., Ottob., Hadam., Poelm., in textu, *laborum.* Rom., Ald., alii, *malorum.* Reuschius tenet *laborum*, quia *labores* pro malis, ipsisque morbis sæpe ponuntur. Confer infra, vers. 209, et l. IV, vers. 282.

29. Reg., *Gazara :* lege *Nazara.* In Ott. fuit *sit*, supra factum *sic.*

31. Rom., *patria*, cum reliquis, sed ad marg., *propria.*

34. Mss. nostri cum editis, *illic*, et glossa in Reg., *in regno ejus.* Cantabr., *illi*, quod prætulit Reuschius; nempe quod virtus divina Christo, vel in gratiam Christi domaret omnia mala : de qua constructione legendi grammatici Scioppius et Sanctius. Præstat legere *illius*, duabus postremis syllabis per synæresin contractis, ut libr. II, vers. 298, in eadem voce dictum est. Matthæi verba sunt XIV, 1 : *Audivit Herodes tetrarcha famam Jesu;* et Marci VI, 14 : *Et audivit rex Herodes* (*manifestum enim factum est nomen ejus*), *et dicebat :* et in versione antiqua ex ms. Colbert. : *Cum audisset autem Herodes rex* (*manifestum enim fuerat ei nomen ejus*), *et dicebat :* ex alio vero ms. Corbei. : *Et audivit rex Herodes* (*manifestatum enim fuerat illi nomen ejus*), *et dicebant.* Sic Sabatierius : fortasse scribendum fuit *et dicebat.*

36. Crederem, legendum *Tantæ Joannes.* Hoc loco Matthæus ait : *Hic est Joannes Baptista : ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo.* Lectio vulgata hunc sensum reddere potest : Putat Herodes, quod teneret virtutis tanta dona, ut Joannes lethi lege remissus.

42. Ott., *subegit*, correctum per *subigit*, quod habent alii. Rom., *subiit*, minus bene.

44. Reg., Ald., Torn., Bas., Reusch., *casto.* Ott., Rom. cum aliis editis, *sancto.*

45. Reg., Torn., *Sanctus Joannes.* Alii, *Doctus Joannes* : ita etiam Ott., ubi, a pr. m., scriptum fuerat *Dotus.* Suspicari licet *sancto quod jure vetabat* —*Castus Joannes.* Conjiciebam *nescia flecti :* sed ubique invenio *nescia recti*, neque id sane mihi displicet.

47. Mss., pluresque editi, *ipsumque.* Ald., Hadam., alii, *justumque.* Pro *quia* legitur *qui* in Hadam., et Poelm., in textu.

48. Ott., *gravabit :* lege *gravavit.*

49. Poelm., pro div. s., *justi promotio pressa timore.* Lectio aliorum omnium clarior, et verior est *justi primo compressa timore.* Reuschius aliam lectionem innuit, *promoto pressa timore*, videlicet continuato timore : sic enim hariolatur.

51. Ott., Rom. cum plerisque editis, *suscipiebat.* Reg., *suspiciebat*, quod in Torn. editum est, et mihi magis probatur. Facile hæc duo *suscipere* et *suspicere* in mss. confunduntur. Matthæus, XIV, 5, sic habet : *Et volens illum occidere, timuit populum, quia sicut prophetam illum habebant.* Confer vers. 685 hujus libri.

53. Reg., *celsis instrueret convivia mensis*, supra *tectis* tamquam diversa lectio : sed *instrueret* cum metro non cohæret.

NOTÆ.

31. *Sub* pro *in :* non semel id notatum in Juvenco, et in Dracontio, ac sane notatione dignum est.

32. *Pressit*, suppressit : simplex pro composito, ut *vertere* pro evertere.

33. CAPUT III. *Joannis caput in disco positum.* Matth. XIV, 1 seq.; Marc. VI, 14; Luc. III, 19.

35. *Lethi lege.* Albinovanus de morte Drusi ad Liviam, vers. 360 : *Omnia sub leges mors vocat atra suas.* Sic *lex tartari*, *leges inferorum.*

39. Dæmon, pestis sævissima damnis accensa malorum, etc. Orcus insatiabilis est. Dracontius, l. II, vers. 531 : *Tartarus infelix numquam satiabilis umbris.* Adisis notam ad hunc locum.

42. *Subigit*, adigit Herodem. Per *scelera impia* notatur impudicitia, per *fera gesta* crudelitas. Rursus, vers. 61 : *Illa sed horrendæ servans scelera impia matris. Scelus* de venere a scriptoribus sequioris ævi frequenter usurpatur.

46. Virgilius, l. II, Georg. vers. 491 : *Atque metus omnes et inexorabile fatum — Subjecit pedibus.*

47. Fortasse ex eodem Virgilio, libr. II Æn. vers. 84 : *Quia bella vetabat;* ut passim multa alia ex principe poetarum sumit, quorum quædam, ut sese nobis offert occasio, indicamus, omnia infinitum esset persequi.

52. Natales dies olim magno apparatu et pompa celebrabantur. Scripsit Censorinus de die natali : scripsit etiam inter recentiores Martinus Roa, qui peculiarem librum inscripsit *De die natali sacro et profano.*

53. *Struere et instruere* verba propria de conviviis et mensis. Sic *struere penum, mensam, altaria donis.* Tacitus l. XV Annal. c. 37, dixit etiam *struere convivia.* Conler commentar. ad Prudent. hymn. V Cathem. vers. 140.

Luxuriæ quoniam conjuncta superbia gaudet,
In medio juvenum reginæ filia virgo,
Alternos laterum celerans sinuamine motus,
Compositas lusit cantu modulante choreas.
Ipse sed in primis, mirata virginis arte,
245 Attonitus stupuit: tunc præmia cuncta pa-
[tere
Juratus spondet, quæcumque puella petisset.
Illa sed horrendæ servans scelera impia matris,
Urget, Joannis caput a cervice revelli,
Et lance inferri præsentia munera poscit.
Præsentum Herodes procerum sub pondere tris-
[tis,
Jurandique memor juris tamen, imperat ægre,
Insontis caput inferri, tradique puellæ.
Illa (nefas!) matris scelerata ad gaudia portat.
246 Corporis at lacerum flentes sine nomine
[truncum
Discipuli condunt terræ, Christumque sequuntur.
Ille ubi cognovit justi miserabile lethum,
Deserit insonti pollutam sanguine terram,
Frondosaque latet secretæ vallis in umbra.
Sed populi immensæ virtutis dona sequuntur.
Ille ubi credentum turbas in valle remota
Convenisse videt, morborum tabe repulsa,
Corpora subjecit miseratus multa medelæ.

LECTIONES VARIANTES.

57. Mss. nostri Reg., Ottobon., Rom., *Compositas lusit cantu modulante choreas.* Editi omnes, *Compositas cithara jungit modulante choreas.*

58. Reg., *miratus virginis artem*, quod elegantius est, quam *mirata virginis arte*: sed cum id in aliis mss., et editis constanter asseratur, nihil est causæ, cur lectionem communem sollicitemus, præsertim cum apud antiquos, Varronem, et Pomponium, *miro, miras*, in usu fuerit, quod passim accidit in similibus verbis deponentibus. Infra, vers. 85: *Genitore precato.*

59. Poelm., Fabr., *nunc*: melius alii cum Rom., *tunc*. Editi cum Reg., *patere*. Ott., Rom., *parare*, quod exhibent tres codices apud Reuschium, pro *paraturum esse*. Is tamen a Vulgata non recedit. Ita loquitur Cicero, pro Balbo, c. 9: *His præmiis... quæ pateant stipendiariis, pateant hostibus, pateant sæpe servis.*

60. Poelm., *Iratus spondit*: lege *Juratus spondet.*

63. Reg., Ott., *poscens*, non absurde, si ita interpungas: *Urget, Joannis caput a cervice revelli,— Et lance inferri præsentia munera poscens.* Rom. cum editis, *poscit.*

65. Poelm., pro d. s. *æger*: in textu cum reliquis *ægre*. Nonnulli sic interpungunt: *Jurandique memor juris, tamen imperat ægre.*

67. Fere omnes ita edunt hunc versum: *Illa nefas matris scelerata ad gaudia portat.* Fabricius apposite distinxit: *Illa (nefas) matris scelerata ad gaudia portat*, et in secundo Indice animadvertit, hoc loco *nefas* per parenthesin esse indignantis particulam. Ut *malum*, sic *nefas* interdum sermoni interseritur more interjectionis. Virgilius, libr. VIII, vers. 688: *Bactra vehit, sequiturque (nefas!) Ægyptia conjux.* In Ott. nunc legitur *matri*, sed fortasse fuit *matris*. Sententia eadem est, sive *matri*, sive *matris* legamus. Probabilius tamen est, Juvencum scripsisse *matris*, ut l. II, vers. 409: *Surgere mox jussit miranda ad gaudia patris.*

68. Ald., *ac*, pro *at*.

71. Reg., Ott., Hadam., Poelmann., in textu, Reuschius, *insonti*. Rom., Ald., Torn., Bas., *insontis*.

72. Reg., *secreta*, ex quo factum *secretæ*. Jam enim præcessit *Frondosa*.

75. Ott., *vidit*; supra, recte, *videt*.

NOTÆ.

55. Matthæus hæc breviter: *Die autem natalis Herodis saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi.* De voce *juvenum* pro virorum, hominum, dictum est ad vers. 332 l. II. Hic significare potest proceres, ex vers. 64: *Præsentum Herodes procerum.* Lipsius, Elect. II, 1, notat, equites interdum *juvenes* vocari. *Filia virgo* est filia *puella*, ut vocatur a Marco.

56. Elegans descriptio puellæ scite saltantis. Docebantur enim olim, ut nunc, puellæ saltare. Horatius, l. III, od. 6: *Motus doceri gaudet Ionicos — Matura virgo, et fingitur artubus — Jam nunc, et incestos amores — De tenero meditatur ungui.* Confer Juvenalem, sat. 11, vers. 162 seqq.; Statium, lib. I, silv. ult. vers 71; et Martialem, multis in locis de puellis, præsertim Gaditanis.

60. *Petisset*. Conferri huc possunt, quæ Ovidius cecinit de juramento, quo se Phœbus Phaetonti obligavit Metam. liv. II, vers. 44 seqq.

61. *Servans*, observans: *scelera impia*, supra, vers. 42.

64. Sacer textus Matthæi sic habet, *Et contristatus est rex: propter juramentum autem, et eos, qui simul recumbebant, jussit dari.* Juvencus innuere videtur, Herodem contristatum propter præsentes proceres, nisi ita verba disponas: *Herodes tristis, tamen sub pondere præsentum procerum, memorque jurisjurandi*, etc. Intelligi etiam potest, Herodem contristatum fuisse propter proceres, et juramentum, quia his ipsis causis se impelli sentiebat ad cædem Joannis Baptistæ imperandam.

67. In Vulgata sic pergit Matthæus: *Jussit dari. Misitque, et decollavit Joannem in carcere. Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et attulit matri suæ.* Codex Colbert. Italicæ versionis sic narrationem contrahit: *Jussit dari puellæ. Puella autem attulit matri suæ.* Hanc contractam narrationem confirmat Juvencus, uti etiam Hilarius, qui ad hunc locum solum ait: *Et Herodes, tristis licet, sacramento fidem reddidit. Et matri puella munus exhibuit.* Etsi enim postea Hilarius dicat: *Inter reliqua dissoluti populi gaudia in disco Joannis caput affertur*, tamen hoc ex antecedentibus, vers. 8, petitum est: *At illa præmonita a matre sua, Da mihi, inquit, in disco caput Joannis Baptistæ.*

68. Glossa Reg., *sine nomine—capite, vel cognitione.* Juvencus Virgilium imitatur l. II Æn. vers. 557: *Jacet ingens littore truncus,— Avulsumque humeris caput, et sine nomine corpus.* Adisis not. ad Dracont. l. III, vers. 473. Reuschius putabat, referri id posse ad discipulos, quorum nomina non innotuerunt.

69. *Condunt terræ*: vide vers. 24 l. II.

70. CAPUT IV. *Quinque panibus et duobus piscibus quinque hominum millia Jesum satiasse.* Matth. XIV, 13 seqq.; Marc. VI, 31; Luc. IX, 10; Joann. VI, 1.

72. *Secretæ*, separatæ, occultæ.

73. *Dona sequuntur*, videlicet ipsum auctorem donorum. Vel appetunt dona: nam id etiam significat *sequor*.

76. *Corpora multa*, nempe multos homines. Passim enim *corpus* pro homine usurpat. *Subjecit medelæ* pro sanavit, aut curavit: nove hoc et aliis locis a Juvenco dictum videatur, cum de salute divinitus concessa sermo sit.

Jamque sub extremo labentis lumine
Discipuli Christo suadent dimittere turbas,
Ut sibi quisque paret quærens per compita victum.
247 Ille jubet cunctis ibidem convivia poni.
Discipuli ostendunt, nihil amplius esse ciborum
Ni pisces geminos et farris fragmina quinque.
Hoc, inquit, satis est. Tum mox discumbere [plebem,
Gramineisque toris jussit componere membra.
Suspiciensque dehinc cœlum, Genitore precato,
Ipse duos pisces et quinque ex ordine panes
Dividit, et dapibus mensas oneravit opimis.
Jamque expleta jacet (dictu mirabile) plebes,
Relliquiasque dehinc mensis legere ministri,
Bissenosque sinus cophinorum fragminis im- [plent.
248 Cœnatum numerus tum millia quinque [virorum,
Præterea populus matrum fuit et puerorum.
Discipulis tunc inde jubet conscendere navem,
Et transire fretum, donec dimitteret omnes,
In sua quemque, viros. Tunc montis celsa pe- [tivit,
Secretusque dehinc Genitoris numen adorat.
Jamque soporata torpebant omnia nocte,
Cum puppis medio sulcabat in æquore fluctus,

LECTIONES VARIANTES.

79. Reg., Ott., *competa*. Rom., *compita*.

80. Ald., Daventr., Torn., Bas., Reusch cum nostris mss., *ibidem* : editi alii, *illic*, de qua varia lectione vide notata ad libr. II, vers. 604. Conferendus Vossius, de art. Gramm. l. II, p. 249, c. 20, qui nonnullos legere *itidem* affirmat.

81. Reg., Ott., *nil* : Rom., *nihil*, quod editi referunt. In Rom., mendose, *condunt*, pro *ostendunt*.

82. Ald., Bas., *Quam pisces* : reliqui *Ni*.

83. Rom., *inquam* : ad marg., *inquit*, cum cæteris. Alii, *tunc* ; alii, *tum* scribunt.

85. Ott., *Suscipiensque*, bene correctum, sec. ms., *Suspiciensque*.

90. Ald., *Bis senosque sinus cophinorum fragmina complent*. Alii, *cophinorum fragminis implent*. Fabricius ita etiam edidit, et in comment. notat, *fragminis* esse græcismum, ut hoc ipso libro, vers. 760, *compleo* invenitur cum genitivo : *Complentur mensæ mixtæ sine nomine plebis*. Monet tamen Fabricius, utrumque locum in editione Rotomagensi esse mutatum. Crediderim, Rotomagensem editionem cum Aldina facere. *Impleo* cum genitivo usurpavit Virgilius lib. I Æn. vers. 219 : *Implentur veteris bacchi, pinguisque ferinæ*. Sic etiam *compleo* cum genitivo non semel occurrit apud Plautum, et militer *completus* apud Juvencum, h. l. vers. 253 seq. : *Sportasque referri — Vidistis rursus completas relliquiarum*. Possis etiam conjicere *cophinorum fragmine complent*.

93. Reg., *tunc ipse jubet* ; et glossa, *ipse — Christus*. Alii omnes, *tunc inde jubet*. Rom. cum nonnullis editis scribit *navim*.

95. Ott., *In sua quæque viros* : sed videtur correctum per *In sua quemque viros*, quod elegantius est. Frustra alios id mutare conatos esse hoc modo : *In sua quæque viros*, observatum fuit a Kœnigio *Suum* est res sua cujusque ; sic *sua* in plurali. Joann. XIX, 27 : *Accepit eam discipulus in sua*. Textus Græcus, *in propria*. Vide notam Vulpii, ad carm. 63 Catulli, vers 277. Eleganter etiam dicitur *omnes viros, quemque in sua*. Ovidius, III, Trist. el. 4, vers 64 : *Dicere quos cupio nomine quemque suo*. In Reg., *montis* ; emenda per *montes*.

96. Reg., Ott., Daventr., Ald., Torn., Bas., *nomen*. Rom. cum Hadam., Poelm., Fabr., *numen* : quod retinendum censeo, quamvis non mihi displiceat *nomen*, quasi *orat nomen Genitoris* ; nam *adorat* pro *orat* poni potest, et Evangelistæ, Matthæus et Joannes verbo *orare* utuntur.

98. Ott., *fluctum* ; supra, *fluctus*.

NOTÆ.

77. Libr. III, vers. 564 : *Ultima labentis restabat portio lucis*.

79. *Per compita* : Matthæus ait : *Euntes in castella*. *Compitum*, et sæpius in plurali *compita*, est locus ubi plures viæ confluunt, seu competunt. Sed cum in pagis agrestes convenirent ad compita, buccina convocati, vel ut concilia sua haberent, vel ludi, aut sacrificii causa, non absurde id nomen ad castella designanda trahitur. Virgilius, II Georg. 382 : *Præmiaque ingentes pagos, et compita circum — Theseidæ posuere*. Kœnigius statuit, *compita* pro vicis et pagis abusive a Juvenco poni.

80. *Convivia poni*, hoc est, apponi. Martialis, l. VIII, epigr. 22 : *Invitas ad aprum : ponis mihi, Gallice, porcum*. Sic hoc verbo Cato, Juvenalis, alii utuntur. De verbo *appono* tali sensu plura exempla profert Arntzenius ad Sedulii prologum, vers. 11, pag. 29.

82. *Fragmina*. Schœttgenius putat, Juvencum alludere ad panes Hebræorum, qui ita præparati erant, ut facilius, quam nostri, frangi possent.

84. Virgilius, l. VIII, vers. 176 : *Dapes jubet, et sublata reponi — Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili*.

85. *Precato*, passive, ut *precantur* passive apud Nonium, c. 7, n 104, ex Eumenid. Varronis. Priscianus etiam, l. VIII, testatur, veteres dixisse *preco* pro *precor*. Ausonius, in Ephemer. : *Deus precandus est mihi*.

86. *Ex ordine* : Matthæus ait : *Et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis*.

87. Virgilius, l. IV Georg. vers. 133 : *Dapibus mensas onerabat inemptis* ; et l. III Æneid. vers 224 : *Exstruimusque toros, dapibusque epulamur opimis*.

88. Virgilius, l. III Æneid. vers. 630 : *Nam simul expletus dapibus*. Confer not. ad Dracont. l. III, vers. 71 : *Dapibus conviva repletus*.

90. *Fragminis*, fragmentorum, ut legitur in Evangelio. De voce *cophinus* vide not. ad vers. 249 h. l.

92. *Populus*, multitudo magna. Vide not. ad vers 322 l. I : feminæ, et pueri numerari non solebant. Consule not. ad vers. 219 h. l. : *Nec numero quisquam matres, puerosque notavit*. Nomine *matrum* feminas quas vis a poetis comprehendi, notum est.

93. CAPUT V. *Jesus super mare ambulat, et Petrum mergentem manu apprehendit*. Matth. XIV, 22 seqq., Marc. VI, 45 ; Joann. VI, 15.

96. *Secretus* : vide not. ad vers. 15 h. l.

97. Melius cohærebit *soporata* cum *omnia*, quam cum *nocte* : quamvis sic oporteat producere ultimam in *soporata* ratione solius cæsuræ, quod non obstare Kœnigius censet. Omeisius ex Lucano l. II. profert *nox sopora* : Virgilius etiam l. VI Æn. vers. 390. *Umbrarum hic locus est, somni, noctisque soporæ*. Sed aliud esset *nox soporata*.

98. *Sulcare* apte tribuitur navi secanti fluctus. *Medium* est, quod æqualiter distat a duobus extremis : sed accipi solet pro eo, quod est inter duo, vel plura, quamvis non æqualiter ab omnibus distet. Virgilius III Æn. vers. 270 : *Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos, et* L. X, vers. 305 : *Solvitur, atque viros mediis exponit in undis*.

249 Jactata adverso surgentis flamine venti. A
Ast ubi jam vigilum quarta statione premebat
Noctis iter, rapidos attollens lucifer ortus,
Fluctibus in liquidis sicco vestigia gressu
Suspensus carpebat iter, mirabile visu!
Jamque propinquabat puppi, sed nescia nautæ
Attoniti tremulo vibrabant corda pavore,
Clamoremque simul confusa voce dederunt.
Tum pavidis Christus loquitur : Timor omnis [abesto,
Credentumque regat vegetans constantia mentem.
En ego sum, vestræ doctorem noscite lucis.
250 Olli confidens respondet talia Petrus :
Si tua nos vere dignatur visere virtus,
Me pariter permitte tuo super æquora jussu
Fluctibus in liquidis immersos figere gressus. B
Annuit his Dominus : navem mox linquere Petrus
Audet, et innixus figit vestigia ponto.
Verum ubi tantarum mentem miracula rerum
Terrificant, ventique minas crebrescere cernit,
Paulatim cedunt dubio liquefacta timore,
Quæ validum fidei gestabant æquora robur.
Jamque Simon, medio summersus corpore, cla- [mat :
Fructibus horrendis pereuntem deripe, Christe.
Dextera confestim protenditur obvia Petro,
Et dubitata fides verbis mulcetur amaris,
Ascensæque rati contraria flamina cedunt.
251 Præsentemque dei sobolem stupuere ro- [gantes
Cuncti, navigio socios quos casus habebat.
Transierat tandem sulcans freta fervida puppis,
Optatumque gravis comprenderat anchora por- [tum.
Conveniunt populi rapido per littora cursu,
Portantes ægros, vestisque attingere fila

LECTIONES VARIANTES.

101. Ott., *attollit*; legendum, *attollens*.
103. Reg., *mirabile dictu* : melius cæteri, *mirabile visu*.
106. Ald., *confusa mente*.
107. Mss., *Tum*; editi, *Cum*, vel *Tum*.
108. Reg., *Credentum regat* : metri lex exigit *Credentumque regat*. Ott. et a pr. m. Reg. scribunt *vegitans*.
110. Rom., Ald., *respondit* : alii, *respondet*.
113. Reg., *non mersos*; reliqui *immersos* : cujus glossa, sive explicatio, est *non mersos*. Re vera *immersus* apud plerosque scriptores idem est, ac *mersus*. Sed præpositio *in* in hujusmodi compositis interdum negat : ex quo duplex contraria oritur significatio, ut *intectus* accipitur pro *tecto*, et pro *non tecto*. In Torn. mendum erat *vigere*, quod Latinius in Bibliotheca sua emendavit per *figere*. C
114. Reg., *post* pro *mox*. Rom. scribit *navim*.
119. Rom., *æquore* : sensus postulat *æquora*.
121. Reg., Ott. cum multis editis *deripe* : Rom. cum aliis *diripe*.
122. In Ottob. videtur fuisse a pr. m. *prætenditur* : quod sane non displicet. Communis scriptura est *protenditur*.
124. Ott., et Rom. scribunt *Ascenseque*, non *Ascensæque* : fortasse legendum *Ascensaque rati* in auferendi casu. In Reg. glossa est *Ascensæque — a Christo*. Matth. XIV, 32 : *Et cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus*. In antiqua vero versione ex ms. Colb., *Et cum ascendisset in naviculam, cessavit ventus*. Sic etiam, aut simili modo alii veteres codices : sed Cantabr., *Et ascendentibus in navi, quievit ventus*. Sabatierius pro d. s. in Juvenco exhibet *flamina*, et ipse præfert *flumina*, quod, nescio, ubinam invenerit : nam mss., et editi, quos vidi, habent *flamina*, et textus Evangelii requirit *flamina*.
126. Ald., *Cuncti navigio socii, quos* : melius alii *socios*, sed in plerisque minus opportune distinguitur *rogantes*, — *Cuncti navigio socios quos casus habebat*.
130. Rom., *adjungere* : lege *attingere*.

NOTÆ.

100. Matthæus : *Quarta autem vigilia noctis*. Quatuor erant vigiliæ noctis, quarum singulæ tribus horis constabant : hæ autem tres horæ æstivo tempore breviores erant, hiemali longiores. *Statio* est locus, ubi milites stant præsidii causa, et sumitur pro ipsis militibus, pro custodia, et vigilia. Hinc origo nominis stationum ecclesiasticarum, de quibus magna doctrinæ copia agit V. C. D. Gaspar Bertalazone Can. Reg. Lat. Abbas perpetuus in Dissert. de Festis part. II, cap. 5., ac rursus in opere De jejunio.
103. *Suspensus*, sublatus, non mersus. Virgilius l. VII, vers 810 : *Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti — Ferret iter*. Plinius l. VIII, ep. 20 : *Radix aqua pariter suspensa, et mersa*. D
105. *Nautæ vibrabant corda pavore* videtur figurate dictum pro *pavor vibrabat corda nautarum*. Claudianus l. III de Rapt. Pros. v. 152 : *Imis vibrat tremor ossa medullis*. Ovidius Heroid. epist. 11, vers. 77 : *Sic mea vibrari pallentia membra videres*.
107. *Timor omnis abesto* ex Virgilio l. XI. Vide etiam Prudentium l. II contra Symm, v. 736.
108. Matthæus : *Habete fiduciam : ego sum : nolite timere*. Juvencus aliam versionem viderat, quæ exstat in mss. Sangerm. I, Corb. I et 2, Clarom., *Constantes estote : nolite timere : ego sum*; sed in Corb. I solum est : *Constantes estote, et nolite timere*. Hilarius ad hunc locum : *Quibus mox Dominus locutus est, et constantes esse jussit*; et postea : *Dicet : Ego sum. Vegetans constantia* est fides, quæ vers. 677 l. II dicta est *credendi substantia*.
117. *Terrificant* : verbum Lucretii, Virgilii, Statii, et aliorum poetarum. Probum pariter verbum est *crebrescere*, sive, ut alii scribunt, *crebescere*.
118. *Liquefacta*, quia Petrum antea sustinuerant, perinde quasi solida essent.
119. *Validum fidei robur*, fidem, cum robusta erat, et valida. Similis phrasis occurrit h. l. vers. 191, 277. Vide not. ad l. I vers. 478.
122. Matthæus : *Extendens manum, apprehendit eum*. Juvencus dexteram nominat, qua sæpius auxilium præstatur; quæ etiam fidei, et potentiæ signum est.
123. *Dubitata*, dubia. Non dissimili significatu alii hoc participio usi sunt. Albinovanus ad Liviam eleg. I, vers. 84 : *Et concors pietas, nec dubitatus amor*. Contraria autem inter se videntur *mulcetur*, et *verbis amaris*. Juvencus in ipsa objurgatione clementiam Salvatoris collaudat.
125. *Stupuere*, admirati sunt, ut alibi dictum. Sed quid sibi vult *rogantes*? Nam Matthæus solum ait : *Qui autem in navicula erant, venerunt, et adoraverunt eum, dicentes : Vere filius Dei es*. Sumit ergo Juvencus *rogantes* pro adorantes. De hoc verbo *rogare* simpliciter posito pro *rogare Deum* vide not. ad l. I vers.. 48.
127. *Fervida* epitheton proprium freti, quod a *fervendo* dicitur, ut docet Varro l. VI num. 15 ling. Lat., cap. 3.
130. *Vestis fila extrema*, fimbriam, ut loquitur Matthæus. Vide l. II, vers. 393 et seq.

Extrema exoptant, miroque hoc munere cuncti
Credentes referunt plenam per membra salutem.
Ecce Pharisæi, Scribæque hinc inde dolosi
Captantes Christum, promunt fallacia dicta :
252 Cur tua discipulos patitur doctrina labare
Præceptis veterum ? manibus quos cura lavandis
Præterit, assumuntque simul cum sordibus escas.
Ille sub hæc fatur : Magis hoc est quærere [dignum,
Trangressi præcepta Dei quod proditis omnes.
Namque Deus mortem defixa lege minatur,
Si genitor cuiquam verbo lædatur amaro,
Vel genitrix nati verbis pulsetur acerbis.
253 Irrita vos isthæc facitis perversa docendo.

LECTIONES VARIANTES.

131. Mss., *miroque*, cum multis editis. Ald., cum aliis, *mirumque*. Fabricius ita, sed, ut advertit in Comment., per parenthesin *exoptant* (*mirumque*), *hoc munere*, ac similia profert ex Tertulliano, et Paulino. Reuschius propter *que* adjectum mavult *miroque*.

132. Hadam., *plena* : corrige *plenam*.

135. Poelm. in textu cum aliis, *patitur doctrina labare*, pro d. s., *lapsare ferunt documenta*. Ita legit Badius, et sic explicat, *lapsare*, id est, frequenter labare. *Ferunt*, patiuntur. Eam lectionem non malam esse, puræ antiquitatis servantem vestigia, ait Reuschius : qui observat, neque de documento, neque de doctrina quidquam legi apud Evangelistas. Alibi Juvencus primam producit in *labat*, ut dicam ad vers. 373 h. l.

136. Rom., *labare? — Præcepti veteris manibus*. Reliqui, *labare — Præceptis veterum? manibus*, vel *labare? — Præceptis veterum manibus*. Reg., *quos cura* : sed fortasse fuit *nam cura*, ut habent alii. Clarius est *quos*.

139. Ald., Poelm. pro d. s., *mandata*. Mss., et alii editi, *præcepta*. Ott. *quod*, sed correctum per *quid*, quod in nexu litterarum Rom. innuere videtur. Plerique *quod*.

140. Hadam., Poelm., *defixa morte* ; alii editi cum mss., *defixa lege*. Matth. xv, 4 : *Honora patrem, et matrem : et qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur* : ex Exodi xx, 12, et Deuter. v, 16. Hinc fortasse aliqui commenti sunt : *Namque Deus mortem defixa morte minatur*, sed melius est *defixa lege*.

141. Reg., *cujusquam* : corrige *cuiquam* : hac phrasi non semel usus est Juvencus, ut *cuiquam* pro *a quoquam* usurpet.

143. Rom., *ista hæc* ; Reg., Ott., Ald., *ista* pro *isthæc*, quod habent plerique editi. In *ista* produceretur ultima ratione cæsuræ.

NOTÆ.

131. Omeisius neque mandatum Dei habere, neque promissionem ait, quod reliquiæ sanctorum *post mortem ipsorum* prosint ad pellendos morbos. Sed cum Deus auctor sit miraculorum, quid prohibet fateri, reliquias sanctorum etiam post mortem ipsorum prodesse? Immo sanctos in cœlo existentes recte, et utiliter invocari a nobis, eorumque reliquias religioso cultu colere maxime honestum esse, ex sacris litteris, traditione apostolica, et communi Ecclesiæ usu exploratum est. Adisis Pichlerum Theolog. Polem. part. II, controvers. 2.

133. CAPUT VI. *Lavandas esse manus. Item quæ ex ore exeunt, non quæ intrant, hominem coinquinare.* Matth. xv, 1 seqq. ; Marc. VII, 1, etc. Prima pars melius exponetur : *Accusatos discipulos, quod manus non lavarent, Christus defendit.*

134. *Captantes Christum*, conantes captiosis verbis illaqueare. Plautus Amph. I, 1, 269 : *Quid me captas, carnufex?* Vide not. ad vers. 684 h. l.

136. Matthæi verba sunt : *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum ! Non enim lavant manus suas, cum panem manducant.* Kœnigius exponit, *Cura præterit*, scilicet eos, vel *præterit* positum pro negligitur, omittitur. Sententia a Juvenco non satis clare exponitur : sed fortasse locus in mendo cubat.

139. Transgressi proditis præcepta Dei. Idem accusativus regitur a duobus verbis. *Prodere* pro deserere. Cicero IV Acad. c. 8 : *Vir bonus, qui statuit omnem cruciatum preferre, intolerabili dolore lacerari potius, quam aut officium prodat, aut fidem.* Matthæus ait : *Transgredimini mandatum Dei.* Irenæus l. IV, cap. 9 : *Frustramini præceptum Domini.* Hieronymus in Isaiam cap. XXIX : *Præteritis mandatum Dei.* Augustinus in Galat., tom. III : *Dissolventes mandatum Dei.* Siricius Papa ep. 10 : *Rejecistis mandatum Dei.*

142. *Pulsetur*, vexetur, et quasi incusetur. Seneca Hercul. Oct. v. 671 : *Superos, et ipsum vocibus pulsans Jovem.* Claudianus in prologo l. 2 in Eutrop. v. 51 : *Improbe, quid pulsas muliebribus astra querelis ?* Vide not. ad l. 1, vers 301, et vers. 172 h. l.

143. Explicandus nunc est locus Evangelii, quem contrahit Juvencus. Matthæus xv, 5, 6 : *Vos autem dicitis : Quicumque dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque est ex me, tibi proderit ; et non honorificabit patrem suum, aut matrem suam : et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* Marcus VII, 11, 12, 13 : *Vos autem dicitis : Si dixerit homo patri, aut matri, corban (quod est donum) quodcumque ex me tibi profuerit. Et ultra non dimittitis, eum quidquam facere patri suo, aut matri : rescindentes verbum Dei per traditionem vestram, quam tradidistis : et similia hujusmodi multa facitis.* Putat Sabatierius, Juvencum versum 5 Matthæi, et 11 ac 12 Marci non reddidisse. Sed Juvencus totam sententiam comprehendit hoc versu, *Irrita vos isthæc facitis perversa docendo.* Deus dixerat in Exodo xx, 12 : *Honora patrem, et matrem*, etc. Hoc Dei præceptum Scribæ et Pharisæi perversa sua doctrina irritum faciebant. Quænam autem erat illa perversa doctrina? Statuebant, Filium, qui Deo ea bona vovisset, ex quibus parentes alere tenebatur, neque ultra teneri, neque posse parentes ex ejusmodi consecratis bonis alere. Exstant adhuc in Talmude sacrilegi hujus dogmatis non obscura vestigia. Maldonatus, qui plures alias interpretationes refert, cum Strabo, Hugone, et Lyrano aliter exponit : *Quodcumque ex me*, h. e., quodcumque obtulero Deo, *tibi proderit*, perinde erit ac si tibi dedissem. Nam ii, pro quibus sacrificium offerebatur, sacrificio, nisi holocaustum esset, vescebantur. Is ergo, qui ita dicat, et ultra parentibus non aliis modis bene fecerit, culpa vacabit, nimirum ex perversa doctrina Pharisæorum. Peculiaris est lectio in Evangeliario vetustissimo Tridentino apud Matthæum hoc loco : *Vos autem dicitis : Quicumque dixerit patri, aut matri : Donum meum proficiet tibi, non honoravit patrem suum. Et evacuastis verbum Dei propter traditionem vestram.* Apographum hujus Evangeliarii exemplar mecum perhumaniter communicavit cl. præsul Simon de Magistris, episcopus Cyrenensis : cujus mihi in posterum nonnullus erit usus. Codicem autographum describit in præfatione ms. Bonellus a Cavalesio Reformatæ provinciæ S. Vigilii, qui subscribit Tridenti ad S. Bernardinum 11 Maii 1762. Codex igitur est membraneus ab aliis membraneis codicibus vel ob subtilitatem diversus,

254 Quam manifesta vigent de vobis dicta pro- A [phetæ!
Me populus summis labiis sublimat honore,
Sed diversa procul cordis secreta pererrant.
Accipite ergo omnes, auresque advertite cordis:
Non illata homini, fuerint quæcumque, pu- [dendis
Sordibus aspergent, vitæve, animove sedebunt:
Erumpunt hominum sed quæ penetralibus oris,
Internam misere maculabunt edita mentem.
Discipuli Christo memorant, quod verba lo- [quentis
Occulto carpant Scribarum pectora nisu.
Ille dehinc: Genitor plantarum semina noster,
Quæ non ipse sui consevit in æquore ruris,
Abjiciet penitus radicibus eruta longe.
Cæcus forte ducem cæcum si nactus oberret, B

255 Decidet in foveam, pariter demersus uter- [que.
Tunc petit absolvi Petrus, quid quæstio vellet,
Ipse Pharisæis quam mox, scribisque dedisset.
Tum sator æternæ respondit talia vitæ:
Vos etiam duro discluditis omnia corde
Jussa, nec admittit mentis dubitatio lucem?
Nam quæcumque hominum veniunt extrinsecus [ori,
In ventrem cedunt, animoque incognita cur- [runt.
Quæ vero interno concepta e pectore promunt
Ora hominum, mentem possunt aspergine labis
Polluere, immundoque hominem maculare pia-
Secreto cordis promuntur noxia vitæ [clo.
Consilia, et cædes, et furta nefanda tororum,
Et fraudes, fallax que hominum pro testibus error,

LECTIONES VARIANTES.

144. In Reg. videtur fuisse *urgent* pro *vigent*.
146. Rom., *pererrat*, retine *pererrant*.
148. Poelm. pro d. s., *homines*, scilicet. *Illata non aspergent sordibus homines*, etc. Mss., cum aliis editis, *homini*.
150. Reg., Ott., *penetrabilibus* : qui error alibi etiam in nostris mss. occurrit pro *penetralibus*.
153. Reg., *Occulto carpant*, et glossa, *detrahunt*. Alii, *Occulto traherent*. Pro *risu*, quod habent omnes, restituo ex conjectura *nisu* ex dictis ad l. II, vers. 353. Matthæus ait : *Audito verbo hoc, scandalizati sunt*.
154. In Reg. fuit *plantatarum*, sed correctum per *plantarum*.
155. Reg., *suo*, ex quo factum *sui*.
156. Rom., *Penitus abjiciet* : emenda *Abjiciet penitus*. Westh., *longa;* ad marg., *longe*, quod melius C est.
157. Reg. scribit *nanctus*, quod in Ott. videtur scriptum a pr. m. Pro *oberret*, Ald., Bas., *oberrans*.
158. Reg. et a pr. m. Ott., *Decidit*. Rom., cum editis, *Decidet*. Lege *demersus*, cum mss., potius quam *dimersus*, cum nonnullis editionibus.
159. Ott., *velit*, sed videtur fuisse *vellet*, quod unice verum est.
163. Alii interrogationis notam post *lucem* apponunt, alii secus. Matthæus : *Adhuc et vos sine intellectu estis ?*
164. In Reg. a pr. m. videtur fuisse *oris* pro *ori*.
166. Rom., *concepta pectore;* lege, *concepta e pectore*, ut versus constet. Aldus interpungit *promunt,— Ora hominum mentem;* melius alii, *promunt — Ora hominum mentem*.
170. Reg., *Concilia;* cæteri, *Consilia*.

NOTÆ.

sine tegumento, ac modo serico tantum velo involutus, ex quo factum, ut Evangelium Matthæi, quod est primum, et Evangelium Marci, quod est ultimum, manca sint, atque imperfecta. Formam habet inter oblongam, ac quadratam mediam, duabus columnis utrimque digestus, quarum omnes initiales cubitales sunt. Colorem exhibet purpureum, et modo ex vetustate in plerisque locis subobscurum, argenteis characteribus, quorum specimen Bonellus ipse dederat vol. II operis *Notizie Istorico—Critiche* pag. 62, nonnullis etiam aureis. Ordo Evangeliorum perantiquus, scilicet secundum Matthæum, secundum Joannem, secundum Lucam, (sic enim scribitur) secundum Marcum. Vetustam quoque orthographiam perpetuo custodit. Nulla, aut rara sunt verba contracta. Bonellus exemplum ad normam autographi ea, qua par erat, fidelitate, diligentia, ac religione quam exactissimum exhibuit: notas vero quasdam margini adjectas secunda manu, sed non post millesimum exaratas, prætermisit. D

145. *Sublimat* : verbum Ennii, et Catonis, quod cadentis Latinatis scriptores, improbante Erasmo, reduxerunt, Apuleius, Mamertinus, Macrobius, Prudentius, aliique.

146. *Cordis secreta* : libr. II, vers. 490.

147. *Aures cordis* : Matthæus; *Audite, et intelligite*. Paulinus in Panegyr. Celsi : *Ergo oculos mentis Christo reseremus, et aures*.

151. *Edita*, foras emissa, divulgata.

153. *Scriburum pectora*, h. e. Scribæ. Ita enim loqui amat Juvencus.

155. *Æquor* planitiem designat. Adisis comment. ad hymn. 11 Perist. Prudentii vers. 185. Virgilius l. VII, vers. 781 : *Filius ardentes haud secius æquore campi — Exercebat equos* : et sine addito *campi*, vel *ruris* l. I Georg. vers. 97 : *Et qui proscisso quæ suscitat æquore terga — Rursus in obliquum verso perrumpit aratro*.

159. *Absolvi*, definiri, demonstrari. Solinus cap. II, al. 8 : *Bocchus absolvit Gallorum veterum propaginem umbros esse*. Barnabas Brissonius ex leg. 59, § 1, de manum. testam. observat, *absolvere* esse verbum juris pro satisfacere quæstioni propositæ. Verba Digest. loc. cit. sunt : *Videtur absolvisse et id, de quo quæritur*.

160. *Mox* pro *paulo ante* rarum est. Columella l. III, c. 20 : *De altero, quod mox proposueram, nihil dubito*.

162. *Discluditis*, excluditis. Macrobius l. VI Saturn. cap. 4 affirmat, verbum hoc *discludo* ferire aures, ut novum : sed illud in Virgilio tuetur auctoritate Lucretii. Adde Cæsarem, Ciceronem, alios. Forcellinus incaute Macrobio affingit, quod in verbum discludo novum esse asseruerit.

169. *Secreto cordis*, ut alibi in plurali, *Cordis secreta*.

170. *Furta*, concubitus illiciti apud poetas passim. Prudentius hymn. 10 Perist. vers. 183 : *Incesta fervent, furta mœchorum calent*.

171. *Fallax error hominum pro testibus*, falsa testimonia, ut loquitur Matthæus.

256 Et rabidæ cœlum pulsans insania vocis. A
Hæc sunt, quæ maculant hominem, quæ sordi-
[bus implent.
Illotis autem manibus non polluit umquam
Corporis arbitrio terrenum sumere victum.
Hæc ubi dicta dedit, pulcherrima rura Syro-
[rum
Sidonemque, Tyrumque petit: cum femina
[fusis
Crinibus, et precibus, natam causata jacentem,
Volvitur, et tacitum non desinit anxia Chri-
[stum
257 Orare, ut mentem vexatam dæmone
[sævo
Redderet, et miseræ tandem resipisse liceret:
Tunc etiam precibus sectantum discipulorum
Respondit, proprias genitoris malle bidentes
Cogere, quas vanus late disperserat error.
Crebrius instanti tum talia fatur Iesus:
Natis quisque suis panem non detrahet um-
[quam,
Et canibus jaciet. Tum talia femina fatur:
Micarum saltem canibus sua portio mensæ
Decidit, et nihilo dominorum cœna gravatur.
258 Tum Dominus loquitur: Veniant tibi
[digna salutis
Præmia, quæ fidei meruerunt robora tantæ.
Talia Salvator verbis, et voce locutus,

LECTIONES VARIANTES.

172. Reg., Rom., cum pluribus editis, *Et rapidæ cœlum pulsans insania vocis.* Ott. a pr. m., *Et rabida cœlum pulsans insania voce*, a sec. m., *Et rabidæ cœlum pulsans insania vocis*, quod Ald., Bas., Torn., Poelm. pro d. s. exprimunt. In Evangelio *blasphemiæ* dicuntur, quæ hoc versu explicantur: itaque *rabidæ vocis* aptius videtur, quam *rapidæ vocis*.

173. Fabr., *maculent:* corrige, *maculant*.

174. Reg., Ottobon. scribunt, *Inlotis*. Daventr., mendose, *palluit* pro *polluit*.

177. Aldus edidit cum plerisque *Sidonem, Tyrumque petit*, in Erratis vero emendavit *Sidonemque, Tyrumque petit*, quod secutus est Omeisius, plaudente Gallandio. Hæc lectio confirmatur nostro codice Reg., ubi scribitur *Sydonemque*. Revera sic melius metro consulitur: nam prima in *Tyrus* corripitur ab Avieno, Prisciano, et Prudentio v. 496 Hamart.: *Non illum regina Tyri*. Posset sustineri lectio, quæ communior est, *Sidonem, Tyrumque petit:* nam in hujusmodi nominibus propriis diverso intervallo quantitatis efferendis neque Juvencus, neque alii poetæ Christiani, immo neque alii profani Christianorum poetarum æquales, nimium religiosi fuerunt. Sed hoc loco Juvencus videtur corripere voluisse primam in *Tyrum:* alioquin dixisset *Tyrum, Sidonemque petit*, secutus ordinem Evangelistæ: *Secessit in partes Tyri, et Sidonis*. Rom., Ald., Bas., *tum femina;* alii, *cum femina*.

179. Rom., *Solvitur:* retine, cum aliis, *Volvitur*, nisi forte intelligatur, *fusis crinibus, et precibus solvitur*, ut h. l. v. 354, *Fletuque solutus*, etc. Rom., Reg., Ottob., *desinit*, quod editum est a Fabricio. Pleræque editiones, *deserit*.

181. Ott., *Resipire*; supra, pro d. s., *resipisse*. In Rom. etiam puto fuisse, a pr. m., *resipire*. Communis scriptura est *resipisse*, magisque probanda. *Resipio* et *resipisco* interdum significant *ad priorem mentis statum redire:* sed *resipio* hoc sensu fere in præteritis adhibetur, in aliis temporibus frequentius adhibetur *resipisco*. Vide not. ad vers. 72 l. II: *Insanum vero juvenem postquam resipisse*.

184. Rom., *Corrigere, quas*, repugnante metro. Ott., *quos;* pro d. s., *quas:* sensus *quas* postulat.

185. Ott., *tum Jesus talia fatur:* rasura indicat, ita fuisse in Reg., a pr. m. Editi cum Rom., *tum talia fatur Iesus*, quod tenendum est. Etsi enim scriptura Ottob. sustineri possit, tamen ea stylum Juvenci non redolet, cum Juvencus nomen *Jesus* trisyllabum semper faciat.

186. Rom., *panes* pro *panem*. Ald., Bas., *detrahit:* plerique, *detrahet*.

187. Reg., *Et canibus jaciat:* melius Rom., Ald., Bas., *Ut canibus jaciat*. Lectio Ott. cum aliis editis recte procedit, *Et canibus jaciet*.

189. Ott., Poelm., in textu, Torn., Hadam., *Decidet, et nihilo dominorum cœna gravatur*. Ald., Bas., *Decidit, atque nihil dominorum cœna gravatur*. Poelm., pro d. s., *Decidit, et nihilo dominorum cœna gravetur:* sic Rom., sed *gravatur*. Reg.: *Decidit, et nihil dominorum cœna gravator*, supra *gravatur*. Reuschius *Decidit, et nihilo dominorum cœna gravatur* hoc sensu: Catellis portiones de mensis projiciuntur, nec sumptus ideo major est impendendus, neque dapidus mensa magis oneranda. Non tamen improbat Badii lectionem: *Decidat, atque mihi dominorum cœna gravetur*. Quasi dicat mulier: Canis instar micas de mensis dominorum decidentes colligere gestio.

192. Reg., *verbis cœlestibus edit*, quod editum exstat in Torn. Reliqui, *verbis, et voce locutus*.

NOTÆ.

172. Pulchra descriptio blasphemiæ. De verbo *pulsans* confer not. ad v. 142 hujus libri.

176. CAPUT VII. *Filiam mulieris Syrophœnisæ a dæmonio curatam*. Matthæi XV, 21 seqq.; Marc. VII, 25.

177. *Fusis crinibus, et precibus:* venuste duo hæc diversa eidem verbo applicantur. Ovidius II Her. v. 25: *Demophoon, ventis et verba et vela dedisti, — Vela queror reditu, verba carere fide*.

178. *Causata*, in causam afferens. *Causor* est afferre tamquam causam; quod accidere potest, sive vera sit causa, sive falsa. *Natam jacentem*, ægrotantem: nam *jacere* hac significatione sæpe usurpat Juvencus. Morbus autem puellæ erat, quod a dæmonio tenebatur, seu vexabatur, ut ait Evangelista, et postea explicat Juvencus. Quædam interdum addit Juvencus, quæ similia vero sunt, sed ab Evangelistis non clare enarrantur.

179. *Volvitur*, prosternitur humi, aut agitatur. Matthæus solum ait: *A finibus illis egressa, clamavit dicens*, etc. Postea: *Discipuli ejus rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos*.

185. *Bidentes:* sic Juvencus alibi, sic alii oves appellant.

184. *Cogere:* verbum proprium pastorum congregantium oves dispersas. Virgilius, ecl. III, vers. 20: *Tityre, coge pecus:* et vers, 98: *Cogite oves, pueri*. Juvencus simili modo idem vocabulum sæpe adhibet.

187. In sacro codice est *mittere canibus*. Significantius est *jacere panem canibus*, nempe projicere, et quasi jacturam facere. Tertullianus, I. de Præscript., cap. 8: *Nondum canibus jactabat panem filiorum*. Apuleius, 7 Metam., post med.: *Intestina canibus nostris jacta*. Phædrus, libr. III, fab. 7: *De mensa sua — Dat ossa dominus, frusta jacta familia*. Sic jactare pecuniam, opes, pro effundere.

191. Supra, vers. 119: *Validum fidei robur*.

Virginis et mentem, decusso dæmone, virtus
Complexam implevit donis fœcunda salutis.
Inde Galilæas repedat Servator in oras,
Præcelsique procul montis conscendit in arcem.
Haud mora, conveniunt populi, secumque trahebant
Pars captos oculis, et crurum debile vulgus,
Elinguesque alii, morbique vocabula mille.
Omnibus ille tamen languores dempsit amaros,
Viribus et validis venerando munere donat.
Tum populi pariter miracula tanta frequentant,
259 Æternoque Patri laudes, gratesque celebrant.

Discipulos Christus cogens in vertice montis,
Secreto alloquitur: Plebis miseratio multa est;
Tertia nam terris remeant jam lumina solis,
Ex quo nulla sibi sumunt alimenta ciborum.
Jejunam nolim tantam dimittere plebem,
Ne labor afficiat populos per longa viantes.
Discipuli Christo ostendunt septem sibi panes
Esse, et pisciculos alimenta ad proxima paucos.
Tum populum jussit terræ per terga cubare,
Quodque fuit, totum propriis discerpere palmis,
260 Et cunctæ curat mensatim dedere plebi.
Discipuli ponunt epulas, populusque repletur
Ad satiem dapibus: relegunt mox fragmina panis

LECTIONES VARIANTES.

193. Reg., Ott., *decusso dæmone*, quod magis placet quam *discusso* in Rom. et editis. Sic Prudentius, præf. libr. I contra Symm. vers. 37: *Excussumque procul decutit aspidem*. Eodem verbo utuntur antiquiores Livius, Propertius, Ovidius, Plinius. Reuschius edidit *discluso*; quod Omeisio placebat, quia hoc verbo sæpius utitur Juvencus. Vide l. II, vers 65.

194. Reg., *secunda;* et glossa, *prospera*. At metrum postulat *fœcunda*, quod congruentius etiam sensui est.

195. Reg., *Galileæ repedat Salvator:* Ott., *Galileas repedat Servator*. Alii etiam variant in *Salvator* et *Servator*.

196. Ald., Bas., Reusch., *consedit in arce*, quod opinor etiam fuisse a pr. m. in Reg. Contra in Rom., a pr. m., est *conscendit in arce;* a sec. m., *consedit in arce*. Plerique, *conscendit in arcem*. Matthæus ait: *Et ascendens in montem, sedebat ibi*.

198. Mss. nostri, *et crurum debile vulgus:* ex editis partim sic, partim *et vulgus debile crura*, quod amplexus et Reuschius cum Kœnigio. Mihi a Juvenci manu videtur esse *et crurum debile vulgus* eo modo, quo dicitur, *Integer vitæ, scelerisque purus*, et alia sunt similia adjectiva, quæ genitivo gaudent præsertim apud poetas. Fabricius id etiam secutus est ex mss. Mersburgico et Gandavensi, ut testatur in comment. verbo *Debilis*.

199. Rom., Hadam., Poelm., in textu, *alios*. Reg., Ott., Ald., Bas., *alii*, scilicet alii trahebant elingues. Sic infra, vers. 267: *Jeremiam dixere alii, pars esse prophetam*.

200. Reg., *acerbos:* alii, *amaros*.

201. Reg., *mirando*, sed fortasse fuit *venerando*.

204. Ott., *Discipulos Christus agens;* supra, *Discipulos tunc Christus agens*: ita enim lex metri postulat, satisque id sententiæ convenit. Vide vers. 420 h. l.

205. Reg., *Secreto alloquitur*. Editi cum aliis ms., *Secrete alloquitur*. Latinum utrumque est, sed magis *secreto*, quam *secrete*, quod a Tertulliano, aliisque sequioris ævi adhibetur. *Secreto* a melioribus scriptoribus usurpatur.

206. Rom., *remeantia lumina:* lege *remeant jam lumina*.

207. Reg., a pr. m., *sumant;* a sec. m. recte *sumunt*.

213. Reg,, Ott., *discerpere:* Rom. cum editis, *decerpere*. Huic loco magis consentaneum est *discerpere*, hoc est, in diversas partes carpere: nam *decerpo* proprie significat carpendo detrahere, ut poma ex arbore decerpuntur.

214. Reg., *curam:* quod sustineri potest, si suppleatur *cœpit*, quod vers. præcedenti ad *discerpere* supplebat Gallandius. Reg., Ottob., Rom., *dedere plebi*. Editi, *tradere plebi*. In omnibus mss. et editis invenio *mensatim;* et in Rom., ex mundo, *mensantim* factum *mensatim*. Posset conjici *per mensas:* sed retinendum est *mensatim*, a Forcellino inter verba Latina Juvenci nostri auctoritate collocatum. Plura similia sunt adverbia, ut *vicatim, ostiatim, tributim, properatim*.

216. Nonnulli scribunt *Ad saciem:* plerique, *Ad satiem*. Vetus editio apud Omeisium, *Ad faciem*, quod mendosum est.

NOTÆ.

195. CAPUT VIII. *Secus mare Galilææ cæcos, claudos, mutos sanatos, septemque panibus ac paucis piscibus quatuor hominum millia saturata*. Matth. XV, 30 seqq.; Marc. VIII, 1 seq.

199. *Vocabula*, nomina. Virgilius, l. 7, vers 557.

203. Tacitus conjungit etiam *laudes*, et *grates*, ut l. I Annal. cap. 69: *laudes et grates alicui habere;* et l. XII Annal. cap. 37: *Laudibus gratibusque venerari aliquem*. Novum certe videtur *celebrare grates alicui*, sed *laudes gratesque celebrare* conjunctim facilius defendi poterit. Latini usitatius dicunt *celebrare aliquem laudibus*.

204. *Cogens*, ea significatione quæ exposita est ad vers. 184

205. *Multa est*, magna est. Vide not. ad Dracont. vers. 63 l. II.

207. *Sibi* superfluum est, sed elegantiæ causa additur.

209. *Viantes:* confer not. ad l. I, vers. 161.

211. Verba Matthæi sunt: *Et ait illis Jesus: Quot panes habetis? At illi dixerunt: Septem, et paucos pisciculos*. Juvencus interpretatur, septem sibi esse panes, et pisciculos paucos a se præparatos ad alimenta proxima, qui etiam sibi, vel suis proximis alimentis pauci erant. Sic accipit Reuschius, qui *sibi* significanter additum ait. Saltem Juvencus innuit, septem illos panes, et paucos pisciculos ab Apostolis fuisse comportatos, ut alerentur. Nonnulli enim putant, eos panes et pisces apud aliquem e turba fuisse venales.

212. *Terræ per terga*. Vide not. ad l. I, vers. 671. *Cubare*, more veterum, qui discumbentes cibum sumebant.

213. Textus Matthæi sic refert: *Fregit, et dedit discipulis suis, et discipuli dederunt populo*. Juvencus hæc omnia distincte exponit. Christus curat propriis discerpere manibus, et dedere mensatim cunctæ plebi per discipulos, qui ponunt epulas. Potest etiam intelligi, *dedere* positum esse pro *dedi*, hoc est, dari, vel tradi. Schœttgenius exponit *curat discerpere*, h. e., discerpit. Reuschius ita, vel per enallagen *discerpere*, h. e., *discerpebat*.

215. *Ponunt*, verbum in conviviis usitatum, ut dictum ad vers. 80 h. l. De verbo *repletur* dictum pariter ad vers. 88 h. l.

216. *Ad satiem* confer vers. 673 l. I.

Et sportas referunt cumulato pondere septem.
Quattuor ex omni fuerant tum millia plebe,
Nec numero quisquam matres, puerosque notavit.
Inde Magedarum navi transcurrit in oras.
Ecce Pharisæi, Sadducæique dolosi
Poscere tentantes instant cœlestia signa.
Sed Christus, cernens fallacia pectora, fatur :
Convexum quoties claudit nox humida cœlum,
261 Si ruber astrifero procedit vesper olympo,
Dicitis : Adveniet ventura luce serenum.
Jamque sub exortu solis si tristia rubro
Nubila miscentur confusa luce colori,
Dicitis, agricolis, nautisque venire fragosam
Ventorum rabiem, tempestatumque furores.
Fallaces, nostis faciem discernere cœli,
Sæclorum vero nescitis tempora signis
Explorare suis? Sed vobis signa dabuntur,
Quæ maris immenso quondam venere profundo,
Bellua cum tenuit ventris sub carcere vatem.
Hæc ait, et propere puppis retinacula solvens,
Trans freta contendit rapido comprendere cursu
262 Arva Philipporum, sociisque hæc talia fatur :
Sollicite vobis vitentur noxia farra,
Fermentumque ferox vestris avertite mensis.
Illa Pharisæi, Sadducæique dolosi
Admiscent escis, falluntque in nomine panis.
Cur vobis tacitas volvit cunctatio mentes?

LECTIONES VARIANTES.

217. Ott. scribit, *comulato ;* supra factum *cumulato.*

218. Reg., *plebe ;* Ott., *plebi ;* Rom. cum plerisque editis, *plebis.* Fabricius edidit *plebe :* vel id, vel *plebi* in auferendi casu retinendum est. Non enim placet quod Reuschius exponit *ex omni* scilicet regione, *fuerant*, aderant. In Torn. mendum est *fuerat*, pro *fuerant.*

220. Reg., Rom., Torn., Ald., *Magedarum.* Hadam., Poelm., *Mageddarum.* Ott., *Magidarum*, Bas., *Magedorum.* Præstat legere *Magedarum*, quia in Vulgata et in plerisque versionibus antiquis *Magedan* hic locus appellatur.

224. Rom., Ald., Bas., *Connexum :* vix dubium quin legendum sit *Convexum.* Hinc *convexa cœli ;* qua de re vide not. ad Dracont. libr. I, vers. 136.

225. Reg., a sec. m., et, ut videtur, Ott., *procedet.* Editi cum Rom., *procedit.*

227. Reg., *solis ubi tristia*, non male, producta ultima in *solis* ratione cæsuræ.

229. Ott., *fragosa :* lege *fragosam.*

233. Alii, *suis*, sine interrogatione.

241. Ott., *Illud Pharisei :* alii, *Illa Pharisæi*, quod melius est, ut vers. 221 : *Ecce Pharisæi.*

243. Reg., *tacitam volvit cunctatio mentem :* Ott., *tacita volvit cunctatio mentes :* Rom. cum editis, *tacitas volvit cunctatio mentes.* Pro *cunctatio* alii scribunt *conctatio*, alii *contatio.*

NOTÆ.

219. Moris erat feminas et pueros non numerare. Hieronymus, ad h. l. : *Mulieres autem, et parvuli, sexus fragilis, et ætas minor numero indigni sunt. Unde et in Numerorum libro quoties sacerdotes, atque Levitæ, et exercitus, vel turbæ pugnantium describuntur, servi, et mulieres, et parvuli, et vulgus ignobile absque numero prætermittitur.*

220. CAPUT IX. *De signo Jonæ prophetæ.* Matth. XVI, 1 seqq. ; Marc. VIII, 11 ; Luc. XII, 54.

221. *Sadducæi* : producitur prima, quæ corripitur l. IV, vers. 14, apud aliquos.

224. *Convexum cœlum, nox humida.* Epitheton utrumque aptum, et ex Virgilio desumptum. *Convexum* est rotundum, aliis cavum. Advertendum est, versum secundum, et tertium Matthæi, quos Juvencus exponit a versu *Convexum* ad vers. *Fallaces*, deesse in aliquibus exemplaribus. Immo Hieronymus in comment. ad hunc locum, relatis quatuor primis versibus cap. XVI Matthæi, subdit : *Hoc in plerisque codicibus non habetur, sensusque manifestus est, quod ex elementorum ordine atque constantia possint et sereni, et pluviæ dies prænosci.* Ea autem legebat Hilarius in h. l. : *Multa eos de natura cœli conjicere solere respondit, cum rubicundo aut ortu, aut vespere, serenum nimbosumve pronuntient.*

225. *Astrifer*, verbum Statii, Martialis; *astriger*, Statii, Claudiani, Solini. *Procedit vesper olympo*, ex Virgilio eclog. 6, vers. ultim : *Et invito processit vesper olympo.*

226. *Ventura luce :* Auctor Moreti, vers. 4 : *Tristia venturæ metuens jejunia lucis. Serenum* pro serenitate. Vide not. ad Dracont. l. I, vers. 586.

227. *Tristia*, etc. Matthæus ait : *Rutilat enim triste cœlum.*

229. *Fragosam*, fragoris, strepitusque plenam, vel etiam perniciosam agricolis, nautisque. Kœnigius vocem raram esse ait : sed præter Valerium Flaccum, et Quintilianum, quos allegat, ea utuntur Virgilius, Claudianus, Ovidius, Gratius, et alii veteres.

231. Facies tribuitur cœlo, mari et monti, aliisque rebus inanimis.

234. *Profundo*, substantive. Dracontius, l. I, vers. 151 : *Eruitur tellus vasto demersa profundo.*

235. Nomine *belluæ* intelligitur balæna, ut exposui in not. ad Dracontium, l. II, vers. 159 : *Horrida monstra natent, et bellua gestiat ingens.*

238. Quæritur cur Juvencus vocet *arva Philipporum*, cum Matthæus in singulari proferat cap. XVI, vers. 13 : *Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi.* Et Marcus, VIII, 27 : *Et egressus est Jesus, et discipuli ejus in castella Cæsareæ Philippi.* Hanc urbem prope Jordanis fontes Philippus tetrarcha vel condidit, vel ornavit, et a Tiberii Cæsaris nomine *Cæsaream* vocavit. Postea Juvencus sic eamdem civitatem memorat vers. 258 : *Clara Philippæo quæ pollent nomine rura.* Hoc loco plurale *Philipporum* pro singulari *Philippi* posuit, nisi malis emendare *Arva Philippæa, sociisque.* Solemne erat poetis hujus temporis vocalem brevem producere ratione solius cæsuræ : quod magis nunc in ipsis deprehenderetur, nisi librarii audaces, hujus consuetudinis ignari, plures versus corrupissent.

239. *Vobis*, a vobis : quod familiare est Juvenco.

242. Audiamus evangelistam Matthæum : *Qui dixit illis : Intuemini, et cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum. At illi cogitabant intra se dicentes : Quia panes non accepimus.* In ms. Corb. 1 : *At illi cogitabant intra se dicentes : Ideo hoc dicit, quia panes non attulimus.* Evangeliarium vetus Tridentinum : *Tunc reputabant apud se dicentes : Quia panes non emimus.* Juvencus, ut explicet fermenti Pharisæorum nomine discipulos intellexisse panem, quem exhibebant, aut fortasse vendebant Pharisæi, addit, *Illa... admiscent escis, falluntque in nomine panis.* Idem est autem *in nomine panis* ac *in pane.* Badius reponit : Diceret *sub nomine*, nisi versus vetaret. Sed Juvencus promiscue usurpat *in* pro *sub*, et *sub* pro *in.*

Proh! quam parva fides, sensu torpente, fa- A
[tiscit!
Dicitis adversi, navi quod tollere panes
263 Non fuerit vobis vacuum, farrisque ca-
[vendas
Insidias jubeam : meminisse et scire putabam,
Quod panes quinque plebis mihi millia quinque
Implerint dapibus, cophinisque superflua tantis
Fragmenta ad cumulum fuerint collecta ciborum
Quattuor et rursum cœnantum millia panes
Quod facile implerint septem, sportasque referri
Vidistis rursus completas relliquiarum.
264 Sed moneo istorum semper fermenta ca-
[vere.
Discipuli tandem, vitalia verba secuti,
Doctrinam cernunt fermenti nomine dictam.
Inde ubi perventum liquidi per terga profundi
Clara, Philippæo quæ pollent nomine, rura,
Cogit concilium sectantum discipulorum,
Et quærit quem se populorum fama putaret.
Respondent, multas plebis tunc esse loquelas :
Crebrius audisse, et multos firmare, quod esset

LECTIONES VARIANTES.

244. Reg., Ottob., Rom., *Pro qua ;* et glossa Reg., *pro qua cunctatione.* Sic etiam Hadam. edidit. Ald., Daventr., *Pro quo.* Fabr., Poelm., *Proh quam parva.* Pro *torpente*, mendose, Ott. *torpenti.* Idem Ott. scribit *fatescit*, pro *fatiscit.* In Rom., *facessit ;* error B videtur pro *fatescit*, vel *fatiscit.*

245. Reg., Rom., Torn., *adversi.* Ott. cum Ald., Hadam., Poelm., Daventr., *aversi.* Reuschius, *aversi*, sed eumdem sensum agnoscit in *adversi.* Mente, ac cogitatione aversi, adversi, vel alieni erant a navigio. Quod si cum Parisina distinguatur *aversi , navi*, tunc quidem *navi tollere panes* erit *panes in navem inferre.* Badius interpretabatur *adversi navi*, appliciti ad navem : Schœtgenius *adversi*, ad vos invicem. Matthæus ait : *At illi cogitabant intra se dicentes : Quia panes non accepimus.* Potest explicari *Dicitis adversi*, hoc est, Dicitis adversis animis.

248. Mss. nostri Reg., Rom., Ottob., *Quod panes quinque plebis mihi millia quinque.* Hæc est genuina lectio, producta ultima in *quinque* vel ratione cæsuræ, vel potius quia muta et liquida in dictione proxime sequenti vim habent producendi, aut communem efficiendi vocalem brevem dictionis præcedentis. Id non intelligentes librarii alii aliter mutarunt. Poelm., in textu, Torn., Hadam., Fabr., *Quod panes quini* C *plebis mihi millia quinque.* Poelm., pro d. s., Ald., Daventr., Bas. : *Panes quinque mihi plebis quod millia quinque.*

249. Rom., Ottob., et, a pr. m., Reg., *Implerent:* editi, *Implerint.* Sensui congruentius est *Implerint.*

252. Rom. *Quod facile implerent quinque sportasque referri.* Vera lectio est *septem*, non *quinque :* mentio enim nunc fit de septem panibus, qui in quatuor millia hominum sufficerunt. *Implerint* etiam hoc loco retinendum cum plerisque.

253. Rom., *completa :* emenda *completas.*

254. Rom., *caveri ;* Reg., Ott., *cavere ;* editi, *cavenda.*

257. Reg., Ott., *perventum liquidi*, Rom. cum editis, *perventum est liquidi.*

258. Reg., Ott., a pr. m., Rom., *quæ :* videlicet perventum est *rura* pro *ad rura.* Vide l. I, vers. 291, et h. l. vers. 381. Ex editis Ald., Bas., Daventr., *quo ;* Hadam., Fabr., Poelm., *qua*, quod etiam in Ott., a sec. m., exstat, et Badius explicat *qua parte.* Idem Ott., *pollent*, quod mendum recte emendatum ibi est per *pollent.*

259. Torn., minus bene, *consilium*, pro *concilium.*

260. Rom., *quem discipulorum fama putarent :* reliqui, *quem se populorum fama putaret*, quod probum est.

261. Torn., male, *Respondens.* Reg. et Ott., *Respondent multi ;* et glossa Reg., *multi—discipulorum.* Sed aptius huic loco est *multas* cum Rom. et editis. In Ott. ex *plebes* recte factum *plebis.*

NOTÆ.

246. *Vacuum fuerit*, vacaverit. Tacitus, II Hist., c. 38 : *Subacto orbe, et æmulis urbibus, regibusve excisis, securas opes concupiscere vacuum fuit.* Sallustius, apud Gellium, l. IX, c. 12 : *Postquam, remoto metu Punico, simultates exercere vacuum fuit.* Martianus Capella, libr. I : *At præscire deis vacuum fuit.* Elegantia non protrita, ait Kœnigius.

247. De fermento, seu pane Pharisæorum, dicebant intra se discipuli : Locutus est Dominus, quia panes nondum attulimus, ut scilicet cum eos ememus, caveamus ab insidiis Pharisæorum. Jesus vero eos reprehendit, quod animum in panes intenderent, D ut neque verba ejus intelligerent, neque meminissent, paulo ante quinque panes millia quinque plebis implevisse, etc. Non ergo de panibus tantopere solliciti esse debebant.

249. *Cophinus*, vas magnum vimineum, videtur in magno usu fuisse apud Judæos, de quibus Juvenalis, sat. 3, vers. 14 : *Quorum cophinus, fenumque supellex ;* et sat. 6, vers. 542 : *Cophino fenoque relicto.* Omeisius advertit, in priori miraculo, a Matthæo et Marco *cophinos* nominari, in hoc secundo *sportas.*

253. *Compleo* cum genitivo. Vide lect. var., ad vers. 90 h. l. Usi hoc verbo sunt cum genitivo Cicero et Lucretius.

254. Matthæus, loc. cit. : *Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis : Cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum ?*

255. *Secuti*, assecuti : verbum simplex pro composito.

257. CAPUT X. *Petrum post confessionem, quia Christus Dei esset Filius, beatum appellat Jesus. Hinc dicto, ne vellet sua membra cruciatibus affici, dure increpat, dicens, Vade retro, Satana.* Matth. XVI, 15 seqq. ; Marc. VIII, 27 ; Luc. IX, 18 ; Joann. VI, 69. Ut alibi sæpe dicit *terræ per terga*, sic nunc *per terga profundi*, sive maris. Confer comment. ad Prudentium, præfat. libr. II, contra Symmach., vers. 43 : *Tergum per tumidum freti.* Intelligit autem Juvencus Christum ad regionem Cæsarææ Philippi pervenisse per Jordanem et lacum Semechon, et idiotismo proprio Hebræorum mare, sive profundum, vocat quamlibet paulo majorem collectionem aquarum.

262. Cur Juvencus ait, *Crebrius audisse . . . quod esset Joannes Baptista ?* Matthæus ait : *At illi dixerunt : Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam*, etc. Verum in nonnullis exemplaribus versionis Italæ legitur : *At illi dixerunt : Joannem Baptistam, alii autem Eliam*, etc. Evangeliarium Tridentinum : *Illi autem dixerunt : Joannem Baptistam, alii Eliam*, etc. Simili modo id efferunt Marcus et Lucas, qui propterea videntur significare, communiorem hanc invaluisse opinionem, Christum esse Joannem Baptistam. Vigebat quippe apud Judæos doctrina de metempsychosi. *Firmare* hic positum est pro affirmare : verbum simplex pro composito, ut *verto* pro *everto.* Eamdem significationem verbo *firmo* tribuunt Hirtius, Palladius, Tacitus, ut alios omittam.

Justus Joannes, populos qui flumine lavit.
265 Pars memorat volucris famæ sibi cognita [verba,
Eliam venisse iterum, quem præpete curru
Turbine cœlesti quondam simulata quadrigis
Astris inseruit rapidæ vis fervida flammæ.
Jeremiam dixere alii, pars esse prophetam.
Tum Christus, cunctis arridens pectore blando,
Conquirit, quæ sit sententia discipulorum.
Sed stabilis Petrus : Tu Sancti Filius, inquit,
266 Christus, magnifico terras qui lumine com- [ples.
Tum Dominus forti respondit talia Petro :
Petre, beatus eris : nam talia pandere certe
Humanus sanguis, vel, terræ portio, corpus
Haud umquam poterit. Genitoris munera sola
Possunt tam validum fidei concedere robur.
Tu nomen Petri digna virtute tueris.
Hac in mole mihi, saxique in robore ponam
Semper mansuras æternis mœnibus ædes.
Infernis domus hæc non exsuperabile portis
Claustrum perpetuo munitum robore habebit :
Cœlestisque tibi claves committere regni
Est animus, terrisque tuo quæ nexa relinques
267 Arbitrio cœlo pariter nodata manebunt ;
Solverit et rursus tua quæ sententia terris,
Haud aliter venient cœli sub sede soluta.
Sed vos discipuli Christum me dicere cunctis

LECTIONES VARIANTES.

264. Ald., Bas., *Pars trepidat memori servans oracula mente.* Mss. nostri cum Hadam., Poelm. et aliis, *Pars memorat volucris famæ sibi cognita verba.* Torn. utrumque versum conjunxit, prius *Pars memorat*, tum *Pars trepidat.* Badius omisit *Pars memorat*, plaudentibus Omeisio et Schœttgenio. Reuschius utrumque versum Juvenci esse arbitratur.

265. In Rom. *vērum*, mendum pro *iterum :* id enim a metro exigitur. Reg., Ott., *præpete curru*, quod placet. Editi cum Rom., *præpete cursu.*

268. Ott., *Jeremiam dixere alii apparuisse prophetam.* Reg., Rom., cum editis, *Jeremiam dixere alii : pars esse prophetam.* Posset sustineri scriptura Ott., contractis in *apparuisse* tertia et quarta vocali per synæresin. Verum lectio communis comprobatur Matth. XVI, 14 : *At illi dixerunt : Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis.*

269. In Aldo *Tu Christus* error est, in Basileensi etiam editione exscriptus, quem tamen ipse Aldus in Erratis jam emendaverat. Reg , *cunctos affatus :* alii, *cunctis arridens.*

273. Mss., *respondit*, cum pluribus editis. Hadam, Poelm., *respondet.* In Reg. *forte* bene correctum est per *forti.*

276. Ott., *poterint ;* fortasse librarius voluit *poterunt*, quod non male esset pro *poterit.*

279. Reg., *Hac mole*, apte correctum per *Hac in mole.*

281. Omeisius rejicit *inferni*, quia *infernum* substantive pro carcere damnatorum minus recte dicitur. Fabricius et Sabatierius ediderunt *Inferni :* quod vocabulum substantive reperitur in Latinæ veteris versionis mss. Corb. 2, et Germ. 2, et apud Hilarium in hunc locum. Observandum ex Cellario verbo *infernus*, tutius esse *infernum* substantive neutro more, quam *infernus* masculino, quamvis hoc etiam Christiani veteres passim usi fuerint.

282. Reg., Rom., *robur habebit*, sed in Rom. fuit *robor* a pr. m. Reliqui, *robore habebit.* Probabilis est lectio *robur habebit*, si ita interpungas, *Infernis domus hæc non exsuperabile portis — Claustrum, perpetuo munitum robur, habebit.*

283. Ald., *permittere* pro *committere.*

284. Ott., *relinquis :* melius Reg. cum multis editis *relinques.* Rom. cum Ald., *quæ nexa manebunt.*

285. Ott. *cœli :* lege *cœlo* cum Reg., Rom., Daventr., Ald., aut *cœlis* cum Hadam., Poelm., Fabr. In Rom., *nudata ;* erratum est pro *nodata.*

286. Reg., *at :* alii mss. et editi, *et.*

287. Ott. *cœlesti sede ;* cæteri *cœli sub sede.*

NOTÆ.

263. *Lavit* aliquando est in præsenti a *lavo, lavis*, et tunc corripitur prima, aliquando in præterito perfecto a *lavo, lavas*, vel etiam a *lavo, lavis*, et tunc producitur. Exempla utrinque obvia sunt.

266. *Simulata*, assimulata. Vide not. ad l. II vers. 548, et l. I vers. 394.

267. *Vis flammæ* pro flamma. Vide not. ad l. I vers. 478, et Gifan. Indic. Lucret. verbo *Vis morbi.*

269. *Arridens*, placidum vultum ostendens. Christum aliquando risisse non legitur, ait Kœnigius. Sed neque ex Juvenco colligitur risisse.

271. *Stabilis Petrus :* innuit catholicam expositionem verborum Domini : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ut super Petrum ædificata Ecclesia esse intelligatur. Evangeliarium Tridentinum apertius : *Tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam.* Poeta addit *forti Petro*, et clarius, cum ad rem ipsam aggreditur : *Tu nomen Petri digna virtute tueris, — Hac in mole mihi, saxique in robore ponam — Semper mansuras æternis mœnibus ædes.* Sic etiam libr. I, vers. 458 : *Præsolidumque Simon, dignum cognomine Petri.* Omeisius exponit : *Super fidem, et confessionem ponam*, etc. Juvencus clare ad personam Petri refert. Ex orationibus Ecclesiæ ac precibus liturgicis hujus interpretationis veritatem demonstravi in Comment. ad Prudentium hymn. I Cath., vers. 63. Idem argumentum egregie pertractat eminentissimus cardinalis Gerdil in Opere *Confutazione di due libelli diretti contro il breve, Super soliditate*, etc., quo novatorum cavillos invictis argumentis ac mirabili theologica gravitate refellit, penitusque dejicit.

275. Kœnigius docet Rabbinicam hanc esse descriptionem hominis, *Caro et sanguis.*

277. Supra vers. 119 : *Quæ validum fidei gestabant æquora robur.* Confer notam.

279. *Robur saxi* pro saxo, ut *robur fidei*, et libr. I vers. 478, *Membrorum robora.* Confer notam.

282. *Perpetuo robore*, quia *portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Portæ roboreæ firmæ censebantur. Ovidius l. II Amor., el. I : *Carminibus cessere fores : insertaque posti*, — *Quamvis robur erat, carmine victa sera est.*

285. *Nodata*, ligata in nodos. Hoc verbo Virgilius, Ovidius, pluresque alii antiqui usi sunt.

287. *Venient soluta*, erunt soluta. Locutio poetica Propertio familiaris, ut notat Scaliger l. II, el. 1, vers. 2 : *Unde meus veniat mollis in ore liber.* Marius Victor Præfat. carm. in Genes. : *Nec tamen arbitrii natura, in utrumque valentis*, — *Accusanda venit nobis.*

Parcite, quo soli cognoscant talia digni.
Jam lux adveniet properis mihi cursibus in-
[stans,
Mœnibus in Solymis rabies cum prona fu-
[rore
Eximios vatum saturabit sanguine nostro.
Ast ubi lucifluum reddet sol tertius ortum,
Consurget radiis pariter redimita salutis
Vita mihi, cunctisque dabit sua munera terris.
Tum Petrus, magno perculsus corda dolore:
Absint, Christe, tuis, inquit, tam tristia san-
[ctis
268 Monstra procul membris; nec fas est cre-
[dere tantum,
Nec tibi tam durus poterit contingere casus.
Christus ad hæc: Procul hinc, inquit, procul B
[effuge, dæmon,
Nil divina tibi mentem prudentia tangit,
Sed terrena sapis, mollique timore tremiscis.
Sed si quis vestrum vestigia nostra sequetur,
Abneget ipse sibi, corpusque animamque recu-
[sans,
Atque crucem propriam comitatibus addere
[nostris
Gaudeat, amissam redimet cui gloria vitam.
Nam servata perit terris possessio lucis.
269 Sed quid proficient sæcli mortalia lucra,
Si damnum pariant vitæ, lucisque perennis?
Vel quæ digna queunt animæ commercia poni?
Filius huc hominis veniet sub nomine Patris,
Cœlestesque illum fremitu comitante ministri
Stipabunt, reddetque hominum sua debita
[vitæ.
Vera loquor: certos isthic sub limine lucis

LECTIONES VARIANTES.

289. Ott., Had., Poelm. in textu *quod*: plerique *quo*. Rom. *digna*, corrige *digni*.

291. Rom. in textu, Ottob., Hadam., Poelm., *prona*, quod a Reg. et Daventr. indicatur in nexu litterarum. Ald., Bas., Rom., ad marg. pro d. s., *plena*, quod Kœnigio magis arridebat. Badius *prona* exponit *percita*.

293. Non dubium, quin legendum sit *lucifluum*, non *luctifluum*, quod videtur fuisse a pr. m. in Reg., et ab Hadam. et Poelm. editum est, uti etiam a Reuschio. Sic l. IV. vers. 119: *Testem lucifluo sanctæ sermone salutis*. Fabricius versum hunc ita depravatum excudit: *Ast ubi sol reddet tertius lucifluum ortum*.

296. Rom., Reg. a sec. m., Ald., Poelm., *perculsus*. Ott., *percussus*, quod fortasse fuit in Reg. a pr. m. Mendum videtur in Torn., *perpulsus*. Rom., Ott., Hadam., Poelm., *corde*, quod in Reg. etiam a pr. m. C opinor fuisse. Nunc in Reg. est *corda*, et glossa *per corda*. Ald., Fabr., Torn., Daventr., Bas., *corda*. Reuschius prætulit *perculsus corda*. Ott., *pavore*, et pro d. s. *dolore*, quod reliqui nobis exhibent.

298. Rom., *nefas est*: lege, ne metrum corrumpas, *nec fas est*.

300. Mss., cum præstantissimis editionibus, *Christus ad hæc: Procul hinc, inquit, procul effuge, dæmon*. Sed in Rom. est *inquam* in textu, ad marg., *inquit*. Hadam., Poelm., *Christus ad hæc inquit: Procul, o, procul effuge, dæmon*.

301. Mss. et plerique editi, *Nil divina tibi*, sed in Reg. *Non* pro *Nil*. Ald., Bas., *Nil divina tuam*. Poelm. in textu, *Nil divina tibi*, pro d. s., *Nil tua divinam*. Reuschius tuetur *Nil divina tibi*: quæ syntaxis alibi occurrit apud Juvencum.

302. Reg., Ott., *tremescis*; Rom. cum aliis, *treмiscis*.

303. Rom., Ald., Bas., *At siquis*; alii, *Sed siquis*, quod durius est, sed tenendum.

304. Editi, *Abneget hic sese*. Mss. nostri Rom., Reg., Ott., *Abneget ipse sibi*. Id teneo, quamvis melius fortasse esset, *Se neget ipse sibi*. Matth. cap. XVI in versione Itala ex ms. Colb.: *Siquis vult venire post me, abneget se sibi*; sic alii mss. veteres et Patres, *abneget seipsum sibi, abneget semetipsum sibi, neget se sibi*. Evangeliarium Tridentinum: *Deneget se sibi*. In Juvenco *corpusque, animamque* ponitur pro *seipsum*, et est accusativus pro verbo *abneget*, et participio præsenti *recusans*, ut vers. 425 occurrit similis locutio. Vide etiam libr. I, vers. 65, 341; l. II, vers. 238, 752; l. III, vers. 79, 139.

307. Torn., *locis*: emenda, *lucis*.

308. Reg. Rom., Ottob., cum multis editis, *proficient*. Hadam., Poelm. in textu, *proficiunt*. Poelm. pro d. s., Daventr., *Commoda sed quid erunt*.

309. Ott., Rom., Ald., *subeant*, pro *pariant* in Reg. et aliis. Reuschius, si legatur *subeant*, exponi vult, *subire faciant possessores suos*. Ott., Rom., *lucis vitæque perennis*: cæteri *vitæ lucisque perennis*.

310. In Rom. videtur factum *queant* ex *queunt*; alii omnes, *queunt*.

313. Mss. et plures editi, *hominum*; in Reg. a pr. m. fuit *hominem*, mendose. Hadam., Poelm., *homini*.

314. Ott., *isthinc* pro *isthic*. Rom., Reg., *sub lumine lucis*. Ott., *sub limine lucis*, sed a pr. m. fortasse scriptum fuit *sub lumine*. Editi, *sub nomine lucis*; Fabricius vero, *sub limine lucis*. Verba Matthæi XVI, 28, sunt: *Sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem*, etc.

NOTÆ.

292. Textus sacer habet, *Multa pati a senioribus, et scribis, et principibus sacerdotum*. Ad vers. 39, l. I, observavi sacerdotes a Juvenco vates appellari.

297. Matthæus: *Absit a te, Domine: non erit tibi hoc*. Arabica versio: *Absit tibi, Domine, ut fiat tibi hoc*: cui accedit Juvencus. Evangeliarium Tridentinum: *Propitius esto, Domine: non erit tibi istud*. Præpositio *a* plerumque exprimitur, ut *absint a tuis membris*; sed nonnumquam omittitur, cum insit verbo ipsi *absum*.

298. *Nec fas est credere tantum*. Virgilius l. III Georg., vers. 391: *Si credere dignum est*.

300. Vide Prudentium hymn. 6 Cathem., vers. 137: *Procul, o, procul vagantum*, etc.

303. CAPUT XI. *Debere unumquemque tollere crucem suam, et sequi Dominum. Item non morituros* D *quosdam, donec videant Filium hominis*. Matth. XVI, 24 seqq.; Marc. VIII, 39; Luc. IX, 23, etc.

305. *Propriam*, suam, ut veteres frequentius dicebant. Nam *proprius* est pertinens ad aliquem solum, peculiaris. Sextus Rufus, Ammianus Marcellinus, aliique ejusdem temporis *proprium* pro *suo* usurparunt, poetæ etiam boni, Horatius, Lucretius, Ovidius.

310. Matthæus: *Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?*

311. *Sub nomine* pro *in nomine*.

312. *Fremo*, et *fremitus* in plausu et lætitia nonnumquam usurpantur. Virgilius l. VIII, vers. 717: *Lætitia, ludisque viæ, plausuque fremebant*; et l. V vers. 148: *Tum plausu, fremituque virum, studiisque faventum — Consonat omne nemus*.

Inveniam, cœli fulgens cum regna capessam. A
Hæc ubi dicta dedit, passus, bis terna dierum
Lumina convexo terras transcurrere cœlo,
Tum secum jubet abruptum conscendere mon-
[tem
Petrum, Zebedeique duos per devia natos.
270 Inde ubi perventum secreti montis in
[arcem,
Continuo Christus faciem fulgore corusco
Mutatur, vestisque nivis candore nitescit.
Respiciunt comites, mediumque assistere san-
[ctis
Eliæ, Mosique vident. Tum talia Petrus :
Respice, num nobis potius discedere longe,
An isthic tantæ spectacula cernere molis
Conveniat : trina tamen hic tentoria vobis,
Si jubeas, frondis faciam diversa paratu,
Singula sub noctem quæ vos aulæa receptent.
Talia dum loquitur, cœlo præfulgida nubes
271 Circumjecta oculis vestibat lumine mon-
[tem,
Et vox e medio lucis manifesta cucurrit :
Unicus hic meus est Natus, mea sola voluntas;
Hujus justitiam justo comprendite corde.
Discipuli pavido presserunt corpore terram.
Nec prius e prono vultus sustollere casu
Audebant, sancto Christi nisi dextera tactu
Demulcens blandis firmasset pectora verbis :

LECTIONES VARIANTES.

Itaque vera lectio videtur *sub limine lucis*, ut libr. II, vers. 654 : *Lucisque vigens ad limina.* Et potest id intelligi de fine ipso vitæ, ut apud Apuleium libr. XI Metam., post med. : *Transactis vitæ temporibus jam in ipso finitæ lucis limine constitutos.* Matthæi textum alii de exortu Evangelii, alii de gloria ascensionis : item alii de Joanne Evangelista, alii de undecim apostolis exponunt : nonnulli de Transfiguratione, quæ paulo post secuta est.

317. Plerique *converso :* Ott. pro d. s., Fabr., *convexo*, quod ex codice Helmst. magis arrisit Reuschio. In Rom. mendum *connexo* indicat etiam *convexo.* Vide supra v. 224.

320. Reg., Ott., *perventum secreti :* ut v. 257 h. l.: *Inde ubi perventum liquidi.* Rom., cum editis, *perventum secreti est.* In Ott. et, ut videtur, in Reg. scriptum fuit *secreti in montis*, sed postea deletum *in*.

321. In Ottob. a pr. m., nisi fallor, exaratum fuit *facie*, a sec. m., *faciem :* quæ est vera lectio per Græcismum usitatum.

322. Rom., *vestis niveo;* reliqui, *vestisque nivis.*

324. Ott., *Moseique;* Rom., *Moysique;* alii, *Mosique.*

326. Mss. et plerique editi, *An isthic.* Torn., Poelm., Hadam., *Anne isthic*, quod fortasse ab aliquo factum, ne *an* producatur: posse autem *an*, et similia monosyllaba, quæ brevia censentur, aliquando produci, ostendi ad libr. II, vers. 517.

327. Reg., *trino tamen hic tentoria vobis*, et glossator indicat *trino apparatu.* Ott., Daventr., Ald., Bas., Westh. in textu, *trina tamen hic tentoria vobis*, producto scilicet *a* in *trina* ratione cæsuræ. Hadam., Poelm., Fabr., Westh. ad marg., Torn., *trina attamen hic tentoria vobis.* Rom., *tamen hic vobis tentoria trina.*

328. Reg., *frondes*, bene correctum per *frondis.* In Ott. mendose, *diverso paratu*, quod mendum erat etiam in Reg., sed in hoc emendatum fuit per *diversa paratu.* Error quoque videtur esse in Ott. *fronde faciam* pro *frondis faciam.*

329. In Ottob., *sub nocte*, et in Rom. *receptant* corrige per *sub noctem*, et *receptent.*

331. Reg., *vestiebat*, quod ita fortasse scriptum fuit in Ott. Editi plerique cum Ott. a sec. m., Rom., *vestibat.* Daventr., Poelm. pro d. s., *condebat.* Probum est *vestibat* pro *vestiebat.* Virgilius : *Tum mihi prima genas vestibat flore juventa.*

333. Ald., Bas, Westh. in textu, *Vivens hic meus est.* Alii editi, Westh. ad marg. cum mss. nostris, *Unicus hic meus est.* Ald., Bas., Poelm. pro d. s., Torn., *voluptas.* Mss. nostri cum aliis editis, *voluntas;* et glossa in Reg., *in quo mihi bene complacui.* Etsi *voluptas* videatur magis proprium, tamen auctoritatem mss. exemplarium sequamur, præsertim quia ad voluntatem pertinet, quod dicitur, *in quo mihi bene complacui.* In primo hemistichio sine dubio potior est scriptura codicum mss., nam verbum *Unicus* exprimit, quod in Evangelio dicitur, *Hic est Filius meus dilectus*, aut *dilectissimus*, ut in versione antiqua ex codice Colbert., vel *charissimus* ex codice Corb. I. Evangeliarium Tridentinum : *Hic est filius meus dilectissimus, in quo bene sensi.*

337. Rom., *ni ;* Reg., Ott. cum nonnullis editis, *nisi.* Poelm. pro d. s., Ald., Fabr., Bas., Torn., *quam.* Equidem bene Latinam existimo hanc loquendi rationem, *Nec prius audebant, nisi dextera firmasset*, etc. Non sunt certe omnino similia, sed tamen non sunt valde dissimilia hæc : Cæsar libr. I Bell. Gallic., cap. 31 : *Non posse ejus imperia diutius sustineri, nisi quid in Cæsare sit auxilii.* Alii alio modo interpungunt. Horatius lib. I, sat. 5, vers. 79 : *Numquam erepsemus, nisi nos vicina Trivici — Villa recepisset.*

NOTÆ.

316. CAPUT XII. *Transfigurasse se Jesum in monte.* Matth. XVII, 1 seqq.; Marc. IX, 1 : Luc. IX, 28.

317. *Lumina bis terna dierum*, positum id est pro sex dies.

323. *Assistere*, adesse : eodem modo libr. I, vers. 617 : *Et precibus gaudii gaudent assistere turbas.*

325. Matthæus : *Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum : Domine, bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum.* Juvencus id amplificat : sed cur ait, *Respice, num nobis potius*, etc.? Fortasse interrogative legebat, *Domine, bonum est nos hic esse?*

328. *Paratu*, apparatu. Val. Flaccus l. II, vers. 652. *Mensæque paratu — Regifico.*

330. *Præfulgidus* solius Juvenci auctoritate a Forcellino inter verba Latina collocatur. Omeisius eam vocem tribuit etiam Julio Firmico. Latini *præfulgens* potius dicunt.

331. *Vestibat lumine montem :* elegans metaphora. Virgilius l. VI, vers. 640 : *Largior hic campos æther et lumine vestit — Purpureo, solemque suum sua sidera norunt.* Adde Lucretium l. II, vers 142 : *Convestire sua perfundens omnia luce.*

332. Libr. I, vers. 396 : *Tum vox missa Dei longum per inane cucurrit.*

333. *Unicus*, unigenitus, adeoque impense, et unice dilectus.

336. *Prono*, quo proni ceciderant in faciem suam.

338. *Demulcens firmasset pectora :* idem accusativus a duplici verbo regitur, ut sæpe vidimus.

Surgite, et abjectum fortes calcate timorem,
Nec cuiquam præsens pandatur visio vobis,
272 Ni prius huc hominis soboles speciosa [reportet
273 In lucem referens mortis de sede tropæa.
Consurgunt, solumque vident, et voce requi- [runt,
Cur scriptis veterum Scribarum factio certet,
Eliam primum cœli de sede reverti
In terras, Christique dehinc consurgere lucem.
Christus ad hæc : Veniet certo sub tempore [justus
Elias, reddens mox omnia debita sæclo.
Sed si quis credit, jam venerat ante renascens,

LECTIONES VARIANTES.

340. Ott., vetus codex post vers. *Surgite* illico exprimit hunc *Nec cuiquam*, omisso quovis alio versu : sic etiam edidit Ald., et Bas. Alii inter versum *Surgite* et *Nec cuiquam* inserunt alium versum, quo hæc eadem sententia continetur, *Nec cuiquam præsens pandatur visio vobis*. Variant autem mss. codices, et editiones in hoc versu intrudendo. Reg., Rom., *Horomatis hujus expertes facite cunctos*. In Reg. est glossa : *Horomatis — oraculi, vel visionis;* in Rom. scribitur *Horromatis*. Versus ita expositus absonus est, et exlex, adeoque Juvenco indignus. Alii ergo alio modo reformarunt. Poelm. pro d. script., *Oramatisque hujusce expertes reddite cunctos*. Toru., *Horamatis hujus expertes vos reddite cunctos :* omitti debet *vos*, ut versus constet. Fabricius, Davent., Poelm. in textu, Hadam., *Gloriæ et hujusce expertes vos reddite cunctos*. Beda Retract. in Act. Apost. cap. IX, vers. 11 et 12: *Ecce enim orat : et vidit virum Ananiam*, sic ait : *In Græco habetur ita : Et vidit in visu virum, hoc est, ἐν ὁράματι, quod nomen et Juvencus presbyter in evangelico carmine posuit dicens : Horomatis hujus expertes reddite cunctos.* Labbeus De script. eccles. ubi de Juvenco agit, observat hanc lectionem a vulgata versione abesse, scilicet a plerisque vulgatis editionibus Juvenci, quia imperitus librarius, aut temerarius corrector, eam dictionem *horamatis* cum ignoraret, in *gloriam* vertere maluit, quam in luto hærere. Schœttgenius etiam putat Juvencum reliquisse *horamatis* verbum ex textu Græco. Contra Omeisius et Joach. Kuhnius in litteris ad Kœnigium datis hunc versum tamquam spurium rejiciunt, quem in suo codice non exstare affirmat Kuhnius. Quod autem is asserit, editionem Antonii Nebrissensis, quæ prima cum enarrationibus suis dedit Juvencum, e margine in textum hunc versum recepisse, id falsum omnino esse, ostendi in Prolegom. n. 71, cum nulla quidem exstiterit editio Juvenci cum enarrationibus Nebrissensis. Magnum profecto pondus ex auctoritate Bedæ accedit huic versui *Horomatis hujus expertes reddite cunctos*. Nihilominus censeo, eum spurium esse, et ante Bedæ tempora in aliquos codices irrepsisse. Cum enim hæc vox *horama* bonis Latinitatis auctoribus ignota sit, et sequiori ævo apud monachos frequenter usurpata appareat, æquum est conjicere, aliquem glossatorem versum Juvenci, *Nec cuiquam præsens pandatur visio vobis*, ita explicuisse : *Horamatis hujus expertes reddite cunctos*, aut, si versum noluit componere, *facite cunctos*. Procedente tempore hic versus simul cum altero genuino in textum intrusus est; et cum ea dictio *horama* minus postea fuisset usitata, aliqui clarius rescripserunt : *Gloriæ et hujusce expertes reddite cunctos* : ex qua mutatione etiam fit, ut expressa mentio visionis in utroque versu non occurrat. *Horama*, vel potius *orama* sine aspiratione ab scriptoribus infimi ævi diverso quantitatis intervallo effertur. Aldhelmus de Laude virg., cap. 26 : *Orama per noctem cernebat rite supernum*. Gualdo monachus Corbeiensis in Vita S. Anscharii, cap. 16: *Pœna mali vindex fuit hujus oromatis index*. Nonnulli scribebant *oroma*. De hujus vocabuli usu apud scriptores medii, et infimi ævi Ducangius plura profert ex passione SS. Perpetuæ et Felicitatis, ex Vita S. Willebrodi, ex S. Gerardo, ex Rodolpho Tortario, ex Ugutione, ex Olberto Abbate Gemblac., ex Fulcuino, ex Fridegodo, et Ermenrico. De versu vero, qui vere Juvenci est, hoc notandum, mirifice eo explicari verba Matth. XVII, 9 : *Nemini dixeritis visionem*. Hæc eadem dictio *visio*, aut *visum* in aliis veteribus versionibus sacræ Scripturæ reperitur, in nulla autem earum *orama*.

343. Mss., cum plerisque editis, *solumque vident, et voce requirunt*, Hadam., Poelm. in textu *solidumque vident*. Poelmann. pro d. s., Westh. in textu, *solumque videntes voce requirunt*. Westh. ad marg., *solidumque videntes voce requirunt*. Reuschius conjicit *solitumque vident*, hoc est, solita specie, sueta figura. Sed sacer textus aliud suadet Matth. XVII, 8: *Levantes oculos neminem viderunt, nisi solum Jesum :* quod paulo ante dictum, sed a Juvenco hoc loco opportune refertur.

344. Rom., *sanctio :* lege *factio*, ut sæpe alibi hoc vocabulum occurrit.

347. Ott., *certe;* alii, *certo*.

348. Westh. in textu *cœlo*, ad marg. *sæclo*. Reuschius *cœlo* cum Badio reciperet, si quidem codices hanc lectionem firmarent : nam propius ea accedit ad textum Græcum.

NOTÆ.

339. *Abjectum*, ab effectu; qui eos abjecerat.

340. *Vobis* pro *a vobis :* phrasis Juvenco valde familiaris.

341. *Huc*, in Galilæam, exponit Schœttgenius ex Marc. XVI, 7 : *Quia præcedit vos in Galilæam : ibi eum videbitis*. Melius tamen interpretabimur *huc*, in orbem terrarum, in terras, ut hæ ab inferis distinguuntur.

342. Idem accusativus *tropæa* cum duobus verbis *reportet referens*, ut nuper observabam.

344. Matthæus : *Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes : Quid ergo Scribæ dicunt, quod Eliam oporteat primum venire?* Marcus : *Et interrogabant eum, dicentes : Quid ergo dicunt Pharisæi et Scribæ, quia Eliam oportet venire primum?* Hæc nempe erat seniorum traditio, quam Juvencus vocat *scripta veterum*, ut h. l. vers. 136 *præcepta veterum*. Hanc traditionem Judæorum sic exponit Trypho in Dialogo cum Justino Martyre : *Christus siquidem natus est, et alicubi exstat, Ignotus est, ac ne ipse quidem seipsum scit, neque potestate aliqua præditus est, donec adveniens Elias illum unxerit et manifestum omnibus reddiderit*. Putabant etiam Eliam ante Christum omnia restituturum in meliorem statum. Hinc discipuli, cum vidissent Eliam protinus evanuisse, interrogabant, cur Scribæ ex traditione seniorum adventum Messiæ post Eliæ adventum docerent.

346. *Christi lucem*, Christum in carne manifestatum, qui vera lux est mundi. Libr. IV, vers. ult : *Per Dominum lucis Christum*.

347. Ante secundum Domini adventum Elias restituet omnia : quo spectat prophetia Malachiæ IV, 5 : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis*. Reuschius *sæclo* accipit pro hujus vitæ conditione, vel pro hominibus in sæculo viventibus.

349. *Renascens :* Omeisius vel pro simplici *nascens* accipit, vel metempsychoseos semina agnoscit, quam certe ut in Juvenco agnoscamus, nulla nos cogit ratio. Nihil enim aliud exprimit, nisi venisse Joannem in virtute Eliæ ex cap. I Lucæ, vers. 17,

274 Ignotum veluti rabies quem cæca furoris
Demersit letho; mox sævior altera sedes
En hominis nato trucibus laniatibus instat.
Hæc ait, et populum repetit, montemque relinquit.
Ecce sed inflexis genibus, fletuque solutus
Vir senior, precibus Christum veneratus adorat:
Davidis soboles, hominum lumenque salusque,
Te precor, horribilem nati de corpore morbum
Proturbes, reddasque seni solatia vitæ.
Nam cursus lunæ natum mihi dæmonis arte
Torquet, et in liquidas dejectum projicit undas,
Aut miserum medio projectum volvit in igni.
Nam tua discipuli sectantes jussa, frequenter
Connixi, nulla in solidum mihi dona dederunt.

275 Tum Christus, magno commotus corda dolore:
O gens nullius fidei, gens effera semper,
En etiam patiar, vobiscum me fore terris?
Sic ait, et puerum mandat perferre parenti
Ante suos vultus. Tum vocis pondere multo
Incubuit, mentisque simul convulsa venena
Dæmonis horrendi, purgato corde, fugavit.
Discipuli rogitant cur non successerit illis
Ejusdem pueri toties tentata medela.
Respondit Dominus: Labat quia pectore vestro
Instabilis fidei nutans per lubrica gressus.
Nam si certa foret credendi portio vobis,
276 Instar quæ minimi posset præstare sinapis,
Istius hinc montis possetis vellere verbo,

LECTIONES VARIANTES.

351. Variant mss. et editi: sed melius est *demersit*, quam *dimersit*. Conjiciebam *Demisit letho*, ut vers. 489, *letho demittere*. Verum Horatius l. III, od. 16, dixit. *Demersa excidio*.

352. Ott., *Inque hominis*: retine *En hominis*. Ald., Bas., *laniantibus*, retine *laniatibus*. Westh. in textu, *instat;* ad marg., *instar*, nescio quo sensu.

356. Reg., *sobolis* pro *soboles*, ut in aliis veteribus codicibus *famis* pro *fames*, et similia.

357. Rom., *natum*, supra *nato;* alii, *nati*.

358. Mss. cum Torn., *Proturbes*, ut *hostem proturbare* apud Livium, et Virgilium. Aldus, cum aliis editis, *Perturbes*.

359. Rom., *Nam lunæ cursus natum;* alii, *Nam cursus lunæ*.

360. Rom., *protrahit;* cæteri, *projicit;* Reg. et Ott. scribunt *proicit*.

364. Rom., Hadam., Poelm. in textu, *corde;* Ottob., Reg. a sec. m., Ald., Torn., Bas., *corda;* et glossa Reg., *per corda*.

366. Rom., *An etiam patiar;* melius alii, *En etiam*.

367. Ott., *præferre*, quod fortasse fuit etiam in Reg. Alii, *perferre*.

368. Rom., *pondere magno;* reliqui, *pondere multo*.

369. Reg., *mentisque sinu;* et glossa, *id est, a corde*, et postea alia glossa in *convulsa*, scilicet *ejecta*.

373. Mss. omnes nostri cum Daventr., Ald., Bas., *labat*. Hadam., Torn., Poelm., Fabr., *titubat*. Alibi etiam ex fide nonnullorum codicum *labat* occurrit prima producta, ut l. II, vers. 437. Genuina igitur lectio videtur esse *labat*, non *titubat*, quamvis ad rationem metri propius accedat *titubat*, aut etiam *lapsat*.

375. Rom., *Jam si;* Torn., *Sed si;* alii, *Nam si*. Ott., Rom., *certa foret;* reliqui, *tanta foret*. Reuschius præfert *certa*, quia præcessit *titubare*, vel *labare*, *instabilis*, *nutans*. Hadam., et Poelm. pro d. s., *nobis*, minus bene pro *vobis*.

376. Ald., Bas., Poelmann. pro d. s., *Quæ minimi posset granum præstare sinapis*. Reg., Rom., Ott., cum plerisque editis, *Instar quæ minimi posset præstare sinapis*. In Rom. est. *Instar quod;* in Ottobon., *possit;* in Reg. glossa, *præstare—scilicet hoc vobis*. In vulgata lectione intelligi potest. Si tanta vobis esset fides, quæ instar minimi sinapis posset *præstare*, hoc est, eminere, vel etiam prodesse: nam *præstare* pro *prodesse* aliquando simpliciter ponitur, ut docui ad Dracontium vers. 607, carm. de Deo, libr. II, et vers. 64. Satisfact. Kœnigius melius explicat, quæ posset præstare instar (similitudinem) minimi sinapis: nam *instar* occurrit in nominativo, et accusativo. Pro *sinapis* fortasse legendum *sinapi*: nam *sinapi* neutro genere indeclinabile est, *sinapis*, *sinapis* cum declinatur, feminei generis est, adeoque deberet reponi *minimæ*. Verum *sinape*, *sinapis* neutro genere declinabile multi admittunt ex Petronio, et Apicio, nonnulli etiam ex Columella. Adisis Forcellinum verb. *Sinapi*.

377. Ott. a pr. m. *hic*, a sec. m. *hinc* cum cæteris. Mss. nostri cum Ald., Torn., Bas., *possetis*. Hadam., Poelm., Fabr., *poteritis*, sic *poterimus* occurrit apud Juvencum, tertia producta.

NOTÆ.

de Joanne Baptista: *Et ipse præcedet ante illum in spiritu, et virtute Eliæ*.

350. Matthæus: *Dico autem vobis, quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic et Filius hominis passurus est ab eis*. Est igitur comparatio *veluti* referenda ad *alteram cædem*, etc.

353. CAPUT XIII. *Puerum lunaticum curatum esse: montemque e loco movere posse, qui tantam habeat fidem, quantum est sinapis granum*. Matth. XVII, 14 seqq.; Marc. IX, 16; Luc. IX, 36.

355. Lucas ait: *Vir de turba exclamavit*. Juvencus *seniorem* vocat, fortasse quia et vir erat, et pater. Iterum vers. 358: *Reddasque seni solatia vitæ*. Hoc etiam loco idem accusativus *Deum* conjungitur duobus verbis *veneratus adorat*.

356. Libr. I, vers. 512: *Terris lumenque, salusque*.

359. Libr. I, vers. 482: *Nam lunæ cursum comitata insania mentis*.

363. *In solidum* pro solide, plane, integre, vere. Apuleius adverbii more dixit *solidum* l. V Metam. Virgilius l. II Georg., vers. 78: *Aut rursum enodes trunci resecantur, et alte — Finditur in solidum cuneis via*, ubi subauditur *lignum*, vel *robur*. Ex usu forensi *in solidum* sumitur pro in totum, aut omnino. Omeisius explicat: *Mihi solide satisfacere non potuerunt*.

368. Matthæus: *Et increpavit illum Jesus, et exiit ab eo dæmonium*. Evangeliarium Tridentinum: *Et corripuit illum Jesus, et exivit ab eo dæmonium*. Hilarius in hunc loc.: *Objurgatis his, et increpato dæmone, sanus puer factus est*.

369. *Mentis convulsa venena dæmonis horrendi:* duo genitivi ab eodem substantivo reguntur in communi hac scriptura, ut observatum etiam fuit a Reuschio l. I, vers. 193. Vide etiam libr. II, vers. 313, 436.

370. *Dæmonis horrendi:* alibi dæmon dicitur *ater*, ut l. II, vers. 439.

371. *Illis* pro *ipsis* positum, ut advertit Omeisius.

374. *Lubricum* substantivi more accipiunt Plinius Junior, Macrobius, Ulpianus, Papinianus, ut veteres scriptores Christianos omittam.

Inque alias sedes cunctam transvolvere molem. A
Nam genus hoc morbi precibus sine fine fidesque,
Multaque robusti jejunia pectoris arcent.
Inde Capharnaum gradiens pervenerat oras.
Convenere Petrum, quibus instat cura tributi,
Solvere poscentes solitum pro nomine Christi.
277 Ille sed ad Petrum conversus, talia fatur:
Dic, inquit, reges, quorum dependere natos,
Externos, propriosne sibi jussere tributa?
Respondit Petrus: Alienos solvere certum est.
Cernis, ait Christus, natum non solvere regis?
Sed ne quem lædam, præceptum suscipe nostrum:
En maris undisoni rupes quæ prodit in altum,
Scandatur tibi summa, Simon, hamusque profundo
Stamine setarum connexus præcipitetur.
Hæserit et curvo qui primus acumine piscis,
Hujus pandantur scissi penetralia ventris.
Illic inventum duplex dissolve tributum.
278 Discipuli post inde rogant, quis maximus alto
In cœli regno meritis pro qualibus esset.
Tum Christus medio puerum consistere cœtu
Præcipit, et placido doctor sermone profatur:
Quisque cupit celsam cœli conscendere sedem,
En hujus pueri similem se fingere certet:
Erroris laqueos sæclis increscere certum est.

LECTIONES VARIANTES.

378. Reg., *Hincque alias sedes ;* lege *Inque alias.* B
379. Torn., Poelm. pro d. s., Fabr., *Nam genus hoc morbi dumtaxat vota, precesque.* Ott., cum Ald. et plerisque editis, *Nam genus hoc morbi precibus sine fine, fideque.* Vera scriptura exstat in Rom. et Reg., *Nam genus hoc morbi precibus sine fine, fidesque*,quod explicat glossa in Reg., *Et fides cum precibus, et multa jejunia arcent.*

381. Fabr., *Capharnitum* pro *Capharnaum.* Mss., *pervenerat oras.* Sic etiam nonnullæ editiones. Aldus cum Torn., Bas,, Poelm. pro d. s., *pervenit ad oras.* Sed *pervenio* invenitur etiam cum accusativo sine præpositione. Ovidius III Met., vers. 462: *Verba refers aures non pervenientia nostras.*

383. Mss., et plerique editi, *solitum.* Ott. etiam ad marg., *solitum*, in textu verbum abrasum est. Hadam., Poel., Fabr., *solidum.* Intelligunt hi editores nummum aureum integrum, et justi ponderis, qui posteriore ævo *solidus* dicebatur, et cujus valor non idem quovis tempore fuit. In Evangelio fit mentio didrachmæ, non solidi : didrachma autem, ut supputat Calmetus in Diction. Bibl., solidis decem, et denariis duobus respondebat. Præstat igitur legere *solitum*, videlicet tributum. C

385. Ott., *rependere;* alii, *dependere*, quod metro magis congruit. Alioquin *re* in compositis nonnumquam producitur.

386. Ald., Bas., *propriosve;* alii, *propriosne.* Westh. in textu, *sive;* ad marg., recte, *sibi.* Rom. in textu, *jussere;* ad marg., *misere*, aut mendose *missere*, quod non ita clarum est. Mutari non debet *jussere.*

387. Poelm. pro d. s., *Petrus his : alienos.* Deest *his* in plerisque, et necessarium quidem non est.

390. Mss., cum Ald. et aliis, *En maris.* Hadam., Poelm., Fabr., *Et maris.* Rom. ad marg., *undosum* pro *undisoni*, videlicet *undosum in altum.* Ott., *rupis quæ prodit in æqua*, sed factum *in altum* eadem veteri manu. Poelm. in textu *in altum :* pro d. s., *in æquor.*

394. Ott., *pandatur;* supra, *pandantur.*

395. Ald., Poelm. pro d. s., Torn., Bas., *invento*, nimirum solve tributum ea re, quam illic inveneris. Plerique, cum mss., *inventum.*

397. Ott., *In cœlis regno;* lege, *In cœli regno.* Bas. contra metrum *meritisque pro* ex Aldo scilicet, qui ita edidit, sed Aldus errorem in Erratis animadvertit, et emendavit.

399. Reg., *Præcepit et placido*, resistente metro.

400. Reg., Ott. hunc ordinem servant, primum *Quisque cupit*, tum *En hujus.* Rom., cum editis, priori loco, *En hujus;* posteriori, *Quisque cupit.* Aldus edidit, *Quisque cupit celsam cœli conscendere sedem ;* in Erratis reposuit, *Qui cupit excelsam cœli conscendere sedem.* Sed genuina lectio est *Quisque cupit :* nam a Juvenco, et æqualibus ejus *quisque* pro *quicumque* sæpe adhibetur, ut ostendi in Comment. ad Prudentium hymn. 7 Cath. vers. 216, et in not. ad Dracontium libr. II, vers. 719.

401. Reg., Rom. ad marg., *En hujus pueri similem se fingere certet.* Ald., Davenir., Torn., Hadam., Bas., *En hujus similem pueri se reddere certet.* Rom. in textu, *Istius en pueri similem se moribus aptet*, quod videtur voluisse Ott., ubi est *sermonibus* pro *se moribus.* In Ott. pro d. s. indicatum est *Istius en pueri similem se fingere certet.* Ita edidit Fabricius, sed *fingere* mutavit in *reddere.* Omeisio non displicebat lectio quorumdam codicum suorum *pueri similem se moribus aptet*, nempe animo, qualis pueris esse solet, simplicissimo. In nostra lectione *fingere* est formare, quod non intellectum varietatem scripturæ peperit.

NOTÆ.

378. *Transvolvere.* Prudentius hymn. Cathem. D vers. 29 : *Donec rotata annalium—Transvolverentur sæcula.*

380. *Robusti pectoris*, ut l. I, vers. 407 : *Sed contexta simul firmi jejunia cordis.*

381. CAPUT XIV. *Petrum in piscis ore nummum invenisse, quo tributum solveret.* Matth. XVII, 23. Badius notat, *Capharnaum*, penultima producta, poni, ut *Menelaus.*

386. Ordo hic est: Dic, reges quorum natos jussere sibi dependere tributa, externos, propriosne? Sententia clara est.

389. Matthæus: *Ut autem non scandalizemus eos.* Ambrosius in psalmum XLVIII: *Ut autem non faciamus illis offendiculum . . . mitte hamum*, etc. Eodem sensu Juvencus, *Sed ne quem lædam.*

390. *Undisoni:* hac voce usi sunt Propertius, Statius, Val. Flaccus, Dracontius. Amplificat Juvencus verba Matthæi, qui ita solum ait: *Vade ad mare, et mitte hamum : et eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et, aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro me, et te.*

394. Cur *penetralia ventris*, cum sermo tantum sit de ore? Sic enim Vulgata: *Et aperto ore ejus, invenies staterem.* Intelligit Juvencus os aperiendum, ut e penetralibus ventris stater extrahatur. Quod fortasse innuit Itala in Evangeliario Tridentino: *Et ascendentem primum piscem affer, et aperi os ejus, et inveniens in illo staterem, sume illum*, etc.

395. *Dissolvere* pertinet ad æs alienum, ut *dissolvere pecuniam, æs alienum*, et similia.

396. CAPUT XV. *Qui in cœlum ascendere velit, humilem, qualis puer est, esse oportere, ac ne unum quidem decipiendum puerulum, et qui deceperit, dignas pœnas daturum.* Matth. XVIII, 1, etc.; Marc. IX, 33; Luc. IX, 46, XVII, 2.

402. *Erroris laqueos :* vide not. ad h. l. vers. 12, *Sæclis* pro hoc mundo. *Væ mundo a scandalis*, etc.

Sed tamen infelix, per quem generabitur error. A
Qui vero e parvis istis deceperit unum,
Si sapiat, nectat saxo sua colla molari,
279 Præcipitemque maris sese jaculetur in [undas.
Nec quisquam fastu parvos contempserit istos.
Horum custodes cœlesti in sede tuentur
Altithroni vultum genitoris sidera supra.
Sed siquis pastor, cui pascua credita tondent
Centum balantes, unam cum forte seorsum
Nescius error habet, quæsitor deserit omnes,
Unius et totis lustrat vestigia silvis ;
Illam si magno possit reperire labore,
Lætitia inventæ major tum nascitur agnæ,
280 Quam pro cunctarum numero quod nulla [resedit :
Ex istis parvis Genitor sic perdere quemquam
Non patitur, gaudetque suis increscere regnis.
Si fratrem proprium delicto commaculatum
Cernis, secreto mox dictis corripe solus.
Si tua verborum patiens moderamina laudat,
Labentis mentem frater lucrabere fratris.
Sin tua solius contemnet verba relinquens,
Tunc alius monitor pariter pia jussa frequentet.
Sed si decutiet doctorum frena duorum,
281 Tunc ad concilium referantur crimina [plenum,
Ut populi saltem sanetur pondere victus.

LECTIONES VARIANTES.

405. Reg., *collo* ; lege *colla*.

410. Ott., *Et siquis* ; Ald., Bas., *Sed siquas* ; Reg., cum aliis, *Sed siquis* ; in Reg. tamen mendose scriptum est *Set*. Ald., *tondant* ; plerique, *tondent* ; in Rom. error est *tondet*. Sabatierius edidit, *Sed siquis pastor : cui pascua credita, tondens — Centum balantes*, quod, opinor, ex ingenio ejus est.

416. Ald., *Quod pro*, postea obscure *quod nulla*, vel *quam nulla*. Alii *Quam pro cunctarum numero quod*. Ald., Bas., Poelm. pro d. s., *recessit* ; cæteri *resedit :* quod amplectitur Reuschius. Oves enim a grege raro, aut numquam solent, recedere. Reg. distinguit, *numero, quod nulla resedit — Ex istis : parvis* cum glossa in *parvis — ex pusillis*. Parum commoda est hæc distinctio.

418. Ott., *concrescere* ; alii, *increscere*, ut vers. 402, pro *crescere*.

419. Reg., Ott., *proprium*, quod magis placet, quam *proprio* cum Rom., et editis. Respondet autem verbum *proprium* verbo *tuum*. Matth. XVIII, 15 : *Si autem peccaverit in te frater tuus... lucratus eris fratrem tuum* ; et vers. 21 : *Si peccaverit in me frater meus*.

B 420. Rom., *secretis*, quo fortasse respicit Reg. *secretim :* quamquam hoc ipsum adverbium *secretim* a Tertulliano et Ammiano usurpatum est. De adverbio *secreto* nonnihil dixi ad vers. 205 libri hujus.

423. Reg. a sec. m., *contemnit* ; videtur prius fuisse *contemnet*. Ottobon., Reg., Rom., Daventr., et Ald., *relinquens* ; alii editi, *reluctans*. Retineo *relinquens*, ut idem accusativus *verba* pro verbo *contemnet*, et participio præsenti *relinquens* deserviat, ut in phrasi simili dictum vers. 304 h. l. *Abneget ipse sibi, corpusque animamque recusans*.

424. Mss. Reg., Rom., Ott., *Tunc alius monitor pariter* ; in Ott. est *Tum*, quod metro non congruit, et fuit *alios*, ex quo factum *alius*. Fabr., *Tunc alius pariter monitor* ; plerique editi, *Tunc aliis pariter monitor*. Torn., *frequentes* ; emenda, *frequentet*.

425. Rom., *discutiat* ; Ott., *dicutiet* ; sed fortasse fuit *discutiet*. Reg., *descutiet*. Editi, *decutiet*, quod verbum in discrepantia codicum mss. præferendum C videtur : siquidem occurrit etiam libro hoc vers. 193.

426. West. in textu, *Tunc ad consilium* ; ad marg., rectius, *Tunc ad concilium*. Rom. in textu, *concilium* ; ad marg., *judicium*.

NOTÆ.

Certum est poni solet pro *definitum, deliberatum est*. Hic significat *necesse est*. Observandum, Juvencum sententias trajicere : nam apud Matthæum prius reperitur, *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis*, etc., quod postea refert Juvencus v. 404.

403. *Generabitur :* Quintilianus libr. VII, cap. 3 : *Verba quæ litem generant*.

404. *Parvis*, pueris. Vide not. ad Dracont., l. II, vers. 513.

405. *Saxo molari*. Sic Prudentius, de S. Quirino, hymn. 7 Peristeph., vers. 21 : *Summo pontis ab ardui — Sanctæ plebis episcopus — In præceps fluvio datur, — Suspensum laqueo gerens — Ingentis lapidem molæ*. Et Lactantius c. 15 de Mortib. Persecut. : *Domestici, alligatis ad collum molaribus lapidibus, mari mergebantur*. Lucas vocat *lapidem molarem*, Matthæus et Marcus *molam asinariam*, quia lapis superior molæ ὄνος Græce, hoc est, *asinus* appellabatur. Cato de Re rust. c. 10, *Molas asinarias unas, et trusatiles unas* ; al., *duas*. Quod attinet ad sententiam, Juvencus ait, *Si rapiat, nectat*, etc., *sese jaculetur*, etc. Matthæus ait : *Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris*. Marcus : *Bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur*. Sensus est : Qui scandalizaverit unum ex his pusillis, majores pœnas dabit, quam si mola asinaria suspenderetur collo ejus, etc. Juvencus videtur sic interpretari : Potius eligere deberes demergi in profundum maris ; etc., quam unum ex his pusillis scandalizare. Favet huic interpretationi Marcus, qui ita pergit : *Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam. Bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam :* et Lucas apertius : *Utilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis*. Quod in Evangeliario Tridentino sic refertur : *Expedit, ut lapis molæ circumjectus sit circa collum ejus, et projectus sit in mare, quam ut scandalizet unum ex pusillis istis*.

406. *Sese jaculetur :* vide l. I vers. 424.

409. *Altithroni*, ut l. I, vers. 32. *Sidera supra*, D præpositio postposita. Virgilius l. XI, vers. 509 : *Est omnia quando — Iste animus supra*.

411. *Balantes* pro ovibus poeticum est. *Centum* pro numero indefinito accipit Omeisius. Idem numerus in Evangelio refertur.

415. *Agnæ*, nempe ovis.

416. Ablativus cum particulis *quam pro* eleganter ponitur post comparativum. Livius libr. X, c. 14, *Minor cædes quam pro tanta victoria fuit*.

419. CAPUT XVI. *Quonam modo aliena vitia corrigere oporteat*. Matth. XVIII, 15 seqq. ; Luc. XVII, 3. Fratres et sorores se invicem appellabant Christiani veteres. Consule Comment. ad Prudent. hymn. 2 Per. vers. 73.

423. *Sin tua solius*, etc., si contemnet tua verba, cum solus, et secreto eum corripis.

424. *Alius monitor :* Matthæus ait : *Adhibe adhuc tecum unum, vel duos*, quod versu seq. explicat Juvencus.

427. *Populi*, nempe multitudinis.

Sin et multorum contempserit efferus ora,
Sit tibi divisæ mulctatus nomine gentis.
Namque in concilium semper præsentia nostra
Adveniet, mediumque duum me stare necesse [est,
Sive trium fuerit cœtus sub nomine nostro.
Tum Petrus quærit, quot fratri errata re- [mittat,
Vel septem lapsus hominum si ferre liceret.
Christus prosequitur : Non septem crimina tan- [tum,
Sed decuplata super donentur vulnera fratri.
282 Nam cœli regnum Domini prædivitis aulæ
Consimile est, nummi rationem qui sibi poni
Jusserit, et servum, debentem multa talenta,
Præcipit abreptum cum conjuge, progenieque, B
Atque opibus cunctis venali nomine sisti.
A Tum servus dominum prostrato corpore adorat,
Et spondet, spatii sibi si foret ulla facultas,
Omnem nummorum domino dissolvere sum- [mam.
Commovit dominum famuli miseratio flentis,
Cunctaque trans meritum concessit debita servo.
Ille sed egrediens conservum limine in ipso
Nactus constringit : tum debita fortior urget
283 Persolvi, precibusque locum truculentus [abegit,
Carceris et mersum tenebris, pœnisque pre- [mebat.
Quæ postquam dominus famulorum noscere [verbis
Incipit, adducto ingessit justissima servo
Dicta dolens, iramque movet, jussisque severis
In tormenta ferum detrusit, cuncta revolvens

LECTIONES VARIANTES.

429. Ott., Rom. ad marg., *diversæ:* melius *divisæ*. Ott., Reg., a pr. m., *mutatus*. Rom. cum editis probe, *multatus*, vel *mulctatus*.

433. Bas., corrupte, *Tum Petrus quærit, quod fratri permittat*.

434. Mss. nostri omnes, *Vel septem lapsus hominum si ferre liceret :* et glossa Reg., *ferre—sustinere*. Editi, *An septem lapsus homini indulgere liceret*. Rarum quidem est *si* pro *an* cum *quæro*, et hujusmodi verbis, sed invenitur tamen a bonis scriptoribus usurpatum. Livius libr. XXXI, cap. 9 : *Ad collegium pontificum referre consul jussus, si posset recte votum incertæ pecuniæ suscipi ;* et libr. XXXIX, cap. 50 : *Accepto poculo, nihil aliud locutum ferunt, quam quæsisse, si incolumis Lycortas.... equitesque evasissent*. Restituenda ergo est Juvenco sua scriptura ex codd. mss., eoque etiam magis, quia eadem phrasi usus est h. l. vers. 593 : *Tum quærit Christus, calicem si sumere possent*.

437. Mss. omnes nostri, *domini ;* et glossa Reg., *pro domino*. Editi, *domino*, non male ; sed retinere præstat codicum mss. lectionem.

444. Rom., Ald., Bas., *persolvere ;* alii, *dissolvere*, ut supra v. 395, *dissolve*.

447. Bas., *limite in ipso* minus bene, et fortasse mendose.

448. Hadam., Poelm. in textu, Fabr., *fortius*. Mss., et plerique editi, *fortior*.

450. Reg., *Carceris immersum tenebris ;* alii, *Carceris et mersum tenebris*. Rom., mendose, *Carceris et emersum*.

NOTÆ.

429. Juvencus pro excommunicato accipit, ut exponit Kœnigius.

431. *Duum* pro *duorum*. Priscianus l. VII docet, in neutris solum dici *duum*, in masculinis *duorum*. Sed apud antiquos reperitur et *duorum* in neutris, et *duum* in masculinis. Confer Charisium l. I, et Ciceronem in Orat., cap. 46.

433. CAPUT XVII. *Veniam dandam erranti septuagies septies*. Matth. XVIII, 21, etc. ; Luc. XVII, 4.

436. *Decuplata*, decupla, decies in se continens numerum septem, adeoque septuagies septies, ut in Evangelio legitur. Apud Juvenco antiquiores non invenitur *decuplatus*. Kœnigius ex Augustino profert *numerus decuplatus*. Livius lib. XXXIX, c. 44, dixit : *Uti ea quoque decuplo tanto pluris, quam quanti essent, æstimarentur*. Quam scripturam, a Manutio et Scheffero probatam, a Grutero et Gronovio sollicitatam, hic locus Juvenci tuetur. Alii apud Livium legunt *decem tanto*, alii aliter. *Super*, ut alibi dictum, est insuper, præterea. *Donentur*, condonentur : de quo vide not. ad l. II, vers. 81. Sabatierius conjungit *superdonentur*. De voce *vulnus* pro injuria, casibus adversis, etc., vide Comment. ad Prudent. Psychom. vers. 695, et hymn. 9. Peristeph. v. 7. Sumitur etiam pro scelere, et crimine, ut probat Arntzenius ad Sedulium libr. IV, vers. 77.

437. CAPUT XVIII. *Parabola, Cuinam simile sit regnum cœlorum*. Matthæi c. XVIII, vers. 23, seqq.

441. *Sisti:* verbum forense.

442. *Adorat :* sacer textus : *Orabat eum*. Versiones veteres vel sic. vel *Rogabat eum*. Evangeliarium. Tridentinum : *Et obsecravit dominum suum, dicens*. In Cantabr. invenio verbum Juvenci : *Cadens autem servus ille, adorabat eum, dicens*.

445. *Trans meritum*, ultra, præter meritum. Sæpe *trans* accusativum loci regit. Translate auctor Declamationum sub Quintiliani nomine decl. 6, c. 10 : *Non nisi ab ultimo parricidio exigitur pœna trans hominem*, nempe ultra vitam hominis, seu postquam homo esse desiit. Kœnigius interpretatur *trans meritum*, h. e., gratis, præter, vel supra meritum.

448. Matthæus : *Et tenens suffocabat eum*, quia ad solvendum adigebat. Hinc *constringit*, quod significat etiam suffocare, suggillare, ut dixi in not. ad libr. II, vers. 752. Metaphorice autem hæc dicuntur, ut Hispanice *Me sofoca*, *No me deja respirar*. Apuleius Metam. l. IX : *Philebum, cæterosque comites ejus involant avidi, colloque constricto... identidem urgenti sermone comprimunt*, etc. Cui loco utraque significatio congruit. De hoc verbo *suggillo* alia legi possunt apud Mazochium tom. I Spicil. Biblic., c. XXVII, Genes. vers. 38, 39. In Evangeliario Tridentino hic locus ita exhibetur : *Et detinens illum, suffocabat illum, dicens : Redde mihi, quod debes*.

449. *Abigo* cum dativo. Silius libr. VIII, vers. 124 : *Quæ dum abigo menti*. Reuschius ait : Rem duram duro, et inusitato verbo expressit.

452. *Ingessit dicta*, ut apud Horatium l. I, sat. 5, vers. 11, *ingerere convicia*, apud Livium l. 2, c. 45, *ingerere probra*.

453. *Dicta* aliquando sunt convicia. Plautus Pseud. I, 3, 125 : *Jam ego te differam dictis meis, impudice*. *Iramque movet*, scilicet acuit, attollit, sibi concitat iram.

454. Debitores olim a creditoribus tradebantur non solum in carcerem, sed etiam in tormenta.

Debita, dum dignis lueret per vincula pœnis. A
Sic vobis faciet Genitor, qui culmina cœli
Possidet, immites sævo si pectore fratrum
Peccata orantum dure punire voletis.
Talia dicta dedit, Galilæiaque arva reliquit :
Judæamque petit, qua pinguia rura silenter
284 Agmine Jordanis viridis perrumpit amœno.
Nec minus in stratis ægros donare salute,
Sublimisque Patris concedere munera perstat.
Ecce Pharisæi tentantes quærere pergunt,
Conjugis an liceat rejectum scindere vinclum,
Quidquid erit, læsi tangit quod corda mariti.
Hæc ubi percepit, depromit talia Christus :
Principio Deus in terris par dispare sexu
Constituit, jussitque uno de corpore necti,
Amborumque animas junctis inolescere membris.
Quod Deus ergo jubet proprio concrescere verbo ;
285 Illicitum est hominum fœdo secernere luxu.
Moses præcepit, quod pectora dura videret,
Scribere discidium, quo saxea corda revinci
Per proprios apices possint sub judice flammæ.

LECTIONES VARIANTES.

455. Ald., Bas., Reusch., *quæ* pro *dum*. Plerique, *dignis lueret per vincula pœnis*. Fabricius mutavit scribens, *dum dignas lueret per vincula pœnas* : quod minus placuit Reuschio. Melius enim dicitur *luere peccata*, quam *luere pœnas*.

458. Rom. mendose *volentis* : qui error in Aldi B textum irrepsit, et inde in Basileensi editione transcriptus est. Aldus in Erratis mendum correxit, sed novo errore scripsit *duræ punire voletis* pro *dure*.

459. Reg., *Galileæque arva* ; Ott., *Galileaque arva* sed videtur fuisse *Galileæque arva*. Rom., Ald., Daventr., Torn., Bas., *Galilæaque rura*, quod verbum v. seq. occurrit. Reuschius edidit, *Galilæaque arva* cum hiatu. Omeisius Barthio tribuit *Galilæiaque arva* quod melius est. Hadam., Fabr., Poelm., *Galilææque arva*. Reuschius cum Cantabr. *relinquit*; alii, *reliquit*.

460. Reuschius scribendum monet *petit* pro *petiit*, si v. superiori scribatur *reliquit*. Sed parum sibi constat ; nam v. sup. scribit *relinqait*, neque obstare ait, quod præcessit *dedit*, quod mille exemplis probari posse ait. Cur ergo scribi non poterit *petit* in præsenti, quamvis præcesserit *reliquit* in præterito ? Rom., *silentis*, fortasse librarius voluit *silenti*, scilicet *agmine*. Non video sane, neque indicant lexicographi, quisnam Juvenco antiquior adverbium *silenter* usurpaverit.

461. Mss., *perrumpit* ; Ald., Fabr., Reusch., Poelm. pro d. s., *prorumpit*. Hadam., Poelm. in textu, *prorupit*. Reg., *amœnos*, sed glossa indicat, conjungi cum *agmine*, adeoque legendum *amœno*.

462. Ott., *ægros*, sed correctum est *ægris* : sic legendum postea *salutem*. Rom., Ald., *ægris donare salutem*. Reg., Had., Poelm., *ægros donare salute*.

463. Rom., Daventr., Reusch., Westh. ad marg., *perstat* : Reg., Ottob., cum aliis editis, *præstat*.

465. Torn., *retectum* : corrige, *rejectum*.

466. In Ottob., et Reg. videtur fuisse, *Quidquid erit tale si tangit* ; correctum deinde, *Quidquid erit læsi tangit quod*. In Ott. factum, *tanget* ex *tangit*. Rom., *Quidquid erit, læsi tangit quæ*. Had., Daventr., Poelm., *Quidquid erit, læsi tanget quod*. Ald., Bas., *Siquid erit, læsi tangat quod*. Ald., Bas., *Siquid erit, læsi tangat quod*. Evangelio magis congruit *Quidquid erit*. Primam scripturam Ott., et Reg. libenter admitterem : sed altera clarior est.

470. Reg., Rom., et a pr. m. Ott., *animas*. Editi, *animos*. Rom. cum aliis in textu, *inolescere* ; sed ad marg., *increscere*.

472. Reg., Ottob., *hominum*, quod editum est B ab Aldo. Rom., cum plerisque editis, *homini*.

473. Reg., Ott., *Moyses præcepit*. Ald., et alii editi, *Moses præcepit*. Rom., *Moyse præcepit*. Posset scribi, *Moseus præcepit*. Pro *præcepit* bene esset *permisit* : hoc enim verbo sacra Scriptura utitur Matth. XIX, 7 seq. : *Dicunt illi : Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere ? Ait illis : Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic.* In Evangeliario Tridentino : *Aiunt illi : Quare ergo Moyses præcepit dare libellum repudii, et dimittere ? Dicit illis : Propter duritiam cordis vestri permisit vobis Moyses remittere uxores vestras : ab initio enim non ita factum est.* Discrimen utriusque verbi notavit auctor operis imperfecti in Matth. homil. 32 : *Bene dixit : Quia Moyses hoc permisit, non præcepit.* Nihilominus retineo verbum *præcepit* quo etiam Tertullianus libr. IV advers. Marcion. usus est : *Moyses propter duritiam cordis vestri præcepit libellum repudii dari ; a primordio autem non fuit sic.* Accedit, C Marcum aliis verbis rem hanc exponere : *At ille respondens, dixit eis : Quid vobis præcepit Moyses ! Qui dixerunt : Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere. Quibus respondens Jesus ait : Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.* Moyses igitur præcepit, scribi discidium, si vir repudiare vellet uxorem, non vero præcepit repudium ipsum.

474. Mss., cum plerisque editis, *discidium* ; nonnulli editi, *dissidium*. Vide l. I, vers. 568.

475. Rom., Ald., Bas., *possent* ; alii, *possint*. Rom., cum multis editis, *flamma*. Reg., Ott., *flammæ* ; et glossa in Reg., *flammæ — iræ utriusque, viri, et uxoris*. Alia glossa in Reg., *apices—repudii*. Westh. in textu, *flammæ* ; ad marg., *flammas*, quod mendum videtur pro *flamma*. Locus obscurus, siquis alius. Divinabam *sub judice flammei*. Erat enim *flammeum* velum croceum, seu luteum, quod novæ nuptæ gestabant in signum indissolubilis conjugii. Judex ergo flammei erit, qui de matrimonii legitima solvone cognoscebat.

NOTÆ.

459. CAPUT XIX. *Uxorem non dimittendam nisi* D *ob fornicationem. Item non arcendos esse a benedictione infantes.* Matth. XIX, 1, seqq. ; Marc. X, 1, etc. ; Luc. XVIII, 15.

460. *Silenter* : similia adverbia a lexicographis omissa colligit Kœnigius, ut *urgenter* ex Cypriano, *proficienter* ex Augustino, *accidenter*, et *consentienter* ex Boethio.

461. *Agmen aquæ* poetæ vocant perennis fluvii vicem ; quos imitantur Christiani, Juvencus, Cyprianus, Victor, et Auctor de Laudibus Domini, ut observat Barthius l. XXXV Advers. cap. 16, pag. 1617.

463. *Perstat* pro pergit, perseverat cum infinitivo usitatum est a Silio, et aliis.

465. In *rejectum* primam producit exemplo Virgilii, et aliorum, quod in similibus compositis sæpe accidit.

466. *Corda mariti*, h. e., maritum. Persius sat. 6, vers. 10 : *Cor jubet hoc Enni.* Sic Martialis, et alii.

470. *Inolescere*, adolescere, coalescere, copulari, adhærere, apud Virgilium, Columellam, Silium, Prudentium. Vers. seq. *concrescere* idem significat.

475. Innuit Juvencus, repudium solum fuisse permissum Judæis in foro politico et civili, non in foro conscientiæ. Non ergo Moyses abusum hunc probavit, sed potius certis limitibus circumscripsit, ne

286 Nam temere exsolvet casti qui jura cubilis, A
Alteraque illius thalamis sociabitur uxor,
Crimen adulterii populo sub teste subibit.
Discipuli referunt : Urget lex ista virorum,
Servitiique premit non æquo pondere partem,
Ut melius fuerit thalamis caruisse perosis.
287 Respondit Dominus : Non omnes pondere [tanto
Subjicient humeros : lectæ sunt talia dona
Virtutis. Trino truncantur corpora more,
Quæ nulla gaudent genitali lege tororum.
Namque alios tales progigni in luminis oras
Comperimus : plerosque hominum vis ferrea [sexu
Exuit : ast alios ipsos sibi demere constat
Pro cœli regnis pronum de pectore amorem.
Quisque capax fuerit, celsa virtute capessat,
Quod paucis, lectisque Deus vult pandere mu- [nus.
Hæc ait, et pueros, quos gaudens cura parentum
Cum precibus lætis certatim hinc inde ferebat,
Suscipit, et plebem sectantum, quod prohiberet,

LECTIONES VARIANTES.

476. Ott., *exsolvit*, inde factum *exsolvet*.

481. Ald., et Bas. cum interrogationis nota *perosis?* Alibi deest ea nota.

483. Poelm., *alia*, mendose pro *talia*. Plerique, *lectæ;* Poelm. pro d. s. cum Ott. a pr. m., *lætæ*. Rom., *lectis* : quod etiam vult Reg., ubi est *lecti*, B sed glossa *perfectis viris* indicat *lectis*. Distinguunt vero Rom. et Reg., *lectis sunt talia dona*. — *Virtutis trino truncantur corpora more* : quæ distinctio inepta est.

484. Hic versus ita corruptus legitur in Rom. : *Vir tuus trino truncatur corpore amore*. Reg., *Virtutis trino truncantur corpora amore*. Lege, cum aliis, *Virtutis. Trino truncantur corpora more*.

485. Kœnigius suspicatur, *geniali lege*.

486. Poelm. pro d. s., *luminis auras* : communis lectio, *luminis oras*.

488. Rom., Ald., Torn., *atque alios*, plerique, *ast alios*. Ald., Torn., Bas., *ipsis sibi*. Mss. cum aliis editis, *ipsos sibi*.

491. Westh. in textu *lætisque Deus*, in marg., *lætique Deus*. Neutrum quidem ferri potest.

492. Rom., Ald., Bas., *gaudens quos;* alii *quos gaudens*.

493. Mss. cum plerisque editis, *lætis;* nonnulli editi, *læti*. Reg., Torn., Fabr., Poelm. in textu, Hadam., *ferebant;* Rom., Ott., cum aliis, *ferebat*. Si legas *læti certatim hinc inde ferebant*, intellige esse mutationem generis et numeri.

494. Sabatierius edidit *sectantem*, et pro d. s. addit *sectantum*, quod unice in nostris mss., et editis invenitur. Vide v. 564 l. II. Rom. non male *prohiberent*.

NOTÆ.

licentius vagaretur. Constituit enim, libellum repudii necessario scribendum ab iis esse, qui uxores repudiarent, ut res sub judice posset cognosci. Huc pertinet, quod Juvencus l. I, vers. 567, ait : *Præcipiunt veteres, siquis connubia rumpit, — Scribere discidium, juris feralia verba*. Lex repudii Deuter. XXIV, I, etc., hæc erat : *Si acceperit homo uxorem, et non* C *invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribit libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, et ille quoque oderit eam, dederitque libellum repudii... vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem*, etc. In hujus legis interpretatione Judæi inter se discrepabant. Alii tenebant, repudium solum permitti ex aliquo gravi crimine contra honestatem. Alii defendebant, quamvis leviorem mitioremque causam sufficere, vel eam etiam, quod uxor minus grata viro videretur. Christus legem de causa fornicationis intelligi docuit, ac simul ex interpretatione Juvenci ostendit, eam causam non valere ad perfectam matrimonii dissolutionem in foro conscientiæ. Aliud est de divortio, seu separatione tori.

476. Libr. I, vers. 570 : *Nam casti jura pudoris*, etc. Sensus est : Qui sine libello repudii dimittit uxorem, aliamque ducit, adulterpalam judicabitur.

479. Sensus est : Lex ista conjugii perpetui urget D partem virorum, eamque premit non æquo pondere servitii. Matthæus ait : *Dicunt ei discipuli ejus : Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Nubere* proprium est feminæ : sed reperitur a Christianis usurpatum de viro. Græce est γαμῆσαι, uxorem ducere. Hieronymus epist. ad Amand. tom. IV : *Si ita est, non expedit homini uxorem accipere*. Augustinus in psalm. CIII : *Si talis est causa cum uxore, non expedit ducere*. Cur autem hæc lex viro, et feminæ non æqua dicetur? Nam sicut viro non licet a matrimonio resilire, ita neque uxori. Advertendum est, non licuisse feminis repudiare viros, ut testatur Josephus Antiquit. l. XV, c. 11 : *Salome libellum repudii marito mittit præter legitimum morem patriæ. Lex enim nostra solis maritis hoc jus permittit, mulieribus autem ne dimissis quidem fas est nubere, nisi prioris viri permissu*. Cum ergo pro viris lex repudii data esset, quo magis licentia repudiandi coercetur, eo gravius est viris vinculum matrimonii. Christus ergo uxorum causam relinquebat in eo statu, in quo erat, quantum quidem ad libertatem repudiandi spectat ; C at virorum causam difficiliorem reddebat. Putabant autem Judæi, hac in re magis concedendum esse viro, qui caput est feminæ, quam feminæ, quæ viro subjecta esse debet : adeoque ægre ferebant, ipsis repudium, et polygamiam prohiberi. Aliæ etiam gentes viris divortium permittebant, non uxoribus. Hinc Medea apud Euripidem v. 230 querebatur : *Quæcumque sunt animalia mente prædita, — Miserrimum horum mulierum genus sumus. — Grandi pecunia ante omnia namque adigimur — Emere maritum, hoc est, dominum emere corporis. — Tum gravius istud, ac periculosius, — Quod jacitur ancipiti exitu semel alea, — Bonone nubas, an malo : nam repudia — Inhonesta nobis, nec nostrum est divertere*. Lege Christiana separatio tori æque uxori ac viro permittitur certis de causis. Cornelius a Lapide ex veterum dictis ostendit, ob feminarum ineptias matrimonii onus gravius esse viris quam mulieribus.

481. *Perosis*, odio dignis. *Perosus* est, qui odio D habet : sed hic passive sumitur, ut a Tertulliano non semel.

482. *Pondere*, h. e., sub pondere. Omeisius ex Virgilio l. VI, vers. 465 profert : *Teque aspectu ne subtrahe nostro*, et ex Ennio : *Esuriente leone exculpere prædam*. Sed hæc alio pertinent.

484. Verbum *truncare* Cellarius contra nonnullos aureæ Latinitati restituit.

487. *Vis ferrea hominum*, nempe homines ferro, etc., sive acies ferri aut culter.

489. *Pronum*, scilicet ad venerem.

490. Ovidius l. VIII Met., vers. 243 : *Animi ad præcepta capacis*. Verba Matthæi sunt, *Qui potest capere, capiat*. Juvencus exponit, Qui potest accipere, accipiat. Mazochius ad h. l. *capere* accipit pro *glutire, concoquere*, quod de durioribus dicitur, quæ non possunt concoqui, sive facile credi.

288 Increpat, ac tales affirmat regna mereri
Aulæ cœlestis. Sanctas his ordine palmas
Imponit, redditque humeris portare parentum.
Ecce sed e populo juvenis, cui rura, domusque,
Et gaza stabat, rerum possessio fulgens,
Accedit, Christumque palam summissus adorat :
O bone præceptor, dic nunc quæ facta sequa-
[mur,
Ut mihi perpetuam liceat comprendere vitam?
Huic auctor vitæ tum talia reddit Iesus :
289 Nunc demum quæris, veteri quæ lege
[tenentur?
Non hominis perimes vitam, non furta tororum
Invades, quæstumve alienis noxia rebus
Mens, aut dextra leget, non testis falsa loqueris.
Sit genitor, genitrixque tuo sublimis honore,
Proximus et puro pro te tibi cedat amore.
Ille dehinc : Cuncta hæc semper mihi perpete
[cura
Observata reor, sed nequid forte relictum
Desit, præsenti liceat me voce moneri.
Tum Christus fatur : Nunc si perfecta requiris
Prendere præcelsis meritis fastigia vitæ,
Omnia, quæ proprio retines solus dominatu,
Distrahe, et ad miseros confer securus egentes.
290 Tum thesaurus erit cœli tibi conditus arce,
Virtutisque tenax vestigia nostra sequeris.
Hæc adolescentis veniunt ubi dicta per aures,
Dejecit vultum, tristisque in tecta refugit,
Tum sic discipulis vitæ Spes unica fatur :
Difficile est terris affixos divite gaza
Avelli, cœlique leves in regna venire.
Nam citius tenuis per acus transire foramen
Deformis poterunt immania membra cameli,

LECTIONES VARIANTES.

496. Fabr., *hinc*; alii, *his*.

497. Deest hic versus in Torn. Putabat Gallandius eum desiderari in editionibus, quæ editionem Reuschii præcesserant : sed adest in Ald., Fabr., Hadam., Poelm., Daventr., et aliis. E mss. nostris Ott., Reg., *redditque humeris*; Rom., cum editis, *redditque ulnis*. Veram censeo lectionem, *redditque humeris portare :* nam *humerus* proprie est lacertus, sive os superius brachii ab scapula ad cubitum. Præterea alio sensu communiori humeris possunt filii portari.

498. Reg., *jura*; melius, *rura*.

499. Ott., Rom., Bas., *Et gaza distabat rerum possessio fulgens*. Torn., *Et gazæ, et rerum stabat possessio fulgens*. Reg., *Et gazæ astabant rerum possessio fulgens*. Hadam., Fabric., Poelmann., *Et gazæ stabat rerum possessio fulgens*. Ald., Reusch., *Et gaza stabat rerum possessio fulgens*, producta videlicet ultima in *gaza* ob *st* dictionis sequentis. Beda de Arte metr. ait, Juvencum corripuisse primam in *gaza* : viderat aliquem codicem, in quo hic versus legebatur, ut in Ott., et Rom., *Et gaza distabat*. Sed cum Juvencus paulo post primam in *gaza* producat, neque huic loco satis congruat verbum *distabat*, in eam descendo sententiam, ut credam, corruptam eam esse lectionem. Bedæ verba sunt cap. de Commun. syllab. : *Octavus modus est, cum correptam vocalem in eadem parte orationis sequitur* z *consonans Græca duplex. Est enim longa in hoc Juvenci : Difficile est terris affixos divite gaza. Est brevis in hoc ejusdem : Et gaza distabat rerum possessio fulgens.* Cap. præced. de Syllaba dixerat : *Nam et* z *quoties in eadem parte orationis brevem sequitur vocalem, potest eam producere, si ita volucrit poeta, ut* GAZA. Verum, dissentientibus inter sese codicibus mss., et libris editis, amplector scripturam Aldi, *Et gaza stabat*, quam fortasse librarii mutarunt, quia absurdum ipsis videbatur, quod ultima in *gaza* produceretur.

503. Mss. nostri, *Hic auctor*. Editi, *Huic auctor*.

504. Rom., *Tunc demum*; lege, *Nunc demum*. Bas., Torn., *qua*, et Torn. cum interrogationis nota, *tenentur ?* Retine *quæ lege tenentur?* Interrogatio ab aliis omittitur, sed recte ex Evangelii textu adhibetur.

507. Reg., Rom., Ott., a pr. m., *liget*, quod ab Ald., et Bas. editum est. Alii editi, *leget*. Rom., mendose, *Mens haud dextra*, pro *Mens, aut dextra*. Idem Rom., *loquaris*, pro *loqueris*.

510. Reg., *isthic*; Rom., *ista hæc*, Ott., *cuncta hæc*, sed videtur fuisse *cuncta isthæc*, quod metro adversaretur. In Reg. etiam videtur abrasum *cuncta*. Editi, *ista hæc*, aut *isthæc*. Magis accedit ad verba Matthæi *cuncta hæc* : sic enim habet cap. XIX, vers. 20. *Omnia hæc custodivi*, etc. Evangeliarium Tridentinum : *Omnia ista observavi a juventute mea.*

514. Rom., mendose, *Prætendere*, pro *Prendere*. Poelm. pro d. s., *pro celsis :* lectio communis *præcelsis*. Et Juvencus quidem ita solet loqui, ut *præstupidus, præpulcher*. Mss. nostri cum Ald., Daventr. *fastigia vitæ*. Hadamar., Fabr., Poelm., *vestigia vitæ*. Illud magis placet ex Matth. XIX, 21 : *Si vis perfectus esse*, etc.

516. In Fabr. mendum est *Distrahe, et miseros*.

NOTÆ.

495. *Mereri*; Kœnigius probare vult, hoc verbum pro impetrare sine ullo respectu ad meritum proprie dictum a scriptoribus ecclesiasticis usurpari. Et aliquando quidem ita accidit : sæpe tamen operibus justorum verum meritum tribuitur.

498. CAPUT XX. *Divitem difficile introire in regnum cœlorum*. Matth. XIX, 16 seqq.; Marc. X, 17; Luc. XVIII, 18.

505. *Furta tororum :* vide v. 170 h. l. cum nota.

506. *Invades :* confer not. ad Dracont., l. III, vers. 319, *invasor thalami*.

508. Præceptum de honorandis parentibus Juvencus eleganter ita transtulit, ut ait Cellarius Latinit. Græciss., et poet. in posterior. cur., ubi cum Valla observat, *genitor*, et *genitrix* poetis quam oratoribus frequentiora esse.

509. *Proximus* substantivum soli ecclesiastici scriptores habent ex imitatione Græcismi sacri, ut notat Cellarius Poster. cur. Latin. ecclesiast. At Forcellinus eadem significatione *proximus* usurpari a Val. Maximo l. VI, c. 9, et a Quintiliano declam. 259 observat. Matthæus ait : *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*, quod non satis clare a Juvenco hoc versu exprimitur.

516. *Distrahe*, vende. Vide not. ad Dracont. v. 510, l. II.

519. Notanda phrasis, *veniunt per aures*, pro *veniunt ad aures*.

522. Interpretatur Evangelium de divitibus, qui terris divitiisque affixi sunt.

523. Glossa Reg., *leves — volentes*, fortasse *volantes*.

524. Sic Sedulius l. IV, vers. 9 : *Namque foramen acus sicut penetrare camelus — Membrorum præ mole nequit : sic dives, opima — Fertilitate tumens, tenuem non possit adire — Cœlestis regni ducentem ad limina callem*. Nonnulli evangelicum proverbium accipiunt de fune nautico : nam proverbium Talmudicum est ;

Quam queat ut dives cœlestia regna videre.
Talibus attoniti comites, stupidique silebant,
Volventes, quæ tanta foret sub pectore virtus
Humano, talem possit quæ prendere vitam.
Respicit æternæ justorum Gloria vitæ,
Atque ait: Hæc homini forsan videantur acerba,
291 Sed Deus electis facilem præpandit in [æthra,
Possibilemque viam, virtus quam celsa capessat.
Tum Petrus, fidei munitus mœnibus, infit:
Omnia nostrorum projecta reliquimus omnes,
Et tua jussa sequi nobis spes unica restat.
Quid nostris animis superest? dic, Christe, [precamur.
Talibus ad Petrum verbis respondit Iesus:
Vos quicumque meum mentis penetralibus altis
Credentes servatis iter, cum sederit alte
Progenies hominis, celso quem cinget honore
Majestas, bis sex illic pulcherrima virtus
Constituet vobis sublimi in vertice sedes,
Judiciumque hominum pariter tractare licebit.
292 Hic quicumque sui linquet generisque, [domusque
Gazas, affectusque omnes pro nomine nostro,
Centuplicata dehinc capiet, vitamque perennem,
Primorum meritum postremi transgredientur,
Ultima præteriti capient vix præmia primi.
Sedulus ut ruris dominus, cui dulcia fundum
Pinguibus in campis late vineta coronant,
Hic, ubi progressus primo cum lumine solis,

LECTIONES VARIANTES.

526. Hadam., mendose., *Quam queat dives*. Ald. cum aliis, *Quam valeat dives*. Mss. cum Poelm. in textu, *Quam queat ut dives*. Westh. in textu, *Quam* dives valeat; ad marg., *Quam queat dives*.

529. Reg., *Humanum;* corrige, *Humano*. Rom., Reg., Ott. a pr. m., Torn., Ald., Bas., *possit;* alii, *posset*. Rom., *quæ possit*; reliqui, *possit quæ*.

532. Forte præstaret legere *æthram*.

533. Rom., *capesset*, Reg, Ott., Daventr., Torn., Ald., *capessat*. Hadam., Poelm., *capessit*.

534. Ott., *monitus*, bene emendatum per *munitus*. Rom. in textu, Ald., *inquit:* Rom., ad marg., cum aliis, *infit*.

535. Poelm. pro d. s., Fabr., Ald., *nostra olim*. Alii cum mss., *nostrorum*. Rom., *relinquimus:* corrige, *reliquimus*.

538. Mss., *respondit;* editi, *respondet*.

541. Helmst., *quam;* alii, *quem*, eodem sensu per synthesin seu mutationem generis, ut si præcessisset, *Filius hominis*. Rom., Ott. a pr. m., *cingit;* melius, *cinget*, in Ott. a sec. m. et aliis.

543. Torn., corrupte, *sublimis in vertice*. Reg., *sublimi vertice*. In Ott. ex *sublime vertice* factum *sublimi in vertice*.

545. Rom., Ald., *Sic;* alii, *Hic;* Ott., *linquit* pro *linquet*.

552. Rom., *Sicubi progressus*, quod rectius videtur, quam *Hic ubi progressus* in aliis. Id autem retineri potest commoda interpunctione. In Basil., *gressus*, pro *progressus;* et in Torn., *solus*, pro *solis*, mendum.

NOTÆ.

Gravis est exitus animæ ex corpore, ut rudentis per foramen angustum. Sed cum funis nauticus, sive rudens apud Suidam dicatur κάμιλος, *camilos* per iota, non καμήλος, *camelos* per *e* longum, et aliunde proverbium etiam Talmudicum sit, *Non est Elephas, qui intret per foramen acus*, de camelo bestia cum plerisque veteribus recentibusque interpretibus proverbium evangelicum æquum est explicare. Exstant duæ de hoc proverbio dissertationes, altera Joann. Philippi Pfeiffer, altera Joannis Sommerin. Evangeliarium Tridentinum sic nobis exhibet hunc locum: *Facilius est camelo per caverna acus pertransire, quam divitem introire in regna cœlorum*. Correctio veteri manu *cavernam*. Proprie autem *caverna* est locus cavus, et pro foramine aliquando accipitur.

532. *Præpandit:* delectatur Juvencus verbis compositis præpositione *præ*, ut dixi ad vers. 514 h. l. Alioquin *præpando* verbum est Ciceronis, Lucretii, Plinii. *Æthra* est accusativus per syncopen ab *æther, ætheris, æthera* Græco more. Libr. IV, vers. 68, dixit similiter *in æthra*, ut ex nostris mss. legimus.

533. Quintilianus l. III, c. 8: *Nostri possibile nominant; quæ ut dura videatur appellatio, tamen sola est*. Jurisperiti veteres frequenter ea voce usi sunt. Pro eadem voce allegatur Pomponius I. C. Omitto Christianos Lactantium, Prudentium, Sedulium, alios. Durius verbum est *possibilitas*, quod tamen apud Ammianum, Palladium, Martianum Capellam, Arnobium reperire licet, *Virtus quam celsa capessat*, repetitum ex v. 490, *Celsa virtute capessat*.

534. CAPUT XXI. *Jesus promittit centuplum recepturum, qui bona omnia reliquerit propter Deum: et primos fieri novissimos*. Matth. XIX, 27, etc.; Marc, X, 31; Luc. XIII, 30: *Petrus fidei munitus mœnibus*, ut v. 271, *Sed stabilis Petrus*.

537. *Quid nostris animis superest?* videlicet *Quid ergo erit nobis?* ut ait Matthæus.

544. *Tractare* præter alia significat etiam exercere, administrare.

546. Servius ad v. 763 l. II Æneid. affirmat, *gazam* singularis tantum numeri esse. At in plurali *gazas* dixerunt Lucretius, Horatius bis, Seneca Tragicus ter, etc., *Affectus omnes* vocat fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios. Apuleius l. II de Dogmat. Plat.: *Charissimis orbatus affectibus*. Capitolinus in Antonino Philos. c. 24: *Non est satis motus defectione Cassii, nec in ejus affectus sæviit*, et in Maximino cap. 23: *Milites quorum affectus in Albano monte erant*. Hieronymus libr. III in Matth., c. X: *Qui ergo propter fidem Christi, et prædicationem Evangelii omnes affectus contempserint, atque divitias, et sæculi voluptates, isti centuplum recipient*, etc. Plures alios allegant Kœnigius, et Schœttgenius.

547. *Centuplicata:* vox Fulgentii Mythologi, Prudentii, et similium. Plinius libr. VI, cap. 23, adverbium *centuplicato* usurpavit.

548. Reuschius obscuritatem in Juvenco notat: sed clariora non sunt verba Matthæi: *Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi*.

550. CAPUT XXII. *Parabola de operariis in vinea conductis*. Matth. XX, 1, etc.

551. *Coronant*, cingunt. Lucretius l. IX vers. 555: *Lacum myrteta coronant*. Virgilius l. IX vers. 380: *Aditum custode coronant*. Fortasse apud Juvencum *coronant* ponitur pro implent, ut l. II vers. 143: *Undasque coronant*. Vinetum vero in hoc a vinea differt, quod plures vineas contineat, ut totum a parte. Infra vers. 712: *Cui jugera multa nitentis— Vineti sepes circum densata coercet*.

Conduxit juvenum fortissima robora, pactus
Unius in lucis certa mercede laborem,
Et sua tum jussit cultu vineta polire.
293 Ipse sed egrediens, ubi tertia venerat hora,
Invenit ecce alios, operique accrescere jussit,
Pro meritis operum promittens præmia digna,
Illi non aliter læti præcepta sequuntur.
Ast ubi sexta dehinc lucis transfluxerat hora,
Haud secus hinc alios juvenes conducere per-
[git.
Horaque nona dehinc ubi solis cursibus acta est,
Tunc alios pariter conductos jussit adire.
Ultima labentis restabat portio lucis :
Egressus cernit juvenes, causasque requirit,
Cur pigris manibus torperent otia lenta.
Aiunt, conductoris quod præcepta fuissent
Nulla sibi. Dominus mox hos insistere ruri
294 Tunc etiam jussit. Sed vespere protinus orto,
Præcipit, ut cuncti caperent mercedis honorem,
Æqualique omnes portarent præmia nummo.
Tum manus illa virum, prima quæ luce laborem
Sustulerat, factisque diem toleraverat æquum,
Indignans, secum tali cum murmure fatur :
Injustum est, istos similem, ut nos, quærere
[nummum,
Ultima quos operi sero conduxerat hora.
Tum dominus ruris sedato pectore fatur :
Illibata tibi mercedis portio salvæ
Redditur, et pacti servantur jura fidelis.
Istis de nostro liceat concedere tantum,
Extima quos operis glomeravit portio ruri.
Nam multos homines dignatio sancta vocavit,
295 E queis perminimam dignum est secer-
[nere partem.

LECTIONES VARIANTES.

555. Rom., *pacis;* emenda, *pactus.*
554. Rom., *laborum*, non bene, pro *laborem.*
555. Ald., *poliri.*
556. Hadamar., *venerit*, pro *venerat*. Poelm. utramque lectionem indicat *venerat*, et *venerit.*
557. Mss. nostri cum Cantabr. apud Reuschium, *operique accrescere jussit.* Torn., Poelm. pro d. s., *operique adolescere jussit.* Hadam., Poelm., in textu, *ad opus quos ire jubebat.* Ald. Daventr., Poelm. pro d. s. *ad opus quibus ire jubebat.* Reuschio non displicebat in Parisina, *adolescere*, pro *accrescere*, eadem significatione.
558. Reg., *Promeritis operis promittens*, quod retineri posset : sed melius est cum aliis, *Pro meritis operum*, ut apud Dracontium l. I, vers. 12 : *Pro meritis morum.*
564. Ottob., *labentes*, correctum per *labentis.*
566. Reg., *torpere;* corrige, *torperent.*
567. Reg., Ott., Torn., *Aiunt, conductoris quod præcepta fuissent — Nulla sibi, Dominus.* Rom., contra metri regulam, *Conductoris aiunt quod non præcepta fuissent — Ulla sibi : Dominus.* Poelm. in textu, Hadam., Ald., et Daventr., *Conductor, reddunt, ipsis quod nulla dedisset.* Poelm. pro d. s., *Aiunt quod conductoris præcepta fuissent — Nulla sibi Dominus.* Fabricius, *Conductor reddunt ipsi, quod nulla dedisset — Jussa sibi. Dominus* et in comment. observat, sumi *reddunt* pro *respondent*, et hunc locum in priotibus editionibus corruptum esse.
568. Plerique, *sibi Dominus.* Ald., Bas., *Jussa. Suo dominus.*
573. Reg., *æquis*, non ita bene, pro *æquum.*
575. Reg., Ott. a pr. m., *similem nos quærere.* Ott. supra, et editi, *similem ut nos, quærere.* Rom., non ita bene, *Injustum cum istis similem nos quærere nummum*, fortasse librarius omisit *est* post *Injustum.* Suspicari libet, *Injustum est istis similem nos quærere nummum.* Matthæus ait : *Pares illos nobis fecisti.*
576. Mss. Reg., Rom., Ott., *operis.* Reg., *seri*, sed videtur fuisse a pr. m., *sero.* Rom., et alii codices apud Reuschium, *conjunxerat :* retine *conduxerat.* Adjunctum temporis ponitur pro eo, quod paterfamilias in illa hora peregerat, ut exponit Reuschius.
579. Reg., et Ott., *pactis*, sed in Reg., glossa, *promissionis meæ* innuit *pacti*, quod sensus etiam postulat.
581. Rom., *Extrema quos :* lege, *Extima quos.*
583. Rom., *Quis per minimam.* In Reg. fuit *Ecquis*, ut puto, nunc est *e quis*, et glossa *ex quibus.* Torn., Poelm., Hadam., Daventr. dividunt *per minimam.* Ald., et Bas. legunt, *per niniam.* Reg., Ott., *perminimam*, quod edidit Fabricius; qui in Comment. addit, hanc esse insolitam compositionem. Vera hæc est scriptura *E queis perminimam*, et Evangelio consentiens; *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Etsi

NOTÆ.

553. *Juvenum robora*, juvenes robustos. Vide not. ad l. I vers. 478.
555. *Polire*, excolere, verbum rei rusticæ proprium. Nonius cap. 2, n. 339 : *Politiones, agrorum cultus diligentes, ut polita omnia dicimus exculta, et ad nitorem deducta.* Ennius Satir. libr. III : *Lati campi, quos gerit Africa terra politos.* Idem Annalium l. VIII : *Rastros dente faber capsit causa poliendi agri;* al., *fabres capsit.* Hinc *politor agri* apud Catonem de Re rustica, cap. 5.
560. *Transfluxerat :* Claudianus epist. 4, vers 5, *Transfluxere dies.* Eodem verbo proprie utitur Plinius pro *transire fluendo.*
562. *Acta est :* Virgilius l. III Æneid., vers. 512 : *Necdum orbem medium nox horis acta subibat.*
564. Prudentius hymn. 8 Cathemer. vers. 11 : *Quarta devexo superest in axe — Portio lucis.*
569. *Vespere orto vesper hesperus*, stella Venus est, quæ matutino tempore lucifer dicitur. Horatius libr. II od. 9, vers. 10 : *Nec tibi vespero — Surgente decedunt amores.* Virgilius l. I Georg. vers. 251 : *Illic sera rubens accendit lumina vesper.*
573. *Sustulerat* a *suffero. Diem æquum*, diem integrum totum, cui nulla pars deesset. Columella dixit *operas justas.*
575. *Quærere*, lucrari. Cicero Paradox. VI, c. 2 : *Qui honeste rem quærunt mercaturis faciendis.* Hinc *quæstus* lucrum.
578. *Illibata*, integra. Cicero pro Sext. c. 43 : *Ut eorum veteres, illibatasque divitias in profundissimum libidinum suarum gurgitem profundat.*
580. *Tantum*, tantumdem, tantum, quantum vobis.
581. *Extima*, extrema. Sic enim hoc vocabulum optimi scriptores usurpant. *Glomerare* verbum a Juvenco alibi adhibitum. Vide not. ad l. II vers. 579, 725.
582. *Dignatio* plerumque est bona existimatio, qua aliquis ex aliorum opinione gaudet. Nonnumquam active est opinio, qua aliquis alium honore dignum censet. Suetonius in Calig. cap. 24 : *Reliquas sorores nec cupiditate tanta, nec dignatione dilexit.* Justinus sub fin. l. XXVIII : *In summa dignatione regis vixit.* Alii *dignitate* minus bene. Apud Juvencum *dignatio sancta* est Dei bonitas, qua homines ad cœlum vocare dignatur.

Hæc ait, et Solymos repetit, comitesque A [seorsum
Alloquitur, Solymisque iterum regionibus, infit,
Ingredimur gnari, truculentaque mœnia adi- [mus.
Filius hic hominis prodetur ad ultima mortis,
Scribarum, procerumque ferens ludibria mem- [bris,
Affixusque cruci post tertia lumina surget.
Hinc tum Zebedei conjux summissa rogabat,
Ut Christo medio cœli sublimis in arce
Felices nati dextra, lævaque sederent,
Tum quærit Christus, calicem si sumere pos- [sent,
[vitæ

296 Quem sibi præceptis instaret sumere Patris.
Respondent se posse simul. Tum talia Christus:
Vos nostrum calicem fas est potare, sed altis
Sedibus æquali mecum considere honore,
Non hoc nostra dabit cuiquam pro munere vir- [tus.
Hæc certis Genitor sublimia dona reservat.
Exhinc discipulos, dictis pro talibus omnes
Commotos, tali sermonis mulcet honore:
Gentibus infidis celsa ditione potestas
Imponit quoscumque super dominantur eorum,
Exercentque trucem subjectis urbibus iram.
297 Vos hinc sed longe: tranquillior æquora

LECTIONES VARIANTES.

autem exempla compositionis *perminimam* in antiquioribus Juvenco fortasse non occurrant, tamen similia passim occurrunt, ut *permirus*.

585. Reg., *iteris*, sed videtur fuisse *iterum*, quod certe mutandum non erat. Reuschius tamen cum Kœnigio legit *solitisque iteris*, non *Solymisque iterum*. Matthæus nominatim ait: *Et ascendens Jesus Hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis: Ecce ascendimus Hierosolymam*, etc. Hoc ergo est: *Solymis regionibus ingredimur*. Additur *iterum* ex Marco: *Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere*, etc.

587. Mss. nostri *prodetur*: editi *tradetur*, quæ est glossa in Reg.

590. Mss. nostri, *Hinc tum*; editi, *Hic tunc*.

591. Ald., *Christi media*.

593. Ott., *possint* pro *possent*:

594. Badius, *Quem si*; melius alii, *Quem sibi*.

596. Reg., *portare*: dubito, an ita etiam a pr. m. scriptum fuerit in Ott., sed non dubium quin legendum sit *potare*.

597. Ottob., *consedere*; correctum per *considere*.

598. Rom., Reg. a sec. m., Torn., Ald., Bas., *pro munere*. Ott. et alii, *pro nomine*.

599. Ald., Bas., *paucis*; plerique, *certis*. Rom., *His certis*; melius, *Hæc certis*. Certi homines aliquando sunt homines fideles.

600. Mss. nostri, *Exhinc*; alii, *Exin*.

601. Mss. nostri, *tali*, quod in Torn., et Fabr. editum video. Plerique editi, *stabili*, quod a pr. m. in nonnullis mss. fuisse suspicor ex rasura.

603. Mss. nostri, *quoscumque super dominantur eorum*, sed in Reg. *eorum* mutatum est in *earum* cum glossa *quibus principantur*. Hadam., Poelm. in textu, *Imponit, quemcumque super dominantur eorum*. Ald., Poelm. pro d. s., Reusch., *Imponit quoscumque velit dominentur eorum*. Sic Fabr., sed *dominantur* pro *dominentur*. Lego, cum mss., *quoscumque super dominantur eorum*, et possunt hæc duo verba conjungi *superdominantur* ut *superingerere, superaddere, superducere*, et similia. *Eorum*, non *earum* habent Vulgata, et veteres aliæ versiones Matth. XX, 25: *Principes gentium dominantur eorum* per synesin: perinde quasi dixisset: *Principes gentilium dominantur eorum*.

605, 606. Reg., *Vos hic sed longe: tranquillior æquora vitæ — Concordi sternit mitis moderatio pace*; et glossæ HIC — *in præsenti sæculo*; LONGE — *estis ab illis*; ÆQUORA — *planities*; STERNIT — *vobis*. Scilicet moderatio sternit æquora. Ad hanc lectionem respicit Rom., sed admixtis erroribus, *Vos hic sed longe tranquillior æquore vitæ — Concordi sternet mitis miseratio pace*. Eamdem scripturam Reg. expressit Reuschius, sed edidit *æquore*. Kœnigius retinebat *æquora*, sed restituere volebat *Vobis sed longe*. Ottob. sic habet, *Nos inter longe tranquilliora æquora vitæ — Concordes cernit mitis moderatio pacis*, quod corruptum sane est. Quod attinet ad priorem versum, cohærent Cantabr., et Fuld., sed hic scribit *tranquilliora*, uterque *Vos inter*. Aldus, *Vos hic sed longæ tranquillior æquora vitæ — Concordi sternit mitis moderatio pace*. Daventr., Had., Torn. ita, sed scribunt *longe*, ut accedant ad codicem Reg., nisi quod sine interpunctione exhibent *longe tranquillior*, Poelm., Fabr. sic etiam, sed inchoant versum *Vos inter longe tranquillior*. Recitemus verba Matth. XX, 26: *Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister*. Amplector igitur scripturam cod. Reg., mutato *hic* in *hinc*, scilicet, *Vos hinc sed longe: tranquillior æquora vitæ — Concordi sternit mitis moderatio pace*. Intelligo *longe hinc* poni pro *procul hinc*. Cicero pro Quintio, cap. 25: *Quam longe est hinc in saltum Gallicanum?* Sic *longe abesse, longe abire*. Pro *sternit* non inepta est lectio Rom. *sternet* ex Evangeliario Tridentino: *Erit vester minister.... Erit vester servus:* quo spectat Vulgata: *Sit vester minister..... Erit vester servus....*

NOTÆ.

584. CAPUT XXIII. *Jesus prædicit discipulis passionem suam*. Matth. XX, 17, etc.; Marc. X, 31; Luc. XVIII, 31.

587. *Ultima* substantivi more, ut *ultima pati, ultima exsperiri, expectare*, etc. Aurelius Victor de Cæsarib. cap. 40: *Constantium patrem ultima vitæ agebant*. Calpurnius eclog. 3, vers. 91: *Lycidas habet ultima rerum*. Hoc sensu Juvencus ait *ultima mortis*. Horatius l. I, ep. 16, vers. ult., *mors ultima linea rerum est*. Consule not. Burmanni ad Calpurnium.

590. CAPUT XXIV. *Petitio uxoris Zebedæi pro filiis*. Matth. XX, 20; Marc. 10, 32.

593. *Calix* pro tormentis, morte, passione vox ecclesiastica e sacris litteris petita, quæ occurrit l. IV, vers. 491: *Quæro* cum *si* pro *an* rarum est, ut dixi in lect. var. ad vers. 434 h. l. Græcorum imitatione id fit, quibus εἰ vicem particulæ interrogandi frequenter subit.

597. *Considere* a *considō, considis*.

600. *Pro talibus dictis*, ut vers. 416 h. l. *pro numero*. Sensus est: discipulos vehementius commotos, quam his dictis commoveri oportuisset. Ex Evangelio autem intelligendum est, discipulos non verbis Christi commotos fuisse, sed verbis matris filiorum Zebedæi pro filiis suis.

602. *Ditionis* vocabulum recte pro imperio, seu jurisdictione usurpat. Potestas metonymice pro magistratu ponitur, ut apud Salvianum, et alios.

604. *Subjectis urbibus*, intellige *in subjectis urbibus*. Recte enim dicitur *exercere odium, iram in aliquo*, vel *in aliquem*. Vulgata Matthæi: *potestatem exercent in eos*. Itala in plerisque exemplaribus mss., et Hieronymus epist. ad Damasum tom. IV, pag. 159, *Potestatem exercent in eis*.

Concordi sternit mitis moderatio pace:
Magnus et obsequiis crescit super alta minister.
Nec primus quisquam, nisi cunctis serviat, [unus
Esse potest. Hominis natus sic vestra minister
Obsequio solus proprio pia munera gestat,
298 Pro multisque animam pretioso sanguine [ponit.
At vos ex minimis opibus transcendere vultis,
Et sic e summis lapsi comprenditis imos.
Si vos quisque vocat cœnæ convivia ponens,
Cornibus in summis devitet ponere membra,
299 Quisque sapit. Veniet forsan si nobilis alter,
Turpiter eximio cogetur cedere cornu,
Quem tumor inflati cordis per summa locarat.
Sin contentus erit mediocria prendere cœnæ,
Inferiorque dehinc si mox conviva subibit,
Ad potiora pudens transibit strata tororum.

LECTIONES VARIANTES.

607. Rom., *crescet* pro *crescit*.

609. Mss., *sic vestra ministrat*: editi, *sic cuncta*; Westh. in textu, *nate sic cuncta*; ad marg., *natus sic cuncta*. Rom. codex sic habet, *sic vestra minister — Obsequio solus proprio pia munera gestat*, quæ scriptura præferenda videtur, et confirmatur lectione mss. Reg., et Ott., vers. seqq., et pro d. s. indicatur a Poelm.

610. Rom., Poelm. pro d. s., Reg., Ott., *gestat*; alii *gestans*.

611. Hic versus in Reg. omissus fuerat, sed insertus postea fuit inter lineas. Ejus loco a pr. m. hic versus adest in Reg.: *Et multos redimens pretioso sanguine salvat*. In mss. Rom. et Ott. prius ponitur *Pro multisque*, tum additur *Et multos*, etc., sed *servat* pro *salvat*. In editis deest hic versus *Et multos*, neque certe necessarius est, nisi prior *Pro multis* expungatur. Uter autem eorum magis Juvencum redoleat, non ausim dijudicare. Retineo vero *Pro multisque*, quia pluribus testimoniis comprobatur. Reuschius ait, in aliis libris legi non pessimum versum, *Et multos redimens pretioso sanguine servat*, ubi in *servire*, quod præcessit, et *servare* auctor lusit; quos lusus sæculum XI sapere affirmat.

612. Rom., *Et vos*; melius, *At vos*.

613. Ott., *est summis*; fortasse librarius voluit, *ex summis*. Editi, et mss., *e summis*.

616. Rom., *Quisquis sapit*, quod metrum non patitur. Vera lectio, *Quisque sapit*, quam Aldus etiam in textu exhibuit; sed in Erratis importune correxit *Qui sapit, adveniet*, quia scilicet ignorabat *quisque* sumi pro *quisquis*, ut in poetis christianis passim observatur, et in Juvenco animadversum jam fuit ad libr. III, vers. 400.

NOTÆ.

606. Reuschius totum hunc locum sic ferme exponit: Potestas celsa editione, h. e., Deus imponit, seu præponit gentibus infidelibus quoscumque eorum, sive, ex iis ipsis populis incredulis, velit ut dominentur in gentes illas infidas, vel dominentur urbibus subjectis: et hi principes exercent in eas urbes iram vehementem Patris mei. At vos non iræ ministri, sed clementiæ estis. *Moderatio mitis*, regimen benignum. *Tranquillior concordi æquore vitæ*, tranquillior qualibet vita placide traducta. *Sternit*, insternit, implet, *vos*, qui mei discipuli estis, *hic*, hoc sermone *jam*, hac in vita, *pace*, quam mundus dare nequit.

608. *Quisquam unus*, h. e., unus quisquam.

611. *Ponit animam*, impendit, dat. Phrasis ecclesiastica. Augustinus in Joann. 121: *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et animam suam ponere pro multis.*

612. De his versibus peculiarem dissertationem conjeci in proleg., c. 5. Cum nuper viderim apographum Evangeliarii Tridentini nondum editi, operæ pretium duco scripturam versionis Italæ, quam secutus est Juvencus, denuo confirmare verbis ejus Evangeliarii exscriptis: *Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam pro multis redemptionem. Vos enim quæritis de pusillo crescere, et de majore minorari. Intrantes autem, rogati ad cœnam, nolite recumbere in eminentioribus locis, ne forte honoratior te superveniat, et accedens, qui ad cœnam te vocavit, dicat tibi: Accede deorsum, et confundaris. Si autem in loco inferiore recubueris, et supervenerit humilior te, tunc dicet tibi, qui te ad cœnam vocavit: Accede superius. Et tunc erit tibi gloria coram discumbentibus. Et cum egrederetur Jesus ab Hierico*, etc.

614. CAPUT XXV. *In novissimo loco recumbendum.* Matth. XX in Itala, et Luc. XIV, 7, etc. *Vocat*, et *convivia ponens* verba propria in cœnis. Vide not. ad l. I, vers. 795, et l. III, vers. 80.

615. *Cornua* sæpe dicuntur de extremis cujusque rei partibus, ut *cornua aciei, classis*, etc. Livius libr. XXV, cap. 3, ad fin.: *Et forte in cornu primus sedebat Casca.* Apollinaris Sidonius l. I, epist. 11, sive ult. sic convivium describit: *Postridie jussit Augustus, ut epulo suo circensibus ludis interessemus. Primus tacebat cornu sinistro consul ordinarius Severinus... Juxta eum Magnus, olim ex præfecto, nuper ex consule.... recumbente post se Camillo, filio fratris. Pæonius hinc propter. Atque hinc Athenius. Hunc sequebatur Gratianensis omni ab infamia vir sequestrandus, qui Severinum sicut honore postibat, ita favore præcesserat. Ultimus ego jacebam, qua purpurati* (imperatoris) *lævum latus in dextra margine porrigebatur.* Sirmondus hunc locum illustrat, ex quo hæc colligo: *In sigmate, seu stibadio, hoc est, lecto semirotundo, duo erant extrema velut cornua. Hi primi accubitus censebantur. Honoratissimus stibadii locus erat cornu dextrum, proximus sinistrum. Id novum videri queat, et ab usu nostro remotius, quod tertius, quartus, ac reliqui deinceps illum ordine subsequantur, qui primus est in cornu sinistro.* G. Fabricius nove a Juvenco dictum putabat *cornua summa* pro primo accubitu. Vide ejus Comment. Poetar. christ., verbo *cornua*. Consule etiam Petrum Chacon, de Triclin. Rom., cum appendice Fulvii Ursini, Hieronymi Mercurialis dissertationem de accubitus in cœna Origine, et plures alios quos laudat Fabricius, Bibliograph. Antiq., c. 19, n. 3.

618. *Tumor inflati cordis*, superbia. Sic Prudentius, aliique christiani scriptores loquuntur. *Per summa*, ut vers. 615, *Cornibus in summis.*

619. *Mediocria*, nempe loca inferiora. *Mediocris* sæpe pro exiguo ponitur.

620. Ex hoc versu colligo, Juvencum parabolam sumpsisse ex Matthæi Itala versione, non ex Luca, cap. XIV. Nam, ut vidimus, in Evangeliario Tridentino id exprimitur apud Matthæum: *Si autem in loco inferiore recubueris, et supervenerit humilior te, tunc dicet tibi, qui te ad cœnam vocavit: Accede superius.* Lucas solum ait: *Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius.* Paulo aliter Evangeliarium Tridentinum: *In novissimum locum recumbe, ut cum venerit qui te et illum invitavit, dicat tibi.*

621. *Pudens*, verecundus: transibit ad potiorem strati et tori locum, quia pudenter inferiorem elegit. Boni viri est pudore suffundi cum gloria ei quasi invito tribuitur.

Proxima tum Solymis conscendit culmina A [montis,
Ordinibus lucent quæ glauciconantis olivæ.
300 Hinc lectis jussit sectatum discipulorum,
Obvia castelli monstrans habitacula Christus,
Inde asinam pariter fœtu comitante repertam
Ducere : vel si quis causam disquirere vellet,
Cur sua tam subito quoquam jumenta trahantur,
Dicere, tunc operam Dominum sibi sumere [velle.
Discipuli celeri complent præcepta paratu.
Adducunt, mollique super velamine vestis
Insternunt placidum pullum, præbentque se- [dendum.
301 Hinc veteris quondam fluxit vox nuntia [vatis:
Ecce venit placidus tibi rex, quem terga se- [dentem
Præmitis gestant asinæ, pullique sequentis.
Tum populi stratas prætexunt vestibus omnes,
Quaque iter est Christo, subnexa fronde coronant.
Proxima tunc alii spoliant palmeta virore,
Conclamantque omnes : Davidis origine creto
Hosanna excelsis sit gloria læta trophæis!

LECTIONES VARIANTES.

623. Reg., *quo;* et glossa, *quo monte.* Sensus exigit *quæ.* Rom., corrupte : *Ordinibus lucent glauci comantis olivæ.*

626. Rom., *Unde*, lege *Inde.*

628. Ott., *trahuntur;* Rom., *trahatur* : lege B *trahantur.*

629. Mss. Reg., Ott., Rom., *Dicere, tunc operam Dominum sibi sumere velle.* Sic etiam Ald., Torn., Bas., Poelm., pro d. s., sed nonnulli interpungunt *Dicere tunc : operam.* Hanc lectionem exstare in quinque impressis et quatuor codicibus confirmat Reuschius, quam poetico magis habitu incedere putat. Hadam., Westh., ad marg. : *Huic reddas, nostro nunc iis opus esse magistro.* Ita Daventr., sed *Huic reddant,* quod Westhemerus in textu expressit. Ita etiam Poelm., in textu, et Fabr., sed uterque *Reddere huic.* Hanc scripturam tuetur Fabricius, in Comm., verbo *reddo,* pro respondeo, et locum hunc ante depravatum fuisse affirmat : eamdem secutus est Scoehttgenius, et Reuschius, qui observat, legendum *Reddere* non *reddant* : præcessit enim copulativa *vel.* Verum cum lectio codicum mss. bona sit, nulla est causa cur eam deserere debeamus.

631. Rom., Ald., *mollique super velamine vestis.* Hadam., Poelm. et alii, *mollisque super velamina vestis.* Prior lectio melior est, et confirmatur quamvis obscure a mss. Reg., Ott. Elegantius etiam est *molli velamine,* quam *mollis vestis. Super* vel est *insuper,* vel per tmesin *superinsternunt,* vel ad pullum refertur.

633. Alp., Bas., *Huic* non ita bene, ac *Hinc.*

637. Rom., Ald., *subnixa :* alii, *subnexa.* Kœnigius suspicatur *subjecta :* Reuschius tenet *subnixa,* hoc est, fulciente, et quasi gestante.

640. Reg., Ott., a pr. m., *Osanna in excelsis.* Rom. cum editis, *Osanna excelsis* vel *Hosanna excelsis,* vel *Oschanna excelsis,* ut edit Fabricius. Scriptura *Osanna in excelsis* metro adversatur, nisi scribere velimus *Osana,* ut dactylus inde fiat. Sed vers. 647, Reg. et Ottob. exhibent *Osama excelsa.* Vulgata scribit *Hosanna.*

NOTÆ.

622. CAPUT XXVI. *Christo pullo asinæ insidente, populos stravisse viam, qua ibat, suis vestibus.* Matt. XXI, 1 seqq.; Marc. XI, 1; Luc. IX, 29; Joann. XXII, 15.

625. *Ordo* de dispositione arborum scite dicitur. Cicero, pro Cæcina, cap. 8. *Ejus fundi extremam partem oleæ directo ordine definiunt.* Confer notam Passeratii. Virgilius, II Georg., vers. 276 : *Sin tumulis acclive solum, collesque supinos : — Indulge ordinibus. Lucent,* h. e., conspicua sunt, nitent. Campi bene culti, et ipsæ etiam arbores nitere dicuntur. Plinius, l. XVII, cap. 4 : *Non utique lætum solum est, in quo proceræ arbores nitent.* Sic *campi nitidi, nitentes, terra herba, nitens;* et Juvencus, infra, vers. 712, *nitentis vineti. Glaucicomans,* vox a Juvenco formata, ut l. IV, v. 201 : *flammicomans.*

624. *Lectis discipulorum,* h. e., ex discipulis, vel positivum est pro superlativo quasi *lectissimis discipulorum,* ut h. l. vers. 293 : *Eximios vatum.* Virgilius, l. IX, vers. 47 : *Turnus, ut antevolans tardum præcesserat agmen, — Viginti lectis equitum comitatus,* D *et urbi — Improvisus adest.*

625. *Obvia,* quæ ex adverso, seu contra erant. Hæc enim est propria significatio hujus vocabuli. Matthæus ait : *Ite in castellum quod contra vos est.*

627. *Vel si,* pro *et si. Vel* pro *et* ab idoneis auctoribus aliquando adhibetur.

632. Matthæus ait : *Et adduxerunt asinam, et pullum : et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.* Versio antiqua in ms. Colbertino : *Et adduxerunt asinam, et pullum ejus, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et sedebat super eum Jesus.* Plerique alii mss. cum Evangeliario Tridentino legunt, *Et imposuerunt super eum vestimenta, et sedebat super eum.* Hanc lectionem tenuerunt Auctor oper. imperf. in Matth., et Arnobius Afer Annot. in Evangel. Alii Evangelistæ super pullum asinæ sedisse Jesum disertis verbis narrant. Postea Juvencus, Isaiæ vaticinium reddens, sic ait : *Quem terga sedentem — Præmitis gestant asinæ pullique sequentis.* Probabilis interpretatio est, Jesum prius usum fuisse asina, sequente pullo : deinde in civitatem ingressum super pullum, sequente asina. Mysterii hujus plures causas assignant veteres, recentesque interpretes. In veterum christianorum monumentis sæpe expressa apparet imago Salvatoris asino vel asinæ insidentis; eaque sic exstat in quodam cochleari antiquissimo, ferruminato argento insculpta, apud v. c. Giovenazzium, qui ejus modi cochleare ad sacram synaxin populo veteri more impertiendam olim adhibitum fuisse prudentissime conjiciebat. Ita enim fideles ad tantum mysterium accedentes in memoriam revocare po erant verba Matthæi : *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis.*

635. *Præmitis :* sic hæc nomina formare amat Juvencus, ut non semel notatum.

636. *Stratas,* vias, ut alibi dictum.

637. De hoc triumpho Salvatoris, de more veterum prætexendi vias floribus, et de acclamatione puerorum *Hosanna* legendus est Martinus Roa, libr. II Singular. cap., 15.

638. Judæa palmetis abundabat. Horatius, l. II, ep. 2, vers. 184 : *Ungi — Præferat Herodis palmetis pinguibus.* Plinius, libr. V, cap. 14 : *Hiericuntem palmetis consitam.* De voce *viror* dictum l. II, vers. 818.

Sic adeo ingreditur Solymorum mœnia Christus. A
Ingresso occurrit, primo sub limine templi,
302 Cruribus atque oculis certatim debile [vulgus.
Quos ubi tam subito gressu, visuque vigentes
Cuncta sacerdotum cognovit factio mirans,
Et pueros templi complentes tecta canore :
Hosanna egregia Davidis stirpe creato,
Ipsum percunctant cuncti, quæ causa canoris
Impubem tanta tollat per gaudia plebem.
Christus ad hæc, Legis, inquit, vos scripta tenere
Creditis, infantum quæ dicit ab ore venire,
303 Lactentum et linguis Justi consurgere lau- [dem.

Hæc ait, ingratam linquens cum civibus ur- [bem,
Bethaniamque petit, rediensque, in margine cer- [nit
Stratæ, tendentem diffusa umbracula, ficum.
Illic forte cibi pertentans corda voluntas,
Arboris attrectat ramos : sed nulla facultas
Pomorum sterilis frondis concreverat umbræ.
Olli Christus ait : Non sit tibi fructibus um- [quam
Copia promendis. Tum protinus aruit arbos.
Discipuli celerem mirantur in arbore mortem.
Sed Christus stupidis assistens talia fatur :
Nunc ligni istius nostro stupuistis honore

LECTIONES VARIANTES.

641. Ald., Poelm., pro d s., *Sic tunc* : cæteri *Sic adeo.*

642. Rom. *Ingresso primo occurrit:* alii, *Ingresso occurrit primo.* Torn., *lumine* : lege *limine.*

644. Bas., *jam* pro *tam.* Reg., in textu, cum aliis, *gressu visuque*; supra, manu veteri, *visuque et voce.*

646. Mss. omnes nostri, codex ms. Divionensis, et alius P. Pithœi a Jureto collatus, *tecta clamore:* editi, *tecta canore.* Prima in *clamor* longa est, et a Juvenco etiam producitur libr. II, vers. 410; l. 4, vers. 590, 702. Retinendum ergo est *canore*, quod verbum est Virgilii, Lucretii, Ovidii, et aliorum præsertim poetarum. Vide not. ad vers. 648.

647. De voce *Hosanna*, vel *Osanna*, vide varias lectiones vers. 640. Ald., Bas., *create*, pro *creato.*

648. Reg., Ott., Rom.; *Ipsum percunctant cuncti quæ causa clamoris.* Legam cum editis *quæ causa canoris*, ut vers. 646, *tecta canore*, et l. IV, vers. 592 : *Restitit adverso complens cava saxa canore.* Juretus, libr. IV Paulini Petrocorii de Vita S. Martini, vers. 172, ex ms. codice S. Benigni Divionensis, his in locis legit *clamoris* et *clamore*, cui favet Cantabrig., et aliorum poetarum auctoritas, qui primam ejus vocis syllabam corripiunt. Paulinus Petrocorius, loc. cit.: *Verbera cædentum resonabant, verba clamantum.* Tertullianus, de Jona et Ninive, vers. 42. *Nauticus interea geminus clamor omnia tentat.* Plerique editi : *Tunc percunctantur cuncti ;* Hadam. *præcontantur*, quod non bene Latinum est. Poelm., pro d. s., codex Barthii : *Ipsum percontant cuncti.* Alii scribunt *percunctor*, alii *perconctor.* Verbum activum *percuncto*, et passivum *percunctor*, non admodum usitatum est : nihilominus non dubito quin Juvenci sit, cum iterum *percunctata* passive occurrat vers. 679. Idem verbum usurpant Nævius, Gellius, et Apuleius.

649. Rom. cum editis *tantam ;* Reg., *tantum ;* Ott., *tanta.* Id præ cæteris placet, quod ab sciolis librariis mutatum, quia nescichant, ultimam in *tanta* B ratione cæsuræ produci posse, præsertim ex consuetudine poetarum inferioris ævi.

650. Rom., Ott. cum Hadam., Poelm., in textu, *Legis, inquit, vos.* Reg. cum Ald., Torn., *legis sanctæ vos.*

651. Reg. cum Torn., Poelm., pro d. s., *Creditis.* Rom., Ott. cum Ald., *Creditur.* Rom. cum Ald. et aliis ita interpungit : *venire — Lactentum, et linguis.* Sed aliter Scriptura distinguit, *Ex ore infantium, et lactentium.*

652. Reg., *lactantum :* Rom., Ott. cum editis, *lactentum.* Versiones veteres apud Sabatierium omnes habent *lactantium*, quod pariter legitur in Evangeliario Tridentino, ex quo confirmatur *lactantum* in Reg. Sed multi Patres antiqui cum Vulgata exhibent *lactentum*, et pro eo, qui lac sugit, certius vocabulum est *lactens*, quam *lactans :* nam de hoc aliqui dubitant. Nonnulli apud Reuschium *justis :* retine *justi*, videlicet Christi.

655. Poelm., pro d. s., *Stare extendentem.* Vera C lectio *Stratæ*, *tendentem.* Nescio an aliud voluerit Aldus *Strate tendentem.* Alibi etiam apud Juvencum occurrit *strata*, *stratæ* pro *via*, ut paulo ante vers. 636.

656. Rom. supra *corda* indicat *corde*, quod non admiserim. Reuschius pro *voluntas* conjicit *voluptas*, hoc est, appetentia.

658. Reg., Ott., Daventr., Ald., *sterilis frondis concreverat umbræ.* Sic Rom., sed *sterili*, Had., Poelm., in textu, Fabr., *sterili frondis concreverat umbra.* In Reg., glossa hæc est UMBRÆ — *in umbra.*

660. Reg., Ott., *arbos :* Rom., *arbor.*

665. Omeisius suspicatur *Nunc ligni stirpem*, Reuschius *Nunc lignum istius*, nempe arboris. Alioquin supplendum *arborem :* Nunc stupuistis, arborem ligni istius auctoritate nostra desisse ad vires ducere terrenos succos. Putabam *Nunc ligni istius nostro stupuistis honore— Desisse vires terrenos ducere succos*, quod, producta ultima in *desisse* ob cæ- D suram, optimum videtur.

NOTÆ.

644. *Quos*, synesis, sive mutatio numeri et generis: quasi non præcessisset *debile vulgus*, sed *homines debiles e vulgo.*

647. *Creato*, genito. Hæc est enim propria hujus verbi significatio : quamvis non quidquid genitum est, creatum quoque dici possit.

653. CAPUT XXVII. *Christum maledixisse ficum, quia foret sterilis, atque illam confestim exaruisse.* Matth. XXI, 17 seqq.; Marc. XI, 13.

654. *In margine stratæ.* Textus sacer, *secus viam.* Ms. Cantabrig., *super viam. Margo* proprie est extrema ora cujuslibet rei, ut *margo fluvii, agri, viæ, libri*, etc.

655. Lib II, vers. 116 : *Cum te diffusæ tegerent umbracula ficus.*

657. *Facultas*, nulla vis producendi poma concreverat frondis sterilis umbræ.

658. *Pomum* de quovis fructu. Vide not. ad Drac. lib. I, vers 186.

661. De senio et morte arborum vide not. ad lib. II, vers. 749, et Grunerum, ad Sedulium, lib. I, vers. 13.

662. *Stupidis*, valde mirantibus, ut vers. seq. *stupuistis.*

304 Desisse ad vires terrenos ducere succos. A
Sed veris verbis iterumque iterumque monebo :
Namque fides si certa animi consistet in arce,
Nec dubiis nutans vitiis tremebunda jacebit,
Arboris istius vobis substantia cedet.
Nec tantum istius, sed montis celsa revelli
Credentum verbo poterunt, undisque profundi
Cum silvis pariter, saxisque, ferisque recondi.
Et quæcumque fides robusto pectore poscet
Credentum, semper digna virtute tenebit.
Hæc ubi dicta dedit, templi se mœnibus infert.
Confestim proceres populi, miracula rerum,
Collecti inquirunt, virtus quæ tanta dedisset.
Ollis Christus ait : Quærentibus omnia vobis
305 Dicere jam facile est, si nobis vestra vi- [cissim
Percunctata prius paucis sententia solvat.
Nuper Joannes, puro qui gurgite lavit
Sordentis populi maculas, divina potestas,
An hominis potius vobis fallacia visa est?
Hæc ait, ancipiti verborum pondere claudens
Captantum procerum mentem : nam magna pro- [phetam
Plebis Joannem veneratio suscipiebat,
Nec poterant ejus fallacem dicere vitam.
Rursus sublimem dixissent esse prophetam,
306 Occidisse illum traheret confessio culpam.
Se nescire tamen respondit factio fallax.
Tum Christus : Non est injustum claudere vocem,
Cum mihi claudantur procerum responsa su- [perba.
Nam geminæ prolis genitor majoris in aures

LECTIONES VARIANTES.

665. Reg., *iterum iterumque* : rescribe *iterumque* B vem dictionis præcedentis.
iterumque.

666. Reg., *animæ*, pro *animi*. Daventr. cum. mss. Reg., Ottob., *consistit*. Ald., Bas. cum Rom., *consistat*. Had., Fabr., Poelm. *consistet*.

667. Westh., in textu, *mutans;* ad marg., *nutans*, quod unum probandum est.

670. Ald. *verbis :* alii, *verbo*. Ald., Bas., *profundis :* melius, *profundi*, nempe maris.

673. Rom., *Credendum :* lege *Credentum*, ac fortasse præstiterit interpungere *poscet*, — *Credentum semper digna virtute tenebit*. Paulo ante, *Credentum verbo*.

676. Poelm., pro d. s., *Mirantes rogitant, qua virtute efficis ista;* in textu, cum mss. et aliis editis, *Collecti inquirunt, virtus quæ tanta dedisset*.

678. Ald., *nobis si*.

679. Rom., *Præcunctata :* lege *Percunctata*, aut *Percontata*, ex dictis ad vers. 648. Mss. cum plerisque editis, *solvat :* Had., Poelm., *solvet*.

680. Torn., *Joannis* pro *Joannes*.

681. Reg., Ott., Rom., *Sordentis :* editi, *Sordentes*.

682. Reg., Ott., Ald., Bas., *An hominis*. Rom., *An Joannis*. Hadam., Fabr., Poelm., *Anne hominis*. Probum est *An hominis :* quod enim *an* produci possit, dixi ad libr. 2, vers. 517. Hoc autem loco peculiaris est ratio ob aspirationem dictionis sequentis quæ vim habet producendi aliquando bre-

683. Ott., *ludens*, pro *claudens*, et fortasse a pr. m. fuit *laudens*, vel *claudens*. Facile in mss. inter se confunduntur *ludens* et *claudens*, et, quod idem est, *cludens*. Neque hoc loco mihi displiceret *ludens*. Sed multo magis placet *claudens*. Sic l. IV, vers. 8 : *Cur tentatis, ait, nunc me concludere verbis?*

685. Reg., Ott., a pr. m., Torn., *suspiciebat :* Rom., cum plerisque editis, *suscipiebat*. Barthius, libr. XXVI Advers., cap. 7, col. 1265, pro *suscipiebat* correxit etiam *suspiciebat :* quod verbum, inquit, corruptum et in Ligno vitæ apud Cyprianum, sive alium poetam christianum : *Circum spatiantes gramine molli — Suscipiunt alta pendentes arbore fructus*. Legendum *Suspiciunt*. Vide libr. III, vers. 51, ubi idem legitur versus.

687. Reg., contra metri rationem, *sublimem si dixissent esse*. Ott., a pr. m., *Rursus sublimem dixissent esse prophetam*, quod genuinum videtur : necessaria enim non est particula *si*. In Ott., ut in editis, C saria enim non est particula *si*. In Ott., ut in editis, apponitur supra *si* inter *dixissent*, et *esse*. Particula *si* eleganter sæpe omittitur non solum a poetis, sed etiam ab aliis. Virgilius, l. VI, vers. 51 : *Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes*. Ovidius, VI Fast., vers. 113 : *Huic aliquis juvenum dixisset amantia verba, — Reddebat tales protinus illa sonos*. Cicero, Philipp. XIII, c. 11 : *Recesseris, undique omnes insequentur : manseris, hærebis*.

689. Torn., Poelm., pro d. s., *igitur*, pro *tamen*.

NOTÆ.

665. Virgilius, III Æneid., vers456 : *Prædicam, et repetens iterumque iterumque monebo*.

666. *Animi in arce*, quasi in fastigio et apice animi. Statius, lib. II, silv. 2, vers. 151. *Celsa tu mentis ab arce— Despicis errantes, humanaque gaudia rides*.

668. *Arboris substantia*, arbor. Vide not. ad lib. I, vers. 416, 631.

669. *Celsa montis*. De vocabulo *celsa* substantive dixi ad Dracont., lib. II, vers. 3.

674. CAPUT XXVIII. *Jesum interrogatum, qua potestate hæc faceret, respondisse : Facile erit, quæ quæritis, dicere, si prius, quæ nos interrogabimus, solveritis de Joannis baptismate*. Matth. XXI, 23 seqq.; Marc. XI, 21; Luc. XX, 2; Joann. XIV, 13; XVI, 23. D

675. Ordo est : Continuo proceres, sive seniores populi collecti inquirunt, quæ tanta virtus dedisset miracula rerum, vel quæ virtus dedisset tanta miracula rerum.

680. Supra, vers. 263 : *Justus Ioannes, populos qui flumine lavit*. Confer notam.

683. *Ancipiti*, qui in utramque partem premebat. Vide not. ad l. II, vers. 233.

684. *Captantum*, capere volentium. Adisis not. ad h. l. vers. 134. Interdum *captare* conatum indicat, *capere* effectum.

688. Confessio occisionis prophetæ argueret culpam. Sed quænam culpa seniorum fuit, quod Joannes ab Herode occisus fuerit? Satis ex Evangelistis hoc loco constat, Scribas et Pharisæos Joanni non credidisse. Ait enim Lucas : *At illi cogitabant intra se dicentes : Quia si dixerimus, De cœlo, dicet : Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos. Certi sunt enim Joannem prophetam esse*. Probabile ergo est, eos mortem Joannis, quoquo poterant modo, procurasse. Lamyus hinc suam sententiam confirmat, Joannem bis in carcerem fuisse conjectum, primum a Scribis et Pharisæis, tum ab Herode, cum Scribæ et Pharisæi illum dimisissent, quia timebant plebem.

691. *Responsa superba*, quia ipsi superbi sunt, et aut non respondent, aut superbe respondent.

692. CAPUT XXIX. *De eo, qui filios habens, in vineam ire eos jussit. Item publicanos et meretrices credituros in Christum, Judæos vero obstinatos fore*. Matth. XXI, 28 seq.

Talia dicta dedit : Vitis mihi portio major
Semiputata jacet. Sed perge, et robore forti
Nunc scrobibus, nunc falce premens, vineta re-
[tonde.
Tum juvenis sese tam sordida vincla laboris
Nolle pati memorat. Post omnia jussa parentis
307 Exsequitur, damnansque sibi responsa
[coercet.
Post alium natum simili sermone jubebat
Ad vineta sui dependere jussa laboris.

A Annuit his juvenis, nec dictis facta repensat.
Dicite, quis potius genitoris jussa sequatur ?
Illi collaudant responsum posterioris.
308 Prosequitur Christus : Nunc vera adver-
[tite dicta.
Jam magis hinc cœli sedem comprendere cer-
[tum est
Corporis e vitiis quærentes sordida lucra,
Quamvestrumquemquam. Vobis namvenerat ante
Justus Joannes : sed non est credere vestrum.

LECTIONES VARIANTES.

695. Rom., *retonde;* Helmst., *reconde;* alii *retunde.* Reuschio magis arridet *retunde* pro tonde. Id verbum tribuitur Plauto, et *retonsus* a Plinio usurpatur libr. XVIII, cap. 17, de segete. Vitis tondetur, B cum putatur. Columella, libr. IV, cap. 21 : *Vitis in pollicem tondeatur.* Plinius, libr. XV, cap. 1 : *Oleæ tondentur, cum et vites.* Sic *tonsa ilex, tonsa myrtus*, et similia. In scriptura communi et vulgata eumdem sensum habet *retunde :* et quantum quidem ad scrobes attinet, dici potest vitem retundi, cum prosternitur. Columella, libr. IV, cap. 4 : *Facto in pastinato scrobe, tota vitis a media fere parte sulci prosternatur. Scrobibus vineta premere* est fodere, ac pastinare, seu vertere terram.

698. Mss. nostri omnes cum Torn. : *Exsequitur, damnansque sibi responsa coercet*, nimirum corrigit a se responsa. Plerique editi, *Exsequitur, duræ damnans responsa loquelæ.* Conjiciebam : *Exsequitur, damnatque suæ responsa loquelæ.*

702. Poelm., pro d. s., Fabr., *uter potius;* in textu cum cæteris, *quis potius.* Rom., corrupte, *genitoris gloriamque sequatur.*

705. Reg., *Olli conlaudant responsum posterioris;* C sic Ott., sed *responsa* contra metrum. Rom., similiter : *Illi collaudant responsa posterioris.* Poelm., in textu, Daventr., Ald., Hadam : *Illi collaudant nati responsa prioris.* Poelm., in textu, Daventr., Ald., Hadam : *Illi collaudant nati responsa prioris.* Poelm., pro div. s. : *Olli non laudant responsum posterioris.* Restituenda et Juvenco sua lectio ex nostris mss. : *Illi collaudant responsum posterioris.* Librarii veteres, aut primi editores Juvenci, qui sacræ Scripturæ vulgatam versionem noverant, non aliam, hunc versum corruperunt. Verba in Vulgata sunt Matth. XXI, 31 : *Quis ex duobus fecit voluntatem patris ? Dicunt ei. Primus.* Consentit versio antiqua ex codice Colbert., et S. German. 2; at ex ms. Corbeiens. 1 et 2, et S. German. 1, ex Claromont., ex Cantabr., ex cod. S. Andreæ Aven., pro *Dicunt ei, Primus*, exhibetur *Dicunt ei, Novissimus.* Ita etiam legitur in codice Vercellensi ab Iricio edito, et in Veronensi a Blanchinio typis excuso. Birchius, in opere *Quatuor Evangelia*, etc. pro eadem scriptura laudat celeberrimum codicem D Vaticanum Græcum 1209, qui optimus est omnium quotquot exstant, Vind. Lamb. 31, et versionem Syram Hierosolymitanam. Wetstenius, in Testamento novo græco, eamdem lectionem commemorat ex codicibus Græcis Cantabrigiensi antiquo, duobusque aliis recentioribus, necnon ex versione Copta, Armena, Saxonica, Arabica, ac præterea ex Damasceno, Pseudo-Athanasio contra Arium, Victorino et Hippolyto, in Genesin. Accedit nunc Evangeliarium Tridentinum, sæpe a me laudatum. Thomas Marescallus animadvertit, in versione Anglo-Sax. legi : *Tum dicebant illi : Posterior.* Omitto versiones, Arabicam in nonnullis exemplaribus, et Ægyptiacam, in quibus unius et alterius filii invertitur responsio, adeoque mirum non est, laudari responsum posterioris. Mss. Latinis plerisque, in quibus sine ulla perturbatione versiculorum 29 et 30, constanter subditur, *Dicunt ei, Novissimus*, et non *Primus*, Sabatierius adjungit S. Augustinum, libr. V Locut., tom. 3, part. I, col. 368 ; et clarius Hilarium, in Comment., col. 716. S. Hieronymus agnoverat etiam hanc lectionem, quamvis in aliis exemplaribus, quæ ipse vera vocat, aliter legi asserat Comment. in Matth., tom. IV, col. 101 : *Quod dicitur : Quis ex duobus fecit voluntatem patris, et illi dicunt : Novissimus ; sciendum est, in veris exemplaribus non haberi* NOVISSIMUM, *sed* PRIMUM, *ut proprio judicio condemnentur. Si autem* NOVISSIMUM *voluerimus legere, manifesta est interpretatio, ut dicamus intelligere quidem veritatem Judæos, sed tergiversari, et nolle dicere, quod sentiunt : sicut et baptismum Joannis scientes esse de cœlo, dicere noluerunt.* Sabatierius Juvencum adduxit pro lectione Vulgatæ, quia scilicet exemplaria cod. mss. Juvenci non viderat : ex his autem constat, eum legisse, *Dicunt ei : Novissimus.* Reuschius vulgatam Juvenci scripturam retinuit, quamvis non dubitaverit, ut ait, quin genuinus sit versus Juvenci a nobis exhibitus. Sic autem interpretatur : Responsum videlicet, et verba posterioris collaudarunt, sed non factum. Eo ipso autem factum prioris probant. Christianus Fridericus Matthæus in novo Testamento Græco et Latino affirmat, in nonnullis suis mss. responsionem filiorum inverti, et hanc transpositionem ortam esse ex Commentariis interpretum, qui hunc locum de populo Israelitico, et de gentilibus accipiunt. Quo posito, exoriebatur quæstio, utri prius vocati essent.

705. Ott., Reg., *comprendere possunt*, Rom. cum editis, *comprendere certum est.*

707. Ott., Reg., *quisquam :* alii, *quemquam*, ut hic versus versui 705 respondeat. In Ott. fortasse fuit *quemquam.*

NOTÆ.

694. Virgilius, eclog. 2, vers. 70 : *Semiputata tibi frondosa vitis in ulmo est.*

695. *Premens vineta retonde :* idem accusativus cum duobus verbis.

696. *Sordida* non sunt vincla laboris rustici, si *Sordidus* accipiatur pro infami, turpi, fœdo. Alio sensu rura dicuntur *sordida, aratra sordida, otia sordida ruris, sordida tecta villæ, casæ*, etc., quia nullus ruri munditiarum cultus. *Vincla laboris* petitum videtur ex Horatio, l. I, epist. 7, vers. 67 : *Excusare laborem, et mercenaria vincla.*

700. Notanda locutio : *Jubebat ad vineta dependere jussa sui laboris :* nempe jubebat ire in vinetum, ut laboraret. *Dependere* significat etiam insumere, ut *dependere operam.* Fortasse hoc sibi vult *dependere jussa laboris.*

701. *Repensat*, frequentativum a rependo eadem fere significatione. Nec facit, ut dictis facta respondeant, aut paria sint.

706. *Quæstus* de professione meretricia frequenter dicitur. Plautus, Pœn. V, 3, 20 : *Facerentque indignum genere quæstum corpore.*

708. *Non est vestrum.* Terentius, Heautont. III, 2 : *Non est mentiri meum.*

Namque fidem potius meretricum pectora cer- A [tam
Hauserunt, sordesque animi posuere pudendas.
At vos tantorum scelerum nil pœnitet umquam.
Sic quidam dives, cui jugera multa nitentis
Vineti sepes circum densata coercet,
309 In medio turrem, prælumque, et dolia [fecit,
Cultoresque dedit, fructusque locavit habendos.
Impositam statuens mercedis solvere legem.
Tum longinqua petit, sed fructus tempore certo
Actores famulos mittit, queis portio, salva
Cultorum certa ruris mercede, daretur.
Ecce colonorum rabies hos verbere sævo,
Ast alios lapidum proterrent undique telis.
Denique lethali prosternunt vulnere multos. B
Tum dominus ruris plures incedere servos
Præcipit, et rursum mercedis pacta reposcit.
310 Major at in plures audax injuria surgit.
Ultima jam domino natum dimittere mens est,
Quod sobolem, partemque sui vis digna pudoris
Cultorum cordi venerandam posceret esse.
Sed contra illorum jam mens maculata cruore,
Progenie exstincta domini, sibi post dominatum
Cedere credentes, crudeli vulnere fixum
Obtruncant, jaciuntque foras trans septa ca- [daver.
Post hæc jam dominus veniet, pœnasque re- [poscet
Tantorum scelerum. Sed vobis tradita quondam
Fulgentis regni sedes translata feretur
Ad gentem, dignos possit quæ reddere fructus.
Ut rex, qui nato thalamorum vincula nectens, B
Præcepit, proceres convivia læta frequentent,

LECTIONES VARIANTES.

710. Reg. et Ott. scribunt *Auserunt*. Reg., *animæ*, pro *animi*.

713. Rom., *ccheret*: lege *coercet*. Nonnulli conjungunt *circumdensata*. Sed *circum* potius adverbii more positum videtur.

718. Plerique scribunt *quis*; nonnulli, *queis*.

720. Reg., *verbere servos*. Rom., Ott., cum editis, *verbere sævo*.

721. Reg., Ottob., Hadam., Poelm., Fabr., *proterrent*: quo fortasse pertinet mendum in Rom., *prosternit*, nisi legendum sit *prosternunt*, quod tamen minus placet, cum v. seq. occurrat. Ald., Bas., *diverberat*. Pro submovere, expellere ponitur *proterrent*. Terentius Heaut. 3, 1: *Proterruisti hinc*, filium scilicet.

725. Fabr., mendose, *dominos*, pro *dominus*.

724. Rom., Ott., Ald., *rursus*; alii, *rursum*. Ott., *Præcepit*, bene correctum per *Præcipit*.

726. Reg., *demittere*, fortasse melius quam *dimittere*. Arntzenius ad Sedulium v, 393, vix ullam diversitatem in his verbis agnoscit. C

730. Rom., *Progeniem exstinctam*; alii *Progenie exstincta*.

731. Mss. nostri, *Cedere credentum*; editi, *Cedere credentes*. Est figura synthesis. *Credentes*, quasi præcessisset non *mens illorum*, sed *illi habentes mentem maculatam*, etc.

735. Rom., *refertur*; melius cæteri *feretur*; id. enim poscit sententia Evangelii.

736. Reg., Rom., Torn., Ald., *Ad placidam gentem, possit quæ reddere fructus*. Ott., cum aliis editis, *Ad gentem, dignos possit quæ reddere fructus*.

737. Rom., Hadam., Fabr., Poelm. in textu, *At rex*. Reg., Ott., Ald., Torn., Bas., *Ut rex*. Sic præstat legere. Postea quidem non additur *sic*, aut simile aliquid, quo pars secunda comparationis explicetur: sed jam intelligitur, hic comparari regnum cœlorum regi qui fecit nuptias filio suo, ut v. 712 h. l., *Sic quidam dives* non dissimili modo exponitur parabola vineæ.

738. Obscura est constructio hujus versus et seq. Cogitabam, *Præcipit, ut proceres convivia læta frequentent, — Accitos famulis*, etc., vel *Præcepit, proceres convivia læta frequentes, — Accitos famulos*, aut *famulis*. In scriptura vulgata variant tempora: *Præcepit, proceres frequentent, præcepitque accitos famulos concelebrare*. Schoettgenius repetendum ait *Præcipit concelebrare*, non *Præcepit*.

NOTÆ.

710. *Sordes animi*, culpas, crimina, scelera, avaritiam. Hoc loco recte de corporis et animi impuritatibus dicitur.

712. CAPUT XXX. *Parabola de vinitoribus, qui interficiunt ad se missos ad poscendam locati ruris mercedem*. Matth. XXI, 33 seqq.; Marc. XII, 1; Luc. XX, 9. *Nitentis vineti*, vide not. ad vers. 623 h. l.

713. Supra, vers. 550: *Cui dulcia fundum—Pinguibus in campis late vineta coronant*.

717. Fructus tempore certo, nempe tempore suo, seu vindemiæ. Ovidius de Remed., v. 189: *Temporibus certis maturam rusticus uvam —Colligit*, etc.

718. *Actores*, verbum maxime proprium de servis, qui pecunias et fundi reditus administrant. Vide Digestor. l. XXXIII, tit. 7, leg. 20, ubi aperte Scævola actorem a villico distinguit, quamvis actorem etiam numeret inter instructi fundi officia. Primis Ecclesiæ sæculis multi Christiani scriptores in foro versati fuerant, jusque dixerant, aut defenderant, In Prudentio, Dracontio, et Juvenco sæpe verba et phrases ex legum intima cognitione petitas observavi.

719. Sensus, et ordo est: Queis portio ruris daretur, salva, sive excepta certa mercede cultorum, h. e., debita cultoribus. Pignorius de Servis, pag. 148 seq., probat, in rei dominicæ procuratione primas sibi vindicasse servum actorem, ac recte Juvencum interpretatum fuisse *actores* servos a patrefamilias missos ad colonos agricolas, ut vineti fructus perciperent.

721. *Lapidum telis*. Nonius c. 6, n. 5: *Tela etiam lapides dici posse auctoritas docuit, et omnia, quæ jaciuntur. Sisenn. Histor. l.* IV: *Manuales lapides dispartit, propterea quod is ager omnis ejusmodi telis indigebat*. Caius lib. ult. Digest. tit. 16, de Verb. significat., leg. 253: *Telum vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur. Sed nunc omne significatur, quod mittitur manu. Ita sequitur, ut et lapis, et lignum, et ferrum hoc nomine contineatur*. D

727. Filius pars dicitur patris. *Vis digna pudoris* ponitur pro *pudor*, aut *virtus pudoris*. Confer not. ad l. I, vers 420.

728. *Venerandam* passive, ut v. 281 l. II. Vide var. lect. ibi.

732. *Septa*, sepes. Varro de Re rust. l. I, cap. 14; *Nunc de septis, quæ tutandi fundi causa, aut partis fiant dicam*.

737. CAPUT XXXI. *Parabola de invitatis, qui contemnunt venire ad nuptias*. Matth. XXII, 1, etc.; Luc. XIV, 16: *Thalamorum vincula nectens*; de his matrimonii vinculis confer not. ad v. 278, libr. II.

311 Accitos famulis voti regalis honorem
Concelebrare simul : cuncti sed adire recusant
Regales thalamos, regalis pocula mensæ.
Post alios mittit, sese largissima cuncta,
Magnificasque dapes, convivia læta parasse.
Illi, neglectis dapibus, diversa petebant.
Hic ædes proprias, hic ruris tecta propinqui,
Ast alius potius merces ac lucra revisit.
Multi præterea missos, qui ad læta vocarent,
Insontes famulos rapiunt, et corpora ferro
In mortem cruciant. Tum rex, ubi comperit facta,
Millibus armatis cives cum mœnibus ipsis
Subruit, effusi famulorum sanguinis ultor.
Tum servis fatur : Nunc festa jugalia cœnæ
Prælargis opibus quæcumque instruximus illis,
312 Contempsere meis proceres contingere mensis.

A 755 Ite igitur propere per publica septa viarum,
Et quoscumque illic casus glomeraverit, omnes
Huc lætis nati thalamis adhibete vocantes.
Progressi famuli per compita cuncta viarum
Inventos duxere simul. Jam denique cunctæ
760 Complentur mensæ mixtæ sine nomine plebis.
Hic justi injustique simul cubuere vocati.
At rex ingressus convivia læta revisit.
Hic videt indutum pollutæ vestis amictu,
Lætitiæ thalami fuerat quæ dissona longe.
765 Isque ubi regalis sermonis pondere causas
Reddere pro vestis maculis, et labe jubetur,
313 Oppresso tacuit non puri pectoris ore.
Et tum conversus famulis rex præcipit illum
Connexis manibus, pedibusque, et corpore toto
B 770 In tenebras raptum mox præcipitare profundas.
Illic stridor erit vasti sine fine doloris,

LECTIONES VARIANTES.

759. Reg., Rom., *Accitos famulis*; et glossa in Reg., *accitos —vocatos a famulis*. Placet hæc lectio, quia similis loquendi ratio familiaris est Juvenco, et sententia sic planior procedit. Communis scriptura est, *Accitos famulos*; in Ott. ex *Accitos* factum *Accitis*.

740. Hic, et sequens versus deerant in Reg., sed additi sunt.

743. Kœnigius conjiciebat *convivia lauta;* nam *convivia læta* jam præcessit.

744. Mss. nostri, Poelmann., pro d. s., *opibus;* plerique editi, *dapibus*, quod sententiæ magis congruit.

746. Ald., *merces potius*.

747. Ott. cum cæteris, *vocarent* ; sed, a sec. m., *vocarant*.

751. Reg., Ott., *et fusi :* tunc distinguendum erit, *et fusi famulorum sanguinis ultor, — Tunc servis fatur*. Melius tamen est *effusi* cum Rom., et editis.

C 753. Mss. nostri, *opibus;* editi, *dapibus*. Hoc loco libentius amplectar *opibus*. Ott., Ald., *instruximus, illi — Contempsere*. Alii plerique mss., et editi, *instruximus illis, — Contempsere*.

754. Reg., *proceris*, pro *proceres*.

756. Ottob., *glomeraverat;* supra recte, *glomeraverit*.

758. Rom., Torn., Ald., Bas., *compita lata*, ut l. IV, vers. 206, *per compita lata viarum;* alii mss., et editi, *compita cuncta*.

760. Rom., Ott., a pr. m., Fabr., Had., Poelm. in textu, *Complentur mensæ mixtæ sine nomine plebis;* sic etiam Reg., et Ott. a sec. m., sed *plebes* pro *plebis*, hoc fortasse sensu : *Mixtæ erant sine nomine plebes*. Ald., Bas., Poelm., pro d. s., *Complentur mensæ mixta sine nomine plebe*. Displicet hæc lectio Fabricio, qui in Comment., affirmat, verbum *compleo* stare hoc loco cum genitivo *plebis*. Vide a nobis notata in varia lectione vers. 90 hujus libri, et vers. 253 in not.

761. Ott., *Huc justi, injustique simul venere;* et, pro d. s., *cubuere*. Rom., Ald., Bas., *Sic justi*. Reg., Had., Poelm., *Hic justi*. Plerique mss., et editi, *cubuere*.

762. Rom., *Et rex;* alii, *At rex*.

765. Rom., Reg., Ott., a pr. m., *vidit :* recte a sec. m. Ott., *videt*.

D 764. Reg., *Lætitiis*, pro *Lætitiæ*. Ott. a sec. m., Had., Poelm. in textu, Westhem. ad marg., Fabr., *quæ dissona*. Reg., Rom., et, ut videtur, Ott. a pr. m. cum Ald., Westh. in textu, Bas., *cui dissona*, Reg., Rom. cum plerisque editis *longe:* in Ott. a pr. m. fuit *lingua*, pro d. s., vel tamquam correctio est *longe*. Ald., *dissona valde*.

767. Ott., *puro;* supra, *puri*, cum aliis.

768. In Ottob. *præcepit* bene emendatum per *præcipit*.

NOTÆ.

759. *Votum* de nuptiis solemne verbum, ut notavi ad l. II, vers. 368.

740. *Adire :* Sedulius in prolog. v. 5 : *Adi solemnia mensæ*. Plura ibi Arntzenius.

744. *Diversa*, opposita, vel alia omnia.

747. *Vocarent*, et vers. 757, *vocantes*, et v. 761, *vocati*, etc., verbum proprium conviviorum, ut notatum est ad libr. I. vers. 795, *Revocare*, de iis dictum, qui prandii vicem reddunt, ex Cicerone, Phædro, et Lactantio observat Mazochius Spicil. tom. III, ad c. 14, vers. 12, Lucæ.

752. *Festa jugalia*, nuptialia. Catullus Carm. 63 de Nupt. Pel. et Thet., v. 302 : *Tædas celebrare jugales*. Frequens est usus hujus significationis apud poetas.

753. *Prælargus* prius a Persio usurpatum fuerat. *Instruere* verbum de conviviis passim adhibitum, ut dixi ad l. II, vers. 55.

756. *Glomeraverit*, verbum familiare Juvenco. Vide not. ad v. 579, l. 2.

760. Libr. I, vers. 485. *Mixtæ sectantur turbæ*. Sedulius Juvencum imitatur l. 4, vers. 2. *Sine nomine vulgus — Mixtum*, etc.

763. *Vestis amictu*, hendiadys.

764. *Dissona*, discrepans. Claudianus de consul. Mallii, vers. 249 : *Ritu dissona barbaries*.

765. *Sermonis pondere*, ut l. II, vers. 483 : Cicero pro Ligario c. 7 : *Verborum tamen ipsorum pondus sustinere non posset*.

D 769. Libr. IV, v. 395: *Connexis manibus, pedibusque*.

770. *Tenebras exteriores* interpretatur Mazochius t. III Spic. ad h. l. comparate ad lucernarum jubar, quod noctu cœnantibus affulgebat, ut qui foras ejicerentur, eos in tenebris versari oporteret. Alia est ejusdem Mazochii explicatio, exposita l. I, v. 797, in nota, cui favet Juvencus utroque loco. Interpretatio vero, quam h. l. adhibet, propria ejus non est, sed communis cum Maldonato, aliisque. Habebat hoc Mazochius, ut interdum quasdam expositiones tamquam ab aliis prætermissas sibi adjudicaret, ignorans, vel dissimulans se scire, eas in celeberrimis interpretibus obvias esse. Et tamen is erat Mazochius, qui aliorum pennis ornari minime indigeret.

771. *Vasti*, magni. Sic plerique alii loquuntur.

Et semper fletus. Multis nam sæpe vocatis, 773 Paucorum felix hominum selectio fiet.

LECTIONES VARIANTES.

772. Torn., *jam;* rescribe, *nam.*
773. Post hunc versum Reg., *Explicit evangeliorum liber tertius. Incipit liber quartus.* Ottob. *Explicit liber* III. *Incipit ejusdem liber* IV.

NOTÆ.

773. *Selectio* contraria est *rejectioni.* Utroque hoc vocabulo utitur Cicero.

LIBER QUARTUS.

314 Talia dicentem confestim factio frendens
Tentare aggreditur verbis cum fraude malignis:
Certum est, veridicum te nunc venisse magis-
[trum.
Nec quemquam metuens, Domini vestigia ser-
[vas.
Dic ergo, an liceat nostræ dissolvere genti
Cæsaris urgentis semper sub lege tributum?
Ille sed inspiciens sævi penetralia cordis,
Cur tentatis, ait, nunc me concludere verbis,
Fallaces? mentis prodit fallacia fructum.
315 Inspicite en nummum, sculptique nomis-
[matis æra.
Cæsaris expressum promptum est ibi cernere
[vultum.
Solvite nunc illi propria sub lege tributum,
Atque Deo proprium legis servetis honorem.
Post Sadducæi tali cinxere latratu:

LECTIONES VARIANTES.

Versu 3. Ott., *veridicum*, ex quo non recte factum *veredicum.*

4. Rom. Ott., *metuis*, *Domini vestigia servans.* Poelm., pro d. s., *tueris*, *Domini vestigia servans.* Plerique editi, cum Reg., *metuens Domini vestigia servas.*

6. Reg., non male, *semper ex lege.*

9. Editi cum Reg., Ott. *Fallacis mentis.* Putabam *Pellacis mentis:* nam postea est *fallacia.* Sed in Rom. vera videtur esse lectio *Fallaces? mentis prodit fallacia fructum.* Nimirum cur, fallaces, tentatis, etc. In Aldo est *perdit* pro *prodit.*

10. Reg., Ott., *Inspicite in nummum.* Ald., Fab., Hadam., Poelm., *Aspicite en nummum.* Daventr. interpungit, *Aspicite: en nummum.* Rom., *Aspicite in nummum.* A manu Juvenci fortasse est *Aspicite nummum*, vel *Inspicite nummum;* producto *e* ratione cæsuræ. Revera Cant. legit *Inspicite nummum*, et Reuschio etiam, qui edidit *Aspicite en nummum*, superfluum *en* videtur. Rom., *sculpti nusmismatis;* lege, *sculptique numismatis*, vel *nomismatis.* Pro *æra* legerem libenter, si per mss. liceret, *ora.* Plerique scribunt *numismatis*, sed Ald., Bas., scribunt *nomismatis*, quod exstat etiam in ms. Ott. Eamdem scribendi rationem tenui, et defendi in Comment. ad Prudentium hymn. 2 Perist. v. 50 et 96, *Nomisma nummis inditum*, ubi de hac voce, et re ipsa disserui.

11. Rom., *facile est ubi;* Ald., *facile est ibi;* Fabr., *proprium est ibi;* plerique *promptum est ibi.* Reuschius tribus his versibus 11, 12, 13, vocem hanc *proprium* retinendam ait. Nam hujusmodi repetitiones frequentes sunt apud Juvencum, Homerum et alios, et venustatem habent.

12. Rom., Fabr., Had., Poelm. in textu *proprium.* Reg., Ott. cum plerisque editis, *propria*, hoc est, peculiari, aut etiam sua: nam hac significatione sæpe Juvencus vocabulum *proprius* adhibet.

13. Fabr., Poelm., Had., *servetis.* Mss. cum Ald., Daventr., Torn., Bas., et aliis, *servemus.*

14. Reg., Ottob., Torn., *Post Saducæi hinc inde latratibus urgent.* Sic etiam Rom., et Poelm. pro d. s., sed Rom. scribit, *Saducei.* Poelm., *Sadducæi.* Ald., Bas., *Inde Saducæi tali cinxere latratu.* Sic etiam Hadam. Poelm. in textu, Fabr. Daventr.; sed Hadam., inchoat, *Inde Sadducæi*, quod sustineri nequit; Poelm., et Fabr., *Post Sadducæi;* Daventr., *Inde Saducei.* In Vulgata, et in aliis plerisque veteribus versionibus scribitur *Sadducæi:* sed melius scribetur *Saducæi*, vel *Saducei*, qui sic dicti sunt a *Sadoc*, eorum auctore. Reuschius mavult, *Inde Saducæi tali cinxere latratu.* Libro III, vers. 221: *Ecce Pharisæi, Sadducæique dolosi.* Sed fortasse Juvencus alia quantitate syllabarum id nomen proprium nunc effert. *Cingere* verbum proprium venatorum est, et *latratus* pro incondito sono, vel impudenti clamore poni solet.

NOTÆ.

Versu 1. CAPUT I. *Interrogatur Christus, an liceat reddere tributum Cæsari.* Matth. XXII, 15, etc.; Marc. XII, 13; Luc. XX, 20.

5. Libr. III, vers. 395: *Dissolve tributum.* Eusthat. Swartius Analect. l. II, c. 15, contendit scribendum esse hoc, et innumeris aliis locis *disolve*, non *dissolve*, ut *dinumerare, diluere.* Opinionem hanc suam nondum plerisque aliis persuasit.

7. *Penetralia cordis.* Vide l. I, vers. 541, Damasus carm. 1 postr. edit. Rom.: *Sedibus depositis purgant penetralia cordis;* et carm. 13: *Virtus tenuit penetralia cordis.* Primus versus in epigrammate S. Hieronymi nomine legitur correctior, *Sordibus expositis*, etc. Aut legendum *Sordibus hæc positis*, scilicet monita: præcedit enim in Damasi carmine: *Nunc Damasi monitis aures præbete benignas.* In Hieronymi vero epigrammate præcedit: *Quisque sitit, veniat: cupiens haurire fluenta — Inveniet latices, servant qui dulcia mella.* Præstabit ergo hic legere: *Sordibus hi positis purgant penetrabilia cordis*, nimirum latices.

8. Matthæus ait: *Quid me tentatis, hypocritæ?* Supra vers. 2: *Tentare aggreditur. Concludere verbis* est verbis capere, constringere, ac velut ad incitas redigere. Libr. III, v. 683: *Ancipiti verborum pondere claudens.* Terentius Hecyr. IV, 4, 80: *Tot me nunc rebus miserum concludit pater.*

14. CAPUT II. *De muliere, quæ septem fratribus nupsit.* Matth. XXII, 23, etc.; Marc. XII, 19; Luc. XX, 28.

Mosea, qui legum posuit præcepta, jubere,
316 Si quis conjugium properata morte relinquet,
Pignoribus mediis nondum de germine cretis,
Hujus germano rursus sociabile vinclum
Deberi, generis pereat ne portio lapsi.
Finibus in nostris septem germana fuerunt
Corpora : sed major primus mox vincula nuptæ
Sumpsit, præceleri cecidit sub acumine mortis.
Post alius frater thalamis sine fructibus isdem
317 Concidit, et cuncti jacuere ex ordine fratres.
Unius et cunctos fletus gemuere maritæ :
Post ipsam rapuit gelidæ inclementia mortis.
Si venient igitur cuncti sub lumina vitæ,
Cujus connubiis mulier reddenda resurget?
Illis Christus ait : Errori obnoxia pravo,
Legibus et jussis Domini mens dura resistit.
Namque sequenda dehinc lætæ reparatio vitæ
Non thalamos novit, non terræ gaudia vana :

LECTIONES VARIANTES.

15. Reg., *Moysea;* Rom., *Moyseia* minus bene; Poelm. pro d. s., *Mosen;* in textu cum codice Ott., et plerisque editis : *Mosea qui legum posuit præcepta jubere.* Si intelligat *Mosea* esse adjectivum cohærens cum *præcepta*, rejiciendus hic sensus est. Nam Sadducæi dicebant, Matth. XXII, 24 : *Magister, Moyses dixit.*

16. Rom. Ald., Bas., *Connubium.* Alii, *conjugium.*

17. Reg. scribit, *Pigneribus.*

18. Rom., mendose, *Cujus* pro *Hujus*, et *sociabere* pro *sociabile.*

21. Mss. nostri *Corpora : sed major primus mòx vincula;* et glossa in Reg., *mox — ut.* Editi, *Sed major natu cum vincula nuptæ.*

23. Reg., Poelm. pro d. s., *thalami sine fructibus isdem.* Ald., Poelm. in textu, Daventr., Had., Fabr., *thalami sine fructibus æque.* Veram lectionem eruo ex Ott., et Rom., *thalamis sine fructibus isdem*, videlicet concidit isdem thalamis sine fructibus.

25. Poelm. pr. d. s., Westh. in textu, *Utque maritæ uni fletus omnes gemuissent.* Poelm. in textu cum cæteris, *unius et cunctos fletus gemuere maritæ*, ut *gemere malum suum*, et similia. Westh. ad marg., *unius cunctos* sine *et.* Utrolibet modo dici potest sive cum *et*, sive sine *et.*

27. Rom., *sub lumine vitæ;* Ott., *sub limina vitæ;* Reg., cum editis, *sub lumina vitæ.* Gallandius cum Kœnigio, et codd. præstantioribus Omeisii prætulit *limina vitæ*, quod occurrit etiam v. 443. Sed etiam in eo v. multi legunt *lumina vitæ*, et pariter *lumina vitæ* dixit Juvencus v. 735 et 757. [illegible], 1.

28. Reg. *Cujus conjugio;* alii, *Cujus connubiis.*

29. Alii, *Ollis;* alii, *Illis.*

30. Plerique mss. et editi, *Legibus et jussis Domini mens dura resistit;* Ott., *repugnat* pro *resistit.* Poelm. pro d. s., *Nescia virtutum, et legum mens decolor errat.* Ald., Bas., Torn. conjungunt hos duos versus, prius *Legibus*, tum *Nescia.* Rom., post vers. *Legibus, et jussis*, addit hunc, *Legibus et virtute Dei mens decolor errat.* Kœnigius in versu omisso *Nescia* commentatur *decolor*, i. e., turpis, fœda. Eusthatius Swartius Analect. II, 15, in eodem versu pro *mens decolor* legere jubebat *gens decolor.* Reuschius eum omisit cum codd. Helmst., et Cantabr. Si legas cum Swartio *gens decolor*, sensus erit *gens abominabilis :* nam *decolor* convicii loco aliquando ponitur, ut l. II, vers. 685, ex quorumdam mss. lectione, *Veniet sed decolor alter*, quod de Antichristo intelligitur.

31. Rom., *Namque secunda*, quod fortasse melius est quam *sequenda*, hoc est, secutura, ut Omeisius interpretatur. Swartius loc. cit. reponebat *Namque secuta dehinc.* Omnino vero rejicit in aliis *Namque secunda*, quia nulla est reparatio, quæ prior dici possit. At Wassius in editione Sallustii per Havercampum cap. 100 de Bello Jugurth. ex membranis Collegii Corporis Christi legi jubet *secunda* pro *sequenda.*

NOTÆ.

15. *Posuit præcepta*, statuit. Sic *leges ponere* pro condere apud Horatium, et alios.

16. *Conjugium relinquet*, conjugem relinquet. Propertius, libr. 3, eleg. 11, vers. 18 : *Uxorum positis stat pia turba comis. — Et certamen habent lethi, quæ viva sequatur — Conjugium;* scilicet virum. Tacitus l. XII Annal. c. 65 : *Quod conjugium principis devotionibus petivisset;* videlicet uxorem. Conjux superstes dicitur *relinqui*, vel destitui. Libr. I, vers. 251 : *Quam in flore juventæ — Destituit viduam mors immatura mariti.*

17. *Pignora* de liberis frequenter dictum. *Pignora media* sunt communia utrique conjugi. Propertius l. IV, leg. 11, vers. 69 : *Nunc tibi commendo communia pignora natos.*

18. *Sociabile vinclum*, nuptias. Sæpius eo vocabulo utitur ad conjugium significandum. *Sociabile* vox est Livii, Senecæ et aliorum.

19. *Lapsi.* Matthæus ait : *Et suscitet semen fratri suo.* In versione vero Italica veteri ex ms. Colb., *semen fratris sui;* et in Deut. XXV, 5 : *Et suscitabit semen fratris sui*, quod magis ad Juvencum accedit. *Labi* pro *deficere*, *obire* a Virgilo usurpatum. *Generis lapsi*, h. e., exstincti.

21. *Corpora germana septem* pro *germani septem.* Notatum id sæpe, ut l. II, vers. 751 : *Mecum germana residunt — Corpora. Major primus*, Matthæus ait : *Et primus*, etc. Ita etiam Marcus, et Lucas. Badius, qui cum editis legit *major natu*, reponit : *Latinius dixisset, Maximus natu : nam de multis loquitur.* Verum boni alii auctores Latinitatis, etiam cum de pluribus loquuntur, *major natu* dicunt. Hoc etiam loco synthesis advertenda est, *major primus*, quasi præcessisset *septem fratres*, et non *septem corpora.*

22. *Præceleri :* sic etiam ante Juvencum Plinius, et Statius. Morti telum tribuitur : hinc acumen, et aculeus mortis, ut in hymno *Te Deum laudamus : Tu, devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cœlorum.* Ep. I ad Cor. c. XV, vers. 55 : *Ubi est, mors, stimulus tuus?* Tertullianus de Resurrect. carn., cap. 54. *Ubi est, mors, aculeus tuus?*

23. *Alius*, ut vers. 173, *Ignarusque alius.* Optimi auctores pro *alter* nonnumquam adhibent *alius.* Discrimen hoc est inter *alius*, et *alter*, quod *alius* de multis dicitur, *alter* de duobus tantum. Sed, ut dixi, *alius* pro *alter* aliquando ponitur, et contra *alter* pro *alius.*

24. *Jacuere*, obiere. Ita enim *jacere* interdum sumitur pro obire.

25. *Maritæ*, uxoris. Horatius epod. VIII, vers. 13 : *Nec sit marita, quæ rotundioribus — Onusta baccis ambulet.* Ovidius l. II Fast., vers. 139 : *Tu rapis, hic castas duce se jubet esse maritas;* et Heroid. ep. 4, vers. 134, de Junone : *Et fas omne facit fratre marita soror.* Plura similia in antiquis inscriptionibus.

318 Sed similes levibus Genitoris jussa minis- A [tris
Constituet regni virtus sublimis in aula.
Nec Deus illorum dominum se ponere ma- [vult,
Qui terram proni meruerunt sumere mortem,
Sed potius vitæ possunt qui prendere lucem.
Ecce alii rogitant, quæ sint firmissima legis.
Ille indefessus nulli responsa negabat :
Sublimem cœli Dominum devotio cordis
Diligat ; est ista hæc virtus firmissima legis.
Consimile est isti : Magno teneantur amore
Ad jus fraternum justæ penetralia mentis :
His etenim geminis dependent omnia jussis.
319 Sed vobis cujus soboles ventura videtur
Christus, quem cuncti spondent in sæcla pro- B [phetæ !
Respondent, illum Davidis germine nasci.
Prosequitur Christus : Cur illum dicere David
Divino flatu scriptum est Dominumque Deumque :
Quod proprio patrem non æquum est dicere [nato?
Talia Salvator : cuncti obstupuere silentes.
Ille sed, accita credentum plebe, profatur :
Aspicite scribas sublimi sede superbos.
Hi quæcumque docent, justum est comprendere [cordis
Obsequio, maculas ipsorum temnite vitæ.
Abrupta imponunt humeris nam pondera vestris,
Ipsi quæ digito saltem contingere nolunt.
Accubitu primo cœnæ, fastuque superbo,
Atque salutantum vano tolluntur honore,
320 Et nomen sublime volunt gestare ma- [gistri.
Sed vos noluerim præcelsi nominis arcem
Affectare tamen : vobis est una magistri

LECTIONES VARIANTES.

33. In Reg., et Ott., a pr. m., pro *justa* videtur scriptum fuisse *juncta*. Wassius loc. citat. ex eod. cod. legit *juxta*, h. e., æque.

35. Ald., Poelm , pro d. s., *poscit ;* alii, *mavult.*

36. Mss. nostri cum Ald., Poelmann., *Qui terram proni ;* in ms. Ott. in *proni* abrasum est *ro.* Tora., et alii editi , *Qui tetram proni.* Cogitabam, *Qui in terram proni*, vel *Qui proni in terram*, vel *Qui terræ proni* in casu dandi *terræ.* Dubium autem semper erit, quid sit *proni*, nisi eo sensu accipiamus, quo *prona dies* dicitur, quæ prope occasum est. Omeisius explicat *terram proni* voluptatibus terrenis dediti.

38. Editi, et mss. plerique, *quæ sint firmissima legis.* Hadam., Poelm., *quæ sit firmissima legis.* Id secutus est Fabricius, sed addidit versum, qui in cæteris non apparet, et merito expungendus est, C *quæ sit firmissima legis — Regula quod summum comprendat cætera verbum.* Conjici posset *quæ sit firmissima legum*, vel *quæ vis firmissima legis*, ut v. 41, *est ista hæc virtus firmissima legis.* Verba Matthæi XXII, 36, hæc sunt : *Magister, quod est mandatum magnum in lege?*

39. Rom., *indeficiens ;* melius alii, *indefessus.* Ott., *nullis*, pro *nulli.*

41. Ald. cum Reg., Rom., *ista hæc ;* alii, *isthæc.* Reg., Rom., *fortissima ;* plerique, *firmissima.*

45. Ott. scribit *subolis* pro *soboles.*

47. Rom., a pr. m., cum aliis, *Davidis germine;* a sec. m., *Davidis de germine*, quod non est absurdum, correptis duabus primis in *Davidis.* Verum Juvencus utramque solet producere, ac potius dixisset *David de germine.*

50. Rom., Ald., *proprium ;* alii, *proprio.* Ottob., *æquum dicere ;* cæteri, *æquum est dicere.*

53. Poelm., pro d. s., *Aspice nunc scribas;* in textu cum aliis recte, *Aspicite scribas ;* nam extrema in *Aspicite* produci debet, ut multi affirmant, certe potest, ut nemo negat, ob *sc* dictionis sequentis. In eodem Poelm. error est *sublime* pro *sublimi.*

54. Reg., *quodcumque ;* alii, *quæcumque.*

56. Rom., *Obrupta ;* alii, *Abrupta.*

57. Reg., *contigere;* emenda, *contingere.* Swartius loc. cit. reponebat *saltem uno prendere nolint*, quia scilicet veram scripturam *contingere* ignorabat, et alicubi legerat *saltem comprendere nolint.*

61. Rom. *Quod* minus bene pro *Sed.* Bas. mendose *nos* pro *vos.*

62. Reg., Ott. distinguunt *Affectare tamen : vobis est una magistri.* Nescio tamen an a pr. manu. Barthius quidem Advers. libr. XIX, cap. 5, col. 976, ita hos versus distinguendos ait, qui vulgo male habiti. Editi enim cum Rom. interpungunt *Affectare : tamen vobis est una magistri.* Vide variam lectionem h. l. vers 150, ubi similis loquendi ratio animadvertitur.

NOTÆ.

34. *Justa sublimis virtus :* duo epitheta uni nomini attributa. Vide Comm. ad Prudentium, vers 169, l. I contra Symmach. Vel intellige, *in aula regni sublimis.*

35. Glossa cod. Reg., *illorum — mortuorum :* quod v. seq. declaratur.

38. CAPUT III. *Duo esse præcepta, quibus omnia dependent : et Christus cujus filius sit.* Matth. XXII, 35 seqq. ; Marc. XII, 28 ; Luc. X, 25.

40. *Devotio cordis*, ut l. I vers. 442 : *ut justus cæli Dominum devotus adoret.* Confer notam.

43. *Ad jus fraternum :* sacer textus : *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.*

46. Libr. I, vers. 230 : *Omnia quem vatum spondent oracula Christum.*

51. CAPUT IV. *Quæ Pharisæi dicunt, facienda esse, et non, quæ faciunt. Hinc increpantur Scribæ et Pharisæi.* Matth. XXII, 46, et XXIII, 1 seqq. ; Luc. XI, 46.

52. Confer l. II vers. 759 : *Ille sed admota credentum plebe.*

56. Matthæus : *Alligant enim onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum.* Badius D exponit *abrupta — gravia, quasi a monte rupta.* Barthius ad Claudian. pag. 1566 ait, abruptum pondus pulchre a Juvenco dici, quod in abruptum agit onere suo ferentem.

59. Frequentes erant apud veteres salutationes, quibus proceres honorabantur. Plinius l. VII. epist. 3 : *Saluta paulisper, quo sit tibi jucundius salutari.* De salutationibus veterum plures scripserunt, quorum nomina, et opera indicat Fabricius Bibliograph. antiquar. cap., 22.

61. *Nominis arcem*, apicem, ut l. III, vers. 666, *animi arce.*

Imposita æternum cœli de lege potestas,
Vos eadem fratrum parili conjunxit amore.
Unus item Pater est, cœli qui in culmine regnat.
In vobis si quis sublimia colla levabit,
Decidet, et barathri mergetur ad ultima cœno.
Ast humilis clarum conscendet liber in æthra.
Deflendi semper scribæ, et lacrymabilis ævi
Cæca Pharisææ cunctis fallacia plebis.
Nam vobis itiner clausum quia jure negatur,
321 Non sinitis, quemquam penetrare per ar- [dua lucis,
Et cunctos trahitis sævæ ad consortia flammæ.
Vos similes dicam tectis splendore sepulcris,
Queis facies nitida est, internaque sordida bustis.
Sic vox velatur justæ sub imagine vitæ,
Atque adytis mentis celantur sordida corda.
O Solymi, Solymi, ferro qui sæpe prophetas
Ad vestram missos vitam sine fine necastis,
Quam volui vestram gentem, populumque tueri,
Ales ut molli solita est sub corpore pullos
Objice pennarum circum complexa fovere!
322 Sed vobis semper cœlestia munera sor- [dent.
Deseritur jam nunc domus hæc vastata ruinis,

LECTIONES VARIANTES.

64. In Reg. deerant hi duo versus *Vos eadem*, et *unus item*, sed inserti sunt inter lineas.

65. Reg., *qui culmine* : *qui in vertice;* Ott., cum editis, *qui in culmine.*

67. Apud Kœnigium nonnulli, *ad infima cœno.*

68. Reg., cum editis, *claram conscendet liber in æthram.* Ottob., Rom., *clarum conscendet liber in æthra* : quæ scriptura vera mihi esse videtur. Nimirum accusativus Græcus *æther, ætheris,* est *æthera,* et per contractionem *æthra* : ex quo *æthra, æthræ,* nonnulli factum putant. Vide., l. III, v. 552 cum nota.

69. Rom., *lacrymabilis ejus;* alii, *lacrymabilis ævi.*

71. Poelm., pro d. s., *callis clausus;* in textu cum aliis, *itiner clausum.*

74. Rom., Ott., *splendere;* in Ott. diversa lectio, vel correctio est *splendore*, quod sensus ipse postulat.

75. Rom., *His;* alii, *Queis*, vel *Quis.* Plerique *so dida bustis.* Hadam., Fabr., Poelm., cum Ott., a pr. m., *turpia bustis.* Rom., *sordida busti;* sed mendum videtur *busti* pro *bustis.*

76. Rom., Ald., Bas., *Hic vox.* Rom. *celatur* pro *velatur.* Oneisius et Reuschius ex conjectura Swartii, *Sic nox velatur*, h. e., obscura vitia lita fulgore quodam mendacii teguntur.

77. Swartius loc. cit. rescribebat, *Atque adyti meritis celantur turpia corda*, i. e., liminis ipsius mentuis virtutibus corda vitiis obsita celantur. *Merita* enim aliquando pro virtutibus accipiuntur. Ald., Bas., Rom., *sordida lucra* : cæteri *sordida corda* : in Ott. pro d. s., *turpia corda.* In Evangeliario Tridentino sic invenio : *Ita et vos aforis quidem paretis hominibus quasi justi; intrinsecus autem pleni estis rapina, et iniquitate.* Sic ergo legendum opinor : *Sic cor velatur justæ sub imagine vitæ, — Atque adytis mentis celantur sordida lucra.*

78. Reg., *O Solymi, o Solymi.*

79. Ott., Rom., Ald., Bas., *necatis* : Reg. cum Daventr., et aliis, *necastis*, quod usitatum est.

82. Alii *Obice*, alii *Objice* scribunt; quæ varietas alibi etiam occurrit. Barthius libr. XIX Advers., cap. 14, col. 958, hunc versum Juvenci laudat, et in hac dictione ridiculos ait nonnullos esse, qui ubique una littera *i* scribendam dicant; cum omnino quoties productim a poetis ponitur, duplici sit notanda : argumento ejus, quod cum correptam volunt, eidem alterum iota tollere consueverunt, itidem ut in *adicit, obicit*, et aliis talis notæ. Unde et *objex*, cum producitur, nominandi quoque casu scribendum putat Barthius, cui facile assentior. Pro *circum complexa* in Rom. mendum est *circomplexa*, quod Bas. expressit. Kœnigius conjunctim legit *circumcomplexa*, Reuschius *circum* adverbialiter positum ait.

84. Mss., et editi omnes, *vastata.* Sed Barthius libr. XIII, Advers. cap. 19, col. 744 : *Mendum est*, inquit, *apud Juvencum auctorem piissimum cum in concione Salvatoris* VASTATA TEMPLA *dicit.* Affirmat igitur scribendum *vastanda.* Cum enim a Domino desereretur, non vastatum erat templum, sed ab ipso ei prædicebatur talis vastatio, ut nec lapis amplius lapidi cohæsurus esset. Emendationem Barthii Kœnigius, et Reuschius secuti sunt. Nondum tamen adducor ut, repugnantibus mss., et editis omnibus, rescribam *vastanda* pro *vastata.* Juvencus enim Salvatorem inducit prædicentem quidem futuram vastationem templi, sed narrantem eam veluti præsentem : *Deseritur*, etc. Matth. XXIII, 38 : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Cum Juvenco tamen in præsenti faciunt quædam exemplaria Græca Ἰδοὺ ἀφίεται, et Irenæus libr. IV, cap. 56 : *Ecce remittitur vobis domus vestra deserta.* Favet versio vetus ex ms. 2 Corbeiensi apud Sabatierium : *Ecce relinquitur vobis domus vestra*, absque seq. *deserta.*

NOTÆ.

64. Glossa Reg., *eadem — lex*, vel *charitas.* Melius eadem potestas.

66. *Levabit*, attollet, efferet. Cervix elata signum est superbiæ, demissa animi humilis, aut abjecti.

67. Mergetur cœno barathri usque ad infimum locum. Consule not. ad. v. 587 libr. III, *Ad ultima mortis.*

68. De voce ecclesiastica *humilis* confert Comment. in Prudentii Psych., v. 199.

69. Infra vers. 127 : *Deflendæ jam sunt*, etc. Reuschius observat, binos generandi casus *ævi*, et *plebis* ab uno substantivo regi.

70. *Pharisææ plebis*, factionis cœtus. Alibi *plebs credentum* vocantur discipuli.

72. *Ardua lucis*, ut libr. III, vers. 609, *celsa montis*, et h. l. v. 115, *sublimia lucis.*

74. *Tectis splendore sepulcris.* Codex sacer : *Similes estis sepulcris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa.* Nonnulli putant, apud Hebræos vela candida sepulcris prætendi consuevisse; ex quo sepulcra dealbata in Evangelio dicuntur. Disserui hac de re ad Prudent. hymn, 10. Cathem vers. 45.

75. Textus evangelicus : *Intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia.* Evangeliarium Tridentinum, *immunditia* pro *spurcitia. Bustum* proprie est locus, in quo mortui comburuntur, et nonnunquam accipitur pro ipsa combustione, et pro corpore combusto. Statius l. XII, vers. 247 : *Et egena sepulcri — Busta jacere reor.* Juvencus latius usurpat pro quovis corpore defuncto.

76. Glossa Reg., *vox — hypocritæ verba.*

82. *Objice pennarum* pro fotu, et quasi tutela nove dictum ait Fabricius in Comment. Hericus, laudatus a Barthio loc. cit., in allocutione libelli sui : *Tanti nominis objicem protervæ non ausint sprevisse phalanges.*

85. Ex Virgilio eclog. 2, v. 44. *Et faciet : quoniam sordent tibi munera nostra.*

Nec nostrum vobis fas ultra est cernere vultum. A
Egreditur templo, cujus præcelsa notantes
Mœnia discipulos tali sermone docebat :
Hæc operum vobis miracula digna videntur
Obtutu stupido ; veris sed discite dictis,
Quod mox cuncta solo passim disjecta jacebunt.
323 Hæc ad Oliveti dicens pervenerat arcem.
Discipuli solum postquam videre, rogabant,
Ut sibi venturi tempus distingueret ævi,
Promissa ipsius quo poscant prendere finem,
Ejus et adventus terræ consumeret orbem.
Quærentum verbis respondit talia Christus :
Observate dolum, falso ne nomine capta
Credulitas, laqueis errantum præcipitetur.
Discurrent cunctis bellorum incendia terris.
324 Sed vos prævalido consistite robore cordis.
Ne mens ad cœptos jaceat turbata tumultus.
Non etenim prima imponent mox prælia finem,
Gentibus et gentes, et regibus obvia reges
Signa ferent, nec tum morbi corrumpere tractum
Aeris, aut pestes prosternere corpora parcent.
Fixa etiam solido per inania pondere tellus

LECTIONES VARIANTES.

85. Reg., Ott., Rom., *Nec nostrum vobis fas ultra est*. Editi, *Nec vobis nostrum fas ultra est*.

90. Poelm. pro d. s., *Quam mox ;* in textu cum aliis, *Quod mox*. Reuschio fere convenientior videtur Barthiani codicis lectio *dejecta* pro *disjecta*.

93. Barthius libr. XIII Advers., cap. 90, col. 745, observat, pro *distingueret*, quod vulgo scribitur, membranas Colonienses præferre *discingeret*, scilicet expediret : quod ipse reducendum putat. Addit, non exstare auctores corruptiores istis poetis Christianis, qui ubique omnibus erant in manibus. Verum hujusce emendationis oblitus erat, dum libr. LIII, cap. 11 Advers., hunc Juvenci verbum retulit, ut probaret, *distinguere* esse docere, interpretari. Ex hoc etiam Juvenci loco putat, ita esse capiendum Guilielmum Britonem libr. 5 : *Se quoque passurum promittit mente benigna*, — *Quidquid eis super his Francorum curia dicet*, — *Quæ regni proceres distinguere debet, et ipsum*. Hoc est, inter eos litem finire, verum eos jus docere, ut odia animis deponant. Adde, *distinguere* proprie esse discrimen apponere, rem distincte exponere : quæ significatio huic loco maxime congruit. Lucanus libr. v, vers. 399 : *Menstruus in fastos distinguit sæcula consul*.

94. Reg., Ott., *quo*. Ottob., pro d. s., Rom. cum editis, *quem*.

95. Reg., Rom., Ott. *Ejus et adventus*. Ald., Bas., Torn. *Ejus ut adventus*. Hadam., Fabr., Poelm. *Cujus et adventus*. Mss. nostri et editi, *consumeret*. Barthius l. XIII Advers. cap. 19, col. 745, cum membranis Coloniensibus præfert *Ejus ut adventus terræ confuneret orbem :* quia id ordo Latinitatis poscit, illud respuit. Nam quis ita loquatur, *Velim scire, promissa tua quem finem poscant, ut consumeres adventu tuo orbem terrarum?* Dicendum esset, *ut consumas*. Addit Barthius, *confuneret* verbum esse non insuper habendum. Profecto ex hac Barthii emendatione Forcellinus verbum *confunero* inter Latina reposuit, et sententia sic clare procedit. Sed Barthius ipse alibi non semel observat, mutationem temporum scriptoribus cadentis ævi familiarem esse.

96. Plerique mss., et editi *respondit :* nonnulli *respondet*.

97. Rom. mendose *capto* pro *falso*.

98. Reg. *errorum* pro *errantum*, quod fortasse exaratum fuit a pr. m.

100. Ott. scribit *robure* pro *robore*.

101. Ott., Rom., cum plerisque editis, *Ne mens accepto jaceat turbata tumultu*. Reg., et Torn., *Ne mens ad cœptos jaceat turbata tumultus ;* quod magis e re videtur esse.

104. Reg., Ott., *nec morbi tunc*. Rom., cum editis, *nec tunc morbi*. Rom., *tractus ;* alii *tractum*.

106. Hadam., Poelm., Fabric., *Fissa :* alii cum mss. nostris *Fixa*, quod indicat etiam Poelm. pro d. s., *Fissa* a *findo* est, *fixa* a *figo*. Barthius libr. XIII Advers., cap. 19, ait, ubique legi *Fissa etiam solido per inania pondere tellus*, et cum membranis Coloniensibus præfert *Fissa etiam solido per flamina pondere*. In qua scriptura optimam sententiam deprehendebat, in vulgari, quomodo solido pondere per inania tellus findatur, assequi non poterat. Barthio adhæret Schoettgenius. At si legatur *Fixa*, ut multi etiam ante Barthium legerant, clara redditur sententia. Pro *pondere* Ald. cum Rom. legit *pondera*, sed nullo sensu. Alii recte, *solido per inania pondere*, et glossa in Reg. *inania — loca*. Ovidius l. II Met. vers. 506 : *Et celeri raptos per inania vento — Imposuit cælo*.

NOTÆ.

86. CAPUT V. *De templi structura, cujus subversio prædicitur*. Matth. c. 24, v. 1 seqq. ; Marc. cap. XIII, v. 1 ; Luc. cap. 21, vers. 5.

89. Fortasse ex Virgilio l. I, Æn. v. 499 : *Dum stupet, obtutuque hæret defixus in uno*. Auctor de Bebiani baptismo apud Fabricium Poet. Christ. col. 782 : *Et cœlum stupide suspiciens ait*. Barthius l. XIII, Advers. c. 19 observat., *obtutum stupidum* Juvenco esse admiratione in stuporem datum, quo pacto non sine elegantia locuti multi Latinorum. Vide eumdem Barthium l. XLVI, c. 16.

97. CAPUT VI. *Signa, quæ in die judicii futura sunt, prædicuntur*. Matth. XXIV, 4, etc. ; Luc. XXI, 12 et 20 ; Marc. XIII, 14 : *Observare dolum*, scilicet ut caveatis. *Observare* pro cavere sæpe adhibet Juvencus.

98. *Laqueis errantum :* scandala laqueos erroris Juvencus solet vocare. Vide notam advers. 12 libr. III.

99. *Bellorum incendia :* pulchra metaphora ab aliis etiam adhibita. Cicero pro Marcello, cap. 9 : *Belli civilis incendium*. Virgilius l. I Æn. vers. 570 : *Virtutesque, virosque, et tanti incendia belli*. Arator ex Juvenco, ut videtur, l. I, vers. 25, sive vers. 1, præfat. 2 : *Mœnibus undisonis bellorum incendia cernens*.

103. *Obvia*, contraria. Vide not. ad libr. III, vers. 625. Lucanus initio libr. I : *Infestisque obvia signis — Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis*. Similis sententia apud Virgilium l. IV. Æn. V, 628 : *Littora littoribus contraria, fluctibus undas — Imprecor, arma armis, pugnent ipsique nepotes*.

104. Matthæus : *Et erunt pestilentiæ, et fames, et terræmotus per loca*. In nonnullis mss. antiquæ Versionis : *Et erunt fames, et terræmotus per loca*. In Evangeliario Tridentino : *Et erunt fames, et terræmotus per singula loca*. Juvencus æmulatur Virgilium libr. III Æneid. vers. 137 : *Subito cum tabida membris, — Corrupto cœli tractu, miserandaque venit — Arboribusque satisque lues, et pestifer annus*.

105. *Pestes* in plurali numero non debet rejici a grammaticis, cum reperiatur apud Ciceronem, Virgilium, et Columellam.

Per diversa loci, motu quassante, tremiscet.
325 Hæc in primitiis tentamina parva manebunt.
Prodentur multi vestrum, lethoque dabuntur,
Proque meo vobis incumbere nomine gentes
Tormentis, pœnisque feris, odiisque necesse est.
Livor enim terris, erroribus omnia plena,
Et falsi surgent populorum labe prophetæ.
Hæc inter si quis protectum a vulnere pectus
Ad finem servare queat, sublimia lucis
Æternis vitæ sertis redimitus adibit.
Regnorum cœli celebratio pervolitabit
In cunctas terræ metas; gens omnis habebit
A Testem lucifluo sanctæ sermone salutis:
Et tunc finis erit, currentia sæcula solvens.
Adveniet jamtum tristis defectio terræ,
326 Quam Danielis habent jussa verissima vocem.
Hæc dignus tantum poterit cognoscere lector.
Judæa longe fugiant, montesque capessant,
Nec quisquam domibus repetat sustollere secum,
Quæ fuga consociet, vestemve, aut mobile quidquam.
Deflendæ jam sunt uteri cum pondere matres,
Et miseros fœtus dulci quæ lacte rigabunt.
Poscite jam precibus, tristis ne frigore brumæ

LECTIONES VARIANTES.

107. Westh. in textu, *locis;* in marg., *loci*, cum cæteris editis, et mss. Ego legerem *loca*, quia hic est stylus poetarum inferioris ævi, ut sæpe ratione solius cæsuræ brevem producant. Phrasis scripturæ est, *Terræmotus per loca*, et in multis veteribus versionibus et Patribus antiquioribus *per singula loca*. Mss. nostri scribunt, *tremescet;* alii, *tremiscet*. Conjiciebam etiam, *motu quassata*.

108. Poelm. in textu, Hadam., *Hæc in primitias*. Plerique, *Hæc in primitiis*. Ald., Bas., Rom. ad marg., *Hæc in principiis*. Matthæus ait: *Hæc autem omnia initia sunt dolorum*.

109. Ald., Poelm. pro d. s., *Tradentur*, plerique, *Prodentur*. Scriptores ecclesiastici frequenter *trado* usurpant pro *prodo:* inde *traditores* dicti.

114. Ald., *protectum vulnere*.

116. In Ott. videtur fuisse *abibit* pro *adibit*. Rom. scribit *adhibit*.

117. Reg., male, *pervolutabit*.

120. Rom., Ottob. cum multis editis *sæcula solvens*. Ald., Bas., *sæcla resolvens*. Reg., *sæcula volvens;* et glossa, *abbrevians, vel complens*. Matthæus ait: *Et tunc erit consummatio*.

121. Ott., *Adveniat*, sed aliud fuerat prius scriptum. Plerique *defectio terræ*. Ald., Bas., *defectio terris*. Poelm. pro d. s., *deflectio terræ*, quod etiam Cant., et Rom. a pr. m. exhibent. In Reg. fuit *deflectio*, correctum per *defectio*. In Rom. ex *defletio* factum *deflectio*. Schoettgenius retinebat *defletio*, sed suspicabatur *deletio;* Reuschius edidit *defectio terræ*, sed conjiciebat *dejectio*. Matthæus ait: *Cum ergo videritis abominationem desolationis*, etc. Malo ergo *defectio*, quam *deflectio*, quamvis vers. 154 legam *defletio*.

122. Poelm. in textu, Ald., Hadam., Fabr., Daventr., Torn., *Quæ Danielis habet jussam verissima vocem*. Poelm. pro d. s., *Quæ Danielis habet jussa verissima voce:* sic Ott. in principio paginæ recentiori manu, nam suo loco deerat hic versus. Sic etiam Rom., sed *habent* pro *habet*. Reg., *Quam Danielis habent jussa verissima vocem*, producto *a* in *jussa* ratione cæsuræ. Hæc lectio placet præ cæteris.

124. Rom., *Judæa;* alii, *Judæi*. Hadam., Poelm., *fugient, montesque capessent*. Plerique, *fugiant, montesque capessant*, quod præferendum est. Sed et *Judæa* malo, cum solo Rom., quam *Judæi* cum cæteris. Sic enim melius explicantur verba Domini apud Matth. XXIV, 16: *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes*. In veteri versione ex ms. 2 S. Germ., *Fugient ad montes*, ex quo defendi aliquo pacto posset *fugient, montesque capessent*.

125. Reg., *Nec quicquam;* lege, *Nec quisquam*. Poelm., *repetet*, ut vers. sup. *fugient;* plerique, *repetat*.

127. Fabr., *Deflendæ tunc sunt;* reliqui, *Deflendæ jam sunt*. Reg., *ventris* pro *uteri*, et videtur prius fuisse *ventres*.

129. Reg., *tristi;* alii, *tristis*.

NOTÆ.

110. *Incumbere* pro premere, urgere, vexare. Summam vim hoc verbum continet.

113. *Labe*, damno, in perniciem populorum. Prudentius in præfat. ad carmina, vers. 41: *Labem, Roma, tuis inferat idolis*. Confer Comment.

114. *A vulnere*, a scelere. Vide not. ad v. 436, libr. III.

115. *Sublimia lucis:* paulo ante v. 72, *ardua lucis*.

116. Barthius libr. II Advers. cap. 2, observat, *coronare* apud Christianos esse vita æterna donare, et *coronam* designare ipsam æternam felicitatem: quod hoc Juvenci versu, aliorumque verbis probat.

119. Libr. III, vers. 293: *Ast ubi lucifluum reddet sol tertius orbem*. Drepanius psal. XXII: *Lucifluusque calix pleno me proluat haustu*. Apud Prudentium Psych. vers. 625 nonnulli legunt: *Quærite lucifluum cœlesti dogmate pastum*. Mihi melius visum fuit *luciferum*. Elegantissimam hanc Evangelii descriptionem vocat Omeisius.

122. *Danielis:* nonnulli Danielis nomen apud Matthæum omittendum esse inepte censent. Versio vetus in omnibus mss. Danielis nomen exprimit. In Evangeliario Tridentino *Quæ dicta est per Danihel prophetam*.

125. Barthius l. 15. Advers. cap. 19, putat hoc loco *repetere* positum esse singulari quodam modo, ut apud Gratium Cynegetico, et apud Virgilium in Culice, ubi ait: *Ima susurrantis repetebant ad vada lymphæ*. Kœnigius a Barthio dissentit, et interpretatur: *Domibus repetat*, h. e., afferat e domibus, quod secum in fugam sumat. Hæc verior est explicatio.

126. *Mobile*, verbum proprium jurisconsultorum, qui mobilia bona vocant ea, quæ solo non continentur. Distinguunt vero mobilia se moventia, ut servos, jumenta, etc., et non se moventia, ut pecuniam, vestem, vasa, etc. Adisis Digest. libr. VI tit. 1, libr. XXI, tit. 1, leg. 1.

127. Supra vers. 69: *Deflendi semper Scribæ. Pondus uteri*, ut l. I vers. 169: *Manifesta uteri quod pondera vidit*.

129. Virgilius libr. III Æn., vers. 261: *Sed votis precibusque jubent exposcere pacem*.

327 Adveniat fuga vestra tamen, neu sabbata festa.
Anceps præcipiti turbet trepidatio cursu.
Nam cunctis venient sævissima pondera terris.
Tale malum non sæcla prius, nec postera norunt.
Et ni sublimis Genitor decerpere tempus,
Et numerum miserans vellet breviare dierum,
Nulla dehinc trepidæ superarent corpora vitæ.
Sed propter lectos veniet miseratio justos.
Nomine fallentes Christi, falsique prophetæ
Exsurgent terris, et monstra potentia fingent,
Quæ forsan lectos capient miracula justos.
En prædicta patent instantia sæcula vobis.
328 Desertis siquis Christum peragrare loquetur,
Occultisque procul penetralibus esse repostum,
Longe credulitas absit vanissima vobis.
Sicut enim fulgur cœlum transcurrit apertum,
Et cerni facile est cunctis, orientis ab oris
Usque sub occiduum cœli vergentis in orbem,
Sic rapido adventu clarebunt lumina Christi.
329 Abscondet furvis rutilos umbris radios sol,
Amittet cursum lunaris gratia lucis,

LECTIONES VARIANTES.

130. In Rom. desideratur unum verbum : *Adveniat fuga, tamen neu sabbata festa*. Reg., Ott., *Adveniat fuga vestra tamen neu sabbata festa;* et in Reg. indicatur, intelligendum esse *poscite* in *tamen*. Eamdem scripturam referunt Hadam. et Poelm., in textu, sed *ne* pro *neu*. Ald., Torn., Bas., Fabr., *Adveniat fuga vestra, aut ne tunc sabbata festa*. Cum in mss. nostris sit *tamen*, id retinebo, et distinguam, cum Reuschio, *Adveniat fuga vestra tamen, neu sabbata festa :* nimirum poscite tamen, ne adveniat fuga vestra frigore brumæ. Hæc distinctio innuitur etiam in glossa Reg., et similis transpositio particulæ *tamen* observatur vers. 61 seq. hujus libri : *Sed vos noluerim præcelsi nominis arcem — Affectare tamen : vobis est una magistri*, etc.

131. Ald., perperam, *turbæ*, pro *turbet*.

133. Westh., in textu, Ald., *nec postea norunt*. Mss. cum plerisque editis et Westh., ad marg., *nec postera norunt*.

134. Ald., Bas., Rom., *Et nisi :* alii, *Et ni*.

139. Pro *fingent* codex Barthii exhibet *fient*, ut testatur Kœnigius.

140. Rom., *justos capient miracula lectos :* alii, *lectos capient miracula justos*.

141. Ald., Bas., Torn. : *En prædicta docent instantia sæcula vobis*, scilicet, en vobis prædicta docent sæcula instantia, vel en instantia docent sæcula vobis prædicta. Mss. cum pluribus editis : *En prædicta patent instantia sæcula vobis;* sed nonnulli editi male distinguunt : *En prædicta patent, instantia sæcula vobis*. Reuschius elegit *docent*, quia *vobis* componendum est cum *instantia*.

142. Ald., Daventr., Bas., Fabr., *Desertum*. Rom., mendose, *Disertus*. Plerique *Desertis*. Ego mallem *Desertum*, vel *Deserto*, quæ vox magis propria est sacræ Scripturæ et poetarum christianorum. In auferendi casu *deserto*, vel *desertis* rarior est constructio. Barthius, libr. 13 Advers., cap. 19, cum notasset, verbo *peragrandi* Juvencum uti absolute, addidit, contemnendam non esse ms. libri, puto Coloniensis, lectionem *Deserti*, quasi id ad τὸ *penetralibus* esset trahendum, cui ego neutiquam assentior. Nam et implicata esset hæc syntaxis, et Evangelium aperte distinguit desertum a penetralibus. Matth. XXIV, 26 : *Si ergo dixerint vobis, Ecce in deserto est, nolite exire; Ecce in penetralibus, nolite credere*. Consonant veteres versiones, sed pro *penetralibus* nonnullæ habent *in cubiculis*, aut *in cubiculo*, aut *in hospitio*, et Evangeliarium Tridentinum : *Ecce in deserto est, nolite exire : ecce in promtuariis, nolite credere;* sic enim scribitur pro *promptuariis*. Hilarius in hoc cap. Matth. : *Nunc in desertis esse dicentes, ut errore depravent; nunc in penetralibus asserentes :* quod facit, ut *Desertis* non ita ægre retineam.

143. Ott., *Occultisve*, pro *Occultisque;* et corrupte, *penetrabilibus* pro *penetralibus*.

145. Ottob. et, a pr. m., Reg., minus bene, *fulgor*, pro *fulgur*.

146. Rom., *Ut cerni :* lege *Et cerni*. Reuschius hæc verba *Et cerni facile est cunctis* apte per parenthesin et significanter interseri posse affirmat.

147. Ald., Bas. : *Occiduum dicto citius volitare sub orbem*. Communis lectio mss. et editorum : *Usque sub occiduum cœli vergentis in orbem*. Reuschius inter *cœli*, et *vergentis* perspicuitatis gratia comma posuit. *Vergere in orbem* dicitur cœlum deceptione oculorum, quasi cœlum terram ipsam contingeret. Glossator aliquis bina præpositione *sub*, et *in* offensus, de hac deceptione non cogitavit, et alium versum supposuit.

149. Mss. nostri cum Torn., Poelm., pro d. s. : *Abscondet furvis rutilos umbris radios sol*. Ald., Had., Fabr., Poelm., in textu, *Sol rutilus furvis radios abscondet in umbris*. Poetæ veteres, cum solis mentionem faciunt, ejus nomen in finem versus conjicere solent, quod observavit etiam Juvencus, l. III, vers. 1; l. IV, vers. 587. Notavit id Kœnigius post Barthium, in not. ad Claudian., pag. 206.

NOTÆ.

132. Matthæus habet : *Erit enim tunc tribulatio magna*. Evangeliarium Tridentinum : *Erit enim tunc pressura magna*. Hilarius in hunc locum : *Gravis vexatio incumbet, et intolerabilis cunctis*. Translate *pondus*, qua *onus* significat, calamitatibus applicatur. Seneca, in Herc. Œt. vers. 250 : *Vires pepulit — Pondusque mali, casus animo — Qui tulit æquo*.

135. Verbo *breviare* usi sunt Manilius, Quintilianus, ac posteriores alii Vegetius, Lactantius, Orosius, qui etiam *breviator* dixit. Vide Cellarium, Post. cur. Latin. cad.

136. *Superarent*, superessent, superviverent. Virgilius, l. II Æn. vers. 642 : *Satis una, superque — Vidimus excidia, et captæ superavimus urbi*.

139. *Monstra potentia*, efficacia ad seducendum. Ovidius, l. III Amor., eleg. 11, vers. 51 : *Desine blanditias, et verba potentia quondam — Perdere*.

144. *Vanissima*, aptissimum epitheton, quo levitas animi et inconstantia indicatur. Sic Omeisius.

146. Syntaxis est, *Et facile est cerni cunctis*, hoc est, a cunctis. Nam Juvencus frequenter cum verbis passivis dativum pro ablativo conjungit. Adverte interpretationem quam Julianus Toletanus secutus est l. III Prognost. cap. 5, ex Chrysostomo, homil. I de Cruce et Latrone : *Quemadmodum enim cum fulgur emicuerit, non egemus inquirere si facta sit coruscatio : ita cum revelatio præsentiæ ejus effulserit, non indigemus interrogare an venerit Christus*. Sic in antiquissimo cod. ms., quem in notis ad Dracontium non semel laudavi. Editi paulo aliter.

148. *Clarebunt*, manifesta erunt. Recole not. ad l. II, vers. 776. Paulo post, h. l. IV, vers. 154 : *Clareat*, alio sensu, illustris appareat.

150. Lux a Dracontio, l. I, vers. 120, dicitur *gratia solis*. Prudentius, hymn. 11 Cath. vers. 3 : *Heu quam fugacem gratiam — Festina volvebat dies!* Mat-

Ignicomæque ruent stellæ, cœlumque relinquent. A
Omnis item virtus cœli commota superni
Signa dabit, proles hominis queis vertice cœli
Clareat : omnigenasque tribus defletio jugis
Urgebit; veniet tunc nubibus ignicoloris
330 Majestate potens hominis per sidera natus.
Tunc tuba terrifico stridens clangore vocatos
Justos quadrifido mundi glomerabit ab axe.
Præteriet nec enim præsens generatio sæcli,
Donec cuncta sequens claudat sibi debita finis.
Hæc tellus, cœlumque super solventur in ignes,
Sed mea non umquam solventur ab ordine dicta.
Quis erit ille dies, nescire est omnibus æquum,
Ni soli rerum Domino, qui sidera torquet.
331 Ut quondam terras undæ involvere fu- [rentes,
Et diversa sibi tractantes munera cunctos
Diluvii rapuit subito violentia tractu,
Sic subitus flammas volvens descendet ab æthra
Adventus noster : nec cunctos ille sub una
Conditione premet. Nam tunc ubi jugera læta
Infindent gemini depresso vomere sulcis,

LECTIONES VARIANTES.

151. Rom., *Ignicomæ ruent* : corrige *Ignicomæque ruent.*

153. Reg., *qui* : lege *queis*, vel eodem sensu *quis.*

154. Reg., *deflectio jugis.* Ott., *deflectio vulgi*, pro d. s.; vel tamquam correctio, *deflectio lucis*, cum B Daventriensi. Rom. cum plerisque editis, *defectio lucis.* Restituo *defletio jugis*, ex Evangelio Matth. XXIV, 30 : *Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo : et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate.* A *defleo* est *defletio*, atque hanc vocem ex Juvenco, vers. 121 hujus libri inter Latina Forcellinus reposuit : sed clarius hoc loco legendum est *defletio*, quam cit. vers. 121. Barthii codex, teste Kœnigio, simili modo præfert *defletio.*

155. Daventr., Ald., Bas., Poelmann., pro d. s. : *Urgebit, quando veniet nube ignicolori*, sed Daventr., *quoniam* pro *quando.* Mss. nostri cum aliis editis : *Urgebit; veniet tunc nubibus ignicoloris* : in Torn., *igni coloris.* Mutatus, corruptusque est hic versus a nonnullis librariis, quod nescirent, recte dici *ignicolorus*, et non solum *ignicolor.* Sic *unicolorus*, *versicolorus*, *decolorus*, *tripectorus*, de quibus confer Comment. ad Prudentii Hamartigeniam, vers. 819. Pro *tunc* Ott. et editi habent *cum.* Sed amplector *tunc* C cum mss. Rom. et Reg., quia id sententiæ Evangelii magis congruit. Id etiam expressit Tichonius, reg. 1, ex ms. B. M. Rem., apud Sabatierium : *Plangent se omnes tribus terræ, et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli.*

159. Mss. nostri Reg., Ott., Rom. cum Torn., *Nec præteribit enim*, quod magis Latinum est quam *Præteriet nec enim* in plerisque editis, sed metro non congruit. Itaque præfero *Præteriet*, eoque etiam magis quia in cod. ms. Cantabr. legitur, *Cœlum et terra transient, verba autem mea non transient* : in Evangeliaro veteri Tridentino, *Cœlum et terra transiet, sermones autem mei non transient:* et apud S. Hilarium, in Psalm. CXXIII : *Cœlum et terra præterient, verba autem mea non transient.* Missale Gothicum, Dom. 4 Adventus, *Quoniam non transiet generatio hæc.* Ita etiam sap. I, 8 : *Nec præteriet illum corripiens judicium*, et Eccle. XXXIX, 37 : *Non præterient verbum.* Secutus ergo Juvencus est lectionem versionum ve-

terum sacræ Scripturæ, immo et plurium antiquiorum auctoritatem, qui in compositis verbi *eo*, in futuro pro *ibo* interdum *jam* usurpabant, ut *inietur*, *transiet*, *redies*, et similia. Etsi enim dubia plerumque lectio est, tamen cum Tertullianus, advers. Jud. cap. 13, ita locutus fuerit, et in veteribus inscriptionibus quædam hujus generis exempla appareant, tenendum omnino est, eam consuetudinem bonis auctoribus inniti. Vide Tibullum, l. I, eleg. 4, cum notis.

165. Mss. nostri : *Quis erit ille dies* : editi : *Quis sit at ille dies.* Monosyllaba, quæ brevia esse dicuntur, mihi communia videri, alibi ostendi, nec video cur *quis* produci non possit. In ms. tamen Ott. videtur prius fuisse aliud, ubi nunc est *Quis erit ille dies.* Juvencus fortasse scripsit more suo *nesciri est omnibus æquum*, h. e., æquum est nesciri ab omnibus. Hanc conjecturam versus seq. confirmat.

164. Mss., *Ni soli rerum* : Rom., mendose, *Ili soli.* Editi plerique, *Ni solum.* Fabricius tamen edidit *Ni soli.* Reg., *fecit*, pro *torquet*, quod cum cæteris præfero, ex Virgilio, l. IX, vers. 93 : *Torquet qui sidera mundi.*

166. Mss. cum nonnullis editis, *munera.* Alii editi, *munia.*

167. Rom., *fractu* : emenda *tractu.*

168. Reg., Ottob., *subitus.* Editi cum Rom., *subitas*, quod etiam fuit in Ottob., a pr. m., ut puto. Reuschius, ex Barthio profert, sed non approbat *Sic subitus, flammas volitans*, h. e., instar flammæ volitans.

169. Rom., *ne* : lege *nec.*

170. Reg., Rom., et fortasse Ottob., a pr. m., *læta.* Editi cum Ott., a sec. m., *lata.* Melius est *læta*, ut lib. I, vers. 194, *pascua læta*; l. II, vers. 425, iterum *pascua læta*; et ibid., vers. 428, *lætæ segetes.*

171. Ott. : *Infindent gemini depresso vomere sulcis.* Rom., Reg., *Infindent duo depresso sub vomere sulcis.* Editi. : *Infindent duo depressis sub vomere sulcis* : sed Ald., et Bas., *lucis*, pro *sulcis.* Placet scriptura Ott. Sic Virgilius l. I Georg., vers. 45 : *Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro—Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer.* Alia syntaxi, eclog. 4, vers. 52 : *Quæ cingere muris — Oppida, quæ jubeant telluri infindere sulcos.*

NOTÆ.

thæus solum ait : *Et luna non dabit lumen suum.* D Virgilii, Val. Flacci, Claudiani.
Lactantius, lib. VII, cap. 16 : *Luna sanguine offusa meatus extraordinarios peraget.*

151. Relege not. ad l. III, vers. 1, ubi sol *ignicomus* dicitur.

152. Matthæus : *Et virtutes cœli commorebuntur.*

154. Supra, vers. 148 : *Clarebunt lumina Christi.*

156. Ordo est : Hominis natus majestate potens veniet per sidera, etc.

157. Tubæ *stridor* et *clangor* tribuitur. Lucanus, l. I, vers. 431 : *Quos ære recurvo — Stridentes acuere tubæ.* De clangore dixi ad l. II, vers. 400. Utrumque Juvencus hoc versu comprehendit, et asperitatem sonitus aptissimis verbis expressit.

158. *Quadrifido* : vox hæc poetica est, nimirum

160. Matthæus : *Donec omnia hæc fiant.* Barthius, l. XXII, cap. 19, huc affert illud Horatii : *Debemur morti nos, nostraque.*

161. Fortasse sensus est *Super hæc*, præter hæc, aut *super* est insuper, aut scribendum *supersolventur.* De hac phrasi, *solvi in ignes*, consule not. ad Dracont., l. III, vers. 445.

166. *Diversa sibi tractantes* : videtur superfluum *sibi.* Matthæus : *Sicut erant enim in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes*, etc. Fortasse Juvencus innuit, homines tunc *aliud*, vel *alias res egisse*, ut loquuntur Latini. Omeisius exponit *contraria sibi.*

Unus correpto tolletur corpore arator,
Ignarusque alius vasto linquetur in agro.
Uno quin etiam recubantes stramine lecti
Dispar judicium diversa sorte subibunt.
Unus enim socium quæret per strata relictus.
Idcirco famuli vigilent, quia nescius illis
332 Adventus Domini subitas descendet in [horas.
Si sciret certum furis insistere tempus
Quisque domus custos, vigilaret, et obvia ferret
Arma procul, ruptas ne quis penetraret in ædes.
Sed vos intentis animis assistite semper.
Namque repentinus vobis subitusque recurret
Filius huc hominis, justis sua præmia servans.
Ille fidelis erit servus, cui credere cunctas
A Ædes, et famulos voluit per longa profectus
Vir pater ipse domus : sapiens, nimiumque [beatus,
Quem veniens Dominus servantem jussa vide- [bit.
Illum majori famulum redimibit honore.
Ast ille infelix, qui sordida luxuriatus,
333 Tardantem contemnit herum, famulosque [fatigat
Verberibus, segnique indulgens ebrietati,
Luxuriosorum convivia concelebrabat.
Adveniet dominus, servumque incauta furentem
Præcipitem dignis pœnarum cladibus abdet.
Illum perpetuus fletus, stridorque manebit.
Conferri possunt cœlestia regna puellis

LECTIONES VARIANTES.

172. Ald., Bas., *aratro*, Westh., in textu, *arato ;* ad marg., *arator*, cum plerisque.

178. Pro *descendet*, Reg., a pr. m., *descendit*. Mss. nostri, *in oras*; editi *in horas*, quod præstat retinere.

179. Mss. nostri, *Si sciret certum furis insistere tempus ;* sed Rom., *Si scirent*. Torn., *Si sciret certum furis si insistere tempus*, ubi superfluum est alterum *si*, et in *furis* ultima recte producitur ratione cæsuræ. Editi plerique : *Præmonitum furis tempus si insistere sciret ;* ita etiam Westh. ; sed in textu *Per monitum*, ad marg. *Præmonitum*.

180. Rom., *Quisquis :* corrige *Quisque*, pro *quilibet*, ut non semel jam occurrit. Mendum etiam est in eodem Rom., *Obviam*, pro *obvia*.

182. Ald., perperam, *assistere*.

189. Ald., Fabr., Poelm., pro d. s., *cumulabit*. Poel., in textu, cum mss. et aliis editis, *redimibit*, quod pro *redimiet* positum est. Sic Virgilius, l. x, vers. 538 : *Infula cui sacra redimibat tempora vitta ;* et Ausonius, epigr. 94 : *Punica turgentes redimibat zona papillas*.

190. Reg., Rom., *qui sordida luxuriatus* : Ott., *qui sordide luxoriatus*, sed correctum *sordida luxuriatus*. Editi *qui obscene luxuriatus*. Ex mss. restituendum est *sordida*. Glossa in Reg. est *sordida convivia celebrabat*, ut *sordida* cohæreat cum *convivia* vers. 193. Verum hæc constructio nimis implicata esset. *Sordida* ergo more adverbi ponitur pro *sordide*, ut *apprima* pro *apprime*, *sera* pro *sero* apud Virgilium Georg. lib. IV, vers 122; et *crebra* pro *crebro* ib. lib. III, vers. 500. Sic *torva tuens*, *acerba sonans*, *multa* B *gemens*. Nonnulli *apprime* scribunt, etiam cum ultima corripitur, ut *inferne* a Lucretio, *superne* a Lucretio et Horatio corripiuntur. Hæc ratione non inepte rescribi posset cum Ott. a pr. m. *qui sordide luxuriatus*, correpta scilicet ultima in *sordide*. Quæ lectio in Cantabr. Schoettgenio se probabat, quia in hoc bonis poetis usitatum est, ut adverbia in *e* corripiant. Confer v. 194 et 547, h. l.

191. Rom., *contemnat herum, famulosque fatigat ;* Reg., *contemnet . . . fatigans ;* Ott., *contemnat . . . fatiget*, pro div. s. *contemnit . . . fatigat :* sic editi.

192. Mss., *segnique*. sed in Reg. fortasse fuit *segnisque*, quod editi præferunt. Reuschius restituit *segnique* per metonymiam effectus.

193. Poelm., Ald., aliique editi, cum mss. nostris, *concelebrabat*. Ott. pro d. s., *concelebrari*. Hadam., *concelebrando*. Westh., in textu, *concelebrabat ;* ad marg., *concelebrando*. Sensus videtur postulare *concelebrabit*, præsertim cum *contemnet*.

194. Reg., Fabr., Ott., a sec. m., *Adveniet Dominus, servumque incauta furentem* cum glossa in Reg., *incauta adverbium est*. In Torn. mendose *incavia* pro *incauta*. Rom., et Ott., a pr. m., *incaute* pro *incauta*. Poelm., Hadam., *Adveniet Dominus subito, servumque furentem*. Ald., *Adveniet Dominus, stolide servumque furentem :* sic Daventr., sed non clare, an *stolidum*, an *stolide*, an *stolido*. Vera lectio ex mss. petitur; et ponitur *incauta* pro *incaute*, nisi aliquis velit etiam *incaute* reponere. De utraque hac voce dici potest, quod de *sordida* et *sordide* dixi ad v. 190. C

NOTÆ.

173. *Ignarusque alius :* cum sermo est de duobus, *alter* dici solet pro *alius*. Vide vers. 23 h. l.

177. *Nescius*, passive pro ignoratus, incognitus. Tacitus, Annal. libr. I, c. 59 : *Aliis gentibus, ignorantia imperii Romani, inexperta esse supplicia, nescia tributa*. Plautus, Capt. II, 2, 15 : *Si quid nescivi, id nescium tradam tibi*. D

180. *Obvia* ut vers. 103, *Obvia signa*. De servis custodibus publicis urbium, et privatis domorum videndus Pignorius in opere de Servis, pag. 145 seq.; qui totum hoc argumentum diligenter exponit.

182. *Assistite*, adeste. Vide not. ad l. I, vers. 617.

186. *Per longa*, per longum tempus. Silius, l. II, vers. 465 : *Per longum celata fames :* et l. XII, vers. 294 : *At consueta graves per longum audire suorum— Eventus Roma*. Rursus, l. XV, vers. 787 : *Rabidi ceu bellua ponti—Per longum sterili ad pastus jactata profundo*.

187. *Pater ipse*, energice, ut in illo Maronis : *Vir pater ipse gregis*.

190. *Luxurio* et *luxurior*, frequens verbum de iis qui nimios et insolentes in cibum et cultum sumptus faciunt. Pignorius, de Servis, pag. 161, exemplis confirmat, apud veteres servos dispensatores impegisse aliquando in scopulos meretricios non sine magna rei dominicæ jactura.

192. *Indulgens*, licenter inserviens. Ita enim dicitur *indulgere somno, vinō, choreis*, etc.

193. Kœnigius notat, hunc versum gravitatem quamdam præ se ferre. Imitari conatur Sidonius : *Innumerabilibus legionibus imperitabat*. Rutilius in Itiner. *Bellerophonteis sollicitudinibus*. Bolislao Lobkowizio tribuitur distichum quatuor his verbis : *Conturbabantur Constantinopolitani — Innumerabilibus sollicitudinibus*.

195. *Cladibus abdet*, quia in inferos detrudet, et quasi abscondet. Sic Tacitus II Annal. 85 dixit : *Eaque in insulam Seriphon abdita est*. Prudentius Apoth. v. 771 : *Abde negatores Christi, nemo invidet, abde, — Utere sorte tua, blasphemis nocte tenendis — Perpetua*. Sic mortem eo loco alloquitur.

197. CAPUT VII. *De decem virginibus*. Matth. XXV,

334 Bis quinis, quarum pars est sapientior una, A
Altera præstupido pars est stolidissima corde.
Occurrere illæ votis sponsalibus omnes,
Ornatu accinctæ tædarum flammicomantum.
335 Sed sapiens pars illa, sibi quo lumina [flammæ
Susciperet, portare simul curabat olivum.
Stultarum vero non est prudentia talis.
Cumque moraretur sponsus, tum membra sopore
Solvuntur cunctæ per compita lata viarum.
Jam noctis medio clamor crebrescere magnus
Exoritur, lætoque dehinc occurrere voto
Admonuit, tædisque vias ornare coruscis :
Surgere virginibus properatum, et lumina tædis
336 Instruere, et flammas pingui componere [olivo.
Tunc stolidæ rogitant olei sibi cedere partem,
Prudentes secum quod tunc gestare videbant.
Sed quoniam sapiens pavitat chorus, omnibus [æque

LECTIONES VARIANTES.

198. Ald., *pars est quarum.*

199. Westh. in textu, *præ stupido ;* ad marg., *præstupido.* Badius cum Ald., *præ studio*, quia segnitiei, et vitiis studebant: neque enim per naturam erant insipientes. B

200. Mss., cum Ald., *illæ;* alii editi, *illi*, quod ex Græco præferendum ait Gallandius. Sed melius est *illæ*, quod tenuit etiam Reuschius. Matth. xxv, 1: *Exierunt obviam sponso, et sponsæ.* Pro *sponso, et sponsæ* ait Juvencus *votis sponsalibus*, ut v. 208, *Lætoque dehinc occurrere voto.* In versionibus antiquis pariter legitur *sponso*, et *sponsæ.* Exemplaria Græca variant : pleraque habent tantum *sponso*, sed alia addunt *et sponsæ.* Certe in Juvenco cum non præcesserit *Sponsi* vocabulum, non potest intelligi *illi* de *sponso*, adeoque legere oportebit *illæ.*

205. Reg., *tum per membra*, sed fortasse *per* ex glossa in textum transiit : nam v. seq. Reg. habet *Solvuntur conctæ*, ac proinde explicatio est *per* in *membra.*

206. Reg., *Solvuntur cunctæ :* sed fuit *Solventur.* Ott., *Solvuntur comptæ*, pro d. s. *cunctæ.* Rom., *Solvuntur cunctæ.* Editi, *Solvuntur cunctis*, quod minus placet, quam *Solvuntur cunctæ*, quamvis non negem, recte dici *solvuntur membra sopore.* Reg., *per competa* C *latæ.* Ott., *per competa lata*, sed prius fuit *per compita læta.* Rom., cum editis, *per compita lata.* Vide vers. 758 l. III.

208. Fabr., *Incœpit ;* alii editi, cum mss., *Exoritur.* Reg., *cooccurrere*, quod a pr. m. videtur fuisse in Ott. pro *occurrere.* Non invenio alibi *cooccurrere ;* sed posset nihilominus admitti per analogiam.

209. Reg. scribit *choriscis*, sed in glossa habet *splendidis.*

210. Reg., Rom., *Surgere virginibus properatim et lumina tædis.* Ita Ott., sed a pr. m. hic codex videtur habuisse *properantum*, vel *properatum*, quæ verior est lectio. Glossa in Reg. in *surgere* est *dignum erat.* Sed id parum verbis Evangelii convenit, *Tunc surrexerunt*, etc. Lego igitur *Surgere virginibus properatum* pro *Virgines properarunt surgere.* Sæpe Juvencus hanc phrasin usurpat, ut dativum verbo passivo pro ablativo apponat. Editi sic habent, *Surgere tunc properant, et claro lumine tædas.* Ex hac scriptura, et mss. Reg., Ott., Rom. non inepta conjectura est, *Surgere tunc properatim, et claro lumine tædas*, etc., ut suppleatur *cœperunt*, vel *surgere* ponatur pro *surrexerunt* per figuram etiam historicis notam. *Properatim* adverbium veterum est Cæcilii, Pomponii, Sisennæ. Et Juvencus simili modo formavit *mensatim* l. III vers. 214.

213. Ott., mendose, *jestare* pro *gestare.*

NOTÆ.

1, etc.: *Puellæ* nomen virginibus sæpe tribuitur : aliquando etiam non virginibus, atque iis omnibus, quæ in ea sunt ætate, ut parere possint.

198. *Sapientior*, sapiens. Comparativum pro positivo.

199. *Præstupido* : vide similia in Indice verborum, sic nove præpositione *præ* a Juvenco formata.

200. *Votis* de conjugio vide l. III, vers. 739.

201. *Flammicomantum :* verbum novum, ut l. III, vers. 625, *glaucicomantis.* Prudentius v. 775 Psych. dixit, *flammicomos ignes*, et Apoth. v. 495, *puerorum flammicomantum*, ex fide quorumdam exemplarium. Verum ad eum loc. ostendi, legendum *puerorum flavicomantum.* Nuptias noctu olim celebrari solitas observat cum aliis Wolfius Cur. philolog. ad D
N. T. Martinus Roa libr. II Singular. cap. 21 seq. plures quæstiones in hac parabola ex veteri ritu explicanda agitat: Exierintne virgines obviam sponso simul, et sponsæ? Unde exierint istæ, hi vero quo irent? Cur decem, nec plures, paucioresve ? Cur lampades, ac non potius tædæ, vel faces ? Cum clamor factus est, sponsum venire; quid sit, veneritne in sponsæ domum, an in suam ? Solusne, an simul cum sponsa ? Nuptiæ ubi celebratæ, apud hanc, an apud illum ? Verum nostra potius interest quærere, cur Juvencus tædas pro lampadibus ponat, cum sacer codex lampadas nominet, et Juvencus ipse paulo post *olivum*, et *oleum*, quo lumina flammæ susciperent, seu flammas componerent. Quæstio hæc resolvitur ex Lexico Rabbinico Henrici Othonis, ubi mos deducendi sponsam sic exponitur : *In terra Ismaelitica mos erat, ut sponsam ducerent a domo patris sui in domum sponsi antè introductionem in thalamum, ferrentque ante eam circiter decem baculos ligneos, in uniuscujusque summitate vasculum instar scutellæ habentes, in quo est segmentum panni cum oleo, et pice. Ex his accensis facem præferunt.* Otho allegat librum Aruch, et R. Salomon in Kelim. Formam hujusmodi lampadum ex antiquis monumentis expressam exhibet Lamyus : qui præterea addit, virgines prudentes cum lampadibus accepisse oleum in vasis suis, distinctis scilicet a lampadibus : neque enim, ait, lampades istæ lucernæ erant, quales nostræ, quibus in multas horas oleum infunditur. Id autem non satis liquet ex verbis Othonis. Is enim in summitate baculi lignei vasculum instar scutellæ statuit, in quo erat segmentum panni cum oleo, et pice : quæ, ut puto, in aliquod idoneum tempus sufficere poterant, quin aliis vasculis opus esset. Quibus ita constitutis, intelligitur, Juvencum scite, et ex veterum more descriptos baculos ligneos *tædas* appellasse. Siquidem *tæda* dicitur arbor picem ferens, et faces ex tæda, vel tædæ facem præferentes erant illæ omnes, quæ, accensa pice, ardebant. In nuptiis frequentissimum verbum est *tæda*, adeo ut etiam pro nuptiis ponatur. Æædem faces *lampades* etiam, sed minus frequenter dicuntur. Statius pro primis nuptiis dixit. l. IV, silv. 8, vers. 59, *Lampade prima.*

206. *Solvuntur sopore :* vide not. ad Dracont. libr. I, vers. 372. Quæri hic potest de loco, in quo dormitaverunt, et dormierunt hæ virgines. Juvencus aperte ait, *Per compita lata viarum.* Existimat ergo, virgines sponso, domum sponsam deducenti, obvium processisse, ut viam luminibus ornarent : *Lætoque dehinc occurrere voto — Admonuit, tædisque vias ornare coruscis.*

Ne desint claræ nutrimina pinguia flammæ,
Ex parvo æqualis si detur portio cunctis :
Tum pergunt stultæ, liquidum mercantur olivum.
Dum pergunt, lætæ transcurrunt omnia pompæ,
Et sponsum tantum comitatur factio prudens.
337 Adveniunt brutæ sero post tempore segnes,
Et sponsi pulsare fores, et limina clausa
Nequicquam ingeminant, precibusque ingrata frequentant,
Ut liceat miseris penetrare in limina læta.
Illas non comitum sponsi cognoscere quisquam,
Non ipse sponsus voluit. Vigilate timentes,
Adventus vobis quod non est certior hora.
Sicut enim longas cui contigit ire profecto
In terras, credens servis tractanda talenta;
Uni quinque dedit, duo cepit et alter habenda,
Tertius unius curam tractare talenti
Suscepit, vires quoniam diversa merentur.
338 Sed major quibus est concredita portio nummi,
Certatim duplis auxerunt incrementis.
Ille sed, unius cui credita cura talenti est,
Telluri infodiens condit sine fructibus æra.

LECTIONES VARIANTES.

215. Ott., *parvæ*, pro d. s., *claræ*. Reg., *nutrimenta*, quod fuit etiam in Rom., sed in hoc bene correctum per *nutrimina*.

217. Rom., Ott., *Dum pergunt stultæ, et liquidum mercantur olivum*. Reg. a sec. m., *Dum pergunt stultæ, ut liquidum mercentur olivum*. Reg., a pr. m., Torn., Poelm. in textu, Hadam., *Tum pergunt stultæ, liquidum ut mercentur olivum*. Ald. sic, sed ediderat *mercantur*, quod in Erratis correxit per *mercentur*. In Bas. permansit error *mercantur*, uti etiam in Daventriensi.

218. Suspicabar *omina* pro *omnia*.

219. Reg., *Et sponsum tantum comitatur portio prudens*. Plerique, *Et sponso tantum comitatur factio prudens*. Advertit Fabricius, *comitari* hoc loco esse cum dativo more græco. Idem Juvencus l. II vers. 695 : *Vocibus indubitata fides comitabitur istis*. Cicero V Tuscul. cap. 36 : *Cætera, quæ comitantur huic vitæ*. Potest etiam intelligi, apud Juvencum *comitor* sumi passive, ut apud Ovidium III Trist. eleg. 7, vers. 47 : *Ingenio tamen ipse meo comitorque, fruorque*. Nec mutari debet *factio* in *portio* : etsi enim *factio* plerumque accipitur in malam partem pro caterva, et conspiratione malorum, et hoc sensu sæpe *factionis* vocabulo usus est Juvencus, tamen initio honestum vocabulum id fuit, ut notavit Festus : unde factiones medicorum, nobilium, histrionum, etc. Hoc sensu Plinius lib. XXIX, cap. I : *Alia factio (ab experimentis cognominant Empiricen) cœpit in Scilia*.

220. Torn., *At veniunt* ; alii, *Adveniunt*. Mss. cum Poelm. in textu, Hadam, *brutæ*. Ald., Fabr., Poelm. pro d. s., Bas., *fatuæ*. Genuina lectio videtur esse *brutæ* : nam, ut ait Festus, *Brutum antiqui gravem dicebant*. Hinc animalia stupida *bruta* appellantur. Homines etiam hebetes, et stolidi *bruti* vocantur a Pacuvio, Seneca, Apuleio, et aliis. Brutorum familiam inde nomen traxisse, quia L. Junius fatuum se simulavit, notum est. In Rom., *sero post tempora segnes*.

225. Mss. nostri, et alii apud Omeisium cum editione Daventr., *Non ipse sponsus voluit. Vigilate timentes* : quæ proba est lectio. Plerique editi inepte mutarunt. Poelm. in textu, Torn., Hadam., Westh. ad marg., *Non ipsus sponsus voluit : vigilate timentes;* sed Westh. habet *vigilare*, quod mendum est. Poelm. pro d. s., Westh. in textu, Ald., Fabr., Bas., *Non sponsus voluit : quare vigilate timentes*.

229. Reg., *cepit alter*, quod metri lex non patitur. Rom., recte, cum aliis, *cepit et alter;* sed a sec. m., male, *cœpit*. Badius conjiciebat *alter alenda*, incremento scilicet usuræ.

232. Reg , *quibus est;* Ott., *quis est ;* alii, *queis est*. Rom., mendose, *quis concredita* sine *est*.

235. Ald., Daventr., Bas., Reusch., Poelm. pro d. s., *Certatim duplis auxerunt æra lucellis*. Fabr., Hadam., Poelm. in textu, *Certatim duplis auxerunt munera donis*, nimirum per hendiadyn, sive unum per duo; qualia indicavi ad Dracontium vers. 211 l. III. Vera tamen lectio desumitur ex mss. Reuschii, quos is descruit, et ex nostris : nam Rom., Reg., Ott. constanter referunt *auxerunt incrementis* : qui versus spondaicus est, ut hoc libr. vers. 427, *Illi continuo statuunt ter dena argenti*. Beda de Arte metrica in hujusmodi versibus dactylum quinto loco male agnoscit : vult enim pronunciari *incerementis*, ut dicam ad loc. cit.

234. Ott., cum editis, *cura est*. Reg., Rom., *cura* sine *est*, et glossa in Reg., *cui — scilicet est*. Sed in Reg. a pr. m. fuit *cura est*.

235. Ott., *Tellure*, sed factum *Telluri*. Rom., Poelm. pro d. s., *servat* ; plerique, *condit*. In Rom. ad marg. pro *servat* in textu notatur *seminat*, quod cum metro stare nequit.

NOTÆ.

215. *Nutrimentum* usitatius est ; sed *nutrimen* usurpatum etiam fuit ab Ovidio. De re ipsa Prudentium hymn. 5 Cathem. vers. 13 : *Pinguis quos olei rore madentibus — Lychnis, aut facibus pascimus aridis... Vivax flamma viget, seu cava testula — Succum linteolo suggerit ebrio, — Seu pinus piceam fert alimoniam*. Virgilius I Æn. vers. 179 : *Suscepitque ignem foliis, atque arida circum — Nutrimenta dedit*. Ovidius l. XV Metam. vers. 352 : *Nempe ubi terra cibos, alimentaque pinguia flammæ — Non dabit, absumptis per longum viribus ævum, — Naturæque suæ nutrimen deerit edaci*, etc.

218. *Omnia pompæ*, ut l. II vers. 554, *omnia patris*. Recte *lætæ pompæ :* nam erat et pompa tristis, seu funebris, de qua l. II vers. 401 : *Ultima supremæ celebrabant munera pompæ*.

221. Apud sponsum convivium nuptiale celebrabatur ut notum est.

222. *Nequicquam*, frustra. *Ingeminant*, vox poetica : pro accusativo ponitur *pulsare*. Existimo, *ingrata* adverbii more adhiberi. Nempe precibus ingrate, seu moleste frequentant, h. e., petunt, ut liceat, etc. Vide var. lect. v. 190, h. l.

224. *Cognoscere*, agnoscere, recognoscere. In sacris Litteris *cognoscere* est etiam approbare, *nescire* reprobare.

226. *Certior* pro *certa;* vel refertur ad dicta. Evangelista ait : *Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam*.

227. CAPUT VIII. *Talenta, quæ servis data sunt ad exercendum*. Matth. XXV, 14 seqq. ; Luc. XIX, 12. Ordo hic est : Sicut is, cui profecto contigit ire in longas terras, credens servis, etc. Scilicet postquam discesserat, vel profectus fuerat, contigit illi ire in longinquas terras.

228. Infra vers. 249 : *Ut fructum nobis tractata pecunia ferret*. Apud Ciceronem *tractare pecuniam* est procurare, administrare, Divinat. Verr. c. 10 : *Eras enim tu quæstor : pecuniam publicam tractabas*.

Jamque aderat præsens dominus : tum primus, [et alter
Se geminasse illi pariter concredita monstrant.
Illos laudat herus, potioraque credere tantæ
Promittit fidei. Sed tertius ille refodit,
Et domino reddit tali cum voce talentum :
Quod scirem, domino memet servire severo,
Qui meteret segetes alieno semine cretas,
Extimui, argentumque tuum concredere terræ
Malui, quod salvum semper tibi reddere possem.
339 Tum Dominus famulo respondens talibus [infit :
Si nescire meos auderes dicere mores,
Nequitiæ tantæ veniam concedere possem.
Hoc igitur gnarum potius præstare decebat,
Ut fructum nobis tractata pecunia ferret.
Quapropter segni tollatur portio nostri,
Prudentique dehinc detur possessio maior,
Quem duplis cumulasse lucris mea quinque [talenta
Inveni : namque est certum, potiora mereri,
Queis res uberior cumulatæ sortis abundat.
At cui parva subest segni substantia corde,
Id minimum penitus juste tolletur ab illo.
At nequam servus tenebras demersus ad imas,
Perpetuos fletus pœnæ stridore frequentet.
En hominis natus veniet, Patrisque ministris
Stipatus, celsa judex in sede sedebit.
340 Tunc gentes cunctæ diversis partibus orbis
Convenient, justosque omnes de labe malorum
Secernet, dextraque libens in parte locabit :
At pravos læva despectos parte relinquet ;
Ut pastor pecoris discernit pascua mixti,
Lanigeris dextri permittens mollia prati,
At lævos hirtis dumos tondere capellis.
Sed rex ad dextros conversus, talia dicet :
Huc veniant sancti, jamdudum debita sumant
Dona Patris, mundi quæ sunt æquæva nitentis,
Et justis primo promissa parantur ab ortu.
Namque fame fessum quondam me grata re- [fecit
Hæc plebes, potuque sitim mihi sæpe removit,
Hospitioque domus patuit mihi sæpe vocato,
Et nudus vestis blandissima tegmina sumpsi,

LECTIONES VARIANTES.

258. Reg. *heros, potiora credere*, et glossa *heros — ille dominus*. Legendum *herus*, nam prima in *heros* producitur. Postrema in *potiora* produci poterit ob duas consonantes dictionis sequentis. Sed verior est lectio *potioraque credere*.

259. Torn., *resedit;* alii, *refodit*, quo verbo Columella et Plinius utuntur.

240. Fabr. *Reddidit et domino :* reliqui *Et reddit domino*.

242. Torn., *meteres* pro *meteret*.

244. Ald., Daventr., Bas., *Malui, quo semper salvum tibi*. Rom. *Malui, quo salvum semper tibi*. Reg., *Malui, quod salvum semper tibi*. Ott. *Malui, quod salvum tibi semper*. Hadam., Poelm., Fabric., *Malui, uti semper salvum tibi*. Retinendum est *Malui, quod*, vel *quo* ex mss., facto spondæo in *Malui* per synæresin. Ita etiam volebat Kœnigius, cui morem non gessit Reuschius. Rom., Ald., Bas., Torn., *possim ;* alii, *possem*.

250. Ald., Bas. cum Reg., et Ottob., *portio nostri ;* et glossa in Reg., *nostri — talenti*. Had., Poelm., Fabr., *portio nostra*. Rom., *portio vestri*. Forte, *portio nummi*.

252. Mss. nostri, *Quem duplis cumulasse lucris*. Plerique editi, *Quem cumulasse duplis lucris*. Prima in *lucris* communis est.

254. Rom., Reg., Ald., Bas., *Quis res*, et glossa in Reg., *Quis — quibus*.

257. Nonnulli *Et* pro *At*, vel *Ast*. Lege *demersus* cum Reg., Torn., Rom., potius quam *dimersus* cum aliis.

258. Ott., *Perpetuo* pro *Perpetuos*.

259. Rom., Ott., *patriisque*. Reg., cum editis, *patrisque*.

262. Ald., Poelm. pro d. s. *justosque dehinc ;* Fabric., *justosque omni ;* plerique, *justosque omnes*.

264. Ottob., *despectos*, ex quo factum *dispecios*.

266. Mss. nostri cum Ald., Torn., et Bas., *dextri permittens mollia prati*, et glossa in Reg., *pascua jucunda*. Hæc scriptura versui seq. maxime cohæret. Poelmann. in textu, Hadam., Fabr., *dextræ permittens mollia parti*. Poelm. pro d. s., Daventr., *dextræ permittens mollia partis*.

267. Rom., *Et leves hircus dumos tondere capellis*, quod corruptum est.

270. Reg., mendose, *æqua* pro *æquæva*. Rog., Ottob., Rom., *mundi.... nitentis*, et glossa Reg., *novi*. Editi, *mundo.... nitenti*. Utrolibet modo dici potest. Ut *æqualis* cum genitivo interdum conjungitur, sic etiam *æquævus*.

274. Ald., Fabr., *Hospitiumque domus ;* alii, *Hospitioque domus*.

NOTÆ.

239. *Fidei :* Matthæus sic habet : *Euge, serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam*.

247. *Nequitiam* pro inertia hic sumi, certum puto. Vide, quæ de hoc vocabulo disserui in Prolegom. ad Prudent. num. 46.

253. Explicat verba Matthæi : *Omni enim habenti dabitur, et abundabit; ei autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo*.

254. *Sors* significat primum pecuniam, quæ confertur, ut inde lucrum fiat. Accipitur etiam pro patrimonio.

255. Juvencus vocabulo *substantia* varios tribuit significatus. Hoc loco accipitur pro facultatibus, censu, bonis : quæ satis recepta est ejus vocis significatio.

259. CAPUT IX. *In die judicii bonos in parte dextra locatum iri, malos vero in sinistra*. Matth. XXV, 31, etc.

260. Notanda est complosio *sede sedebit*. Sæpe apud Juvencum occurrit ejusmodi cacophonia, non tamen ita aspera, ut duæ syllabæ in utraque voce repetantur. Frequenter conjungit verbum, quod finit in *re* cum alio, quod incipit etiam a *re*.

262. *De labe malorum :* Virgilius l. II Æneid. vers. 97 : *Hæc mihi prima mali labes*.

266. *Lanigeris* pro *ovibus*.

270. Matthæus : *Possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*. Italica versio in quibusdam mss. habet *ab initio mundi*, in aliis *ab origine mundi*. Res eodem recidit. Juvencus per *mundum nitentem* originem, sive initium mundi intelligit. Ea, quæ nova sunt, nitere solent.

274. *Vocato*, mihi ad hospitium. Virgilius l. I Æneid. vers. 502 : *Utque novæ pateant Carthaginis arces — Hospitio Teucri*.

341 Carceris et pœnis horum solatia cepi.
Tum Domino tali respondent voce beati :
Non meminit nostrum quisquam te visere nudum
Nec famis oppressum dura ditione notavit,
Carceris aut pœnis meminit vidisse revinctum.
Respondens illis dicet tum talia judex :
Fratribus ista meis, humiles miserando labores
Qui fecit, certum est dulcem mihi ponere fructum.
At vos, injusti, justis succedite flammis,
Et pœnis semper mentem torrete malignam,
Quas Pater horrendis barathri per stagna profundi
Dæmonis horrendi sociis, ipsique paravit.
Namque sitim passo quondam mihi pocula nulla
Nec famis in pœna parui miseramina panis,
342 Aut peregrina mihi tecti, vestive parumper

A Tegmina de magnis gracili pro parte dabantur.
Carceris aut septo claustris, morbisve jacenti
Umquam visendi solatia vestra fuerunt.
His damnata dehinc respondet factio verbis :
Haud equidem nostrum meminit te visere quisquam
Aut sitis, aut sævæ famis ægrum agitare laborem,
Hospita vel fessis errare per oppida rebus,
Carceris aut mersum pœnis, morbove gravatum,
Ut tibi sollicito fieret miseratio justa.
His rerum dicet Dominus : Cum vestra superbo
343 Angustis rebus feritas sub corde tumebat,
Calcavitque humiles minimos, me sprevit in illis.
B Hæc ubi dicta dabit, meritis sua præmia reddet.
Æternum miseri pœna fodientur iniqui,
Æternumque salus justis concessa manebit.

LECTIONES VARIANTES.

276. Westh. in textu cum Ald., *Carceris in pœnis;* ad marg. cum aliis, *Carceris et pœnis.*

281. Mss. nostri cum Torn., *dicet.* Ald., aliique editi, *dicit.*

286. Reg., Westh. ad marg., Ott. a sec. m., Rom., Poelm., et alii, *horrendis barathri.* Ald., Bas., West. in textu, *horrendus.* Ott. a sec. m., Torn., *horrendi.* Reg., Ott., *profundis.* Rom. cum editis, *profundi.*

287. Ald., Bas., *sociisque, ipsique;* alii, *sociis, ipsique*, videlicet ipsi dæmoni.

289. Mss. nostri cum Ald., Daventr., Bas., *parvi miseramina panis*, quo respicit codex Barthii *parvum seramina panis.* Ex quo acute conjiciebat Kœnigius, C *Nec famis in pœnis mihi parva secamina panis.* Poelman., aliique editi, *parvi mihi fragmina panis.* Non reperio quidem apud veteres verbum *miseramen*, sed genuinum puto in Juvenco pro *miseratio*, Poetæ Christiani more Lucretii hujusce modi vocabula amabant, ut *peccamen, augmen, lateramen, momen, vocamen, glomeramen, duramen*, de quibus vide Comment. ad Prudentium l. II contra Symm. vers. 1042. Verum cum Juvencus alibi *fragmina farris* et *fragmina panis* dixerit, conjectura non mala est, *Nec famis in pœna parvissima fragmina panis.* Facile exscriptores deterruerit verbum *parvissima*, quo tamen usus est Varro, nec semel Lucretius.

290. Reg., Ottob., Daventr., Ald., Fabr., Hadam., Poelm., *Aut peregrina mihi.* Rom., corrupte, *Aut peregrina mihi tectisve parumper.* Westh. etiam edidit, *Aut peregrina mihi;* sed Badius ut ex notis colligitur, legerat, aut suspicatus fuerat, *Aut peregrinanti tecti*, etc. Gallandius edidit, *Aut peregrina mihi*, sed probabat, *Aut pegrinanti tecti*, quod Kœnigio in mentem venerat, et Reuschio placebat, qui nihil certius Kœnigii conjectura affirmat, sed a vulgata non recedit. Badius scripturam communem *peregrina* interpretatur, *tegmina mihi peregrino exhibita :* quæ interpretatio non displicet; sed magis placeret lectio, *Aut peregrinanti tecti*, etc., si per mss. codices liceret.

292. Poelm. in textu *aut*, et vers. seq., *Numquam:* pro d. s. *haud*, et vers. seq. *Umquam.* Mss. nostri *aut*, et v. seq. *Umquam.* Editi variant. Sententia eadem intelligitur. Rom., mendose, *cœptæ* pro *septo.*

294. Reg., et a pr. m. Ott., *respondit.* Alii, *respondet*, quod fortasse ponitur pro *respondebit*, a *respondo.*

295. Ott., Poelm. pro d. s., *Haud equidem nostrum;* Plerique, *Haud umquam nostrum.* Reg. scribit *Aut.* Reuschius tenet *Haud equidem*, quod longe significantius putat, quam *Haud umquam.*

298. Ott., *morboque ;* alii, *morbove.*

300. Mss., *His rerum dicet dominus.* In Ott. a pr. m. fuit *dicit.* Editi, *His rerum Dominus dicet.*

301. Reuschius cum Omeisio *Augustis rebus*, h. e., florentibus. Alii, *Angustis rebus*, nempe aliorum.

303. Hadam., Poelm. in textu, Ald. *dedit.* Melius mss. nostri cum Torn., Fabr., *dabit.* Reuschius præfert *dedit.*

304. Ott., *pœnæ*, supra *pœna.* Fabricius legit *Æterna (miserum) pœna*, et advertit in Comment. verbo *miserum*, hanc vocem esse particulam dolentis in parenthesi. Sed mss. nostri cum aliis editis habent *Æternum miseri pœna*, quod magis etiam placet.

NOTÆ.

276. *Pœnis* iterum vers. 280 : *Carceris aut pœnis.* D Hic *pœna* pro malo ponitur : nam justis proprie pœna non infligitur.

278. Rursus vers. 295 : *Haud equidem nostrum meminit te visere quisquam.*

279. *Ditione*, imperio, et quasi tyrannide. *Notavit* animadvertit, vidit, observavit.

282. *Labores*, calamitates, ærumnas. Confer var. lect. ad vers. 28 l. III.

285. *Ponere*, pro posuisse, ut Badius explicat, tempus pro tempore ex usu cadentis Latinitatis.

286. Poetæ Græci inferas damnatorum domos *barathrum*, nempe voraginem profundam, vocabant. Inde Latini poetæ traduxerunt., præcipue Christiani, ut exemplis Juvenci, et aliorum probat Barthius l. XXXV Advers. cap. 8, col. 1646.

288. *Sitim passo*, ut *famen passus.*

291. *Gracili pro parte*, pro exigua parte. *Gracilis* parvum etiam aliquando denotat. Vide l. I, vers. 524.

296. *Agitare laborem*, videlicet te agitari, vexari ægro labore. Reuschius exponit, cum laboribus colluctari. Sic dicitur, *Acti labores jucundi.*

297. *Hospitus*, adjectivum a poetis usurpatum. *Fessis rebus*, afflictis. Plinius l. II, c. 7 : *Vespasianus Augustus fessis rebus subveniens.* Virgilius l. XI, vers. 335 : *Consulite in medium, et fessis succurrite rebus.*

299. *Sollicito*, anxio curis affecto.

302. *Humiles minimos.* Vulgata : *Uni de minoribus his.* Versio Itala vetus : *Uni ex minimis his*, aut *uni de minimis istis*, aut *uni horum minimorum.*

304. Libr. II, v. 663 : *Judicioque gravi miseros exsurgere pravos. Fodere* significat etiam pungere, stimulare, transfodere, et hoc loco vexare, torquere.

Talia dum loquitur, scissos lacerata capillos
Pro fratris morbo justis soror anxia curis
Hortatur juvenem rapido præcurrere gressu,
Casibus ut tantis Christus servaret amicum.
Nam fuerat mulier meritis accepta benignis,
344 Obsequio cujus fratremque, domumque [merentem
Amplexus, pleno Christus retinebat amore.
Nuntius adveniens perfert, extrema jacere
345 Dilectum Christo juvenem per tristia [morbi,
Et lethi, et vitæ confinia summa tenentem.
Lazarus hic habuit nomen, sed Christus ama- [ris
Perculsus verbis : Non est, si creditis, inquit,
Ad lethum ducens isthæc violentia morbi :
Sed Deus ut digno justis celebretur honore,
Et soboles hominis sancta virtute nitescat.

LECTIONES VARIANTES.

308. Rom., Torn., Ald., Bas., *percurrere*; Reg., Ottob., cum aliis editis, *præcurrere*.

311. Rom., male, *fratrem, domumque*.

312. Mss. codices nostri, *Amplexus*, editi *Complexus*.

313. Mss. omnes nostri, *Nuntius adveniens perfert extrema jacere*. Favent codices Reuschii, qui hanc lectionem non ineptam dicit, sed aliam sequitur. Editi, *Nuntius adveniens narrat sub agone jacere*. Ald., Bas., *narrat in agone*. Fabricius legit etiam *sub agone*, et in Comment. notat, hic *agon* significare luctamen spiritus extremi in homine, animam jam agente. Hinc *agonizare* pro animam agere, quod verbum ad Latinitatem incertam Cellarius rejecit. Parum etiam probatur Cellario *agon* pro luctamine mortis, quamvis a Juvenco hoc vocabulum usurpatum concedat. Revera cum hæc vox in mss. nostris non appareat, valde suspecta ea est. Restituo igitur, *perfert extrema jacere*, ubi *extrema* vel ponitur more adverbii pro *extremum*, ut vers. 190, *sordida*, pro *sordide*, vel potius cohæret cum *tristia morbi*, nimirum *jacere per extrema tristia morbi*. *Jacere* de ægrotantibus sæpe Juvencus, sæpe alii dicunt.

314. In Ottob., a pr. m., fuit *juvenum* pro *juvenem*.

315. Mss. nostri, *tenentem* : editi, *tenere*. Præfero *tenentem*. Rom., mendose, *somnia*, pro *summa*.

316. Rom., *Lazarus habuit* : lege *Lazarus hic habuit*.

317. Rom. a sec. m., Reg., et, ut videtur, Ott. a pr. m., *Percussus*. Editi, *Perculsus*. In Rom., a pr. m., fuit *Percursus*.

318. Reg., Rom. cum Ald., Torn., Bas., *ista hæc*. Ott. cum aliis editis, *isthæc*. Reuschius putat, Juvencum Græcorum more nonnumquam binis verbis scripsisse *ista hæc*.

319. Rom., Bas., *justus* : alii plerique *justis*; quæ phrasis est Juvenco familiaris, ut verbo passivo dativum pro ablativo apponat.

NOTÆ.

306. CAPUT X. *Lazarum suscitatum esse, cum jam feteret*. Joan. XI, 1, etc. Juvencus ait : *Talia dum loquitur*, sed intelligere oportet; Dum his, aut similibus rebus, et colloquiis intentus esset Jesus. Addit Poeta, *scissos lacerata capillos* ex verisimili, et veteri more, quo feminæ dolentes capillos lacerabant.

307. *Soror*, h. e. sorores, singularis pro plurali. Evangelii verba sunt : *Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes*. Vel Juvencus, quod utraque fecit, tribuit potissimum Mariæ Magdalenæ, de qua pergit dicere vers. 310 : *Nam fuerat mulier*, etc. *Justæ curæ*, ex Cicerone petitum est : jurisconsulti dicunt *justissimus dolor*, quod animadvertit Reuschius.

308. Neque id sane constat, juvenem fuisse missum. Hoc tamen loco famulum intelligere possumus cum Pignorio De servis pag. 127.

309. *Amicum* : Virgilius l. I Æneid. vers. 490 : *Ut spolia, ut currus, utque ipsum, corpus amici... Conspexit*. Ubi Servius : *Amici, plus est, quam si Hectorem dixisset*.

310. Observanda est interpretatio Juvenci, qui tenet, Mariam sororem Lazari eamdem fuisse, ac mulierem illam, quæ erat in civitate peccatrix de qua Lucas VII, 36, etc. Ait Juvencus, Mariam sororem Lazari Christo acceptam fuisse meritis benignis : cujus propterea obsequio Lazarum, domumque merentem amore complectebatur. Exponit, ut vides vers. 2 cap. hujus XI Joannis : *Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis : cujus frater Lazarus infirmabatur*. Præcesserat ergo hoc factum, neque aliud esse potest, nisi quod narrat Lucas loc. cit. : *Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti. Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat... Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos*. Iterum eadem Maria unxit pedes Jesu, et capillis suis extersit, in domo Simonis leprosi, cum effudit etiam alabastrum unguenti super illius caput : sed id accidisse post Lazari resurrectionem, clare docet Joannes XII, 1, etc. Qui Mariam sororem Lazari a peccatrice distinctam volunt, asserunt, Joannem ante Lazari resurrectionem mentionem unctionis pedum Jesu fecisse per anticipationem, neque de alia unctione loqui, nisi de illa, quam cap. XII post Lazari resurrectionem commemorat. Juvencus contra, et, ut mihi videtur, recte sentit, unctionem quam Joannes cap. XI recenset, ante Lazari resurrectionem vere accidisse. In Evangeliario Tridentino ita clare id explicatur, ut in dubium revocari non debeat : *Hæc autem erat Maria, quæ unxerat Dominum unguento, et exterserat capillis suis pedes ejus : cujus frater Lazarus infirmabatur*. Mihi vero satis est mentem Juvenci aperire. De quæstione ipsa multi agunt. Tres feminas distinctas, nempe mulierem peccatricem, Mariam Magdalenam, et Mariam sororem Lazari, agnoscunt Faber Stapulensis, Jodocus Clichtoveus, Lonnet, Casaubonus, Estius, Launoyus, Bulengerus, Turrianus, Zegerus, Salmeron, Mauconduit, Anquetin, Tillemont, Baillet, Calmetus. Unicam Mariam Magdalenam peccatricem sororem Lazari tuentur Joannes Fischerus episcopus Roffensis, Balthazar Sorius, Laurentius Surius, Jacobus, episcopus Viennensis, Marcus Grandivallus, Baronius, Jansenius Gandavensis, Maldonatus, Natalis Alexander, Lamyus, Mauduit, Pezron, Trevet, Sollerius. Confer Biblioth. select. Zachariæ in Supplement. ad Natalem Alexandrum.

315. Extremum vitæ periculum egregie explicatur. *Confine*, substantive. Val. Flaccus, libr. VI, vers. 374 : *Inde Lycen ferit ad confine papillæ*. Apud Juvencum potius est a *confinium*, *confinii* : quod magis in usu est. Quintilianus Declam. 8, cap. 19 : *Animam in confinio mortis, ac vitæ librato dolore suspenderet*. Ammianus, l. 17 : *Inter vitæ mortisque confinia*.

318. Vulgata, *Infirmitas hæc, non est ad mortem*; Evangeliarium Tridentinum, *Hæc infirmitas non est usque ad mortem*.

Tunc ad discipulos, Dormit jam Lazarus, in- A [quit,
Sed charum juvenem faciam consurgere rur- [sus.
Aiunt discipuli : Somno succedere plena,
Et remeare salus poterit; nec mente sequun- [tur,
346 Quod mortem somni dixit sub nomine [Christus.
Errorem quorum tali sermone removit :
Lazarus in lethum cecidit, sed gaudia menti
Hinc veniunt, vestramque fidem mihi fortius [armant,
Cernitis absentem longe quod cuncta videre.
Sed properemus, ait. Didymus tunc talia fa- [tur :
Pergamus, pariterque omnes procumbere letho
Cogamur, toties quod gens Judæa minatur.
347 Hæc ait, et cuncti, Christo præeunte, [sequuntur.
Jamque aderat Christus, fuerat sed forte sepulto
Quarta dies, mersasque atris de morte tenebris
Germanas luctus, lacrymosaque tecta tenebant.
Convenere illuc solatia debita dantes
Judææ gentis proceres, charique propinqui.
Sed Martha, audito Christum venisse, cucurrit
Obvia, deseruitque domum, mœstamque soro- [rem.
Et procul : O utinam præsens virtus tua nobis
Afforet, et fratrem morti rapuisset acerbæ.
Nam quidquid poscis, certum est tibi posse ve- [nire.
Quam Dominus tali solatur voce gementem : B
Robustam mentem, mulier, virtute resume.

LECTIONES VARIANTES.

322. Post hunc versum Omeisius alicubi legerat : *Hæc ait : et cuncti Christo præeunte sequuntur*, qui post vers. 333 occurrit. Omeisius vero existimabat, posse hunc versum esse intercalarem, qualis hic apud Virgilium : *Incipe Mœnalios mecum, mea tibia, versus.*

325. Mss. nostri, *Aiunt*. Editi variant; alii, *Aiunt*; alii, *Reddunt*. Ott., a sec. m., *somnum* pro *somno*.

329. Reg., Ott., *longe quod cuncta videre*. Rom., *longe per cuncta*. Ald., Bas., *longe qui cuncta*. Poelmann., Fabr., Hadam., *longe quoque cuncta*. Lego : *Cernitis absentem longe quod cuncta videre*, ut *quod* ponatur pro *quoniam*, vel *quia*, nisi velis etiam vers. præc. legere *armat* pro *armant*, hoc sensu, Quod cernitis absentem me longe cuncta videre, armat mihi fortius vestram fidem. Joann. XI, 14 : *Gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi*. Et in versione antiqua, ex ms. Colbert. : *Ut credatis, quia non ibi fui*. Reuschius retinuit *longe quoque*, sed addidit, codicum suorum lectionem *longe quod* non inconvenientem esse, hoc ordine, quod cernitis, me absentem longe videre. C

330. Ottob., Rom. scribunt *Didimus* : Reg., *Dydimus* : alii passim, *Didymus*. Mss. cum Torn., Ald., Bas., distinguunt : *Sed properemus, ait : Didymus tunc talia fatur*. Poelm., Hadam. : *Sed properemus, ait Didymus, dum talia fatur*. Poelm., pro d. s., *tunc talia fatur*. Sequor interpunctionem codicum mss., vel clarius distinguo : *Sed properemus, ait. Didymus tunc talia fatur*. Sic enim Joann. XI, 15 seq. : *Ut credatis, quoniam non eram ibi : sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos : Eamus et nos, ut moriamur cum illo.*

333. Reg., *cuncta*. Ott. cum aliis, *cuncti*, sed versus additus est in fine paginæ.

335. Ald., Bas., *mersisque*. Ott., a pr. m., *mersusque*, et vers. seq., a pr. m. similiter, *Germanus*. Ott., a sec. m., cum aliis mss. et editis, *mersasque... Germanas*. Badius et Kœnigius suspicantur *de more* pro *de morte*. Et hic sane alicubi viget mos, ut luctus funebris fenestris domus ferme omnino clausis augeatur.

341. Mss., *præsens virtus tua nobis*. Poelm. in textu, Hadam., Fabr., *præsens nobis tua virtus*. Poelm. pro d. s., Ald., Bas., *præsens hic, Christe, fuisses*.

342. Reg., *Afforet, et fratrem morti rapuisset acerbæ*. Sic Poelm. in textu, Hadam., Rom., Ott.; sed Poelm., et Hadam., *et morti fratrem;* Rom., *ac fratrem morti;* Ott., *ac morti fratrem*. Fabricius *Afforet : haud morti frater cessisset acerbæ*. Poelm. pro d. s., Ald., Bas., *Clamitat : haud morti frater cessisset acerbæ*. Conjicere libet : *Afforet! hæc fratrem morti rapuisset acerbæ.*

NOTÆ.

322. *Juvenem* pro homine accipit, ut libr. II, vers. 449, et alibi. Potamius, in tractatu de Lazaro, in appendice Operum S. Zenonis, Lazarum, quem quadragenarium dixerat, vocat etiam juvenem. Ballerinii, in nota, juventutem inter annum 30 et 40 collocari aiunt ex Varrone. Isidorus, Orig. l. XI, c. 2, juventutem in quinquagesimo anno finire asserit. D *Consurgere rursus*, resuscitari. Prudentius, de resurrectione, in fine Apoth., vers. 1065 : *Nosco, meum in Christo corpus consurgere*. Iterum Juvencus, vers. 457 : *In nova me rursus concedant surgere vina.*

324. *Sequuntur*, assequuntur, ut alibi. Verbum simplex pro composito.

327. *In lethum cecidit*. Cicero, lib. I Tuscul. c. 32, dixit *cadere in morbum*. Alioquin *cadere* pro mori simpliciter usurpari solet.

329. Textus Evangelicus : *Et gaudeo propter vos, ut credatis; quoniam non eram ibi : sed eamus ad eum*. Interpretatio Juvenci hæc est : Vestra fides validior hinc erit, quoniam intelligetis, me etiam absentem cognovisse, Lazarum esse mortuum. Alii explicant : Gaudeo, non fuisse illic : quia tunc opem sororibus petentibus non denegassem, et Lazarus mortuus non fuisset. Vestra autem fides magis augebitur ex resurrectione Lazari, quam si morbum ab eo expulissem. Interpretationi Juvenci adhærent S. Augustinus, Beda, et alii. Altera interpretatio communior videtur : quæ clarius indicatur in Evangeliario Tridentino : *Lazarus mortuus est, et ego gaudeo vestri causa, quod ibi non fui, ut credatis. Sed eamus ad illum*. Menochius ait, verba Vulgatæ, *Quoniam non eram ibi* nectenda cum *gaudeo* : scilicet lætor, me non adfuisse, cum mortuus est; ut illo exstincto miraculi patrandi sese offerret occasio.

331. *Pergamus*, etc. Exponit verba Joannis, *Ut moriamur cum eo*. Versio vetus, etiam Evangeliarii Tridentini, et Augustinus in hunc loc. : *Et moriamur cum illo*. Relativum *cum eo*, et *cum illo*, spectare potest vel ad Christum, vel ad Lazarum. Sed utrolibet modo sententia est : Eamus parati subire mortem, quam Judæi Christo, ejusque discipulis minantur.

343. *Tibi venire*, ut supra, vers. 327 : *Gaudia menti veniunt*.

Lazarus hæc vitæ rediviva in lumina surget.
Et mulier: Certe surgent in munera vitæ
Mortales cuncti, veniet cum terminus orbi.
Christus item sancto depromit pectore vocem :
348 En ego sum claræ vobis reparatio vitæ.
In me qui credit, mortem deponere sumptam,
Et vitam poterit jugi comprendere seclo.
At quicumque fidem vivo sub pectore sumet,
Horrida non unquam continget limina mortis.
Ista hæc si credis puro de pectore, Martha?
Illa dehinc : Hæc una fides mea corda tenebit,
Sublimis veneranda Dei quod venerit in te
Cœlestis soboles celso sub nomine Christi.
Hæc ait, et Mariam cursu motura sororem,
Interiora petit, sanctum venisse magistrum,
Et pariter luctu oppressam vocitare sororem
Admonuit, tacito designans omnia nutu.

A **349** Prosilit illa foras, audito nomine Christi.
Prosequiturque simul Solimorum turba gemen-
[tem,
Credentum tumulo fletus inferre sorores.
Illa salutiferum postquam conspexit Iesum,
Procidit ante pedes, rupitque hanc pectore vo-
[cem:
Si mihi germanum potuisses visere vivum,
Lazarus haud poterat duræ succumbere morti.
Fletibus his Christus socians de corde dolorem,
Inquirit tumuli sedem, quo condita nuper
Membra forent, animæ volucris spoliata calore.
Haud mora, demonstrant flenti, mœstoque
[sepulcrum
Rupe sub excisa, lapidis quod pondere clausum.
B **350** Ut vidit Sanctus, multo mox vecte moveri
Præcipit : at Marthæ talis vox verberat aures :

LECTIONES VARIANTES.

346. Mss. et editi omnes, *lumina vitæ*. Nonnemo tamen suspicabitur *limina vitæ*, ex vers. 354. Vide var. lect., ad vers. 27 h. l.

347. Ald., Bas., *certæ* : alii, *certe*, quod præferendum est.

351. Reg., a pr. m., *credet* pro *credit*.

352. Rom., *vita* : corrige *vitam*.

355. Mss., *Ista hæc*. Editi alii ita, alii *Isthæc*. Fabr., cum interrogatione, *Isthæc num credis puro de pectore, Martha?* Poelm., Had. : *Isthæc si credis puro de pectore, Martha*. Rom. cum Aldo : *Ista hæc si credis, puro dic pectore, Martha*. Aldus interrogationis notam post *Martha* apponit. Ita etiam Reuschius, qui edidit : *Ista hæc si credis puro de pectore, Martha?* Observa, *si* esse pro *num*, ut l. II, vers. 412 ; aliqui putant *si credunt*.

356. Poelm., pro d. s., *tenebat* ; in textu cum reliquis *tenebit*. Aldus distinguit *tenebit* — *Sublimis veneranda Dei, quod venerit in te*, quod non placet.

357. Reg., *venerande* pro *veneranda*.

358. Torn., *Cœlesti* : lege *Cœlestis*.

359. Editi, *cursu monitura sororem*. Reg. et, a pr. m., Ott., *cursu motura* ; et glossa Reg., *vocatura*. In Ott., *motura* correctum videtur per *matura*. Rom., corrupte, *cursu Martha sororem*. Verius videtur *motura* : nam vers. 362, occurrit *Admonuit*. Ponitur igitur *motura* pro excitatura, vel vocatura. Aldus, mendose, *et Maratham cursu monitura*.

361. Reg., *pressam*, sed fortasse prius scriptum fuit *oppressam*.

364. Reg. *gementum*, cum glossa, qua indicatur *Solymorum gementum et credentum*. Sed longe melius est *gementem*.

365. In Ottob. ex *Credentem* recte factum *Credentum*. Pro *fletus* Ottob. habet *luctus*.

367. Ott. : *Rupitque hac voce dolorem*, quod in Barthii codice repertum Kœnigius non improbabat. Alii *rupitque hanc pectore vocem*, sed Rom., Ald., *rumpitque*.

370. Fabr., Hadam., Poelm., *hic*. Mss. cum aliis editis, *his*. Reuschius cum Kœnigio prius illud tenuit.

372. Ott., *volucri*, sed fortasse fuit *volucris* ; Reg., C *colore* : lege *calore*.

373. Reg., corrupte *flenti estoque sepulcrum*. Rom., *fletu mœstoque*, quod pariter mendosum est.

376. Rom., *ac*. Ita etiam fuit in Ott., sed in hoc correctum est per *at*.

NOTÆ.

347. *In munera* : *in* pro *ad*, et vicissim *ad* pro *in*, sequioris sæculi idiotismus a Reuschio dicitur.

350. Joannes : *Ego sum resurrectio et vita* : et I Cor. I, 30 : Christus dicitur nobis factus *Justitia, et sanctificatio, et redemptio*.

351. *Mortem sumptam* : *mortem sumere* pro mori de quocumque mortis genere dicitur.

354. *Limina mortis* : Lucretius, libr. VI, vers. 1206 : *metuentes limina lethi*.

357. *In te* : Badius accipit in ablativo, quasi in tua persona ; quod veriorem sensum reddit, quam in accusativo.

358. Ordo hic esse potest : Soboles veneranda D Dei sublimis sub nomine cœlestis Christi : nisi malis duo vel tria adjectiva *veneranda, sublimis, cœlestis* ad sobolem referre.

362. Joannes : *Vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens* : *Magister adest, et vocat te*.

365. Evangelista, de sola Maria : *Secuti sunt eam dicentes : Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi*. Sed cum a Martha vocata prosiluisset, de utraque id dici potest.

366. *Salutiferum* ex ipso nomine *Jesus*, quod sonat *Dominus salvator*.

367. *Rumpere pectore vocem* : phrasis poetica, de qua dixi in not. ad Dracont. l. I, vers. 689.

371. *Sedes* de tumulo sæpe adhibetur. Virgilius, l. VI, vers. 152 : *Sedibus hunc refer ante suis, et conde sepulcro*. Vide not. ad vers. 378 h. l., et vers. 759, et Epistolam antiquarii Romani (Cajetani Marinii) Romæ editam anno 1790, qua docte explicat inscriptionem paulo ante repertam, et de sepulcro intelligit primum versum inscriptionis : *Perpetuam Sedem nutritor possides ipse*.

372. Glossa Reg., *volucris — fugientis a corpore*. Vita deficit, cum calor vitalis omnino abest : ex quo homo exstingui dicitur, et anima igni comparatur. D Kœnigius explicat *volucris*, h. e. celeris, laudatque elegantem hanc cadaveris descriptionem.

374. Annotat Quaresmius, apud Reuschium, se in Judæa observasse, pleraque sepulcra, quæ in montibus et rubibus excisa in regione montana visuntur, ostia erecta habere, ut ostia domorum : monumenti autem ostium, in quo situs olim Lazarus, esse in ipso terræ pavimento. Aliud colligitur ex vitro antiquo Buonarruotii in sepulcro Lazari, tab. 7.

376. Plautus, Amphitr. I, 1, 177 : *Hinc enim mihi dextera vox aures, ut videtur, verberat*. Plerumque de ingrato sermone id dicitur.

Quatuor en luces, totidemque ex ordine noctes
Prætereunt, quo membra solo composta quies-
[cunt.
Crediderim, corpus, motu fugiente caloris,
Fœtorem miserum liquefactis reddere membris.
Hiis dictis contra depromit talia Christus :
Jam toties dictum est, magnis consistere rebus
Credentum virtute fidem : sed gloria summi
Jam genitoris adest, fidei si robur habetis.
Hæc ubi dicta dedit, saxumque immane revulsis
Objicibus patuit, virtus mox conscia cœlum
Suspicit, et tali genitorem voce precatur :
Eximias grates, Genitor, tibi, sancte, fatemur.
Me placidus semper venerandis auribus audis.
Sed populus præsens me missum credere discat.
Hæc ubi dicta dedit, tumuli mox limine in ipso
Restitit, adverso complens cava saxa canore :
351 Lazare, sopitis redeuntem suscipe mem-
[bris
En animam, tuque ipse foras te prome sepulcro.
Nec mora, connexis manibus, pedibusque repente
Procedit tumulo, vultum cui linea texta,
Et totum gracilis connectit fascia corpus.
Tum solvi jussit, lætumque ad tecta remittit.
Judæi postquam factum venerabile cernunt,
Qui tanti fuerant Mariam, Marthamque secuti,
Pars credens sequitur sanctæ virtutis hono-
[rem :
Ast alii repetunt urbem, procerumque superbis
352 Cuncta Pharisæis rerum miracula nar-
[rant.
Ergo ad concilium Scribæ, plebisque vocatur
Jam gravior numerus, qua vatum principis alte
Pulchra Caiphææ collucent atria sedis.
Illic complacuit Christum prosternere letho:
Sed vitare dies paschæ, ne plebe frequenti
Discordes populi raperent in bella furorem.
Ille Simonis erat tectis, quem lurida lepra

LECTIONES VARIANTES.

378. Badius videtur pro *solo* malle *solido*, h. e., lapideo sepulcro. Repugnat lex metri. Reg., *composita :* emenda *composta.*

379. Torn., *Crediderам :* alii, *Crediderim*, quod sensui consentaneum est.

382. Reg., *Nam totiens.* Rom. et Ott., scribunt etiam *totiens*, sed *Jam* cum cæteris.

387. Ott., a pr. m., *Suscipit ;* a sec. m., *Suspicit* cum aliis.

392. Mss. nostri, Reg., Rom., Ottob., *clamore :* editi, *canore.* Hoc metro congruit, illud adversatur. De simili varietate lectionis vide var. lec., ad vers. 646 et 648 lib. III.

396. Ald., Bas., Westh., in textu, *linea texit*, nimirum *linea fascia.* Sed editi alii cum mss., *linea texta.*

397. Ott. scribit *glacilis.*

398. Reg., *Lætumve*, quod pro d. s. indicatur in Ott.

400. Daventr. *Si tantum.* Rom. cum plerisque editis, *Qui tantum.* Reg. et Ott. cum nonnullis mss. Reuschii, *Qui tanti ;* et glossa in Reg., *tanti — multi.* Hæc proba est lectio et interpretatio. Joann. XI, 45: *Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum.* Etsi autem pleraque exemplaria versionis antiquæ, etiam in Evangeliario Tridentino, et textus Græcus Martham hoc loco non nominent, tamen ms. S. Mart. et unus ms. Græcus apud Sabatierium habent *Mariam, et Martham*, uti etiam legit Juvencus. *Tanti* pro *multi*, aut *tot*, ut *quanti* pro *quot*, non abhorret a lingua Latina, ut exemplis Plauti, Lucani, Valerii Flacci, Statii, Dracontii et aliorum potest confirmari. Lingua Hispana et Itala ex *tanti* pro *tot* sumpserunt *tantos, tanti.*

401. Reg., *honore ;* et glossa, *per, vel propter.* Alii, *honorem.* Non male esset *tantæ virtutis.*

404. Omeisius pro *concilium* alicubi reperit *consilium*, quod stare etiam posse ait. Ott., *vocantur.* In hoc ms. Ott. desunt seqq. versus usque ad vers. 415.

405. Rom., mendose, *natum* pro *vatum.*

NOTÆ.

377. Ut *lux* pro die in singulari, ita *luces* in plurali pro diebus usurpatur. Vide Horatium, l. IV, od. 6, vers. 42.

378. *Compositus*, et per syncopen *compostus*, et *compono* pro *sepultus, sepelire* frequenter adhibentur. Valer. Flacus, l. 7, vers. 203, al. 207 : *Ossaque queis tauri, sævusque pepercerit ignis, — Componam, sedemque dabo.*

384. *Fidei robur*, ut libr. III, vers. 277.

388. Evangelista ait : *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me.*

392. Libr. 3, vers. 646 : *Et pueros templi complentes tecta canore. Adverso*, h. e., tendente in adversum; ut dicitur *adverso corpore, pectore. Cava saxa :* in carm. de Laud. Domini, in append. II, vers. 14 : *Tum vir sollicitus largo jubet ore cavari. — Post mortem fiunt quæ membris hospita saxa.* Prudentius, hymn. 10 Cath. vers. 53 : *Quidnam sibi saxa cavata, — Quid pulchra volunt monumenta?*

394. Infra, vers 574 : *Ille negat, tectisque foras se promere tentat.*

395. Libr. III, vers 769, *Connexis manibus pedibusque.* Imago Lazari resurgentis sæpe occurrit in veteribus monumentis, apud Aringhium, Rom. Subterr. Consule in appendice secunda carmen de Laudibus Domini vers. 21 seqq.

396. Prudentius, Apoth. vers. 742, *procede sepulcro, — Lazare.* Victorinus Pictaviensis, *Procede sepulcro, — Lazare, clamat.* Hoc alterum fuit miraculum, quod Lazarus manibus pedibusque devinctis, ac fasciis involutus, prodierit tumulo.

402. Adverte locutionem *procerum superbis Pharisæis*, ut *eximios vatum*, etc.

404. CAPUT XI. *Passio Domini nostri Jesu Christi.* Matth. 26; Marc. XIV; Luc XXII; Joann. XI. *Conveniunt in unum Scribæ, et Pharisæi, ut Jesum occidant. Et Magdalena unguento pretioso ungit pedes Domini.* Nonnulli finem libri IV ante hunc versum collocant, quod tolerari nequit, ut dixi n. 73 Prolegom.

405. *Gravior numerus*, nempe seniorum et eorum qui gravitate et consilio pollere videbantur. *Vatum principis*, nimirum sacerdotum principis.

409. Matthæus ait: *Dicebant autem: Non in festo, ne forte tumultus fieret in populo. Populi raperent furorem*, est figurata constructio: nam furor rapit populos, aut populi rapiuntur furore. Horatius. Epod. VII, vers. 15: *Furorne cæcus, an rapit vis acrior.* Badius Juvencum exponit: Ne populi traherent commotionem animorum ad arma.

Virtute ipsius diffugerat. Ecce jacenti
Accedit mulier propius, frangensque alabas-
[trum,
353 Quo pretiosa inerant late fragrantis olivi
Unguenta ab summo perfudit vertice Christum.
Discipuli increpitant, fantes, potuisse juvari
De pretio unguenti miserorum corpora egen-
[tum.
Has Dominus prohibet voces, factumque pro-
[bavit :
Desinite obsequio justam prohibere puellam.
Pauperibus semper dabitur succurrere tempus,
Sed me non semper tribuetur visere vobis.
Funeris ista mei multum laudanda ministrat
Officio, mundumque implebunt talia facta.
Tunc e discipulis unus se subtrahit amens
Judas, qui ad proceres tali cum voce cucurrit :
Quod pretium sperare datur, si tradere vobis,
Quæsitumque diu possim monstrare magistrum?
354 Illi continuo statuunt ter dena argenti
Pondera : iis Judas sceleri se subdidit alto.
Jamque dies paschæ primo processerat ortu :
Discipuli rogitant, ubi cœnam sumere paschæ
Vellet; at ille sibi quemdam sine nomine quæri,

LECTIONES VARIANTES.

411. Rom., *defugerat*. Reg. cum editis, *diffugerat*. Rom., Reg., *ecce jacenti* ; et glossa Reg., *jacenti — recumbenti*. Fabr., *ecce cubanti*. Plerique editi, *en recubanti*. Reuschius suorum etiam codicum lectionem *ecce jacenti* plane improbabat, sed immerito. *Jacere* de mensæ accumbentibus apposite dicitur. Silius, l. XI, vers. 543 seqq. : *Fallit te, mensas inter quod credis inermem . . . . Quid tanto in casu comitum, juxtaque jacentum — Torpebunt dextrae ?*

412. Reg., Rom., Torn., *sanctumque alabastro*. Editi plerique, *frangensque alabastrum*.

413. Reg., Rom., Daventr., et alii, *fragrantis* : sed Reg. scribit *flagrantis*, atque ita hoc verbum scribitur in multis mss. antiquis. Poelm. cum aliis, *fragrantia*.

414. Ald., Bas., *perfundit* : alii *perfudit*.

416. Reg., Ott., *corpus* : Ott., pro d. s., cum aliis, *corpora*.

418. Mss. cum Ald. *justam*, ut vers. 421, *multum laudanda*. Plerique editi, *justo*.

424. Mss. nostri cum Torn., *Judas, et ad proceres*. Editi plerique *Judas, qui ad proceres*. Legerem libenter *Juda, atque ad proceres* : nam poetæ christiani, ut Prudentius et Dracontius, *Juda* in nominativo amant efferre.

427. Ald., Fabr., Bas., Poelm. pro d. s., Westhem. in textu, *Argenti ter dena illi mox pollicebantur* : quod lex metri rejicit. Emendarunt ergo aliqui *mox pollicitantur*. Mss. nostri cum Barthii cod., aliisque Reuschii, cum editis Had., Poelm. in textu, Westh. ad marg., versum spondaicum exhibent : *Illi continuo statuunt ter dena argenti* : quæ vera est scriptura, et textui Græco ac Vulgatæ respondens : sed cum structura hujus versus a librariis non intelligeretur, licenter eum corruperunt. Beda, de Arte metrica, cap. de conjunct. et dissolut. syllab., legit etiam *ter dena argenti*. Verum in hoc ab eo dissentio, quod putat, id sonare *denarigenti*, ut quinto loco non spondæus, sed dactylus saltem sono percipiatur. Lege notam n. 207 dissert. nostræ de hymnis.

428. Mss. nostri : *Pondera : his Judas*, quo pacto *h* vim consonantis habet. Vel lege *Pondera : iis*, scilicet ponderibus, sive triginta argenteis. Hoc etiam loco reponerem *Juda*, correpta postrema ob *sc* dictionis seq. Editi habent : *Pondera : dehinc Judas*. In Aldo, *Pondere*, fortasse mendum est pro *pondera*.

430. Rom., Poelm. in textu, Hadam., Fabr. : *Discipuli quærunt, ubi cœnam sumere paschæ*. Sic Reg., sed *rogitant* pro *quærunt*. Ott., Poelm. pro d. s. : *Discipuli Christo quærunt, ubi sumere pascha*. Ald., Daventr., Bas. : *Discipuli a Christo quærunt, ubi sumere pascha*. In Ottob. fortasse abrasum est *a*, vel legendum etiam : *Discipuli Christo quæsunt, ubi sumere pascha* : de quo verbo *quæsunt* vide lectionem variantem ad vers. 284 libr. I.

431. Ott., *Velit*, recte correctum per *vellet*.

NOTÆ.

411. Id ex evangelio non constat. Vocatur quidem *Simon Leprosus*, sed non explicant Evangelistæ, unde hoc cognomen habuerit. Plerique veteres leprosum antea fuisse putant, sed a Christo sanatum. Alii nomen familiæ esse censent, ut erant apud Romanos Claudii, etc.

412. *Alabastrum* dicebatur genus quoddam pyxidis unguentariæ pyro similis, sine ansulis. Fieri hæc vasa solebant ex onyche marmore, quod propterea alabastrites appellatur. Fortasse vero vasculum unguentarium Mariæ Magdalenæ vitreum erat, quod facilius frangi poterat. Verum etiam vasa ex alabastrite lapide non difficulter franguntur.

413. Matthæus ait, *alabastrum unguenti pretiosi;* Marcus, *alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi;* Joannes, *libram unguenti nardi pistici pretiosi*, et in EvangeliarioTridentino, *libram pistici unguenti*, omisso *nardi*, et *pretiosi*. Juvencus *olivum* nominat, quia pro unguento *olivum* accipi solet. Catullus carm. 6, vers. 8 : *Sertis, ac Syrio fragrans olivo*. Propertius, l. III, el. 15, vers. 31 : *Levis odorato cervis manabit olivo*.

415. *Miserorum corpora egentum*, pro *miseros egentes*, ut l. II, vers. 731, *germana corpora*, etc.

418. *Puellam* : sic Arator de Samaritana, l. I, vers. 942 : *cum putei super ora sedens per vasa puellæ — Pocula quærit aquæ*, et ibid., vers. 1113, de Maria Magdalena : *Quem prima puella — A tenebris remeare probat*. Vide not. ad vers. 197 h. l.

422. *Funeris officium* de exsequiis apte dicitur.

423. CAPUT XII. *Judas pretium petit, ut Jesum tradat, qui cœnans traditum iri se ab uno discipulorum prædicit. Hinc corporis et sanguinis sui sacramentum instituit, et a Petro ter se, antequam gallus cantet, negatum iri prædicit*. Matth. XXVI, 14 ; Marc. XIV, 10; Luc. XXII, 3; Joann. XVIII.

426. *Monstrare* pro deferre, indicare sumitur. Tacitus, l. IV Histor. cap. 1 : *Pessimi servitiorum prodere ultro dites dominos : alii ab amicis monstrabantur*.

428. *Pondera*, genus pro specie. *Se subdidit sceleri*, elegans metaphora : summisit, et obligavit se sceleri gravi, quod alte ad præcordia usque resedit.

429. Matthæus : *Prima die azymorum*. Lucas : *Venit autem dies azymorum*. Missale Gothico-Hispanum, sive Isidorianum, fer. 5 in Cœna Domini, codd. Vercellensis et Veronensis, *dies paschæ*. Juvencus id ita intelligit, ut a feriæ quintæ vespere primum diem paschæ numeret. Alii alio modo. Vide infra, vers. 600.

431. Matthæus : *Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei*. In versione veteri ms. Clarom., *Ite in civitatem ad Dinan, et dicite ei;* scilicet ex Græco πρὸς τὸν δεῖνα. Quod perinde est, ac siquis Hispanice dicat *a fulano*, aut apud alios *a N*, quod significat *nomen*, et ex libris antiquis petitum est. Antiquiores

Ultima qui Domini caperet mandata, jubebat. A
355 Vespere mox primo bis sex recubantibus [una
Discipulis, tali divinat voce magister :
En urget tempus, Christum quum tradere [morti
E vobis unus scelerato corde volutat.
Continuo cuncti quærunt, quis talibus ausis
Insano tantum cepisset corde venenum.
Ille dehinc : Epulis mecum nunc vescitur, in- [quit.
Sed soboles hominis quondam præscripta su- [bibit
Supplicia ad tempus. Miserabilis ille per [ævum,
Qui justum dedit : quanto felicior esset,
Si numquam terris tetigisset limina vitæ!
356 Et Judas graviter tum conscia pectora [pressus,
Numquid, ait, Judam talis suspicio tangit ?
Respondit Dominus : Te talia dicere cerno.
Hæc ubi dicta dedit, palmis sibi frangere pa- [nem,
Divisumque dehinc tradit, sanctumque preca- [tus,
Discipulos docuit, proprium sibi dedere corpus.

LECTIONES VARIANTES.

433. Reg., *Vespere sed primo.* Alii. *Vespere mox* B *primo.* In Rom. desideratur hic versus.

434. Ott., *Discipulis fatur voce divina magister.* Sed ut constet versus, legendum *fatur divina voce magister.* Alii, *Discipulis tali divinat voce magister.* Rom. non bene *divina* pro *divinat.*

435. Sabatierius *Exurget tempus;* pro d. s., *En urget tempus.* Hanc secundam lectionem ubique invenio. Rom., *prodere* pro *tradere.*

437. Rom. *ausus;* ad marg. pro d. s. *ausis,* quod unice verum est.

442. Mss. nostri unanimi consensu, *Qui justum dedit; quanto,* et glossa in Reg., *dedit — tradidit.* Fortasse legendum *dedit : et quanto,* vel *dedit* est præsens verbi *dedo.* Editi habent *tradet* pro *dedit.* Sequor mss. codices, et *dedit* accipio in præsenti a *dedo, dedis.* Versio vetus in mss. Cantabr., et S. Germ. 1, et S. Gat. pariter habet in præsenti : *Væ autem homini illi, per quem filius hominis traditur.* Vide var. lect. ad vers. 510 h. l.

443. Mss. nostri cum Daventr. *Si numquam terris* C *tetigisset lumina vitæ :* sic Ald., et Bas., sed *limina* pro *lumina.* Had., Fabr., Poelm., *Si numquam in terris tetigisset limina vitæ.* Vide var. lect. ad vers. 27 h. l. Præferendum videtur hoc loco *limina vitæ,* etiamsi alibi occurrat *lumina vitæ.* Inspice notas Wopkensii, et Arntzenii ad Sedulium l. III vers. 290.

444. Reg., Ott., *Et Judas;* Rom., cum editis, *At Judas.* Reuschius *Et,* quia *et* pro *at* adversativæ vim habet, ut h. l. vers. 581, *Et Petrus jurans.*

445. Mss. nostri cum Aldo, Torn., et Bas., *suspicio;* alii editi, *suspectio.* Paulinus poem. 11, epist. ad Ausonium, secunda longa, vocabulo *suspicio* usus est : *Duceret in sanctum suspicio falsa parentem.* Simili modo producunt Plautus, Martialis, Ausonius, neque a se inventum poetam ullum Latinum, qui eam syllabam corripuerit, affirmat Forcellinus. Qui ergo in Paulino, Ausonio, et Juvenco legunt *suspectio,* falluntur, si existimant, id metro necessarium esse. Omeisius advertit, has voces *suspicio,* et *suspectio* etiam apud Ciceronem Philipp. I, cap. 3. inter se permutari.

446. Reg., *Dominus : talia te dicere.* Ita videtur fuisse in Ott., sed bene emendatum *te talia.*

447. Rom., *Hæc ubi dicta : capit palmis sibi frangere panem.* Alii *Hæc ubi dicta dedit, palmis.* Mss. cum plerisque editis, *frangere;* nonnulli editi, *tangere.* Intelligitur autem *cœpit frangere.* Omeisius *sibi* exponit illis discipulis, eis, vel *sibi,* ut plane obsignet sibi credentes, vel abundat *sibi.* Kœnigius arbitratur, post hunc versum unum, vel duos excidisse.

448. Reg., Ott. a sec. m., Rom., *sanctumque precatus.* Editi partim sic, partim *sancteque precatus.* Ubi est *sanctum,* adverbii more id positum censeo. In Rom. *tradidit* error est pro *tradit.*

449. Mss. nostri, *proprium sibi dedere corpus.* Videlicet *sibi,* eis, ut paulo ante vers. 447, vel *proprium* sibi. h. e., proprium suum. Editi alii, *se dedere;* alli, *se tradere.*

NOTÆ.

pronomen *ille* usurpabant, ut Hispani *el tal.* Vide Mazochium, ad I Samuel. XXI, 2. Posset aliquis suspicari, a Christo nomen fuisse expressum, quod Evangelistæ tacuerint. Juvencus aliud sentire videtur : et ex Marco et Luca potius concluditur, ejus hominis nomen a Christo fuisse omissum.

432. Ex Matthæo : *Magister dicit : Tempus meum prope est; apud te facio pascha cum discipulis meis.* Vel respicit Juvencus verba Christi in ablutione pedum apud Joannem XIII, 34, etc. Ex quibus *mandatum* vocari solebant ritus, qui in Cœna Domini, et ablutione pedum fiunt. Synodus Aquisgran. can. 20 : *In Cœna Domini pedes fratrum post mandatum abbas lavet, et osculetur.* Chilienus monachus in vita S. Brigidæ c. 2 : *Proxima Cœna fuit Domini, qua Sancta solebat — Mandatum Christi calido complere lavacro.* Hispanum idioma, Latinitatis mediæ retinentissimum, eodem vocabulo utitur. Confer Ducangium verbo *Mandatum.* In Ecclesia Hispana antiquissimus fuit hic usus, ut episcopus pedes presbyterorum, et diaconorum in Cœna Domini lavaret eo ritu, qui in Missali Isidoriano describitur. Hunc ipsum ritum illustrat Lesleus in notis.

436. Simile quid apud Ovidium l. XV Met. vers. 594 : *En, ait, hic unus, quem vos nisi pellitis urbe, —* *Rex erit. Is qui sit, signo, non nomine dicam.*

438. *Venenum,* nocendi cupiditatem. Sic *avaritiæ, invidiæ, fraudis, desidiæ venenum.*

444. *Conscia,* sibi sceleris. Vide not. ad Dracont. l. I, vers. 538 : *Conscius ascivit socius.*

446. Matthæus : *Ait illi : Tu dixisti.* Infra v. 594, D *Vestris hæc audio verbis. Cerno* est video, intelligo. Libr. II, vers. 205, *Nihil horum cernere possum.* Hic potest accipi pro *audio.*

447. *Palmis sibi frangere panem,* fortasse indicatur modus peculiaris frangendi panem, ut nonnulli exponunt verba Lucæ XXIV, 35 : *Et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.* De forma panis Judaici, buccellatim distincti, et ad fractionem apti, legendus est Robrius De pictore errante t. II Thesaur. Disputation. p. 868. Vide præterea alios indicatos a Fabricio Bibliograph. Antiq. cap. 19, n. 6, necnon Baronium, et Aringhium.

448. Maldonatus ad h. l. Matthæi, interpretationem Juvenci contra hæreticos urget, et exponit *sanctumque precatus,* h. e., prece sanctificans.

449. Observat Ceillierius de Script. ecclesiast., ubi agit de Juvenco, veram doctrinam de sacramento eucharistiæ eisdem verbis ab eo proponi, quibus Catholica Ecclesia eam profitetur.

357 Hinc calicem sumit Dominus, vinoque [repletum
Gratis sanctificat verbis, potumque ministrat,
Edocuitque, suum se divisisse cruorem.
Atque ait : Hic sanguis populi delicta redemit ;
Hoc potate meum. Nam veris credite dictis,
Post hæc non umquam vitis gustabo liquorem,
Donec regna Patris melioris munere vitæ
In nova me rursus concedant surgere vina.
Exin cantato sanctis concentibus hymno,
Montis Oliveti conscendunt culmina cuncti.
358 Talia tum Christus depromit pectore ver- [ba :
Omnes præsentis noctis vos tempore longe
Disperget misere, deserto principe, terror.
Sic etenim scriptum est : Pastoris casibus om- [nes
In diversa fugam capient per rura bidentes.
Post ubi vita novos cœli mihi reddet honores,
Præveniam, vestrosque choros genitalibus ar- [vis
Grata Galilææ volitans per rura docebo.
Respondit Petrus : Cuncti, si credere fas est,
Quod tua labentes possunt præcepta negare,
Sed mea non umquam mutabit pectora casus.
Ille dehinc : Nox hæc, quæ lucida sidera terris
Inducet, lucemque premens nunc incubat undis,
359 Audiet, ut trinis pavidus mendacia [verbis
Dices, et Christum, fortissime Petre, negabis.

LECTIONES VARIANTES.

451. Poelm. pro d. s., *Magnis sanctificat verbis;* in textu cum plerisque, *Gratis sanctificat verbis.* Ald., Bas., *Sanctificat gratis verbis.* Badius *Magnis* explicat *magnam efficaciam habentibus.*

453. Reg., *redemit :* ita etiam Ott. ex correctione, ubi prius videtur fuisse *redimet.* Rom., cum plerisque editis, *remittet*, quod præfert Gallandius ex Matth. XXVI, 28 : *Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Refellit autem Gallandius Reuschium, quod is *redemit* verbis Evangelii aperte congruere affirmaverit. Magis quidem congruit *remittet*, sed minime alienum est *redemit :* quod editum est a Daventr. et Poelm. pro d. s. Cæterum Reuschius exacte cum Evangelista convenire totam hanc lectionem docuit, *Hic sanguis populi delicta redemit,— Hunc potate meum :* de qua nunc dicam. Neque enim de verbo *redemit* sollicitus erat.

454. Reg., Ott., *Hoc potate meum ;* Rom., cum editis, *Hunc potate meum*, quam scripturam tuetur Reuschius. Poelmann. pro d. s., *Hoc potate merum.* Veram puto lectionem *Hoc potate meum :* nam in textu Græco apud Matthæum, et Marcum id sic legitur, ut dici possit, *Hoc est sanguis meus*, et ita congruenter vertendum fuisse censet Jansenius c. 131 Concord. In versione Itala ex ms. Cantabr. apud Sabatierium similiter legitur, *Hoc est enim sanguis meus.* Multi theologi, quos refert, et sequitur Suarez tom. XVIII de Sacram., quæst. 78, disp. 58, art. 1, sect. 7, censent, verba consecrationis, *Hoc est corpus meum*, reddere hunc sensum, *Hoc, quod sub his accidentibus continetur, est corpus meum.* Nec dissimili ratione explicant verba, *Hic est sanguis meus*, vel cum textu Græco, *Hoc est sanguis meus.* Ald., Rom., *jam veris ;* plerique, *nam veris*, vel *nam verbis ;* variant enim mss., et editi. Sed melius est *veris.*

455. Reg., Ott., Rom., *Posthæc ;* vel *Post hæc*, quod Aldus edidit. Alii, *Posthac.*

456. Rom., *munera ;* lege, *munere.*

457. Ottob., Rom., Ald., Bas., *concedant.* Reg., cum aliis, *concedent.*

458. Reg. et Ott., scribunt *ymno.*

460. Mss., cum plerisque editis, *tum.* Poelm. in textu, cum nonnullis, *dum.*

465. Poelm. pro d. s., Ald., Bas., *Hinc cum.* Mss., cum aliis editis, *Post ubi.*

467. Reg., *vadens.* Ott., Rom., cum editis, *volitans.*

468. Pro *Respondit*, quod nostri omnes habent, Sabatierius edidit *Respondet ;* sed pro d. s. notat *Respondit.* Mss., cum plerisque editis, *cunctos, si credere fas est*, — *Quod tua.* Rom., *Qui tua.* Ald., Bas., *Cunctos (sic credere fas est)* — *Qui tua.* Torn., *Quod tua.* Apud Aldum hic potest esse sensus: *Cunctos (sic credere fas est) qui tua labentes possint præcepta negare, mutabit casus, sed mea pectora numquam mutabit.* Apud alios ita est distinguendum : *Cunctos, (si credere fas est, quod tua labentes possum præcepta negare) mutabit casus, sed mea pectora non mutabit.* Alii alio modo interpungunt, sed nullo bono sensu. Ex Evangelio ita restituendum arbitror : *Cuncti, si credere fas est*, — *Quod tua labentes possunt præcepta negare*, — *Sed mea non umquam mutabit pectora casus.* Verba Matth. XXVI, 35, sunt : *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.*

469. Ald., *Qui ;* alii, *Quod.* Mss., *possunt :* ex editis alii, *possint ;* alii, *possunt.*

470. Fabr., *non ullus ;* alii, *non umquam.*

471. Rom. in textu *sidera :* quod cum bene sit, nescio cur ad marg. tamquam diversa lectio ascribatur *pectora.*

472. Rom., Ald., Bas., *Inducit*, quod amplectitur Reuschius : sequitur enim, ut ait, *incubat.* Alii, *inducet.*

473. Mss., *trinis* ; editi partim *trinis*, partim *ternis.* Mallem equidem *trina pavidis*, vel *trina pavidus.*

NOTÆ.

456. Matthæus ait : *Usque in diem illum*, etc., Sicl. I, v. 522 : *Vera loquor, Donec cœli, terræque, marisque — Interitus veniat*, etc. Hoc est, nunquam.

457. *Rursus surgere*, ut supra v. 522, *consurgere rursus ;* et vers. 547, *Certe surgent in munera vitæ.*

465. *Casibus*, ruina, periculo, casibus adversis. Petrus respondit : *Sed mea non umquam mutabit pectora casus.*

466. *Genitalibus*, patriis. Hoc fere sensu Prudentius hymn. 10 Cathem. v. 167, *Genitali in sede sacrari ;* et apud Ammianum libr. XXVII, c. 5, al. 11, *Genitalis terra.*

472. Horatius l. I, sat. 5, vers. 9 : *Jam nox inducere terris — Umbras, et cœlo diffundere signa parabat.* Virgilius l. I Æneid. vers 93 : *Ponto nox incubat atra.*

473. *Audiet :* elegantissima metonymia, ait Reuschius, nisi malis hoc loquendi genus cum Aristotele et Quintiliano vocare metaphoram. Similia sunt *conscia sidera*, et plura hujus generis.

Et prius, alitibus resonent quam tecta domo- A [rum.
At Petrus : Duram mortem mihi sumere ma- [lim.
Vox oblita suum quam deneget ista magis- [trum.
Has vires cordis perstant promittere cuncti.
Nominis Hebræi sunt Gethsemaneia rura.
Illo progreditur vitæ, lucisque repertor,
Quem mox discipuli, Juda fugiente, sequuntur.
Atque illic reliquos jussit residere ministros.
Ille sed assumpto longe procedere Petro,
360 Zebedeique simul natis, per devia tendit.
Tunc angore gravi mœstus, sic voce profatur :
Tristitiam volvens animus mihi pectora turbat
Morte tenus; sed nunc vos segnem excludite [somnum,
Sollicitamque simul vigilando ducite noctem.
Hæc ait, et paulum procedens, corpore terram
Deprimit, et tali projectus voce precatur :
Si fas est, genitor, calicis me transeat hujus
Incumbens valido nobis violentia tractu.
Sed tamen adveniat potius, quam nostra voluntas
Quæ tibi decreta est tantis sententia rebus.
Tunc ad discipulos repedat, sed somnus [anhelis
Prostratos terra membris dissolverat omnes.
Tunc ait ad Petrum : Non est mihi ponere [virtus
361 Unam pervigilem tantis sub casibus ho- [ram ?
Sed vigilate, precor, ne vos tentatio raptos B
Horrida præcipitet sævæ per lubrica mortis.
Spiritus iste viget, sed corpus debile labat.

LECTIONES VARIANTES.

475. Mss. cod. nostri, et editi plerique, *alitibus*. Reuschius nescio cur mavult *altilibus*, quod Badius, et Schœttgenius referunt ad aves domesticas, inter quas galli, et gallinæ. Prudentius hymn. 1 Cathem. vers. 1, *Ales diei nuntius*, etc. Propertius lib. I, eleg. 16, vers. 46 : *Et matutinis obstrepit alitibus*. Juvencus iterum vers. 584 : *Ales prosequitur cantu*, etc. Retinendum ergo *alitibus*.

476. Rom., *Et Petrus;* alii, *At Petrus*.

477. Ott., *audita;* sed fortasse fuit prius *oblita*, quod reliqui præferunt : nimirum vox obliviscatur, et deneget suum magistrum. Non semel Juvencus eumdem accusativum verbo, et participio apposuit.

479. Reg., *Sunt Geste mania rura*. Ott., *sunt Gessemancia rura*, sed fortasse prius scriptum fuit *Gessemaneida*. Rom., *Getzemaneida*. Editi plerique, *Gethsemaneida*, quia, ut ait Omeisius, poetæ frequenter patronymica loco possessivorum formant. In C Vulgata nomen vici hujus in monte Oliveti est *Geth-semani*, vel *Gethsemani*. In Italæ versionis mss. vel ita, vel *Getsamani*, vel *Gessamani*, vel *Gethsamani*. Legi ergo potest *Gethsemaneia*, vel, cum Ott., *Getsemaneia*, vel *Gethsemanica*. Nam *Gethsemanida* generis feminei est.

480. Mss. nostri, *vitæ, lucisque repertor;* nonnulli editi sic; alii, *lucis, vitæque repertor*.

482. Ott., *resedere :* ex quo factum *residere*.

483. Reg., *Ipse*, quod fortasse a pr. m. fuit in Ott. Plerique, *Ille*.

484. Rom., *Zebedeoque simul noctis per devia tendit*. Lege ex Evangelio *Zebedeique simul natis*, quod reliqui codices exprimunt.

485. Codex Barthii apud Omeisium *sic ore profatur*, prout Virgilius sæpe loquitur.

486. Mss. nostri omnes *Tristitiam volvens*. Editi, *Tristitia nunc volvens*, quod multis melius videbitur; sed scripturam exemplarium mss. non facile mutaverim, vel si mutare libeat, rescribam *Tristia jam volvens*, quod magis accedit ad *tristitiam*.

489. Rom., *paululum :* corrige, *paulum*. In Ott. ex *procidens* recte factum *procedens*.

490. Reg., *profatur :* melius alii, *precatur*.

491. Fabr., *calicis pertranseat ;* reliqui, *calicis me transeat*.

492. Rom., *tracta;* emenda, *tractu*.

493. Reg., mendose, *Tua sed jam veniat*. Ott., *Jam tua sed veniat*. Editi, *Sed tua jam veniat*. In Rom. invenio scripturam, quæ magis probetur, *Sed tamen adveniat potius, quam nostra voluntas, — Quæ tibi decreta est tantis sententia rebus*.

495. Poelmann. pro d. s., Torn., Ald., Bas., *anhelus ;* mss., cum aliis editis, *anhelis*.

496. Reg., *Prostratis ;* alii, *Prostratos*. Badius *terræ* adverbialiter, sicut, *humi*, vel in dativo, ut Virgilius libr. v, vers. 48, *Condidimus terræ*. Plerique, *terra*.

497. Reg., Rom., *non est mihi ponere virtus* cum glossa in Reg., *virtus - vobis*. Ott., cum editis, *non est tibi ponere virtus*. Priori lectione aptius exprimitur sententia Evangelii Matth. xxvi, 40 : *Sic non potuistis una hora vigilare mecum?* Ac notandum, pro *mecum* a Juvenco poni *mihi* eadem significatione. In nonnullis versionibus antiquis legitur *potuisti*, sed in aliis etiam antiquis, et in Vulgata, necnon in textu græco *potuistis*.

501. Rom., *sed labat debile corpus*. Reg., Ottob., Torn., Daventr., Ald., Bas., *sed corpus debile labat*. Fabric., Hadam., Poelm., *sed corpus debile lapsat ;* Westh. in textu *debile labat*, ad marginem *debile lapsat*. Metri regulam magis servat *lapsat*, quam *labat*. Vide l. II, vers. 437.

NOTÆ.

475. Prudentius hymn. I Cath. vers 13, *Vox ista, qua strepunt aves, — Stantes sub ipso culmine*. Virgilius l. VIII, vers. 456 : *Et matutini volucrum sub culmine cantus*.

476. *Sumere mortem :* vide lect. var. ad l. II, vers. 193.

479. CAPUT XIII. *Jesus secedit in villam Gethsemani, et in horto orat Patrem*. Matth. XXVI, 36; Marc. XIV, 42; Luc. XXII, 40; Joann. XVIII, 1.

487. *Morte tenus*, usque ad mortem. Consule comment. ad Prudent. hymn. 10 Perist. v. 45.

492. Mutatur numerus *me*, et mox *nobis :* de qua mutatione vide not. ad Dracont. Eleg., sive Satisf. vers. 19 et 299.

493. *Adveniat*, eveniat, fiat.

495. CAPUT XIV. *Judas Jesum osculo tradit*. Matth. XXVI, 40, etc.; Marc. XIV, 43; Luc. XXII, 27; Joann. XVIII, 9.

498. *Tantis sub casibus :* Virgilius l. IV, Æn. vers. 560 : *Nate dea, potes hoc sub casu ducere somnos?*

500. *Lubricum* substantivi more multi idonei auctores dicunt apud Cellarium, et lexicographos.

Secessit rursus secreti montis in arcem,
Orabatque Patrem : Rerum mitissime rector,
Hunc quoniam calicem non est transire potestas,
Jam tua proveniat nostra de sorte voluntas.
Rursus discipulos somni sub pondere pressos
Invenit, et rursus idem, genitore precato,
Alloquitur fesso nexos languore quietis :
Jam dormire licet, sociosque revisere vestros.
Nam venit ecce, meum qui dedat ad omnia corpus,
362 Quæ maculata meis imponet factio membris.
Cum dicto Judas, numero stipante catervæ,
Advenit procerum jussu, populique ferocis.
Pars strictis gladiis, pars fidens pondere clausæ
Signa sequebantur Judæ promissa furentis.
Oscula nam pepigit sese contingere Christi,
Quo facile ignotum caperet miserabile vulgus.
Ille ubi dissimulans blanda cum voce salutat,
Attigit et labiis justi venerabilis ora,
Continuo Christus : Totum complere licebit,
Huc venisse tuo quæcumque est causa paratu.
363 Injecere manum turbæ, Christumque prehendunt.
Tunc e discipulis unus fulgente machæra
Occurrit vatis famulo sublatus in iram,
Tempore et excussam rapuit vi vulneris aurem.
Olli Christus ait : Gladium tu ponito, noster :
Nam quicumque ferox confidet vindice ferro,
Hunc justi similis ferri vindicta manebit.
An ego non possim cœlestia castra vocare,

LECTIONES VARIANTES.

504. Reg., Ottob., *potestas;* Rom., cum editis, *facultas.*

505. Mss., cum Torn., *proveniat;* Had., Poelm. in textu *præveniat;* Ald., Bas., Poelm. pro d. s., *perveniat.* Hæc discrepantia inde provenit, quod in mss. codicibus *pro*, *præ*, et *per* in nexu litterarum non dissimili modo sæpe scribuntur.

507. Reg., Ottobon., Daventr., *rursus idem.* Rom., cum plerisque editis, *isdem*, vel *iisdem.* Magis placet *idem*, nempe Christus, ut explicat glossa in Reg. Fabricius, ut puto, ex conjectura edidit, *et rursus per idem.*

508. Ald., *fessos nexo.* In Reg., mendum, *longuore.*

510. Rom., *Jam venit;* alii, *Nam venit.* Poelm. pro d. s., *ille;* in textu, *ecce*, cum reliquis. Rom., Reg., Ottob. a sec. m., Fabr., *dedat.* Ott. a pr. m., *dedit.* Plerique editi, *tradet.* Fortasse ex mss. rescribendum est, *qui dedet*, vel *dedit* in præsenti a *dedo.* Bene etiam est *dedat* eadem significatione, ac *dedet.* Confer var. lect. ad vers. 442 h. l.

511. Ott., et a pr. m. Reg., *imponit.* Reg. a sec. m., Rom. cum editis, *imponet.*

512. Ald., *Hoc dicto;* Bas., *Quo dicto.* Mss., cum aliis editis, *Cum dicto*, quam scripturam probam esse ostendi ad l. II, v. 597, *Cum dicto*, etc., uti etiam Aldus legit eo loco. In Rom., *misero* pro *numero* mendum est, ac fortasse etiam *caterva* in Torn. pro *catervæ.*

513. Ald., Bas., *Advenit, et procerum.* Superflua est conjunctio *et.*

515. Reg., *sequebatur;* alii, *sequebantur.*

516. Mss., *Oscula nam pepigit sese contingere Christi.* Consentiunt editi; sed Poelmann. pro d. s. affert, *Dulcia nam Christi tacturum se oscula pactus.* Reuschius exponit *pepigit*, puta conditionem, ut *pacem, societatem pangere. Oscula* pro ore. Addit, binas has voces male intellectas ansam mutandi dedisse. Verum in diversa scriptura Poelmanni eadem interpretatio locum habet.

518. Mss., ac multi editi, *Ille ubi dissimulans blanda cum voce salutat.* Ald., Bas., Poelm. pro d. s., *Hic ubi dixisset simulata voce salutem*, repugnante Reuschio.

519. Reg., et a pr. m. Ott., *venerabilis.* Ott. a sec. m., Rom. cum editis, *miserabilis*, nempe Judas *miserabilis*, ut ante vers. 517, *Quo facile ignotum caperet miserabile vulgus*, et de ipso Juda vers. 441, *Miserabilis ille per ævum.* Nihilominus malo *justi venerabilis.*

523. Reg. scribit *macera:* Rom., Ott., *machera.*

524. Ald., Bas., *famulo, et sublatus;* Mss. cum aliis editis, *famulo sublatus*, quod meliori sensu procedit.

525. Mss. cum multis editis, *et excussam:* Poelmann., in textu cum aliis, *et excisam;* pro d. s. *ei cæsam.*

527. Mss., *confidet:* sic multi editi, alii *confidit.* In versionibus antiquis similis varietas reperitur. Rom., ad marg., *judice* pro *vindice.*

528. Rom. ad marg. *Nunc* pro *Hunc.* Retine *Hunc.*

529. Reg., *possem;* Ott., Fabr., *possim;* Rom., *possum*, quod editi plerique præferunt.

NOTÆ.

505. *Proveniat*, succedat, fiat. Tacitus l. II Hist. cap. 16 : *Inani auxilio, etiamsi provenisset.*

507. Libr. III, vers. 85, pariter passive, *Genitore precato.*

509. Conjungit, et explicat verba Matthæi : *Dormite jam, et requiescite . . . Surgite, eamus.*

511. Infra vers. 545 : *Queis mortem insonti possent imponere Christo.*

512. *Numero catervæ*, multitudine.

514. Pignorius de Servis pag. 120 seq. inter servos militares recenset caculas, calones, clavatores, galearios, qui fustibus, clavisque ligneis solerent armari ad custodiam dominorum, quod hoc quoque versu Juvenci confirmat.

516. *Oscula contingere*, ora contingere. Paulo post vers. 519, *Attigit et labiis justi venerabilis ora.*

520. *Totum* valet omnia. Exempla plurima dabit Wopkensius ad Sedulium l. III, v. 113, *Qui totum præstare potes.*

521. *Causa venisse*, h. e., causa veniendi : *paratu*, apparatu, ut alibi.

523. CAPUT XV. *Petrus auriculam servo abscindit.* Matth. XXVI, 51 seq.; Marc. XIV, 47; Luc. XXII, 49; Joann. XVIII, 10. Libr. I, vers. 247, simili modo : *Atque animam matris ferro fulgente machæra.*

524. *Vatis*, sacerdotis. Badius ait, *vatem* Caipham vocari propter vaticinium : *Expedit ut unus homo moriatur pro populo. Sublatus in iram;* pulchre dictum.

525. *Tempore* : quia auriculam unam abstulit. Aliquando etiam *tempus* in singulari utrumque tempus significat.

526. *Noster* cum emphasi ponitur. Terentius, Adelph. 5, 8 : *Bonus est, noster est.*

527. *Confidit vindice ferro.* Kœnigius probat, Latine dictum *confidit* cum ablativo, *ferrum* pro gladio, et *vindex* adjective recte poni.

529. Badius notat, licenter produci *an*, quæ ex ejus opinione corripi debet. Hanc opinionem imbecillo niti fundamento, alibi ostendi. Vide var. lect. vers. 517, l. 2. *Cœlestia castra :* sic angeli in sacra pagina vocantur. Legesis not. ad Dracont. l. II, vers. 475.

Et Patris innumeras in prælia ducere turmas? A
Sed Scriptura meis complenda est debita rebus.
Vos autem stricto qui me comprendere ferro,
364 Fustibus, et gladiis concurritis, en ego [vobis
Occurri, templi media qui semper in arce
Vobiscum residens docui, nec talia quisquam
In solum tantis circum latrantibus ausus.
Discipuli passim Christo fugere relicto.
Jamque Caiphæa steterat Salvator in aula:
Convenere omnes Scribæ, proceresque vocati.
At Petrus longe servans vestigia solus,
Occulte mœstus sedit cum plebe ministra,
Extremum opperiens tanto sub turbine finem.
Ecce sacerdotes falsos conquirere testes
Incumbunt, fictasque volunt contexere causas,
365 Queis mortem insonti possent imponere [Christo.
Sed nullus tanto visus satis esse furori.
Ultima prosiliunt testes, qui dicere Christum
Audissent, templum quod solus vertere posset,
Et versum trinis iterum instaurare diebus.
Ipse sacerdotum princeps urgere tacentem
Insistit fervens furiis, ac talia fatur:
Cur nihil ad tantas nunc respondere querelas
Convictus veris procerum sub testibus audes?
Adjurabo tamen summi per regna Tonantis,
Ut fateare palam, si fas te credere Christum.
Ille dehinc tali compellat voce superbum:
Isthæc sola tibi procedunt pectore verba

LECTIONES VARIANTES.

531. Poelm. pro d. s. *dedita*, in textu cum aliis B *debita*. Reuschius non incongruam vocem dicit esse *dedita*, sed legendum *debita* ex Matthæo, *Quia sic oportet fieri*.

532. Ald., Bas., Torn., Fabr., Poelm. pro d. s., sic legunt, et interpungunt: *Vos autem stricto quid me comprendere ferro,-Fustibus, et gladiis concurritis? En ego vobis — Occurram*, vel *Occurro*. Mss. cum aliis editis: *Vos autem stricto qui me comprendere ferro,— Fustibus et gladiis concurritis, en ego vobis—Occurram, vel Occurri*. Rom.: *Vos autem qui me stricto*, etc. Prior lectio planior, et clarior est: sed altera verior videtur.

534. Fabr., *Occurro*; Reg., et ex correctione, Ott., *Occurri*. Rom., Ott. a pr. m., cum plerisque editis, *Occurram*.

536. Ald. et plerique editi, *Insonuit*. Poelm. pro d. s., Torn., *In solum*, quod a Reuschio etiam editum, dissentiente Gallandio, qui id sine auctoritate codicum factum putat. Nostri quidem codices ita C omnes legunt, et in Reg. glossa est *in solum - contra me, cum essem solus*. Rom. et Ott., a pr. m., *latrantibus*, quod correctum est per *latratibus*, ut plerique legunt. Verum mihi multo magis arridet *latrantibus*, nimirum *tot circum latrantibus*, quod placebat etiam Kœnigio, qui ex epist. 136 Augustini excitat, *Circumlatrantes hæretici*. Melius tamen est *circum* adverbii more accipere. Non dissimulandum tamen, *latratus* occurrere h. l. vers. 14. *Tanti* pro *tot* multi scriptores Latini dixerunt, dixit etiam Juvencus hoc l. vers. 400. Multi editi habent *audax*; sed mss. cum aliis editis exhibent *ausus*, quod in nostra lectione omnino retinendum est.

538. Rom., Ott., Reg. supra, *Caiphea*, vel *Cayphea*. Reg., in textu, *Caipha*. Editi, *Caiphæa*. Rom., Ott., cum nonnullis editis, *astiterat*. Reg. cum aliis editis, *steterat*.

539. Westhem. *Cum venere;* ad marg., *Convenere*. Reuschius præfert *Cum venere*, quia putat, id sensum exigere. Mihi aliud visum.

540. Nonnulli editi parum commode distinguunt *vestigia, solus—Occulte mœstus sedit*, etc.

546. Ott. *nullo;* a m. sec., recte, *nullus*. Reg., *visus super esse*, quod ita fortasse a pr. m. fuit in Ott.: Alii *visus satis esse*.

547. Reg., Ott., Torn., Ald,. *Ultima prosiliunt*. Rom., mendose, *Ultimi prosiliunt*. Bas., *Ultimo prosiliunt*, quod sustineri posset, correpta ultima, ut in *postremo*. Fabr., Hadam., Poelm., et alii, ut huic difficultati occurrant, legunt *Tandem prosiliunt*. Sed deserenda non est scriptura codicum veterum *Ultima prosiliunt*, ubi ponitur *Ultima* adverbii more, ut in re simili dictum ad vers. 190 h. l. In Reg. glossa, *ultima—adverbium, postremo*. Reuschius etiam hunc græcismum recipit, sed simul notat, *ultimo* et *ultime* itidem recte dici. Adverbia enim in *o* et *e* antiquiores brevi mora interdum efferebant. Reg., Ott., *dicere Jesum*. Rom. cum editis, *dicere Christum*.

548. Ottob. a pr. m., Westh. in textu, *possit:* communis scriptura *posset*.

549. Ald., Bas., Westh. in textu, Rom. a sec. m., *ternis*. Plerique mss. et editi, *trinis*.

555. Rom., *Edicasque palam:* melius, *Ut fateare palam:* Ott., a sec. m., cum editis, *si fas te credere Christum*. Reg., *si fas est te credere Christum*, repugnante metro, quod etiam a pr. m. fuit in Ott., ut videtur. Rom., *si fas est credere Christum*.

557. Rom., Reg., Ald., Torn., *Ista hæc*. Ott. et alii, *Isthæc*. Mss. et editi sic distinguunt: *Isthæc sola tibi procedunt pectore verba.— Vera tamen*, etc. Sed interpungendum censeo cum Reuschio: *Isthæc sola tibi procedunt pectore verba—Vera: tamen veniet*, etc.; vel cum cod. Reg., *Vera tuo: veniet*, etc. Sed *Vera: tamen veniet* magis Evangelii verbis consentaneum est. Matth. xxvi, 64: *Dicit illi Jesus: Tu dixisti: verumtamen dico vobis*, etc. In nonnullis autem veteribus versionibus legitur, *Tu dixisti: amen dico vobis*. Verba Salvatoris, *Tu dixisti*, continent responsionem, qua concedit verum esse id, quod Pontifex D interrogabat, nimirum se esse Christum Filium Dei:

NOTÆ.

538. CAPUT XVI. *In domo Caiphæ condemnatur, blasphematur, cæditur*. Matth. xxvi, 57 seq.; Marc. xiv, 50 seq.; Luc, xxii, 54; Joann. xviii, 24.

540. Virgilius, l. ii Æn. vers. 711: *Et longe servet vestigia conjux*.

541. *Ministra* adjective: vide not. ad Dracont. l iii, vers. 642.

542. *Turbine*: Ovidius, l. vii. Met. vers. 614, *Attonitus tanto miserarum turbine rerum*. Frequens est usus hujus nominis in hac translata significatione.

544. *Incumbunt* cum infinitivo. Virgilius, l. iv Georg. vers. 249: *Incumbent generis lapsi sarcire ruinas*. *Contexere*, confingere. Cicero pro Dejotaro, c. 6: *Quam festive crimen contexitur!*

545. Confer vers. 511 h. l.

551. *Insisto* pro *persto*, *persisto* cum infinitivo frequens est.

553. *Veris sub testibus*: explicat Reuschius: quia Christus eos falsitatis non arguebat, rogatur, num tacendo verum illorum testimonium esse fateatur.

554. Matthæus ait: *Adjuro te per Deum vivum*. Jurare autem per cœlum juramentum verum est. Sic Juvencus, libr. i, vers. 574: *Nec fas est homini cœlum jurare per altum, — Quod sedes Domini est*.

555. *Si fas*, h. e., an fas, more Græcorum, ut l. ii, vers. 412: *Si credunt* pro *an credunt*, ut multi legunt.

366 Vera : tamen veniet vobis visenda per A [auras
Majestas prolis hominis, cum dextera sanctæ
Virtuti assidet sub nubibus ignicoloris.
Talibus auditis, scindit de pectore vestem,
Insultat furiis, et cæco corde sacerdos,
Atque ait : Audistis pugnantis fœda profani
Verba Deo : polluta malis consurgat in iras
Religio, et vestram cuncti jam pandite mentem.
Conclamant omnes, mortique addicere certant.
367 Tum sanctam Christi faciem sputa im- [proba complent,
Et palmæ malis, colaphique in vertice crebri
Insultant, verbisque omnes illudere certant.
Christe, prophetabis, cujus tibi palma sonarit.
At Petrum mulier tristem quod viderat intus,
Tune etiam, juvenis, fueras comes additus, in- [quit,
Isti, quem ludens procerum sententia damnat?
Ille negat, tectisque foras se promere tentat.
Ecce sed egressum primo sub lumine cernens
Altera consimili prodebat voce ministris.
Rursus ait, jurans illum se nosse negabat.
368 Tum percunctantum multi accessere se- [quentes,
Eque sono vocis sese cognoscere dicunt,
Cuncta Galilæam streperent quod verba loque- [lam.
Et Petrus jurans devotis omnia verbis
Nescire affirmat, quisquis foret ille, negando.

LECTIONES VARIANTES.

adeoque adjectivum *vera* conjungendum est cum *verba*, præsertim quia vocabulum *sola* indicat, solum id vere a Pontifice dictum fuisse.

558. Reg. et, ut videtur, Ott., a pr. m., *Vera tuo veniet vobis*. Rom., Ottob. a sec. m., cum editis, *Vera tamen veniet vobis*.

559. Reg., Ottob., Torn., Rom., *Majestas prolis hominis cum dextera sanctæ — Virtuti assidet sub nubibus ignicoloris*. In Rom., *proles* pro *prolis*. Poelm., pro d. s. : *Majestas prolis hominis dum dextera sanctæ —Virtutis sidet sub nubibus ignicoloris*. Poelm. in textu, Fabr., Hadam., *Majestas, proles hominis virtutis ad altæ — Cum sedeat dextram per nubes ignicolores*. Sic Ald., Daventr., Reusch., Bas., sed *hominis proles* pro *proles hominis*. Scriptura mss. exemplarium retinenda est, in qua *assidet* est futurum ab *assido, assidis*; et *ignicoloris* est ab *ignicolorus*, quo vocabulo usus est Juvencus h. l. vers. 155; *Dextera* non est substantive, sed adjective accipiendum, scilicet cum majestas prolis hominis dextera assidet sanctæ virtuti : sic enim reddit verba : *Sedentem a dextris virtutis Dei*.

563. Reg. et, a pr. m., Rom., *auditis* : cæteri *audistis*, quod magis accedit ad sententiam Evangelii, etiam in antiquis versionibus.

564. Reg., Rom., Ald., *polluta magis* : alii cum Ott. *polluta malis*.

565. Rom. *victi* : emenda *cuncti*.

568. Mss., *Et palmæ malis*. Editi, *Et palmæ in malis*.

570. Mss. nostri, *cujus tibi palma sonarit*. Alii editi, *cujus te palma cecidit*, quod ait Reuschius sapere glossam; qui scripturam nostram confirmat ex Ovidio Heroid. ep. 10, vers. 15 : *Protinus adductis sonuerunt pectora palmis*. Frequentius *sono* habet *sonui*, sed habet etiam *sonavi*.

571. Mss. nostri, *Ad Petrum*. Editi, *At Petrum*. Rom., *viderit* : alii, *viderat*.

572. Rom., Reg., et, a pr. m., Ott., *Tunc etiam juvenis*, quod intelligo sine interrogatione, ut in Evangelio : *Et tu cum Jesu Galilæo eras*. Ott., a sec. m. cum editis, *Tune etiam*, etc. cum interrogationis nota.

573. In Helmst., *laudens*, ex quo Reuschius suspicatur *gaudens*. Sive hoc, sive *ludens* opponitur Petro *tristi*.

576. Rom., *Altera tum simili* : alii, *Altera consimili*.

577. Mss., *Rursus ait, jurans*. Sic plures editi; nonnulli, *Rursus perjurans* cum Torn., Poelm. pro d. s. Mss. nostri, *negabat* : editi alii sic; alii, *negavit*.

578. Rom., *Tum percunctantum*; Reg., Ald., *Tum percontantum*; Ott., *Tum percuntantum*. Plerique editi, *Tunc percunctatum*, vel *percontatum*, quod supinum vult Omeisius contra Badium, qui passive accipiebat. Rom., Ald., Bas., *frequentes*. Alii mss. et editi, *sequentes*.

579. Fabr., *Deque sono* : Rom., *Atqui sono*, ex quo conjicio *Atque sono*. Plerique mss. et editi, *Eque sono*.

NOTÆ.

560. Confer vers. 155 h. l.

563. *Pugnantis Deo* : h. e., repugnantis, adversantis. Poeticum est hoc sensu *pugnare* cum dativo, sed a multis usurpatum, Catullo, Virgilio, Ovidio, Statio, Silio : adeoque eleganter sic adhibetur.

564. Libr. II, vers. 697 : *Polluta malis generatio quærit*. Hoc l. IV, vers. 615 : *Plebs incensa malo*; lib. I, vers. 535 : *Nequis consurgere in iras — Audeat*.

568. Colaphi infliguntur manu in pugnum compressa; alapæ manu expansa, et in maxillam incussa. Utrumque Juvencus explicat, uti Sedulius l. V, vers. 96 : *Non denique passim — Vel colaphis pulsare caput, vel cædere palmis, — Aut spuere in faciem plebs exsecranda quievit*.

570. *Prophetabis* : de hoc verbo dixi in comment. ad Prudent. hymn. 13 Perist. vers. 101.

571. CAPUT XVII. *Petrus ter Christum abnegat*. Matth. XXVI, 69; Marc. XIV, 66; Luc. XXII, 55; Joann. XVIII, 25. Juvencus probabilem rationem affert, cur ancilla cognoverit, Petrum discipulum Jesu esse, *Tristem quod viderat*. Matthæus ait : *Petrus vero sedebat foris in atrio*, videlicet extra locum, in quo Christus interrogabatur, sed in atrio, adeoque intra palatium, quod ait Juvencus, *Tristem quod viderat intus*. Supra, vers. 541 : *Occulte mœstus sedit cum plebe ministra*.

574. Supra, vers. 394, *Tuque ipse foras te prome sepulcro*.

575. Marcus post primam negationem ait : *Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit*. Juvencus exponit *primo sub limine*. Recesserat ergo ab atrio Petrus, et in vestibulo domus iterum interrogatur. Matthæus ita narrat : *Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla*, etc.

581. *Devotis verbis* : Matthæus ait : *Cœpit detestari, et jurare*. Marcus : *Ille autem cœpit anathematizare, et jurare*. Versio Itala Matthæi : *Tunc cœpit devotare se, et jurare, quod non nosset hominem*. Idem verbum *devotare se* legitur in Versione veteri Marci. Inde Juvencus sumpsit, *jurans devotis omnia verbis*; Petrus enim se diris devovebat, atque omnia mala sibi precabatur, si verum non erat, quod asserebat. Proprie *devotus* est diris, et imprecationibus impetitus : quo sensu passim occurrit hoc verbum apud antiquos. Catullus, carm. 63, de nuptiis Pel. et Thet., vers. 155 : *Immemor, ab devota domum perjuria portas*. Apud Juvencum *devotis verbis* videtur positum pro verbis quibus Petrus se devovit.

Hanc vocem, plausum quatiens sub culmine [tecti,
Ales prosequitur cantu, mentemque Simonis
Circumstant tristem vera præsagia Christi;
Egressum dehinc ploratus habebat amarus.
369 Sidera jam luci concedunt, et rapidus [sol
Progreditur, radiis terras trepidantibus implens.
Jamque e concilio Christum post terga re- [vinctum
Præsidis ad gremium magno clamore trahebant.
Interea celsum Dominus stans ante tribunal
Talia Pilati verbis excepit Iesus:
Tu rex Judææ gentis, quod dicitur, astas?
Respondit Christus: Vestris hæc audio verbis.
370 Exin terribilis justi accusatio surgens
Infremit, et sanctum scelerum facundia pressat.
Respondere nihil trucibus dignatur Iesus.
Pilatus quærit, quæ sit tum causa tacendi.
Ille magis perstans miranda silentia servat.
Solemni sed forte die concedere leges
Unum damnati capitis de more jubebant.
Et fuit in vinclis famoso nomine latro,
Quem Christo infensus populus dimittere vitæ

LECTIONES VARIANTES.

585. Rom., *Circumstant verba tristem præsagia Christi.* Reg., a sec. mss. *Circumstant tristem vera præsagia*, sed fortasse fuit *verbis* pro *vera*. Ott., *tristem muneri præsagia*, diversa scriptura, vel correctio ibidem apponitur *verbis* pro *muneri*, quod certe ineptum est. Editi *Circumstant tristem verbis præsagia Christi.* Malo *tristem vera præsagia*, producta ultima in *vera* tum ratione cæsuræ, tum ob duas consonantes dictionis sequentis. Vel *veri* pro *vera*.

586. Editi plerique: *Egressusque dehinc ploratus fudit amaros.* Rom., Ottobon., Reg., a pr. m., Torn.: *Egressusque dehinc ploratus habebat amaros.* Vera quidem ratio prosodiæ vetat, corripi ultimam in *ploratus* numeri pluralis, sed apud poetas sequioris ævi nonnulla exempla similia occurrunt. Posset igitur hæc scriptura sustineri. Nihilominus præfero correctionem codicis Reg. veteri manu factam: *Egressumque dehinc ploratus habebat amarus*, cum glossa *Egressumque—Petrum.*

587. Mss. nostri, *jam luci*, sed in Reg. fortasse fuit *lucis*. Ex editis alii *jam luci*, alii *jam cæli*, ex quo aliquis conjicere poterit *jam cælo*. Sed bene est *jam luci concedunt*, quod verbum ponitur pro *cedunt*. Sabatierus, *lucis*, minus bene.

588. Mss., Ald., Bas., *trepidantibus*. Torn., Daventr., Reusch., Poelmann., et alii, *crepitantibus*. Præstat legere *trepidantibus*, videlicet *tremulis*. Nonnulli malunt *vibrantibus*. Barthius, l. VIII Advers. c. I, tuetur *crepitantibus*. Etsi enim, inquit, nemo unquam crepitantem solem audiverit, quia tamen præcellentissimus ignis est, poeta hoc jure suo illi tribuit, quod flammæ florescentis proprium est.

591. Rom., *celsus*: melius *celsum*. Reg., *stetit*: alii, *stans*. Verum si versu seq. legas *Talibus exceptum*, etc., hoc loco reponere debebis *stetit* pro *stans*. Sabatierius edidit *dominum stantem*.

592. Reg., Poelm. in textu, Fabr., Hadam., *Talibus exceptum Pilatus vocibus ursit.* Sic Torn., sed *orsit*, quod mendum videtur pro *ursit*, uti in Sabatierio *arsit*. Hunc versum planum esse confirmat Reuschius, si *exceptum* capiamus pro *auditum*. Atque ita crebrior Christi, vel Jesu denominatio devitatur. Rom., Ottob., Ald., Bas., *Talia Pilati verbis excepit Iesus*. Daventr. utramque lectionem conjungit: *stans ante tribunal*, —*Talibus exceptum Pilatus vocibus ursit*, —*Talia Pilati verbis excepit Jesus.* —*Tu rex*, etc. Ita etiam Badius. Codices Reuschii nostris concinunt. Sensus est: Jesus audivit talia ex verbis Pilati.

593. Mss. nostri, Ald., Bas., Poelm., pro d. s., *quod dicitur*. Torn. ita, et distinguit *gentis* (*quod dicitur*) *astas*? In Reg. glossa, *quod — dictum*. Alii editi, *qui dicitur*.

594. Reg., Ott., *Respondit Jesus*, quod Juvencum non redolet: nam is trisyllabum nomen *Iesus* sæpe alias effert.

596. Mss. nostri, *scelerata facundia*, Torn. *sceleresa facundia*. Editi plerique, *mendax facundia*, quod metri legibus congruit. *Scelerata*, aut *scelerosa facundia* non facile ad prosodiæ regulas sustineri poterit. Sed cum ea lectio auctoritate codicum innitatur, libet inde colligere *et sanctum scelerum facundia pressat*, nimirum *scelerum* pro *sceleratorum*. Vide var. lect., ad vers. 644 h. l., et not. ad Dracont. l. II, vers. 421: *Inter tot scelerum turbas pius unus, et insons.* In Rom. mendum est *perstat* pro *pressat*.

598. Fabr., *quærit*, *quænam sit causa*. Rom. corrupte, *Pilatus quæ tum sit causa tacendi*. Ald., *quærit quæ tum sit*.

601. Fortasse, *Unum damnatum capitis*.

603. Reg., *infessus*: lege *infensus*.

NOTÆ.

583. De plausu avium vide not. ad Dracont. l. I, vers. 257. Supra, vers. 475, etiam collocatur gallus in tectis domorum. Consule cl. Franciscum Cancellierium, in erudito elegantique opere de Secretariis Basilicæ Vaticanæ, l. II, c. 14, ubi disputat, Cur veteres Christiani turribus campanariis gallos imponerent. Montfauconius in Bibliotheca Biblioth. Mss. col. 196, inter codices mss. Bibliothecæ Vaticanæ recenset opus inscriptum: *Quare gallus solet poni super domum Domini, i. e., S. Ecclesiam.*

587. CAPUT XVIII. *Jesus ad Pilatum vinctus ducitur, coram illo accusatur, ab eo interrogatur, an esset rex Judæorum. Item Pilato dicente Judæis, solere eos tunc temporis unum ex condemnatis donare vita, utrum absolvi, Jesumne, an Barabbam vellent, conclamant Barabbam, et Crucifigatur Christus.* Matth. XXVII, 1 seqq.; Marc. XV, 1; Luc. 23, 1; Joann. XVIII, 28.

589. Virgilius, l. II Æn. vers. 57: *Ecce manus juvenem interea post terga revinctum.*

590. *Ad gremium*, ad tribunal, ad Pilatum sedentem. Badius ait: ad medium complexum, vel plenam potestatem.

593. *Astas*, stas: quod verbum judiciale est. Horatius, l. I, sat. 9, vers. 38: *Inteream si—Aut valeo stare, aut novi civilia jura.* Potest etiam *astas* simpliciter accipi pro *es*, ut *exstas* apud Dracontium non semel, ut ex Indice apparet.

594. *Vestris* pro *tuis*. Vide not. ad vers. 492 h. l.

600. Matthæus: *Per diem autem solemnem*, etc. Multi hinc colligunt, Christum ipso die paschatis Judæorum crucifixum fuisse: quorum sententiæ favet Juvencus, ut dixi ad vers. 429 h. l. Alii a vespere feriæ sextæ, sive ejus diei, quo Salvator mortem subiit, initium paschæ ducunt. Confer hac de re dissertationem Calmeti.

602. *Famoso nomine*, infami. Matthæus: *Habebant autem tunc vinctum insignem*, etc. *Famosus latro, famosus prædo*, satis obvium est.

Ardebat : trucibus somno sed territa visis
Pilati conjux, justi discedere pœna
Mandatis, precibusque virum suspensa rogabat.
Tum judex iterum procerum disquirere mentem
Tentat, et instanti cuperent quem solvere pœna,
Plebis ad arbitrium mittit de lege requiri.
Sed proceres populum fusa ambitione rogabant,
371 Latronem legi peterent, Christumque necarent.
At postquam procerum incendit sententia vulgus,
Latronisque petit potius sibi cedere vitam,
Consuluit præses populum, quid vellet Iesu.
Plebs incensa malo, sævos miscere tumultus,
Et crucis ad pœnas iterumque, iterumque petebat

A Qui regis nomen cuperet, qui Cæsaris hostem
Confessus, sese proprio damnaverit ore.
Denique vi victus, detestatusque cruentum
Officium, increpitat, se libera sanguinis hujus
Corda tenere sibi, coramque a crimine palmas
Abluit, ut genti tantum macula illa maneret.
372 Hoc magis inclamant : Nos, nos cruor iste sequatur,
Et genus in nostrum scelus hoc, et culpa redundet.
Pilatus donat plebi, legique Barabbam,
Et crucis ad pœnam vinctum concedit Iesum.
Proditor at Judas, postquam se talia cernit,
Accepto sceleris pretio, signasse furentem,
Infelix ægris damnans sua gesta querelis,
Projecit templo tum detestans argentum.

LECTIONES VARIANTES.

610. Reg., Ott., Torn., *Sed proceres.* Rom. et plerique editi, *At proceres.*

611. *Reg.*, *negarent*, quod videtur fuisse in Ott., ex quo factum *necarent* cum Rom. et editis. Favet textus Evangelii : *Jesum vero perderent.* Aliam lectionem *negarent* tueri possumus ex Act. Apost. III, 13, 14. *Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis.*

615. Rom., *Latronis potiusque petit sibi.* Planius, alii, *Latronisque petit potius sibi.*

614. Rom., *Iesum* : alii, *Iesu.*

616. Reg., Ottob., Rom., *iterum*, *iterumque.* Sed vix est dubium quin legendum sit cum editis *iterumque, iterumque*, quod metri lex postulat, et ex Virgilio Juvencus desumit. Ita etiam refert Ott., a sec. m. Beda tamen aliter in Virgilio legebat de Metr. cap. de Auctoritate : M, *ubi voluit, in fine verbi positam a supervenientis vocabuli absumptione reservavit* (Virgilius,) *ut : Iterum iterumque moneho.*

618. Torn., *damnaverat* : alii, *damnaverit.*

619. Reg., Ott., *Denique victus* : a sec. manu additum *Denique vi victus.* Torn., mendose, *Denique ut victus.*

620. Mss., *se libera sanguinis hujus.* Editi, *se libera sanguine ab hujus.* Rom., *sed*, minus bene, pro *se.* Rarum est *liber* cum genitivo, sed poetico more admitti poterit, ut *Integer vitæ, scelerisque purus.*

622. Rom., *gentis* : alii, *genti;* quod longe melius est.

625. Mss. et editi, *plebi, legique* : Fabr., mendose, *plebi lenique.* Sabatierius, nescio qua auctoritate, *plebi, solvitque.*

626. Rom., Reg. et, a pr. m., Ottob., *Victus*, et glossa, Reg., *victus— ipse a Judæis.* Ott., a sec. m., cum editis, *vinctum.* In Evangelio non exprimitur clare *vinctum*, sed tantum, *Jesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.* Vide, num melius sit *victum concedit Iesum* : nam de Pilato jam vers. 619, dictum est *Denique vi victus.* Cæteroqui rei ipsi satis consentaneum est *vinctum* : nam vers. 589, dictum jam est, *Christum post terga revinctum.*

628. Mss. et Torn., *signasse*, et glossa in Reg., *talia — scelera.* Daventr., Hadam., *generasse.* Ald., Bas., *fecisse.* Poelm., in textu, *generasse;* pro d. s., *signasse*, quam Reuschius amplectitur, et explicat Kœnigius *Designasse*, perpetrasse. Simplex pro composito. Significat etiam *signare* indicare, ostendere; ac præterea sigillo obsignare, et translate firmare. Fortasse hæc significatio huic loco potius convenit, quia Judas id scelus contractu firmavit.

630. Poelm., Daventr., Hadam., Ald., Fabr. : *Argentum et culpans sacram projecit in ædem.* Mss. nostri : *Projecit templo tum detestans argentum.* Versus hic spondaicus est, qui in mss. Reuschii etiam exstabat, et illi aptissimus videbatur, quamvis alium ediderit. In Rom. mendum est *detestatus argentum* pro *detestans argentum.* In Reg. glossa *detestans — scelestum* : quo sensu legendum erit *de-*

NOTÆ.

609. Nomine *legis* consuetudo intelligitur, ut v. 600, 611, 625.

610. *Fusa ambitione*, effuso studio captandi suffragia pro Barabba, et contra Christum.

612. Virgilius, l. IV Æn., vers. 177 : *Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.* Obvium est *incendere* pro commovere, concitare vehementer. *Accendones* dicti, qui gladiatores ad pugnam excitabant. Sic restituit Salmasius apud Tertullianum, de Pallio cap. ult., ubi alii legunt *cerdones.*

620. *Increpitans*, clamans, ut l. I, vers. 402.

622. *Maneo* de iis, quæ imminent, præsertim in adversis, eleganter dicitur; et sæpe cum accusativo effertur, aliquando cum dativo. *Genti* pro populo Israelitico, ut dictum ad l. II, vers. 120.

627. CAPUT XIX. *Judas pœnitentia ductus, nummos reddit, et laqueo se de ficu suspendit, et pecunia, qua Christus venditus est, ager, in quo cadavera damnatorum sepeliantur, emitur.* Matth. XXVII, 3 seq. Juvencus totam hanc narrationem de Juda, restituente triginta argenteos, postponit. Matthæus ita rem disponit : *Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Tunc videns Judas, qui eum tradidit*, etc. *Jesus autem stetit ante præsidem, et interrogavit eum præses*, etc. Plerique ergo ita concordiam ineunt, ut Judas prius retulerit triginta argenteos, quam Pilatus morte Jesum condemnaverit. Immo Lamyus putat, a Caiphæ ædibus non recta ad Pilatum ductum Jesum, sed prius in templum, ubi erat sedes synedrii : quo tempore Judas pœnitentia ductus principes sacerdotum et seniores convenit, qui propterea argenteos in templo projecisse dicitur. Magis id repugnat Evangelistarum verbis, quam concordia a Juvenco inita. Matthæus enim, cum Jesum ad Pilatum ductum narrasset, antequam seriem totius passionis deinde contexeret, Judæ pœnitentiam anticipavit; quæ fortasse solum accidit, cum jam Christus morti a Pilato addictus erat, sed nondum eam subierat.

373 Exorsusque suas laqueo sibi sumere pœ- A [nas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.
Inde sacerdotes, pretium quod sanguinis es- [set,
Illicitum fantes adytis jam condere templi,
Quod dare tum licitum, dum sanguis distrahe- [retur,
Credebant, agrum mercati nomine vero
Sanguinis, horrendo signant scelera impia facto.

374 Hæc quondam cooperta canens vox vera [prophetæ,
Eventum rerum patefecit in ordine sæcli:
Argenti triginta minas posuere profani,
Hoc pretium pretiosi corporis instituentes,
Quod mox ad figuli rursus transfertur agellum.
Traditus est trucibus justus, scelerisque mi- [nistris
Militibus: scelerum ludibria corpore perfert,
375 Purpureamque illi tunicam, chlamydem- [que rubentem

LECTIONES VARIANTES.

testatum argentum, ac fortasse huc pertinet scriptura Rom. *detestatus argentum*. Sed bene est *detestans* active : nam Juvencus eumdem accusativum solet et verbo et participio applicare.

631. Rom. post hunc versum inserit alium : *Nexibus et laqueis justas consumere pœnas*, etc. — *Informem*, etc., qui supervacaneus est.

635. Rom., Ald., Bas., *Sed dare*. Alii, *Quod dare*. Rom., Ald., *cum* pro *dum*. Reg., Ott., *detraheretur*. Aptius verbum est quod habet Rom. cum editis, *distraheretur*. Sic Dracontius, in eodem argumento, l. II, vers. 510 : *Sanguine distracti maculatur venditor, emptor*.

636. Ald., Bas., *agri* : reliqui, *agrum*.

638, Reg. : *Hæc condam cooperta*. Ott., *Hæc quondam comperta*. Rom. cum editis, *Hæc quondam coopĕrta*. Poelm., pro d. s., *cadens* ; in textu cum plerisque, *canens*.

643. Ald., *Traditur injustis justus* : alii, *Traditus est trucibus justus*. Fabr. *Traditus at trucibus*. Reuschius hanc esse veram lectionem censet, quia sensus exigit particulam *ast* vel *at*, Juvenco frequentem. Hoc loco certe superflua ea est.

644. Mss. nostri *Militibus scelerata ludibria corpore præbet* : sed Ott., *præbent*, quod a pr. m. fortasse fuit in Reg. Editi, *Militibus scelerata opprobria corpore præbet* : sed Fabr., *Innocuas*, pro *Militibus* ; idem Fabr., Poelm., et Westh., ad marg., *perfert* pro *præbet*. Constans scriptura codicum mss. *ludibria* veram hanc esse lectionem confirmat, præsertim quia in Ott., a pr., m., fuit *lidibria*, quod manu veteri correctum est per *ludibria*. Sed credemusne, Juvencum primam in *ludibria* corripuisse? Equidem non ita censeo : nam paulo post *ludibria* prima producta vers. 651 effert. Legam igitur *Militibus, scelerum ludibria corpore perfert* : nempe *sceleratorum ludibria*, ut vers. 596 notavi. Ignoratio hujus significationis librarios eo traxit, ut primum *scelerata* pro *scelerum* scriberent, tum, ut metro consulerent, *opprobria* pro *ludibria* intruderent.

NOTÆ.

632. Nonnulli tradiderunt Judam se ex sambuco suspendisse, alii ex sycomoro, plerique ex ficu, quam in valle Josaphat nostris quoque temporibus ostendi aiunt. Juvencus auctor hujus opinionis videtur, quem tamen nonnulli poetice locutum dicunt, ut unam arboris speciem pro genere posuerit. Contra Beda, de Loc. sanct. c. 4 : *Portam David egredientibus fons occurrit in austrum per vallem directus, ad cujus medietatem ab occasu Judas se suspendisse narratur. Nam et ficus magna ibi, ac vetustissima stat, juxta quod Juvencus ait : Informem rapuit*, etc. Ex Juvenco et Beda probat Baronius, Annal. ann. Christi 34, num. 76, majorum traditione acceptum, arborem, in qua Judas laqueo se suspendit, fuisse ficum. Confirmat potuisse ficum adhuc temporibus Bedæ superstitem fuisse, ex Tacito, l. XIII, Annal., in fine, qui de ficu quæ Romuli Remique infantiam texerat, simile aliquid narrat. De genere mortis Judæ vide notata ad vers. 564 l. II Dracontii, et Theophilum Raynaudum, tom. IX. Suspendium *informem mortem* vocat Juvencus ex Virgilio l. XII, vers. 603 : *Et nodum informis lethi trabe nectit ab alta*. Simili modo Tacitus, l. VI Annal. c. 49 : *Papinius repentinum et informem exitum delegit, jacto in præceps corpore*. Hujusmodi mortem *impuram* vocat Homerus, Odyss. x, 464. Plura alia profert Mazochius, tom. I Spicil. Bibl. cap. IX Genes. 4, qui putat, hanc gentium opinionem natam ex præcepto Noe filiis, et posteris dato : *Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis*. S. Leo, serm. 52, sive 3, de Passione, cap. 3, fortasse Juvencum imitatur, ubi sic de Juda : *Informis lethi suspendium distulisses*. Alia huc scitu digna afferri possunt ex Casauboni Exercit. adversus Baronium.

635. Ita etiam Judæos urget S. Bruno Astensis, ad Matth., tom. II Oper. edit. Rom. postremæ p. 129 : *Dico ego : Si non licet mittere eos in corbanan, quia pretium sanguinis est, neque licuit eos trahere de corbanan, ut pretium sanguinis fierent*. Vulgata scribit *corbonam*, textus Græcus et Itala *corbanan*.

636. Badius huc tradit illud Virgilii l. I Æn. vers. 371 : *Mercatique solum, facti de nomine Byrsam*.

638. Fortasse Juvencus codices legerat, in quibus prophetæ nomen expressum non erat. Nunc enim in plerisque Jeremias hic propheta nominatur. Hieronymus in hunc loc. Matthæi existimat, testimonium desumptum ex Zacharia, non ex Jeremia. Augustinus, l. VII de Consensu Evangelist. cap. 2, sic disserit : *Si quis autem movetur, quod hoc testimonium non invenitur in Scriptura Jeremiæ prophetæ, et ideo putat, fidei Evangelistæ aliquid derogandum, primo noverit, non omnes codices Evangeliorum habere, quod per Jeremiam dictum sit, sed tantummodo per prophetam. Possemus ergo dicere, his potius codicibus esse credendum, qui Jeremiæ nomen non habent : dictum est enim hoc per prophetam, sed Zachariam*. Nihilominus hæc defensio non placet Augustino, qui apud Jeremiam testimonium non verbis, sed reipsa inveniri contendit.

640. Sacer textus habet *triginta argenteos*, nimirum siclos, qui ex quorumdam supputatione 32 solidis et sex denariis constabant. Mina Hebræorum valebat 60 siclos, sive argenteos, mina Attica major 100 drachmas, minor 75 drachmas continebat. Duæ drachmæ medium fere siclum æquabant. Juvencus ergo unum monetæ genus pro alio posuit, vel speciem pro specie, ut supra 427 seq., *ter dena argenti pondera*, genus pro specie.

642. *Rursus*, quia prius fuit pretium sanguinis, postea agri.

643. CAPUT XX. *Jesus a militibus deridetur, chlamide coccinea induitur, spinis coronatur*. Matth. XXVII, 27 seq. ; Marc. XV, 16 ; Joann. XIX, seq.

645. Matthæus ait : *Chlamydem coccineam circumdederunt ei* ; Marcus : *Et induunt eum purpura* ; Joannes : *Et veste purpurea circumdederunt eum*. Inter colorem coccineum, et purpureum parvum discrimen notatur : aliquando etiam coccineus propter affinitatem cum purpureo confunditur. Purpureus autem co-

Induerunt, spinisque caput cinxere cruentis,
Inque vicem sceptri dextram comitatur arundo.
Tum genibus nixi regem dominumque salutant
Judææ gentis : faciem lavere salivis,
Vertice et in sancto plagis lusere nefandis.
Hæc ubi transegit miles ludibria demens,
376 Indutum propriæ ducebant tegmine vestis,
Et crucis ad pœnam sanctum justumque trahebant;
Ecce sed egressi quemdam cepere Simonem
Cyrena genitum, lignumque afferre jubebant;
Quo dominum lucis jussis suffigere sævis
Instans urgebat sæcli immutabilis ordo.
At postquam ventum est, ubi ruris Golgotha nomen,
Permixtum felli vinum dant pocula Christo.
Ille sed in summo gustu tractata recusat;
Ut satis antiquis fieret per talia dictis,
Nec tamen insultans hominum furor omnia posset.

LECTIONES VARIANTES.

646. In Reg. videtur fuisse *Induerunt*, ex quo nunc remanet *Induunt*. Torn., Bas., Rom. pariter *Induunt*, quod Aldus etiam ediderat, sed in Erratis correxit per *Induerunt*. Neque enim *Induunt* cum metro stare potest. Ott., Poelm. in textu, Daventr., Fabr., Hadam., *Inducunt*. Germanam lectionem existimo esse *Induerunt*, correpta tertia, ut in similibus præteritis a poetis fieri solet.

648. Rom., Ald., *dominum, regemque salutant*. Reg., Ott., Fabr., *regem, dominumque*. Hadam., Poelm., *regem, dominumve*.

649. Reg., *Jude agentis*, correctum *Jude ægentis*, fortasse ut intelligatur *Judææ gentis*. Rom., Reg. a sec. m., Ald., Torn., Bas., *facieinque lavere* : quo respicit Daventr., *faciemque lavare*. Ott., Reg. a pr. m., Fabr., Hadam., Poelm., *faciem lavere*. Id tenendum : nam in præterito *lavere* prima est longa. *Lavit*, cum corripitur prima, est præsens a *lavo, lavis*.

652. Rom., *propere* ; lege *propriæ*. Rom., Ott., Reg. a pr. m., Ald., Bas., Torn., *ducebant*, quod elegans est. Reg. a sec. m. cum nonnullis editis *ducebat*.

653. Reg. *trahebat*. Rom., Ott., cum plerisque editis, *trahebant*.

654. Poelm., *cœpere* ; corrige, *cepere*.

655. Ott., *Cyrineæ gentis, lignumque afferre*. Rom., *Cyrenea genitum*, etc., Reg., *Cyrina genitum*, etc., cum glossa *ex patria*. Ita Daventr. et Westhem. in textu. Fabr., *Cyrene*. Hadam., Poelm., *Cyrenæ*. Ald., Bas., *Cyrena genitum* : ita etiam Torn., sed pro *lignumque afferre* habet *et lignum deferre*. Reuschius, *genitum lignum deferre*. Verba antiquarum versionum sunt *hominem Cyrenæum*, ut legitur etiam in Vulgata, vel *Cyrineum*, vel *Quirinæum*, vel *Cyrinæum*.

656. Mss. nostri, *jussis suffigere sævis*, sed in Ott. prius erat *figere*. Editi partim sic, partim *duris suffigere clavis* cum Aldo. Barthius, Koenigio teste, malebat *gumphis suffigere sævis*: *Gumphus*, sive *gomphus*, verbum Græcum, clavum denotat.

658. Rom., *Ast postquam perventum est* ; lege, *At postquam ventum est*. Reg. scribit *Gulgotha*, Ott., Poelm. *Golgotha*, Ott. pro d. s., Rom. cum aliis *Golgotha*, quæ scriptura in veteribus etiam versionibus reperitur.

659. Reg. a pr. m., Ott. a pr. m., Rom., *felle vinum*, quod non displicet, producta ultima in *felle* ratione cæsuræ. Editi omnes cum Reg., et Ott. a s. m. *felli*, quod etiam probum est.

660. Poelm. pro d. s. *tractare*, in textu cum aliis *tractata*.

662. Plerique, *insultans hominum furor*. Torn., *hominem*, pro *hominum*. Ald., Poelm., pro d. s., Bas., *immanis plebis furor*. In Rom., *insultans hominum omnia* ; deest *furor*. Ald., Bas., Torn., Daventr., *omnia possit*. Fabr., Hadam., Poelmann., *omnia posset*. Rom., *omnia poscet*. Reg., Ottobon., *omnia poscit*, sed fortasse in utroque fuit *omnia posset*, aut *poscet*. Existimo trajectionem versuum hoc loco esse : quos ego ita disponerem. *Ille sed in summo gustu tractata recusat. — Nec tamen insultans hominum furor omnia poscit. — Jamque cruxi fixum pendebat in arbore corpus, — Intactæque dedit tunicæ sub sorte per omnes — Militis unius servans possessio textum, — Ut satis antiquis fieret per talia dictis. — Et scriptum*, etc. Recole verba Matthæi XXXVII, 34 et 55 : *Et dederunt ei vinum cum felle mixtum. Et cum gustasset, noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes, ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem : Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem*. Ac fortasse servato reliquo ordine versuum, quem posui, post vers. *Ut satis* præstiterit

NOTÆ.

lor ex liquore pisciculi fiebat, ejusque rubor erat nigrior et intensior coccineo, qui ex grano cocci fruticis, sive ex vermiculis adhærentibus conficiebatur. Interdum purpureus color coccineo superaddebatur, ut gratior esset. Ex his Evangelistæ facile conciliantur. Nonnulli existimant, Christum veste purpurea indutum fuisse, insuper chlamyde coccinea circumdatum : nam chlamys pallium militare fuit rotundum, quo milites quodammodo circumdarentur. Juvencus huic interpretationi favet. Certum est, imperatores promiscue cocco et purpura indui consuevisse. Milites vero exprobrare Jesu voluerunt, quod regnum affectasset. Ex Juvenco confirmatur versio Itala codicis Vercellensis in Matthæo : *Et induerunt eum tunicam purpuream, et chlamydem coccineam circumdederunt ei*. Ita fere codex Turonensis S. Gatiani, et Origenes, ut observat Iricus in not. ad codicem Vercellensem. Accedit Sedulius l. v, vers. 164 : *Cumque datus sævis ad pœnam sanctus abiret — Militibus, vilem rubri sub tegmine cocci — Vestitur chlamydem, species ut cuncta cruentæ — Mortis imago foret*. Ubi alii legunt conjunctim *subtegmine*.

647. Ambrosius l. x in Luc., *Arundo quoque vel secundum Matthæum comprehenditur manu ejus, vel secundum Marcum caput ejus percutit*. Utrumque scilicet fiebat, et utrumque a Juvenco exprimitur : addit enim postea, *Vertice et in sancto plagis lusere nefandis*.

651. CAPUT XXI. *Jesus a Pilato judicatur, ad crucifigendum dicitur. Simon Cyrenæus lignum crucis ferre jubetur, Jesus item felle, et aceto potatur : in medio duorum latronum cruci affigitur ; super ejus vestem sors mittitur : blasphematur. Sol obscuratur, terra concutitur. Hinc Domini clamor ad Patrem, et mors ejus, et alia, quæ in morte ejus contigerunt*. Matth. XXVII, 31 seqq.; Marc. XV, 20; Luc. XXIII, 26; Joann. XIX, 16.

657. *Urgeo* cum infinitivo : vide not. ad vers. 446 l. III Dracontii.

658. Tertullianus in *Golgotha* mediam produxit : melius Juvencus, Cyprianus, et alii corripiunt.

660. *Tractata*, contrectata, tacta. Horatius l. II, ep. 1, vers. 255 : *Tractata notam, labemque remittunt — Atramenta*.

662. Accipe interpretationem Schœttgenii : *Christus ideo gustavit acetum, primo ut impleretur Scri-*

377 Jamque cruci fixum pendebat in arbore A [corpus,
Intactæque dedit tunicæ sub sorte per omnes
Militis unius servans possessio textum.
Et scriptum causæ titulum, meritique locarunt,
Quod rex Judææ plebis, gentisque fuisset.
378 Accidit, ut pœnæ pariter consortia ferrent
Latrones hinc inde duo : sed cæca furentis
Insultat plebis fixo vesania Christo :
Hic est, qui templum poterat dissolvere solus,
Hic est, qui trino lucis reparare meatu.
Sed nunc descendat soboles veneranda Tonantis,
Et crucis e pœna corpusque, animamque resolvat.
Hæc vulgi proceres vecordis dicta sequuntur;
Atque Pharisæi, Scribæque, et factio demens
Illudunt, motuque caput, linguasque loquelis
Insanis quatiunt æternæ ad vincula pœnæ.
Nonne alios quondam trucibus servare solebat
Morborum vinclis ? proh ! sese solvere pœnis
Non valet. En regem nostræ quem credere gentis
Debuimus : solvat ligni de robore corpus,
Tunc sanctis digne poterimus credere signis.
379 Confidit genitore Deo : dimittere pœna
Cur propriam non vult sobolem veneranda potestas?
Nec minus increpitant dextra, lævaque gementes

LECTIONES VARIANTES.

legere : *Nec tamen insultans hominum furor omnia* B *poscit*, aut *posset* : quia scilicet intactam tunicam reliqueruut, sortem super eam mittentes.

663. Poelm., pro d. s., Torn., *Cruci affixum*. Plerique mss. et editi, *crucifixum*, sed separandæ sunt dictiones *cruci fixum*, ut postrema in *cruci* producatur, quæ in compositione *crucifixum* corripienda esset ex regulis prosodiæ.

664. Poelm., in textu, Daventr., Ald. et alii, *Intactamque dedit tunicam*. Mss. nostri, et Poelm., pro d. s., *Intactæque dedit tunicæ*. Sensus nostræ lectionis est : Sub sorte per omnes, seu missa sorte pro omnibus, possessio, quæ uni scilicet militi contigit, dedit intactæ tunicæ textum, videlicet conservavit tunicæ suum textum. Ita enim factum est, ut non divideretur. Reuschius priorem scripturam præfert hac explicatione : Ut miles unicus textum integrum possideret, hinc factum est, ut possessio affectata a pluribus, quæ tamen uni solum cedere debebat, ac poterat, daret, seu mitteret intactam tunicam sub C sorte per omnes, hoc est, æquale jus unicuique tribuebat.

667. Plerique, *plebis, gentisque*. Reuschius, *gentis, plebisque*, ut cum regem Judææ gentis dixisset, ex mente impiorum Judæorum veluti corrigeret, non *gentis* rex fuit, sed *plebis*. Id Juvenco in mentem venisse non credo.

668. Reg., Ott., *pœnæ pariter*. Rom. *pariter pœnæ*. Editi etiam sic variant.

669. Rom., *duos* : corrige *duo*.

672. Mss., *trino* : sic editi plures; Ald. et alii, *terno*.

673. Reg., *sobolis venerando* : Rom., *soboles veneranda*, Ott. cum editis *proles veneranda*.

676. Ott. : *At Pharisei, Scribæque simul, et factio demens*. Cæteri, ut editum est.

678. Hadam., Poelmann., *æterna*. Mss. cum plerisque editis, *æternæ*, et glossa in Reg, *æternæ — quare hoc?* Obscurus sane locus est. Fortasse innuit Juvencus, id a Pharisæis factum, ut augerent pœnam. Aldus distinguit *Insanis quatiunt, æterna ad vincula pœnæ — Nonne alios quondam trucibus servare solebat — Morborum vinclis?*

680. Ald., Poelm., Hadam. : *Morborum vinclis? sese cur solvere vinclis*. Ita Rom., Fabr., sed *solvere pœnis*. Ott. : *Morborum vinclis? proprias cur vincere pœnas*, et prius fuit *cor* pro *cur*. Reg. : *Morborum vinclis? pro sese solvere pœnis*, et videtur fuisse *pœnas*. Intelligo, *pro* esse *proh!*

681. Torn., *et regem* : lege *en regem*.

682. Reg., Ottob., Daventr., Torn., Ald., Bas., *Debuimus*. Rom. cum nonnullis editis, *Debemus*.

683. Mss. cum Torn., *poterimus credere signis*. Poelm., Fabr., Hadam., *poterimus credere verbis*. Ald., Bas., Daventr., *valeamus credere verbis*, quod etiam in Rotomagensi reperiri testatur Fabricius in Comment., verbo *Poterimus penultima longa*. Pro *verbis* melius est *signis* : ita enim Judæi dicebant Matth. XXVII, 42 : *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei.*

685. Ald., *Cur non vult propriam*.

686. Rom., *dextera* : emenda *dextra*.

NOTÆ.

ptura : deinde primis tantum labris degustavit, ne omnia faceret, que furori plebis satisfacerent : de quo tamen meum judicium suspendo.

665. *Textum*, substantive pro panno, veste texta passim occurrit apud poetas. Joannes ait : *Erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum;* scilicet simili fere opere, quo nunc fiunt tibialia acu D texta. Videri potest Braunius, libr. I, cap. 16, de Vest. sacerd. Hebræor., n. 14.

666. Matthæus sic habet : *Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam*. Titulus et causa hac in re promiscue usurpantur. Confer disputationem Hankii *de titulo crucis*, et dissertationem Sam. Reyheri *de crucifixi Jesu titulis, et de hora crucifixionis*.

674. *Resolvat*, solvat, liberet. Hac enim significatione gaudet verbum *resolvo*.

682. *Ligni de robore* : vide not. ad l. I, vers. 478.

684 *Confidit genitore Deo*, ut h. libr. vers. 527 : *Confidit vindice ferro*, cum ablativo : cujus constructionis multa sunt exempla.

686. Glossa Reg., *Increpitant — increpant, vel ingeminant*. Matthæus et Marcus aperte affirmant, latrones, qui simul crucifixi erant, Jesu improperasse. Nonnulli interpretantur, eos neglexisse indicare hanc circumstantiam, quod unus tantum blasphemaverit, quam Lucas non omisit. Sed hoc pacto concordia recte inter evangelistas non initur. Si enim unus tantum blasphemavit, falsum est, quod duo blasphemaverint. Aiunt ergo alii, Matthæum et Marcum pluralem pro singulari posuisse more Hebræorum, qui ita aliquando loquuntur. Juvencus utrumque latronem vere blasphemasse credidit, cum dicat *dextra, lævaque*. Et id simile vero est, initio utrumque blasphemasse : sed postea cum unus blasphemare pergeret, alterum divino lumine illustratum veritatem agnovisse, quod tenet Badius. Maldonatus hanc opinionem tribuit Juvenco, Origeni, Athanasio, Euthymio, Theophilacto, Hilario, Chrysostomo quam etiam probabilem censuerunt Ambrosius, Hieronymus, Beda.

Affixi crucibus scelerum pro sorte latrones.
Jam medium cursus lucis conscenderat orbem,
Cum subito ex oculis fugit, furvisque tenebris
Induitur, trepidumque diem sol nocte recondit.
Ast ubi turbatus nonam conscenderat horam,
Consternata suo redierunt lumina mundo.
Et Christus magna Genitorem voce vocabat
Hebrææ in morem linguæ : sed nescia plebes
380 Eliam vocitare putat. Tum concitus unus
Cogebat spongo turpi, calamoque revincto
Impressum labiis acidum potare saporem.
Cætera turba furens tali cum voce cachinnat.
Spectemus pariter, cœlo ne forte remissus
Elias veniat, celsa qui in sede quiescit.
Liberet et miserum confixum stipite regem.
Tum clamor Domini magno conamine missus
Æthereis animam commitem comiscuit auris,
Scinduntur pariter sancti velamina templi,
381 Carbasaque in geminas partes disrupta [dehiscunt,
Et tremebunda omni concussa est pondere tel- [lus,
Dissiliuntque suo ruptæ de corpore cautes.
Tum veterum monumenta virum patuere re- [pulsis
Objicibus, justæque animæ per membra re- [versæ,
Et visum passæ populi per mœnia latæ
Erravere urbis : sic terrent omnia mundum.
Militibus primis quatiuntur corda pavore,
Dedita qui sævæ servabant corpora pœnæ,
Et sobolem dixere Dei, Christumque fatentur.

LECTIONES VARIANTES.

688. Ald. ediderat cum aliis, *cursus lucis*, in Erratis emendavit *cursu lucis* : scilicet sol conscenderat cursu lucis medium orbem, etc. Westhem., in textu, *conscenderat*, quod mss. et editi præferunt; ad marg., *transiverat*.

689. Daventr., *Cum subito fugeret oculis*. Bas., *Cum subita fugeret oculis* : ita Aldus edidit, sed in Erratis rescripsit : *Cum subito aufugit oculis*. Reg., Ott., Rom. *Cum subito ex oculis fugit*. Editi plerique : *Cum subito fugit ex oculis*. Scriptura nostrorum codicum proba est, quamvis *fugit* sit in præterito.

691. Reg., Ott., *conscenderat* : sic Aldus et nonnulli editi. Poelm. cum aliis, *transiverat*, quo respicit mendum in Rom. *transierat*.

693. Rom., Bas., Ald., *At* : alii, *Et*.

694. Rom., *sed nesciæ plebes — Eliam vocitare putant* : corrige *sed nescia plebes... putat*. Error etiam in Torn. *plebs* pro *plebes*. Probe enim *plebes* dicitur in nominativo singulari etiam ab optimis latinitatis auctoribus, Cicerone, Sallustio, Hirtio, Livio, Phædro, Lucano, Floro, Statio, Plinio, Claudiano, et aliis. Nominativus singularis *plebis* legitur etiam in veteribus inscriptionibus. Vide num. 51 Prolegom., ubi ex Reuschio narravi, in quodam ms. codice imperite scriptum esse *turba*, aut aliquam vocem similem pro *plebes*.

696. In Ott., ex *spongo* factum est *spungo*, uti etiam legebatur in codice Barthii. Facile enim litteræ *u* et *o* inter se permutantur. Communior scriptura est *spongo*. Græce ita dicitur σπόγγος, sed Latine vocari solet *spongia*. Nec difficulter credam a Juvenco scriptum *spongia*, duabus postremis per synæresin contractis : hoc enim vocabulo *spongia* Vulgata et Itala utuntur.

697. Rom., *portare* : corrige *potare*.

700. Ald., *qui sede*.

701. Rom., *e miserum* ; Ott., *et miserum*, pro *et misero* in aliis. Ald., Poelm., pro d. s. *crucifixum* : alii cum mss., *confixum*.

703. Ald., in textu, *Æthereis* ; in Erratis, *Ætheriis*. Utrolibet modo scribi potest. Plerique editi cum mss. nostris *Æthereis*. Rom., *Æthereisque*, ubi supervacanea est conjunctio *que*.

704. Rom., *Finduntur* pro *Scinduntur*, quod verius est.

705. Reg., *derupta*. Rom., Ott., *disrupta* : editi partim sic, partim *dirupta* ; sic Tertullianus, contra Jud. c. 13 : *Et monumenta dirupta sunt*.

706. Rom., *excussa* : lege *concussa*, nisi malis legere *omnis excussa est pondere tellus*.

708. Mss. cum plerisque editis, *monumenta* : nonnulli editi *monimenta*.

709. Mss., *justæque animæ* : ita etiam Ald., Bas. et Reuschius, quod placebat Gallandio, quamvis cum plerisque editis ipse ediderit *vivæque animæ*. Ut legamus *justæque animæ*, favet Evangelium : *Et multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt . . . et apparuerunt multis*.

710. Rom., mendose : *Et jussu pasce populi*. Barthius, in not. ad Paulinum Petrocorium p. 187. adjutus codice suo corrigebat : *Et visæ passim populo*, quod Schœttgenius optimum putabat. Reuschius retinuit *Et visum passæ populi* : sic Latini dicunt *pati contactum*. Mss. nostri, *latæ*, sed Ott., pro d. s., *lata*. Ex editis alii *latæ*, alii *late*.

711. Vide num recta sit conjectura *sic terrent omina mundum*.

714. Rom., *dextre Dei* : corrigendum est *dixere Dei*.

NOTÆ.

692. *Consternata*, perturbata, confusa. Ovidius, l. II Met., vers. 314, de solis equis eadem voce utitur.

694. *Plebes* : nonnulli putant, hos fuisse milites Romanos, qui linguam Hebræam nesciebant.

698. *Cachinno* et *cachinnor* est immoderate rideo. Hic sumitur pro irridere. Apuleius, l. III Met., simili sententia, *Exitium meum cachinnat*.

699. *Ne* pro *num* poni observat Kœnigius. Matthæus habet : *Sine, videamus, an veniat Elias*, etc.

703. Anima comes auris æthereis dicitur, quia est spiritualis, et nulli rei a nobis melius comparari potest, quam auris, quæ etiam spiritus dicuntur. Confer Prolegom. ad Prudent. cap. 15.

704. Duo erant vela in templo : aliud quo sanctuarium, sive sancta sanctorum a sancto dividebantur ; aliud quod in foribus ipsis sancti dependebat. Evangelistæ solum dicunt, velum templi scissum fuisse, quod plerique non de velo ante intimum advium oppanso, sed de velo exteriori exponunt. Juvencus poetice, ut puto, velamina in plurali posuit pro *velamen*.

705. Barthius, l. XXXV Advers. cap. 10, observat, poetis *carbasum* quodvis velum notare, aut quamvis texturam tenuem. *Carbasus*, et in plurali *Carbasa*, est genus lini tenuissimi, quod primum in Hispania Tarraconensi repertum docet Plinius l. XIX, c. 1. Hinc pro veste et velo e lino tenui sumi solet. Telam Baptiste, *Toile batiste* Gallice, Latine carbasum recte appellari ait Harduinus ad cit. loc. Plinii.

707. *Suo de corpore*, a monte ipso divulsæ cautes dissiliunt, vel de integro monte rumpuntur, et dissiliunt. Petronius Arbiter, carm. de bello civil. : *Rupta tonabant—Verticibus lapsis montis iuga*.

E speculis matres miracula tanta tuentur
382 Omnes, obsequium Christo quæ ferre solebant.
Jam decedenti vesper succedere soli
Cœperat, et procerum solus tum justior audet
Corpus ad extremum munus deposcere Christi.
Hic ab Arimathia nomen gestabat Ioseph,
Qui quondam verbis aures præstabat Iesu.
Pilatum tunc iste rogat, sibi cedere membra,
Queis nuper tulerat vitam vis horrida pœnæ.
Concessit præses, et corpus fulgida lino
Texta tegunt, saxique novo componitur antro.
Limen concludunt immensa volumina petræ,
E speculis servant matres, et cuncta tuentur.
Jamque dies rutilo complebat lumine terras,
383 Otia qui semper prisca de lege jubebat:
Nulla sed immitis procerum furor otia servat.
Conveniunt, oneranique simul sic judicis aures:
Erroris laqueos justissima pœna resolvit.
Nunc meminisse decet, quoniam planus ille solebat
Vulgari semper jactans promittere plebi,
E mortis sese tenebris ad lumina vitæ
Cum trino solis pariter remeare recursu.
Sed petimus, custos miles nova funera servet,
Ne fera discipulis furandi audacia corpus
Consurgat, turbetque recens insania plebem.
Et Pilatus ad hæc: Miles permittitur, inquit:
Servate, ut vultis, corpus tellure sepultum.
384 Conveniunt, saxique ingentia pondera volvunt,
Et limen signis, et saxum milite servant.

LECTIONES VARIANTES.

715. Rom., *Et speculis*, pro *E speculis*.

717. Rom., *Jamque decedenti*, Reg., Ott., *Jamque decidenti*: neutrum metro congruit. Ott., a s. m., Poelm., pro d. s., *Jam decedenti*: alii editi, *Jamque recedenti*.

720. Torn., *ab Arimathea*; alii, *ab Arimathia*: Aldus vero scribit *Abarimathia*. Vulgata habet *Arimathæa*: versiones veteres aliæ, *Arimathia*; aliæ, *Arimathæa*.

721. Mss. cum Torn., *præbebat Iesu*. In Ott., a pr. m., fuit *præbeat*, quod neque sensus, neque metri ratio a Juvenco usurpata ferre potest. Plerique editi, *præstabat Iesu*.

724. Ott., *præses, et corpus*, quod placet, correpta scilicet postrema in *præses* ratione cæsuræ. Reg., Rom. cum editis, *præses, sed*.

726. Ald., Bas., *Concludunt limen*. Alii editi cum mss. *Limen concludunt*.

735. Ald., Torn., et Bas., Græce scribunt πλάνος: sed minime id necesse est: Scribitur enim *planus* litteris Latinis a Cicerone, Gellio, Petronio, Horatio, Plinio, Capitolino, Arnobio. Neque oportuit, verba a Sabatierio ita trajici: *Nunc meminisse decet, planus quoniam ille solebat*: nam *planus* pro nebulone, sycophanta primam habet brevem. Horatius, l. I, epist. 17: *Nec semel irrisus triviis attollere curat — Fracto crure planum*. S. Augustinus, serm. 44, tom. V, col. 217, in hac ipsa re eodem vocabulo usus est: *Domine, audivimus, quia ille planus, id est, ille impostor, dixit discipulis suis, quia resurrecturus erit occisus*. Cum autem a Græco sermone hoc vocabulum apte sumatur, non video cur Fabricius in Comment. ad hunc versum verbo *planus* asserat, a Plani cujusdam protervia id vocabulum sumptum. Scio, nonneminem ita olim existimasse. Sed rationem desidero, non auctoritatem.

735. Reuschius monet, legendum *lumina vitæ*, non *limina*: tenebræ enim, et lumen hic clare opponuntur. In aliis pariter *lumina* invenio. Iterum vers. 757, *lumina vitæ*; et vers. 762, *luminis oras*.

736. Reg., Rom., Daventr., Ald., Bas., *Cum trino solis*. Ottob., *Cum solis trino*. Alii editi, *Cum terno solis*.

737. Rom., *Sed protinus*: corrige *Sed petimus*.

739. Reg., *replens*: quod fortasse fuit etiam in Ott., ubi nunc est *recens* cum Rom. et editis. Hæc vera est lectio: *Et erit novissimus error pejor priore*.

744. Mss. nostri cum Daventr., Ald., Bas., *Servare, ut vultis*. Poelm., Had., Fabr., Torn., *Servate, ut vultis*: quod præfero. Sic enim Evangelium: *Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite, sicut scitis*: et in antiquis versionibus, *Habetis custodes, Habetis milites*. Quod autem Juvencus ait: *Servate, ut vultis*, non autem, *Servate, ut scitis*, quod etiam, stante metro, poterat, id ita ab eo factum, ut rem ipsam explicaret. S. Augustinus serm. 44, tom. V: *Ait illis Pilatus: Habetis milites, ite, custodite, sicut vultis*.

742. In Reg., et Ott., a pr. m., videtur fuisse *saxisque*: nunc est *saxique*, ut in Rom. et editis.

743. Rom., *limite*: emenda *milite*.

NOTÆ.

715. CAPUT XXII. *Corpus Domini in sepulcro conditur*. Matth. XXVII, 57 seqq.; Marc. XV, 42; Luc. XXIII, 50; Joann. XIX, 38. *Specula* est locus editus, ex quo aliquid prospicimus. Venuste eadem sententia repetitur vers. 727. *E speculis servant matres, et cuncta tuentur*. Matres dici solebant quævis feminæ seniores: eratque id honoris vocabulum. Apud Plautum, Rud. I, 5, mulieres Ampelisca et Palæstra sic sacerdotem feminam salutant: *Jubemus, te salvere, mater*. Sacerdos respondet: *Salvete, puellæ*; idem accidebat in nomine *patris*. Utrumque nomen inter Christianos honoris causa religiosis viris feminisque defertur.

717. *Vesper, hesperus, vesperus*: vide not. ad l. III, vers. 569.

718. *Justior* pro *justissimus*: confer comment. ad Prudent. hymn. 12 Cath. vers. 77.

719. *Extremum munus*, ut l. II, vers. 20: *Ultima defuncto debentur munera patri*.

723. *Vis horrida pœnæ*: dictum de hac phrasi l. I, vers. 420.

724. Ulpianus, l. I, D., de cadaveribus punitor.: *Eorum, in quos animadvertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quam si fuerit petitum et permissum*.

725. *Componitur*: vide not. ad vers. 378 hujus libri.

726. Fortasse, *volumina petræ* dicit, ut postea, vers. 742: *Saxique ingentia pondera volvunt*. Arator, l. I, vers. 573, pro nocte: *Angelus adveniens tenebrosa volumina noctis — Reppulit, et subito micuerunt astra sereno*. In duobus mss. invenio *atra* pro *astra*.

728. CAPUT XXIII. *Sepulcrum ab armatis militibus custoditur*. Matth. XXVII, 62.

732. *Erroris laqueos*, ut l. III, vers. 12.

736. *Remeare*, h. e., remeaturum esse: tempus pro tempore, ut alibi explicatum.

739. *Consurgat*, surgat. Sic dicitur *discordia surgit, rumor surgit, dolor surgit, sententia animo surgit, iræ surgunt alicui*.

743. Matthæus ait: *Signantes lapidem*.

Sidera jam noctis venturo cedere soli
Incipiunt, tumuli matres tum visere septum
Concurrunt: motus sed terram protinus omnem
Concutit, et cœlo lapsus descendit aperto
Nuntius, et saxum tumuli de limine volvit:
Illius et facies splendet, ceu fulguris ignis,
Et nivis ad speciem lucent velamina vestis.
Militibus terror sensum discluserat omnem,
Et jacuere simul, ceu fusa cadavera letho.
Ille sed ad matres tali cum voce profatur:
Vestra pavor nullus quatiens nunc corda fatiget,
Nam manifesta fides, sanctum vos quærere [corpus,
Quod crucis in ligno scelerata insania fixit.
385 Surrexit Christus, æternaque lumina vitæ
Corpore cum sancto, devicta morte, recepit.
Visere jam vobis licitum est, quod sede se- [pulcri
Nulla isthic jaceant, fuerant quæ condita mem- [bra.
Dicite præterea celeri, properoque recursu
Discipulis, Christum remeasse in luminis oras,
Inque Galilæam lætum præcedere terram.

A His dictis, visisque animos perfuderat ardens
Lætitia attonitis stupor, ancipitique pavore.
Denique præcipiti celerantes gaudia cursu
Talia discipulis referunt, tumulumque relin- [quunt.
Ecce iteris medio clarus se ostendit Iesus,
Et fidas matres blande salvere jubebat.
Occurrunt illæ, et genibus, plantisque prehen- [sis,
386 Victorem lethi pavidæ venerantur Iesum.
Talibus ille dehinc præceptis pectora firmat:
Mentibus absistat fidei pavor omnis, et ista
Fratribus hæc nostris propere mandata referte.
Nostri conspectus si cura est, ite volentes,
Inque Galilæam propere transcurrite terram.
B Interea tumuli custodum exterrita corda
Mittunt e numero partem, quæ tanta referret
Judæis rerum miracula: sed manus amens,
Jam semel insano penitus devota furori,
Præmia militibus certatim magna rependit,
Et famam argento redimit, quod limine rupto
Furtim sustulerit corpus, defensa tenebris,
Occulte rapiens audacia discipulorum.

LECTIONES VARIANTES.

744. Rom., mendose, *qui* pro *jam*. Heinsius, Exercit. sacr. cap. 10, ad Marc. XVI, 2, sic allegat hunc versum: *Sidera jam noctis vicino cedere sole.* Sed *venturo* rectum est.

745. Sabatierius *tumulo*, pro d. s., *tumuli*, quod reliqui exhibent. In Reg. deest *matres*. Rom., *septem*: lege *septum*.

751. Hic est postremus versus in Rom., et illico additur, *Explicit Juvencus*. Fortasse librarius in codicem antiquiorem incidit, cui folium aliquod deerat, et existimavit nihil deesse.

752. Reg., *fosa*: lege *fusa*.

758. Ald., *sancta*: corrige *sancto*.

760. Parisina apud Omeisium, minus recte, legit *isthinc* pro *isthic*.

764. Torn., *persuaderat*: lege cum reliquis *perfuderat*.

765. Reg., Ott.: *Lætitia attonitis stupor, ancipitique pavore;* et glossa Reg.: *Lætitia ardens animos attonitis feminis perfudit, et stupor animos earumdem perfudit ancipiti pavore.* Ott., a s. m. Torn.: *Lætitia attonitos stupor ancipitique pavore*, nimirum animos attonitos lætitia, stuporque perfudit ancipiti pavore. Daventr., Ald.: *Lætitia attonitis, stupido, ancipitique pavore.* Fabr., Had., Poelm.: *Lætitia, attonitos stupido, ancipitique favore*, quod Reuschius arripuit, explicans *favore*, i. e., voce gratiam, bonaque omnia D annuntiante. Explicat Juvencus verba Evangelii *Cum timore et gaudio magno*. Igitur lætitia et pavor potius quam favor, commemoranda sunt. Quod si ex mss. *stupor* retinendum est, ita distinguam: *His dictis, visisque animos perfuderat ardens — Lætitia attonitos stupor, ancipitique pavore*, videlicet stupor ardens perfudit animos lætitia, ancipitique pavore attonitos. Vel *attonitis* hoc sensu, stupor feminis attonitis lætitia, ancipitique pavore perfuderat animos. Pro *ardens stupor* mallem *ingens stupor*, aut aliquid simile.

C 766. Mss. nostri cum Torn., Ald., Bas., *celerantes*: Fabr., Poelm., Had., *celebrantes*.

768. Mss. *iteris medio*: editi vel *iteris*, vel *viæ*.

769. Reg., *salvare*: lege *salvere*.

770. Reg., *illæ, genibus*, sine *et*.

771. Ald., *pavide*: alii *pavidæ*.

773. Fabr., *et isthæc*: alii, *et ista*.

774. Alii, *hinc*: alii *hæc*. Dividit Juvencus *isthæc* in *ista hæc*, ut alibi. *Hinc* nullius usus est. Ald., Bas., *referre*: alii editi cum mss. probe, *referte*.

775. Mss. cum plerisque editis: *Nostri conspectus si cura est*. Fabr., Had., Poelmann., in textu: *Noster conspectus si curæ est*. Conjiciat aliquis *ite volantes*: sed *volentes* elegantius est. Aliter visum Reuschio, qui hanc Schœttgenii conjecturam amplexus est. Multa profert Schœttgenius, quibus probet, *volare* sumi pro *celeriter ire*, et inde corrigit etiam in Statio, Theb. IV, 692, et Josepho Iscano, V, 91, eamdem phrasin: *Ite volantes*, pro *Ite volentes*.

776. Ald., Bas., *discurrite*: alii *transcurrite* cum mss., sed in Reg., mendose, *transcurrit*.

782. Ottob., *redimet*: emendatum per *redimit*.

NOTÆ.

744. CAPUT XXIV. *Christus tertia die resurgit a mortuis.* Matth. XXVIII, 1 seqq.; Marc. XVI, 1; Luc. XXIV, 1; Joann. XX, 1.

745. *Tumuli septum*: solebant enim ita fieri tumuli, ut septo concluderentur. Maldonatus, ad c. VIII Matth., ex forma veterum sepulcrorum ostendit, ea fuisse aut in rupibus excisa, aut lapideo, seu lateritio opere camerata, quales nunc sunt cellæ vinariæ: ex quo colligitur, facile in sepulcris dæmoniacos habitare potuisse.

751. *Discluserat*: occurrit hoc ipsum verbum l. III, vers. 162.

753. *Profatur ad matres*: sic Cicero de Univ. c. 11: *Tum ad eos is Deus, qui omnia genuit fatur.*

759. *Sede sepulcri*; ut vers. 371 h. l., *tumuli sedem.*

767. Prius posterius; prius enim reliquerunt feminæ tumulum, tum visa discipulis retulerunt.

777. CAPUT XXV. *Custodes pecunia corrumpuntur, ut resurrectionem celent.* Matth. XXVIII, 11 seqq. *Corda custodum*: h. e., custodes, ut l. III, vers. 153: *Scribarum pectora.*

780. *Devota*: Virgilius, l. I Æn. vers. 716: *Pesti devota futuræ.*

783. *Defensa tenebris*: Dracontius, l. III, vers. 276, *munita tenebris.*

Jamque Galilæos conscenderat anxia montes
Mandatis Christi concurrens turba suorum :
387 Cernitur ecce suis proles veneranda Tonantis.
Illum procumbens sanctus chorus omnis adorat,
Nec tamen in cunctis pariter fundata manebat
Pectoribus virtus : nam pars dubitabat eorum.
Tum sic discipulos clarus compellat Iesus :
In cœlo, et terris Genitor mihi cuncta subegit,
Me pater est vobis dignatus mittere lucem.
Gentibus haud aliter nunc vos ego mittere cunctis
Institui, vestrum est cunctas mihi jungere gentes :
Pergite, et ablutos homines purgantibus undis
Nomine sub sancto Patris, Natique lavate.
Vivifici pariter currant spiramina Flatus.
Ablutisque dehinc nostra insinuate docentes
Præcepta, ut vitam possint agitare perennem.
Nec vobis umquam nostra præsentia deerit.
388 Donec consumens dissolvat sæcula finis.
Has mea mens fidei vires, sanctique timoris
Cepit, et in tantum luxit mihi gratia Christi,
Versibus ut nostris divinæ gloria legis
Ornamenta libens caperet terrestria linguæ.
Hæc mihi pax Christi tribuit, pax hæc mihi sæcli,
Quam fovet indulgens terræ regnator apertæ
Constantinus, adest cui gratia digna merenti,

LECTIONES VARIANTES.

786. Reg., Ottob., Daventr., Torn., Ald., Bas., *concurrens turba :* Fabr., Hadam., Poelm., in textu, *concursans turba.*

787. Ald., Bas., *esse :* alii *ecce.*

788. Plerique editi, *sanctus chorus.* Fabric., *sancte.* In mss. Reg. et Ott., a pr. m., videtur fuisse *sanctum* pro *sanctorum*, vel *sanctum* nempe *illum :* a sec. m. in Ott. est *sancte ;* in Reg., *sanctus.*

790. Reg., *pars credebat eorum :* melius *dubitabat*, ex Evangelio.

796. Reuschius suspicatur *ablatos homines*, h. e., a mundi cœno abductos. Legerem potius *adductos*, vel *adjunctos*. Scripturam communem, ne rebaptizationem innuat, Reuschius explicat de ablutione sordium, et de baptismo, seu lavacro ignis et spiritus.

798. Ald., Bas., Poelm., pro d. s., *vivant :* alii editi cum mss., *currant*. Torn. *spiramine*, nempe vivifici Flatus currant spiramine : melius plerique, *spiramina*. Reuschius non adeo improbat *vivant spiramine*, si intelligantur *homines abluti*. Sed alia est sententia Evangelii.

801. Reg., *nostra præsentia*, quod verum puto, producta ultima in *nostra* sive ratione cæsuræ, sive potius ob duas consonantes dictionis sequentis. Editi cum Ottob., *nostri præsentia*. Evangelii verba sunt : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*

803. Barthius codici suo ascripserat : *Hæc clausula non est in meo ms. Non dubito tamen esse Juvenci.* Exstat in omnibus impressis et reliquis manu exaratis codicibus, quos Omeisius viderat.

804. Ald., *Cœpit :* lege *Cepit*. Reg., Ott., *in tantum lucet ;* sed in Ott., a pr. m., *in tantam*, mendose. Editi, *in tantum luxit*.

805. Westh., in textu, *gratia legis ;* ad marg., cum aliis, *gloria legis*.

806. Ald., Bas., *tulerit :* alii, *caperet*.

808. Ott., *Quem :* correctum *Quam*.

809. Reg., Ott., Ald., Torn., West., Bas., Davent., Fabr., Had., Poelmann., in textu, *gratia digna merenti*. Poelmann., pro d. s., *gloria digna*. Cant., *gratia diva*, quod a glossatore aliquo esse censet Reuschius.

NOTÆ.

785. CAPUT XXVI. *Jesus in Galilæa discipulis apparet, præcipiens, ut Evangelium prædicent, et credentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizent.* Matth. XXVIII, 16 seq. ; Marc. XVI, 15.

797. *Sub* pro *in*, ut alibi dictum.

798. *Vivifici :* vox Ammiani et Apuleii, a multis scriptoribus Christianis præsertim in libris liturgicis usurpata.

799. Matthæus ait : *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, etc. *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Reuschius animadvertit præcepisse Christum, ut prius edoctos præcepta Dei sacro fœderis novi lavacro abluerent. Hoc ipsum animadvertit in Juvenco Richardus Simonius, Histor. Crit. Comment. N. T. c. 23, quasi Juvencus ordinem inverterit. At Matthæus doctrinæ ante et post baptismum meminit.

801. *Deerit :* sic dissyllabum a poetis adhiberi consuevit.

802. *Consumens*, consummans. *Usque ad consummationem sæculi.*

803. CAPUT XXVII, *sive Epilogus. Juvencus favisse sibi Christum, ut exigeret hoc opus, gloriatur. Hinc Constantinum imperatorem laudat.*

804. *In tantum :* de hac phrasi dixi in comment. ad Prudent. vers. 153 Hamart., et in not. ad Dracont. l. II, vers. 659. Juvencus Spiritus sancti gratiam sibi adesse postulaverat l. I, vers. 34.

807. Æmulatur Virgilium, in fin. l. IV Georg., sed majori elogio Constantinum ornat, cui pacem sæculi, et religionis christianæ incrementum ascribit. Emeritæ in Hispania egregia de Constantino inscriptio exstabat, relata a Baronio ad annum 312, num. 86, ex Aldo, post schol. in comment. Cæsaris. Hac autem inscriptione non solum refellitur calumnia Zosimi, qui tradit, Constantinum novis semper vexasse populum tributis, verum etiam mirum in modum confirmatur, eum omni officiorum et beneficiorum genere de christiana religione optime meritum fuisse. Placet hoc loco inscriptionem ipsam repræsentare, quamvis, ut puto, fideliter exscripta non fuerit.

IMP. CAES. FLAVIVS
CONSTANTIN. AVG.
PACIS ET IVSTITIAE
CVLT. PVB. QVIETIS
FVND: RELIGIONIS
ET FIDEI AVCTOR
REMISSO VBIQVE
TRIBVTO FINITIM.
PROVINC. ITER.
RESTAVR. FEC.
CXIIII.

Baronius nimis effusum titulum *auctoris religionis et fidei* ait esse : sed recte exponit, ita Constantinum vocari, quod pietatis christianæ mirificus illustrator esset ac propagator. Idem Constantinus Romæ in arcu suo triumphali *Fundator quietis* dicitur.

808. *Terræ apertæ*, patentis.

809. Qui Constantini baptismum ad obitum ejus dilatum nolunt, nonnullum argumentum ex hoc loco petere possunt. Certe vix majus aliquid de homine christiano perfecto dici potuisset. Non multis ante annis Matthæus Aimerichius, doctrinæ magna et diuturna laude conspicuus, post suum Novum Lexicon Historicum et Criticum, dissertationem edidit *de duplici Constantini Magni baptismate*, *Romano*

810 **389** Qui solus regum sacri sibi nominis hor- A Æternam capiat divina in sæcula vitam
[ret 813 Per Dominum lucis Christum, qui in sæcula
Imponi pondus, quo justis dignior actis [regnat.

LECTIONES VARIANTES.

810. Ott., Had., Poelmann., *numinis*, quod fortasse fuit, a pr. m., in Reg., ubi nunc est *nominis*, ut in Ald., Daventr., Westh., Torn., Fabr., Bas., aliisque. Revera magis placet *nominis*, ut recte vers. seq. respondeant hæc verba, *Quo justis dignior actis*. Sive autem intelligas, Constantinum pontificatum maximum recusasse, sive noluisse, se deum appellari, ut priores imperatores consueverant, recte procedit lectio: *Qui solus regum sacri sibi nominis horret — Imponi pondus*. Reuschius edidit *sacri sub nominis;* sed cum discrepantiam lectionis non advertat, credere oportet, excidisse *sub* pro *sibi*.

811. Reg., Ott., *qui justis:* Ott., a sec. m., cum editis, *quo justis*.

813. Reg., Ott., Torn., Ald., Bas., Daventr., Fabr., *Per dominum lucis Christum*. Hadam., Poelm., in textu, *Per Dominum nostrum Christum*. Prior scriptura verior est. Sic etiam hoc libr. IV, vers. 656: *Quo dominum lucis jussis suffigere sævis*. Christus sæpe *auctor*, *repertor*, *dominus lucis* dicitur. Legesis Wopkensii notam ad Sedulium, l. III, vers. 114. Post ultimum hunc versum, Reg. et Ott.: *Finit*, etc., ut in Proleg. num. 48, 49, exposui. In quodam codice bibliothecæ Laurentianæ Mediceæ desideratur ultimus versus *Per dominum* lucis, ut observavi num. 45 Prolegomenωn.

NOTÆ.

uno, *Nicomediensi altero*. Contrarium est paradoxon B doctæ feminæ Gabrielis Carolæ Patiniæ in epistola de Phœnice, quæ negat, Constantinum christianæ religioni addictum fuisse, merito ab aliis rejectum. Juvencus innuere videtur, Constantinum nomen Pontificis maximi recusasse: quam sententiam multis probat Jacobus Gothofredus, in epistola ad Andream Rivetum, de interdicta Christianorum cum Gentilibus communione, et tuetur Pagius ad Baronii Annal., anno 312, ut alios omittam.

812. Epitheta commutat: aptius enim videretur *divinam vitam*, *æterna sæcula*.

APPENDIX.

JUVENCO OPERA ATTRIBUTA.

LIBER IN GENESIN.

CAP. I. *Principio Dominus cœlum, terramque locavit:* C
Namque erat informis, fluctuque abscondita tellus,
Immensusque Deus super æquora vasta meabat;
Dum chaos, et nigræ fuscabant cuncta tenebræ,
Has dum sidereo disjungit cardine, fatur:
Lux fiat, et læto nituerunt omnia mundo.
Cumque Deus primi complesset facta diei,
Condidit albentem nebulis nascentibus æxem.
Accipit immensus errantia littora pontus,
Multiplices rapiens validis cum tractibus amnes.
Tertia lux faciem terrarum fulva retexit.
Arida mox posito narratur nomine terra.
Florea ventosis consurgunt germina campis,
Pomiferique simul procurvant brachia rami.
Quarta die generat solis cum lampade lunam,
Et stellas tremulo radiantes lumine pingit.
Hæc elementa dedit subjecto insignia mundo,
Tempora quæ doceant varios mutanda per ortus.
Quinta die accipiunt liquentia flumina pisces,
Et volucres varia suspendunt corpora penna.
Sexta pater gelidos in spiras lubricat angues,
Quadripedumque greges totos diffundit in agros,
Cunctaque multiplici mandavit crescere passim
Germine, et immensis errare, et pascere terris.

De hoc Carmine sermonem habui Prolegomen. num. 16 seq. Prima quatuor capita ex veteribus editionibus edidit Andreas Rivinus hoc titulo: *Cæcilii Cypriani, seu potius Q. Septimii Florentis Tertulliani Genesis*. Subjicio Martenii notas, quibus paucas meas D addo, aut intersero.

Vers. 1. Editi legunt *creavit*, quam vocem usurpat Vulgata versio, Juvenco ignota. MARTENE. — Itala versio *fecit*.

2. In Vulgata editione legimus, *Terra autem erat inanis et vacua*. At antiqua versio Italica, quam citat Augustinus, habet: *Terra autem erat invisibilis et incomposita*. MART. — Rivinus ex conjectura legit *Jamque* pro *Namque*. Cum Augustino legunt alii apud Sabatierium.

5. Paulo aliter hunc versum legit Pamelius, hoc nimirum modo: *Has dum disjungi jussit de cardine, fatur*. MART. Ante Pamelium sic legerant Morelius et Fabricius.

6. Editi, *claro et*, pro quo Morelius legit *clare*. MART. — Fabricius legit *Lux fiat, et claro*. Junius apud Rivinum, *Lux fiat, claro nituerunt*.

7. Fabr.: *Cum Dominus primi*. Sic etiam Morelius.

9. Edit., *verentia*. MART. — Lege *verrentia*. Sic enim Fabr., *verrentia littora* post Morelium.

13. Rivinus ex ingenio reponit *gramina* pro *germina*.

15. Nihil notat Martenius: sed Fabricius habet *Quarta dies*, quod metro cohæret.

16. Edit., *fingit*. MART. — Longe melius est *pingit*.

19. Edit., *At quinta*, omisso *die*, non ita bene. MART. — Editores veteres, ut metro consulerent, rescripserunt. *At quinta accipiunt*.

20. Hunc versum ita legit Pamelius: *Et volucres varias suspendunt aere pennas*. MART. — Cum Pamelio facit Fabricius, sed *corpore* pro *aere*.

21. Edit., *Sexta prægelidos*. MART.

22. Fabr., *Quadrupedumque*.

Hæc ubi constituit divina potentia jussu,
Rectorem inspiciens mundanis defore rebus,
Hæc memorat : Hominem nostris faciamus in un-
[guem
Vultibus assimilem, toto qui regnet in orbe.
Et licet hunc solo posset componere verbo,
Ipse tamen sancta dignatus ducere dextra,
Inspirat brutum divino a pectore pectus.

CAP. II. *Quem postquam effigie formatum ceu sua*
[vidit.
Melitur solum mordaces volvere curas.
Ilicet irriguo perfundit lumina somno,
Mollius ut vulsa formetur femina costa,
Atque artus mixta geminos substantia firmet,
Inditur et nomen, vitæ quod dicitur, Eva.
Quapropter nati linquunt de more parentes,
Conjugibusque suis positis cum sedibus hærent.
Septima luce Deus factorum fine quievit,
Sacratam statuens venturi ad gaudia sæcli.
Ilicet exhibitis animantum ex ordine turbis,
Viritim cunctis nomen, quod permanet, indit
Adamus, donata sibi prudentia solers.
Quem Deus alloquio, junctam dignatur et Evam :
Crescite multimodo ventura in tempora partu,
Ut polus, et plenæ vestro sint germine terræ,
Hæredesque mei, varios decerpite fructus,
Quos nemora, et pingui reddunt de cespite campi.
Hæc ubi disseruit, tæta paradisus in aula
Instruitur, primique aspectat lumina solis.
Gignitur hæc inter pomis lethalibus arbos,
Conjunctum generans vitæ, mortisque saporem.
Ædibus in mediis puro fluit agmine flumen,
Quo rigat insignes liquidis de fluctibus ortus,
Quadrifidosque secat undanti ex fonte meatus,
Fisonus auriferis prædives fluctuat undis,
Conspicuasque terit rauco de gurgite gemmas,
Prasinus huic nomen, illi est carbunculus ardens,
Perspicuisque vadis terram prælambit Evillam.
Post hunc Æthiopas Gehon allapsus opimat.
Tertius est Tigris, Eupnrati adjunctus amæno,
Assyriam celeri discretim flumine sulcans.
Hic positus custos Adamus cum conjuge fida ;
Atque opifex tali formatur voce Tonantis :
Ne trepidate simul licitos prœcerpere fructus,
Quos nemus intonsum ramo frondente creavit,
Solliciti, ne forte malum noxale legatur,
Quod viret ex gemino discreta ad munia succo.
Nec minus interea cœcos nox alta tenebat,
Ac modo formatos vestis non texerat artus.

CAP. III. *Has inter sedes, et baccis mitibus hortos*
Spumeus astuto vincens animalia sensu,
Serpebat tacite spiris frigentibus anguis ;
Livida mordaci volvens mendacia sensu,
Femineo tentat sub pectore mollia corda :
Dic mihi, cur metuas felicia germina mali ?
Numquid poma Deus non omnia nata sacravit?
Atqui si studeas mellitos carpere victus,
Aureus astrigero redibit cardine mundus.
Illa negat, vetitosque timet contingere ramos ;
Sed tamen infirmo vincuntur pectora sensu.
Ilicet ut niveo jam mitia dente momordit,
Affulsit nulla maculatum nube serenum.
Tum sapor illecebram mellitis in faucibus indens
Perpulit insueto munus deferre marito.
Quod simul ac sumpsit, detersa nocte, nitentes
Emicuere oculi, mundo splendente, sereni.
Ergo ubi nudatum prospexit corpus uterque,
Quæ pudenda vident, ficulnis frondibus umbrant.
Forte sub occiduo Domini jam lumine solis
Agnoscunt sonitum, trepidique ad devia tendunt.
Tum Dominus cœli mœstum compellat Adamum :
Dic, ubi nunc degas ? Respondit talia supplex :
O Domine, affatus pavido sub corde tremisco.
Magne, tuos, nudusque metu rigente fatigor.
Tum Dominus : Quis poma dedit noxalia vobis?
Tradidit hæc mulier, dum dicit, lumina promptim

27. Fabr., *Hæc memorat : Nostris hominem faciamus ad unguem.* Morelius ita, sed *in unguem.*

29. Edit., *hunc uno.* MART.

31. Edit., *in pectore,* longe melius noster ms. *a pectore.* MART. — Fabricius jam ediderat *a pectore.*

32. Rivinus, Barthii conjecturam secutus, legit *effigies formatum cui sua vidit.*

36. Edit., *mixtu gemino.* MART.

37. Fabr., *vivæ* pro *vitæ.*

40. Edit., *Septima quando Deus.* MART.

41. Edit. hunc versum ita legunt : *Sacrata statuens venturi gaudia sæcli.* MART. — Fabricius interpungit *Sacrata, statuens.*

43. Rivinus conjicit, *Virtutem cunctis nomen, quod permanet, indit.*

44. Edit., paulo aliter, *Adami a Domino donata prudentia solers.* MART. — At Fabricius, metri sollicitus, reposuit, *Adami a Domino data quæ prudentia solers.*

55. Barthius pro *ortus* suspicatur *ornos*, Rivinus mallet *hortos.*

56. Fabr., *undante.*

57. Fabr., *Phison.*

60. Edit., *Evilat.* MART.

64. Rivinus vult *Adam* pro *Adamus.*

68. Edit., *legatis.* MART. — Barthius conjicit, plaudente Rivino, *ne fors malum* pro *ne forte malum. Malum noxale,* pomum noxale, ut infra vers. 97, *Quis poma dedit noxalia vobis ?*

71. Morelius *vestis nec*, Fabricius *nec vestis.*

72. Edit., *ortus.* MART.

78. Edit., *nota sacravit.* MART.

79. In ms. nostro legitur : *Ad quis ;* editi, *E queis.* MART. — Fabr., *E quîs.* Martenius in textu edidit *Adqui* pro *Atqui.*

80. Edit., *remeabit cardine.* In Vulgata serpens promittit scientiam boni et mali, *Eritis, sicut dii, scientes bonum, et malum.* MART.

85. Fabr., *mellitis faucibus*, quod certe lex metri postulat.

86. Edit., *Compulit.* MART. — Rivinus cum Cauchio *insuetum* pro *insueto.*

90. Edit., *Cumque pudenda.* MART. — Fortasse *Quæque pudenda* pro *Quæcumque*, ut *quisque* pro *quisquis, quicumque.*

96. Edit., *metu frigente.* MART.

98. Hæc in Vulgata non reperimus dicta fuisse Adamo a muliere ; sed ea Juvencus in antiquiori potuit versione legere. MART. — Huc fortasse pertinet sententia versus 80, *Aureus astrigero redibit cardine mundus.* Ita auctor carminis intelligit verba

Candenti perfusa die, liquidumque serenum
Affulsisse sibi, solemque, et sidera cœli.
Protinus ira Dei turbatam territat Evam,
Auctorem vetiti dum quærit Maximus acti.
Illa sub hæc pandit : Serpentis suasa loquelis
Accepi, fallente dolo, blandoque rogatu.
Nam sua vipereis intexens verba venenis,
Hæc mihi præ cunctis narravit dulcia pomis.
Ilicet Omnipotens condemnat gesta draconis,
Præcipiens, cunctis invisum vivere monstrum,
Pectore mox fuso prorepere, tum sola morsu
Mandere : mansuro quæcumque in tempora bello,
Humanos inter sensus, ipsumque labentem
Vertice, ut abjecto pronus post crura virorum
Serperet, et calces, dum labens cominus instat.
Femina fraudigeris misere decepta suadelis
Præcipitur duro discrimine ponere partum,
Servitiumque sui studio perferre mariti.
Tu vero, cui visa fuit sententia verax
Conjugis, immiti cessit quæ victa draconi,
Deflebis miserum per tempora longa laborem.
Nam tibi triticeæ surget pro germine messis
Carduus, et spinis multum paliurus acutis.
Ut cum visceribus lassis, et pectore mœsto
Plurima sollicitos præstent suspiria victus,
Donec in occiduo venientis tempore mortis,
Unde geris corpus terræ reddare jacenti.
His actis, Dominus trepidis dat tædia vitæ,
Dejectosque procul sacratis dimovet hortis,
A *Obversosque locat, medioque eliminat igni,*
In quo perceleri Cherubin evolvitur æstu,
Dum calidus defervet apex, flammasque volutat.
Quis Dominus, pigro ne frigore membra rigerent,
Consuit evulsas pecudum de viscere pelles,
Operiens nudos calidis de vestibus artus.
CAP. IV. *Ergo ubi conjugio sese jam fidus Adamus*
Esse virum sensit, nomen genitricis amatæ
Exhibet uxori binos e germine fœtus.
Continuo genitor diversis nuncupat orsis :
Is Cain hic nomen habet, cui junctus Abelus
Innocuas multa servabat cura bidentes.
Ast alius curvo terram vertebat aratro.
Hi cum perpetuo ferrent sua dona Tonanti,
Dissimiles fructus, sensu suadente, dedere.
B *Nam prior, uberibus fuerant quæ prosata glebis,*
Obtulit; ast alius miti se devovet agno,
Exta gerens sincera manu, adipemque nivalem,
Confestimque placet Domino pia vota tuenti.
Quod propter gelida Cain incanduit ira,
Quem Deus alloquio dignatus, talibus infit :
Dic mihi, si rectum vivas, et noxia cernas,
Degere num possis contracto a crimine purus ?
Desine mortali fratrem disperdere sensu,
Qui tibi seu domino subjectus colla præbebit.
Nec tamen his fractus fratrem deducere ad arva,
Atque ubi deprensum deserti in gramine vidit,
Elidit geminis frendens pia guttura palmis.
Quod factum Dominus cœlo speculatus ab alto,

Genesis, *Aperientur oculi vestri*. Mar. Victor l. i Gen. : *Atque ideo angustos homini fas carpere fructus — Noluit esse Deus, ne mentis nube remota — Immittant in cœlum oculos, atque optima noscant, — Sintque deis similes.*

103. Edit., *loquentis*, Longe melius in nostro ms., *loquelis*. MART.

105. Edit., *visere*. MART. — Barthius jam ex conjectura restituerat *vivere*, quod placuit etiam Rivino.

110. Fabricius cum Morelio, *Pandere*, Pamelius, *Prendere*, Rivinus, ex Barthii conjectura, *Pascere*. Addit Rivinus, minus male esse *Prendere*, quam *Mandere*. Lectio Fabricii *Pandere sola*, h. e., terram, non intelligitur. Vulgata, *Terram comedes*. Alii veteres, *Terram edes*, *manducabis*, *Terra erit tibi cibus*. Ex quo confirmatur scriptura *Mandere*. Virgilius l. xi, vers. 668 : *Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam — Mandit humum*.

111. Edit., *labantem*. MART. — Rivinus conjicit, *ipsum* esse serpentem, sed locum corruptum putat. Paulo post occurrit *labens*, prima producta. Hoc loco corripitur, si legatur *labentem*.

113. Edit., *ut calces*. MART. — Rivinus emendabat, *Serpat, at hunc calcet, dum bellans cominus instat*.

114. Fabr., *decepta loquelis*. Sic enim metro consulitur.

116. Rivinus interpungit : *Servitiumque sui studio, perferre, mariti :* non enim servitium sui mariti perfert, sed potius dominium, quod eam facit servam esse, et hanc injuriam ferre sui mariti studio.

121. Proba etiam in suo centone hunc versum mutuata est a Virgilio, eclog. v, vers. 39 : *Carduus, et spinis surgit paliurus acutis*. Auctor hujus carminis interdum ex Virgilio et aliis hemistichia in rem suam profert.

123. Rivinus emendabat, *sollicitus præstet suspiria victus*, vel cum Fabricio, *sollicitos præstent suspiria victus*. Ita edidit Martenius, sed non observavit, alios editos legere *sollicitos præstet suspiria victus*.

131. Veteres, ut notat Marius Victorinus, *quis* solebant pro *queis* et *quibus* usurpare, atque ita hic auctor non semel. MART.

133. Fabr. et alii scribunt *Opperiens*, ut prima producatur.

136. Edit., *bino qui gemine* (lege *germine*) *factus*. MART.

138. Edit., *Atque Cain hic nomen habet*. MART. — Forte *Cainus hic nomen habet*.

139. Edit., *videntes*. At veteres *v* litteram pro *b* persæpe usurpabant. MART. — In nonnullis editis, mendose, est *videntes*, sed in Fabricio et aliis, clare, *bidentes*, hoc tamen discrimine a Martenio non animadverso : *cui junctus Abelus : — Innocuas hujus servabat cura bidentes*, quod factum, ut cum *cura* in nominativo constet versus.

145. Fabr. : *Exta manu sincera gerens, adipemque nivalem*. Quæ discrepantia lectionis Martenium fugit, et ad majorem versus elegantiam pertinet.

147. Junius pro *gelida* malebat *rapida* aut *gravida*.

149. Vulgata : *Nonne si bene egeris, recipies : sin autem male, statim in foribus peccatum aderit ?* Auctor carminis, ex Itala versione : *Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti*. Vide Sabatierium.

150. Fabr., *non* pro *num*.

152. Fabr., *daturus* pro *præbebit*, quod a metro respuitur.

153. Fabr., *Fratrem deducit ad arva*.

154. Edit., *deserto*. MART.

155. Edit., *franges*, idque ex conjectura. Nam codex ms. legebat *fraudans :* melius codex noster *frendens*. MART. — Fabricius edidit *fraudans*, quod approbat Rivinus a *fraude*, damno. Pamelius correxerat *frangens*.

156. Fabr., *celso*. Morelius, rectius, *cælo*.

Disquirit, quonam terrarum degat Abelus.
Ille negat, positum custodem se fore fratris.
Cui Deus effatur : Nonne vox sanguinis ejus
Ad me missa sonat, celsumque ascendit ad axem?
Nosce igitur mansura tibi pro crimine tanto;
Nam modo quæ maduit germani sanguine terra,
Inviso maledicta tibi commissa negabit
Semina, et absumptis fructum non proferet herbis.
Torpidus ut multo collidens membra tremore,
Funere ceu juncto semper suspiria ducas.
Territus ille gemit, mortemque a numine poscit :
Quæ tamen infenso non est concessa Tonante ;
Nam malo promeritus signo fit notus inusto,
Sternere ne ferro liceat cuicumque nocentem,
Ne majus septina parent discrimina funus.
Ilicet a facie Domini, ceu perditus, exit.
Ædibus obversis Naidæ in cespite terræ,
Nec minus ex natis, genitrix quos fida creavit,
Nomine primævis sublimem condidit urbem.
Enochus Naida creat, ac deinde Malechum,
Quo Matusalamus sensim genitore sub auras
Exiit, et longæ produxit tempora vitæ.
Ast Amalech, dirum qui percutit ense Cainem,
Perpetitur cæso multum graviora nocente.
Crimina nam meritum decies septina coercent.
Conjugibus hic facta gemens sese increpat ultro,
Quarum prima fuit Ada, atque altera Sella.
Aelum sed prima creat, qui pastor in arvis
Gramineis læta pecudes pascebat in herba.
Jobalus quem deinde subit, qui musica plectra
Repperit, et vario concordes murmure chordas.
Tobellum mox Sella parit, cui fundere rivos
Æris erat moris, ferrumque incude subactum
Diversis formare modis, stridente camino :
Quem Noema sequens uno genitore creata.
Hæc inter vegetis Adam non languidus annis,
Sethum progenerat post mortem mitis Abelis,
Enochum is deinde creat, cui candida corda
A *Largitus Dominus, hoc se poscente rogari*
Annuit, et placidæ suscepit munera mentis.
CAP. V. *Nongentos igitur postquam complerat Adamus,*
Ter denosque annos, sopitus morte quievit.
Longævusque dehinc nongentos quinque per annos
Enochus vixit, quem Cainanus adæquans
Quinque fuit tantum protentis longior annis.
Junior hoc iterum ter denis decubat annis.
Malaleela senex ter denis, deinde Jaretus
Atque tribus vixit longo constrictior ævo.
Enochus, cui cura fuit servire Potenti,
Et mentem sociare Deo, sajunior istis
Ter centum explicitis, si quinque adjungere cures,
Sexies et denos, subita caligine tectus
B *Abditur, et Domino multum miscrante remotus,*
Felicem placido vivit cum tempore vitam.
At Matusalamus nongentos porrigit orbes,
Septies et denos, unum quis jungere jus est.
Lamechus hoc patre satus, Noele creato,
Talia disseruit, dum vatum more futura
Prævidet, et sensus venturum mittit in ævum ;
Hic secura dabit nobis commercia vitæ,
Et durum removebit onus, pacemque reducet,
Quæ factis est pulsa malis, nostroque reatu,
Tristibus et dextris, quarum sulcata labore
Terra negat fructum, Domino maledicta loquente.
Septies hic centum vixit, septemque per annos,
Septuaginta super positis, ut summula poscit.
Hoc generante, probis Noelus nobilis actis
C *Editur, innocuo daturus semina sæclo,*
Tresque creat natos, Sethum, Chamumque, Jafetumque,
Innumerum solitos mollitum tundere ferrum,
Et scintillantes promptim procudere massas.
CAP. VI. *Sexies hic vates centum jam vixerat annis,*
Cum Dominus diri pertæsus crimina mundi,
Multimodosque hominum longa sub luce reatus,

159. Ita etiam edidit Morelius. Edit. ex conjectura restituunt *numnam vox*. MART.

160. Edit., *descendit:* melius codex noster *ascendit*. MART.— Fabricius jam ediderat *celsumque ascendit*.

164. Fabr., *assumptis*, pro *absumptis*.

165. Junius, ut carmen concluderet, *Torpidus et multo collides membra tremore*. Alii, *ut multo collidens*, qui etiam notarunt, deesse finem. Reliqua ex solo Martenii codice proferuntur.

167. Hæc procul sunt a Vulgata versione, ubi Cain non petiisse, sed timuisse mortem repræsentatur: *Omnis igitur*, inquit, *qui invenerit me, occidet me*. MART.

173. Juxta Vulgatam, Cain *profugus habitavit in terra ad orientalem plagam Eden*. At juxta Hieronymum, in libr. Quæstionum Hebraic., *habitavit in terra Naid*. Atque ita etiam Septuaginta interpretes. MART.— Hieronymo concinit Eucherius Lugd. in Genes.

175. Quærit S. Augustinus, in libr. Quæst. in Genesin, quomodo Cain potuerit condere civitatem, *cum civitas alicui constituatur hominum multitudini*, solosque duos parentes et duos eorum natos Scriptura commemoret: respondetque, duos illos natos plures alios et genuisse, eorumque filios etiam genuisse filios, et filias, quorum nomina Scriptura non enuntiat. MART.

D 176. Unicum Enocho natum tribuit Vulgata, nempe Irad, Irado Maviael, Maviaeli Mathusael. MART. — Auctor carminis fortasse scripsit: *Enochus Irada creat, Irad Maviael* vel *Mavielum*.

179. *Amalech* hic ponitur pro *Lamech*. MART.

184. Pro *Aelo* Vulgata habet *Jobel;* atque ita etiam legit Augustinus, in libr. xv de Civitate Dei, cap. 17. MART.

188. *Thobellum* etiam legit S. Augustinus, loco citato: pro quo Vulgata legit *Tubalcain*. MART.

206. Forte *sed junior istis*. MART.

212. Scriptura annos dumtaxat nongentos sexaginta novem tribuit Mathusalamo : his duos addit Juvencus. MART. — Forte legendum *unum quis demere jus est*.

226. Quæ hic de filiis Noe narrantur, in Vulgata non exstant. MART.— Pro *Innumerum*, legam *In numerum*.

Constringit miserans prolixæ in crimina vitæ,
Imposuitque modum bis sexaginta per annos,
Vincere quem nullus nulla sub lege valeret.
Hæc inter sanctos lactat terrena voluptas,
Captivosque tenet cœlesti ex arce meantes :
Dum facies pulchro ridentes corpore cernunt
Femineas, placitisque nimis complexibus hærent,
Progenuere sibi torva cum mole gigantes :
Quorum criminibus Domini patientia tandem
Cogitur offendi, longam dum concipit iram,
Atque dolet hominem dextra formante creatum
Siderea, sancto permotus pectore fatur :
Jus delere mihi mundi peccata nocentis,
Fluctibus æquoreis totamque involvere terram,
Humanumque genus vastis mersare fluentis,
Omnigenasque simul pecudes, quæ læta per agros
Gramina detondent, celsis dum collibus errant.
Serpentes nex una premat, volucresque, ferasque,
Ut mea deletis mitescat fraudibus ira.
Accipit ergo Dei mandata ingentia Noe,
Duplicibus cameris arcam compangere jussus,
Quæ teneat volucrum mansura ad germina nidos.
Ac ne fissilibus dissultent robora rimis,
Unguine præpingui linuit bituminis arcam.
Ipsa fuit plenas ter centum longa per ulnas,
Quinquaginta patens transversam lata per ævum.
At qua sublimi surgunt fastigia tecto,
Edita ter denis in cœlum tollitur ulnis,
Assere quadrato nullis censura fluentis,
Ad medium gestans facili cum cardine postes.

CAP. VII. *Hæc perfecta Deus postquam despexit ab astris,*
Talibus affatur mittendum in æquora vatem :
Scande citus, natique tui, nataque fluentem
Fluctibus in tumidis cymbam, quia pectora vidi
Justa tibi, dudumque mihi tua nota voluntas
Emeruit majora præsentibus ; atque coactas
Claude simul pecudes omni de germine mites,
Septenis paribus, immundo de grege bina
Esse sines tecum, escamque his omnibus infers,
Atque tibi suetam, ne cum per vasta fluenta
Cultio destiterit, pariter patiare molesta,
Provisis non ante cibis per glauca vehendis
Salsa famem, nam clara polo cum lumina solis
Septima prodierint, totos diffundere nimbos
Cardine ab æthereo, cunctosque evolvere fontes
Allapsu majore paro, quo grandior undis
Æstuet Oceanus, spumosis largius omnes
Accipiens, fusoque oblimans omnia tractu.
Namque quater denis juncta cum nocte diebus
Grandine perpetua nubes complebo madentes,
Ut quidquid vivit, tumidis mergatur in undis.
Hæc ubi dicta, fiunt Domini mandata, volente,
Festinoque sene, longo qui nobilis ævo
Sexcentos agitans annos, se credidit undis,
Conjunctosque simul natos, natasque recepit,
Confixus tenui quamvis foret abditus antro.
Interea totos laxarunt nubila nimbos,
Atque abyssus riguos dimisit in æquora fontes.
Jamque quater denis stagnantur cuncta diebus,
Non volucres levibus suspendunt corpora pennis,
Nec fera celsijugo devitat marmora colle,
Omnia conduntur pelago, mors omnibus una est.
Nec minus interea tumidum suspensa per æquor
Arca fluens clausum munibat pendula vatem,
Venturisque parens servabat semina seclis
CAP. VIII. *Naufragio secura suo. Mox rarior æther*
Nubibus in piceis cœpit constringere nimbos.
Jamque relabenti decrescit in æquore pontus,
Ac postquam modico fluitabat flamine cymba,
Emittit senior nigrantem pectora corvum,
Qui levibus pennis volucri dum flamine fertur,
Non rediit, justi suspendens vota prophetæ.
Post hunc albentem mittit per stagna columbam,
Quæ super æquoreum campum defessa volatu
Nusquam nacta solum, vati se reddidit almo.
Cumque recurrentis fulgerent septima solis
Lumina, dimittit penna plaudente volucrem,
Quæ, nemore invento, ramis præpinguis olivæ
Ora referta tulit, cum jam per sidera vesper
Surgeret, ac tremulo noctem præcurreret igni.
Inde iterum septem transcursis rite diebus,
Mittitur in pelagus ales, quæ lapsa meatu
Perceleri, numquam sociæ se reddidit aulæ.
Sexcentos igitur jam tum transgressus et unum
Orbes erat vates, primo jam mense secuto,
Atque die mensis primo, cum libera tellus
Visa aperire procul montes, ac volvere fumum,
Quos super undarat ter quinas pontus in ulnas :
Decurso jam mense, dehinc cum trina secando

235. Hic respicit Juvencus ad illa versionis Italicæ verba : *Videntes autem angeli Dei filias hominum, quia bonæ et pulchræ sunt, sumpserunt sibi uxores.* Hic vero quærit S. Augustinus, quomodo *potuerunt angeli cum filiabus hominum concumbere :* respondetque nonnullos Latinos et Græcos codices non *angelos*, sed *filios Dei* legere, justosque in Scriptura et *angelos*, et *filios Dei* appellari, ac credibile esse homines justos, concupiscentia lapsos, peccasse cum feminis. Ita in libr. Quæst. in Genes. q. 3, MART. — S. Augustinus, de Civit. Dei libr. XV, c. 23, legit *quia bonæ sunt, sumpserunt*, etc. Explicat autem *bonas, id est, pulchras.*

259. Forte, *nullis cessura fluentis.*

265. Adeo frequens est in hoc carmine diphthongum *æ* corripi, ut non excriptori, sed auctori tribuendum id esse videatur. In Juvenci opere vero nihil tale reperire licet.

267. Rescribendum puto *de germine mundo*, ex Genes. VII, 2 : *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena*, etc.

269. Forte, *infer.*

277. Forte, *spumosos.*

285. *Natasque* scilicet uxores natorum.

305. Hic quærit Augustinus, cur non redierit corvus, redierit vero columba, an corvus mortuus fuerit ? Respondetque, a multis conjici, *quod cadaveri potuerit corvus insidere, quod columba naturaliter refugit.* MART.

317. Virgilius, III Æn., 206 : *Visa aperire procul montes, ac volvere fumum.* Verum hic auctor post diluvium nescio quem fumum dicat, nisi forte exhalantes vapores.

Lumina restarent, toto jam libera fluctu
Terra fuit, propriumque ostendit læta virorem.
Ergo ubi undatis consedit montibus arca,
Araracum qui nomen habent sermone vetusto,
Laxat claustra senex, nova semina terræ
Atque Deum gaudens contra se attollere sanctum.
CAP. X. *Heroum de more foret quos ardua cervix,*
Immensumque caput sublimes tollet in auras.
Hic Babylon collocat, Orichamque, et Archata
[*Acalla,*
Sinnacheros inter saltus Assura deinde
Condit, et eximiam tectis Niniveva locavit.
Et Robotham, Calchamque, dehinc Dasemata,
[*quarum*
Distinguit saltus, medioque in limite surgit.
CAP. XI. *Dumque alacres certant, et nomina mœnibus*
[*indunt,*
In campum veniunt, Sennarum nomine dictum,
Molitique cavas ad sidera tollere turres,
Non calcem faciunt, qua saxa inserta ligantur,
Sed lateres tosta lutei fornace coquuntur,
Ut prius immensis fulgerent mœnia tectis,
Quam novas discretas faceret migratio gentes.
Bitumen pro calce fuit, quod vellere molli
Ducitur, et lento constringit corpore cautes.
Namque penes cunctos sermones consona lingua
Per similes fatus, et civica verba locuta est.
Denique descendit Dominus, et mœnia vidit,
Præcipiens varias raptim prorumpere voces,
Diversosque sonos, quis gentes quæque loquuntur.
Ilicet impletur positis cultoribus orbis,
Dividuusque locus mox est Confusio dictus.
Hos sequitur, Domino multum qui credidit,
[*Abram,*
Quem genuit prisco de nomine Thara vocatus.
Jungitur et Lothus juncto de sanguine frater.
Hi cum jam validi fierent pubentibus annis,
Conjugium junxere sibi, Lod fœdere Melciæ
Gaudet, et Abram odescit conjuge Sarra:

A 355 *Quæ tamen ad seniumduxit sine pignore vitam.*
Hos Thara sollicite chaldeo de grege dimisit,
Dum Chanaan placent frondosis collibus arva.
CAP. XII. *Sed Deus, electi qui sensum nosceret Abræ,*
Imperat, ut sedes alia regione capessat:
Hei age, festinans patriis te dimove terris,
Cognatasque domos, et limina sueta linque.
Nam procerem immensæ faciam te jam fore gentis,
Insuper his addam, ut te quicumque malignis
Vulnerat eloquiis, Domini maledictus ab ore,
Tristia quæque ferat; at qui sermone benigno
Commoda denarrat, poscit lætos et grandior astu.
Mutantur sedes, Sychemis castra locantur,
Quæ Dominus vati longum despondit in ævum.
Illic deproperans sacratas suscitat aras:
B 370 *Conscendensque montem, fractas qui respuit undas,*
Et rubicunda tumens prospectat lumina solis;
Hic etiam positis fundatur molibus altar,
Oraturque Deus, sola cum deinde per arva
Vates agit, quæ terra jacet disjuncta colonis;
Quæ dum perpetuo venis sitientibus ardet,
Incussit jejuna famem, cui cura cohæret.
Hoc fœcunda metu Nilotica rura petuntur.
Et quia conspicuo caderet corpore Sarra,
Mandatur nullo nuptam se dicere vinclo,
Sed fore germanam, ne fors immanibus ausis
Effrenis turbæ zelum noxale marito
Gigneret, atque æmulum tristis rivalis haberet.
Hunc mirata quidem venientem turba Canopi,
Omnimodis Sarra cupido de lumine lustrat.
C 385 *Atque ubi per proceres laudata et tradita regi est,*
Dulcibus accipitur votis verbisque propheta.
Non tamen impositum voluit rex ultoris illi.
Nam multis, magnisque simul terroribus actum
Proturbat regem, noxialis qui reus ausi,
Objurgat procerem, germanam cur magis esse
Dixerit uxorem, falsoque illuserit astu.
Inde jubet, lætum nuptam deducere secum,
Armenta, et quidquid patriis adduxerat oris.

322. An *ubi nudatis?*

323. Ararath est mons Asiæ in Armenia, estque pars montis Caspii prope Mediam, et inter Artaxatam, et Arsissam paludem. MART.

324. Deest huic versui unus pes, neque sensus perfectus est.

325. Hic amanuensis Oscitantia omissum est integrum Geneseos caput nonum. Nam quæ sequuntur, non ad Noemum pertinent, sed ad Nemrod, qui Babylonem condidit, et Orech, et Arcad, et Chalanne in terra Sennaar. MART.

328. In Vulgata non *Acalla*, sed *Chalanne* dicitur. MART. — Probum esset *Collocat hic Babylon, Orichamque.* Dominicus Schram in Analysi operum Patrum sic legebat: *Collocat hic Nemrod Babylon, Assura deinde:* Verum hic auctor nulli nobis usui esse potest: pro libitu enim verba mutat, versus omittit, quædam interserit, nec semper metro consulit.

331. Septuaginta Interpretes hunc Geneseos locum sic legunt: *Et Roboth civitatem, et Chalach, et Date, quæ est Ninivem, et Chalacch.* Antiqua vero versio: *Et Robooth civitatem, et Chalach, et Dasim intermedium Ninivech, et Chalach.* MART.— Sabatierius sic legit: *Et Robooth civitatem, et Chalach. Et Dasem inter medium Ninives, et Chalach,* ex S. Augustino.

339. Legam *nova.*

346. *Quis* pro *queis*, aut *quibus*, uti supra observavimus. MART.

353. Hic lapsus memoria videtur Juvencus, dum Melcham, seu Melciam Loth tribuit uxorem, quæ D nupserat Nachor. Sic enim antiqua versio Italica, qua usus est: *Et sumpserunt Abram, et Nachor sibi uxores. Nomen mulieris Abram Sara, nomen mulieris Nachor Melcha, filia Aram.* MART.

354. *Odescit* verbum novum, vel, ut magis puto, corruptum. Cogitabam *et Abramo ditescit conjuge Sarra*, vel *Abramus ditescit.*

356. Fort., *de grege misit.*

361. Fort. *sueta relinque.*

366. Obscurus est hic versus, et uno pede longior.

370. Versus constaret ita: *Et montem ascendens:* pro *Bethel* ponere videtur *fractas undas*, atque adeo emendare oportebit *fractas qui respicit undis.*

375. Forte *aret* pro *ardet.*

393. In Vulgata insinuatur, Ægyptios Abramo dedisse oves, et boves. Sic enim habet: *Abram bene usi sunt propter illam* (Sarram), *et fuerunt illi oves, et boves, et asini, et servi, et famulæ, et asinæ, et cameli.* Hic vero ea sibi tantum relicta fuisse videntur, quæ ex patria adduxerat. MART.

Namque Deus servo, semper concordia fanti,
Ingentes census, et maxima quæque dicarat.
CAP. XIII. *Accipit et Lodus, quæcumque advexerat illic,*
Et reduces patrias tandem sistuntur ad oras,
Atque ibi dum gregibus intercursantibus errant,
Pastores pecorum sese certamine pulsant,
Pascua quod fœtas arctarent parva duorum.
Sed pater indomitas cupiens componere rixas,
Obtulit, ut frater, quæ vellet, sumeret arva.
Ille libens paret, Iordanis littora poscens,
Qui fluvius dudum Nili vice, dum tumet undis,
Amne superfuso campos perditat opimos.
Chanannæa Senex venienti jugera sorte
Accipit, et virides sistit armenta per agros.
Sed non perpetuas licitum componere sedes.
Namque pater jussus terram lustrare tuendo,
Flammeus e celsis quam sol utrumque recurrens
Aspicit, aut gemini despectant usque triones,
Promissam generi tanto genitore creando,
Cujus qui numerum gestit comprehendere fatus,
Stellarum citius turbas, vel dicit arenæ,
Quas pelagus dubio nonnumquam littore nudat.
Tendit et ad quercum prisco de nomine Mam-
[bram,
Perpetuoque Deo præcelsum dedicat altar.
CAP. XIV. *Nec mora, dividuos postquam concordia*
[fratres
Fecerat optatos componere regna per agros,
Consurgunt reges numerosa ex gente Terniqua,
Et Sodoman multo pugnaces milite vastant,
Quæ ternæque acies bino bis principe fultæ
Valle tenus Salsa ferrum per nubila torquent.
Quinque fugam capiunt linquentes bella tyranni,
Præcipitique fuga frondosis montibus abdunt,
Quod potuit superesse neci; qui nomine vero
Dicuntur Ariac, Hadachar, Godullagomurus.
Atque etiam pulchris in his gaudens Amarfalus
[armis.
Hæc inter, quæ multa fiunt discrimine belli,
Lod etiam capitur tota cum stirpe, domoque.
Quod ubi tristifico narravit nuntius ore,
Consurgit vates, servorum de grege multo
Ter centum famulos novies bis auctius addens,
Ad bellum dux ipse ciet, ferrumque retractant.
Nocte super media nil jam metuentibus instat,
Victoresque fugat, multosque interficit hostes.
Quin etiam fratrem tanto discrimine demptum
Accipit, et prædam lato trahit agmine secum.
Excipitur læta Sodomorum laude procorum,

A *Pontificisque Dei, sancto qui nobilis actu*
Melchisedechus erat, panem, vinumque præsen-
[tant.
Is petit, ut captos dignetur reddere victor,
Cætera pro meritis belli sub lege laturus.
Sed contenta suo victrix moderamine virtus
Accipit optatum toto pro munere fratrem.
Mox sopita Deus illustrans corda prophetæ,
Præcipit, ut cuncta vacuet formidine pectus,
Quandoquidem invictæ tutus sit tegmine dextræ.
CAP. XV. *Ille alacer concessa sibi licentia fatur;*
Quid mihi pro tanta præstant tua dona loquela?
Nam conjuncta quatit fessum longæva senectus,
Nec datur emeritum post mortem linquere natum.
B *Et quia nobilibus thalamis mihi germina non sunt,*
Degener hæres erit, nobis quem serva creavit.
Confirmat vatem Dominus, dum talia fatur;
Ne time confidens; servus tibi non erit hæres.
Nam si nosse valet numero carentia quisquam
Sidera, vel totas pelagi percurrere arenas,
Is poterit prolem solus numerare putando,
Quæ præstanda tibi est, totus qua tenditur orbis,
Nascetur que tuo de semine, qui tua cernat,
Filius, atque etiam natus sit Regis æterni:
Namque ego sum Dominus cœlorum conditor, et te
Auxilio tutum Chaldæa ex gente reduxi.
Credidit ista senex, nec quidquam defore verbis
Metitur Domini sincero acumine cordis,
Subnixusque rogat, placidis dum supplicat orsis,
C *Signa Dei quæ mente gerat, quæ corde sequatur,*
Munere pro tanto, quo natum gignat inerti
Corpore, jam gelidis decursa ob tempora membris.
Admonitus vitulam trimi jam temporis aptat,
Conjungens alacrem torva cum fronte juvencum,
Vervecem, caprumque dehinc, hirtamque ca-
[pellam,
Columbas pariles, simili cum turture junctas.
Corpora mox pecudum gemina in divortia findit,
Illæsas tota dimittens carne volucres,
Omnia disponit, sacrisque altaribus aptat,
Seque locat propter sensu versutus, et aure.
Ecce autem prima sub tempora noctis opacæ,
Candida sanctifici terrentur pectora vatis,
Nigrantesque ruunt confusa luce tenebræ.
D *His super attonitus Domini solatia sumit,*
Dum nova venturæ prænoscit semina gentis,
Per varios casus duro sub rege locandæ
Ægypti, cui nomen erat Pharaonis acerbi.
Namque quater centum Domini subjecta per annos

413. Forte, *fatu*.
420. *Terniqua*, id est, triplici nimirum gente, Sennaar, Ponti, et Elamitarum, ut conjicimus. MART. — At reges fuerunt quatuor, et melius esset *quaterni*, vel *quaterna*: nam *terniqua* non servat metri legem.
422. Hic sensus poscit *Quaternæque acies*: repugnat metrum.
427. In Vulgata quatuor horumce regum nomina ita enuntiantur *Amraphel Arioch, Godorlahomor et Thudal*. MART.
428. Tam metro, quam sensui superfluum est *in his*.
448. Reposui *tutus* pro *totus*.
449. Hanc etiam licentiam sibi sumit hic auctor, ut *a* in auferendi casu corripiat, quod a Juvenco et a bonis poetis numquam factum. Mitto innumeros alios metri errores.
454. Legam *Degener hæres*.
472. Vulgata versio Abraham, hic in signum terræ promissæ offerentem in sacrificium vaccam triennem, capram trimam, arietem annorum trium, turturem quoque, et columbam, repræsentat. His Juvencos addit *juvencum*. MART.—Ambrosius, l. II de Abraham, c. 8, pro *vaccam triennem* legit *vitulum trimum*.

Serviet, ad terras rursus revòcanda feraces,
Ac vice mutata, quæ quondam serva tremebat,
Sceptra reget, valida gentes virtute coercens.
At tu, cum fuerit metati terminus ævi,
Sedibus in patriis functus mandabere busto.
Nam populus infensa tibi de sede revulsus,
Huc veniet, domibus veterum donandus avorum.
Nam qua Niliacis gaudet nunc incola terris,
Et celer Euphrates Syrorum prænatat orbes,
Genæos populos, Genezeosque tenebunt,
Chalmoneos, Chetosque juncta cum gente Fereza,
Et Raffana, cui manus est Jebosaco hærens,
Dilectaque sibi pellentur sede Chananni.
Quin et Amorræus Gergesso extrusus amico,
Semianimis possessa dabit venientibus arva.
Quæ cum sancta Deus promisisset verba pro- B
[*phetæ,*
Sole sub occiduo clarum dat fulmine signo.
Nam velut undanti ferveret flamma camino,
Cæsarum pecudum visa est delambere carnes.

CAP. XVI. *Interea steriles jam pridem fessa per annos*
Perdiderat etiam vòtum jam Sarra parentis,
Et quia prægelida partum non poneret alvo,
Ad secunda suum cœpit lactare maritum
Gaudia, et inflexum cogit consortia servæ
Noscere, quo saltem genitor sit pignore vili.
Ilicet in thalamos Ægyptia adducitur Agar,
Ismaelumque nothum fœcunda gignit ab ulva.
Quæ cum servili dominam contemneret astu,
Verberibus duris afflicta, et saucia fugit.
Ac dum vicino tegeret se devia fonte,
Nuntius æthereo descendit culmine cœli,
Consultamque prius dominorum mittit ad ædes,
Quin etiam multo gaudentem munere donat,
Quæ quia conspicuo fulgentem lumine sanctum
Viderat, a simili narravit nomine fontem.

CAP. XVII. *Jamque novem denos, novemque exegerat*
[*annos*
Abramus vates, cum se jam jamque parentem
Agnoscit nati magno de munere dandi,
Testamenta Dei cui sunt concordia summi,
Gentibus innumeris genitor, ductorque futurus,
Percipiens placidas per grandia tempora sedes.
Quin etiam solido de nomine grandior exit
Dum decus adjectum vocalis littera ducit,
Et Sara quæ fuerat, mandatur Sarra vocari.
Quin etiam patria Smaelus pro prece dives,
Bis senos princeps populos generatque regitque.
Post hæc gesta senex, cum sol octavus adesset,
A *Maribus exhibitis adimit præputia ferro,*
Adjungens pariter quoscumque ex plebe seorsa.
Inde etiam tempus promissi muneris instat.
Solvitur in tremulos vultu crispante cachinnos,
Dum tacitus secum promissa ingentia volvit,
Posse Deum credens, quidquid non exstitit un-
[*quam,*
Condere, et infractos robur generare per artus.

CAP. XVIII. *Scandebat medium jam sol flagrantior*
[*axem,*
Magnificusque senex frigus captabat in umbras,
Cum subito juvenes pariter tres affore cernit,
Sedulus in cunctos, unum plus ambit, et orat,
Ne puerum celeri linquat, dum præterit, actu,
Pacificusque suæ dignetur tegmina quercus,
Atque pedes geminos frigenti ut perluat unda,
Ac positos panes mensæ dignetur amicæ.
Annuitur, jussaque citus veneranda facessit.
Ipse etiam properans sese dat Sarra videri.
Mensurasque libans ternas ex polline profert,
Quas dederat tosto cinerum torrere vapore.
Tum vitulus tumida procurvans cornua fronte
Deligitur, nullo fuscatus tergora nævo,
Et modo constricti ponuntur fercula lactis.
Dumque Deum trina positum sub imagine pascit,
Dulcia sanctificis delibat gaudia dictis,
Quid rerum nunc Sarra gerit; namque abdita
[*tectis*
Tunc erat, et cœptas iterat lux vera loquelas.
Euge memor vatis pleno non serius anno
C *Mater erit, cum læta procul sub talia risit*
Femina, et annoso desperat corpore partum.
Quæritur hæc, interfuerit quæ causa cachinni,
Illa negat facili concussa in sese fore risum,
Dum timet, et tacito volvit sub pectore culpam.
Consurgunt juvenes parili fulgore decentes,
Et Sodomam toto subjectam lumine visunt.
Tum Dominus vati nil promptum non fore passus,
Eloquitur, quæ causa graves se ducat ad urbes:
Clamore immodico Sodomæ, junctæque Go-
[*morrhæ*
Excitus veni, verumque invisere curo.
Ut quod turba nocens, quod vox horrenda la-
[*borat,*
Oppida bina simul cœlesti ex fulmine flagrent.
D *Hic trepidus vates famulo sermone poposcit,*
Noxia qui numerus sanctorum mœnia servet?
Quinquies ex denis capiens primordia summæ,
Ab his quinque viris cognoscit tegmine forti

497. *Hethæos* appellat Vulgata versio. *Chetæos*, seu *Chetos* Italica cum Juvenco. MART.
502. Forte *promisit*, vel *prompsisset*.
505. Legam *signum*.
512. Fort. *Ægyptia ducitur*.
530. In Vulgata editione legimus, *Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram* : sed in versione Italica nusquam reperimus *Sarai*. Sed neque apud Augustinum, et eo antiquiores Patres, sed *Sarra:* deinceps vero non *Sara*, sed cum duplici *rr Sarra* MART.

545. *Puerum*, scilicet servum. Sic enim se vocat Abraham *servum Domini*.
550. Emenda *Ipsa etiam*.
564. Fort., *facili concussam se fore risu*.
577. In Scriptura, et apud Augustinum, aliosque sanctos Patres indulgentiam toti civitati Deus promittit, si in ea decem reperirentur justi: at vero Juvencus hic ait, a *quinque* dumtaxat *viris* potuisse oppressum vitiis populum vitare ruinam. An ita aliquibus in Scripturæ codicibus legerit? Certe nec quinque justi Sodomiæ (fort. *Sodomæ*) incendium

Oppressum vitiis populum vitare ruinam.
CAP. XIX. *Ilicet ad Sodomam veniunt duo, Na-*
[tus, et Alter,
Hespero submitti cum jam prorumperet igni.
Illic pro foribus Lodus de more sedebat.
Cumque viros simili lustrasset corpore claros,
Pronus adoratos consueta ad limina duxit,
Optantes media potius habitare platea,
Azym quos tenui de polline candida pascit;
Sopitaque dehinc componunt membra cubili.
Ecce furens tota procurrit turba Gomorrhæ,
Seditione truci circumdans atria Loti,
Atque viros poscens tumido dilitigat ore.
Ille memor pacis tentat mollire frementes,
Atque etiam natas cupide dementibus offert,
Ut licito potius luxu perversa voluptas
Æstuet, a simili disjungens turpia sexu.
Sed nil dicta movent, franguntur limina ferro,
Ac dum se glomerant, dum fortia claustra re-
[vellunt,
Lumina septa sibi piceis gemuere tenebris.
His actis, auferre procul sua pignora jussus,
Invitat generos sensu torpente negantes.
Quod tamen assiduo potuit mens blanda rogare,
Eduxit natas chara genitrice sequentes,
Ac dum progreditur, dum scandit culmina collis
Oppositi, secumque putat, quid deinde sequatur,
Femina post tergum positas dum respicit arces,
Diriguit, speciemque salis pro corpore sumpsit.
Ille subit celsæ securus tecta Segorræ.
Mox fragor horrisono de sidere fulmina tor- C
[quens,
Sulphureæque ruunt olido cum turbine flammæ,
Quæ pariter muros, atque ardua culmina lam-
[bunt.
Omnibus in cinerem celeri cum labe revulsis,
Cernebat rutilo surgente vertice flammas
Eminus Abramus, memori cum pectore tractans,
In verbis Domini numquam se adjungere men-
[dum.
Nec minus et Lodus tuta compostus in aula,
Solamen tenero natis præstabat amore,
Quæ sine conjugibus nequibant edere prolem.
Hæ, cum perspicerent sublatum germinis usum,
Maternumque decus, solo genitore relicto,
Componunt epulas, ac promunt vina parenti, D
Nescius ut vetitum natarum nosceret usum.
Nec mora, femineis concrescit sarcina fibris,
Et parili ambarum vitalia semine turgent.
Prima creat puerum patrio sermone Moabum,
Altera disparibus Ammanum nuncupat orsis.
Hic pater Ammonum, genitor Moabitibus ille
[est.
CAP. XX. *Interea excedit positis de sedibus*
[Abram,
Et Gererum ad terras socia cum conjuge transit.
Hic Abimelechus cupiens consortia Sarræ,
Principis arbitrio, germanam nam fore vates
Dixerat eximius, fraudem ne forma pararet.
Conjugis innocuo, rivales dum cavet iras,
Nec tamen valuit, validis terroribus actus,
Qui mentem afficiunt, quoties perversa libido est:
Nam Deus immisso torsit lictore tyrannum,
Prosequitur trepidus vatem vix mente reversa.
Cur Sarra sit dicta soror, ceu nulla marito B
Vincla ligent nuptam, cum sit conjuncta pro-
[phetæ.
Ille docet causas, seseque a crimine purgat,
Mentitus nihilum, fratris nam germine creta
Sarra fuit, juncta diducens linea sanguem.
Hæc ubi constiterant, rector dat mille talenta,
Et famulos, his molle pecus, armentaque jungit.
Jugera quin etiam latos diffusa per agros,
Dummodo promeritum lenirent dona reatum.
Namque domus regis admissa piacula pendens,
Qui cum terrifico rupisset somnia visu,
Agmine morborum pariter grassante per omnes,
Germina femineis dudum decusserat alvis.
Verum ubi pacificus vates pro rege poposcit
Procubus ante Deum, promptim se læta per
[omnes
Reddidit ubertas, alvosque implevit opimas.
CAP. XXI. *Ipse etiam insuetis postrema in tem-*
[pora votis
Fit pater, et læti reputans solatia risus,
Nuncupat Isaacum, mandata et numinis alti
Efficit, octavo decerpens lumine tegmen
E veretro, stabilesque videns jam promere gres-
[sus.
Conjunctus inter propria de stirpe propinquos
Vescitur, et mensis genitor gratatur opimis.
Nam desperatis major fit gratia votis.
Jamque puer puero junctus dum ludit alumno,
Compulit ignito matrem turgescere felle.
Et tamen invitus senior dum maxima jussa
Observat Domini, pariter detrusit utrumque.
At mulier postquam dòmini de sede remota est,
Avia dimoto lustrat secreta regressu.

vitaverunt : sed quatuor tantum, Loth, ejus uxor, et duæ filiæ. MART. Existimo potius, auctorem poematis scripsisse *A bis quinque viris.*

585. Legendum videtur *Azyma.*

589. Horatius ait, vers. 94 Art. poet. : *Tumido delitigat ore.*

592. Auctor fortasse scripsit *lusu*, non *luxu*. Vide vers. 773.

594. Vulgata non dicit, fractas fuisse fores, sed *prope erat, ut effrangerent* (lege *effringerent*) *fores.* MART.

610. Sensus postulat *surgentes* pro *surgente*, aut *surgenti.*

630. Conjicio *conjugis innocui rivales dum cavet iras.*

631. Forte, *Nec tamen evaluit.*

639. Videlicet *sanguen* neutro genere, et more antiquo.

644. Forte, *pendit.*

658. Ex nostro Juvenco, qui elegantius lib. I, vers. 44 : *Gratius ut donum jam desperantibus esset.*

Jamque panes cunctos, vinumque insumpserat A [*omne,*
Exanimem lasso suspirans pectore natum,
Devenit ad puteum, cui tum Miratio nomen
Indiderat, mœsto quæ inflevit devia quæstu:
Cum Deus afflictæ lacrymis trans æthera motus
Confirmat trepidam, natoque ingentia dicit
Regna parata suo, cujus tum clade gemescat.
Ilicet irriguo scatebras de gurgite libans
Erigitur, natoque simul gaudente lætatur.
Procedunt pia jussa Dei, jam parvulus arcum
Tendere, et aligeras cœpit torquere sagittas.
Interea vates, ne quid clam forte pararet
Ductor Abimelus, connectit fœdera pacis.
Ut quia de puteis fuerant certamina mota,
Reddita securam firmarent otia vitam.
Juratur, placitæque manent concordia pacis.
Inde senex curvo terram dum [*vomere*] *sulcat,*
Ingentem lætis complevit messibus aulam,
Sublimemque Deum supplex per vota precatus,
Philistinorum placidus consedit in arvis.
CAP. XXII. *In quibus ætherei tentatur nominis* [*orsis,*
Unicus ut natus gladio decumbat ad aram.
Nec mora, cum tumidi conscendit culmina collis,
Cornipedem ducens famulis, natoque vadentem,
Tertia jamque dies, cum sol candentior axe
Fulgeret medio, totas dum contrahit umbras,
Dimittit pueros senior, natumque capescit,
Ut sarmenta gerens, flammarum pabula, collo,
Scanderet oppositi pariter fastigia collis. C
Jamque adeo flammis surgentibus altar ad ipsum
Sistitur, evinctus manibus post terga retortis.
Dumque pater natum properat diffindere cultro,
Eminus albentem prospectat sedulus agnum,
Qui melius fuso compleret sacra cruore.
CAP. XXIII. *Hic actis vetulo decedit corpore Sarra.*
Cumque locum busto præstarent pignora Cetis,
Dissensit vates, pretio taxare paratus.
Quadringenta dedit sestertia dives Ephremo,
Dum sociam duplici gaudet mandare sepulcro.
Nomen Mambra loco veterum narraverat ætas.
CAP. XXIV. *Ilicet e famulis quemdam, quem* [*vita, fidesque*
Fecerat insignem, conceptis dicere verbis,
Et jurare jubet, dextram dum subdit amicam, D
Connectitque femur, nullam de gente Chananna
Jungendam nato, quoniam de stirpe parentum
Sit ducenda magis; quæ si fortasse resistat,
Mittendum cœlo, facilem qui molliat iram.
Ille alacris tumidis imponit dona camelis,
Assyriamque petit, jam cernens tecta Nachorræ.
Dumque silens secum Domini mandata revolvit,
Conspicit eximiam venientem fonte Rebeccam,
Quæ non tarda viro frigentes porrigit undas,
Invitatque domum. Cujus sit filia, fatur.
Jungitur hospitio juvenis, mox munera promit.
Omnibus explicitis, vadit nuptura marito.
Jamque iter emensos prospectat cominus Isac,
Quem Rebecca videns, dorso reflexit ab alto,
Obstipumque caput tenui velamine condit.
B *Junguntur taciti, Dominoque auctore lætantur.*
CAP. XXV. *Sed postquam senior centum tran-* [*scenderat annos,*
Septies et denos, largitus munera cunctis,
Decessit, gemini donatus sede sepulcri.
Interea patrias indeptus filius ædes,
Ad puteum degit, fuerat cui Visio nomen.
Jamque quater denos illic transegerat annos,
Conjuge cum dicta patriam ditaverat aulam:
Quæ cum præcipuo canderet sidere pomæ,
Infœcunda diu nescivit gaudia matris.
Sed cum sanctifico Dominum deposceret ore,
Hæredem ut justum conjux gravidata crearet,
Auditur; geminis turgescit fœta Rebecca.
Quæ mirata diu crescentis pondera ventris,
Consulit ætherei supplex responsa Tonantis,
Agnoscitque suo populos in pectore binos
Disparibus meritis ad lumina surgere vitæ.
Nam qui prima tenet meritæ primordia lucis,
Subditus imperiis agitur servire minoris.
Ergo ubi jam facili gignuntur pignora partu,
Corpore puniceo senior se promit ad auras,
Nigrantes toto consertas corpore setas,
Quem pater Esau placito de nomine dixit.
Post fraterna tenens manibus calcaria pressis,
Nascitur insigni prædives mente Jacobus.
Lustrabat senior vacuos venatibus agros,
Buccina raucisono dum complet saxa tremore.
Ast alius blandi conservans pectoris acta,
Gaudebat patriis illæsus vivere terris.
Majorem genitor tenero palpabat amore.

665. In vulgata versione non vinum dedit Abraham ancillæ suæ Agar, cum eam domo expulit, sed aquam in utre: *Et tollens panem, et utrem aquæ, imposuit scapulæ ejus.* Et infra: *Cumque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum.* MART. Auctor fortasse scripsit *Jam panes cunctos, undamque insumpserat omnem.*

668. Melius, *mœstoque implevit devia.*

685. Fortasse, *numinis orsis.*

691. Melius alibi Martenius scribit *capessit* et *capessunt.*

697. Non *agnum* ex Vulgata versione, sed *arietem* vidit Abraham *inter vepres hærentem cornibus.* MART.

702. In Vulgata editione *quadringentis siclis argenti* sepulcrum emisse legitur Abrahamus. Est autem siclus Hebræorum moneta, cujus pretium est quatuor Romanorum denariorum. Pro quibus Juvencus hic sestertia quadringenta ponit. Sestertium autem erat pars quarta denarii Romani. In codice nostro ms. prima manu legebatur *Ephreno*, quod nomen propius accedit ad Vulgatam, quæ habet *Ephron.* MART.

703. Inter opera Hieronymi edita est epistola, quam Gennadius attribuit Eutropio sacerdoti, de quo post Paulinum agit. In ea autem epistola spelunca illa duplex, quam a filiis Emor comparavit Abraham, sepulcrum duplex dicitur non semel, ut hic apud Juvencum. MART.

731. *Pomæ* mendum, ut puto. Forte *formæ.*

744. Crediderim, legendum *consertus.*

751. Suspicor *vivere tectis.*

Ast alium toto mulcebat pectore mater.
Qui cum nihil jam lentem solvisset in unda,
Compositos fratrem nidentem sumere pastus
Perpulit, ut primos sibimet deferret honores.
CAP. XXVI. *Hæc inter malesuada fames, et [prima malorum*
Compulit a patriis vatem discedere terris,
Philistina petit rura, mox Gargara transit,
Abimelecha suo quæ tum sub jure tenebat.
Incedens claro Dominum cum lumine vidit,
Urgentem dictis, adeat ne regna Canopi,
Sed teneat solum, Dominus quod præstitit, arvum.
Nam licet ignotos inter videare moruri,
Attamen immensum genitor mansurus in orbem
Semine multiplici gaudebis crescere gentes,
Testamenta mei sument quæ maxima verbi.
Ilicet in Geraris socia cum conjuge degens,
Germanam potius paternæ edisserit acta,
Ne commota levi cupidine turba Filisti,
Conjugium votis correptis tolleret armis.
At rex, dum patula lustrat secreta fenestra,
Ludentem nivea cernit cum conjuge vatem,
Connubiumque videns, cunctos sub lege coercet,
Ne sociam quisquam tentet raptare prophetæ.
Jamque famem dudum patriis qui fugerat oris,
Horrea mollitæ dum spargit credita terræ,
Centenos læto carpsit de cæspite fructus.
Nec minus interea placido ditescit in actu
Multimodas inter pecudes, terramque feracem.
Continuo infelix torquet dum pectora livor,
Irriguos turbat puteos, atque aggere complet,
Ut procul abscedens possessor linqueret agros.
Evitans igitur tumidæ discrimina rixæ,
Discessit, mansitque diu convalle Geraræ,
Et cum sollicito puteus dimitteret actu,
Invenit gelidas scatebroso e fomite lymphas.
Exceptusque dolo pastorum deserit iras,
Inausosque locos Litis de nomine signat.
Promovet inde gradum, rursusque egesta pro- [fundo
Terra cavo gelidos in luce protulit amnes.
Et quia mordaci fuerat certamine trusus,
Compellat meritis liventia pectora dictis.
Ac postquam tetricas fregit pax aurea lites,
Nomen Abundantis studuit transcribere terræ.
Dumque sagax mutat celeri nova gramina passu,
Devenit ad colles, quibus est Juratio nomen.
Illic perspicuo Dominum cum lumine cernit,
Tempore quo medio evolvunt sidera cursus,

Admonitus tristes e pectore trudere motus,
Invicto tutante Deo per bella, per hostes.
Exitus gelidos post somnum colligit artus,
Et venerans structa Dominum mox supplicat ara.
Interea reges veniunt Abimelus, et Ozas,
Ficolo comitante simul, ferrumque gerente,
Ut quia pacifico vellet se adjungere vati,
Necteret insertis concordia fœdera dextris.
Excipitur placido, mensaque expletus eadem,
Optatam revehit posito discrimine pacem.
CAP. XXVII. *Hæc inter medios surgit discordia [fratres.*
Namque pater longo jamdudum grandior ævo,
Amissum cum sole diem, oculosque sepultos
Mente ferens placida, mortemque instare recordans,
Majorem natum, pietas quem sola videbat,
Impellit, sumat pharetram, celeresque sagittas,
Exhibeatque sibi carnes de more ferinas,
Sumpturus patriæ confestim munera linguæ.
Id Rebecca videns, charum dat scire Jacobum,
Compellens, geminos ut promptim deferat hædos,
Ac pro fratre vago studeat mactare parenti.
Et ne forte dolos nudaret corpore leni,
Pellibus obtegit, hirsutum quæ fore præstent,
Fraternaque toga prævelans pectus, et artus,
Obtulit indeptas veluti venatibus escas.
Nec tamen occuluit penitus præmuncia corda.
Namque senis juvenem totum dum dextera lus- [trat,
Noscit at Esaum setis, sed voce Jacobum.
Ac postquam compressa fames, dimotaque mensa [est,
Admonet, ut propius sese sistatque, locetque.
Ille ubi demisso successit vertice dextræ,
Candida sanctiloqui percepit dicta parentis,
Oscula dum pressis delibat dulcia labris.
Nam post optata longæ commercia vitæ,
Anterior frater minimo servire jubetur.
Interea Esaus, longis discursibus actus,
Viscera jam saturo portabat capta parenti.
Et licet officio multum placuisset, et actu,
Intercepta tamen non quivit sumere dona.
Inde ira, et lacrymæ, et fraus quæsita nocendi:
Quam Rebecca videns fraterno in pectore prodit,
Jacobumque monet cognatas visere Carras,
Labanumque suæ germanum quærere matris,
Donec longa dies conceptas mitteret iras.
CAP. XXVIII. *Jungitur et matris monitis sen- [tentia vatis,*

754. *Nihil jam*, fort. *Niliacam*. MART.
755. *Nidentem*, verbum barbarum, nempe *nidore permotum*.
759. In Vulgata scribitur *Gerara*, uti etiam in hoc carmine, v. 768.
760. In Vulgata *Abimelech* dicitur.
769. Forte, *fraterno edisserit actu*.
773. Verbum *jocantem*, seu *ludentem*, ita alii etiam interpretantur, ut conjugii actus significetur.
777. Legendum videtur *Hordea*, idque confirmat antiqua versio Italica, in qua legit S. Hieronymus *et invenit in anno illo centuplum hordei*. MART.

789. Fort., *Infaustosque*, vel *Invasosque*.
791. Melius, *in lucem*.
799. Lege *medios evolvunt sidera cursus*, vel *medio volvuntur sidera cursu*.
801. Lege *Invicto*.
802. Lege *Excitus*.
808. Melius, *placide*.
821. Melius, *corpore levi*, vel *lævi*.
822. Forte, *obtexit*.
839. Hiatum effugies, si legas *fraus est quæsita*.
843. Forte, *mitiget iras*.

Dum tranquilla docens, natum communiter orant: A
Ne pete connubium, juvenis, de gente Chananna,
Sed memor eloquiis chari genitoris adhære.
Est locus Assyriis, gemino qui mergitur amne,
Hic pater est matris, nobis Batuelus amicus.
Labanusque gener, totis qui prædia campis
Læta tenet, natasque fovet pubentibus annis.
Illa tibi conjux, moneo, de stirpe petatur,
Quæ genus egregium nostro de sanguine ducit.
At juvenis monitis gaudens servire paternis,
Egreditur linquens patriam, multoque labore
Defessus, dulci declinat lumina somno.
Et dum prægelido consternit saxa cubili,
Præduram fesso supponit vertice cautem,
Ac dum securo refoventur membra sopore,
Aspicit intrepidus toto de lumine mentis
Hærentem scalam pure trans nubila cœlo,
E gradibus cujus sublimis turba ruebat.
Ast alia e terris superas scandebat ad arces.
Ac dum præcipiti volvuntur corpora casu,
Omnipotens prona spectabat fronte ruentes,
Hæc super adjungens: Ego sum rex magnus Olympi,
Jampridem Dominusque tuus, Dominusque pa-
[rentis:
Pelle metus, præstes, tellus, cui membra dedisti,
Certa tibi sedes, et cunctis te duce natis,
Tu nunc perge memor, cœptumque aut desere munus.
Me duce, dimissas iterum remeabis ad urbes.
Illi somnum ingens rumpit pavor, ossaque tota
Concutit humenti perfundens membra fluore.
Et super hæc memorat: Domus est hic magna C
[Tonantis,
Portaque, quæ gemino reserat de cardine cœlum.
Mox lapidem, capiti fuerat qui subditus, unguit,
Atque Domum Domini compellans, indice saxo
Promittit, decimos daturum se fore fructus.
CAP. XXIX. *Jamque iter incœptum celerans,*
[quo semita duxit,
Pervenit ad puteum, qui vasta in devia solus
Molle pecus riguis semper palpaverat undis.
Hi e gregibus trinis pastores sole calenti
Libabant tenues latices, æstumque levabant,
Hisque salutatis, disquirit singula vatis,
Incolumesque videt cunctos, quos mente quærebat.
Hæc inter nivea gradiens Rachela figura,
Urgebat patrias ad pocula nota bidentes. D
Quam promptim juvenis fraterno e lumine visam
Castos in amplexus cognata ad pectora jungit,
Desolvens lapidem, putei qui texerat ora,
Seque simul juncto germanum sanguine pandit.
Quem procul intuitus sensu gaudente Labanus,
Advolat, et sueta juvenem componit in aula.
Nec patitur, gratis vatem servire propinquum,
Proque labore viri natam despondet amanti.
Ergo ubi jam mercem septenis traxerat annis,
Desponsam thalami deposcit fœdere jungi,
Nec mora, mentito donatur munere Lia,
Luminibus gravidis, primo sed prosata partu.
Sed fraudis commenta dolens concepta Jacobus,
Verba canit soceris, frustratus virgine pacta.
Rursus in alterius pretium mercede seorsa
Perpetitur longæ Jacobus munia vitæ,
Percipiens meritam pulsa jam fraude Rachelem.
Sed Deus ætheriæ regnator maximus aulæ,
Pignore multiplici dempsit dispendia formæ.
Rubenum nam Lia creat, tum deinde Simonem,
Tertius egregio Levitis pectore natus.
Possidet hic Domini sacrata altaria nostri.
B *Nunc sequitur Juda, tribui mox inditus auctor.*
CAP. XXX. *Ast alios partus, utero quos Balla*
[creavit,
Scire licet, claros nunc jus est dicere natos.
Post hos Issacharus paritur jam germine quinto.
Sexta subit proles, nomen Zabulonis adepta,
Nascitur et virgo germanis congrua Dina.
Tandem sera Deus largitur dona Rachelæ.
Æthereas tenerum Josephum gignit ad auras.
Ergo ubi jam proles utraque ex conjuge parta est,
Discessum a soceris, et quæ quæsiverat, orat:
Qui cum pro meritis mercedem solvere vellent,
Deponunt animos, genero poscente, rogati:
Qui nihil externum cupiens, ditescere sese
Muneribus Domini solis testatus, abivit,
Conjuge percepta tantum contentus utraque.
Enitens, ut longa sibi momenta pararet,
Decernit virgas rupto de corpore matrum.
Mystea prima fuit, storaci mox altera dempta est.
Tertia vulsa nuci, quo sensim lana colores
Dividuos raperet virgarum perlita succo.
Nam per stagna pecus properans mersare balantum,
Signavit vario tinctum discrimine succi,
Invidiam propter variam, quia dixerat ejus
Esse socer mercem, multis quam tempserat annis.
Hic cum divitiis alitos præstaret inemptis,
Invidiam lævo movit livore dolentum.
CAP. XXXI. *Dumque socer dirus lanarum vellera*
[tondit,
Libertas permissa viro, qua commoda ferret
Omnia, et incoctos tosta fornace penates,
Quos Syrus in patriis credebat numina Carris.
Hæc tamen involucris cohibebat cauta Rachela,
Ne pater inventa puniret crimina noxæ.
Digressus victo conscendit flumine collem,
Quem Galatum indigenæ patrio sermone loquuntur.
Tertia jamque die soceri pervenit ad aures
Discessus generi pariter, pariterque natarum.

861. Forte, *puro trans nubila cœlo.*
868. Malim *præsens tellus.*
870. Emenda: *cœptumque haud desere.*
882. Corrigo: *Hic gregibus.*
884. *Vatis* pro *vates.*
888. Forte, *fraterno lumine.*
890. Melius. *Devolvens*, ex sacro textu.

910. Pro *Nunc* legi potest *Hunc*: sed non male est *Nunc.*
911. Forte, *alias.*
927. Forte, *Myrtea prima fuit.* Vulgata ait: *Virgas populeas virides, et amygdalinas, et ex platanis.*
932. Locus obscurus, vel corruptus.

Ilicet auxilium fraterno ex agmine poscit,
Quæsitumque diu sexto jam lumine Nangus,
Ne noceat, sancto Domini terrore vetatur,
Mitificusque sua is, quæ credit numina, poscit,
Et cunctis quæsita locis non cognita mæret.
Postquam depositis rediit pax certa querelis,
Congeries struitur saxis crescentibus alta,
Ut locus exstructo maneat munimine testis,
Ac positus limes limen discerneret agris.
CAP. XXXII. *Ecce viæ medio vates vidit ardua [castra,*
Quæ Deus astrigero ductat moderamine rector,
Indidit et nomen testatus : Hæc Deus implet.
Interea electos juvenes præcurrere jussit,
Muneribusque graves, germanum quæ jubet ut is
Ut reditum placidus tribuat; pacemque petenti
Annuit ille libens; sociis, atque agmine multo
Stipatus, fratrem contra nil turbidus exit,
Cumque quater centum terretur turba virorum,
Plus species, quam tela nocent famulantibus armis.
Discretis igitur gregibus, hæc prima locavit,
Quæ donata sibi dignetur sumere frater,
Atque simul flexa Dominum cervice poposcit :
O Deus, immensi spes, et substantia regni,
Qui Deus es semper genitoris solus, avique,
Cujus ab exsilio faciunt me jussa reverti,
Grandia ditato largitus commoda servo,
Jussisti lenta fluvium transmittere virga,
Jordanemque tuum illico transmittere gressu.
Et nunc dividuis cernis me degere castris,
Ut varios casus gemino munimine casus.
Eripe me his, invicte, malis, et spicula fratris
Infracto placidus quam primum decute ferro,
Ne rapidus duro feriat mea pectora telo.
Ergo ubi composuit socios, somnosque petivit,
Luctantem superare Deum sub nocte laborat.
Feminë nam presso, stupuit pars corporis illa.
Cumque diu vellet membrorum solvere nexus,
Is, qui pulsarat valido certamine vatem,
Præstita dimissum Dominus post dona remisit.
Nomine mutato, Jacobus desinit esse,
Ac Dominum Cernens cunctorum dicitur ore;
Ausus quinetiam Domini condiscere nomen,
Non potuit, soli quod jus est nosce Tonanti.
Ipse locum Domini compellat nomine visi,
Contigerat cujus sublimes cernere vultus.
Atque ubi se Dominus pulsa jam nocte removit,
Egreditur longa sustentans cuspide gressus.
Hinc Judæa memor devitat mandere nervum,
Qui femur astrictum rigido munimine fulsit.
CAP. XXXIII. *Jamque videns fratrem vallatum [cum grege turma,*
Procurvus prona Dominum cervice salutat.
Congressi multo conjungunt pectora fletu.
Et jam jamque magis vario sermone requirit,
Qui veniant comitante manu, quæ turba sequatur.
Ille docet, nuptæ quo sint genitore creatæ,
Diversique greges qua sint mercede parati,
Confestimque nurus curvo cum poplite fusæ
Admorunt teneros cognata ad basia natos.
At senior prolata pie dum munera vitat,
Mitificus mulcet concordis pignora vatis,
Atque libens fratre pariter comitante recurrit,
Ut vice sermonum sensim sua gesta referrent.
Sed quia lentigrado serpebant agmine fœtæ,
Subsedit vates, gregibus, famulisque regendis,
Parvaque frondoso posuit mapalia tecto,
Nomine quæ fixo placuit vocitare Tabernas.
Devenit ad Sicimas, quæ sunt regione Chananna,
Mercatus pretio confinis prædia terræ,
Atque Deum structis properans altaribus orat.
CAP. XXXIV. *Illic improbius Dinam Correus [amatam*
Polluit, et teneræ præcerpsit virginis usum,
Conjungique volens soceris, præpudia dempsit,
Grandia dona ferens rapta pro conjuge vati,
Oppressus tota pariter cum pube necatur.
Natorum ferro doluit hæc gesta Jacobus,
Infractum fœdus socia cum gente locutus.
CAP. XXXV. *Ilicet Omnipotens monuit discedere [vatem,*
Ac domum fidam Betheli in sede locare,
Festinat, paretque Deo, natosque precatur,
Ut delubra Deum rigido firmata metallo
Comminuant, niveoque togas sub tegmine sumant.
Ipse deos nullos Terebinthi abscondit in antro,

947. In Vulgata Laban. *persecutus est diebus septem.* MART.

949. *Quare furatus es deos meos?* inquit Scriptura : ubi observat S. Augustinus quæst. 94 in Genes., *quod a principio libri Geneseos nunc primum invenimus deos gentium.* MART.

955. Castra hæc, inquit S. Augustinus quæst. 101 in Genes., nulla dubitatio est, quod angelorum fuerit multitudo : *ea quippe in Scripturis militiæ cœli nominantur.* MART. Facili mutatione versus constabit, *videt* pro *vidit.*

959. Versus corruptus, ut multi alii passim, quos sine censura prætereo. Conjectura probabilis est, *quæ jubet uti*, vel *queis jubet uti.*

973. Mendum etiam hic subest.

975. Forte, *Ut varios caveam gemino.*

978. Magis placeret *mea pignora.*

986. *Dominum Cernens*, id est, Israel : nam Israel *videns Deum* interpretatur ex Origene, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo et Augustino. MART.

988. Lege *nosse.*

1015. In Vulgata legitur *Sichem*, pro quo Juvencus scripsit *Correus*, quod nomen gentis esse videtur. Nam occurrunt in Scripturis Choræi. MART. Augustinus quæst. in Gen. 107, 405, legit, *Sichem filius Emmor Ævæi*, sed in octo mss. habet *Emmor Chorræus.* In textu græco legitur *Evæus;* sed in mss. Alex., et Sar., necnon in edit. Aldi, *Corræus.*

1017. Corrige *præputia.*

1018. Post hunc versum collocandus est versus 1037, ut facile ex sacro textu intelliges.

1023. Fort. *Atque domum fida.*

1025. Melius, *formata metallo.*

1027. Vulgata versio : *At ille infodit ea subter terebinthum.* At versio Italica, quam citat S. Hieronymus contra Helvidium, *Abscondit ea Jacob subter terebinthum.* MART. Ambrosius, epist. 66, ad Romul. : *Jacob abscondit inaures cum simulacris gentium* : et libr. II de Jacob c. 7 : *Ibi deos accepit alienos, et abscondit eos sub lentisco.*

Ingentemque videt Dominum depromere sueta
Verba sibi, vatemque fore se numinis alti
Ditibus in terris, Dominus quas voverat Abræ.
Ipse loco nomen posuit, saxumque sacravit
Quod venerans liquido totum perfundit olivo,
Erexitque domum turris sub tecta Caderæ.
Hæc inter Rachela gravi confecta dolore,
Funere facta parens Beñjaminum fudit ab alvo.
Namque præter notos justis de matribus ortus,
Tertia luce dehinc, majus qua vulnera fervent,
Pignora supposita vatis genitrice creavit.
Agnovitque libens socio de germine Ballæ
Conspicuum Danem, quem Nephtalimus adurget.
Ast alios mox Zelfa creat, Gadumque, Aserum-
[*que.*
Obtinet hoc etiam meritis, quod defore norat,
Ut patrios vultus tanta cum prole videret;
Ut qui jam vetula fuerat genitrice creatus,
Bis seno insignis posset gaudere nepote.
Ergo ubi jam tandem bis nonaginta per annos
Vita fuit proceris, et longum ducta per ævum,
Solvitur, et lasso de corpore candidus exit,
Visurus sanctas, quas dat prudentia, sedes,
In quibus astrigero recubans per sæcula pulchro,
Invitat niveos secura ad gaudia justos.

CAP. XXXVI. *Jamque juvat fratres metatas di-*
[*dere sedes.*
Nam quia non poterant angusto in limite terræ
Crescentes gregibus multos cohibere colonos,
Anterior Syrum montem post arva Chananna
Accipit, et læta prædives pascua sumit.
Chananæa sequens non linquit regna Jacobus,
Ut patrio semper gauderet mens pia ritu.

CAP. XXXVII. *Illic conspicuos Josephus suscipit*
[*actus,*
Effulgens inter tanto discrimine fratres,
Quanto luna nitet parva inter sidera cœli.
Qui cum jam septem, decemque attingeret annos,
Servabat patrias gerboso in gramine fœtas,
Omnibus incedens natu minor, quos generosis
Progenuit thalamis genitor, vel pellice serva.
Et quia conspicuus germana in classe virebat,
Fraternos sensus livoris frigore movit.
Hunc pater ex tota complectens stirpe natorum
Mulcebat tenerum valida inter corpora fratrum,
A *Quoque magis cunctos inter conspectior esset,*
Velabat vario vestis circumflua fuco.
Is cum jam teneris Domino inserviret ab annis,
Forte videt placido sopitus lumina somno,
Fratribus admixtum sese vincire maniplos,
Dum medias inter distringunt farra novales,
Atque suum recto sublimem surgere cono,
Quem juxta prona fratrum cervice ruebant.
Postquam juvenis placido sermone retexit,
Commovit trepido pavitantia corda tumultum
Murmure terrifico regem dominumque loquentum,
Prodebant sceleri secretum defore solum.
Quoque magis gemina tristes dirumperet ira,
Somnia doctiloquo pandit perspecta parenti,
Omnibus admotis, quos linea sanguinis arctat.
B *Namque videbatur roseum sibi cernere solem,*
Conjunctamque simul tremulo cum lumine lunam,
Hisque decem stellas, unaque assurgere junctas,
Et sibi ceu domino procurva inflectere colla.
Hæc postquam obliquo genitor cognoverat ore,
Fassus adorandum trepidis mox fratribus esse,
Ilicet excedunt juvenes, gregibusque paternis
Disquirunt lætas per florea gramina valles;
Ad quos missus abit, dumisque silentibus errat,
Edoctus, quodam Juvenum monstrante, recessus,
Gramine mutato fratrum quos legerat agmen;
Quem procul ut varia licuit prænoscere veste,
Consilium infaustum linguis discordibus aptant.
Omnibus invisum constat sententia fratrem
Perdere, et exstinctum morsu narrare ferarum,
C *Dum rapidi secum ventoso murmure mussant;*
Somnia, cernamus, poterunt si pellere lethum.
Respuit hoc placidis Rubenus mitior orsis,
Frendentesque monet prædurum condere ferrum,
Stagnanti memorans melius mersare palude.
Ilicet exuitur, nudusque involvitur ulva.
Hæc inter Syricus merces mutare Sabæas
Ismaelida gravi trudebat mole camelos,
Dum properat Arabum messes deferre Canopo.
Ergo urbi germani spes est afflicta minoris,
Judas ait, melius Josephum vendere nummis.
Celatur genitor, vestemque in sanguine tinctam
Perspiciens, nulla mentitur fraude necatum.
Discindit manibus vestem Rubenus aduncis;
Nigrantesque sibi cilicum circumdat amictum

1053. Antiqua versio Italica : *Extendit tabernaculum suum trans turrim Ader.* Ita apud Hieronymum Quæst. Hebraic. tom. II, p. 538. MART. Sic etiam textus Græcus.

1035. Melius, *Benjamin.*

1036. Fortasse, *præter-natos justis de matribus ortos.*

1037. Locus hujus versus est post vers. 1018, ut tunc dixi.

1041. Forte, *Gadumque.* MART.

1047. *Proceris*, scilicet Isaac, qui annos centum et octoginta vixit. MART.

1050. Forte, *sæcula fulcro.*

1062. In Vulgata editione legitur *Joseph cum sedecim esset annorum.* At Hebraicus, Chaldaicusque textus, sed et Septuaginta interpretes atque etiam antiqua versio Italica : *Joseph autem decem et septem annorum erat.* Itaque legit sanctus Augustinus, immo D et Isidorus Clarius in suis Bibliis. MART.

1063. Lege *herboso.*

1078. Forte, *Posteaquam.* MART. ; vel *hæc postquam.*

1079. Puto, *tumultu.*

1104. E contrario Vulgata versio, *Miseruntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.* MART. Melius profecto esset *Siccata memorans.* Ambrosius, de Joseph cap. 3 : *Exutus est tunica..... Lacus autem siccus erat.*

1105. Vulgata non dicit, exutum tunc veste Josephum, sed tantum cum venditus est Ismaelitis. At cum fratres ejus sanguine tinctam sistere patri sibi proposuerint, statimque exutum fuisse verosimilius est. MART. Eumdem narrationis ordinem tenet Ambrosius proxime laudatus.

1114. Forte, *amictus.* Ac videtur sequens versus huic præponendus esse.

Afflictus luctu genitor, perquirit amissum.
Quem dudum acceptum semivir Pharaonis ha-
[bebat,
Auratas solitus mensas onerare tyranni
Lancibus, et strepitu magnæ gaudere culinæ.
CAP. XXXVIII. *Hæc inter Thamara parit, dum*
[gaudia culpæ
Læta placent, geminoque impletur pignore venter,
Quorum prima puer meruit qui lumina vitæ,
Exeruit, præ risitque manum, quam femina solers
Punicea de veste ligat, mox conditur alvo,
Et vice mutata confestim nascitur alter,
Anteriora tenens, fuerat qui sorte secundus.
Hic quoniam fuerat discretus limite quondam,
Zaræ nomen habet, alium dixere Pharetem.
CAP. XXXIX. *Servabat Domini custodia fida*
[Josephum,
Non passus duræ subjectum vivere legi.
Anterius nam dictus herus dat cuncta ministro,
Nec spe cassa quidem; Dominus nam mitis ab alto
Omnia, quæ juvenis servabat, largius auxit.
Nec tamen obtinuit Petafretam mitis amore.
Nam quia conspicuo fulgerent lumina vultu,
Exorat coitum domina male saucia servi.
Sed vitat jam fœda puer, seseque recusat
Sacratum culpa immodica pressare cubile.
Femina sed vetitis nequidquam perdita flammis
Explorat molles aditus, et tempora captat.
Forte domum vacuam, solumque ut repperit,
[instat,
Consertumque manu cogit decumbere secum.
Exsilit ille alacer, vestemque a corpore demit,
Atque inter dominæ geminas dilabitur ulnas.
Femina proclamat, viresque a crimine sumit,
Vociferans, prædulce decus temerasse pudoris
Fidentem forma juvenem, dum lubricus ævo
Fervet, et herilem molitur scandere lectum.
Quin etiam tristi compellat voce maritum,
Innocuumque reum placitæ vult subdere pœnæ.
Quæ ceu vera putans, Josephum carcere claudit,
In quo jam regis cohibebat pœna ministros,
Carceris hunc custos blando mox pectore mulcet,
Innocuumque videns, commissa ergastula legat.
CAP. XL. *Illic forte duo, celsa quos torvus in*
[aula
Condiderat nigro permotus velle tyrannus,
Inclusi pœnam trepido sub corde pavebant,
Ac dum sollicitis furantur lumina curis,
Somnia venturis viderunt nuncia rebus.
Hos cum perspicuo lustrasset lumine mœstos,
Perquirit causas, cogitque occulta fateri.
Continuo qui vina dabat consueta tyranno,
Eloquitur, quæ visa forent sub nocte sopora:

Cernebam viridi frondentem palmite vitem,
Dum serpit, nexaque suo de verbere pendet,
Pampineos inter flexus tres affore fundos,
Uvaque nectareo pendebat flava racemo.
Inde calix regis, quo mitia pocula libat,
Spumabat tenero, quod pressit dextera, musto,
Quem dominus prompta susceptum palma tenebat.
Omnia tum juvenis signanter clausa revelat,
Tres fundos tres esse dies, quibus ille secutis
Amissum rursus relegat, repetatque favorem,
Mixturus placido, quæ vidit, pocula regi.
Hoc tantum meritis pro talibus effice, dixit,
Ut, cum sumpta tibi fuerit fiducia fandi,
Dimoveas nostram nullo de crimine pœnam:
Hebræa gens dicta mihi. Nam venditus exsul
Crimine fraterno servitum nobilis ivi.
Post hæc visa sibi pistorum maximus infit:
Vertice trina meo visus gestare canistra,
Regificis dapibus, lautoque impleta paratu,
Unguibus innumeræ volucres quæ rapta ferebant.
His dictis, sat vera quidem, sed dura loquente,
Mactandum duro testatur mox fore ferro,
Avulsumque caput figendum stipite celso,
Quod volucres curvo discerpant protinus ore.
Redditus ille loco, cæsus hic corpore truncо est.
CAP. XLI. *Interea geminos jam tempora lapsa*
[per annos,
Rursus ad Eoos torquebant sidera cursus,
Somnia cum ductor vidit Niloticus ista.
Namque videbatur, fluvium dum spectat amœnum
Corporibus nitidis septem spectare juvencas,
Tondentes viridi pupantia gramina ripa.
His alias turpes macies subjungere gressus,
Dumque suis pigræ mirum! vix ossibus hærent,
Eximias patulo sorbebant ore juvencas.
Somnia junguntur paribus non dissona causis;
Ecce videt spicas fœcundo e germine septem,
Atque alias tenues, et farris semine cassas
Horrendum dictu! gravidas ceu mandere fruges.
Id visum mœstus nequaquam mente coercet,
Sed trepidus cunctos, qui callent, affore jussit,
Disquirens, clausis quæ sit sententia rebus.
Atque ubi consultus tacuit Memphiticus augur;
Carcere qui dudum laxatus, vina præbebat,
Eloquitur juvenis, sese, pandente Josepho,
Amisso rediisse loco, sociumque necatum.
Mittuntur propere, vatem qui crimine toto
Exutum, turpi celeres de fornice tollant,
Informesque genas, et crines carcere pastos
Tondentes, prisca facerent revirescere forma.
Ergo probus dictis consultus talia reddit,
Atque docet, vaccas annorum nuncias esse,
Atque leves spicas septenos disserit orbes.

1131. Forte, *Nec spes.*
1133. S. Augustinus, quæst. 130 in Genesin, vocat eum *Putefretem*, Vulgata versio *Putiphar.* MART.
1139. Virgilius, IV Æn. vers. 423: *Sola viri molles aditus, et tempora noras.*
1144. Ex Juvenali, sat. 6, v. 285.
1164. Putabam *nexuque suo.*
1165. Notandum *fundos* pro *propagines.*
1193. *Pupare*, crescere, verbum barbarum, quod indicatur a Ducangio ex Papia, et Statut. Saluc. collat. 7, c. 196.
1194. Forte, *turpes macie.*

Namque ita de gestis ventura insignia formis,
Ut septem fœcunda satis sit terra per annos,
Atque famem diram parili cum tempore gignat:
Quis penitus tellus sitientibus arida venis
Pallida pulvereo consumat gramina sulco.
Namque duplicibus junguntur somnia visis,
Certa Deus juncto mandat constare tonante.
Quin potius dum tempus adest, dum cura medendi est,
Elige de cunctis procerem, qui præscius horum,
Judicibus positis, totam sublimis Ægyptum
Temperet, et quintas quacumque ex messe reposcat.
Ut quæ prima datur fœcundis copia terris,
Jus teneat steriles consumptis frugibus annos.
Accipitur plausu procerum sententia vatis.
Ipse etiam tandem sedato pectore rector
Vera renarrantem celso sublimat honore,
Præfectumque jubet totas se ferre per urbes,
Inde anulo digitum vatis fulgente coronat,
Byssina mox crocco circumdat pallia peplo,
Flexilis induitur per collum circulus auri,
Atque novus rector curru sublimior exstat.
Clamosusque præco terrorem judicis auget.
Quin etiam legitur conjux, cui nomen Asennes,
Quam genuit claro Petafras stemmate vates,
Ex qua confestim genitor fit pignore bino.
Dicitur anterior Manasses, junior Ephrem.
Ægypti vatis suggestu nobilis alto,
Quidquid vix potuit jejunum assumere tempus,
Horrea plena tenens, ut cum res posceret uti,
Proferret cunctis poscentibus abdita farra.
Post ubi dira fames, totum diffusa per orbem,
Cogebat trepidos, poterat quod mandier, esse,
Conclamat populus, regemque efflagitat escas.
Ille jubet procerem mœstis dare farra Josephum,
Parentem monitis, cunctosque explevit ovantes.
CAP. XLII. *Interea Jacobus, fleto jam funere nati,*
Bis quinos juvenes numeroso e germine mittit,
Qui longinqua (sibi) pretio frumenta pararent:
At minimum cunctis Benjaminum non sinit ire,
Invalidus durum nequeat ne ferre laborem.
Atque ubi jam Fariæ perventum ad mœnia terræ est,
Summissi petiere solum, fratremque salutant,
Mirantes celsa sublimem sede sedentem,
Nec tamen agnoscunt longo post tempore visum.
Quos ubi perspexit, memori cum mente propheta
Increpat, et multa proterret voce paventes,
Scitatum venisse ferens, quæ copia frugum,
Quive viri pingues teneant moderamine terras.
Allegant nescire dolos, seseque fatentur
Bis senos quondam fratres genitore sub uno
Conspicuam tenuisse domum, his omnibus unum
Postremum natu patrios servare labores,
Ast alium celebri jam pridem defore letho.
Se diram vitare famem, terramque Chananæam
Exosos, tenui damnantem semina fœtu,
Poscere venales species, licitataque farra.
Eloquitur vates, rectoris nomine jurans,
Claudendas dura juvenes custodia, donec
Germanum exhibeant, genitor quem mitis habebat.
Nectuntur trina pariter sub cura tuentum,
Laxatique dehinc, unum liquere tenendum.
Nec minus occulto rumpentes corda dolore,
Commemorant, quam justa sibi discrimina surgunt,
Quod fratrem immeritum vetito transcribere pace,
Commissi sero pœnas sub judice pendant.
Ingravat hæc dictis Rubenus vera renarrans,
Ac scelus immensum, sese nolente, peractum.
Flectitur his vates, germana jurgia noscens,
Luminibus tacitis conversus flebile plangit.
Hæc inter media fratrum Simeona corona
Accipitur, fidus cunctis redeuntibus obses.
Tum petita sibi juvenes frumenta capessunt,
Immensoque graves urgentur pondere muli,
Jamque viæ medio, dum solvit vincula sacci,
Fratribus inventos quidam dat visere nummos.
Id cuncti faciunt, pretio mox deinde reperto,
Mirantes summo proceri certamine laudant.
Jamque adeo patriæ subeuntes limina sedis,
Gratatur reduces genitor, unumque requirit.
Omnia cognoscens, nummosque, et dona capessit,
Conquestus graviter, alium jam defore natum.
Accisi cum deinde cibi, advectaque farra
Cogebant rursus pretiis alimenta parare,
Sed revocare gradum Memphis mens non erat ulli,
Ni minimum fratrem secum pater ire juberet.
Quem cum plura gemens nollet dimittere quoquam,
Rubenus fido germanum postulat ore,
Securus gemina committens pignora patri.
Prosequitur Judas, sese nec posse reverti
Proclamat, rigidi testatus verba Josephi.
CAP. XLIII. *Hæc ubi grandævus genitor jam mitior hausit,*
Dat juvenem, largo perfundens flumine vultum.
Illi abeunt, secumque vehunt leve olentia thura,
Incensum, et guttam jungentes, cum terebintho,
Inter odoratas portantes mella vapores,
Et geminum pretium, consertus ne foret error,
Condita quod clausis fuerant numismata saccis.
Quos ubi conspicua vidit Josephus in aula,

1215. Forte, *ita digestis.*

1221. Non intelligitur quid sit *juncto tonante;* vide num restituere oporteat *certa Deus mandat junctim constare tyranno.*

1218. *Quis* pro *queis*, vel *quibus*, ut alias observavimus. MART.

1220. Lege : *Nam quæ duplicibus.*

1227. Legendum puto, *Sustineat steriles.*

1242. Forte, *absumere*; pro *assumere.* Sed videtur deesse aliquis versus ad sententiam exprimendam.

1255. Faria, seu Pharos oppidum erat Ægypti, in insula pene continenti juncta, quondam regia, de qua Lucanus, libr. x : *Fama quidem generis Pharias me duxit ad urbes.* MART.

1265. Forte, *ex his omnibus.*

1278. *Pace*, forte *pacto.* MART.

1307. Corrige : *bene olentia thura.*

Imperat, ut læta celebrent convivia secum.
Mussantes venere tamen, trepidoquè reatu
Conjiciunt, sese structa cum fraude vocatos,
Quod numerata prius sestertia, dataque vati,
Sarcinulis imposita suis non reddere quissent,
Se tamen exsortes futurum cuncta referre,
Nec consuesse prius suppressa vivere gazâ.
Talia dicentes cohibet sermone minister,
Seque docet nullis fraudatum noscere nummis,
Verum si qua viris donarent commoda lucrum,
Nec sua, nec vatis, nec regis dicere quemquam.
Occurrit cunctis Simeon, seseque præsentat,
Dumque viris lymphas, dum præbet pabula mulis,
Ingreditur multo stipatus milite vates,
Cujus ad aspectum promunt pia munera fratres.
Ille ubi per cunctos placido sermone cucurrit,
Perquirit, si firma pater virtute valeret.
Quem postquam incolumem dixere, et vivere recte,
Confirmat cohærere Deo pro munere vitæ
Josephus vatem, semperque insistere rectis.
Et veluti notus Benjaminus non foret ipsi,
Consultat juvenes, et promptim sciscitat, inde
Commoda quæque Deum pueri pro laude precatur.
Nec gemitus cohibere valet, nec sistere fletus,
Sed tenero affectu sese conclavibus abdit
Anxius, et nimio quærit fomenta dolori.
Post ubi discubuit, victum posuere ministri.
Vescitur, et facili prolectat pectora fato,
Dividuasque dapes viritim exponere gaudet,
Porrigit et fratri majori dedicat uni.

CAP. XLIV. *Atque ubi jam saturis amor est compressus edendi,*
Ut prius imposito presserunt pondere mulos,
Occulitur datum sueto jam more talentum
Josephi imperio, scyphusque absconditur ardens
In rebus, Benjamine, tuis, pretiosior arte.
Jamque iter ingressi, non multis millibus absunt,
Cum subito incautos circumdat regia turba,
Comprensosque tenet, fulgentia pocula poscens,
Futurum increpitant, quem nectant crimine, servum.
Annuitur, cunctique simul sua pondera pandunt,
Quæsitumque et poculum retegunt, fratremque relinquunt,
Josephumque petunt, et quæ sunt gesta, loquentes,
Evolvunt chari confestim jussa parentis.

A CAP. XLV. *Permotus precibus vates discedere cunctos*
Imperat, ac sese germanum fratribus infit.
Defixi riguere metu, tacitoque reatu
Damnantes sese, cohibent formidine voces.
Prolectat mox ille reos, propiusque vocatis,
Exigit, ut dicta portent placitura parenti
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura ferantur:
Instigans, migrare semen, gregibusque coactis
Vicinos Arabum colles venientibus offert.
Ut quia continuo tellus foret arida lustro,
Pasceret agnatos congestis frugibus omnes.
Ista edicta viri læto rex pectore noscit,
Josephumque rogat, charorum assumere turbam,
B *Et gratuita jubet germanis tradere farra.*
Dantur plaustra viris, frumenta, pocula, panis,
Magnaque gestantes desudant pondera muli.
Dantur quinque togæ Benjamino, et quinque parenti,
Tercentum et nummi signata incude notati.
Ast alii juvenes mercedis laude secunda
Accipiunt geminos nivosæ vestis amictus.
Hæc ubi cognovit genitor, data munera sumens,
Respirat patria festinus cedere terra.

CAP. XLVI. *Ægyptumque petit, Arabum quæ jungitur arvis,*
Educens juvenes patria moderamine quinque
Septies, et denas, genesis ut formula cavit.
Ac dum festino properant conamine turbæ,
C *Procurrit Judas, et fratrum prævolat agmen.*
Josephumque docet, haud longe astare parentem.
Ille alacris scandit currus, atque obvius exit,
Optatam excipiens viso genitore phalangem.

CAP. XLVII. *Regrediturque citus, regisque excurrit ad aulam,*
Pastores properare ferens, ut turba charorum
Discretis degat fœcundo in gramine terris.
Ipse etiam vati rector memphiticus instat,
Et jubet, uberibus fratres componeret arvis.
Longævus post ista senex, poscente tyranno,
Eloquitur sensim, quantis sit præditus annis,
Quæ domus, et quæ sit veniendi causa Canopum,
Eximiumque ducem multa cum laude decorat.
D *Nec minus interea Josephus munera mittit*
Digna suis, magnumque duci dat ferre talentum,
Quo ditata fuit distractis frugibus aula.

1317. Forte, *imposta.*
1318. Conjicere licet, *exsortes furti tum cuncta.*
1340. *Fato,* forte *succo.* MART.
1342. Mendosum id est, ut plura alia. Sermo videtur esse de fratre minore ex sacro textu.
1351. Forte, *Furatum increpitant.*
1353. Schramus legit *Quæsitum poculum retegunt.* Melius videretur *quæsitumque poclum retegunt*, vel, si metri rationem habere velis, *quæsitum et poclum retegunt.*
1364. Terram videlicet Gessen. Sic quippe habet versio Italica: *Et habitabis in terra Gessen Arabiæ.* MART. Ambrosius, de Joseph, c. 12, *Gessem Arabiæ.* Ita etiam plerique Græci. In Hebræis voluminibus deesse *Arabiæ*, ex Hieronymo animadvertit Sabatierius.
1380. In Vulgata editione septuaginta tantum animæ cum Jacob Ægyptum ingressæ dicuntur: at Septuaginta interpretes, et versio Italica, quam hic sequitur Juvencus, septuaginta quinque numerant: quibus astipulatur S. Stephanus, Act. VII, 14. MART. Corrigendum est *denos* pro *denas*, et pro *ut farmula* legam *ut formula.* Quod attinet ad numerum animarum, quæ ingressæ sunt Ægyptum, Ambrosius alicubi 70 numerat, alibi 75. Revera si pronepotes Joseph per prolepsin computentur, numerus erit 75, alioquin 70.

Atque ibi jam populis deerant mercantibus æra,
Certatim exhibitis gregibus memphitica turba
Emit inops fruges, pretium taxante Josepho.
His quoque nudati, seque, et sua prædia tradunt,
Semine præcepto messes quod deinde virerent.
Sola sacerdotum non est possessio dempta,
Queis gratuita duci placuit non vendere farra.
Inditur hinc populo quintarum pensio frugum,
Quæ manet fixo servatur formula jure.
Interea expleta perpendens tempora vitæ,
Adjurat natum Jacob, ventura revolvens,
Ut sua majorum componat membra sepulcris.
Annuit oranti, supposita dextera coxæ,
Contingit lentæ spondens cacumine virgæ.
CAP. XLVIII. *Compositosque senex alterna in parte nepotes*
Permulcet dictis, dum sensim basia libat.
Sed mirum! palma sacratur dextra Manasses,
Anterior natu læva contingitur Ephrem.
Præscia mente senis senior servire minori
Cogitur, atque loco cedit spes prima secundo.
Quamlibet obliquus cupiens deducere palmas,
Non potuit revocare tamen pia dicta Josephus.
At postquam pueris vatis rata commoda sanxit,
Dat Sichimam, gladiumque, suo dat spicula nato.
Clarior ut cunctis sublimem scandat honorem.
CAP. XLIX. *Inde vocat natos, et cunctis præmia dedit,*
Bis senasque tribus ipsorum ex nomine condit.
Omnibus explicitis, oculo jam captus utroque,
Pignoribus mansura diu, prolique natorum
Inconcessa prius, longoque adjudicat ævo.
Decessit solo terrenis corpore vates.
CAP. L. *Mœstitiæque dedit decies septena dierum*
Lumina, dum functi veneratur turba sepulcrum.
Quin etiam nati septem luxere diebus
Uberibus lacrymis, pacem reddente Josepho
Fratribus innocuis, veterem dum negligit iram.
Ipse etiam postquam jam centum triverat annos,
Atque decem, juncti metitus tempore lethi,
Fratribus effatur, venturus qui foret ordo,
Quo revocare gradum valeant, et linquere Nilum.
Dummodo compositos cineres, atque ossa reportent,
Et vehant secum veterum condenda sepulcris.
Sic demum longæ post tempora candida vitæ
Decessit, petiitque Deum, corpusque reliquit.

1406. Forte, *Quæ manet, et fixo.*

1411. In Vulgata, cap. XLVII, versu ult., legitur: *Adoravit Israel Deum conversus ad lecti caput.* Atque ita, ut ait Augustinus quæst. 162, in Hebræo habetur: *Adoravit Israel ad caput lecti.* Observat tamen idem sanctus doctor, Latinos codices legere: *Et adoravit super caput virgæ suæ*, vel *in capite virgæ suæ*, sive *in cacumine*, vel *super cacumen*, id est, super cacumen virgæ Joseph: *nisi forte Jacob tulerat ab eo virgam, quando ei jurabat idem filius, et dum eam tenet, post verba jurantis, nondum illa reddita, mox adoravit Deum. Non enim pudebat eum ferre tantisper insigne potestatis filii sui, ubi figura magnæ rei præsignabatur.* Mart. Etiam Septuaginta interpretes legunt: *Et adoravit super caput virgæ suæ*, vel *virgæ ejus.*

1421. Ultimum capitis XLVIII versiculum sic legit Vulgata versio: *Do tibi partem unam extra fratres tuos.* Quæ sit illa pars, clarius explicat Italica versio: *Do tibi Sichimam præcipuam super omnes fratres tuos:* cui concinunt Septuaginta interpretes. Mart. *Sichima urbs* eadem est ac *Sichem.* Ambrosius, Hieronymus et Augustinus legunt etiam *Sichimam* pro *partem unam.*

1439. Ut versus constet, legi potest *Atque vehant*, vel *Et revehant.*

DE LAUDIBUS DOMINI.

Quis queritur sera virtutis dote juvari?
Quis promissa Dei lento procedere passu?
Quis fine humano metitur judicis urnam
Perpetui, tardumque putat, quod sæcula debent
Accelerare diem, meritis qui præmia reddat?
Nobilis ingenti testatur gloria facto.
Nam qua stagnanti prælabitur agmine ripas
Tardus Arar, pigrumque Diuvix explicat amnem,

In prolegomenis, num. 18, rationem protuli cur inter Juvenci poemata dubia, vel supposititia hoc carmen, sub Constantino editum, collocari possit. Barthius hoc poema *elegans, doctissimum, politissimum*, et *eruditissimum* vocat, et l. XXXV Advers. c. 9, *vel Paulino dignum esse* pronuntiat. At Paulino antiquius esse, ex ipso tempore quo scriptum est, evidenter liquet.

Vers. 7. *Stagnanti agmine*: sic Juvencus, l. III, vers. 461: *Agmine Jordanis viridis perrumpit amœno.*

8. Legendum puto *Tardus Arar, pigrumque diu vix explicat amnem.* Non enim intelligo quid sit *Diuvix.* Arar, nunc *La Saona*, flumen est Galliæ Celticæ, de quo Cæsar, l. I de Bell. Gall. cap. 12: *Flumen est Arar, quod per fines Æduorum et Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, judicari non possit.* Joann. Michael Brutus, in Scholiis, contendit, legendum *incredibili levitate.* Nihil enim minus, ait, Arari videtur congruere, quam lenitas: nimia vero levitate fieri aliquando potest, ut visus fallatur. Hæc opinio non solum verbis Cæsaris refellitur, sed etiam plurium veterum auctoritate, qui tardum, pigrumque Ararim vocant. Plinius, l. III, cap. 4, *Segnis Arar.* Silius, l. XV, vers. 504: *Quorum serpit Arar per rura pigerrimus undæ.* Claudianus, de Consul. Mall. Theodori, vers. 55, *Tardus Arar;* et libr. II in Rufin. vers. 111: *Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit.* His accedit auctor hujus poematis, qui idem indicat vers. præc. *stagnanti agmine.* Non enim recte Barthius, libr. XXI Adv. cap. 17, *stagnanti* simpliciter accipit pro *fluenti.*

Qua fratrum Rheno progignitur Ædua pubes,
Conjugium memini summa pietate, fideque ;
Lex divina tamen meritum cumulabat amoris :
Et votum ambobus, socium præcedere morte,
Mœrorique pio curam mandare sepulcri.
Sed prior uxorem decreti pagina legit.
Tum vir sollicitus largo jubet ore cavari,
Post mortem fiunt quæ membris, hospita saxa :
Susciperet veniens, æternaque fœdera jungens,
Ut quos viventes tenuisset lectulus idem,
Post percepta Dei, bustum commune levaret.
Sensit vota sui conjux præsaga mariti,
Magnaque temporibus tribuit miracula castis.
Nam cum defunctis jungantur brachia membris,
Et repetita manus constringat vincula trunco,
Ne quibus humanæ complentur munera vitæ, B
Accidat informis fluitatio dissociatis.
Immensum dictu, quo tempore vita peracta est,
Jungendus sociæ prospecta sede maritus.
Postquam morte viri reserata est janua lethi,
Horrendumque larem jam lux ingrata retexit :
Deprensa est lævam protendens femina palmam,
Invitans socium gestu viventis amoris.
Quis dedit affectum tumulo? quis vincula solvit?
Unde sepulta videt venturæ conjugis umbram?
Tu facis hæc, tu, Christe Deus, tua signa mo-
[*ventur,*
Paulatimque doces sopita resurgere membra :

A *Tu, quem venturum sancti cecinere prophetæ,*
Incorrupta Dei soboles, rectorque regentis.
Quo sine nil magnum Genitor deliberat ingens,
Cujus ad imperium certis mare constitit oris,
Nec licet immenso terris excurrere ponto,
Planaque montanos includunt littora fluctus :
Qui vario stabilem dotasti munere terram
In nostros usus, largus pietate paterna.
Te vade, mortales committunt semina sulcis,
Et novus arenti procedit cæspite partus :
Tu manare jubes fœcundo nectare vites,
Tu gratos epulis hominum, medicosque saluti
Arboribus succos, tu trudis dulcia mella.
Tu servire jubes homini genus omne animantum,
Insuper et gravibus lucos curvescere pomis,
Atque novos reditus nullo de semine nasci.
Tu varios amnes nostro prodesse labori,
Et renovare sacris benedictum fontibus ævum :
Te duce, velivolis patuerunt æquora rostris,
Divisosque fretis lustravit navita portus.
Tu, postquam certis sunt acta elementa figuris,
Ne torpere rudi cœlestis machina vultu
Inciperet, vario signasti munere mundum :
Et quidquid cælo radiat, tua dextera finxit.
His aulam Domini placuit contexere signis.
Jam freta ne nullis agerentur inhospita terris,
Assiduumque alacer numeraret navita portum :
Crebra satis tumido defigitur insula ponto.

9. Expende, num rescribere oporteat *Qua fratrum* C *Romæ progignitur Ædua pubes. Ædui*, ut doctiores scribunt vel *Hedui*, aut *Edui*, a senatu Romano fratres, consanguineique appellati fuerant. Cæsar, libr. I B. Gall. cap. 33 : *In primis quod Æduos, fratres, consanguineosque sæpenumero a senatu appellatos, in servitute, atque in ditione videbat Germanorum teneri.* Et postea : *Si id non fecissent, longe iis* (Æduis) *fraternum nomen populi Romani abfuturum.* Cicero, I ad Att. ep. 16, al. 19 : *Ædui, nostri fratres, pugnant.*

12. In sepulcralibus inscriptionibus veterum formula hæc frequens occurrit : *Contra votum superstes.*

13. *Mœrori pio* conjugis alterius, superstitis.

17. Barthius, l. XXVI Advers. c. 10, hunc versum furcillis ejiciendum putat, sine quo omnis sententia egregie constat sibi. Fortasse trajiciendus est hoc pacto *Post percepta Dei bustum commune levaret, — Susciperetque uniens, æternaque fœdera jungens.* Re- D scribo *uniens* dissyllabum per synæresin: nam *veniens* retineri nequit.

19. Barthius, loc. cit., legendum censet *Post præcepta Dei :* hoc est, post evocationem, seu, ut Hieronymus loqui amat, dormitionem. Sic frequenter in formulis christianorum testamentorum legimus : *Cum Dominus de me præceperit.* Quod et ipsum ex stylo sanctorum Patrum traductum. Adde versum 14 hujus carminis : *Sed prior uxorem decreti pagina legit.*

23. Longe melius est *constringant*, quam *constringat :* videlicet repetita vincula constringant manus trunco. Id qua ratione fieri consueverit, observare licet in veteribus imaginibus Lazari sepulti. Recole notam ad vers. 395 l. IV Historiæ Evangelicæ Juvenci.

25. Sensus est, Ne accidat informis fluitatio dissociatis membris, quibus complentur munera vitæ. *Fluitatio* verbum novum, sed ad rem exprimendam accommodatissimum. Prætermissum est a Forcellino, neque inter barbara quidem repositum. Hoc argumentum pertractat Julianus Toletanus Prognost. l. I, c. 18, qui ex S. Augustino ita ratiocinatur : *Non tamen contemnenda, et abjicienda sunt corpora defunctorum, maximeque justorum, atque fidelium, quibus tamquam organis, et vasis ad omnia bona opera, et sancta usus est Sanctus Spiritus.* Sic vetustissimus codex Juliani, quo utor.

26. Hic versus, et sequens non videntur hujus esse loci et fortasse corrupti sunt. Sine eis certe sententia belle procedit.

33. Pro *venturæ* lego *venturi*, vel *venturam.*

37. *Rectorque regentis*, in mendo, ut arbitror, cubat hic locus.

39. Explicatus hic locus est in not. ad Dracont. l. II, vers 343.

50. Barthius, lib. XXXV Advers. cap. 9, plura verba finita in *escere* non obvii usus proferi, et in his *curvescere* ex hoc loco. Forcellinus ad vocabula barbara rejecit *curvesco.*

51. *Reditus*, fructus, proventus. Atque ita hoc nomen scribitur a *redeo*, prima correpta. *Redditus* ergo vix tolerari potest in poetis qui primam licenter producunt, ut in *relligio, reppulit.*

53. Estne sermo de sacro baptismate? Sic opinor.

56. An *sunt aucta elementa?*

58. *Mundum*, cœlum : quam significationem ex Manilio, et aliis antiquis confirmat Barthius, lib. XXXV Advers. c. 16.

59. Expende, num melius sit *dextera pinxit.*

61. Barthius, l. XXIV, c. 5, ex Græcis ad Latinos hanc elegantiam traductam ait, ut efferati animi barbaros, atque tetros *inhospitales* vocarent, allegatque hunc ipsum versum cum aliis aliorum.

62. Accipe interpretationem Barthii lib. XLVI, cap. 16 : *Ne prorsus humanis cultibus inhospita essent freta, et ut assiduum, hoc est, frequentem, crebrum,*

Nec tamen insano metuit circumdata fluctu,
Exiguoque fretis innitens orbe resistit,
Te duce confidens, cujus venerabile pactum
Nexum lege pari summumque, imumque peræquat,
Nec sinit impositos quoquam transcendere fines.
Ac ne plana nimis tellus, vel nuda jaceret,
Vitibus aptandos jussisti assurgere colles
Grandibus, et largos umbracula texere lucos.
Tum ne vastus agat silvis torpentibus horror,
Innumeros fœtus proceris saltibus addis,
Incola ne nemori, neu desit præda petenti.
Tum volucres multas, et mille examina vocum
Mortali harmonia lucis resonare canoris.
Sic annum placuit variis intexere formis,
Et vice jucunda mortalibus addere fructum:
Neu semper prolixa dies nimis uréret orbem,
Neve brevis justum raperet nascentibus ignem:
Ac ne perpetuo quateret labor omnia nisu,
Dat requiem fessis hominum nox roscida curis:
Utque humana salus securum duceret ævum,
Sponte salutares de cæspite surgitis herbæ.
Has Pater ipse serit nutu, non vomere dives.
Non ego ferrato tegerer si viscera muro,
Ferrea vox, linguæque forent mihi mille canenti,
Munera cuncta queam vestræ pietatis obire.
Sed pater ille tuus secreta in sede locatus,
Nec cuiquam visu facilis, cunctisque tremendus,
Te misit Dominum terris, vitæque magistrum.
Et quisquis natum justo veneratur honore,
Ambobus sua vota dicat, vitamque perennem.
Tu casti, rectique tenax, et flectere leges
Post crimen facilis, si quem vecordia præceps
Depulit a vobis præscripto limite vitæ.
Te Genitor nostra paterentur ut ora tueri,
Induit humana facie, membrisque caducis.
Quis tentaret enim fragiles attollere visus,
Si talem trepidis voluisset sistere terris,

A *Qualis es, ingenti cum torques fulmina dextra,*
Præsentemque jubes directa pavescere pœnam:
Vel cum placatus campis sitientibus imbres
Dividis, et dubias sulcis producis aristas?
Ne tamen insignem res nulla ostenderet ortum,
Virgine concipieris: non sufficit esse pudicam,
Nec quæ nupta queat Domino conjungere fratrem,
Ne procul ex utero contagio turpis abesset.
Mox ubi processu felix maturuit ætas,
Indociles animos monitis servare paternis
Aggrederis, rectamque viam labentibus offers.
Atque ut missa Deo penitus præcepta paterent,
Imperium tu morti adimis, morboque soluto
Desperata jubes apprendere munia vitæ,
Restituisque diem cæcis, et ne quid inausum
B *Restaret penitus, quo perfidus error obiret,*
Indicis sensum tumulis, et condita pridem
Membra jubes iterum superas consurgere in auras,
Agnoscuntque suum dilecta cadavera nomen.
At postquam legem sectator idoneus hausit,
Ut se mortali cœlestis spiritus aula
Exueret, legi intentum, quo cuncta doceres
Pro summo toleranda Deo, recteque perennem
Contemptu mortis sibi quemque assumere vitam:
Sic completa ferens Genitoris jussa, redisti
Ad summi secreta poli, qua lucidus æther
Pigra vetat proprio succendere nubila cœlo:
Atque ut certa foret pereuntis copia turbæ,
Quæ præcepta Dei miserandis auribus arcet,
Nec nova defunctos jampridem jura tenerent:
C *Carceris inferni feralia, libera nobis,*
Innumeramque jubes tenebris emergere plebem.
His tantum clausis, quos impia vita notarit:
Et loca pœnarum venturis dividis umbris,
Quæ tibi non credant, vel quæ se credere fingant.
Sancte Deus, summique Dei venerabile pignus,
Ad cujus nomen violenta morte fugatæ

velut perpetuum portum nauta sciret ubique non deesse suis laboribus, fixit insulas in ponto Creator Optimus Maximus.

68. Suspicor *quidquam* pro *quoquam*.

71. Fortasse, *Grandius*.

77. Similia habet Dracontius, Satisfact. vers. 247, aliique ibi a me producti.

82. Confer not. ad Dracont. l. III v. 27.

86. Adisis not. ad Dracont. libr. III vers. 552: *Non si mihi ferrea vox sit.*

94. Plura de his ad Dracont. libr. II, v. 690.

96. Scilicet *a limite vitæ præscripto vobis* pro *a vobis*. Vel lege *a nobis*.

97. Barthius, libr. XXV, c. 7, affirmat, *tueor* passive usurpari a Boethio, et ab auctore hujus carminis: quamquam de hoc certus non erat, cum liber illi ad manum non esset. Si hunc locum innuit, *tueri* hic accipitur pro *intueri* active. Sensus enim est: ut nostra ora paterentur te tueri, Genitor te induit, etc.

102. Legam *delicta* pro *directa*.

104. Pro *dubias* aliud mallem.

105. Scilicet ut res aliqua insignem tuum ortum redderet.

107. Hic versus et sequens obscuri sunt, et fortasse corrupti. Innuitur, ut puto, perpetua virginitas Deiparæ, et clarum id est, si vers. seq. legas *ut procul*.

112. *Missa Deo* pro *missa a Deo*, qualia multa apud Juvencum observavi.

115. *Ne quid inausum*, ex Virgilio, l. VIII, v. 205, quod et alii imitati sunt.

118. Ut cadaver Lazari.

120. Fortasse respicit verba Christi, *Consummatum est*, quæ ad calicem passionis pertinent.

126. *Secreta poli*, ut Juvencus, lib. I, vers. 210: D *Cœli secreta*.

127. Corrigo *succedere* pro *succendere*.

130. Animadvertenda est peculiaris hujus auctoris opinio: Ne eos qui jam pridem defuncti fuerant, nova Christi præcepta tenerent, aut ex eis judicarentur, jussit Christus, loca feralia carceris inferni libera, et vacua nobis, scilicet his qui post Christum futuri erant, remanere innumeris inde extractis et his tantum retentis, quos impia vita maculaverat. Loca ergo pœnarum divisit, et partem his ita retentis reliquit, partem reservavit his qui in Christum non crederent, aut fingent se credere, quia scilicet fidem bonis operibus non tenebunt.

134. *Umbras* vocat defunctos, phrasi ex ethnicis petita, sed qua alii christiani poetæ usi sunt.

Pectoribus propriis, alienaque pectora nactæ
Exclamant, pallentque animæ, jussæque recedunt
Sicut multa prius de te miracula produnt,
Cum terram, cœlumque inter suspensa tenentur,
Obstricto per te quia nil permittitur hosti.
At nunc tu dominum meritis, pietate parentem,
Imperio facilem, vivendi lege magistrum,
Edictisque parem, quæ lex tibi condita sancit,
Victorem, lætumque pares mihi Constantinum.
Hoc melius fœtu terris nihil ante dedisti,
Nec dabis, exæquent utinam sua pignora patrem!

137. Hi sex versus obscuri sunt, et videtur aliquid deesse ad sensum. Sermo, ut arbitror, est de illis, qui cum Christo resurrexerunt, et qui contra in æternis pœnis sunt relicti; vel potius de obsessis a dæmone, qui per gratiam Christi e cordibus hominum pellitur, et aliquando etiam justorum corpora obsidet, ab iisque in nomine Christi jussus recedit. Vide Paulinum, Natal. XI S. Felicis vers. 230 seqq.

143. Elogium simile Constantini Juvencus in fine libr. IV Historiæ Evangelicæ adornavit.

145. *Lex tibi condita*, h. e., a te condita.

147. Imitatio Horatii, l. IV, od. 2, de Cæsare Augusto: *Quo nihil majus, meliusve terris — Fata donavere, bonique Divi: — Nec dabunt, quamvis redeant in aurum — Tempora priscum.*

TRIUMPHUS CHRISTI HEROICUS.

Cum faber astrorum mortis pateretur acerbum
In cruce supplicium, sese non posse dolores
Ferre Creatoris mundus clamabat, et astra :
Ignivomi solis lumen nox abstulit atra :
Contremuit tellus, scopuli, rupesque dehiscunt.
Et quid opus multis? lugebant cuncta creata.
Rex cœli ut Christus Phlegethontis regna subivit,
Princeps regali Pluto prospexit ab aula,
Ad sua dum sensit concurrere limina Christum :
O socii, exclamat, jam tempus sumere tela,
Quandoquidem hic, sanie perfusus membra, propinquat,
Prædaturus opes nostras, umbrasque animasque.
Scandite tecta alacres, hostemque a limite telis
Arcete objectis, multa et compage serarum.
Regalem interea nos hic tutabimur armis
Objicibus crebris, et duris vectibus aulam.
Agmine facto illi summa ad fastigia currunt,
Vocibus horrisonis et tecta et mœnia complent.
Ecce autem Christus per tetra silentia rupit
Lumine sidereo, claraque in luce refulsit.
Heus agite, umbrarum proceres, attollite portas,
Portarumque seras, et magnos demite vectes.
Quid miseri audetis contra capere arma Tonantem?
Hic ego rex vester, frustra est obsistere regi.
Hæc ubi dixisset, subitus pavor occupat omnes,
Turmatim effugiunt, ululatibus aera complent.
Nec mora, cum sonitu postes cecidere solutis
Cardinibus, magnamque dedit collapsa ruinam
Janua, et admittunt concussa palatia Christum.
Obstupuit prior ipse Charon, seque abdit in ulva,
Et canis obstupuit claudens tria Cerberus ora,
Gorgones, Harpiæque tremunt, pavet ipsa Megæra,
Tisiphone, Alecto, perculsæ luce molesta,
Ultrices Diræ, Furiæ, Parcæque sorores.
Et quid multa? silent gemitus, tormenta, dolores.
Quo simul ingreditur Christus, tremere omnia circum.
Sed gaudent animæ sanctæ, manesque piorum.
Primus Adam ante alios palmas ad sidera lætus
Extulit, et Dominum devota est voce precatus;
Exspectate venis miseris, o sancte Redemptor,
Da requiem, finemque malis, fer ad astra redemptos :
Sic pater Abramus, puer Isacus, atque Jacobus
Procedunt alacres, juxta formosus Ioseph,
Et Moses sanctus, et vita insignis Aaron,
Et Josue invictus, reliqui regesque ducesque,
Et patriæ vindex Machabæus origine Judas,
Inde alii patres, fama super æthera noti.
Candidus ille chorus Christum reverenter adorat.
Regius ante alios vates, notissima proles
Stirpis Jessææ, citharam tangebat eburno
Pectine, et ad numeros una omnes voce precati
Dulce melos pangunt concordi carmine vates.
Ante alios juvenis, qui Christum nuper ad undas

De hoc carmine, post Juvencum a Poelmanno edito, confer Prolegom. n. 19.

Vers. 7. Veteres poetas christianos phrases gentilium sæpe usurpasse, et ad fabulas interdum respexisse, etiam cum de sanctissimis religionis nostræ mysteriis verba facerent, ostendi in not. ad Dracont. l. II, vers. 539, et in Addendis pag. 467.

21. Ex psalmo XXIII, 7: *Attollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit rex gloriæ.* Quod tamen alii intelligunt de principibus, et portis cœli. Lorinus pro expositione hujus auctoris plures allegat veteres, recentesque interpretes : cui etiam favet Ecclesia in secundo nocturno sabbati sancti, hunc psalmum recitans cum antiphona ex hoc vers. 7.

22. Emendo : *Portarumque seras* pro *Portarum seras*, ut editum erat. Prima enim in *seras* brevis est, et brevis effertur supra, vers. 14, et infra, vers. 96.

35. Hæc opinio fuit plurium veterum Patrum, die resurrectionis dominicæ pœnas damnatorum mitigatas fuisse, ut fuse exposui in not. ad Dracontium, libr. II, vers. 528, et in Addend. pag. 467.

40. Ex Virgilio, l. VI, vers. 687: *Venisti tandem, tuaque exspectata parenti — Vicit iter durum pietas!*

Tinxerat, hic lætis concentibus agnifer ibat : A
Salve, Erebi victor, domitor salve inclyte mortis,
Destructor scelerum, salve, o fortissime vindex
Amissæ vitæ, salve, o spes una salutis,
Aspice plasma tuum, sancte, et venerande Creator,
Et post tot gemitus nos duc ad regna polorum.
Tum Christus verbis animas affatur amicis :
Ponite corde metum, tristes secludite curas :
Ipse, ubi tempus erit, vos ad mea regna reducam.
Hæc dicens, fractis portarum molibus intrat
Horrendi Ditis regnum : quem protinus inde
Extractum, vinclis, et carcere frænat opaco.
Horrendum ille tonans, nequicquam palpitat artus,
Immordetque seras, indignaturque teneri.
At Deus, ille Stygis domitor, Phlegethontē rē- [*licto,* B
Intulit Elysio raptos de carcere patres.
Hinc redit a tumulo redivivus, pervigil ipsum
Miles ubi clausum studio servabat inani.
Quos tremor attonitos sic fecerat, ut neque dictis
Auderent contra, aut sumptis insurgere telis.
Sed Solymam ingressi magnis terroribus urbem,
Surrexisse aiunt magnō cum robore Christum.
Interea sese vitæ reparator amicis,
Discipulisque suis redivivum præbuit, et post
Quadraginta dies cœlestia regna revisit.
Quem mox venturum rursum exspectamus ab alto,
Arbiter ut justa cunctis det præmia lance.
Rex ergo noster Christus super omnia regnat.
Et veluti quondam belli statuere trophæa
Magnanimi Graium proceres, regesque Latini :
Sic Christus statuit celebris victricia pugnæ
Signa suæ, signa æternos mansura sub annos.
Arboris ipse crucem posuit, venerabile lignum,
De cujus ramis, fractis cervicibus, hujus
Vincti dependent oculis turgentibus hostes.
Ante alios Stygius Pluto de stipite pendet,
Arcubus attritis, telis, laqueis, pedicisque.
Hinc alia Mortis de stipite pendet imago,
Pallida, cæca, ferox, elinguis, frigore torpens,
Dentibus excussis, et truncis naribus ora
Horrida commonstrans, et hiantia guttura late.
Fronde alia inferni dirupti janua pendet,
Postibus atrīs, cum cardinibusque, serisque.
Fronde alia ira Dei, et sibi mens male conscia [*pendent,*
Omnia quæ Christi roseo sunt tersa cruore.
Fronde alia patris primævi syngrapha pendet,
Dilaniata modis miseris, exstinctaque prorsus.
Tandem sordifluus valido de stipite mundus,
Plenus dissidiis, et multo crimine pendet,
Et variæ pompæ, et crudelia facta tyrannum.
Hos hominum Christus sævos absorbuit hostes,
Ut neque jam possint ultra damnare fideles.
His equidem tentare datum, sed vincere nostrum est.
Id quoque per Christum, cujus victoria nostra est.
Cum Patre, qui æternum sancto cum Flamine reg- [*nat.*

54. *Agnifer*, nomen novum, sed ad similium normam formatum. Respicit auctor verba Joannis Baptistæ, *Ecce Agnus Dei*, etc., et imagines ejusdem Joannis, qui cum agno solet repræsentari. C

72. A numero singulari *miles* transit ad pluralem *quos :* quia revera *miles* pro multis positum est.

80. *Justa lance* ex dictis ad l. II, v. 230 Historiæ Evangelicæ Juvenci.

81. Poelmannus ad marginem indicat ea, de quibus in his versibus mentio fit, ut ad hunc versum *Trophæum;* ad v. 86, *Crux;* ad vers. 89, *Pluto;* ad vers. 91, *Mors;* ad vers. 95, *Infernus;* ad v. 97, *Mala conscientia, et ira Dei;* ad vers. 99, *Chirographum;* ad vers. 101, *Mundus;* ad vers. 104, *Victoria Christi.*

87. *Hujus*, crucis, aut Christi hostes.

91. Corrigendum videtur *alio.*

100. Forte *Dilaniata modis miris :* sed bene etiam est *miseris.*

101. *Sordifluus*, ut *lucifluus* apud Juvencum, l. III, v. 293.

106. Hinc argumentum peti potest, carmen hoc antiquum esse, et eo tempore factum, quo persecutiones contra christianos cessaverant, et pax Ecclesiæ sub Constantino reddita fuerat, ut canit Juvencus in fine Historiæ Evangelicæ.

P. OPTATIANUS PORPHYRIUS.

(Ex edit. Ch. Arnoldi in optimo codice Pauli Velseri Norimbergæ 1692 excusa.)

EPISTOLA NUNCUPATORIA.

Viro illustri et nobili Henrico Ranzovio, *regis Daniæ in Cimbrica Chersoneso produci.*

Aniavit, credo, Ulysses Ithacam, quam per tot annorum, terra marique exantlatas ærumnas, sustinuit repetere, patria enim erat. Sed ludus ille tamen merus et nugæ, præ his quæ patriæ desiderio Porphyrius iste molitus est. Carmina dico, patientiæ miserrimæ, temeritatis pene incredibilis, certe, quod constet, nullius ante se exempli : quibus quod reditum impetravit exsul, satis eo superque pœnarum expendisse, nec inimicis quidem invidiam ultra debere videtur. Nam nulla crux umquam conferenda cum hac cruce, præ qua cordatus aliquis valide inclamet, Exsilium, ut Philoxenus ille olim Latumias, ne Dionysii versibus aures præbere cogeretur : O mora, o pœna, iteret, quisquis a limine inspiciat. Indignum vero visum, tam improbi laboris opus latere diutius, et auctori tantarum vigiliarum lucubrationem, posterum incuria perire. Itaque unico freti codice, eoque sat multis

locis corrupto, editionem tamen adornavimus, nævos, qui tuto poterant, sustulimus, mala alia ulcera, quæ tractari respuerent, non attigimus. De auctore, quidquid ex Hieronymo et aliis observatum, præscripsimus; Hieronymum enim, et poetam et librum hunc respexisse apparet, an Fulgentii itidem loca eo quoque pertineant, etiam nunc ambigimus. Addimus præterea ex VI *carmine, videri exsilio fuisse mulctatum vel injuria, vel levi de causa, his enim Constantinum alloquitur :*

Respice me falso de crimine, maxime Rector,
Exsulis afflictum pœna : nam cætera causæ,
Nunc objecta mihi, venia venerabile numen
Vince pia, et solito superans fatalia nutu,
Sancte tui vatis Cæsar miserere serenus.

Librum ante cædem Crispi Cæs. quæ in annum Christi 324, *Constantini* 19, *incidit, scripsisse, carmen* XX *ostendit ; etsi Hieronymus* 23 *Constantini demum ab exsilio revocatum fuisse annotavit ; sed multa in Hieronymiano chronico esse perperam transposita, omnes vident ; Crispi enim sic meminit,*

Crispe avis melior...

Inde multa in ejus et fratris Constantini laudem sequuntur. Cur paganus adeo visus Bedæ, ut ejus attactum illo nomine refugerit, non admodum scio : fabulæ intermixtæ sunt, sed et Christianæ pietatis argumenta permulta, imprimis, irrisa Juliano in Misopogone Chi littera, et crux Constantiniana omnino integra, ea prorsus forma, quam Eusebius descripsit, repetitæ sunt toties, ut impietatis profecto notam deprecari debuerint, sine etiam carmine IX, *et quæ alia sunt ejus generis non pauca, fuisset. De reliquo, Judicium ferre, lectoris potissimum partes : ausim tamen pronuntiare et ego, Ausonianis propemodum verbis, esse hic, quod mireris (id nemo iniquus adeo negaturus), verum multo magis etiam esse, paucis litteris additis, cujus misereris, neque æmulari velis : nam hoc postremum, omnes Musarum pueros per spem studiorum suorum, oratos volo enixe. Præsens et certa pestis ingeniorum, imitari velle ista talia, quæ recti specie, et ipsa difficultatis illecebra, queant incautis lenocinari, non illis, qui veram poeseos pulchritudinem animo unquam conceperint. Porro cum patronum Porphyrius quæreret, qui insuetæ audaciæ conatum tueri, tum posset, tum vellet, et longe illi Constantinus Aug. longe Crispus et Constantinus Cæss. essent, in tuam ; Vir illustris, sibi clientelam putavit concedendum ; quod in tua maxime virtute, humanitate, doctrina, satis sibi præsidii ex utroque capite esse intelligeret. Tuum jam erit, supplicem non negligere, qui scias, quanti hoc genus homines Plato faciundum censuerit, natura præterea ita sis informatus, perpetuo bene omnibus faciendi usu confirmatus, ut nemo quisquam tuam opem unquam frustra imploraverit, eis qui Apollinis sacris operati, manus etiam adjutrices ultro semper porrexeris. Vale.*

TESTIMONIA DE P. OPTATIANO PORPHYRIO.

D. Hieronymus in Chron. an. 23 *Constantini M.*

Porphyrius, misso ad Constantinum insigni volumine, exsilio liberatur.

Fulgentius libr. XI *Mytholog. de Venere.*

Hanc etiam in mari natantem pingunt, quod omnis libido rerum patiatur naufragia. Unde et Porphyrius in epigrammate :

Nudus, egens, Veneris naufragus in pelago.

Fulgentius de expositione Virgilianæ contiñentiæ.

Exaltatus quis in superbiam, duplum eliditur. Unde et Porphyrius in epigrammate ait :

Pauxillum Fortuna tibi, res perfida, Quinte,
Extulit in frontem grande supercilium.
Nam ne aliud credam, puteum puto te quoque, Quinte,
Quanto altus magis es, tam mage despiceris.

Beda de Arte metrica.

Præterea sunt metra alia perplura, quæ in libris centimetrorum simplicibus monstrata exemplis, quisque cupiet, inveniet. Reperiuntur quædam et in insigni illo volumine Porphyrii poetæ, quo ad Constantinum Augustum misso, meruit de exsilio liberari. Quæ quia pagana erant, nos tangere non libuit.

A *Magnentius Rhabanus Maurus de laudibus Sanctæ Crucis, in prologo.*

Non recordor alicubi me fecisse in ipsis versibus punctos, nisi ubi QUÆ pronomen, vel QUE conjunctio fuit, vel us finalis syllaba dictionis, quod idem et Porphyrius fecit, secundum cujus exemplar litteras spargere didici.

Joan. Cuspinianus in Constantini vita.

Cum Porphyrius insigne volumen Constantino misisset, exsilio est liberatus.

Subscriptum carmini quod Viennæ editum, in adventum Imp. Maximiliani primi.

Joan. Stabius ad imitationem Publilii Optatiani Porphyrii, nuper a se reperti contexuit.

B *Lilius Greg. Giraldus de poet. hist. Dial.* 4.

Constantini ætate Porphyrius poeta quidam Latinus fuisse perhibetur, qui variis de rebus poemata scripsit : inter quæ librum Constantino ipsi Cæsari dedit, quo munere ipsum relegatum ab exsilio revocavit, ut est ab Hieronymo et Beda in Chronicis observatum. Meminit hujus et Fulgentius, qui ejus Epigrammata citat, ex quibus est hic versiculus :

Nudus, egens, Veneris naufragus in tabula.

Citat item Rhabanus in mirabilium carminum prologo eum enim ait punctis quibusdam versus notare solitum, et propterea illius se exemplo versus facturum pollicetur.

A *Inter fragmenta Petronii Arbitri, ad illud*, Crede ratem ventis, etc., *nescio quis annotavit.*

Nisi sit potius Porphyrii poetæ sub Constantino in exsilium missi, cujus pleraque video Petronio nostro vel a Criticis tribui.

EPISTOLA PORPHYRII AD CONSTANTINUM.

DOMINO CONSTANTINO MAXIMO, PIO, INVICTO ET VENERABILI, SEMPER AUGUSTO.

Fateor, domine Constantine, maxime invicte, et non minus pietate quam virtute præcipue, quamvis avara atque ultra meritum cupida parvitatis meæ vota, infatigabili clementiæ tuæ dignatione superata. Quippe cui satis abundeque suffecerat, carmen quod arctioribus Musarum ligaveram vinculis, quo plus mihi sinceræ devotionis studium, quam ingenii mei parvitas præstitit, in tuas, augustissime imperator, manus venisse victrices, legendum oculis tuis. In quo mihi [1] pro Heliconis verticis nemore, pro Castalii fontis haustu versifico, pro Apollinis lyræ Musarum concinentibus choris, cæterisque quæ poetis mos est carmen pangentibus invocare, tui mihi nominis æterna felicitas, et ejus multiformis cum sua veneratione præfatio, incentivum cecinit ad [2] audendum, et ad expediendum pariter ingenium tri- C buit et effectum. Romanæ Musæ antistes nobilis Mantuanus, serena lux vatum, et fons puri nectaris, vela fecundus in carmina [3] exaltat, ac se plurimum jactat, et iterum ac sæpius Mecœnatis testimonio gloriatur. Quid ego faciam tenui pauper ingenio, meriti nunc usque perparvi? Cœlestis judicii dignatione immensum mihi pondus impositum est, ejus imperatoris testimonio, qui inter belli pacisque virB tutes, inter triumphos et laureas, inter legum sanctiones et jura, etiam Musis tibi familiaribus [4] adeo vacas, ut inter tot divinæ majestatis insignia, quibus invictus semper in primis es, hujus etiam studii in te micet splendor egregius. Nimirum agere gratias audebo, [5] cum exili sermone ne perminimis quidem referri digne [6] possint, et tu, pie imperator, tanta præstiteris, ut istud pro benefactis tuis ne facundissimis quidem possit impleri? Etenim si ita, ut sapientibus placuit, maxime imperator, æstimanda sunt, non numeranda judicia, qui hujusmodi testimonium consecutus sum pietatis tuæ dignatione cœlesti, jam licet Parnassi juga securus ingrediar, et ab ipsis Aonii verticis adytis deducere audeam Musas, tutus quocumque mens ibit in carmina, et divina judiciorum tuorum auctoritate munitus, atque in mea blandimenta plus credulus, universo me orbi placuisse contendam, qui placere potui totius orbis imperatori. Denique oratus, augustissime domine, temeritati meæ da veniam, et quæ nunc quoque pietatis tuæ favore ausus sum illigare, dignanter admitte : Audaciæ meæ fomitem auctoritatis tuæ clementia suscitavit. Vale.

[1] *Per Heliconis*, et sic deinceps.
[2] *Audiendum.*
[3] *Exultat.*
[4] *Laude vacas.*
[5] *Cujus ex illius sermone permin.*
[6] *Possit.*

Maxime invicte. Petri Pithœi editio inter Veterum Epigrammata et Poematia, procurata Lugduni 1596, pag. 379, omittit *maxime.*

Infatigabili clem. Pith. *infatigabilis.*

Suffecerat. Pith. *suffecerit.*

Ligaveram. Pith. *illigaveram.*

Quo plus mihi. Pith. *quod prius mihi.*

Pro Heliconis. Pith. *pro Heliconii*, quod Barthius mavult, col. 1107.

Apollinis lyræ. Pith. *Apoll. lyra.*

Tui mihi nominis. Pith. *tui mini.... nom.* Barthius legebat *tui divini nominis.*

Cum sua veneratione præfatio. Pith. *cum sua venerabili.. .. prælatio.*

Audendum, et exp. Tò *et* a Pith. abest.

Antistes nobilis Mant. Pith. *nobis.* Male.

Nectaris, vela fecundus. Pith. *nectaris fecundus.* Male omittit vocem.

In carmina exaltat. Pith. *in carmine exultat.*

Tenui pauper ingenio. Pith. *tenuis pauper ingenii.*

Immensum mihi pondus. Pith. omittit *mihi.*

Etiam Musis tibi familiaribus adeo vacas. Pith. *Hæc a Musis tibi familiaribus laudas.*

Quibus invictus semper in primis es. Pith. *quibus et invictus semper et primus es.*

Cum exili sermone. Pith. *cujus exili serm.*

D *Ne perminimis q. r. d. possint.* Pith. *prominimis q. r. d. possit.*

Ne facundissimis q. p. impleri? Pith. *ne a facund. q. p. impleri.* Absque interrogandi signo.

Jam licet Parnassi. Pith. *jam* omittit.

Quocumque mens ibit in carmina. Pith. *quacumque mens ibit, carmine.*

Ausus sum illigare. Pith. *ausus sum versibus illigare.*

Vale. Abest a Pith. Barthius ascripserat : « Non ideo dubitandum de ingenuitate hujus epistolæ, quod multi Constantiniano ævo melius Latine scripserunt : nam et alios licet notare, et sic et pejus etiam, locutos ; ut sint exemplo, chorographia a Jacobo Gothofredo, Itinerarium Hierosolymitanum a Petro Pithœo, promulgata opuscula. Nos inscriptis libris et plura talia superesse novimus, et vel omnium loco ponamus Commentaria in Psalmos Arnobii alicujus, ætate certe minime recentioris istis huc positis, titulum præferentia, etc. »

EPISTOLA CONSTANTINI AD PORPHYRIUM.

INVICTUS CONSTANTINUS AUGUSTUS MAXIMUS.

Si tantum pondus et gravitas spectarentur in carmine, et Græca post Chium Mæoniumve vatem, et Latina post rusticum Mantuanum eloquentia siluisset, nec frustra culpabiles forent, qui sibi materias pro ingeniorum qualitate sumentes, inani opere sudassent, cum penes primos facundiæ conditores gloria tota resideret, frater charissime. Sed quoniam semper in propatulo usus istius fuit, nec ulli negatum est, id ex ea indicere, quod possit illos etiam quos posterius ævum tulit delectare, non penitus a fructu favoris excludit, qui relictis gravioribus sonis, modos ad leviora flexere : Illigavit alter cothurnis et prope quotidianis ac moralibus verbis affectus hominum, comœdiis locutus est quidam, inæquali pede elegia cantata est, multorum digitos semiloquacibus chordis amor lyræ jucundus inservit pro æqualitate modulaminis. [1] At non circa singulos quosque expetitæ laudis gratia redundavit. Defuit quorumdam ingeniis imperatorum favor, qui non secus doctrinæ deditas mentes irrigare atque alere consuevit, quasi clivosi tramitis supercilio rivus elicitus, scaturientibus venis arva arentia temperavit. Sæculo meo scribentes dicentesque non aliter benignus auditus, quam lenis aura prosequitur. Denique etiam studiis meritum a me testimonium non negatur. Liber assidue cursus oratoribus fuit ; eos vero qui versibus dicerent, certis finibus lex metris statuta continuit : quare non immerito illud usus invenit, ut hoc genere dicturis, Heliconis aut Parnassi juga peterentur, cum mortalis ingenii deficiente substantia, necessaria viderentur auxilia divina. [2] Gratum mihi est studiorum tuorum facilitatem in illud exisse, ut in pangendis versibus dum antiqua servaret, etiam nova lyra sibi conderet. Vix hoc custoditum pluribus fuit, [3] qui modis quibusdam arctis innexi litterarum, distinctionibus versuum (qui ita medium corpus propositi [4] occulte intermeant, ut oculorum sensus interstincta [5] colorum pigmenta delectent) hoc tenuere propositum, ut hæsitantiam carmini multiplex legis observantia non repararet. Gratum igitur hoc mihi dicationis tuæ munus fuit : Exercitatio mentis et naturæ facilitas comprobata est. Tu cum tibi videas operis tui gratiam, quam ex meis petiveras auribus non perisse, et proventu præsentis temporis exsultare debebis, et non indebitam laudem ingenii exercitatione captare.

[1] *An circa.*
[2] *Grata.*
[3] *Ut.*
[4] *Oculis.*
[5] *Oculorum.*

Augustus Maximus. Pith. *maximus Augustus.*
Spectarentur in. Pith. *exspectarentur.*
Et Græca post. Pith. omittit τὸ *et.*
Eloquentia siluisset. Pith. *eloq. vilesceret.*
Gloria tota resideret. Pith. *resederit.*
Id ex ea indicere. Pith. *dicere.*
Ævum tulit delectare. Pith. τὸ *delectare* omisit.
Favoris excludit. Pith. *fav. exclusit.*
Flexere. Pith. *flexerunt.*
Cothurnis et prope quotid. Pith. *cothurnos. Alter prope cotid.*
Verbis affectus. Pith. *verbis allectus.*
Locutus est quidam, inæq. Pith. *locutus est : quibusdam inæquali.*
Elegia cantata est. Pith. *elegiaca cantata sunt.*
Inseruit pro æqu. modulaminis.... At non circa sing. Pith. *inseruit. Pro qualitate modulaminis ad singulos q.*
Ingeniis Imperatorum fav. Pith. *ing. temporum favor.*
Irrigare. Pith. *rigare.*
Quasi clivosi. Pith. *qu am si cliv.*
Temperavit. Pith. *temperaverit.*
Non aliter ben. Pith. *haud aliter b.*
Oratoribus fuit. Pith. *orationibus fuit.*
Ut hoc genere dict. Pith. *ut in hoc g. d.*
Parn. juga. Pith. *Parnassi sacra.*
Etiam nova lyra sibi. Pith. *etiam nova jura sibi.*
Qui modis quibusdam arctis innexi litterarum, distinctionibus versuum. Pith. *ut nodis quibusdam artis innexi citra interventum vitii inculpatum carmen effunderent. Tibi nominum difficultate proposita, numero litterarum, distinctionibus versuum.*
Propositi occulte intermeant. Pith. *propositi operis intermeant.* Forte : *propositi operis occulerint.*
Oculorum sensus. Pith. *ocul. sensibus.*
Hoc tenuere. Pith. *hoc tenere.*
Hæsitantiam carmini. Pith. *hæsitantia carmina.*
Non repararet. Pith. *non separaret.*
Dicationis. Pith. *dictationis.*
Comprobata est. Pith. *comprobata....*
Si tu cum videas. Pith. *Tu cum tibi videas.*
Auribus non perisse, et prov. Pith. *auribus...., non petis, sed prov.*

P. OPTATIANI PORPHYRII
PANEGYRICUS
CONSTANTINO AUGUSTO DICTUS.

I.

Quæ quondam fueras pulchro decorata libello,
Carmen in Augusti ferto, Thalia, manus.
Ostro [1] aditura nitens, argento auroque coruscis
Scripta notis, picto limite dicta notans,
Scriptoris bene compta manu, meritoque renidens,
Gratifici Domini visibus apta sacris :
Pallida nunc atro chartam suffusa colore,
Paupere vix minio carmina dissocians,
Hinc trepido pede tecta petis venerabilis aulæ,
Horrida quod nimium [2] sit tua nunc facies.
Quos habitus vatis præsentia fata merentur,
Vix locus hoc saltem præbuit unde venis.
Suppliciter tamen ire potes, Dominumque precari,
Squalor et hæ sordes, conveniunt miseris.
Cum dederit clemens veniam, natumque laremque
Reddiderit, comptis ibis et ipsa comis,
Purpureo fulgens habitu, radiantibus intus,
Ut quondam, scriptis ambitiosa tuis.

[1] Aditum. — [2] Fit.

Vers. 3. *Ostro aditura nit.* Pith. pag. 347, *Ostro tota nitens.*
10. *Quod nimium sit tua nunc facies.* Pith. *quo nimium sit tua mundities.*
11. *Quos habitus.* Pith. *Hos habitus.*
17. *Radiantibus intus.* Sic et Pithœi editio. Barthius tamen legere imbibit pro *intus*, *uncis*, per quos intelligit umbilicos, quos *Menides* vocat Ausonius Prof. XXVI. Vide eum l. XXII Advers. cap. 18.

II.

[1] VIDESVTARASTEMDICATAPYTHIO
FABREPOLITAVATISARTEMVSICA
SICPVLCHRASACRATISSIMAGENSPHOEBODECENS
[2] HISAPTATEMPLISQVISLITANTVATVMCHORI
TOTCOMPTASERTISETCAMENAEFLORIBUS
HELICONIISLOCANDALVCISCARMINVM
NONCAVTEDVRAMEPOLIVITARTIFEX
EXCISANONSVMRVPEMONTISALBIDI
LVNAENITENTENECPARIDEVERTICE
[3] NONCAESADVRONECCOACTASPICVLO
ARTAREPRIMOSEMINENTESANGVLOS
ETMOXSECVNDOSPROPAGARELATIVS
EOSQVECAVTESINGVLOSSVBDVCERE
GRADVMINVTOPERRECVRVASLINEAS
NORMATAVBIQVESICDEINDEREGVLA
[4] VTORAQVADRAESITRIGENTELIMITE
VELINDEADIMVMFVSARVRSVMLINEA
TENDATVRARTELATIORPERORDINEM
MEMETRAPANGVNTDECAMENARVMMODIS
MVTATONVNQVAMNVMERODVNTAXATPEDVM
QVAEDOCTASERVATDVMPRAECEPTISREGVLA
ELEMENTACRESCVNTETDECRESCVNTCARMINVM
HASPHOEBESVPPLEXDANSMETRORVMIMAGINES
TEMPLISCHORISQVELAETVSINTERSITSACRIS

[1] Stendicata. — [2] Quos litant. — [3] Coacta spicula. — [4] Ut hora quadræ.

Hoc carmen abest a Pithœana editione.
V. 10. *Spiculo.* Genus ferramenti marmorarii. *Barth.*
15. *Normata ubique.* Exacta ad normam. *Barth.*

III.

ALME DECVS MVNDI SVMMVM RECTOR PIVS ORBIS
AVGVSTE, INVICTA POPVLOS VIRTVTE GVBERNANS,
IVSTITIA IMPERIVM, NATIONVM CONSTANTINE
EFFRAENATARVM MODERAMINE PACIFICATOR,
QVEM DIVVS GENVIT CONSTANTIVS INDVPERATOR,
AVREA ROMANIS PROPAGANS SAECVLA NATO;
HEV NIMIS AD CAELUM PROPERANS, NI LIQUERIT ILLE
AETERNVM AVXILIVM INVICTVM IVSTVMQVE PIVMQVE,

ALME PATER PATRIAE NOBIS TE MAXIME CAESAR,
AVSONIAE DECVS, [1] O LVX PIA ROMVLIDVM.
EST PLACIDVM SVPERIS TVNC, HAEC IN GAVDIA MVNDI
PERPETVIS BENE SIC PARTIRI MVNERA SAECLIS,
SIDERA DANT PATRI, ET PATRIS IMPERIVM
SANCTE TIBI, MAGNAE DATA TV LVX AVREA ROMAE.
ISTA CANIT RVRIS TIBI VATIS ARDUA MVSA.

In hoc carmine primus versus ex dissyllabis partibus orationis constat. Secundus ex trisyllabis. Tertius ex tetrasyllabis. Quartus ex pentasyllabis. Quintus ex una, duabus, tribus, quatuor, quinque syllabis constat, qui dicitur Torpalius sive Symphalicus. Sextus ex quinque partibus orationis constat, quarum manente ultima, cæteræ quatuor ordinem suum per vices mutant. Septimus de octo partibus orationis solus constat, nec bis ullam partem habet, nec minus aliquam. Octavus per omnes casus declinatur. Nonus et ad directum heroicus, et reciprocus heroicus est. Decimus et ad directum pentameter est, et reciprocus æque. Undecimus et ad directum hexameter est, et reciprocus nulla exempta littera vel syllaba fit idem pentameter. Duodecimus heroicus est. Tertius decimus pentameter, fit heroicus, et heroicus pentameter. Quartus decimus et Quintus decimus ad directum heroici sunt, dum redeunt Sotadici.

[1] O lux o pia.

Vers. 2. *Auguste.* Pith. p. 378, *Augusti.*
3. *Imperium.* Pith. *Imperii.*
7. *Ni liquerit ille.* Pith. *ne linqueret illi.*
9. *Nobis te.* Pith. *nobis tu.*
10. *Decus o lux.* Pith. *decus et lux.*
13. *Dant Patri.* Pith. *dant Patriæ.*
Ult. *Vatis.* Pith. *Vates.*

IN LEMMA CARMINI SUBJECTUM.

Syllabis constat, qui dicitur Torp. s. Stymphalicus. Hæc non habentur in Pithœana.
Torpalius. Ropalicus. *Barth.*
Partibus orationis constat. Pith. omisit τὸ *constat.*
Ordinem suum per vices. Pith. *per vices ord. suum.*
Nonus et ad dir. Τὸ *et* omittit Pith.
Heroicus est. Pith. τὸ *est* omittit.
Decimus et ad dir. pent. est, et reciprocus æque. Pith. *Decimus ad dir. pentameter, et reciprocus nulla adempta littera vel syllaba, fit idem Pentameter.*
Undecimus et ad dir. hexameter est, et reciprocus nulla exempta littera vel syllaba fit idem Pentameter. Pith. *Undecimus ad dir. hexameter et reciprocus...*
Tertius decimus pentameter, fit heroic. et her. pentameter. Pith. *Et Tertius decimus pentameter : suntque recurrentes.*
Sotadici. Pith. *Sotadicis.*

IV.

(In hoc et in sequentibus carminibus litteras minio in editione Welseri pictas majori charactere distinximus.)

PRODENTVRMINIOCAELESTIASIGNALEGENTI
CONSTANTINEDECVSMVNDILVXAVREASAECLI
[1]QVISTVAMIXTACANATMIRAPIETATETROPAEA
EXVLTANSDVXSVMMENOVISMEAPAGINAVOTIS
[2]AEMVLAQVAMCLARIIGENITORISCALLIOPEAE
COMPOSVITTALINVNCMENSPERFVSALIQVORE
VERSIFICASHELICONINGAVDIAPROLVATVNDAS
[3]CLEMENTIQVENOVVMNVMENDEPECTOREVERSET
NAMQVEEGOMAGNANIMI DICAMNVMEROSACANENDO
SCEPTRADVCISGARZAENOBISDATGRAECIADONA
SAECLAQVEBLEMMYI COSOCIALILIMITEFIRMAS
ROMVLALVXCONDIGNANOVISFLORENTIAVOTIS
VOTOSCRIPTACANOΘALIMARSCARDINETECTO
IAMBELLISTOTVMMYSEVMPERPLECTEREC IVEM
VTPATEATRVBICONPARILI PETITAE THERAIVRE
NVNCFELIXPROPRIOSPACISMESCRVPEAVISVS
IAMSTIMVLATSIGNISEXVLTANSMVSANOTARE
GAVDIALAETVSNVNCPERMENOTATAVIAPHOEBVS
RETITOQVOQVETEXTANOVOCANELAVREAPLECTRO
ARTENOTISPICTAFELICIASAE CVLAPLAVDENS
SICAESTVSVATISFIDODVCEPITHIECARPENS
NVNCTVTVSCONTEMNATSVMMEPROCAXEG OVERO
NVNCMARESIGAEVMVALEAMBENEFRANGERE REMO
CARBASANOCTIGERVM TOTVMSISCRVPEOTENDO
PVLPITADEPORTANSVISAMCONTEXERENAVEM
MVSASINITCONIVNCTATVOSPES INCLITAVOTO
MENTEMPERTORTVMFESSAMNONFRANGATHIVLCO
[4]LAVSMEAFICTAPEDESTANSMAGNAMOLEDOCENDI
[5]SIGNAPALAMDICAMLAETISSIMAFLVMINESANCTO
MENTEBONACONTEMNATSVMMISCVMSIBIAGONEM
VOTISPOSTFRVCTVMMARTEMCLEMENTIAREDDET
SIGNOBISLECTOQVOCRESCVNTAVREASAECLA
[6]MOXLATIOVINCENSIAMBISVICENNIAREDDES
CARMINAQVAEPICTASMIRODENOMINEFORMET
FLORENOTANSVOTVMVARIODATPAGINAFELIX
AVGVSTAESOBOLISMEMORANSINSIGNIAFATA
IVDICETEVELTESTEPIOGONDIGNAPARENTVR
IVNGENTVRTITVLISFELICIAFACTANEPOTVM

In hoc carmine a monogrammo Jesu oritur principium lectionis, ut pectore levetur obscuritas. In qua duo versus

Græce sunt, incipientes a læva parte monogrammi, ex quibus unus ejusdem signi reliquis partibus functus, media littera N terminatur,

Τὴν ναῦν ἀεὶ, κόσμον κέ δε ἄρμενον εἰνοικίζειν (*Stc*).

Alter inde descendens ad alveum navis, speciem gubernaculi partis suæ fine concludit. Qui est talis,

Οὔροις τεινόμενον σῆς ἀρετῆς ἀνέμοις.

Versus vero qui aut a prora incipiunt, aut a rostro, aut a remis, aut sub prora, extremo puppis acumine terminali, texta vicere, alii vota circumcludunt. Qui sunt tales,

Navita nunc tutus contemnat summe procellas,
Nigras nunc tutus contemnat summe procellas,
Tutus contemnat summis cumulata tropæis.
Pulsa mente mala contemnat summe procellas.
Spe quoque Roma bona contemnat summe procellas.
Roma felix floret semper votis tuis.

[1] Trophæa. — [2] Claræ. — [3] Verso. — [4] Laus mea fista. — [5] Flumina. — [6] Vince-siam.

Hoc carmen non est in Pith.

V.

[1] FINGEREMVSARVMFRAGRAREMNVMINEVVLTVS
ALMEPARENSORBISPERFECTAINMVNIAVERSV
VOTAQVESIRATIONONARNVATORDINEPHOEBI
GESTACANVNTQVOSAONIVMPLACABILENVMEN
VATISSORTEFRVIDATDONISCARMINISEXHOC
SVSTOLLENSETVERSVINSTIGANSORASONARE
TVMENTEMINSPIRASVATISTVGAVDIASEMPER
INTESANCTEVOCASTVQVIVISDOCTACAMENAE
EDEREDICTAFAVENSTVLAETVSVOTASECVNDA
VTRATASINTAVDISTUAMITISRECTOROLYMPI
TEMPORAPRAECIPVASERVATPIETATESERENA
AVREAIAMTOTOVICTORTVASAECVLAPOLLENT
[2] CONSTANTINEPOLOHAEGNEXVSLEGESOLVTIS
DICTVRVSMETRISMAGNOMOVETAGMINEMVSAS
ATMEAVIXPICTISDVMTEXITCARMINAPHOEBI
CALLIOPEMODVLISGAVDETSIVOTASECVNDET
DELIVSINTEXTAVTPARILISVBTRAMITEMVSA
ORSAIVVETVERSVCONSIGNANSAVREASAECLA
SEDTIBIDEVOTAMRAPIVNTADGAVDIAMENTEM
AVDENTERQVELOQVISVADENTPERDEVIAVOTA
[3] AONIDESFRETAEETQVANTISSVAVERBATVERI
LEGIBVSADSTRICTAETETOTAMENTEFIDEQVE
VATISVOCETVITVAPRINCEPSINCLITETANTA
BELLACANVNTETPEGASEONOVACARMINAPOTV
EXERCENTNEXVQVEVOLVNTNVNCRITESONARE
[4] EGREGIVMIMPERIVMTANTOCVIMVNEREFVNGI
ETPRAECELSAIVVATVERSVPERSCRVPEAFARI
MENTISOPVSMIRVMMETRISINTEXERECARMEN
ADVARIOSCVRSVSVIXARTOINLIMITECLAVSA
NODOSOSVISVSARTISCITOPERFERATEXHOC
ETTAMENAVSALOQVITANTOMENSAESTVATORE
NECDIGNVMVOTISCARMENSICREDDEREDETVR
TALILEGECANENSQVAENOSTRVMPAGINASOLA
EXHELICONELICETCONPLEBITMVNVSAMORIS
PICTAELEMENTORVMVARIOPERMVSICATEXTV

Istud carmen tricenas quinas litteras per omnes versus habet. Et est primus versus per anfractum, a prima littera usque ad ultimam litteram primi versus,

Fingere Musa queat tali si carmine vultus;

Simili anfractu per acrostichidem in deorsum versum a secunda littera usque ad penultimam,

Augusti, et metri et versus lege manente;

Item simili anfractu ultimus versus a prima littera usque ad ultiman sui,

Picta elementorum vario per musica textu;

Adæque iterum pari anfractu in telostichide a secunda littera ac deorsum versum usque ad penultimam,

Vincere Apelleas ardebit pagina ceras.

Item ab octava decima primi versus littera, ad directum per medium deorsum versum descendens,

Grandia quærentur si vatis læta Camena.

Item ad octavam decimam acrostichidis per medium ad directum versus,

Orsa juvet, versu consignans aurea sæcla.

In hac pagina quatuor hexagona sunt pari numero litterarum, et octo orthogona adæque pari numero litterarum per singulas litteras crescentia et decrescentia.

[1] Fraglarem. — [2] Solutis. — [3] Fræte. — [4] Curmunere.
Vers. 1. *Fragrarem.* Pith. p. 351. *flagrarem.*
9. *Lætus.* Pith. *sætus.* Male.
20. *Devia vota.* Pith. *d. voto.*
26. *Tanto cui munere.* Pith. *t. cur mun.*
30. *Cito perferat.* Pith. *cata perf.*
32. *Reddere detur.* Pith. *r. retur.*

IN LEMMA CARMINI SUBJECTUM.

Tali se carmine. Pith. *tuli si carm.* Male.
Penultimam. Pith. *pæne ultimam.*
Ad ultimam sui. Pith. *ad ult. sic.*
Penultimam. Pith. *pæne ultim.*
Item ad octavam decim. Pith. *Iterum ab octava decima.*
Orthogona. Pith. *octogona.*
Et decrescentia. Pith. *vel discrescentia.*

VI.

SANCTETVIVATISCAESARMISERERESERENVS
AVGVSTEOMNIPOTENSALMOMORTALIACVNCTA
NVMINELAETIFICANSNOBISDAGAVDIANOMEN
CONSTANTINETVVMFECVNDICARMINISEXHOC
TEDVCEDETMVSASNAMTRISTISCVRARECVSAT
EGREGIOSACTVSIAMSEDENTCRIMINAPARCAE
TVNCMELIVSDOMINVMTEVOXSECVRASONABIT
VIRTVTVMRECTORPOTVITVIXPANGEREVERSV
ISTAMODOETMOESTOSICSALTEMDICEREVATI
VIXMIHICALLIOPEPAVITANTICONSCIANVTV
ANNVITAVSAPRECEMVATISQUEEDICEREFATA
TRISTIASIGNATOPARTESVTLIMITECLAVDAT
IVREPARICARMENMEDIISVTCONSONAINOMNI
[1] SITNOTAPRIMASVIETSITPARSEXTIMATALIS
CEVMEDIAEPRIMISOCCVRRENSAPTIVSISTIC
ADLATERVMFINESETPARSQVAEDIVIDITORSA
EMEDIOCAPVTESSEQVEATVERSVQVEREFERRE
SANCTETVIVATISCAESARMISERERESERENVS
ALMESALVSORBISROMAEDECVSINCLITEFAMA
REMELIORPIETATEPARENSADMARTIAVICTOR
MITIORADVENIAMPERMVLCENSASPERALEGVM
IVSTITIAAETERNAEVIRESETGLORIASAECLI
SPESDATAPLENABONISETFELIXCOPIAREBVS
EXIMIVMCOLVMENVETERVMVIRTVTEFIDEQVE
ROMAEMAGNEPARENSARMISCIVILIBVSVLTOR
ETSVMMILAVSGRATADEIMENSCLARASUPERNE
REBUSMISSASALUSPERTEPAXOPTIMEDUCTOR
ETBELLISSECVRAQUIESSANCTAOMNIAPERTE
SOLISIVRASUISFIDISSIMADEXTRAMARITIS
ETSOCIALEIVGVMPRAEBETCONSORTIAVITAE
RESPICEMEFALSODECRIMINEMAXIMERECTOR
[4] EXVLISAFFLICTVMPOENANAMCETERACAVSAE
NVNCOBIECTAMIHIVENIAVENERABILENVMEN
VINCEPIAETSOLITOSVPERANSFATALIANVTV
SANCTETVIVATISCAESARMISERERESERENVS

In hoc carmine omnes versus tricenarum quinarum litterarum sunt, et primi versus littera S communis est cum acrostichide; ultima littera primi versus, id est S communis est cum telostichide: Ultima littera acrostichidis, id est S communis est cum ultimo versu: Primi versus media littera, id est decima octava S, caput est medii versus deorsum descendentis per medium ultimi versus: Acrostichidis media littera, quæ est decima octava, S, caput est medii versus ad directum: qui medii versus vel ad directum ire possunt, vel a medio flecti, idem sonantes. Est autem versus qui per omnes partes has sonat,

Sancte tui vatis, Cæsar, miserere serenus.

Quadræ quatuor eodem versu clausæ, habent per omnes partes senas denas litteras, in quibus quadris mediis octonæ litteræ ad directum minio scriptum faciunt versum,

Aurea sic mundo disponas sæcula toto.

[1] Sit nota prim. usui.

Vers. 3. *Nobis da gaudia.* Pith. pag. 349, *nobis ad gaudia.*
9. *Mæsto sie saltem.* Pith. *mœstos hic saltim.*
11. *Annuit.* Pith. *Adnuit.*
16. *Ad laterum.* Pith. *ad lat.*
22. *Æternæ, vires et.* Pith. *æterna, cui res et.*
26. *Et summi laus, grata.* Pith. *E. s. jus, grata.*
29. *Dextra salutis.* Pith. *dextra maritis.*

IN LEMMA CARMINI SUBJECTUM.

Tricenarum. Pith. *trigenarum.*
Cum acrostichide: ultima littera primi versus, id est S communis est cum telostichide: ultima littera acrostichidis, id est S communis est c. u. v. Pith. *cum acrostichidis prima littera, id est, S cum telestichidis ultima littera, communis est, id est, S communis est c. u. v.*
Decima octava. Pith. *octava decima.*
Deorsum desc. p. m. ult. versus. Omittit Pith.
Decima octava S caput est medii versus ad directum: q. m. v. Pith. *octava decima in capitalium medium versum. q. m. v.*
Partes has. Pith. *has partes.*

Clausæ. Pith. *inclusæ.*
Scriptum fac. Pith. *scriptæ f.*

Disponas. Pith. *disponis.*

VII.

CONSTANTINEPATERTVMVNDIGLORIACONSVL
ECCETVORENOVATADABISTOTAPERTALABORE
REGNAPERINNVMERASGENTESMOXCARVSEOIS
TOTPOPVLISPIAIVRAFERESETSOLVSINOMNI
AVGVSTVSMVNDOSPARGESETINVLTIMANOMEN
SOLTIBIFELICESFACIETSPESPERPETENVTV
[1] ARSBONAIVSTITIAEETDIVVMVICINADECORI
LARGIDONABONICAELO CAPITINFLVITILLVC
VOTAQVODOPTARINTPIETATIS CANASVBIBIT
SANCTACERESTELLVSREDDITBACHEIALAPSA
RIVISDONASVISNONEVRIEFLAMINETVRBANT
ENORMESPELAGVSSTATMITISPRINCIPENOTO
RESPERIVSTAVIGENSORISSVASIGNABOOTEN
VLTIMACONSOCIATOLLVNTINSIDERADEXTRA
MAXIMEIVSTITIAELVMENCONCORDIAINOMEN
PACIFICVMTETOTACVPITIAMSAVCIAETORAT
RESFESSASCITOPACELEVESTVIVNGESERENI
ORBISVOTATVIGENTESSIBIIVNGEVOLENTES

In isto carmine tricenæ quinæ litteræ sunt. Sed acrostichis cum telostichide juncta facit versum,

Certa salus rerum, proles invicta tonantis.

In qua secunda littera noni versus designat,

Orbi tu renovas felicis tempora sæcli.

Item a secunda decimi versus littera, ad penultimam ejusdem bis ascendens et bis descendens rubrica, continet versum hunc,

Aurea justitiæ terris insignia donas.

[1] Justitiæ et dijuum.

Vers. 2. *Dabis.* Pith. ibid. *dabit.*
3. *Mox carus.* Pith. *Mox rarus.*
5. *Mundo.* Pith. *mundi.*
Ibid. *Nomen.* Pith. *numen.*
13. *Sua signa.* Pith. *qua signa.*
15. *Concordia in omen.* Pith. *concordiæ omen.*
Ult. Sibi junge. Pith. *tibi junge.*

IN LEMMA CARMINI SUBJECTUM.

Litteræ sunt. Pith. *Litteræ omnes sunt.*
Noni versus designat. Pith. *noni versus per obliquum bis ascendens et descendens lubrica* (lege *rubrica*) *ad penultimam ejusdem versus, designat,* Orbi turen.
Rubrica, continet versum hunc. Pith. *lubrica continet hunc versum.*

VIII.

FORTIAFACTADVCISTOTODOMINANTIAIAMNVNC
ORBECANAMQVIS LAETASVOSVBPRINCIPETANTO
RVRSVMROMATENETMVNDICAPVTINCLITACARMEN
TVVATEMTVDIVAMONELACERATACRVENTIS
IMPERIISPARSFESSAPOLODIVVLSAGEMEBAT
SCEPTRAETAVSONIAEMOEREBATPERDITAIVRA
SIQVAFIDESTANTISROMANVMGLORIANOMEN
INSIGNITTITVLISDOMINOSEDLIBERAQVAERVNT
MOESTAQVEIVRESVOTREPIDATPLAGAMAXIMAMVNDI
[1] VNDEIVBARLVCISPRIMVMRADIANSHYPERION
SIDERIBVSPVLSISRVTILODIFFVNDITABORTV
INDETVVMNOMENMVLTVMVENERABILECVNCTIS
MAXIMEBELLANTVMDOMITORLVXVNICAMVNDI
PERPETVISVOTISCVPIVNTMEMORABILENVMEN
EXOPTANTSERVIREVOLVNTMIRABILEDICTV
REMQVELAREMQVESVVMTANTAESTTIBIGLORIAIVSTI
[2] AVGVSTOIVVATECCETVOSVBFOEDEREIAMNVNC
TOTVMORBEMPOSTTOTCAEDESQVASFESSAGEMEBANT
OMNIANVNCNVLLOTANDEMTREPIDANTIAMOTV
ROMVLEISSERVIREPIISPATERINCLITEIVSSIS

In hoc carmine acrostichis habet scriptum, Fortissimus Imperator;
Quartæ decimæ litteræ, Clementissimus Rector;
Ultimæ, Constantinus invictus.

[1] Nyperion. — [2] Auguste.

Vers. *4. Tu vatem.* Vide *Valesium* ad Euseb. H. E. pag. 169.
5. *Polo divulsa.* Pith. p. 362 *polo divisa.*
8. *Libera quærunt.* Pith. *liber.... quærunt.*
13. *Res.* I. e. *Resvublica.* Sic v. 17.
14. *Memorabile numen.* Pith. *memorabile dictu.* Male.
16. *Laremque.* Pith. *Laremve.* Male.
17. *Augusto.* Pith. *Augusti.*

IX.

OQVITARTAREASPEDEFAVCESPROTERISALMO
OMISERATETVOSQVIS IGNEATEMPLASVPREMI
ANNVISESSEPOLIPIALVCISREGNASVPERNAE
[1] TVVIRTVSAETERNADE ITECVMOMNIACHRISTE
TVNCPATEREXORSVSCVMMOLESOBSITAPIGRO
[2] SQVALOREEMERSITPOSITOQ;ADRISITOPERTO
ANTEORTVSHOMINVMSANCTOTVDIVETONANTI
SECRETAEVIRESQVEMTVDVMMENSGENITORIS
SOLATENENSPRVDENSQ;DEIDEVSINTERIORIS
PRINCIPIISOBOLEMNVLLIVSVASTACRVENTO
QVODMORSREGNABATLETORATAGAVDIAFVDIT
[3] OREMEDVLLIFERONECPOENAPERPETEFRANGI
DEPVLSOSHOMINESPLACVITNATALIBVSATRI
TVMTVPROSTRATISVITAEVIASEDTAMENOLIM
PRAESAGOADMONITVTEVATVMFATACANEBANT
TVQVIAFACVNDVSPORROORTVSERRORAGEBAT
CONSILIIVTSVMMAMRERVMSATOREDITORE
OVEREPATRISSAPIENTIACHRISTEOPVLENTO
EXERTVSVERBODETRVSVMINVINCVLAMORTIS
MOXHOMINEMSVMISQVAEQ;ESTVISVNASALVTI
INFIMADIGNAREQVODNATVRAEORDINERECTO
VTPERCVLSAIVVESINCLINEREIPSEIACENTI
[4] NONETERRENOCORPVSTIBIPONDERETRACTVM
PRAECELSOSEDVIRGOVTERVMDESEMINEFETA
[5] NECSEGNICOITVNATVSSEDCONIVGECAELOES
CORPOREVSVVLTVDEVSACTVCASVSVTRVMQUE
INVITANSIVSSAEXEMPLISHOMINIQ;DICATVS
AEQVALISDOMINVSQVIALISONEROSACADVCO
DICTASITHVMANOSPEREMVTDIVINAIMITATV
[6] IPSEHOMINISTITVLOINCEDISTEQ;PROFANIS
MAXIMEIVDAEISPLECTENDVMPOSTPIAMILLE
MVNIAPERMITTISLETVMQVESALVBRELVISTI
MOXNECATHVMANASINSECAROPENDVLANOXAS
[7] ATPATERINSEDESNATVMRECIPITQVEVEHITQ;
AETERNVMSALVISSIGNVMDATMACHINASACRA

Omnipotens genitor, tuque, o divisio mixta,
Filius atque Pater, et sanctus Spiritus, unum :
Faveas votis.

[1] Æternaeij tecum. — [2] Positoque adri si operto. — [3] Medillifero. — [4] Pondere trantum. — [5] Nec signi. — [6] Incedit. — [7] Recipitque venitque.

Hoc carmen abest a Pith.

X.

DISSONACO NEXISAVDE TCOMPONER EVERBIS
OMINEMENS ELATABONO IVVAT INCL YTALINGVAE
MVNERAGRA IORVMMVSA MODVLANTE NOVARE
INQVEVICE MVERSVCEC INITQVAEF ORTELATINO
[1] NVNCALI OT EXTVGRAEC ORVMINCAR MINADVCI
ORDINEVTI NDVPLICEM NECTATVRL ITTERAVOCEM
[2] NVNCAGEFE CVNDAERES ECENTPVLC HERRIMAMVSAE
ORESONETD OCILICHEL YSINCLYTA CARMINAPHOEBI
SPEMRERVM IVSTVMQVE CANAMSVMM AMQVESALVTIS
TEDOMINVM BONADONAD EITEMAGNE PARENTEM
ROMANVMGR AIVMQVEOR BEMTIBIMA XIMERECTOR
OMNIAQVOD CERTARESP IRANTMENT EQVIETEM
CONPLACID ISPECTENT HOSTILESM ILLETRIVMPHOS
OMNIAPLEN ABONISTVA CONSTANTI NEQVIRITES
NILSIBICR EDIDERINT KARVMMAGE TEDECVSORBIS
SERVATOST IRRISESEM PERVINDIC EDEXTRA
TEDOMINOE XVLTANTTR ANQVILLIS CARIORVRBI
AFRICATEM PORIBVSPO TITVRSERVA TAQVIETIS
[3] NVNCSEFEL ICEMNVNCS ESVBNVMIN ISARCE
TVTAMQVOD CARTHAGOD ECVSVENER ABILEGESTAT
IVREPVTAT TANTVMFAT ISLVXINCL YTAPRAESTAT
NOBILETED OMINONOME NSPESET DE CVSALMVMEST
OMNISABAR CTOISPLAG AFINIBVSH ORRIDATAVRO
PACISAMAT KANAETCOM PERTAPERE NIAIVRA
ETTIBIFID ATVISSEMP ERBENEMIL ITATARMIS
RESQVEGER ITVIRTVTE TVASPOPVL OSQ; FEROCES
PROPELLIT CAEDITQVE HABENSTIB IDEBITACARA
ETTVAVICT ORESSORSA CCIPITHIN CTIBIFORTES
TEQVEDVCE INVICTAEA TTOLLVNTS IGNACOORTES
VNDIQVETE COMITATAD EIPIANVMI NASVMMI
OMNIBVSVL TOREMPRAE BENTETIVR AFIDEMQVE
ALMETVISP ECTANTRES PONDENTOM NIAVOTIS
VNDIQVEPA CATISSALV ATORMAXIM AREBVS
GAVDIAPRA ESTABISDA BISOTIAVI CTORINORBE
[4] VIRTVTVMM ERITISVIC ENNIAPRAE CIPEVOTA
SAECLORVM CREVITGEM INOSPESCA ESARECERTA
TVQVEOSAN CTEPARENS OLIMPOSTM ILLETROPHAEA
OLVXAVSON IDVMDISPO NESCEPTRA NEPOTVM

In hoc carmine acrostichis habet scriptum,

Domino nostro Constantino Perpetuo Augusto.

Decimæ omnium versuum litteræ, et nonæ decimæ, et vicesimæ octavæ, descendentes per directum, litteris græcis tres versus habent. Et est in decimis omnium versuum hic versus:

Νεῖμέν σοι βασιλεῖ Χριστὸς, καὶ σοῖς τεκέεσσι;

In nonis decimis hic,

Τίμιον εὐσεβίης κρατέειν ἀρετῆς τε βραβεῖον;

In vicesimis octavis autem versus hic,

Εὐνομίης ἄρχειν τὲ καὶ αὐσονίοισιν ἀνάσσειν.

Sed cum deorsum versum hoc ordine græce legantur, eædem litteræ per diversum ordinem legentibus, versibus latinis obsequium suum latinarum litterarum officio præbent: Ut sit hæc diversitas, ut cum græce significatus suos, tum exprimant et latine.

[1] Resekent. — [2] Justumque ea nam. — [3] Me felicem. — [4] Vicannia.

Vers. 7. *Fecundæ resecent.* Pith. pag. 369, *fec. referent.*

10. *Te dominum bona*, etc. Pith. *Te dominam, bona dona Dei, te magne parentem.*

11. *Grajumque orb. t. maxime Rector.* Pith. *gratumque orbem, sibi maxima semper..*

13. *Complacidi sp. hostiles.* Pith. *Cum placidi spectent nos tales.*

14. *Tua Const.* Pith. *tui Const.*

16. *Servatores Tirri.* Pith. *Serv. Tyrii.*

17. *Carior orbi.* Pith. *Karior orbi.* Sic versu 15 in utraque Edit. Ergo et hic ita scribendum erat.

18. *Quietis.* Pith. *quiete.*

19. *Numinis.* Pith. *nominis.*

23. *Tauro.* Pith. *Cauro.*

27. *Cara.* Pith. *rata.* Male.

28. *Sors.* Pith. *Fors.*

29. *Invictæ attollunt s. coortes.* Pith. *invictas attollant signa cohortes.*

31. *Jura fidemque.* Pith. *Plura fidemque.*

32. *Alme tui spectant.* Pith. *Alma tua spectant.*

IN LEMMA CARMINI SUBJECTUM.

Descend. per directum. Pith. *per diversum descendentes per ordinem directum.*

Omnium versuum hic versus. Pith. *omnium versuum litteris versus hic Græcus.*

In nonis decimis hic. Pith. *In nonis decimis versus est hic.*

In v. octavis autem. Pith. *In v. septimis versus est hic.*

Sed cum deorsum, etc. Pith. *Sed cum hoc ordine deorsum versum Græcæ legantur, eædem litteræ per diversum ordinem in legentibus rectum dum in eadem pagina loquuntur versibus Latinis, obsequium suum Latinarum litterarum officio præbent, ut sit diversitas, cum hac Græce.*

XI.

PAVCAQVIDEMCECINIFORSFRIVOLAHISQVOQIVNGAM
LVDICRASICNOSTRAPANGETTVAIVSSACAMOENA
AMBIITHAECPLAVDENSFELICISNVMINEPHOEBI
CALLIOPEPARTITANOVISSIBIVINCVLACVRIS
FLEXIBVSVTPRIMISDISCORDIREGVLACVLTV
HINCALIASONETARTESVPERPITHOIAFLEXVS
SICFACIESTOTIENSCVMCONFIRMAVERITAESTVS
SICANIMVSNECVICTVSINERSSEDSAVCIVSIRIM
IMPLERIVARIASMETRICAEGRAVIORISOBARTES
TANDEMNOSSEDEIMEDITANTEMVIXLICETAESTVS
RITEVELITMEDIODVMINAGMINECOLOCATASTRI
EFFIGIEMTREPIDOQVEPARANSSERMONELATENTER
DICERENECMETVENSVINCTOSICOMNIAABORTV
PANGERESEDRVRSVMBASSVSNVNCPRODERECARMEN
IMPERATHICDOCILISMVSAEDEFONTEMEABVNT;
ORDINECASTALIOTEXTIPERNOMINAVERSVS

In hoc carmine a prima littera primi versus rubrica descendens usque ad octavam octavi, et per amfractum ascendens usque ad penultimam octavi ejusdem versus habet scriptum,

Publilius Optatianus Porfirius hæc lusi.

Item a prima novissimi versus usque ad octavam noni, per amfractum ascendens et descendens, usque ad penultimam noni versus, habet scriptum heroicum versum, qui dum redit fit Sotadicus, et est hic,

Omne genus metri tibi pangens optime Basse.

Item a prima littera sexti versus ad tertiam octavi tres litteræ Hic, *et a tertia decima octavi ad quintam decimam sexti,* Ver, *et inde ad decimam septimam octavi,* Su, *et inde a* XXVII *octavi ad vicesimam nonam sexti* Sua, *et inde ad tricesimam primam octavi* Ri, *et inde a* XXXI *noni ad* XXIX *undecimi,* Oco, *et inde ad* XXVII *noni* Lo, *et inde a* XVII *noni ad* XV *undecimi* Red, *et inde ad* XIII *noni* Is, *et inde a* XIII *noni usque ad primam undecimi* Par, *facit hendecasyllabum,*

Hic versus vario colore dispar.

Vers. 3. *Ambiit.* Pith. p. 371, *ambigit hæc claudens felicis nomine.*

6. *Pythola.* Recte Pithœus *Pithoia.*

8. *Sed saucius.* Pith. *sit saucius.*

11. *Velit medio.* Pith. *velit metro.*

Ib. *Dum in agmine.* Tò *M* non eliditur, ut apud alios ejus ævi et sequentium passim.

Ib. *Colocat,* Pith. *Collocat.*

IN LEMMA CARMINI SUBJECTUM.

Rubrica. Pith. *Lubrica Male.*

Ascendens usque ad p. octavi ejusdem versus. Pith. *Ascendens et descendens usque ad pæne ultimam ejusdem octavi versus.*

Optime Basse. Sic et Pith. Sed scribendum est *optume.*

Decimam septimam octavi. Pith. *septimam decimam oct.*

Ad tricesimam primam. Pith. *ad vicesimam prim.* Male.

Et inde a XVII *noni.* Pith. *et inde ad septimam decimam noni.*

Is, et inde a XIII *noni.* Pith. *Is et inde ad tertiam decimam noni usque.*

Hendecasyllabum. Pith. *Hendecasyllabum hunc.*

XII.

PRAECELSAEQVERCVSFRONDENTIINVERTICEPENDENS
TESTORTEMPLALOCIFAVNOSCELEBRAREFREQVENTES
DISPARIBVSCOMPACTAMODISTOTIDEMQVECICVTIS
DVLCISONOPANVMOBLECTANSMODVLAMINESILVAS
[1]NAIADVMDRYADVMQVECHOROSARCANAQVEBACCHI
[2]ORGIAETHEVVANTESSATYROSPERMVSICATEMPE
[3]MEPANADTHYASOSDOCVITMODVLAMINECANTVS
ETVARIATASONISVINXITCONSORTIAPRIMVS
ATTISALMVSAMANSTVAMAXIMACVRACYBELE
EROSEOTERITOREDEVSMOLLIQVELABELLO
ACCENDITQVETVOSIDAEOSMATERAMORES
INMEFELICESANIMAVITCARMINAMVSAS
MEIVDEXFORMAEALTAGESTAVITINIDA
MELAETISOCIAMVOTIVICINAMARITO
EOOLVCISCANITINVITATASVBORTV

Hæc fistula est versuum heroicorum quindecim, a primo versu usque ad ultimum per singulas litteras decrescens.

[1] Naidum Driadumque choros archanaque. — [2] Hevvantis satiros. — [3] Thiasos.

Hoc carmen abest a Pith.

Edidit *Comelinus* ex *Velseri* editione sub finem Notarum *Jos. Scaligeri* ad Theocritum p. 29, edit. 1596, in-8.

XIII.

P	rinceps beate placido sub axe jam nun	C
I	ustis serene populis favente mund	O
V	ictor triumpha tribuens salubre nume	N
S	æclis amore dominans perenne fausti	S
A	uctor salutis oriens quietus ibi	T
V	otis favente dominis superne dextr	A
G	audet subire placidum regentis ome	N
V	irtus vigore radians serena præsta	T
S	anctis videre superis remota mund	I
T	otum sub orbe moderans salubre nume	N
[1] V	inces ubique superos favente nut	A
[2] S	æclum per omne dominans beate solu	S

Jam nunc sub axe placido beate princeps,
Mundo favente populis serene justis,
Numen salubre tribuens triumpha victor,
Faustis perenne dominans amore sæclis,
Ibit quietus oriens salutis auctor,
Dextra superne dominis favente votis,
Omen regentis placidum subire gaudet.
Præstat serena radians vigore virtus
Mundi remota superis videre sanctis,
Numen salubre moderans sub orbe totum,
Nutu favente superos ubique vinces,
Solus beate dominans [3] per omne sæclum.

[1] Vincere. — [2] Sæculum. — [3] Omne per sæculum.

Vers. 6. *Dominis*. Pith. *domini*. Sic et v. 18.
11. *Superos*. Pith. *supero*. Sic et v. 25.
Pithœi editio p. 364 præponit hæc in Velseriana omissa : *In pagina sequenti versus est ex dimidio iambico et dimidio trochaico constans : trochaicam partem in iambicam vertit, et iambicam in trochaicam. Eadem pagina in acrostichide habet,*
Pius Augustus :

In telestichide,
Constantinus.
Versus in Pithœana sic collocantur pag. 365.
Princeps beate placide (lege *placido*) *sub axe jam nunC.*
Jam nunc sub axe placido beate princeps. Justis serene, etc.
Mundo favente, etc. Et sic porro.

XIV.

INGEMVI GRAVITER GRAECVM MISERATVS AMICVM
CVI MEA MENS ADMISSA DOLENS CVPIT OMNIA FARI
[1] SOLVS VT HAEC OCCVLTA LEGENS SE CONCITET IRA
VNDIQVE AD FLIXVM VINCLIS SONTEM QVE TENERI
[2] SED VITA NS MVLTOS QVOS FOEDA AD IVRGIA COIVX
VOLVERIT TESTES NEC VANDI DA FEMINA GRAECVM
[3] MOX KARIS HEBETET TELIS NIHIL IMPROBA CYGNI
DE POS VISSE VIDENS HELENAM CVI GRATIA BINIS
MAIORA DVLTERIIS DONO MINA CVNCTA LIBENTER
[4] MVSA SONAT GRECIS FRIXCONIVX CREDE CANENTI

[1] Naec occulta legens se concitat tria. — [2] Conjunx. — [3] Telis minil. — [4] Conjunx.
Hoc carmen non est in Pith.

XV.

VICTOR SIDEREIS POLLENS VIRTVTIBVS IBIS
PERSICA CVMNATIS LATIO CONFINIA RED DENS
IAMNI LIP RINCEPS LAETI SORIENTE RECEPTO
QVO STIBI FIDA DICAT CONCORDIA DIVESEO IS
IAMPOPVLIS PARTHIS MEDIS VNIQVE DICATIS
A VGVSTOETNA TIS TVMAGNA ADGAVDIAS ANCTE
CONSTANTINE FAVETE TANTO INCARMINE MVSA
ET TVA DESCRIPTIS PINGIT VICENNIA METRIS
AT TVSVP PLICIBVS OLIM DVX CLARVS IN ARMIS
DA PIETATE FIDEM MAIORM OX GLORIA HONORVM
SI TOTOS SERVARE QVEAS POST VO TA TROPAEIS
PARCERE IAM VERSIS VIRTVS DENVNCIAT ALMA
INDVSA RABSIA MVOTA FERVNT ET MEDIA VES
AETHIOPES GNARI RAPIDO CVMLVMINE SVRGIT
THETHIOS EX GREMIO TITANS EDE TOMNIA LAETA
CONSTANT INEBON ONVNCLVDENTO TIASAECLO
FELIX MVS ATVIS POSCIT QVAE DIGNA REFERRE
PRAEMIA VIRTVTVM MERITIS VEL VOCES ONARE
QVI DVAGA PIERIOS VERSVS SVB VALLIS OPACA
IL ICE COMPONIS LAVRO QVID CARMINA CARPIS
CASTALIOS TO TARE SPONDE TVO CETRIVMPHOS
QVAM DA TFONTES VOCI LARIOT VCARMINA PROME
VATE DEO DIGNA AVT SIQVOD PERFERETA VDENS
MAIVS OPVS NECTE NS MENS TOTA MOLES VBI BIT
SPE PINGET CARMEN PANGAT SI COEPTA CAMENA
COMPLEAT ET VERSV VARIATA DECENNIA PICTO
ORE SECVN DAVO VENS SVB CERTO LIMITE METRI
OTIA CAESARIBVS PACIS DEDITA VREA SAECLA
INDVLGENS NATIS PATRIAE PIETATIS HONORE
MITIS IVRE DEVS SED CRISTI IN FORTIA VIRES
[1] NONDVBIA ERIPARHENVM RHODANVM QVE TVERI
VLTERIORE PARANTE TFRANCIS TRISTIA IVRA
IAM TVSANCTE PVER SPESTANTAE RITE QVIETI
MISSA POLOSA ECLISDA CONSTANTINE SERENA
TEMPORA SVMME PIOTRICENNIA SVS CIPE VOTO

In hoc carmine tricenæ quinæ litteræ per omnes versus sunt, et scriptum est in medio corpore paginæ AVG. XX. CAES. X. *Sed in lineis litterarum trium* AVG. *percurrit versus,*

Cum sic scripta placent, audent sibi devia Musæ;

In duarum sequentium, quæ sunt, XX,

Per varios signare modos, devotaque mentis;

Item trium litterarum, quæ sunt, CAE,

Gaudia, quæ pingens loquitur mea Phœbe Camenæ.

In duarum quæ sunt quarto loco, S. X,

Summe parens da voce pia tricennia fari.

[1] Raodanumque.

Vers. 1. *Sidereis*. Pith. pag. 353, *sideriis*.
12. *Versis*. Pith. *versus*.
15. *Sedet*. Pith. *sedit*. Barthius legit *dedit*.
17. *Poscit*. Pith. *possit*.
30. *Cristi in*. Pith. *Crispi in*.

IN LEMMA CARMINI SUBJECTUM.

Item trium litterarum. Pith. *In tertiarum, quæ sunt CAE*.

XVI.



In hac pagina tricenæ quinæ litteræ sunt : In qua Christi monogrammum rubrica depictum est, per quam a primi versus littera prima ad ultimam novissimi lineæ decurrens continet,

Summi Dei auxilio nutuque perpetuo tutus;

Et a prima ultimi versus littera ad novissimam primi per obliquum ascendit scriptura hæc,

Orbem totum pacavit trucidatis tyrannis.

A media littera primi versus usque ad mediam ultimi per directum descendit rubrica continens,

Constantinus pius et æternus imperator;

Inflexio quæ græcam litteram facit scriptum habet,

Reparator orbis.

[1] Tirannis. — [2] Siene. — [3] Orbi, *sed apparebant vestigia prius scriptum fuisse* oris. — [4] Felicitas ævi. — [5] Sibi cedere. — [6] Et reparta juganis.

Vers. 5. *Justitia in terras*. Hic versus abest a Pith. pag. 367.
7. *Itala*. Male Pith. *Italia*.
10. *Invictas*. Pith. *Invictus*
11. *Teque suplex*. Pessime Pith. *supplex* contra Metrum. Porphyrius imitatione Veterum longam positione Syllabam, omissa una Consonantium corripit, ut fecerunt in *omitto*, pro *ommitto*, vel *obmitto; disertus* pro *dissertus*, *mamilla* a *mamma*, *ofella* ab *offa*. Et sic usi sunt Damasus Hymno Agathæ : *Pro misero suplica Damaso*. Sic vett. edd. ubi qui ignorarunt hoc, *rogita* substituerunt. Nec attendit id Ope-

rum Damasi recensitor Martius Milesius Sarazanus. A Sic Galterus Alexandreide lib. I, 280, et lib. VIII, 7; *Gul. Brito* lib. I, 197; 428, 799; lib. VI, 64; lib. VII, 587; lib IX, 121; 326; l. XI, 523, etc. Noster *Optatianus* iterum hoc carmine, v. 25.

16. *Serens*. Pith. *Serene*.

18. *Vincas ut amore*. Pith. *ut vincat amore*. Forte : *ut vincas amore*. Sic infra v. 24 hoc Carmine. *Tertullian*. lib. II contra Marcion. v. 186. *Hilarius* Genesi, v. 2, 95, 184. Ad quem videndus *Weitzius*. Sic pag. 109 Epigr. veter. Pith.

23. *Optataque mundi*. Pith. *Opt. mundo*.

24. *Felicius ævum*. Pith. *felicitas ævi*. Et sic Vels. MS. habuit, quod ex Nota ad oram vides. Vide jam ad 18 dicta.

25. *En suplices*. Pith. *supplices*, quod neque metrum, neque Optatiani artificium tolerat. Vide supra hoc Carmine v. 11.

27. *Tibi cedere*. Pith. *sibi cedere*.

29. *Da responsa bona*. Pith. *Da resp. bono*.

32. *Mœsti divortia mundi*. V. *Valesium* ad Eusch. p. 169.

Antepen. *Volentes*. Pith. *volentis*. V. *Nic. Heinsii* Præfat. ad nuperrimam Virgilii Editionem.

Penult. *mihi felicius*. Pith. *mitis felic*.

IN LEMMA CARMINI SUBJECTUM.

In qua Christi. Pith. *In quæ Christi*.

Rubrica dep. Pith. *lubrica dep*.

Per quam, etc. Pith. *per quem a prima primi versus*.

Ultimi versus littera ad nov. Pith. *ult. versus ad nov*.

Usque ad med. In Pith. τὸ *usque* abest.

Rubrica. Pith. *lubrica*.

Litteram facit scriptum habet. Pith. *litteram facit, habet scriptum per lubricum, Repar*.

XVII.

ACCIPEPICTANOVISELEGISLVXAVREAMVMDI
[1]CLEMENTISPIASIGNADEIVOTVMQVEPERENNE
SVMMEFAVETETOTAROGATPLEBSGAVDIARITE
ETMERITAMCREDITCVMSERVATIVSSATIMORE
AVGVSTOETFIDEICHRISTISVBLEGEPROBATA
GLORIAIAMSAECLOPROCESSITCANDIDAMITI
ADCVMVLANSCOETVSETTOTAORNATASERENIS
MVNERIBVSPRAESTANSNATISVTLAVREAVOTA
VIRTVTVMTITVLOSPRIMISIAMDEBEATANNIS
[2]PROGENIETALIGENVITQVOSNOBILESAECLVM
HISDECUSAPROAVOETVERAECONSCIAPROLIS
[3]ROMAFLVITPRINCEPSINVICTIMILITISALMA
OTIAPACISAMANSHAECSVNTMITISSIMADONA
HOCATAVIMERITVMVOTISPOSTEDITVSORBIS
ERVMPENSDOCVITNENORINTFRANGEREFIDEI
OPTIMAIVRAPARESCVRISSVBMARTISINIQVI
NVLLISLAESAFIDESIIINCIVGISTAMINEFATA
VOBISFILALEGVNTPLACIDAPIETATESECVTA
ETRESCONSTANTINVNCEXERITINCLYTAFAMA
AVCTASTIRPEPIAVOTOACCVMVLATAPERENNI
SANCTATVASSEDESADMENTISGAVDIAMIGRAT
AETHERIORESIDENSFELIX INCARDINEMVNDI
IAMPATRIAEVIRTVTISOPESBELLINELABORE
[4]ANIVSTIMERITISDICAMMENTISQVESERENAE
ETPIADONACANAMFECVNDAQVEPECTORANOTO
RITEDEOSICMENTEVIGENTCVIGAVDIACASTA
CLAVDIVSINVICTVSBELLISINSIGNIAMAGNA
VIRTVTVMTVLERITGOTHICODEMILITEPARTA
[5]FILIÆTATEPOTENSCONSTANTIVSOMNIAPACE
AGIVSTISAVCTVSCOMPLERITSAECVLADONIS
HAECPOTIOREFIDEMERITISMAIORIBVSORTA
ORBIDONATVOPRAESTASSVPERASQVEPRIORA
PERQVETVOSNATOSVINCISPRAECONIAMAGNA
ACTIBILEGEDEIIVSSISQVEPERENNIAFIENT
[6]SAECLAPIISCEPTRITECONSTANTINESERENO

In hoc carmine omnium versuum litteræ tricenæ quinæ sunt, et per omnes partes laterum totidem. In qua a prima littera primi versus ad novissimam ultimi versus per obliquum descendit versus,

Alme salutari nunc hæc tibi pagina signo.

Et rursus a prima littera ultimi versus usque ad novissimam primi versus per obliquum ascendit hic versus,

Scripta micat, resonans nominibus domini.

Rursus prope medietatem hic acrostichidis, illic telostichidis, scriptæ litteræ utrimque septenæ ad directum in duabus litteris I *et* E, *et in medio, acrostichide et telostichide in* S *litteræ lineam deformata, exprimitur per has tres partes versus heroicus,*

Nate Deo solus Salvator sancte bonorum.

Rursum in linea V *litteræ, quæ est ad medietatem ultimi versus, scriptus est,*

Tu Deus es justi, gratia tu fidei.

Rursum per mediam Græcam X *litteram ad directum virgula descendens, quæ habet inflexuram quasi* P *litteram græcam, habet scriptam prosam,*

Sit victoria comes Aug. et natis ejus.

Quæ omnis pictura habet monogrammum Christi, et litteras scriptas, IESVS.

[1] Elementis.— [2] Nobile sæculum.— [3] Roma eluit.— [4] Dicam entiis særene. — [5] Pilietate potens Constantinus onia.— [6] Serenæ.

Vers. 2. *Perenne.* Pith. *perenni.*
5 *Summe fave.* Pith. *Summa fave.*
12. *Roma fluit.* Pith. *Roma cluit.*
16. *Curis sub.* Pith. *Curiis sub.*
18. *Pietate secuta.* Pith. *Pietate secura*, male.
21. *Tuas sedes.* Pith. *suas sedes.*
25. *Opes.* Pith. *Opus.*
27. *Claudius.* Unde oriundus Constantinus. Infra Carm.
27. Vid. Trebell. Pollio.
29. *Fili ætate potens.* Pith. *et pietate potens.* Bene.
Ult. *Sæcla pii sceptri te Const.* Pith. *Saecla piis cepi rite C.*

IN LEMMA CARMINI SUBJECTUM.

Tricenæ quinæ sunt. Pith. *tric. quinæ litteræ sunt.*
Laterum totidem. In qua. Pith. *laterum in qua.*
Et rursus a prima l. u. v. u. ad n. p. u. p. obl. asc. hic versus, Scripta micat, resonans nominibus Domini. Hæc desunt in Pith.
Rursus prope mediet. Pith. *Et rursus a primo versu prope medietatem utrinque septenæ litteræ ad directum duabus litteris, quæ sunt I E, et in media acrostichide in S litteram linea deformata : ex p. h. t. p. h.*
Ad mediet. ultimi versus scriptus est. Pith. *ad mediet. u. versus, et in linea litteræ S, quæ est in telestichidis medietate, Pentameter versus scriptus est hic.*
Rursus per med. Pith. *Rursum p. m.*
Habet scriptam prosam. Pith. *habet Scripturam prosa.*
Et litteras scriptas JESUS. Pith. *et in imo litteras JESUS.*

XVIII.

I. *III.* *VII.* *XII.*
MIRVMOPVSESTCVNCTOSETTALESEDEREVERSVS
SICQVELOCAREHEDERISPAVLVMTVDIEROGATVS
MOXADESENQVORSVMRAPIESQVIPRAEBEOFIXAS
SVMTVVSETPRIMISTVADISCIMVSVTTRIAFELIX
NECFALLAXTRIBVENSAVDACIINMVNERECLARVM
AEQVIPARESANIMVMNVNCCLIOCARMINAFIRMET
QVÆPOTERVNTPANGIPONAMCEVSTAMINANORMAS
QVAEVERRANTSESEQVAEVINCVLAMITIACVRENT
TVDABISHASVIRESTVARVRSVMCOSEREPRAEMIA
XI. AVSIBVSINMAGNISLAETAADCONTRARIACVRRAS
IV. AONIDVMNAMFONTEGRAVIMICATARSNOVAVENIS
IMMANESTPRORSVMAMPLEXVAVTTOTOCIVSONAS
PROSPICEREPLANTAREMODOSINMITTATVTLTEM
ETPROIECTANECETCONSVMTOINGLORIALIBRO
SISAPIVNTETNOSTRACVISVCCRESCEREACVMEN
PRAESOLIDVMDENSVMQVEANIMIDEDVCEREVIVA
CONGRVERECERNANTSTVDIOSEQVIBONACALLES
VIII. LEGIB.ABSTRVSISQVODCARMINACONSPICORATI
IX. BLANDEANIMIIVDEXQVIMORIB.OMNIACISAVCTV
[1] PRAEMIROOSTENDISSTVDIAINRECTOREPOLITA
TREVSICOLASQ.TVOSAVCTVSLAETABILESVMENS
INTVITVMQVOPROSPERAFACTAACGAVDIADONES
PVBLICANILPRIVSESTQVODVLETNOMINECVRAS
FASSITSIDONIISENSVMINPENETRALEPATRONI
NOSCEREQVAEPOSSISILLICNITOROCITEREIVS
V. CONDITVRABSTRVSAGENEROSVMCOGERECENSVM
XIII. PAVPERIEFLAGRANTGEMINISNOVAGAVDIAVOTIS
[2] DIVESAPOLLINEISDEAVRATFOEDERAPLECTRIS
HICNOVITLAVDESDOCTVSQVAEQVEOMINETANTO
SVNTPRAEVISABONISTVDEXTERPROTINVSESTO
CVMSANCTISINSISTEFIDEFESTINVSINAMPLVM
CLEMENTIHAECNVTVAVGVSTVSTIBIDONABEATA
LAVDATOTRIBVETTECONSVLEPRAEMIACOMPLET
HINCTVATVNCFESTISNOTISEXNOMINAPLAVSVS
PLVRIMVSACPRVDENSRERVMQVISTORPEATVSVS
DEGENERIABSPEMOLITAPLVSINGRVITHINCIAM
SVSCIPEVOTOALACRIHOCMVNVSVIRBONECLARE
II. *VI.* *X.* *XIV.*

I. Mixta per anfractus diducunt carmina Musæ,
II. Seu cancellatos spatia in contraria flexus.
III. Seriem paramus ordinare acrius,
IV, Amor poesis spissa gaudet exigi.
V. Possit coire docta rerum limite.
VI. Opus tuetur non negata parcitas.
VII. Speciosa sancta cultu.
VIII. Bene picta Musa metris,
IX. Breviter fluas ut isto
X. Opus est per arta cœtu.
XI. Audeo plenas
XII. Edere formas :
XIII. Picta notabo
XIV. Jura Camenis.

[1] Premiro o ostendis. — [2] Divers pol lineis.

Hoc carmen abest a Pith.

XIX.

ALMETVASLAVRVSAETASSUSTOLLETINASTRA
LVCETVASIGNESFASTVSSINELIMITECONSVL
MARTESERENVSHABESREIECTOMVNIAGRAIVM
ETMEDIPRAESTASINCENSVMSCEPTRAREDIRE
TORVAGETASCAMPOCLARVSVTLVMINAPERDIT
VVLTCVRVOTVRMAEFELIXSVACOMMINVSICTV
ARMENIIDVXFERRELEVISSOLTEQVOQVEPILA
SICETVICTNREFERTEXORTOSDACIAFRANCOS
LEGETVVSTONSORHENVSTIBIGERMINATEXVL
AGMINATELORVMSVBEANTQVIMVRMVREBELLA
VINCEREFLORENTILATIALESSARMATADVCTV
REXTIBIPOSSEGETASVISODETLIMITEVLTOR
VIDITTESVMMVMCOLVMENQVAVERIFERAESTV
SERVSINOCEANIPRESSITIVGANYSIAPONLVS
[1]ATQVERVDISRADIISCITLVXEXORTATROPAEA
ENGAVDENTPIETATEALTISPARSPERPERE AGE
TVVATEMFIRMESDICTVSTENVNCLYRACANTET
AVCTA DEO VIRTVS MVSAS MAGIS ORNAT APERTA
SOLVMVOTANOTISLATES VAROMULADATPLEBS
[2]SANCTATVISCLIOPERMISCETVOTATROPAEIS
VISITVRETCRESCITPICTORVMGRATIAC ANTV
SITVISVIGENISPERTHILENGRATIAPOLLENS
TALISFAXASVISSIGNISLYRAMVNERAGESTAT
ORSAPARIVATESQVAEPERFERTDELIERITHMO
LVMINEMVRICEOVENERANDUSDVXERITVTSOL
LEGIBVSVTIANITENEASAVVSORBETRIBVNAL
EGREGIOSTITVLOSPIETATISHABEBISAMORE
TOTFRETAPACISAPEXMVTARIMVNEREGAVDET
INDIACLAVIGERILATIVMVVLTTANGERENAVI
NILEVSMESSORSVATRADITCASTRAVELAGMEN
ARCTOSQVAMCARPINOSCETVIXHACMVSINORA
[3]SICISTOSCVLTVSINTERCVRVANTIBVSENSES
TENIVEAIVVATARCEFRVIPONTIDECVSAVGET
ROMASORORVETERESTVSCOSQVOSORETVEMVR
ALMETVASLAVRVSAETASSVSTOLLETIN ASTRA

Almè tuas laurus ætas sustollet in astra.
Aurea lux vatum silvæ mihi præmia serva.
Aucta Deo virtus Musas magis ornat aperta.
Aureà victorem pietas sonat uberè lingua.
Aonios latices pietas juvat armaque diva.
Augusti florem pietas juvat arma tropæa.
Aonii frutices pietas juvat ubere glæba.

[1] Trophea. — [2] Tropheis. — [3] Sic istu cultus in rreuurvantibus enses.

Hoc carmen abest a Pith.

XX.

CASTALIDESDOMINOVIRTVTVMTRADITEPALMAM
[1]CONSTANTINVSHABETBELLORVMIVRETROPAEVM
VINDICESVBDEXTRARE DDENSFELICITERORBEM
CONSILIISITERVMSVADENSETCVNCTAREFERRE
ROMATIBIBELLISCVMSAEVAINNECTEREPOSSIT
VINCLAIVGIVIRTVSMITESNONARMATINHOSTEM
SIGMAGNOPATIENSDOCVITCERTAMINEPARCENS
QVIDPIETASDONETPOSTDIRAPIAMINACLEMENS
NVNCMIHIIAMTOTODOCILESHELICONACAMOENÆ
MITTITECONPOSITASINTEMPORAMITIAPALMAS
NECTITEDEMETRISVIRTVTVMCARMINAETOMNES
CONCINITEVTFRVCTVFELIXETPRINCIPEDIGNA
[2]DETSTIRPESGRATASTEXENSQVASPAGINAVERSV
HINCVOVEATTITVLOVOTORVMCARMINAPOLLENS
PIERIOSMIHIPHOEBETVODENVMINEPRAESTENT
FONTESCASTALIAETVASILICETIREPERAGRANS
MENSIVGACELSAPETETMECVMSIPANGEREVERSV
MVSAVELITTANTOIAMNVNCSVBPRINCIPELAETA
LAVDISDONAFERENSRESONANSINSIGNIARAMIS
VINCENTVMIVSSOSAVDAXMIHIFIDATRIVMPHOS
ETMERITVMIVSSOSTOTREDDERENOBILEPALMAS
AONIDVMQVASVALLEFLVENSALITVNDARIGATAS
SANCTESALVSMVNDIARMISINSIGNIBVSARDENS
CRISPEAVISMELIORTECARMINELAETASECVNDO
CLIOMVSASONANSTVAFATVRPVLCHRAIVVENTAE
NOBILETVDECVSESPATRITVQVEALMEQVIRITVM
ETSPESVRBISERISHOSMENTISCARMINECAESAR
TVVINCENSPACISGRATISSIMAFOEDERASEMPER
INDVLGEETFAGILISGENTESADIVNGEROGANTES
FACQVETVIIVRISGAVDENSVIRTVTIBVSAVCTIS
CONSTANTINVSITEMLAVSORBISGLORIASAECLI
ROMVLEVMSIDVSLVXCLEMENSINCLITAFRATRVM
NOBILITASPROAVISVERVMETMEMORABILEFAMA
RESTITVITVICTORCAESARNOMENQVEDECVSQVE
SANCTEPATERRECTORSVPERVMVICENNIALAETA
[3]AVGVSTOETDECIESCRESCANTSOLLENNIANATIS

In hoc carmine per omnes partes tricenæ septenæ litteræ sunt, et scripta species palmæ, in qua palma duo primi rami quia breves videbantur, nec versum poterant implere, adjuncta est linea per directum et per obliquum,

Castalides versu docili concludite palmam.

Eadem littera prima communi manente, et M *littera ultima primi versus communi manente, secundus ramus per obliquum descendens et ascendens, facit versum,*

Constantine fave, te nunc in carmina Phœbum.

Per tertium ramum adæque per obliquum descendit et ascendit hic versus,

Mens vocat, ausa novas metris indicere leges.

Per quartum ramum adæque per obliquum descendit et ascendit hic versus,

Limite sub parili crescentis undique ramos.

Per medium truncum descendit a media littera primi versus ad mediam ultimi hic versus,

Reddat ut intextus Musarum carmine versus.

[1] Tropheum. — [2] Stirpe graatas. — [3] Solemnia.

Vers. 6. *Mites non arm.* Pith. *mitis non ar.*
7. *Sic magno.* Pith. *Sit magno.*
8. *Donet post dira pia mina.* Pith. *donec post pia minacia clemens.* Barth. legebat: *post pila minacia.*
9. *Helicona.* Pith. *Helicone.*
10. *Compositas.* Recte. Pith. male *compositas.*
13. *Texexs.* Pith. *texens.*
14. *Carmina.* Pith. *carmine.*
20. *Virtutum jussos audax.* Pith. *Virtutum ju' ax.*
21. *Jussos tot.* Pith. *justis tot.*
27. *Hos mentis carmina.* Pith. *nos mentis e.*
Ult. *Solennia.* Pith. *solemnia.*

IN LEMMA CARMINI SUBJECTUM.

Et scripta species palmæ. Pith. *et de minio scriptae, et sunt species palmae.*
Duo primi rami. Pith. *primi duo rami.*
Eadem littera pr. Pith. *Eadem C littera pr.*
Facit versum. Pith. *facit versum hunc.*
Adæque per obliquum desc. Pith. *per obliquum* omittit.
Crescentis undique. Pith. *crescentes u.* Sed auctor scripsit *crescentis.*
Versus ad mediam. Pith. *versus usque ad med.*

XXI.

CALLIOPECANE PLVRAPROCAXENORESERENVS
FONTESCASTALIIDEVSAVDIETINDECANOROS
MENSFVRITINNEXVSETFELIXCVRREREVOTIS
IAMSECREDETOVANSLIBETIREPERAVIASOLA
IMPETEQVOGRESSVS ETFANDIOPTATACVPIDO
INVITATATVLITMENSTANTVMMAXIMECAESAR
[1]AONIAE NODOSAMPLECTITVR INCITV SAETHRA
FVNDEPATERCOEPTISMVSASADMVTVAVERSVS
SCRVPEAFINGENTEMTAMDVROCARMINAVERSV
LVDEREFASNOBISPRAESVMEREDICEREMETRA
GAVDIAVELTENVIMEAPANDERESITMIHIMVSA
TANTVSHONORMEIVRESVOPERSIDERASAECLO
ODECVSAVSONIAETVLERITSICPARVALOCVTO
AMPLIVSENIVDEXDOMINVSTOTMVNERASVMMA
TANTAQVECONCEDISTVMENTEMDICEREDONIS
INVITVSLAVDISCVMMVNERESICVAGAPRIMIS
HAVDAVDITALEGASNECDICTISLAESACAMENA
AVDETMAGNANIMOVOTINOVAVINCVLAMENTIS
IVSSADARECREVITQVEMEOCORREPTAFAVORE
ENAGEIAMREDDITVOTISPIAPRAEMIAMAGNVM
CONCORDISAECLOROMAEDECVSETSIBIMVNDI
[2]IVRASVITOTLVXPOPVLISORBIQVETROPAEVM
SICDATASVNTISTOMAIORTVAGLORIATERRIS
ENAVGVSTETVISPRAESENSETTANTVSVBIQVE
IMPERIISFECVNDEPARASNVNCOMINECRISTI
OCEANIINTACTASORASQVIBVSERVTAFRANCI
DATREGIOPROCVLECCEDEVMCVIDEVIALATIS
TOTAPATENTCAMPISVTCAESOLIMITEVICTOR
RITEATAVOSVMMOMELIORCVICLAVDIVSACER
MAGNANIMVMSIDVSDATCLARVMENVMINEDIVO
IMPERIVMVIRTVSQVEMFELIXOPTATALVMNVM
AVGESFLORETVONOSTRAETIBIDEBITAVITAE
ORTAMICATFRATRVMFATALISGLORIASAECLO
RESLATIAVTVOTICOMPOSSICGAVDEATAVCTA
ASPICEPACATOPARTAESTLVXLAETASVBORBE

In hoc carmine trigenta quinque litteræ per omnes partes sunt. In qua a prima littera primi versus ad ultimam novissimi, rubrica per obliquum descendens, habet scriptum,

Constantine, maxime imperator et invicte.

Item a prima ultimi versus per obliquum rubrica ascendens, usque ad ultimam primi versus, adæque habet scriptum,

Æternæ pacis providentissimus custos.

A septima primi versus ad septimam a fine ejusdem versus per anfractum ascendens,

Pater imperas, avus imperes.

Item a septima ultimi versus, ad septimam a fine ejusdem versus, hoc idem habet. A tertia decima primi versus ad tertiam decimam a fine ejusdem versus habet scriptum,

Pius et felix.

Eadem ratione et in ultimo versu hoc idem scriptum est. A septima acrostichidis ad septimam a fine acrostichidis, habet scriptum,

Aurei sæculi restaurator.

Hoc idem habet scriptum identidem a septima telostichidis, ad septimam a fine ejusdem telostichidis. A XIII *acrostichidis ad* XIII *a fine ejusdem acrostichidis habet scriptum,*

Omnia magnus.

Telostichis hoc habet scriptum identidem a tertia decima telostichidis ad tertiam decimam ejusdem.

[1] Inclitssachra. — [2] Tropheum.

Vers. 2. *Fontes.* Pith. p. 377, *Fontis.*
4. *Libet.* Pith. *licet.*
9. *Tam duro.* Pith. *jam duro.*
13. *Tulerit.* Pith. *tuleris.*
14. *Amplius en.* Pith. *Amplius et.*
15. *Tu mentem dicere.* Pith. *tu menti edicere.*
17. *Legas nec dictis læsa.* Pith. *ligas nec dictis læta.*

18. *Voti.* Pith. *vati.*
20. *Magnum.* Pith. *magnus.*
23. *Major tua gloria. Barth.* ad Claudian. p. 507, 2 *edit.*
25. *Cristi.* Pith. *Crispi.*
27. *Deum.* Pith. *dium.*
28. *Campis ut cæso.* Pith. *campi sub cæso.*

IN LEMMA CARMINI SUBJECTUM.

Rubrica. Pith. *lubrica.*
Ad septimam a fine. Pith. omittit *a.*
Per anfractum ascendens. Pith. *per amfractum ascendens et descendens habet scriptum, Pater i. A. i.*
Ad septimam a fine ej. Pith. *ad septimam fine ejusd.*
Tertiam decimam, a fine. Pith. Tò *a* omittit iterum.
Eadem ratione et in ult. Pith. omittit *et.*
A fine Acrost. Pith. *fine Acrost.*
Hoc idem habet. Pith. Sic ordinat : *Identidem a sept. telestichidis ad septimam fine ej. telestichidis, hoc idem habet scriptum.*
A fine ejusd. Pith. *fine ejusd.*
Telostichis hoc habet scr. Pith. *Identidem tertia decima telestichidis in tertia decima ejusdem telestichidis hoc habet scriptum.*

XXII.

MARTIAGESTAMODISAVDAX IMITATA SONORIS
MVSAPEREFFIGIEMTVRMARVMCARMINATEXIT
ETNVNCAGMENAGITQVINOSVBLIMINERECTVM
MVSIGENOSPATIVMSEPTENOLIMITEDISTANS
NVNCEADEMVERSVRELEGENSVTCVMQVEMEATV
MITTIT INAMFRACTVSNONVNALEGECATERVAS
DISSONACOMPONIDIVERSOCARMINEGAVDENS
GRATANIMISFLEXVDOCILIDEPERPETEMETRO
ORTAITERVMFINISOCIANSCONFINIACONTRA
PRAEPONENSORSISNVLLODISCRIMINEMETRI
QVINETIAMPARTESMEDIAESVAMVNIADOCTAE
EXPEDIVNTVERSISVICIBVSNAMFINESEDVNO
QVAMVISAMBIGVOSCVRSVSETDEVIACLAVDIT
OSTENTANSARTEMVINCIRISCRVPEAPRAEBET
SARMATICASVSVMSTRAGESSEDTOTAPERACTA
VOTAPRECORFAVEASSVBCERTOCONDITAVISV
FACTORVMGNARVMTAMGRANDIADICEREVATEM
IAMTOTIENSAVGVSTELICETCAMPONACRVORE
HOSTILIPOSTBELLAMADENSARTISSIMATOTO
CORPORAFVSASOLOSVBMERSASAMNEREPLETO
VICTRIXMIRETVRTVRBASACIEMQVEFEROCEM
PLVRIMACONABORPHOEBEOCARMINEGAVDENS
MARGENSISMEMORAREBONICAELESTIAFACTA
INTROITVSETBELLALOQVIPERCVLSARVINIS
QVISDEVICTAIACETGENSDVROMARTECADVCA
TESTISMAGNORVMVICINABONONIAPRAESENS
SITVOTICOMPOSEXCISAQVEAGMINACERNENS
DETIVGACAPTIVISETDVCARCETERAPRAEDAS
GRANDIA VICTORIMOLIMVRPRAELIA PLECTRO
DICERENECSATISESTVOTVMSICOMPLEATORE
[1]MVSASVOQVAECVNQVEPARATSVBLEGESONARE
SCRVPOSISINNEXAMODISPERFECTACAMENIS
[2]VVLTRESONAREMEISETTESTISNOTATROPAEA
DEPICTISSIGNAREMETRISCVMMVNERESACRO
MENTISDEVOTAEPLACARIINFATAPROCELLAS

In hoc carmine per omnes versus tricenæ quinæ litteræ sunt : per quam paginam discurrunt duo versus de minio scripti, utrique quinarum partium orationis, quæ singulæ septenas litteras habent, quarum ultima manente, quatuor inter se vices mutant, ita ut prima si velis sit quarta, et quarta rursum prima, secunda cum velis sit tertia, tertia cum velis sit secunda, et manente ultima, fiat reciprocus multifariam versus, non solum ipse se mutans, sed cum alio versu eamdem varietatis obtinens rationem, ordine servato partium, quem mutari velis, ut possis quam vis inde partem orationis per ordinem suarum partium mutare. Sunt autem versus duo hi,

Dissona Musarum vinciri stamine gaudens,
Grandia conabor Phœbeo carmina plectro.

Idem versus per anfractus varios sursum et deorsum discurrit. In hoc eodem carmine quatuor quadrata in angulis sunt senarum litterarum, duo trigona, et duo orthogona majora dimidiata, et unum hexagonum in medio, et scalena per angulos quatuor, omnia pari numero litterarum, et pari ordine crescentia vel decrescentia, id est omnia similia, trigona trigonis, orthogona orthogonis, quadrata quadratis, scalena scalenis.

[1] Quecunque parat sub legee. — [2] Trophea.

Vers 4. *Limite.* Pith. p. 355, *milite.*
5. *Versu.* Pith. *verso.*
14. *Vinciri.* Pith. *vincire.* Male.
15. *Sarmaticas usum str.* Pith. *Sarmaticas summas str.*
19. *Artissima.* Pith. *arcissima.*
22. *Conabor Phœbeo.* Pith. *conarer Phœbæo.*
24. *Ruinis.* Pith. *Ruinas.*
25. *Duro Marte.* Pith. *dura Morte.*
28. *Cetera.* Pith. *cætera.*
31. *Quæcunque.* Pith. *quæcunque.*
Ult. *Placari in fata pr.* Pith. *placarint fata.*

Orthogona. Pith. *octogona.*
Dimidiata. Pith. *dimidiatu.*

IN LEMMA CARMINI SUBJECTUM.

Utrique. Pith. *uterque.*
Sit tertia, tertia cum velis, sit. Pith. *sit tertia et tertia c. v. s.*
Per ordinem. Pith. *pro ordine.*
Vinciri stam. Pith. *vincire stam.* Male.
Idem versus per anfractus varios sursum et d. Pith. *Idem versus et per varios amfractus sursum ac d.*

XXIII.

AVGVSTVMSPECIMENMITISCLEMENTIAMAGNE
AVSONIDVMVICTORTVAMAXIMEFORTIAMUSAE
CASTALIAEDEFONTECANVNTTUMVNERASVMMA
VOTORVMDAPHOEBEMIHINVNCPLENAFAVORIS
DAMENTEMSENSVSQVEPIOSINSIGNESERENVS
IMPERIVMNATISQVEPOTENSADMARTIA FELIX
PERPETVVMSAECLISPICTOSUBCARMINEFARI
[1]AVDENTEMPREGORIPSEIVVAMEGLORIAVATUM
DICTVRVMCARMENQVAMVISNVNCCOPIAMVSAE
NONTALISPOSSITQVEMINVSSVBLEGEIVVARI
VERSOALIVDLIMOALIVDQVOPAGINAINOMNES
SIGNATVRMODVLOSDISCERNATSEMINAFANDI
VELLEIVVATNVMENLVXALMAETGAVDIAMVNDI
INSTITVVNTSEQVITVRCVRASINMVSICAVOTO
[2]VIRTVTESQVETVASETMORES PANDEREGESTIT
SANCTETVOSCREVITNOSTRAEFIDVCIAMENTI
TEDVCENAMQVEPIOGAVDENSSVBMVNERENOTA
INIVGAFESTINATMVSISVBIFRONDEASEMPER
TECTACANVNTARTESETNOTAEVATIBVSVNDAE
INDOMITOSREGESSEVPACISLVBRICAVICTOR
AVTBELLOSTERNENSAVTMITISEFOEDERANVTV
ESSETVOSFACISAGROSQVEEXERCERETVORVM
AVCTIORALMADEIPERTEPRAESENTIAMVNDVM
BESPEXITREDDENSMOXAVREASAECVLAREBVS
OSTENDITQVEDEVSRECTORISTEMPORAIVSTI
AETHERIONVTVPLACIDISCLEMENTIAIVSTIS
PERTEPERQVETVOSSVNTOMNIAMITIAVICTOR
NATOSRESPOPVLIFLORENTADGAVDIAMENTIS
[3]CAESARIBVSQVETVISTOTOVICTORIAINORBE
SEMPERIVRECOMESFELIXINSAECVLAPOLLET
[4]TANTORVMMERITASTATVESCAPTIVATROPAEA
VICTORSARMATIAETOTIENSENACCIPECLARI
DVCTORVBIQVETVISVOTORVMREDDITAFELIX
DEBITAIAMCONPOSGAVDETTVAROMVLEPVBES
RECTORBITESVVSNOBISPERSAECVLAFLORET

In hoc carmine tricenæ quinæ litteræ per omnes partes sunt, in qua a prima littera primi versus rubrica descendens usque ad quadraturam mediam, et de quadratura per obliquum ad ultimam primi versus ascendens, facit versum,

Ausonium columen, lux alma, et gloria Romæ.

Rursum ab acrostichidis tertia decima littera, quæ est V, *per obliquum ascendens usque ad primum versum prope medietatem, et inde per obliquum descendens ad telostichidis tertiam decimam litteram, quæ est* I, *facit versum,*

Virtutum specimen, mitis clementia mundi,

Novissimæ autem partes orationum his duobus versibus alternis utraque utrique versui serviunt. Deinde per acrostichidem a quarta decima littera novem litteræ ad directum descendentes, et contra se pari ordine prope in medio carmine aliæ novem, et item ultra medium carmen pari ordine aliæ novem, et item in telostichide aliæ novem, faciunt versum,

Justitiæque parens, spes felix, otia rerum.

Rursus a vicesima tertia littera acrostichidis, per obliquum ad ultimum versum descendens, et inde paululum directa, et ascendens per obliquum ad XXIII *telostichidis, facit versum,*

Ætherium munus nobis per sæcula missum,

Litteræ ab ultima littera acrostichidis, a prima novissimi versus per obliquum ascendentes ad mediam quadraturam, et paululum directæ, et per obliquum descendentes, usque ad ultimam novissimi versus litteram, faciunt versum,

Rectorisque Dei per te præsentia pollet.

In isto carmine sunt hexagona pari numero quatuor, trigona isopleura numero litterarum octo, quadratum medium, omni parte pari numero litterarum, unum.

[1] Ispe juva. — [2] Virtutes ove tuas. — [3] Cæsarnbus. — [4] Trophea.

Vers. 2. *Victor.* Pith. p. 357, *ductor.* 7. *Picto sub carmine.* Pith. *pictor su Carmine.*

8. *Vatum.* Pith. *vatem.*
9. *Copia Musæ.* Pith. *cœta Musæ.*
11. *Verso aliud limo a. q. p. i. omnes.* Pith. *Versu aliuo limo aliud quo pagina in omnis.*
12. *Semina fandi.* Pith. *semita fandi.*
13. *Juvat numen.* Pith. *jubet num.*
21. *fœdera nutu.* Pith. *fœdere nutu.*
25. *Deus.* Pith. *Deos.*
Ibid. *Justi.* Pith. *justa.*
28. *Mentis.* Pith. *mentes.*
Penult. *Compos.* Recte. Pith. male *compos.*

IN LEMMA CARMINI SUBJECTUM.

In qua a prima littera pr. v. rubrica descendens. Pith. *in qua prima littera primi v. per obliquum lubrica descend.*

Ad primum versum prope medietatem. Pith. *ad primi versus prope medietatem.*
Telostichidis. Pith. *telestichidis.*
Alternis utraque utrique. Utraque abest a Pith.
Pagina aliæ novem. Post hæc inseruntur in Pith. *et item ultra mediam paginam pari ordine aliæ novem, et item in telestichide aliæ novem fac. vers.*
Ad XXIII *telostichidis f. v.* Pith. *a vicesima tertia telestichidis littera faciunt versum.*
Litteræ ab ultima littera Acrostichidis. Pith. *Item ab ultima littera acrostichidis.*
Ascendentes. Pith. *ascendens.*
Directæ. Pith. *directa.*
Descendentes. Pith. *descendens.*
In ista pagina. Pith. *In hac pagina.*

XXIV.

POSTMARTIOSLABORES
ETCAESARVMPERENNES
VIRTVTIBVSPERORBEM
TOTLAVREASVIRENTES
[1]ETPRINCIPISTROPAEA
FELICIBVSTRIVMPHIS
AVGVSTARITESAECLIS
[2]EXSVLTATOMNISAETAS
VRBESQVEFLOREGRATO
ETFRONDIBVSDECORIS
TOTISVIRENTPLATEIS
HACORDOVESTECLARVS
CVMPVRPVRISHONORVM
FAVSTOPRECANTVRORE
FERVNTQVEDONALAETI
IAMALMACVLMENORBIS
DATMVNERAETCORONAS
AVROFERENSCORVSCAS
VICTORIASTRIVMPHIS
VOTAQVEIAMTHEATRIS
REDDVNTVRETCHOREIS
[3]MESORSINIQVATANTIS
SOLLENNIBVSREMOTVM
VIXHAECSONARESIVIT
TOTVOTAFONTEPHOEBI
VERSVQVECOMPTASOLO

Augusto victore juvat rata reddere vota.

XXV.

OSIDIVISOMETRILIMITECLIO
VNALEGESVIVNOMANANTIAFONTE
AONIOVERSVSHEROIIVREMANENTE
AVSVRODONETMETRIFELICIATEXTA
AVGERILONGOPATIENSEXORDIAFINE
EXIGVOCVRSVPARVOCRESCENTIAMOTV
VLTIMAPOSTREMODONECFASTIGIATOTA
ASCENSVIVGICVMVLATOLIMITECLAVDAT
VNOBISSPATIOVERSVSELEMENTAPRIORIS
DINVMERANSCOGENSAEQVARILEGERETENTA
PARVANIMISLONGISETVISVDISSONAMVLTVM
TEMPORESVBPARILIMETRIRATIONIBVSISDEM
DIMIDIVMNVMEROMVSISTAMENAEQVIPARANTEM
HAECERITINVARIOSSPECIESAPTISSIMACANTVS
PERQVEMODOSGRADIBVSSVRGETFECVNDACANORIS
AERECAVOETTERETICALAMISCRESCENTIBVSAVCTA
QVISBENESVPPOSITISQVADRATISORDINEPLECTRIS
ARTIFICISMANVSINNVMEROSCLAVDITQVEAPERITQVE
SPIRAMENTAPROBANSPLACIDISBENECONSONARITIMIS
SVBQVIBVSVNDALATENSPROPERANTIBVSINCITAVENTIS
QVOSVICIBVSCREBRISIVVENVMLABORHAVDSIBIDISCORS
HINCATQVEHINCANIMATQVEAGITANSAVGETQVERELVCTANS
COMPOSITVMADNVMEROSPROPRIVMQVEADCARMINAPRAESTAT
QVODQVEQVEATMINIMVMADMOTVMINTREMEFACTAFREQVENTIA
PLECTRAADAPERTASEQVIAVTPLACIDOSBENECLAVDERECANTVS
IAMQVEMETROETRITHMISPRAESTRINGEREQVIDQVIDVBIQVEEST

Hi versus habent numerum Iambicum dimetrum catalecticum, omnes litterarum decemoctorum.

In hoc carmine organi species est XXVI *versibus depicta, in qua superior pars omnis heroico metro scripta est, cujus primus versus* XXV *litterarum est, et inde singuli per ordinem, incrementis singularum litterarum, ad quinquaginta usque perveniunt, cujus numeri est ultimus versus, qui primum versum numero duplicat litterarum, cum sit pari metro. Deinde per medium diversa rubrica scriptus est versus,*

Augusto victore juvat rata reddere vota.

Quæ quasi regulam organi designant.

[1] Trophea. — [2] Exultat. — [3] Tactis.

IN CARMEN XXIV.

Vers. 7. *Augusta rite sæclis.* omittit hic Pith. et ultimo loco ponit.
12. *Hac ordo veste clarus.* Pith. *Hinc ordo veste clara.*
16. *Tam Alma culmen Orbis.* Pith. *Jam Roma cul. Orbis.*
22. *Iniqua tantis.* Pith. *iniqua lætis.*
23. *Sollennibus.* Pith. *sollemnibus.*

IN LEMMA CARMINI XXIV SUBJECTUM.

Hi versus habent, etc. Omittit ista Pithœus hic, et ponit p. 374, sed aliter ad finem Carminis 25, vide mox.

IN CARMEN XXV.

Vers. 8. *Ascensu j. c. l. claudat.* Pith. Ibid. *Ascensus j. c. l. cludat.*
12. *Isdem.* Pith. *iisdem.*
15. *Canoris.* Pith. *sonoris.*
17. *Suppositis.* Pith. *subpositis.*
19. *Placidis.* Pith. *placitis.*
22. *Animatque agitans.* Pith. *animæque agitant.*
24. *Frequentia.* Pith. *frequenter.*
Ult. *Quidquid.* Pith. *quicquid.*

IN LEMMA CARMINI XXV SUBJECTUM.

Qui primum versum numero duplicat litterarum cum sit pari metro. Pith., *qui duplicat numerum litterarum primi versus, cum primus versus sit pari metro.*
Quæ quasi r. o. designant. Pith. *Quiq. r. o. designat.*
Mox addit Pithœana Editio, quæ Velserus subjecerat 24. Carmini :

*Incedunt versus * qui * longuo cum labore positi sunt, et habent metrum Iambicum diametrum catalecticum : omnes litterarum octonum denum.*

Ad hæc duo Carmina adhibe *Buchnerum* ad hymnum Venantii Fortunati de Resurr. Christi pag. 27, et *Barthium* ad Claudian. 2, edit. p. 179.

XXVI.

ARDUA COMPONUNT FELICES CARMINA MUSÆ,
DISSONA CONNECTUNT DIVERSIS VINCULA METRIS,
SCRUPEA PANGENTES TORQUENTES PECTORA VATES,
UNDIQUE CONFUSIS CONSTABUNT SINGULA VERBIS.

Hi quatuor versus omnes pari ratione conscripti sunt ita ut manente ultima parte orationis, cæteras partes omnes versuum ordinibus tantum invicem mutatis, vel ad directum, vel ad reciprocum modum variare possis, ita dumtaxat, ut primæ partes cum primis vel quartis vices mutent, secundæ cum secundis vel tertiis, et possis si velis, nulla parte orationis addita, ex his IV *versibus* LXXII *facere, ita ut nullus sui similis sit.*

Ardua componunt felices carmina Musæ,
Dissona connectunt diversis vincula metris,
Scrupea pangentes torquentes pectora vates,
Undique confusis constabunt singula verbis.

Undique pangentes confusis singula Musis,
Ardua felices diversis pectora metris,
Scrupea constabunt connectunt vincula vates,
Dissona torquentes componunt carmina verbis.

Carmina felices componunt ardua Musæ,
Vincula diversis connectunt dissona metris,
Pectora torquentes pangentes scrupea vates,
Singula constabunt confusis undique verbis.

Dissona torquentes constabunt vincula Musæ,
Undique connectunt componunt singula metris,
Ardua diversis confusis carmina vates,
Scrupea pangentes felices pectora verbis.

Ardua constabunt torquentes carmina Musæ,
Dissona componunt connectunt vincula metris,
Scrupea confusis diversis pectora vates,
Undique felices pangentes singula verbis.

Pectora connectunt pangentes scrupea Musæ,
Carmina confusis diversis ardua metris,
Singula felices componunt undique vates,
Vincula constabunt torquentes ardua verbis.

Carmina torquentes constabunt ardua Musæ,
Vincula connectunt componunt dissona metris,
Pectora diversis confusis scrupea vates,
Singula pangentes felices undique verbis.

Scrupea felices diversis pectora Musæ,
Ardua connectunt pangentes carmina metris,
Undique componunt torquentes singula vates,
Dissona constabunt confusis vincula verbis.

Undique connectunt constabunt singula Musis,
Scrupea torquentes componant pectora metris,
Dissona confusis felices vincula vates,
Ardua pangentes diversis carmina verbis.

Vincula confusis constabunt dissona Musæ,
Singula torquentes componunt undique metris,
Carmina pangentes connectunt ardua vates,
Pectora diversis felices scrupea verbis.

Singula constabunt connectunt undique Musæ,
Pectora componunt torquentes scrupea metris,
Vincula felices confusis dissona vates,
Carmina diversis pangentes ardua verbis.

Vincula componunt connectunt dissona Musæ,
Singula constabunt torquentes undique metris,
Carmina felices confusis ardua vates,
Pectora pangentes diversis scrupea verbis.

Carmina diversis felices ardua Musæ,
Vincula pangentes connectunt dissona metris,
Pectora torquentes componunt scrupea vates,
Singula confusis constabunt undique verbis.

Scrupea diversis pangentes pectora Musæ,
Ardua confusis felices carmina metris,
Undique torquentes constabunt singula vates,
Dissona connectunt componunt vincula verbis.

Ardua felices diversis carmina Musæ,
Dissona connectunt pangentes vincula metris,
Scrupea componunt torquentes pectora vates,
Undique constabunt confusis singula verbis.

Pectora pangentes confusis scrupea Musæ,
Carmina felices diversis ardua metris,
Singula constabunt connectunt undique vates,
Vincula torquentes componunt dissona verbis.

Singula confusis pangentes undique Musæ,
Pectora diversis felices ardua metris,
Vincula connectunt constabunt scrupea vates,
Carmina componunt torquentes dissona verbis.

Dissona componunt torquentes vincula Musæ,
Undique connectunt constabunt singula metris,
Ardua diversis felices carmina vates,
Scrupea confusis pangentes pectora verbis.

Vers. 3. *Pangentes.* Pith. p. 372, *pangentis.*
Ibid. *Vates.* Pith. *Vatis.*

IN LEMMA SUPERIUS.

Omnes versuum ordinibus tant. Pith. *omnium versuum ordines t.*

LXXII *facere.* Pith. *octaginta quattuor facere.*

Ardua componunt. Absunt hæc omnia a Pithœana editione.

ANNO DOMINI CCCXCII.

COELIUS SEDULIUS.

(Edit. ab Arevalo Romæ 1794 recusa.)

Epistola dedicatoria.

Eminentissimo et reverendissimo principi et D. D. Francisco Antonio de Lorenzana et Butron *S. R. E. presbytero cardinali, archiepiscopo Toletano, Hispaniarum primati, cancellario majori Castellæ, præclari regii ordinis Hispanici Caroli III, magna cruce insignito, etc.,* Faustinus Arevalus.

Etsi optime intelligo, eminentissime princeps, eum te esse, qui studiorum meorum, quidquid sunt, qualiacumque sunt, rationem a me prope jure tuo repetere possis, meaque omnia tibi deberi, tamen, libere ut loquar, vix nunc quidem inducerem animum, ut ad te, ista dignitate virum, tot curis, tot muneribus districtum, alterum hoc laborum meorum in Christianos poetas specimen mitterem, nisi ita crebris, ac magnis a te, lucubrationum hujuscemodi mearum nomine, cumulatus beneficiis essem, ut facile credam, te Sedulium meum, quem reverenti et submisso animo nunc offero, benigno et placido vultu suscepturum.

Atque, ut alia hoc loco præteream, unum modo commemorare mihi liceat : quod tamen non ad ullam doctrinæ, aut ingenii mei commendationem dictum videri velim, quæ quam sint exigua, sentio; sed ad tuæ unius singularis, atque incredibilis adversus Christianæ litteraturæ cultores propensionis, et beneficentiæ prædicationem. Commemorare, inquam, hoc unum mihi liceat, voluisse te, inter imagines virorum doctrina illustrium, quæ in publica istarum tuarum ædium archiepiscopalium bibliotheca visuntur, meam quoque imaginem, a pictore in primis claro Bonaventura Salesa ad vivum expressam, collocari.

O rem præclaram, ad quam numquam, vere ut loquar, ne somnians quidem aspirassem! O eximiam tuam, ut dixi, adversus Christianæ litteraturæ studiosos propensionem, et benevolentiam! En igitur, clementissime princeps, novum hunc meum conatum in ea studia, quæ tantopere amas, colis, promoves.

Quamvis autem, ut Juvenco imitatorem, ac discipulum suum in sacrosanctis Evangeliis carmine explanandis adjungam, Sedulium nunc potius edam, quam unum aliquem ex antiquis Hispanis Patribus, tamen non ita a priori illo meo instituto recessi, ut concilii Romani, quod, Damaso pontifice, habitum fuit de Scripturarum divinarum canone constituendo, ex Vaticanis monumentis inter appendices illustrandi occasionem oblatam libenti animo non arripuerim.

Neque majora in Ecclesiæ Hispanæ decus, si vitam Deus, et vires suppeditet, aggredi desistam, tuo maxime provocatus exemplo, qui innumerabilibus curis amplissimæ tuæ diœceseos, aliisque negotiis, quæ peculiari ratione ab optimo et prudentissimo rege Carolo IV tibi commissa singulari sapientia exples, studia etiam sacra, et labores addis palæstræ litterariæ, in qua immortalem nominis gloriam et multis jamdiu præclaris operibus editis comparasti, et nuper tertio volumine Patrum Toletanorum in publicam lucem, et utilitatem emisso mirum in modum auxisti.

Enimvero neque immensa ista tua in sublevandis hominum ærumnis munificentia, neque novis ingentibus sumptibus, et subsidiis ad promovendum pro patria, et religione susceptum bellum subministratis, deterritus es, quominus hac etiam in parte publicæ utilitati prospiceres. Quippe persuasissimum tibi est, ut ad impios homines debellandos, qui arma contra jura omnia divina, et humana sumpserunt, necessaria sunt arma, ita ad impietatis semina penitus evellenda, quæ ubique terrarum, non dico, jacta sunt, sed insolenter luxuriant, evangelicæ legis documenta, ex ore potissimum veterum magistrorum exposita, passim esse non solum offerenda, sed etiam inculcanda.

Prudentissime vero a te factum est, quod antiquioribus aliis Toletanis Patribus Rodericum Ximenium, sæculi XIII *scriptorem, conjunxeris : cujus viri, sanctitate vitæ æque ac doctrina insignis, inter cæteras virtutes religiosum erga sedem apostolicam Romanam obsequium licet admirari : quod tibi exemplum imitandum quodammodo propositum fuisse, ex iis litteris colligo, quas tuæ pariter erga eamdem primam sedem Petri venerationis testes, et obsides ad SS. D. N. Pium VI Pont. Max. mittendas curasti.*

Quos igitur mihi animos addes, eminentissime princeps, si me. ac meas commentatiunculas tueri pergas! Neque te pluribus distinebo : sed verbis tantum Sedulii ex epistola dedicatoria operis Paschalis ad Macedonium repetitis, deprecabor : Fave primum, ut alii faveant, et omnium mentibus sententia se probatæ jugiter auctoritatis infundat.

PROLEGOMENA IN COELIUM SEDULIUM.

CAPUT I.

Cœlii Sedulii vita, et gesta.

1. Intuenti mihi in varias rerum humanarum vicissitudines, ac diu multumque consideranti calamitosa, in quæ nunc incidimus, tempora, ad coercendos improborum hominum conatus utile in primis visum est veterum Patrum scripta per omnes ubique partes, quoad ejus fieri possit, propagare, eorumque lectionem frequentiorem reddere. Graviter Cellarius, quamvis heterodoxus homo, ad suam Sedulii editionem in hunc fere modum præloquebatur : *In ea sane tempora incidimus, quibus ima summis, sacra profanis commiscentur, aut hæc illis anteferuntur. De augustissimis enim mysteriis quam multi sunt, qui si non negent, frigide tamen sentiunt, quasi otiosæ quæstiones sint, et minorem fructum ad mores et officium hominis conferant! quæ perniciosa opinio cum ex causis aliis, tum maxime ex neglecta notitia priorum Ecclesiæ temporum suborta est. Quam illustrior ardentiorque fides majorum erat! Quam divine distincteque Sedulius tam Sabellium quam Arium sub finem primi libri ex ore Salvatoris repressit, confixit, pessumdedit!* Quid, si Cellarius ad nostra pervenisset tempora, quibus multi non jam per occultos cuniculos, sed **2** aperte non minus quam impudenter religionem ac cultum Dei omnem evertere conantur ?

2. Sed ad neglectam notitiam priorum Ecclesiæ temporum quod attinet, perspicuum est, impios quosdām homines nihil antiquius habuisse quam ut probatis quibusvis scriptoribus, atque adeo linguæ ipsi Latinæ bellum indicerent. Ita enim fieri posse sperabant, cum ut sua ipsorum eloquentia, longissime sane a mascula veterum eloquentia distans, magis probaretur, tum ut sui errores difficilius possent refelli. Simile quiddam est, quod de Seneca Philosopho narrat Quintilianus, libr. x, cap. 1 : *Tum autem solus hic fere in manibus adolescentium fuit. Quem non equidem omnino conabar excutere, sed potioribus præferri non sinebam, quos ille non desinerat incessere, cum diversi sibi conscius generis placere se in dicendo posse iis, quibus illi placerent, diffideret.*

3. Profecto nonnulli sanctissimæ religionis æque ac linguæ Latinæ hostes jam obtinuerunt, ut multi mortalium, antiquitatis studio neglecto, fucatum dicendi genus unice ament, *commissiones* scilicet *meras*, et *arenam sine calce*, quod non inepte Cæsar Caligula de scriptis Senecæ dicebat (*Apud Suetonium*, *cap.* 53), in quo orationis genere concisæ et sæpe obscuræ instar oraculorum periodi de rebus alioquin vulgatissimis ita congeruntur, ut eas commiscere et inter se commutare queas, quin ulla sententiarum connexio depereat : neque enim magis inter se connexæ sunt, quam numeri qui in ludo, *Lotto* quem dicunt, ex urna temere extrahuntur. Est tamen aliud aliquid quod corruptis hominum mentibus in impiis istis scriptoribus placeat : temeraria dicacitas sæpe insulsa, sed quæ depravatis animis alte insidet, quod aut contra bonos mores, aut contra legitimam potestatem, aut contra ipsam Divinitatem verba aculeata proferantur. Quantum inde mali consequatur, quid attinet explicare? Non immerito viri pii queruntur, quod, sicut lingua Latina dici solet lingua doctorum, ita lingua Gallica, qua tot scelerati libri prodierunt, lingua facta sit impiorum. Addunt alii, quod de romanis sui temporis ac Syris venalibus M. Cicero senex dicebat (*De Oratore*, *l.* II), **3** uno verbo vel adverbio leviter mutato, repeti nunc posse : *Nostros homines similes esse Syrorum venalium ; ut quisque optime Græce sciret, ita esse nequissimum.*

4. Huic malo maxima ex parte occurri potest, si mordicus retineatur et accurate explicetur doctrina cum aliorum Patrum, tum poetarum christianorum, quos quasi alia quadam lingua locutos multi non audent attingere, nisi explanatio aliqua adhibeatur. Igitur Prudentio, Dracontio, et Juvenco Sedulium nunc adjungimus. Ac recte quidem Juvenco, proxime a nobis edito, comes nunc additur Sedulius : de quibus in titulis bibliothecæ Isidori sic legimus :

> Ambo pares lingua, florentes versibus ambo :
> Fonte evangelico pocula larga ferunt.

De Sedulio ergo more institutoque nostro ea prius disseremus, quæ ad ejus vitam et scripta potissimum cognoscenda pertinere maxime videbuntur.

5. Codex Vaticanus Palatinus, num. 242, quem in Prolegom. ad Prudentium num. 79, et in nota descripsi, ut aliorum poetarum, sic etiam Sedulii vitam breviter exponit : *Laicus fuit gentilis, sed in Italia Philosophiam didicit ; dein ad Dominum conversus, et a Macedonio presbytero baptizatus, in Arcadiam venit, ubi hunc librum composuit.* Videtur hæc esse præfatio alicujus ad carmen paschale Sedulii, quod ab hoc codice abest. Hæc tamen, quæ sic narrata in hoc codice sæculi circiter XII exstant, solum ea parte admitti possunt, qua vetustioribus monumentis confirmentur. Ad alios igitur codices deveniamus.

6. Codex Vaticanus reginæ Sueciæ, quem *Reg.* 1 appellare volui, post epigramma Asterii de Sedulio, et quædam alia verba de prologo metrico Sedulii, num. 66 proferenda, sic pergit : *Hieronymus in catalogo scriptorum dicit : Sedulius versificus, primo laicus, in Italia philosophiam didicit, postea cum aliis metrum heroicum Macedonio consulante* (corrigo *consulente*) *docuit in Achaia : libros suos scripsit tempore Valentiniani et Theodosii.* Mabillonius Analect.

veter. tom. I, pag. 363, similem notationem profert ex mss. codice Corbeiensis bibliothecæ : **4** *Hieronymus in catalogo : Sedulius*, etc. Pro *metrum* est *metrorum*, et Mabillonius supplet *metrorum* (generibus) *heroicum*, etc. Postea *scripsit in tempore*. Error illico deprehenditur in Hieronymi nomine : nam Sedulii Hieronymus in suo scriptorum catalogo non meminit, neque meminisse potuit, quippe qui eum longe ætate præcesserit.

7. Librarius igitur, ejus notationis auctor, aut exscriptor, pro Gennadio Hieronymum posuit : quæ hallucinatio apud alios etiam observatur, inde, ut puto, exorta, quod Gennadius catalogum scriptorum S. Hieronymi continuaverit, et uterque catalogus in unum volumen sæpe compactus fuerit. Gennadium ipsum Toletanum antistitem sibi finxit Notkerus Balbulus, quod, ut conjicere libet, Ildefonsum Toletanum antistitem, in aliquo Gennadii codice continuatorem istiusmodi catalogi scriptorum illustrium reperisset. Verba Notkerii sunt, cap. 7, de interpr. S. Scripturæ : *Si tamen antiquos auctores nosse volueris, lege librum beati Hieronymi de illustribus viris a S. Petro usque ad seipsum, et Gennadii Toletani episcopi ab Ambrosio usque ad eumdem Gennadium.* Idem fere repetit cap. 11.

8. Refert Sirmondus, ad Ennodium lib. I, epist. 24, ex integris Gennadii exemplaribus se didicisse, Sedulium diem suum obiisse, Theodosio juniore, cui opus dicavit, et Valentiniano regnantibus. Verba Gennadii ex integris exemplaribus Sirmondus non profert : sed, ut arbitror, apud Gennadium in exemplaribus integris legit, obiisse Sedulium, Theodosio juniore et Valentiniano regnantibus : quod autem Sedulius Theodosio juniori opus suum dicaverit, id ex præconcepta sua opinione adjicere videtur Sirmondus ; qua de re alius postea erit disserendi locus. In vulgatis Gennadii libris nihil legimus de Sedulio, neque videtur quidquam apud eumdem Gennadium reperisse Isidorus, qui in libro de Scrip. eccles. Sedulium recenset, et eos tantum recensere solet, qui a Gennadio prætermissi sunt. Fortasse jam tum imperfecta plura erant exemplaria Gennadii : sed optandum maxime fuisset, ut Sirmondus integrum Gennadii exemplar nobis non invidisset. Alii exemplaria Gennadii, quæ perfecta dicuntur, interpolata potius esse putant.

5 9. Ex Gennadio, sive alius sit auctor, corrigendus est codex Palatinus, quem num. 5 excitavi, in quo asseritur, Sedulium in Arcadiam venisse. Legi enim debet *in Achaiam venit* ; quamvis enim Arcadia pars sit Achaiæ, tamen *Achaiæ* nomen præferendum est. Consentit codex Ottobonianus, num. 35, quem *Ott.* 1 nomino, qui post elegiam Sedulii, *Cantemus*, sic refert : *Incipit ars Sedulii poetæ, qui primo laicus in Italia philosophiam didicit, postea cum aliis metrorum generibus heroicum metrum, Macedonio consulente, docuit in Achaia. Libros suos scripsit in tempore imperatorum minoris Theodosii, filii Arcadii, et Valentiniani, filii Constantii. Pax...* Desunt reliqua, deficiente membrana hoc loco disrupta, in cujus tergo legitur, *Incipit glossa de prosa Sedulii ;* et paucæ lineæ glossarum subjiciuntur. Georgius, in not. ad. Baronium, anno 494, refert verba hujuscemet codicis, quem inter Ottobonianos notat, num. 553, olim in bibliotheca reginæ Suecorum num. 1396 : interpungit autem, et legit, *docuit. In Achaia libros suos scripsit in tempore imperatorum minoris Theodosii filii Arcadii, et Valentiniani. Constantii pax.* Sed in codice ita scriptum est, ut ego descripsi : de quo iterum. Scribitur autem *Archadii* et, mendose, *Valetiani*, vel *Valentiani*, pro *Valentiniani*. Mabillonius loc. cit. Analect., ex vetusto exemplari monasterii Lirensis, verba eadem quæ sunt in Ott. 1 describit: *Incipit ars*, etc., sed exhibet *consulante* pro *consulente*, et omittit *in* post *scripsit*, et verbum postremum *pax.*

10. Nonnihil ab his differunt duo alii codices, alter Almeloveenianus, quem Arntzenius laudat ; alter Britannicus, quem 500 annorum dicit Cellarius, ex Usserio, de Brit. eccles. primord. cap. 16. Codex Almeloveenianus sic habet : *Sedulius versificus primo laicus, in Italia philosophiam didicit; postea cum aliis metrum eroicum Macedonio esulante, in Achaia libros suos scripsit in tempore Valentini et Theodosii.* Emendatior est codex Britannicus, qui sic refert : *Sedulius versificus primo laicus in Italia philosophiam didicit : postea cum aliis consociis heroicum metrum, Macedonio consulente, didicit. In Achaia libros conscripsit tempore Theodosii et Valentiniani.* His **6** addo codicem quemdam meum chartaceum, qui in fine Sedulii sic habet : *Sedulius poeta, consulibus Theodosio et Valentiniano, in Italia philosophiam didicit. Inde ad fidem catholicam conversus, a Macedonio presbytero baptizatus est, et in Achaiam projectus librum hunc contra errorem, et in christianæ fidei commendationem carmine composuit.* Pro *Valentiniano*, in nexu litterarum, legi potest *Valentino.*

11. Hæc pauca ex vetustis Sedulii codicibus de ejus vita colligere licet, neque alia antiquiora adsunt monumenta, ex quibus plura addamus. Sed ut quæ de eo vulgo dicuntur, enucleatius explicentur, primum disserendum est de patria. Plerique Sedulium Scotum fuisse affirmant. At Cellarius tenet, illa ætate Hiberniam fuisse Scotiam, et ex illa minori insula nomen translatum fuisse in majorem, sive in partem Britannicæ insulæ septentrionibus obversam: ex quo arguit, Sedulium fuisse Hiberniensem. Hanc ipsam opinionem tenuerat Usserius de Britann. eccles. primord. cap. 16 : *De patria sua Sedulius noster dubitare nos non sinit, cum in epistolarum suarum exordio ut ex Trithemio intelleximus, Sedulium Scotigenam se nuncupet, ejusdemque in epistolas Paulinas annotationes, ex Fuldensi vetustatis adorandæ exemplari editæ hanc inscriptionem præferant : Sedulii Scoti Hiberniensis in omnes epistolas Pauli Collectaneum.* Dempsterus, in Histor. eccles. Scotor., cum de Sedulio agit, affirmat, hanc vocem *Scotus Hiberniensis* usurpatam non fuisse Sedulii ævo, sed postea

ad distinguendos Scotos silvestres, seu montanos a mediterraneis. At Usserius contendit, Hibernienses ipsos dictos fuisse *Scotos Hibernienses*, quod jam Orosii tempore videtur in usu fuisse. Distinctio Dempsteri inter populos ipsos Scotiæ posteriorum temporum est, ut ex Diction. geograph. Ferrarii colligitur.

12. Arntzenius, cum Barthio, Dempstero, auctore Notarum ad Gyraldum, Borrichio, Vossio, et aliis censet, Sedulii patriam fuisse partem insulæ majoris Britannicæ, quæ nunc Scotia dicitur. Certe plerique Scotum cum simpliciter vocant Sedulium, id intelligere videntur, quamvis alteram ab altera Scotiam distincte non separent. Huic sane sententiæ veluti ex 7 communi traditione vigenti libens accedam: sed vellem, eam validioribus argumentis posse confirmari. Poterit huc trahi interpretatio Barthii ad vers. 20 libr. I, ubi verba *Ridiculove Getæ* exponit de quodam ridiculo deo veterum Scotorum, cujus genealogiam Asserus describit. Ex quo conjecturam ducet aliquis, Sedulium superstitionem suæ gentis notare voluisse. Sed illa Barthii, Asseri etiam, et aliorum explicatio suo loco a nobis rejicietur. Non invenio antiquiorem Trithemio probabilem scriptorem, qui Sedulio Scotiam patriam adjudicaverit. Trithemius autem plura habet aliis ignota: *Sedulius presbyter natione Scotus, Hildeberti Scotorum archiepiscopi ab ineunte ætate discipulus, vir in divinis Scripturis exercitatus, et in sæcularibus litteris eruditissimus, carmine excellens, et prosa, amore discendi Scotiam relinquens, venit in Franciam, deinde Italiam perlustravit, et Asiam, postremo Achaiæ finibus excedens in urbe Roma mirabili doctrina clarus effulsit.*

13. Non est tantæ auctoritatis Trithemius, cui sine alio duce fidem præstare debeamus. Quod autem idem Trithemius initium epistolarum Sedulii ad diversos ait esse, *Sedulius Scotigena*, Sedulioque nostro attribuit Collectaneum in epistolas Pauli, cujus auctor inscribitur *Sedulius Scotus Hiberniensis*, hæc rem multo magis incertam reddunt. Consentiunt enim viri critici, hæc opera non esse Sedulii nostri poetæ, sed alterius Sedulii junioris, de quo postea dicam. Suspicari ergo quisquam poterit, Sedulium poetam a Trithemio et aliis Scotum natione nuncupari, quia ejus putabant esse opera, quæ Sedulii junioris sunt, et nomen Sedulii Scoti præferunt. Immo Labbeus, de Script. eccles. tom. II, aperte affirmat, recentiores, homonymia confusos, tres in unum Sedulios confudisse, Sedulium poetam sæculi IV, Sedulium episcopum sæculi VIII, et Sedulium interpretem sacræ Scripturæ sæculi IX.

14. Sed abutemurne nos hac conjectura, ut Hispanis nostris Sedulium poetam annumerari posse pronuntiemus? Minime. Veritatis enim amor eo nos ducit, ut fabulosam censeamus narrationem Chronici pseudo—Dextri ad annum 428, num. 1 :*Fœtadio pontifici Toletano succedit Isicius monachus Palestinus,* 8 *qui Sedulium amicum suum, et Oretanum episcopum prædicationis gratia Toleti detinet, qui dono Dei in poesi oratoriaque præclarus multos libros componit.* Ita fere commentitius etiam Haubertus in Chronico, ad annum 428. Cellarius de fide istiusmodi Chronicorum videtur dubitare. Nic. Antonius, Bibliot. Vet. Hisp. lib. III, cap. 5, num. 115, plane eam rejicit: *Proclivis sum, ut credam,* ait, *episcopali munere in Hispania tributo, Hispanos quoque natales subindicare voluisse auctorem. Sed tam falsum est ortum apud nos Sedulium, quam episcopum alicubi fuisse.* Nic. Antonius in refellendis falsis Chronicis, quæ sæculo proxime elapso disseminata per Hispaniam maxime sunt, sæpe ultra, quam par est, progressus fuit. Non fuerit Hispanus Sedulius: neque enim id auditum constat ante confictum pseudo-Dextrum. Sed quod alicubi episcopus fuerit, graviori auctoritate comprobatur, ut postea exponam. Hispanos autem natales Sedulii ex supposititiis Chronicis collegerunt Damianus a Goes, et Sebastianus Munsterus in descript. Hisp., qui nulla distinctione adhibita, ut observat Usserius, Sedulium poetam in Hispanorum numero collocarunt. Bivarius vero commentator pseudo-Dextri dubitat, an duo fuerint Sedulii poetæ.

15. Sedulio addi solet prænomen *Cælius*, sive *Cœlius*, quod, ait Arntzenius, melioris notæ codices agnoscunt. Facile credam, prænomen Cælii in multis mss. reperiri: nam et veterrimæ editiones illud exhibent. Labbeus, de Script. eccles., confirmat, Sedulii prænomen *C.*, aut *Cælii*, aut *Cæcilii* apud recentiores esse. Hinc fortasse in Diction. Script. eccles. confictum fuit *Gaius Cæcilius Sedulius*. Dempsterus, in Histor. eccles. Scot., *Caium*, aut *Cæcilium* dicit. Meum tamen est profiteri, in codicibus a me visis tale prænomen non apparere, excepto codice Vaticano reginæ Suecorum, num. 333, quem *Reg.* 1, voco, in quo inverso ordine est *Sedulius Cælius*, et codice etiam reginæ, num. 29, quem *Reg.* 5, appellabo, ubi *Cælius*, sive *Celius Sedulius* nominatur. Is autem codex recentissimus est, ac vix pro ms. haberi debet: censeo enim, exscriptum eum esse ex Aldi editione, certe posterior ea quidem est. In quodam Barthii codice acrostichis Liberii dicitur esse *de Cælio-Sedulio,* 9 ut referam in Append. Apud antiquiores Romanos Cælius nomen erat, non prænomen, ut *M. Cælius Rufus*, *L. Cælius Antipater*: sed sub imperatoribus magna invecta est perturbatio nominum et prænominum.

16. Nomen *Sedulius* occurrit apud Ciceronem, Pro domo sua cap. 30; in inscriptionibus Gruteri, pag. 4, n. 7, *P. Sedulius Julianus;* et p. 181, n. 9, *Q. Sedulius;* apud Muratorium, pag. 1213, *Sedulia Læta;* et pag. 125, n. 4, hæc legitur inscriptio parum correcta, ut videtur:

Q. SEDVLIVS. FIL
SEDVLI. MAIOR
DIS. MARIS. AC
AVG. ARCVM
STATVAS. IDEM
M. D. D

Inter Christianos nonnulli apparent hoc nomine nuncupati. In Dissert. Isagog. Bernardi Pezii, ad tom. I. Thesaur. Anecd. pag. 5 seqq., recensetur

necrologium ms. Abbatiæ S. Petri Salisburgi sub Arnone primo archiepiscopo Salisburgensi scribi cœptum et a coævis usque ad sæculum XII perductum. In ordine episcoporum et abbatum diversorum locorum designatur *Sedolius episcopus:* sic enim scribitur. Præterea anno 721, in primo concilio Romano sub Gregorio II, Sedulius Britanniæ episcopus conspicitur. De alio Sedulio sæculi IX agit Hepidannus monachus S. Galli, in Annalibus a Duchesnio editis, tom. III Historic. Franciæ, pag. 473. Anno 818, *Sedulius Scotus clarus habetur*. Est etiam ejusdem nominis, sive cognominis Henricus Sedulius ordinis Minorum, scriptor sæculi XVII non valde notus, quamvis opus pro celebri libro Conformitatum S. Francisci scripserit. Samuel Hundius latere voluit sub nomine *Sedulii Numæ*, in opere, *Bulla Innocentii X adversus quinque propositiones*, etc. De Sedulio vero, qui concilio Romano sub Gregorio II interfuit, Labbeus hanc refert subscriptionem: *Sedulius episcopus Britanniæ de genere Scotorum huic constituto a nobis promulgato subscripsi.* In codice Vat. 1342, est collectio canonum, quam **10** eamdem esse, quæ Cresconiana passim a Baronio in Annalibus vocatur, aliquis initio codicis annotavit. Sed Ballerinii, qui in editione operum S. Leonis de collectionibus canonum eruditissime agunt, recte observant, diversam hanc esse ab ea, quæ Cresconiana a Baronio nuncupatur. Pag. 191 hujus codicis sunt *Tituli decretorum Gregorii papæ junioris*, h. e., Gregorii II. Initio, inter episcopos recensentur *Sinderado Archiepiscopo Hispaniæ*, *Sedulio episcopo Britanniæ*, *Fergusto episcopo Scothiæ*. In subscriptionibus vero : *Sinderadus archiepiscopus regionis Hispaniæ huic constituto*, etc.; *Sedulius episcopus de genere Britanniæ huic constituto*, etc. ; *Fergustus episcopus ex genere Gothorum huic constituto*, etc. Pro *Gothorum* legendum videtur *Scotorum.* In alio codice Vat. 1341, nominantur etiam in hoc concilio *Sinderedus archiepiscopus Spaniæ*, *Sedulius episcopus Britanniæ.* Et Sinderedus quidem, ita enim in catalogis præsulum Toletanorum appellatur, quo tempore Saraceni Hispaniam occuparunt, Toletana sede sua relicta, Romam confugit: Sedulius qua de causa Romam convenerit, incertum mihi est.

17. Sedulium poetam Hildeberti Scotorum antistitis discipulum ab ineunte ætate fuisse, Trithemius, ut vidimus, narrat. Sed id refellit Baronius ad annum 429, num. 4 ; observat enim, primum Scotiæ episcopum fuisse Palladium, a Cœlestino Papa missum, quod confirmat ex Prospero, in Chronico, sub consulibus Theodosio et Valentiniano, et in opere adversus Collatorem, in fin., ubi Cœlestinum laudans, ait: *Ordinato Scotis episcopo, dum Romanam insulam studet servare catholicam, fecit etiam barbaram christianam.* Britanniam vocat *Romanam insulam*, Scotiam *Barbaram* dicit, quia etsi jam olim multi in Scotia Christi fidem amplexi fuerant, tamen maxima pars ejus gentis idola venerabatur, et barbarorum ritu vivebat. Qui ergo fieri potuit ut Sedulius, qui hoc ipso tempore florebat, ab ineunte ætate magistrum habuerit Hildebertum Scotorum archiepiscopum ?

18. Etsi autem non constat, sub cujus disciplina Sedulius ab ineunte ætate profecerit, tamen nulla causa est cur credamus eum laicum gentilem fuisse, et, postquam philosophiam **11** didicerat, ad Deum conversum, Sacramentum Baptismi a Macedonio suscepisse, ut narratur in codice Vaticano, num. 5, relato, et in codice meo chartaceo, num. 10. Id autem eo minus credo, quo apertius video unde error natus fuerit. Ait Sedulius in epistola dedicatoria ad Macedonium: *Cum sæcularibus igitur studiis occupatus vim impatientis ingenii, quod Divinitatis in me providentia generavit, non utilitati animæ, sed inani vitæ penderem, et litterariæ solertia disciplinæ lusibus infructuosi operis, non auctori deserviret, tandem misericors rerum Conditor clementius fabricam sui juris aspexit, et stultos in me mundanæ sapientiæ diutius haberi sensus indoluit*, etc. Hæc autem, et alia similia, quæ sequuntur, non arguunt Sedulium hoc ipso tempore ethnicæ superstitioni addictum fuisse, quod gravioribus verbis debuit declarari ; sed solum denotant animum ejus profanis deditum disciplinis, ac parum divinas curantem.

19. Itaque quod postea addit, Macedonium alloquens, *Me noveram, vel tua, pater beatissime, vel aliorum, quos gratia similiter cœlestis illustrat, quiddam profecisse doctrina*, id non indicat, Sedulium sacro Baptismate a Macedonio ablutum fuisse, sed potius sacrarum litterarum scientiam ab eo percepisse. Et cum Sedulius postea rationes afferat cur Macedonio præ cæteris opus suum dedicet, non prætermisisset clare exprimere, si verum esset, quod baptizatus ab eo fuisset : præsertim cum de aliis dicat ad eumdem Macedonium : *Alios intra septa gregis tui oves fecisti.*

20. Refert Trithemius, Sedulium amore discendi venisse in Franciam, deinde Italiam perlustrasse, Asiam et Achaiam, postremo Romæ claruisse. Hanc narrationem amplificat, et exornat Xystus Senensis l. IV Biblioth. sanct., ubi de Cœlio Sedulio ait : *Velut alter Apollonius Tyanæus fugientem sapientiam toto terrarum orbe perquirens, Britanniam, Hispaniam, Galliam, Italiam, Græciam et Asiam miro discendi ardore perlustravit : tandemque Romæ divinis et humanis doctrinis illustris sub Theodosio Augusto floruit, carmine excellens et prosa.* Quod Sedulius in Franciam venerit, alibi non legitur: **12** sed simile vero est, id ita accidisse, si natale solum Sedulii Scotiam dicamus esse. Plerique codices eum in Italia philosophiam didicisse confirmant: sed quo magistro, aut qua in regione Italiæ, non constat. Asiæ mentio apud Trithemium occurrit, apud alios non item. In Achaia, et, si vis codici Palatino, num. 5, exhibito credere, in Arcadia Sedulius vixit, postquam philosophiam in Italia didicerat.

21. Quid autem Sedulius egerit in Achaia, non uno modo codices mss. exponunt. Alius refert:

Cum aliis metrum heroicum Macedonio consulente docuit in Achaia. Alius : *Cum aliis metrorum generibus heroicum metrum*, etc. Alius : *Cum aliis consociis heroicum metrum, Macedonio consulente, didicit. In Achaia libros conscripsit*, etc. Quid ergo retinendum? Hæreo sane. Verbum *consulente* eo magis me ducit, ut credam Sedulium consilio Macedonii docuisse alios metrum heroicum cum aliis metrorum generibus; quo pertinet, eum multis in locis vocari rhetorem. Vide schol. ad titulum epistolæ ad Macedonium, et in his Proleg. num. 25, 90, et schol. ad vers. 60 l. I. Sed probabile etiam videtur, eum, Macedonio consulente, sive docente, simul cum aliis consociis, seu condiscipulis, metrum heroicum didicisse. Huic tamen interpretationi non nihil obstat, quod Sedulius in epistola dedicatoria non solum non agnoscit se in hujusmodi studiis discipulum Macedonii, sed potius innuit, Macedonium non in has humiles disciplinas, sed in sublimiores incumbere solitum fuisse. Ex diversa etiam interpunctione sensus aliquantulum diversus redditur. Nam si post *docuit*, vel *didicit* punctum apponatur, tunc intelligetur, Sedulium in Achaia libros conscripsisse. Si oratio continuetur, et post *Achaia* punctum collocetur, tunc significabitur eumdem in Achaia docuisse. In Ottobon. 1 et in aliis, neque post *didicit*, neque post *Achaia* punctum apponitur; sed omnia sine ulla distinctione procedunt: sed in Reg. 1 clare interpungitur *docuit in Achaia; libros suos scripsit tempore*, etc.

22. Sed utrovis modo periodus interpungatur, satis inde colligitur, Sedulium in Achaia fuisse commoratum, cum omnia aut pleraque carmina sacra composuit. Codex Palatinus, num. 5 **13** relatus, aperte ait: *Venit in Arcadiam, ubi hunc librum composuit.* Ac videtur Sedulius presbyter in eadem Ecclesia factus, in qua presbyter erat Macedonius, antistes Ursinus, presbyteri etiam Laurentius, Gallicanus, Ursinus, vel Ursicinus, et quidam Felix, qui non appellatur presbyter. In eadem Ecclesia, vel provincia, floruisse videtur Syncletice virgo ministra, sive diaconissa, quam Sedulius in epistola ad Macedonium celebrat, eam laudans, quod præter alias virtutes *Scripturas ecclesiastici dogmatis sitiens epotaverit.* Non ergo videtur esse diversa ab illa Syncletice cui Eustathius Latinam versionem in Hexaemeron S. Basilii dedicavit. Exstat ea versio inter appendices tom. I operum Basilii, recensente Juliano Garnier congregationis S. Mauri. Dedicatio sic incipit : *Eustathius Syncleticæ Germanæ diaconissæ salutem in Christo. Religiosus, simulque studiosus animus tuæ germanitatis, dum plenitudinem cœlestium nosse desiderat Scripturarum, cunctas bibliothecas ecclesiasticas, et earum qui fuerint conditores, crebris lectionibus investigans, pervenit tandem ad Hexaemeron*, etc. Sed neque ex Eustathio plura de hac Syncletice addere possumus, neque Bollandus, qui die 5 Januarii Synclelices a Sedulio laudatæ in præfatione Vitæ S. Apollinaris Synclelices meminit, quidquam aliud profert, nisi quod Sedulius ipse narrat in epistola ad Macedonium; Eustathium autem paulo post Constantini sæculum floruisse, nonnullis visum est. Neque aliud de hoc Macedonio rescire licuit, quem minus recte abbatem appellari in var. lect. ad titulum epist. dedicatoriæ Sedulii animadvertemus. Ejusdem Macedonii hortatu Sedulius carmen paschale in prosam orationem convertit, ut ex epistola dedicatoria colligitur. Fertur etiam, epigramma Asterii, qui Sedulii carmina post fata ejus collegit, Macedonio dedicatum fuisse, cui Sedulius opus suum dedicaverat. Quod non ita certum esse, suo loco ostendam.

23. De tempore quo Sedulius libros suos scripsit, hæc habemus e mss. codicibus. Quidam exhibet : *Libros suos scripsit tempore Valentiniani et Theodosii.* Alius, *in tempore imperatorum minoris Theodosii filii Arcadii, et Valentiniani filii Constantii.* Alius, *In tempore Valentini et Theodosii.* Alius, **14** *Tempore Theodosii et Valentiniani.* In his *Valentini* mendum est, pro *Valentiniani.* Alio modo codicem Ottobon. 1 legebat Dominicus Georgius, ut dixi num. 9, sed membranæ ita habent, ut exscripsi, in quibus clare post *Constantii* punctum affigitur ante verbum *pax*, quod initium est alterius periodi. Dubium ergo non est, quin Sedulius floruerit tempore Theodosii minoris et Valentiniani. Proinde Sigebertus longe aberravit, qui in libro de Script. eccles. de Sedulio ait : *Claruit tempore Constantis et Constantii, filiorum Constantini.* Neque audiendus est Heinsius, epist. ad Reinesium 176, tom. V Sylloges Burm. p. 198, qui cum aliis ætatem Sedulii ad Theodosium Magnum revocat ex dedicatione ad Theodosium, *Romulidum*, etc., quam Sedulii non esse infra demonstrabitur. Dempsterus præterea graviter labitur, cum ait, Sedulium secundum quosdam vixisse sub Theodosio Seniore anno 450, eamque veriorem esse sententiam : fortasse pro anno 430; alium indicare voluit. Alii annum 378, quo Sedulius claruerit, alii annum 581 assignant.

24. Cum Valentinianus Constantii filius regnare cœperit anno 424, Theodosius junior e vivis excesserit anno 450, consequens est, ut intra annum 424 et 450 Sedulium libros suos conscripsisse dicamus. Trithemius annum quo Sedulius claruit, ita nobis indicat : *Claruit sub Theodosio, anno Domini* 430. Justus Fontaninus, de Antiquit. Hortæ l. II, c. 3, censet, Sedulii carmen ab ipso vulgatum fuisse circa annum 434; Georgius vero suspicatur, id evenisse anno 420, quod arguit ex nomine Constantii, quod in codice Ottoboniano apparet. Constantius enim anno 417, Placidiam Honorii sororem duxit uxorem; anno 421, Augustus est renuntiatus, eodemque periit. Verum, ut jam monui, Constantii mentio fit in codice Ottoboniano, ut ejus filius dicatur esse Valentinianus, ac distinguatur a duobus Valentinianis, qui præcesserant, *Seniore* altero, altero *Juniore* nuncupato. Multo vero magis rejicienda est opinio Usserii, qui Sedulium ad annum usque 494, saltem post annum 470, dejicit. Argumentum petit ex dedicatione

Asterii ad Macedonium, quem perperam putat esse eumdem, ad quem Sedulius scripsit, ut postmodum docebo. Xystus Senensis, **15** ipso anno 450 Sedulium obiisse affirmat : alii recentiores anno 449, aut 450, vixisse tradunt. Sed de certo anno nihil potest definiri.

25. Dubitant nonnulli, an Sedulius sua carmina ediderit, an solum intra privatos parietes continuerit. Sed hæc controversia melius explicabitur, cum de Asterio, qui Sedulii carmina collegisse, et divulgasse dicitur, sermo instituetur. Investigandum præterea est, cui fundamento innitatur assertio Trithemii, quod Sedulius *postremo Achaiæ finibus excedens in urbe Roma mirabili doctrina clarus effulsit.* Vehementer hac de re dubitant plerique. Reperio tamen, confirmari id posse auctoritate Paschasii Ratberti, in libro de Partu Virginis, qui olim S. Ildefonso tribuebatur : sed eminentissimus cardinalis Franciscus Lorenzana, sacrarum litterarum et cultor, et patronus egregius, in perquam erudita et eleganti editione Patrum Toletanorum opus auctori suo Ratberto restituit, atque inter alia dubia aut supposititia Ildefonsi rejecit. Ratbertus ergo, tom. I Patrum Tolet. pag. 514, ait : *Hinc Sedulius rhetor Romanæ Ecclesiæ in paschali suo opere ait.* Adde ex Usserio verba referenda n. 180 seq. Leviori nititur fundamento narratio de Sedulii divitiis, quas Guilielmus Eysengrein memorat in Catal. test. verit., ad ann. 412 : *Cum nihil non didicisset,* ait de Sedulio, *quod theologo absolutissimo necessarium videbatur, atque non minus internis animi dotibus, quam externis divitiarum opibus enitteret,* etc.

26. Diversa ratio est de episcopatu Sedulii, quem Nic. Antonius, num. 14 laudatus, omnino pernegat. Mihi contra certum videtur, Sedulium alicubi tandem episcopum renuntiatum fuisse. Ut enim omittam, *episcopum* vocari a Sigeberto, et ab auctore veteri, qui decretum Gelasii descripsit, a nobis producendo num. 152, duo sunt antiquissima carmina in laudem Sedulii, a Belisario et Liberio composita, a nobis in appendicibus exponenda. In utroque est acrostichis, sive anacrostichis, nimirum ex primis litteris versuum, ac similiter ex postremis conficitur nomen *Sedulius antistes* : quo etiam nomine Sedulium appellat anonymus Mellicensis Sigeberti æqualis, de **16** Script. eccles. Censebant ergo Belisarius et Liberius, antistitem fuisse Sedulium. Christiani autem scriptores vix umquam presbyterum vocarunt *antistitem*, sed hoc nomen proprium esse voluerunt episcopi, ut videre licet in cod. Justin. libr. 1, tit. 3, leg. 18, 22, 25, et alibi sæpe. His Labbeus, quem Nic. Antonius in episcopatu Sedulii negando secutus videtur, respondet, *antistites ordine in secundo*, hoc est, presbyteros a Sidonio in Claudiano Mamerco, et ab aliis veteribus agnosci. Sed etiamsi aliquando nonnulli presbyteri ab aliis honoris causa ita fuerint appellati, tamen negari nequit, id nomen simpliciter positum, ut ordinem indicet, episcopum significare. Sidonius Mamercum non antistitem simpliciter, sed *ordine in secundo* vocat : ex quo nonnulli fingunt, fuisse chorepiscopum, sive vicarium generalem sui episcopi. Præterea episcopatus Sedulii comprobatur ex codice Urbinate 584, olim 828, in quo passim *egregius episcopus Sedulius* nominatur, ut in variis lectionibus ad initium et finem librorum constabit. Vide num. 89.

27. Aperte etiam episcopum vocat Sedulium Albinus, sive Alcuinus, in Officiis per ferias, sabbato, ubi hymno abecedario Sedulii, *A solis ortus*, titulum præscribit, *B. episcopi Sedulii hymnus.* Hunc titulum a recentiore esse manu ait Labbeus : sed mihi contra videtur, ab ipsius Albini manu esse. His ergo codicibus, in quibus Sedulius episcopus dicitur, consona sunt tum epigrammata Liberii et Belisarii, tum vetus inscriptio prosæ Sedulianæ ex Pithœano codice : *Incipit præfatio Sedulii antistitis in soluta oratione paschalis carminis.* Ac fortasse Sedulius episcopus jam erat, cum carmen paschale soluto sermone reddidit, quod adhuc presbyter composuit : ex quo factum est, ut in carmine paschali vulgo presbyter nominetur. Deinde cum carmen paschale in omnium manibus esset, nomen presbyteri Sedulio adhæsit, omisso alio episcopi, quod non ita patens erat. In appendice Bibliothecæ Patrum Margarini De la Bigne, vocatur in indice *Cœlius Sedulius Scotus presbyter, sive antistes.* Mabillonius, tom. I Analect. veter. pag. 563, ex versibus acrostichis in Sedulium colligit, eum antistitem, seu episcopum fuisse : sed omnino pro eodem accipit antistitem, **17** atque episcopum, ut patet ex indice, et ex auctoritate Sigeberti in hanc sententiam allegata. Nic. Antonius objicit versum Asterii de Sedulio : *Per quam justus ait talia Sedulius* : nam Asterius Sedulium *justi* titulo tantum non appellasset, si episcopum laudare voluisset. Sed hæc conjectura parum movere debet : nam in Asterii epigrammate Sedulius neque presbyter vocatur : et potuit Asterius vel ignorare, episcopum fuisse Sedulium, vel de hac ejus dignitate, tamquam de re nota, neque ad sui epigrammatis argumentum explicandum necessaria, tacere. Minus movere nos debent argumenta hypercritici Basnagii, qui tom. III Annal. polit. ad ann. 434 negat etiam presbyterum fuisse Sedulium, quia Macedonium presbyterum *patrem* vocat, et se *nulla veteris scientiæ prærogativa suffultum*, et *sæcularibus studiis occupatum* dicit. Hæc enim solum probant, Sedulium modeste locutum fuisse, qui Macedonium presbyterum magistrum suum in ecclesiasticis disciplinis, et aliorum plurium, *patrem* appellaverit, et se in sæcularia studia, dum laicus erat, potissimum incubuisse professus fuerit. Grunerus exponebat, Sedulium, cum Macedonium *patrem* in epistola dedicatoria vocavit, nondum fuisse presbyterum.

28. Quonam autem in loco Sedulius episcopi munus obierit, omnino latet : nam Oretanus episcopatus Sedulii fabula est a nobis explosa num. 14. Donec

aliud clarius lumen affulgeat, conjicere libet, Sedulium in Achaia, ubi presbyter erat, et libros suos composuit, ad sedem episcopalem fuisse evectum, atque ibi tandem diem supremum obiisse. Dubitet etiam aliquis, an alicubi Sedulio religiosus honor præstitus fuerit. Asterius eum vocat *justum*, et Alcuinus *Beatum*, ut nuper vidimus. Ita etiam appellat exscriptor codicis bibliothecæ Laurentianæ Florentinæ referendi num. 86, et noster codex Reg. 2, ut leges in Scholiis ad titulum carminis paschalis. Mabillonius Veter. Analect. Paris. 1723, pag. 548, ex codice Vaticano annorum tunc fere quingentorum profert opus ita inscriptum: *Revelatio, quæ ostensa est venerabili viro Hispaniensi Eldefonso episcopo* (anno 845). In hoc opere sic laudatur Sedulius: *Definit sanctus Sedulius mirabiliter dicens: Non quia qui summus pater est*, etc. **18** Vide l. I, vers. 319. De auctore hujus operis, aut de hoc episcopo Hispaniensi Ildefonso nihil aliunde expiscari potui, nisi suspicari libeat, fuisse Adefonsum episcopum Salmantinum, cujus epitaphium, a Petro Pictaviensi conscriptum, legitur tom. XXII Biblioth. Patrum Lugd. Ejus non meminit Nic. Antonius in Biblioth. Hisp. Agitur eo in opere de panibus in Ecclesia offerendis, et de signis, quæ inesse debent hostiæ consecrandæ. Incipit: *Anno octingentesimo quadragesimo quinto Incarnationis Domini nostri Jesu Christi... in visu apparuit mihi*, etc. Vidi codicem ipsum Vaticanum 1341, in quo post collectionem Conciliorum, sæculo circiter X scriptam, charactere recentiori exarata est Revelatio Eldefonsi in fine voluminis. Mendose autem legitur *hoc et filius est* pro *et filius hoc est*. Quod attinet ad Sedulium, ejusmodi elogia *justi*, *beati*, atque adeo *sancti* probitatem ejus vitæ possunt confirmare, non autem efficere, ut intelligamus, cœlestes honores illi umquam exhibitos fuisse, cum ejus nomen in nullo martyrologio inscriptum inter sanctos reperiatur, neque ejus memoria in ullis libris liturgicis religioso cultu celebretur. Bollandiani ad diem 12 Februarii inter prætermissos referunt C. Cœlium Sedulium. Colganus ad hanc diem ejus meminit, sed tantum sub titulo *Venerabilis*; ita quidem vocatur in Decreto Gelasiano, ut ab Hincmaro de non trina Deitate *venerandus*. Dempsterus l. III Hist. Eccles. Scot., et David Camerarius l. III de Scot. piet. ad diem 20 Februarii *Sanctum* dicunt: Camerarius ait, ab aliis diem festum poni 13 Junii. Bollandiani in nullis fastis nomen Sedulii repererunt. Dempsterus loc. cit. tradit, Joannem Gropperum t. I, de Alt. sacram., pag. 360, ex versione Christophori Cassiani Trabachensis probare, Sedulium sanctis annumeratum esse.

CAPUT II.

Opera Sedulii recensentur.

29. Catalogum operum Sedulii sic contexit Trithemius: 1° *Ad Macedonium Abbatem opus insigne juxta seriem totius Evangelii*, **19** *quod prænotavit Carmen paschale, metrice, libri* IV, *Paschales quicumque dapes*; 2° *In omnes epistolas Pauli prosaice libri* XIV, *Antequam Apostolica verba*; 3° *De miraculis Christi liber* I, *A solis ortus cardine*; 4° *Ad Theodosium imperatorem liber* I, *Romulidum ductor clari*; 5° *In majus volumen Prisciani liber* I; 6° *In secundam editionem Donati liber* I; 7° *Exhortatorium ad fideles liber* I, *Cantemus, socii, Domino*; 8° *Epistolas plures ad diversos liber* I, *Sedulius Scotigena*; 9° *De miraculis Christi prosaice libri* II.

30. Addit Trithemius, alia nonnulla Sedulium edidisse, quæ ad suam notitiam non venerant. Singillatim hæc ipsa nos discutiemus. Celeberrimum Sedulii opus est carmen paschale. In var. lect. ad epistolam dedicatoriam observo, Macedonium, cui poema hoc dicatum est, in mss. vocari presbyterum, non *abbatem*, ut Trithemius eum appellat. Idem Trithemius agnoscit prologum metricum, *Paschales quicumque dapes;* non tamen videtur huic carmini annectere epigramma ad Theodosium, *Romulidum ductor*, quod pro separato ac diverso libro ponit. Fabricius in Biblioth. vet. Lat. affirmat, epistolam præmissam ad Macedonium post Sedulii mortem a Turcio Rufio Asterio additam fuisse: sed fallitur certe, hallucinatus fortasse ex epigrammate Asterii, *Sume, sacer*, etc.

31. Controversia magna est de numero librorum carminis paschalis, quos quatuor esse dicit Trithemius. Parrhasius integrum poema Sedulii sine ulla distinctione librorum edidit. Codex Vaticanus secundus, quem num. 65 describam, totum carmen in duos tantum libros dividit. Id secutus est Anonymus Mellicensis cap. 35 de Script. ecclesiast. post Biblioth. Benedictino-Maurianam Bernardi Pez: *Sedulius antistes ad Macedonium presbyterum magistrum suum libros duos, de veteri scilicet, et novo Testamento, metro conscripsit heroico, quibus et prolixum prosaice scriptum præposuit prologum.* Isidorus de Script. eccles., sive de Vir. illustr. cap. 20, tres tantum libros sic distinguit: *Sedulius presbyter edidit tres libros dactylico heroico metro compositos, quorum primus signa, et virtutes veteris Testamenti patentissime resonat; reliqui vero gestorum* **20** *Christi sacramenta, vel miracula intonant.* Suspicantur nonnulli, in mss. codices Isidori errorem incidisse, qui facile solet in numeris contingere ut III pro IV aut pro V scriptum fuerit. Librarii autem facile numeros per litteras exprimebant, ut si invenirent III *libros*, ipsi describerent *tres libros*. Fortasse Isidorus cum Anonymo Mellicensi carmen paschale in duos libros dividebat, tertiumque addebat, elegiam nimirum, et hymnum, quibus etiam vita Christi exponitur. Jonas Aurelianensis l. II de Cult. imaginum librum tertium carminis vocat, quem nos quintum dicimus. Sed ex duobus mss. codicibus Isidori de Vir. illustr., quos vidi, colligo, conjecturam quorumdam de errore numerorum in libro S. Isidori fundamento non carere. Nimirum in codice Vat. Reg. 349 chartaceo Miscellaneorum pag. 107 exstat Isidori liber de Vir. illustr. jam editioni paratus, ut ex fine patet, ubi

legitur : *Si videbitur R. Patri sacri palatii magistro, imprimatur. M. Antonius Archiep. Wasin.* (obscure) *Vicesgerens.* In hoc libro bis elogium Sedulii contexitur, scilicet cap. 11, et cap. 21; sed caput 21 cum edito elogio consentit, caput vero 11 valde differt, atque ita habet : *Sedulius presbyter, grammaticæ peritiæ studiis ad perfectum imbutus, edidit heroico metro quinque mirabilium divinorum libellos, expediens in primo veteris Testamenti virtutes, in reliquis autem, ut ipse meminit, quatuor Evangeliorum miracula ordinavit, eique operi nomen Paschalis carminis dedit.* In alio codice Vat. Reginæ 551, qui erat Petavianus num. 211, in-fol. membran. sæculi XIII circiter, post alia opera sunt libri de Vir. illustr. S. Hieronymi, cujusdam anonymi, Gennadii, et Isidori. Cap. 7 libri Isidori sic clare legitur : *Sedulius presbyter edidit* B *quatuor libros dactylico heroico metro*, etc., ut in excusis. Incerta igitur est mens Isidori de numero librorum carminis paschalis, et elogium Sedulii ex cap. 11 codicis Vat. Reg. 349 multo magis ad veritatem accedit.

32. In nota 93 ad epistolam dedicatoriam Sedulii inter varias lectiones observabo, plerosque codices ejus epistolæ exhibere, *Quatuor igitur mirabilium divinorum libellos*, quamvis alicubi etiam legatur, *Mirabilium divinorum tres libellos.* Funcius **21** cap. 3 de Veget. ling. Lat. senect. id ita accipiebat, quasi Sedulius tunc solum scripsisset quatuor *usque ad passionem*, etc., quibus postea addiderit quintum de passione, resurrectione, et ascensione. Minus id placet : verba enim Sedulii *usque ad passionem*, etc., C ita sunt intelligenda, ut passionem etiam, resurrectionem, et ascensionem comprehendere voluerit. Carmen ipsum in nostris codicibus non uno modo divisum est. Reg. 1 et Ott. 1 primum librum veteri Testamento assignant, librum secundum dicunt esse primum novi Testamenti, atque hoc ordine procedunt usque ad ultimum librum, qui quartus vocatur novi Testamenti, cum sit quintus poematis. Ita etiam refert codex optimæ notæ in bibliotheca Taurinensi, quo antiquiorem alium exstare non arbitror ; etsi enim Mansius in not. ad Bibl. med. Fabr. quatuor tantum hujus codicis libros dicit, tamen res alio se habet modo. Quinque pariter habet codex Cantuariensis apud Grunerum. Usserius quoque testis est mss. exemplaria carmen paschale in quinque libros D dividere. Ex variis lectionibus in fine uniuscujusque libri notatis, et ex ipsa Prosa Seduliana colligitur, distributionem totius carminis in quinque libros vetustissimam esse, et, ut videtur, ab ipso Sedulio profectam. In hac eadem sententia sunt Barthius, et Poelmannus. Quoniam vero Sedulius primum librum veteris Testamenti posuisse videtur quasi pro introductione ad quatuor sequentes, inde fortasse in epistola ad Macedonium *quatuor mirabilium divinorum libros* dixit : addit enim, *quatuor evangelistarum dicta congregans ordinavi.* Id secuti quodammodo sunt Aldus, et alii veteres editores; et in prosa distinctius legitur ad fin. tituli cap. 22 : *Explicuerunt capitula veteris Testamenti. Incipiunt capitula libri primi novi Testamenti :* quod a vetere librario litteris de minio rubentibus ascriptum notavit Juretus.

33. Grunerus, et Arntzenius carmen dividunt in quinque libros, quia ita in plerisque editionibus divisum repererunt. Ipsi tamen censent, genuinam poematis divisionem esse in quatuor libros : pro qua opinione allegant codices mss. Arntzenianum, Almeloveenianum, quatuor apud Fabricium, nimirum Chemnicensem, Gandavensem, et binos Leodienses, editiones **22** plurimas antiquas, ut Veterem 1 et 2, in quibus tamen ex primo libro et secundo fit unus tantum, ut in Aldo, adeoque primus liber est veluti introductio ad opus, cum in mss. plerisque quatuor libri ita sint ordinati, ut liber quartus annectatur tertio, tum ex quinto remanet quartus. Georgius Cassander in quatuor etiam libros carmen paschale divisit.

34. Titulum poematis Trithemius ait esse *Carmen paschale.* Ita ipse Sedulius in epistola ad Macedonium : *Huic autem operi, favente Domino, Paschalis carminis nomen imposui, quia pascha nostrum immolatus est Christus ;* et in altera epistola ad Macedonium, præmissa prosæ, simili modo vocat *carmen paschale*, ipsam vero prosam *opus paschale*, quod animadvertendum est contra Gyraldum, Nebrissensem, et alios, qui carmini titulum affingunt *opus paschale. Priores igitur libri*, ait Sedulius, *quia versu digesti sunt, nomen* PASCHALIS CARMINIS *accepe-*
runt; sequentes autem in prosa, nulla cursus varietate C *conversi*, PASCHALIS *designantur* OPERIS *vocabulo nuncupati.* Hincmarus nihilominus in opere de non trina Deitate modo *opus paschale*, modo *carmen paschale* idem poema vocat. Sed quoniam Sedulius argumentum operis ita proposuit, *Quatuor ergo mirabilium divinorum libellos, quos ex pluribus pauca complexus*, etc., nonnulli *libros mirabilium divinorum* inscripserunt, quod Asterium primum omnium fecisse suspicatur Arntzenius : Nebrissensis affirmat, in omnibus prope antiquis codicibus titulum esse *Mirabilium divinorum opus*, in decreto vero Gelasii *Paschale opus :* neque repugnare censet, quod uterque verus sit titulus ab auctore præfixus, ut duo sunt tituli in Dialogis Platonis et Ciceronis. Decretum Gelasii exponam num. 153 seq. Vetustiores D quidem nostri codices Sedulii omnino ignorant titulum *mirabilium divinorum*, atque adeo eo inclinat animus, ut credam, eum etiam Asterio recentiorem esse. Confer var. lect. ad vers. 1, 17, l. 1, et num. 50 Proleg., ubi ex quodam ms. poema hoc dicitur *Canticum paschale.* Titulo carminis, et operis paschalis deceptus est Alva, qui in Milit. Concept. affirmavit, Sedulium communiter dici Paschalem.

35. Nonnulli post metricum Sedulii prologum apponunt **23** Dedicationem ad Theodosium Augustum quindecim versibus hexametris, *Romulidum ductor*, etc., quam Trithemius quarto loco memorat tamquam librum distinctum Sedulii. Index expurgatorius librorum per Joannem M. Brasichellensem,

cujus memini in notis ad alios Christianos poetas, pag. 260 recenset editionem Sedulii in Bibliotheca Patrum Margarini De la Bigne Parisiis 1589. Nihil ibi reprehensione dignum in Sedulio animadvertitur : sed notatur, Sedulium scripsisse sub Theodosio I, carmenque suum Paschale eidem Augusto dedicasse ; quod asseritur manifeste liquere ex carmine a Margarino exhibito in Indice auctorum chronologico ad fin. tom. I in v sæculo. Hoc est epigramma ad Theodosium, *Romulidum ductor*, etc. Heinsius supra a nobis laudatus simili modo censebat, carmen hoc Sedulii esse, et ad Theodosium Majorem directum.

36. Cellarius affirmat, Trithemium ætatem Sedulii referre ad Theodosii Majoris tempora, dum Sedulio hanc dedicationem tribuit : nam illa verba, *Tradasque minori — Arcadio*, Theodosium I indicant. Verum Trithemius disertis verbis ait, claruisse Sedulium anno 430, sub Theodosio, quod Ger. Joannes Vossius de poet. Lat. recte accipit de Theodosio juniore ; neque aliter accipi potest, cum certus annus 430 designetur. Dubium ergo esse potest, ad quem Theodosium ejusmodi dedicatio pertineat. Ex primis versibus liquet, imperatorem Orientis laudari,

Romulidum ductor, clari lux altera solis,
Eoum qui regna tenes,

vel, ut corrigendum videtur, *Eoi qui regna tenes*. Uterque Theodosius imperator Orientis fuit : sed cum Theodosius Magnus filium habuerit Arcadium, de eo potius intelligendum est carmen. Dubitandi tamen locus est, quid significent verba, *Spes orbis, fratrisque decus*. Quisnam est hic Theodosii Magni frater ? Labbeus cum Usserio intelligit Valentinianum II, cujus sororem Gallam connubii participem habuit Theodosius. Non ægre feram, siquis id accipiat de Gratiano, qui Theodosii frater dici potest, quod eum in communionem imperii socium sibi asciverit. Oportet igitur colligere ex temporum ratione, **24** dedicationem ad Theodosium scriptam fuisse anno 380, aut paulo post. Fabricius in Biblioth. med. et inf. verbo *Falconia* censet, dedicationem inscribendam esse non Theodosio, sed Honorio Arcadii fratri. Hæc conjectura plane refellitur ex versu 2 ; non enim Honorius imperium Orientis, sed Occidentis tenuit. Præterea carmen commendatur imperatori, ut illud tradat Arcadio tamquam filio minoris adhuc ætatis. Norisius Cenotaph. Pisan. dissert. 4, cap. 2, § 1, suspicatur, legendum, *Tradasque minori — Arcadiæ : hæc illa suo generi :* nam Arcadia, Theodosii Junioris soror, superstes fuit usque ad annum 444; et quamvis nulli nupserit, fortasse poeta regios hymenæos, futuramque prolem augurabatur. Parum tamen Norisius huic conjecturæ tribuit, quam fabulis propius existimat.

37. His positis, Sedulius, qui libros suos scripsit anno circiter 430, auctor hujus dedicationis dici nequit. Accedunt aliæ rationes, quod a prosa Sedulii, in qua prologus metricus in orationem solutam conversus est, hæc dedicatio omnino abest : quod Sedulius in epistola dedicatoria ad Macedonium tacuerit, se carmen paschale dicare etiam Theodosio : quod ea dedicatio in nullo codice ms. carminis paschalis ex eis, quos Cellarius, et Arntzenius viderunt, exstat : desideratur etiam in nostris mss. Video tamen, eam ex codice pervetusto bibliothecæ Taurinensis citari in Catalogo codicum mss. ejus bibliothecæ. Post epistolam Macedonii notat auctor Catalogi : *Sequitur præfatio ad Theodosium Augustum, quam Fabricius, et Cave Sedulio abjudicant.* Verum auctores ejus Catalogi, ut postea uberius exponam, minus accurate in celebri illo codice describendo versati sunt : a quo abesse etiam epigramma *Romulidum*, certo nuntio accepi. In Bibliotheca Angelica vidi codicem ms. sæculi circiter x, in quo post Fulgentium mythologum plures versus miscellanei occurrunt, et in his sexto loco rubrica : *Versus in capite Sedulii scribendi :* nimirum *Romulidum*, etc. Illinc autem nequaquam arguere possumus, eos versus vere Sedulii esse.

38. Georgius Fabricius, qui idem epigramma edidit in comment. poet. Christ. pag. 25, veluti dedicationem carminis paschalis ad Theodosium Augustum Juniorem, putabat, præfatiunculam **25** esse alterius poetæ, qui carmen ipsum Sedulii imperatori, ejusque filio commendatum esse voluerit. Exscriptoris opus esse aliquis existimabit ex verbis, *Scribendum famulo quem jussisti.* Verum cum supra demonstratum fuerit, Theodosium Magnum esse, cui carmen dedicatur, et Sedulium solum circa annum 450 libros suos composuisse, ruit tota hæc conjectura de alio poeta, qui hoc carmine opus paschale Sedulii dicare voluerit.

39. Neque vero argumentum carminis paschalis ejus generis est, quale describit dedicatio ad Theodosium :

Hic tibi mundi
Principium, formamque poli, hominemque creatum
Expediet limo.

Arntzenius putat, ea, quæ versu 61, et paucis aliis sequentibus libri I continentur, satis esse, ut principium mundi, forma poli, et homo creatus ex limo in dedicatione commemorentur, licet non ex professo de ista ibi materia agatur. Sed præterquam quod hominis ex limo creatio illis versibus libri I singillatim ne nominatur quidem, verbum *Expediet* innuit argumentum, de quo ex professo agatur in opere.

40. Validius argumentum censet esse Arntzenius, quod petitur ex verbis Dedicationis :

Dignare Maronem
Mutatum in melius divino agnoscere sensu.

Hæc enim verba indicant centonem Virgilianum. Sedulius autem etsi Virgilium imitatus est, tamen non ita ejus ubique verba exscribit, ut eum in melius divino sensu mutasse dicendus sit. Hæc ratio nonnullos movit, ut centonem Virgilianum de Incarnatione, qui ex pervetusto codice monasterii Corbeiensis a Martenio editus est, Sedulio ascribant, atque hujus dedicationem esse dicant memoratum carmen ad

Theodosium Augustum. De isto Virgiliano centone sermo iterum redibit : nunc satis sit animadvertere, dedicationem, si ad Theodosium I referatur, ut referendam esse probavimus, non posse dici opus Sedulii, qui longe post Theodosium I musis sacris operam dedit. Itaque si dedicatio ad carmen de Incarnatione pertinet, oportet, hujus carminis auctor sit poeta alius Sedulio antiquior.

26 41. Superest expendenda opinio Joan. Alberti Fabricii, qui in Biblioth. vet. et in altera med. et inf. ævi arbitratur, hos versus dedicatorios esse Probæ Faltoniæ, ab ipsa suo centoni Virgiliano præfixos, et ad Honorium Augustum directos. Hanc eamdem opinionem tuetur Fontaninus de Antiq. Hort. l. II, c. 1 et 2, qui Probam Hortanam fuisse contendit, non Romanam, et centonem ejus Honorio dicatum fuisse post annum 395, a Proba vero conscriptum jussu Arcadii Junioris. Sed, ut ex versibus ipsis liquet, cento jussu ejus imperatoris conscriptus fuit, cui dicatus apparet. Causam, cur istiusmodi dedicatio ad Honorium spectare non debeat, exposui num. 36. Alioquin argumentum, quod in versibus nuncupatoriis indicatur, consentaneum est centoni Probæ Faltoniæ. In hanc igitur sententiam propendet Arntzenius, ut versus istos ascribat Probæ Faltoniæ, cujus centoni præfixi fuerint. Equidem video, in quodam codice bibliothecæ Florentinæ Laurentianæ, num. 86 referendo, in quo etiam est Sedulius, hos versus præponi centoni Probæ. Prodiit etiam Cento Probæ in-12, Romæ 1588, recensente Julio Roscio, ex codicibus Vaticanis, et uno Hortano, præfixa hac dedicatione. Nondum tamen satis firmum argumentum hoc est : nam v. 7 auctor ait, *Scribendum famulo quem jussisti :* quod de se femina non dixisset. Reponet aliquis, legendum *famulæ*. Non repugnarem si alia adessent, quæ a Proba hos versus compositos fuisse persuaderent. Immo Fontaninus De antiq. Hort. l. II, c. 2, ita plane legit *famulæ*, suam, ut opinor, vel Julii Roscii conjecturam secutus. Apud Roscium titulus est : *Ad Honorium Theodosii Augusti Magni filium, et Arcadii Augusti fratrem*. Sed stylus diversus mihi videtur ab stylo prologi Probæ. Ter in hac dedicatione, *Romulidum ductor*, vis consonantis tribuitur aspirationi : quam licentiam in versibus Probæ ne semel quidem offendi. Roscius quidem aliter eos tres versus legit, ut in scholiis dicam : sed in poematio hoc reformando licenter eum versatum fuisse censeo.

42. In Indice expurgatorio Brasichellensis pag. 263 recenseiur cento Virgilianus Probæ, quæ ibi non Falconia, ut ab aliis, præsertim a Fontanino de Antiq. Hort. l. II, c. 1, sed Faltonia **27** ex veteribus inscriptionibus dicitur. Plura alia de eadem adduntur ; sed hoc ad rem nostram, quod Virgilio-centonas scripsisse videatur ad maritum ex fine poematis :

> Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto,
> O dulcis conjux, et, si pietate merentur,
> Hac casti maneant in religione nepotes.

Quo difficilius est, ut idem poema imperatori dicatum voluerit. Posset tamen aliquis opinari (quod antea innui) carmen hoc esse alicujus famuli exscriptoris, quem imperator jusserit Virgilio-centonem sive Probæ, sive alterius poetæ describere. Id enim magis congruit verbis *Scribendum famulo quem jussisti.*

43. Secundo loco enumerat Trithemius libros XIV in Epistolas Pauli oratione soluta, atque initium refert, *Antequam Apostolica verba*, quod initium ab editis nunc abest, ut observat Cellarius. Hoc est Collectaneum Sedulii Scoti Hiberniensis in omnes (nempe XIV) Epistolas Pauli, quod exstat tom. VI Biblioth. Patrum Lugdunens. pag. 494, ubi notatur : *Videtur hic Sedulius alius a præcedenti* (præcesserant carmen paschale, elegia, hymni, et prosa nostri Sedulii) *auctor esse hujus Collectanei.* Gruneius aperte distinxit Sedulium Hiberniensem sæculi VIII a Sedulio poeta sæculi V. Melius Labbeus auctorem harum annotationum dicit Sedulium Scotum Hiberniensem, qui ex Hepidanno floruit sæculo IX. Fallitur vero Ceillierius, dum asserit, ipsum Hepidannum Sedulio Collectaneum tribuere. Prodierunt *Annotationes Sedulii in omnes D. Pauli Epistolas* Basileæ per Henr. Petrum 1527 et 1558. Eædem exstant in Biblioth. Patrum Paris. 1624, vol. I, pag. 849. Calmetus in Biblioth. sacr. ante Diction. Bibl. ita de hoc Sedulio judicat : *Sedulius Scotus, vel Hibernus, ex Origene, S. Hieronymo, seu potius Pelagio, cujus tamen errores expunxit, S. Ambrosio, sive Hilario Diacono, et S. Augustino opus suum composuit.* Labbeus addit Eusebium, Rufinum, Gennadium CP., Joannem Chrysostomum, ipsum etiam S. Gregorium Magnum, ut Benedictus Justinianus S. I. in I Cor. VI, 5, recte observavit. Barthius l. XXXVI Advers. c. 12 profert titulum ex codice ms. : *Incipit Sedulii Scoti Hiberniensis in Epistolas apostoli Pauli Collectaneus.* **28** Sic sequiori sæculo *hymnarius, cubiculus, balneus* apud nonnullos scriptores reperitur. In editione I Collectanei Basileæ 1527 in-fol., et in altera 1558 in-8, initio cujusque epistolæ præmittitur vocabulum neutrum *Collectaneum*. Ejusdem Sedulii videtur esse Collectaneum in Evangelium S. Matthæi, de quo sermo instituetur num. 56 seq. Auctorem Collectanei *Sedulium juniorem* vocat Barthius in not. ad Claudian. IV consul. Honor., vers. 261.

44. Tertio loco ponit Trithemius librum I de Miraculis Christi, *A solis ortus cardine.* Hic est hymnus abecedarius, cui inter opera Sedulii locum damus post elegiam *Cantemus, socii.* Laudatur a Beda de Art. metr. sub Sedulii nomine, et ab Alcuino inscribitur, *de Nativitate, et Baptismo, et Virtute, et Traditione, et Passione, Resurrectione, et Ascensione Domini nostri Jesu Christi.* Olaus Borrichius de Poet. Lat. sic de Sedulio : *Reliquit et hymnos duos Ecclesiæ adhuc familiares, alterum de Natalibus Christi, de ejusdem Epiphania alterum.* Sed revera unus, idemque est hymnus, quo vita Christi continetur : ex quo septem primas strophas ad laudes in Nativitate Domini, quatuor

alias ad vesperas in Epiphania canimus, prætermissis cæteris. Hic Hymnus cum Elegia Sedulii prætermissus a Parrhasio est in sua editione, fortasse quod hæc carmina in suis codicibus non invenerit, aut Sedulii esse non crediderit. De Elegia dubitant nonnulli : at de hoc hymno vix ulla est dubitandi ratio, ut ex var. lect. patebit. Nonnulli vocant hunc hymnum *acrostichum*, sed minus proprie, cum ex primis litteris versuum nullum nomen conficiatur. Vid. var. lect. ad titulum hymni.

45. Librum I ad Theodosium imperatorem quarto loco indicat Trithemius : qui nihil est aliud, quam dedicatio ad Theodosium, de qua supra satis, superque. Quod autem Trithemius quinto loco *librum* I *in majus volumen Prisciani*, et sexto loco *librum* I *in secundam editionem Donati* recenset, qualia sint hæc opera, vix aliunde expiscari possumus. Secunda editio Donati ea est, quæ de octo partibus orationis agit. Sedulius quidem in epistola ad Macedonium se olim occupatum profitetur *sæcularibus studiis, et litterariæ solertia disciplinæ lusibus infructuosi* **29** *operis, non auctori Deo deserviisse :* quo profana quævis opera intelligere possumus. In cod. Vatic. Ottob. 1 post elegiam Sedulii *Cantemus, socii*, hæc nota apponitur, *incipit ars Sedulii, qui primo laicus*, etc., ut num. 9 expositum fuit. Fortasse *ars* ea Sedulii quæ hic indicatur, sed non exhibetur, est aliquis ex libris in Priscianum et Donatum. Labbeus in Dissert. histor. de Script. eccles. tom. II, pag. 329, hæc ipsissima verba profert ex veteri codice Pithœi, qui fortasse distinctus non est ab hoc nostro Vat. Ottob. 1. Idem Labbeus pag. 338, ex bibliotheca Thuana recenset ms. *Commentariolum in artem Eutichii*, et ex mss. Goldasti, *de Regimine principum, et expositionem in artem Prisciani :* quæ ipse Sedulio Scoto, qui anno 818 florebat, adjudicat. Cum Labbeo facit Oudinus de Script. eccles. sæculo IX, ad ann. 820, qui hos codices mss. enumerat, in bibliotheca Lugduno-Batava inter mss. codd. ab hæredibus Isaaci Vossii emptos cod. Latin. 21, num. 3, *Sedulius in Priscianum;* in bibliotheca Norfolciana Londini cod. 43, *Expositio Sedulii episcopi in primam editionem Donati.* Confer num. 88.

46. Trithemius septimo loco memorat *Exhortatorium ad fideles librum* I. Hæc est elegia, quæ in editionibus carmini paschali succedit, et inscribi solet *Collatio veteris et novi Testamenti*, et seorsum excusa est in Manuali Biblico Francofurti 1610. Hoc elegiacum carmen Sedulio abjudicant, et Asterio ascribunt Barthius, Cuspinianus, Leyserus, et nonnullæ editiones, quæ indicantur in catalogo bibliothecæ Lugduno-Batavæ pag. 30. G. Fabricius in comment. p. 25 affirmat, in antiquis codicibus Asterio ascribi, et pag. 136 in alio codice legi sub nomine Claudiani Mamerti. Arntzenius pro Sedulio auctore allegat codicem Cant., aliosque, et veteres editiones. In codice suo Arntzeniano ad finem Carminis paschalis invenit Asterii epigramma male transpositum : cum in cod. Almel., et aliis mss. præponatur carmini paschali. Post epigramma sequitur, *Incipiunt carmina ipsius*, quod intelligendum est *ipsius Sedulii*, non *Asterii :* nam etsi proxime præcessit epigramma Asterii, id per errorem evenit. Adde, Asterium ipsum loqui de versibus Sedulii. Turcio a Sedulio inscriptum, et missum fuisse hoc epigramma **30** voluit Panvinius in Fast. Cons. Nebrissensis in notis ad hanc elegiam : *Sunt qui dicunt*, ait, *hoc opusculum non esse editum a Sedulio, sed inter illius scripta inventum, quod satis est ut Sedulii putetur esse.* Profecto Aldus post carmen paschale proxime ante elegiam sic habet : *Hoc opusculum non a Sedulio auctore editum est, sed a Turtio Rufo Asterio quito* (forte *quinto*) *V. C. exconsule ordinario, atque patritio, qui id inter scripta Sedulii invenit.* Verbum *opusculum* non carmini paschali, quod præcessit, sed elegiæ, quæ illico ponitur, accommodari potest. Verum ex var. lection. ad fin. carminis paschalis, et init. elegiæ liquido patet, elegiam verum opus esse Sedulii. Illa autem notatio Aldi per errorem ab ipso elegiæ applicatur, cum pertineat ad carmen paschale, aut ad collectionem carminum Sedulii, uti demonstrabitur, cum de Asterio agetur.

47. Octavo loco Trithemius refert *Epistolas plures ad diversos librum* I, et Arntzenius ait, circumferri epistolarum plurium ad diversos librum I. Initium hujus libri ex Trithemio est *Sedulius Scotigena :* ex quo intelligi potest, eum pertinere ad Sedulium juniorem. Aliud nihil de hoc opere reperire licuit.

48. Nono et postremo loco a Trithemio commemorantur *libri* II *de Miraculis Christi prosaice.* Fortasse in numeris apud Trithemium error incidit, ut pro V editum fuerit II. Certe prosa Sedulii operis paschalis, sive de miraculis Christi, ut ait Trithemius, non in duos, sed in quinque libros distributa est eo fere modo, quo carmen paschale, ut num. 32 animadverti. Redarguendus hoc loco est Sigebertus de Script. eccles., qui prius prosam scriptam fuisse, tum carmen paschale enuntiat : *Sedulius episcopus*, ait, *ad Macedonium presbyterum scripsit libros de miraculis veteris et novi Testamenti, quos postea sub metrica lege redactos prætitulavit Paschale carmen. Reparavit enim dactylico carmine omnia Domini opera.* Rem contrario modo se habuisse, ex epistola ipsius Sedulii ad Macedonium prosæ præmissa intelliges : *Præcepisti, reverende mi Domine, paschalis carminis textum, quod officio puræ devotionis simpliciter exsecutus vobis obtuli perlegendum, in rhetoricum me transferre sermonem.* Sedulii prosam primus edidit Franc. Juretus e ms. **31** Pithœano : recusa ea est in appendice Bibliothecæ Patrum Margarini, Parisiis, anno 1624, cum notis Jureti. Prodiit etiam in Bibliotheca Patrum Coloniensi, anno 1618, tom. V, part. I, cum aliis operibus Sedulii, et rursus in Bibliotheca Patrum Lugdunensi, sed omittitur a plerisque editoribus carminum Sedulii. Opportunum tamen duxi eam carmini paschali annectere; nam ad explicationem, et quibusdam etiam in locis ad certam emendationem carminis utilissima esse potest. Nolunt viri

critici, ubique præferri lectionem quæ ex Prosa A eruitur, aut ei magis accedere videtur. Quibus autem in locis præferenda sit, cum occasio sese dabit, tunc melius exponetur. Operis paschalis meminit Beda l. v Histor. eccles. Angl., cap. 19 : *Scripsit Adhelmus et de Virginitate librum eximium, quem in exemplum Sedulii geminato opere et versibus hexametris, et prosa composuit.* Hoc ipsum de Adhelmo repetit Anonymus Mellicensis, c. 30, et Sigebertus, de Script. eccles., cap. 66. Refert præterea Beda, se vitam S. Cuthberti, exemplo Sedulii, prius heroico metro, et postmodum plano sermone descripsisse. Verba ex opere paschali Sedulii profert Paschasius Ratbertus, de Partu Virginis, inter opera dubia S. Ildefonsi, tom. I Patrum Toletanorum, pag. 514 et seq.

49. Præter opera quæ Trithemius Sedulio attribuit, Montfauconius, in Diar. Ital., cap. 21, et Biblioth. Bibliothecarum mss., refert, ex bibliotheca Neapolitana D. Valletta, *Sedulii poetæ christiani de actibus prophetarum membranaceus.* Similem titulum leges ex eodem Montfauconio, num. 89. Dubitat Arntzenius, an ad supposititiorum classem hoc carmen referendum sit, an sub isto titulo lateat carmen paschale. In libro quidem primo carminis paschalis quædam acta prophetarum enarrantur : quæ fortasse seorsum exscripta peculiarem titulum sibi compararunt. Quamquam totum ipsum carmen paschale in codice Ottoboniensi, de quo num. 76 agam, sic inscriptum reperio, *De Actibus prophetarum, et toto Christi Salvatoris cursu;* adeoque etiam alii C codices, qui eodem titulo in catalogis prænotantur, carmen idem paschale, ut arbitror, continent. Ita etiam multi, decepti varietate titulorum, præter carmen paschale Sedulio ascribunt **32** *De Signis et virtutibus librum* I, qui est liber I carminis paschalis : item *De Gestis et miraculis Christi libros* IV, qui sunt quatuor libri carminis paschalis de novo Testamento.

50. In catalogo bibliothecæ Uffenbachianæ, pag. 224, recensetur volumen chartaceum in-4° sæculo XV exaratum, in quo est *Sedulius poeta de Prærogatione diei sexti, et canticum paschale.* Meminit hujus codicis Arntzenius, meminit et Grunerus, qui inscribit : *De Prærogativa diei sexti.* Arntzenius pro certo definire non audet, an ex hujusmodi mss. car- D minibus Sedulii deprompti sint versus quos sub Sedulii nomine adducit Le Moine, Var. Sacr. tom. III, pag. 659.

Abluitur Judæus odor baptismate sacro,
Et nova progenies reddita surgit aquis.

Sed non male suspicatur idem Arntzenius, ex festinanti calamo Sedulium pro alio poeta nominatum ; quippe sunt Fortunati.

51. Dittochæum Prudentii, quod minus bene alii *Enchiridion*, alii *Diptychon* vocant, sub Sedulii nomine sæpe laudat G. Fabricius in Comment. poet. christ., et Sedulii opus esse suspicatus est Sichardus. Auctor verus est Prudentius : qua de re non repetam quæ multa dixi in Prudentianis, et in commentario ad Dittochæum.

52. Arntzenius, ex Fabricio comment. cit., pag. 23, observat Nebrissensem epigramma sub Sedulii nomine proferre, in quo legitur

. . . . . Breviterque triumphos
Tangit, Christe, tuos.

Addit, id reperiri in versibus acrostichis Liberii. At vero Nebrissensis non tribuit Sedulio hos versus, sed eos excitat ex *epigrammate, quod ipsius* (Sedulii) *nomine scriptum reperitur* : ita enim loquitur, ut indicet nomen Sedulii in primis et postremis litteris epigrammatis descriptum legi. Sedulii verum aliud epigramma, *Hæc tua perpetuæ*, post hymnum abece- B darium a nobis proferetur.

53. Doctissimus vir Franc. Ant. Zacharias, in Biblioth. select. hist. eccles., pro supplemento ad Histor. eccles. Natal. Alexandri, cap. 2, § 1, n. 5, Sedulium nostrum laudat tamquam auctorem **33** hymni, *Lustris sex qui jam peractis*, sive, ut ex correctione Urbani VIII nunc canimus, *Lustra sex qui jam peregit.* Sed fortasse per errorem Sedulius illi excidit pro Fortunato, qui auctor est hymni *Pange lingua gloriosi—Prælium certaminis*, sive, ut in breviariis nunc legitur, *Lauream certaminis.* Hujus hymni pars est *Lustra sex qui jam peregit.* Alii auctorem dicunt esse Claudianum Mamercum, ut uberius exposui in dissertatione de hymn. eccles., num. 185, in nota. Major esse posset difficultas de hymno *Vexilla regis prodeunt*, quem Angelus Rocca, in Indice Theolog. et Scriptur., inter hymnos S. Ambrosii recenset : sed addit : *Sunt, qui hunc hymnum Theodulpho ascribunt, alii Fortunato, alii vero Sedulio.* Hunc quoque hymnum Fortunati esse existimo : egi de eo loc. cit. num. 189.

54. Martenius, tom. IX Collection., col. 126 seqq., producit carmen de Incarnatione ex eodem veteri codice Corbeiensi, ex quo carmen in Genesim descripsit sub nomine Juvenci, a nobis inter supposititia Juvenci carmina in appendicibus relatum. Carmen de Incarnatione, quod tom. VI Biblioth. Fabr. med. et inf. ævi recusum fuit, Martenius Sedulio ascribit, quia libro I operis paschalis (intelligo *carminis paschalis*) adjungitur tamquam pars ejusdem, nulla interposita distinctione, nulla divisione, nullo titulo : *quod*, addit, *cum singulari studio perlegissemus, eumdem in priori et in sequenti lucubratione stylum animadvertimus.* Gallandii verba, ex dissert. de Sedulio ad tom. IX Bibl. Patrum liceat mihi usurpare : *Mallem equidem, ut indefessi editores Benedictini graviori argumentorum pondere usi fuissent, quibus Sedulium hujus carminis auctorem evincerent.* Mirari subit qua ratione eumdem stylum in carmine de Incarnatione et in carmine paschali Martenius animadverterit : nam carmen de Incarnatione est cento Virgilianis versibus contextus, ut idem Martenius indicatis locis observat : at carmen paschale stylo proprio Sedulii fluit, quamvis aliquando he-

mistichia Virgilii, vel unum aut alterum versum Sedulius usurpet. Quod autem carmen de Incarnatione libro I carminis paschalis annexum fuerit, tamquam pars ejusdem, hoc certe ex oscitatione vel ignorantia librarii contigit. Nemo enim tam cæcus **34** est, quin videat carmen de Incarnatione ad carmen paschale nullo modo pertinere posse.

55. Nonnulli, cum Martenio, ex epigrammate ad Theodosium, quod in nonnullis editionibus carmini paschali præmittitur, ut antea explicatum est, argumentum desumunt, ut Sedulio carmen de Incarnatione adjudicent. Verum quidem est, carmini de Incarnatione melius convenire verba epigrammatis,

.... Dignare Maronem
Mutatum in melius divino agnoscere sensu.

At vero neque hoc epigramma auctorem habet Sedulium, ut jam probatum est, neque carmini de Incarnatione congruere potest. Argumentum enim hujus carminis tantum est Incarnatio : epigramma autem plura alia attingit, quæ in poemate essent exposita, creationem mundi et hominis, vitam, miracula, mortem et ascensionem Jesu Christi. In decreto Gelasiano, inter alia, sic habetur : *Centometrum de Christo Virgilianis compaginatum versibus apocryphum.* Blanchinus Proleg. ad Anastas., tom. IV, ex cod. Vatic. Palatin. 493, legit *Centoneni* (forte, *Centonem*) *de Christo Virgilianis compaginatum versibus apocryphum.* In codice vetusto Florentino omissum erat hoc caput. In ms. Jurensi sic refertur, *Centones de Christo Virgilianis compaginati, apocryphi.* In cod. Vatic. 5791, quem ego contuli, inveni, *Centonem de Christo Virgilianis compaginatum versibus, apocryphum.* Prævaluit tamen apud multos titulus *Centimetrum,* ex *cento* et *metrum* : quod enim ait commentator Artis metricæ Bedæ in ms. Vatic., *Centimetrum dicitur liber centum habens metra,* fortasse intelligendum est de Servii Centimetro. Plerique cum S. Isidoro, de Vir. illustr., id accipiunt de centone Virgiliano Probæ Faltoniæ. In indice expurgatorio Brasichellensis conjicitur, non esse centonem Probæ carmen a Gelasio inter apocrypha relatum. Cur nobis conjicere non liceat, carmen de Incarnatione, quod Martenius edidit, esse Centometrum vel Centimetrum ad scripturas apocryphas a Gelasio rejectum? Sane Gelasius argumentum Centonis asserit esse de Christo : id autem apprime convenit Centoni edito a Martenio; Cento vero Probæ latius extenditur, ut vel ex titulo patet, *Ad* **35** *testimonium Veteris et Novi Testamenti.* Quamnam autem auctoritatem apud catholicos sibi vindicet Index Brasichellensis, lege, si placet, apud Papebrochium, in responsione ad exhibitionem errorum per Sebastianum a S. Paulo evulgatam, part. II, art. 5, pag. 20. Nam hæretici miras, sed inanes tragœdias de hoc opere apud ipsos rarissimo, neque apud nostros quidem valde obvio, excitant, ut colligitur ex Observationibus in rem litterariam Halæ Magdeburgicæ 1700, tom. III, et aliis tom. seqq.

56. Labbeus, in Nova Bibliotheca mss., sive specim. antiq. lect., part. I, pag. 25, in codice ms optimæ notæ se vidisse ait Sedulii Collectaneum in Evangelium S. Matthæi, ex variis Patribus excerptum, et in capita seu sectiones 555 divisum. Idem, de Scriptor. eccles., affirmat Collectaneum hoc Sedulii in Matthæum exstare in bibliotheca collegii Parisiensis S. I. in nitidissimis membranis elegantissima manu, et quæ 700 aut 800 annos superet, descriptum; in quo citantur non modo S. Eucherius, S. Leo, Arnobius junior, Faustus Reiensis, S. Gregorius, S. Isidorus, Arculfus, ac Ven. Beda, sed et ipse poeta Sedulius : sic enim ad illa verba, *Et ne nos inducas in tentationem,* ait auctor Collectanei : *Hinc Sedulius egregie versibus describit dicens :*

Non quia nos Dominus lucis, vitæque repertor
In laqueos tentantis agat, etc.

Censet Labbeus, eumdem Sedulium esse auctorem Collectanei in epistolas Pauli, et in Evangelium Matthæi, qui floruerit sæculo IX, sub Carolo Magno, ejusque filio Ludovico Pio : ratio enim ista explanandi codices sacros sapit omnino genium sæculi IX, ad quod tertius Sedulius ab Hepidanno refertur.

57. Monet tamen, Aubertinum, pag. 911 Præstigiarum suarum de Sacramento Eucharistiæ, credidisse auctorem Collectanei in Paulum fuisse Sedulium episcopum, qui sæculo VIII concilio Romano, anno 721, interfuit. Sed cum in Collectaneo in Matthæum verba quandoque desumantur ex Ven. Beda, qui obiit anno 735, longe probabilius est, auctorem hujus Collectanei, atque adeo alterius in Paulum (quandoquidem idem utriusque auctor esse censetur) fuisse tertium Sedulium, qui sæculo IX **36** claruit, sive presbyter fuerit, sive episcopus : nihil enim certum de eo habemus. Baylius, in Lexico, Dupinium perstringit, quod asseruerit, in Collectaneo in epistolas Pauli laudari Bedam : quod non de hoc Collectaneo, sed de altero in Matthæum Labbeus tradiderat. Mabillonius, tom. I Analect. veter., pag. 364, a vero longe aberrare ait eos, qui Sedulium auctorem Carminis paschalis eumdem esse putant ac Sedulium Scotum, seu Hibernum presbyterum, itidem poetam, quem sæculo VIII floruisse constat. Verum controversia potissimum est de operibus Seduliorum : nam duos vel plures Sedulios plerique distinguunt. Is autem Sedulius, quem sæculo VIII floruisse constat, episcopus fuit : poetam itidem fuisse affirmat, sed non probat Mabillonius, qui ea, quæ Labbeus, aliique viri critici de Seduliis notaverant, non videtur præ oculis habuisse : nam pro ineditis inter poetica primo loco ponit epigrammata duo notissima acrosticha de Sedulio multo ante et sæpe vulgata. Fortasse Mabillonius Sedulio episcopo sæculi VIII tribuebat opus de Regimine principum, oratione partim ligata, partim soluta compositum, de quo rursus num. 61. Multo magis incertum est, Sedulium hunc ipsum, qui sæculo VIII claruit, esse

auctorem operis nescio cujus de sancto Missæ canone, quod Dempsterus illi affingit.

58. Diversum a Collectaneis hactenus relatis opus est, sed eumdem Sedulium auctorem habere videtur, quod exstat in codice Vaticano 242, al. 1556, in quo est Psychomachia Prudentii, et narratio satirica de antistite Toletano Grimoardo (intelligo Bernardum) et Urbano papa II. Initio voluminis sunt *Explanationes Sedulii Scotti in qualuor Evangelistas.* Incipit : *Liber generationis. Moyses librum generationis cœli et terræ conscripsit. Matthæus autem*, etc. Pagina 9 versa legitur : *Temporibus Valentiniani et Theodosii principum floruit*, quod de Sedulio poeta dictum, ineptus aliquis antiquarius ad Sedulium interpretem sacræ Scripturæ transtulit. Ibidem et seqq. explicantur præfationes S. Hieronymi ad Damasum et Eusebium. Pag. 38 : *Incipit ejusdem Sedulii Scotti explanatiuncula de breviariorum et capitulorum, canonumque differentia. Incipit breviarium secundum Matthæum. Nativitas Christi. Magi cum muneribus veniunt,* **37** *et reliqua. Perquirendum est, quid inter breviarium, et capitulum, et canonem distet. His etenim tribus quasi quibusdam clavibus cuncta evangelici voluminis arcana reserantur. Nam sublatis breviariis, capitulis et canonibus, omnia confusa erant et ambigua*, etc.

59. Neque ingratum erit explicationem quæ subjungitur describere : *Breviarium est rerum in contextu Evangelii narratarum brevis et compendiosa expositio. Capitulum est quælibet in Evangeliis sententia, seu narratio. Canon est titulus, quo cognoscitur concordia Evangelistarum.* Deinde pag. 41 : *Incipit ejusdem Sedulii Scotti expositiuncula in argumentum secundum Matthæum.* Sic pag. 49, *secundum Marcum;* pag. 56, *secundum Lucam.* Deest expositiuncula secundum Joannem. Volumen est in forma in-12, aut in-16, notatur initio : *Codex iste pertinet monasterio beatæ Mariæ Magdalenæ in Francheuthaell* (quod verbum non satis clare legitur) *inter Spiram et Wormatiam situato canonicorum regularium.* De hoc monasterio jam suppresso agit Pennottus, Canonic. Regul. Hist. l. II, c. 59, ex Trithemio in Historia Hirsaugica, qui circa annum 1153 fundatum fuisse narrat.

60. Non omittam animadvertere, ad marginem paginæ versæ 54, eodem veteri charactere, qui sæculi X circiter esse videtur, nominari S. Isidorum, dum id refertur : *Matthæus apostolus, et evangelista, qui etiam ex tribu sua Levi sumpsit cognomen*, etc. Hæc ipsa verba sunt Isidori, in libro de Ortu et Obitu Patrum, cap. 76; quod ideo notatum volui, ut Sedulius hic Scotus addatur Braulioni, Ildefonso, Bedæ, Fulberto Carnotensi, Ascarico episcopo Hispano sæculi XI, aliisque in Bibliotheca veteri Hispana a Nic. Antonio ejusque doctissimo editore Francisco Perez Bayer adductis, qui omnes librum de Ortu et Obitu Patrum Isidoro adjudicant contra nonnullos recentiores, Baronium, Natalem Alexandrum, Cajetanum Cennium, id non alia fere ratione negantes, nisi quia semel animum induxerunt ea omnia negare, quæ prædicationi et adventui S. Jacobi in Hispaniam favere quoquo modo videntur. Nam Isidorus, c. 71 hujus libri, aperte ait de S. Jacobo Majori : *Hispaniæ et occidentalium* **38** *locorum gentibus Evangelium prædicavit, et in occasu mundi lucem prædicationis infudit.* Plura addere possem ex aliis mss. codicibus Vaticanis in eamdem sententiam : sed in aliud tempus ea reservare præstat.

61. Goldastus, ut ex Labbeo, num. 45, liquet, possidebat ms. opus Sedulii inscriptum : *de Regimine principum.* Schœttgenius, qui Bibliothecæ Fabricianæ medii et infimi ævi volumen sextum edidit, refert, Sedulium *de Rectoribus christianis, et convenientibus regulis, quibus est respublica rite gubernanda,* Lipsiæ 1669 editum in-8° memorari a Fabricio : fortasse in paucis schedis mss., quas ad sextum volumen paratas reliquit. Addit Schœttgenius, Freherum ad Petrum de Andlo, de Imperio Romano, II, 16, scribere, se anno 1612 hunc librum anecdotum ad prælum parare, ex eodem libello octo distieha adducere Nicolaum Cusanum, de Concordantia Cathol. præfat. l. III. Non invenio quisnam alius librum viderit, aut de eo locutus fuerit : neque indignum opus certe est, quod ad hujus temporis novitates convellendas recudatur. Exstat in codice Vaticano Palatino 591, chart. in-4°. Præcedunt *Regulæ ecclesiasticæ* (hoc est, canones Apostolorum) ; *Ambrosii Cura pastoralis ; Augustinus, de Pastoribus et ovibus,* tum Sedulius, et postremo carmina quædam de virtutibus et vitiis, et alia Romæ olim existentia in Basilica S. Petri, pagina 99 hujus voluminis, charactere rubro : *Incipit operis præfatio subsequentis.* Initium : *Omne ministerium, trifido quod præminet orbe, —Arte gubernandum : sunt artis plurima dona.—Omnicreans Dominus terras, mare, sidera, cœlos.— Arte creat*, etc. Sunt 25 versus hexametri. Postea : *Explicit præfatio.*

Tecum principium, finis, rex Christeque, tecum,
Alpha operis famuli sis, Deus atque tui.

Scriptum erat *si Deus.* Sequitur : *Incipiunt capitula ejusdem libri.* Index hic continet 20 capitula. Post indicem charactere rubro : *Incipit liber Sedulii, de Rectoribus christianis, et convenientibus regulis, quibus est respublica rite gubernanda.* Initium : *Postquam regale sceptrum.* In fine capitis : *Quam inæstimabilem habebit gloriæ palmam, si quis Deo amabilis rector* **39** *sanctam perornaverit Ecclesiam, quæ est Dei vivi spirituale tabernaculum? Sed hæc, quæ breviter stylo prosali diximus, aliquot versuum dulcedine concludamus.* Sequuntur versus elegiaci, et sic post cætera capita vario metro sententia capitis concluditur. Capite 8, mentio fit cujusdam viri, cui revelatum fuerat, Theodoricum regem inter Joannem papam, quem in custodia occiderat, et Symmachum patricium, quem ferro trucidaverat, vinctum apparuisse, et ab illis in ignem fuisse missum. Capite 9, laudat pietatem Caroli Magni et Ludovici. Intelligo Ludovicum Pium, Caroli Magni filium, qui regnare cœpit anno 814, adeoque Sedulius hujus

operis auctor ante sæculum XI non floruit, et videtur esse ille ipse quem laudat Hepidannus, et fortasse Sedulius Scotus, cujus manu Psalterium Græcum scriptum recenset Montfauconius Palæograph. Græc. III, 7, pag. 236. Dempsterus Sedulium, episcopum Græcum, in Hibernia coli affirmat, cui fidem non adhibent Bollandiani, ad diem 13 Junii. Capite 15, memorat sanctum Germanum Antisiodorensem episcopum, qui cum Beato Lupo, episcopo Trecensis civitatis, in Britanniam ad exstirpandam Pelagianam hæresim missus fuerat. Post caput 19, est epilogus, qui tamquam caput 20 est indicatus : sed posterior manus numerum 20 delevit. Prologus totus prosa oratione conscriptus est, et ad quemdam regem dirigitur. Finis : *Explicit Sedulius de Regimine Principum.*

CAPUT III.

Codices manuscripti Sedulii recensentur.

62. Quoniam multa sunt opera quorum minime auctor est Sedulius noster, quamvis Sedulii nomine insignita sint, ut ex capite præcedenti liquido constat, eos potissimum codices hoc loco enumerabimus qui carmina Sedulii et opus ejus paschale, sive Prosam continent : breviter indicabimus nonnullos, qui opera dubia complectuntur : nam de aliis, quibus sacra Scriptura exponitur, abunde dictum est num. 43, 56 seqq. Præstantissimus Sedulii codex exstat in bibliotheca regii athenæi Taurinensis. **40** Catalogus codicum mss. ejus bibliothecæ editus est, cujus auctores sunt Josephus Pasinus, Antonius Rivautella, et Franciscus Berta. Tomo II Catalogi, pag. 244, describitur codex membranaceus 766, cujus characteris specimen exhibetur, constans foliis 36, formæ quadratæ, qui etiam ad sæculum VI pertinere dicitur. Nec dissentit Mansius, qui codicem ipsum perlustravit, in not. ad Biblioth. Fabricii. Hoc ordine referuntur opera Sedulii. Primo, epistola Sedulii ad Macedonem (lege Macedonium) scripta, sed mutila : incipit enim : *Ab Scripturis celsioribus vacans, humilioribus quoque te libenter impertias. Non semper aquila supra nubes elata pervolitat*, etc. In fine epistolæ : *Explicit epistola Sedulii ad Macedoneo Pbi feliciter.* Post epistolam sequitur præfatio ad Theodosium, *Romulidum*, etc., quam Sedulii non esse diximus. Liber I incipit, *Cum sua*, etc. Nihil in Catalogo dicitur de prologo metrico, *Paschales*, etc. Carmen divisum est in quinque libros, ut in plerisque optimis codicibus notabimus. Post librum tertium carminis, qui secundus est novi Testamenti, subscriptio hæc correctoris legitur : *Ego Abundantius istum librum contuli feliciter.* Carmini paschali succedit elegia *Cantemus*. Hymni abecedarii *A solis ortus*, mentio non fit in Catalogo. Uberiorem magisque exactam codicis descriptionem cum desiderassem, votis meis cumulatissime respondit Comes Galeanus Napione de Cocconato, egregiis editis operibus clarus, et de omni litteraturæ genere benemerentissimus. In prima pagina codicis legitur charactere antiquo, sed qui recentior sit primo charactere, *Liber sancti Columbani de Bobio*, quod arguit, librum olim pertinuisse ad monasterium Bobiense, de quo vide num. 94. Etsi vero in specimine characterum, quod in Catalogo mss. exhibetur, litteræ sunt majusculæ, sive Romanæ, ut nunc vocamus, tamen ex specimine diversorum locorum ad me misso constat, tria reperiri litterarum genera, qualia multi apud veteres Romanos fuisse contendunt, quasi aliæ fuerint majusculæ inscriptionum maxime propriæ, aliæ vulgo usitatæ, ut fere sunt nostræ, aliæ cursivæ et minutiores, eadem forma, aut parum diversa. Initio ergo carminis scriptus apparet codex litteris majusculis quadratis, postea idem librarius formam mutavit, sed **41** nonnumquam ad litteras majusculas redit, præsertim cum versus litteris rubris scribit, quod interdum accidit. Finita epistola ad Macedonium, statim incipit carmen, *Cum sua gentiles.* Dedicatio ad Theodosium, *Romulidum ductor*, deest omnino, adeoque hac in re decepti sunt auctores Catalogi. Deest etiam prologus metricus *Paschales;* sed in ultimo codicis folio, quod non satis liquet an voluminis superadditum fuerit, descripti sunt illi versus characteribus partim rubris, partim nigris, manu antiquissima, sed diversa ab ea quæ carmen exaravit. Litteræ magna ex parte evanuerunt : sed quantum colligi potest, mendose scriptus est prologus metricus. Desiderantur etiam in eodem veteri exemplari hymnus abecedarius *A solis ortus*, epigramma Sedulii, versus acrostichi Liberii et Belisarii. Non passim quidem, sed alicubi tamen margini ascribuntur capita rerum, quæ nonnumquam recentiori, ut videtur, charactere indicantur. Asterii fit mentio in ultimo folio voluminis, ut alio loco dicam. Animadvertit eruditus descriptor codicis, sæpe occurrere *e* pro *i*, ut *explecit* pro *explicit*, *ordenavit* pro *ordinavit*, *alet* pro *alit*. In specimine characterum ad me misso observo, interdum *k* pro *c* poni, ut *kanant*, *paskæ*, et *o* pro *u*, ut *Sedolius* pro *Sedulius* : quo pertinet in fine epistolæ *ad Macedoneo* : nam, ut opinor, scriptum ita fuit pro *Macedonium*, et fortasse evanuit linea supra *o*. Hæc autem, et alia a me animadversa eo me ducunt, ut conjiciam, codicem sæculo VIII antiquiorem non esse. Alii majorem antiquitatem illi tribuant, per me licet : neque deerunt similia apud alios exempla, quibus hanc suam opinionem tueantur. Gallandius, tom. IX Biblioth., in dissert. de Sedulio, ex collatione codicis ab auctoribus Catalogi instituta, colligit, minus emendatum eum esse, neque parum ejus auctoritati officere præmissam carmini dedicationem ad Theodosium. Verum quod attinet ad dedicationem, falso eam ab auctoribus Catalogi codici ascribi jam notavi. Ætatem Abundantii, qui codicem contulit, nequaquam reperire potui ; neque enim arbitror esse Abundantium, ad quem exstat epigramma Ennodii, qui sæculo VI ineunte floruit.

63. In Bibliotheca Vaticana præter codicem Palatinum, qui pauca de Sedulio refert, ut dixi num. 5,

et duos alios, qui **42** opera alterius Sedulii exhibent, ut explicui num. 58 et 61, undecim alios codices contuli, quos nunc describam. Duo sunt bibliothecæ veteris Vaticanæ, qui simpliciter Vaticani dicuntur, sex bibliothecæ Reginæ Suecor. Christinæ ad Vaticanam translatæ, duo Vaticani Ottoboniani, unus Vaticanus Urbinas.

64. Codex Vaticanus 1665 membranaceus in-fol. parvo comprehendit Aratorem, et Sedulium. Adsunt aliquæ glossæ, quæ fere evanuerunt, plura compendia litterarum, non pauca menda, correctiones quædam a manu veteri, diphthongi *æ* et *œ*, litteræ *l*, *b*, *f*, *p*, et similes longius excrescunt, præsertim in primis et ultimis lineis : quod innuit codicem non esse valde antiquum. Crediderim, ad sæculum XI circiter pertinere : Montfauconius vero, in Biblioth. mss., pag. 126, ad sæculum IX refert. Post Aratorem incipit illico prologus metricus Sedulii, ut in variis lectionibus uberius exponetur, et post prologum metricum liber I carminis paschalis. In fine : *Explicit liber Sedulii, incipit carmen ipsius : Cantemus*, etc. Post elegiam sine titulo epigramma Sedulii, *Hæc tua*, et subinde pariter sine titulo hymnus, *A solis ortus*, quo finito incipit epistola ad Macedonium, sed solum procedit usque ad verba *De quotidianæ vero misericordiæ*. Desunt reliqua, avulso uno vel pluribus foliis. Hic mihi est in variis lectionibus Vaticanus primus, sive *Vat.* 1.

65. Alter codex Vaticanus, num. 3178, sæculi XV, chartaceus est : continet Sedulii epistolam ad Macedonium, prologum metricum, *Paschales*, et carmen in duos libros divisum. In fine carminis nota, in aliis etiam codicibus descripta, *Hoc opus Sedulius inter chartulas*, etc., de qua plura infra. Post notam sine ullo titulo elegia, *Cantemus.* Sequitur carmen Raphaelis Zovenzonii poetæ, *O custos hominum*, et hymnus, *Virginis partu.* Hymnum hunc cum aliis carminibus Zovenzonii edidit Aldus post Sedulium et alios poetas christianos. Codex ex bono exemplari videtur descriptus, sed mendis non paucis describentis incuria inquinatus est. Hujus codicis nota in var. lect. est *Vat.* 2.

66. Codex Vaticanus Reginæ Suecorum, num. 333, membranaceus in-4° est ille ipse, quo in edendo Juvenco usus sum. Specimen characteris exhibui in Prolegomenis ad Juvencum, **43** num. 48, pag. 24. Hic est mihi pulcherrimus codex inter Sedulianos. Post Juvencum incipit epistola ad Macedonium, sequitur prologus metricus, *Paschales*, tum carmen in quinque libros distributum, sed ita ut finito primo libro veteris Testamenti, alter, qui sequitur, dicatur primus liber novi Testamenti, et ita suo ordine reliqui, secundus, tertius, quartus. Post carmen incipit epistola Aratoris, vel potius titulus epistolæ : nam desunt plura in hoc codice, ut ex nota margini adjecta colligitur, qua jubemur requirere in hoc volumine elegiam Sedulii post Aratorem : sed desideratur totus Arator, et elegia et hymnus Sedulii, qui, ut puto, elegiæ succedebat. Solum remansit folium, in quo charactere minutiori exarata est annotatio jam indicata, *Hoc opus Sedulius*, etc., cui succedit epigramma Asterii, *Sume, sacer.* Post hoc epigramma alia est annotatio ad prologi metrici expositionem, quæ simili modo in Ottoboniano I, num. 75, recensendo, exprimitur : *Sedulius, epistola Macedonio præmissa presbytero, sedecim dehinc versuum prologo lecturos invitans, paupertatem exilis ingenii olerum comparat vilitati : ex cujus carmine de singulis utriusque Testamenti miraculis hæc sunt capita prænotata. Sequuntur indicia titulorum* XXV *singulis sequentibus capitibus* (forte deest hic aliquod verbum) *sive coaptata. Hieronymus, in catalogo scriptorum*, etc. Sic pergit codex, ut num. 6 dictum est, tituli XXV non sunt expressi. Annotationi sine ullo scripto titulo additi sunt versus acrostichi Liberii et Belisarii. Etsi autem hæc omnia in hunc locum conjecta sunt, non dubium est tamen, quin ad libri initium potissimum pertineant. Exscriptores enim sæpe in fine operis addebant quæ in aliis codicibus forte repererant, neque suis in locis opportune inserere potuerant. Porro hic codex in var. lect. sic notabitur *Reg.* I, nimirum codex Vaticanus reginæ Suecorum primus.

67. In eadem bibliotheca reginæ codex 300, membranaceus in-fol., exhibet Aratorem, et Sedulium, et nonnullos versus post Sedulium. Sunt glossæ, tituli capitum minio notati, diphthongi *æ*, *e*, orthographia *dampnare*, *adgredior*, *istoricum*, *cludum*, *sollempnia*, *inradiat*, *ymnus*. Ordo in hoc codice est epistola ad Macedonium, prologus metricus, *Paschales* carmen **44** in quinque libros divisum eodem modo atque in Reg. 1, elegia, hymnus, *A solis ortus*, et versus acrostichi Liberii et Belisarii, sine ulla inscriptione. Montfauconius, Bibl. mss. pag. 52, col. 2, inter mss. reginæ Sueciæ refert codicem 1687, *Arati* (lege *Aratoris*), *et Sedulii carmina*, qui fortasse non est diversus a nostro. Hic codex in var. lect. est *Reg.* 2.

68. Tertius codex reginæ, quo utimur, num. 166, olim 1594, in-8° membranaceus, post epistolas quasdam Sidonii, et nonnulla alia, charactere antiquiori fortasse sæculi X, offert nobis epistolam ad Macedonium cum glossis, et nota in fine epistolæ : *Hoc opus Sedulius*, etc. Sequitur initium Psychomachiæ Prudentii, et nonnulli versus ex fine libri V Sedulii. Subinde elegia, *Cantemus*, et initium hymni, *A solis ortus.* Huic codici, cum allegabitur, nomen erit *Reg.* 3.

69. Ejusdem bibliothecæ reginæ est codex membranaceus in-4° num. 1560, quo plura opera continentur, scilicet Cato philosophus (Dionysius), Epistola Sedulii ad Macedonium sine principio : desunt post epistolam aliquot folia, et incipit poema Sedulii, a vers. 121 libri I : *Loth Sodomæ*, et desinit in vers. ultimo libri II : *Ora lupi.* Quæ ad Sedulium spectant, charactere antiquissimo scripta sunt, et ad sæculum VIII revocari possunt : alia recentioris ætatis sunt, ut opus, quod sequitur, *Ars Phocæ*, et aliud deinde

anonymum cum titulo primo *De voce*. Margini nota A appicta est manu, ut puto, doctissimi viri Laurentii Zacagni, olim præfecti bibliothecæ Vaticanæ : *Fortasse est Servii Marii Honorati, cujus commentaria in secundam tantum Donati artem edita sunt.* Videtur quidem esse commentarius in Donatum, sed auctor certe Servio longe recentior est : laudat enim Sedulium, Fortunatum, et Bedam. Incipit : *Locuturus Donatus de grammatica dispositione, bene inchoat a voce.* Cum de syllabis agit, quærens quæ corripi vel produci possunt, Bedam potissimum sequitur, vel potius exscribit : adeoque facile suppleri potest lacuna, cum de prima in *gaza* ait : *Longa in hoc Juvenci : Difficile in terris ad.... Brevis in hoc ejusdem, Et gaza distabat rerum possessio fulgens.* Lege, *difficile est terris adfixos vivere gazis.* Addit auctor, ut B primam in *gaza* communem esse **45** probet, hunc male Latinum versum, *Condite gaza poli, saccos vacuate gazarum.* Dixi ad Juvencum, l. III, vers. 499, Bedam in codicem corruptum Juvenci incidisse, in quo legebatur : *Et gaza distabat* pro *Et gaza stabat.* Cæterum character, quo hic commentarius in Donatum scriptus est, videtur sæculo X non recentior. Sequuntur in eodem volumine Persii nonnullæ satiræ ; commentarii in Donatum ; commentarii in Bedam, de Metris ; Remigius in Dionysium Catonem ; Vita Persii, auctore Remigio ; commentarius in Persicum. Hic codex in var. lect. a nobis indicabitur hac nota *Reg. 4.*

70. Alius codex reginæ, num. 29, est chartaceus in-fol., scriptus initio sæculi XVI, quem paulo accu- C ratius recensebo, quoniam aliquod lumen inde affulgere potest iis quæ Fabricius in Bibl. med. et inf. ævi de Petro Aurorario, sive Rigensi, narrat. Primo loco hic est titulus : *Petri Aurorarii, doctoris theologorum eximii opus elegantissimum Veteris et Novi Testamenti arcana mysteria carmine declarans, nuper repertum. Iste ortus est in provincia Saxonia vocata, et dicitur iste liber compositus per Petrum de Saxonia.* Præmittitur epigramma elegiacum in laudem carminum sacrorum, sive de argumento sacro, *Aurea Mœonii concedant carmina vatis*, etc. Tum describuntur versus nonnulli ex prologo Juvenci, non indicato auctore, *Quod si tam longam*, etc., usque ad finem prologi, quibus eadem exprimitur sententia. Deinde quidam versus, qui videntur hexametri, et D pentametri, sed sunt ametri, in Christi laudem. Succedit præfatio in Pentateuchon prosa oratione, *Frequens sodalium meorum*, etc., ut apud Fabricium, sed cum nonnulla varietate lectionis. Postea, *Incipit liber historiarum Bibliæ* AURORA *vocitatus.* Finito Pentateucho, *Expliciunt quinque libri Moysi. Incipit liber Josue regis. Post Moysem Josue populo dominatur Hebræo.* Post Josue : *Explicit liber Josue regis Israel. Incipit liber Judicum. Post Josue de Judicibus narratio fiat.* Finito libro Judicum, *Incipit liber Ruth. Ad Ruth festinat Petri stylus, ejus ut actus — Depingat tenui carmine sermo brevis.* Sic deinde, *Explicit liber Ruth. Incipit prologus in libros Regum. — Expliciunt libri Regum. Incipit liber Tobiæ. — Explicit liber Tobiæ.* **46** *Incipit liber Danielis prophetæ. — Incipit liber Judith fœminæ. Incipit liber Hester reginæ. — Incipit liber Machabæorum primus. — Expliciunt libri Machabæorum et illustrium virorum.*

71. Sequuntur in eodem volumine figuræ Incarnationis filii Dei : quarum singulæ exprimuntur epigrammatibus sic compositis, et eo artificio factis, ut in quolibet eorum aliqua littera omnino desit, ut in primo deest *a*, in secundo *b*, etc. In idiomate Hispano habemus quinque fabulas ex his quæ vulgo *Novelas* dicuntur, ita compositas, ut in prima nullum sit *a*, in secunda nullum *e*, in tertia nullum *i*, in quarta nullum *o*, in quinta nullum *u*. Id ad copiam et varietatem sermonis comprobandam tamquam argumentum afferri potest. Similem huic aliquatenus curiosam diligentiam observat Barthius, Advers. l. XLVI, c. 22, in ecloga Hugbaldi monachi ad Carolum Calvam imperatorem, cujus omnia verba a littera *c* incipiunt, ut *Carmina clarisonæ calvis cantate camœnæ.* Ut ad codicem Vaticanum redeam, sequitur ibidem epigramma inscriptum, *Nomina antiquorum Patrum*, aliud, *Nomina patrum novi Testamenti.* Illico, *Incipit prologus supēr Evangelistas :*

Post legem veterem respira, Petre : refulget
Lex nova : fac versus de novitate novos.

Narratur historia evangelica ex quatuor Evangelistis. In fine :

Hic loquitur de fine Jesus, libroque Mathæus
Dat finem, Petrus finit ut ipse suum.

Adjiciuntur duo epigrammata de S. Anna, deque ejus tribus filiabus, de quibus nonnihil disseritur, uti de causis cur Deipara desponsata fuerit, de extremo Filii Dei judicio. Apud Gersonem, in sermone de Nativitate Deiparæ, legitur et approbatur unum ex his epigrammatis de S. Anna, quod incipit, *Anna tribus nupsit.* Rejicitur tamen ea narratio a viris doctis.

72. In laudato codice Vaticano sequitur *Ad divam Theotocon salutatio : Salve, sancta parens*, etc., qui sunt versus Sedulii l. II, vers. 63 seqq. Tum oratio *Salve regina*, versu elegiaco, postea oratio illustris principis beati Casimiri regis Poloniæ, *Omni die dic Mariæ*, etc., quam S. Casimiro antiquiorem esse dicit, ex Pezio, in dissert. de hymn. eccles., num. 141. Aliæ **47** adjectæ sunt Deiparæ laudes soluto sermone conscriptæ, quibus succedit *de Concordia novi et veteris Testamenti metricus liber*, versibus hexametris leoninis, additis glossis. Præterea versus elegiaci, *Semper erunt, quod erant, æternæ gaudia vitæ*, etc. Epigramma 78 Prosperi habet, *Semper erunt, quod sunt, æternæ gaudia vitæ.* Deinde *Sertum Mariæ virginis eleganti carmine venerabilis Petri de Riga, sacræ theologiæ professoris.* Versus sunt elegiaci. Liber secundus inscribitur *de Evangelistis*, liber tertius *de Prophetis*, liber quartus *de Paradiso.* Accedunt versus elegiaci ad Xystum pontificem, hujus

quædam bullæ de immaculata conceptione Deiparæ, carmen elegiacum Joannis Florentini ad Petrum Tiven in laudem B. Virginis Mariæ, alia carmina Hieronymi Patavini (Vidæ), et Philippi Beroaldi, et Pæanes Francisci Petrarchæ, carmen sub Ausonii nomine, *Omnipotens, quem mente colo*, alia anonyma, et Theobaldi episcopi sancti *Physiologus duodecim animalium naturas describens* vario carmine. Hæc Paulo uberius sic commemorata sunt, ut carmina Petri Rigensis, maximam partem non edita, indicarentur: de quorum collectione a nonnullis tentata dixi in Prolegom. ad Dracontium, num. 20.

75. Igitur pag. 273 hujus voluminis exstat Sedulius hoc titulo: *Mirabilium divinorum liber primus Celii Sedulii presbyteri.* Incipit: *Cum sua gentiles*, etc. Desunt epistola ad Macedonium, et prologus metricus *Paschales.* Carmen dividitur in quatuor libros. In fine est nota de Asterio collectore carminum Sedulii, *Cantemus*, *A solis*, *Hæc tua*, quæ hoc ordine collocantur, scilicet paulo aliter atque in editione Aldi, qui epigramma *Hæc tua* præmittit hymno, *A solis ortus*. Alioquin censeo Sedulii carmina in hoc codice ex Aldi editione descripta esse, cui fere ubique consentiunt. Totus codex descriptus fuit in Castro Cracoviensi a Matthia filio Adæ Sculteri, mansionario in ecclesia cathedrali Cracoviensi. Nota hujus codicis erit *Reg.* 5, hoc est, codex 5 reginæ.

74. In codice reginæ Alexandrino, num. 1360 aut 2078, membranaceo, sæculi IX, de quo egi in Prolegomenis ad Prudentium, num. 78, post quosdam versus Theodulphi Aurelianensis, **48** carmina Alcimi Aviti, Psychomachiam Prudentii, Orthographiam Capri, et Agroetii, pag. 79, sunt *versus Belesarii scholastici*: sic inscribuntur duæ acrostichides Liberii et Belisarii de Sedulio, quas in appendicibus subjungam collatas cum hoc codice, quem *Reg.* 6 nuncupabo. Sequuntur in hoc codice versus 7, hoc corrupto titulo, *Avieni V C Adamus Cos alegro.* Est initium Carminis Rufi Festi Avieni *Ad amicos de Agro*, quod exstat in Anthologia Burmanni, et aliis in locis.

75. In bibliotheca Vaticana Ottoboniana duo sunt codices Sedulii, alter sub num. 35, de quo dixi in Prolegomen. ad Juvencum, num. 49, characteris forma æri incisa. Proxime accedit hic codex ad ætatem codicis Reg. 1. Juvenco præmittitur Sedulius hoc ordine: epistola ad Macedonium; annotatio, *Hoc opus Sedulius*, etc.; Asterii epigramma, *Sume, sacer*; annotatio alia de prologo metrico, *Sedulius epistola*, etc., ut ex Reg. 1 expositum fuit, num. 63; hymnus, *A solis ortus cardine;* prologus metricus, *Paschales;* carmen paschale in quinque libros, eodem modo quo in Reg. 1 distributum; acrostichis Belisarii de Sedulio, *Sedulius Christi*, etc., sine ulla inscriptione, et omissa altera acrostichide Liberii; elegia, *Cantemus*, sine titulo; postremo nota, *Incipit ars*, etc., quæ num. 9 relata est. Hunc codicem voco *Ott.* 1.

76. Alter codex Ottobonianus 36, in-4° membranaceus, elegantissime exaratus, plurimis litteris aureis ac versicoloribus, figurisque ornatus. Peculiaris est hujus codicis titulus: *Incipit liber Sedulii de Actibus prophetarum, et toto Christi Salvatoris cursu*, de quo confer, si placet, supra, num. 49. Deest epistola ad Macedonium: post prologum metricum, *Paschales*, carmen dividitur in quinque libros; sed diverso modo ab aliis codicibus, in quibus pariter quinque libri numerantur, ut ex variis lectionibus constabit. Carmini paschali adduntur elegia, *Cantemus*, et hymnus, *A solis ortus*, sine titulis, et versus acrostichi Liberii et Belisarii. Succedunt sine inscriptione hi versus corrupti, vel etiam barbari:

Qualiter affixus ligno jam Christus in alto,
Sedulius cecinit, totum complecteret orbem,
49 Seu demonstraret pro toto pendere mundo,
Versibus his, mundo Christo miserante salutem:
Quatuor inde plagas, etc.

Sequuntur sex versus Sedulii, ex l. v, vers. 190, qui in alio quoque ms. veteri, et a Beda commendantur, ut referam num. 170. Illico, *Finis. Antonius Sinibaldus Florentinus, Ferdinandi regis testudo, scripsit sub anno Domini* 1475, *die* 15 *Martii, Neapoli.* Ex bono exemplari codex descriptus videtur, sed ignorantia et incuria librarii pluribus mendis scatet. In rubricis seu titulis quædam occurrunt in eo peculiaria, quæ suis locis indicabuntur. Nomen huic codici erit *Ott.* 2.

77. Urbinas Sedulii codex in bibliotheca Vaticana unus tantum est num. 584, olim 828, membranaceus in-4°, nitido charactere exaratus, litteris multis aureis et titulis elegantibus descriptus, sed a negligente aliquo librario sæculi XV: nam frequentes occurrunt errores. Post prologum metricum *Paschales*, carmen sequitur in quatuor libros divisum. Nam ex tertio et quarto libro fit unus, ut in multis editionibus. Post carmen est elegia, *Cantemus*, quæ dicitur, *Paracterium, elegiacumque carmen egregii Sedulii episcopi*, quo elogio quinquies aut sæpius Sedulius in hoc codice donatur. Desiderantur alia, ut epistola ad Macedonium, hymnus, *A solis ortus*, epigramma Sedulii, Asterii, etc. Post elegiam librarius solum notavit, *Explevi hoc opus*, etc., etc., neque amplius addidit aut de suo nomine, aut de anno quo expletum fuit opus. Sequuntur in eodem volumine Martyrologium Bedæ, versus ejusdem Bedæ de Kalendis, et carmina diversorum de anno, mensibus, etc. Nota hujus codicis in variis lectionibus est *Urb.*

78. Collegii Romani Bibliotheca suppeditavit nobis codicem, quem in edendo Juvenco contulimus, et descripsimus in Prolegom. num. 50. Character, quo Sedulius exaratus est antiquior videtur, neque in Sedulio tot menda occurrunt quot in Juvenco. Titulus est: *Incipit liber poetæ Sedulii:* illico prologus metricus sine epistola ad Macedonium. Crebra est in carmine distinctio titulorum, sed librorum nulla: ipsi etiam tituli versus finem non sunt notati,

quamvis locus vacuus relictus fuerit. **50** Post carmen paschale est elegia *Cantemus*, sine inscriptione : post elegiam, *Explicit. Iste liber est S. Georgii Majoris*, etc. Desideratur hymnus, *A solis ortus*, et cætera omnia quæ in aliis codicibus adesse solent. In notis ad Juvencum *Rom.* vocavi hunc codicem, atque ita quoque nunc appellabo.

79. In Bibliothec. Angelica Romæ exstat codex ms. chartaceus, quem descripsi in Proleg. ad Prudentium, num. 76. Post elegiam de Resurrectione sub Lactantii nomine sequitur prologus metricus, Sedulii *Paschales*, sine ullo titulo, tum carmen paschale in quatuor libros divisum, ut in aliis recentibus codicibus, ac denique elegia *Cantemus*, sine inscriptione, ac solum post ultimum versum carminis paschalis legitur, *Explicit liber Sedulii*. Sunt tamen in carmine paschali capita suis titulis distincta. Nomen monachi Cisterciensis exscriptoris videtur fuisse *Antonius Lemos :* obscure etiam indicatur, codicem pertinuisse ad monasterium Claravallis Mediolani ordinis Cisterciensis ; litteræ enim multis in locis jam fere evanuerunt. Vidi, et excussi hunc codicem, quem nominabo Angelicum, sive *Ang.* De alio codice bibliothecæ Angelicæ antiquiori, qui solum nobis exhibet carmen *Romulidum ductor*, etc., verba feci num. 37.

80. Alium codicem chartaceum Sedulii habeo, quem mihi non multis ante annis comparavi, sæculo XV ineunte scriptum. Præcedit in hoc volumine Ovidius, *de Remedio amoris*, cum glossis ; Batrachomyomachia Homeri Latinis versibus reddita, quæ incipit, *Ranarum, murumque simul crudelia bella*. Sequitur Sedulius, sed deest initium usque ad vers. 45 libri I : *Labruscam*. Margini adduntur tituli minio notati : carminis paschalis divisio est in quatuor libros, ut in aliis recentioribus codicibus, in quibus ex tertio et quarto libro fit unus tantum. Carmini paschali succedit elegia, quæ dicitur *epigramma distichon ejusdem Sedulii*. Deinde hymnus ejusdem poetæ, *A solis ortus cardine*, et in fine nota, *Sedulius poeta*, num. 10 relata. Accedunt miscellanea alia sacra, et profana, in quibus quædam Statii, Calphurnii, Propertii et Claudiani, qui *Conopeus Florentinus civis* dicitur. Sedulii carmina exscriptoris negligentia parum correcta sunt, sed plures tamen occurrunt variæ lectiones notatu dignæ, **51** neque alibi facile reperiendæ. Hunc igitur codicem intelligo, cum *meum codicem* nomino. Antiquior est codex membranaceus in-8°, et, ut videtur, sæculi XIII, in bibliotheca excellentissimæ domus Albaniæ Romæ asservatus, quo etiam mihi uti licuit. Titulus simplex : *Sedulius*, sub quo describitur prologus metricus *Paschales*, et lib. I, cum distinctione et argumentis rerum indicatis. In fine libri primi rubrica : *Explicit liber primus veteris Testamenti. Incipit Testamenti novi liber de Expulsione hominis de paradiso.* Dividitur carmen in quatuor libros : quartus incipit versu *Jam placidas*, etc., ad finem usque. Tum : *Explicit liber quartus feliciter, amen. Incipiunt carmina quædam ejusdem :* scilicet A elegia, *Cantemus*, qua finita : *Incipit hymnus Sedulii presbyteri*, nempe *A solis ortus*. Hunc codicem Albanium, sive *Alb.* dicam.

81. Referam nunc codices mss., quos in sua Sedulii editione adhibuit Arntzenius. Primum laudat codicem parentis sui, quem is ad Plinii Panegyr. XXV, 5, et XLIX, 8, appellat *antiquum*, et *laudandæ vetustatis membranas*. Codex hic membranaceus minori forma continebat Sedulii carmen paschale, epigramma Asterii, et hymnum 1 Sedulii, sive Elegiam, *Cantemus*. Reliqua deerant. A Petro Burmanno Secundo accepit Arntzenius codicem Almeloveenianum majoris formæ, quo usus jam antea fuerat Cellarius, ob antiquitatem et scholia quædam elegantissima maxime commendandum : sed in eo desiderabantur B cuncta a v. 197, l. I : *Cum spirante*, ad v. 13, l. IV : *Ni genitor*. Addidit idem Burmannus editionem Georgii Fabricii, cujus margini Carolus Andreas Dukerus variantes lectiones ex editione Parrhasii, et schedis Pulmanni, sive Poelmanni, ascripserat : quæ Fabricii editio in Catalogo bibliothecæ Dukerianæ in-4°, num. 571, memoratur. Lectiones variæ in Poelmanni schedis Arntzenio videntur ex ms. deprompta : nam aliquando id indicat ipse Poelmannus, ut ad v. 276, l. v. Daumius, qui et ipse christianos poetas edere voluit, in codd. in Sedulio, Aratore, aliisque manum Poelmanni habuit, ut testatur in epist. ad Heinsium 220, tom. V Syllog. Burmann. Fabricius quoque, Comment. in poet. christ., pag. 24, codices a Poelmanno collatos memorat, quorum **52** C tamen lectiones diversæ sunt ab illis, quæ in schedis reperiuntur : nam in schedis carmen Sedulii divisum est in quinque libros : in iis, de quibus Fabricius, quatuor tantum numerantur. Non viderat Arntzenius editionem Poelmanni, quam num. 109 recensebo. Poelmannus igitur, postquam Sedulium cum variis etiam lectionibus edidit, alia exemplaria cum edita, tum inedita, contulit, ex quibus lectiones a sua editione variantes annotavit, de quibus sæpe judicium suum pronuntiavit.

82. Misit præterea Arntzenio Burmannus Excerpta quædam ex quatuor codicibus bibliothecæ Lugduno-Batavæ a Nicolao Heinsio deprompta, atque ab alio ad oram editionis Fabricianæ ex Heinsii schedis descripta. Primus codex erat ex arca Vulcanii, reliqui D tres ex arca Nansii ; sed inter se litteris *A*, *B*, *C*, *D*, distinguebantur. Epistola tantum ad Macedonium, et Asterii epigramma his Excerptis comprehendebantur. In codice *C* ascriptum erat recentiori manu : *Argumentum in librum Sedulii :*

> Contemnit paleas Sedulius, eligit aptas
> Res Evangelii sedulitate metri.

Non male, ut puto, esset *eligit altas*. Dono etiam Petri Burmanni Secundi habuit Arntzenius editionem Sedulii Cellarianam, qua usus fuerat Petri Burmanni Secundi patruus : cujus margo complectebatur varias lectiones non solum ex Aldo et editione Edimburgensi, sed etiam ex codice ms. bibliothecæ Lug-

duno-Batavæ, qui reperitur ante opera Virgilii, et, ut a reliquis quatuor, de quibus dictum est, distinguatur, littera *E* designatur. Accessit epistola inedita P. Burmanni ad Gisb. Cuperum, die 28 Julii 1704 data, in qua plures et elegantissimæ erant Burmanni conjecturæ. Quædam etiam ipse Petrus Burmannus Secundus eidem suæ Cellarianæ editioni ascripserat.

83. Grunerus, qui paulo ante Sedulium ediderat, nullos codices, sive exemplaria mss. ipse viderat, sed usus tamen fuit editione Tornæsiana anni 1565, cum notis mss. Erici Benzelii, ex ms. Cantuariensi, codice Nansii, et codice Vulcanii : ex his autem duobus in solo primo, neque integro libro. Ex his ipsis duobus codicibus, a Nic. Heinsio collatis, profecit etiam Arntzenius, qui eos opportune laudat.

53 84. Cellarius ad suam editionem Sedulii, quam hoc sæculo ineunte procuravit, adhibuit codicem ms. Sedulii, oppido antiquum, ex bibliotheca Paulina Lipsiensis Academiæ, librum Sedulii ex bibliotheca Christiani Daumii, quem Gaspar Barthius cum scripto codice composuerat, deinde alium, ab Erico Benzelio Cantabrigiæ cum vetustis membranis collatum, et iterum alium, quem Nic. Heinsius per tres priores libros ad vetustum codicem exegerat. Commemorat etiam Cellarius membranas optimæ notæ, quas Theodorus Jansonius ab Almeloveen misit : quibus etiam usus est Arntzenius. Cappusotus, qui editionem Sedulii, num. 95 recensendam, procuravit, plura exemplaria mss. contulit, sed partim mutila, partim mendis aspersa.

85. Plures alii viri eruditi, qui Sedulii quædam loca illustrarunt, codices mss. laudant, ut Barthius, qui sæpe duos saltem codices, alterum altero antiquiorem, ad versus corruptos emendandos profert ; G. Fabricius, de cujus quatuor mss. codicibus vide num. 55; Wassius in sua Sallustii editione, de quo in scholiis ad vers. 29, 116, l. II; Davisius, qui quosdam mss. codices commemorat, ut dicam ad l. I, vers. 103.

86. Bandinius in Catalogo Biblioth. Laurent. Florent. t. III, pag. 722 seq., recenset codicem membranaceum sæculi XV, quo Prudentius, Juvencus, atque alii poetæ christiani continentur. Num. 8 ejus voluminis est Cento Faltoniæ Probæ, mutilus in fine, sed initio præcedit epigramma, *Romulei ductor, clari lux altera solis*, quod alii tamquam dedicationem Sedulii ad Theodosium venditant, sed pro *Romulei* legunt *Romulidum*. In hoc vero codice est prologus ad Centonem Probæ. Post versum, *Fit sonus : ingenti concussa est pondere tellus*, quamvis in aliis exemplaribus alii versus addantur, hic ascriptum est : *Explicit Centona Proba ex carminibus P. Virgilii :* sic enim Probam ex carminis nomine *Centonam* vocabant. Num. 9, pagina 231 : *Sedulii catholici poetæ de singulis utriusque Testamenti miraculis ad Macedonium presbyterum libri* IV, *heroico carmine*. Hunc enim titulum Bandinius expromit. Ordo operum hic notatur : epistola ad Macedonium, hymnus *A solis ortus*, monitum *Hoc opus Sedulius*, ut alibi. Postea : *Deo, et Dòmino nostro Jesu Christo* **54** *Redemptori humani generis sit infinita laus, qui me peccatorem famulum suum evangelicam doctrinam, quam beatus Sedulius per versus ordinavit, scribendo finire permisit : qui vivit et regnat cum Deo Patre*, etc. Subjungitur notitia quædam de auctore poematis, et de occasione qua illud composuit : sic incipit, *In capite uniuscujusque libri;* desinit, *manifestantur ea quæ in libris continentur*. Deinde adest præfatio metrica *Paschales*, et carmen paschale, quatuor libris comprehensum, ut in similibus recentis ætatis codicibus. Post carmen paschale, sine titulo, elegia *Cantemus*. Hujus codicis memini etiam in Prolegomenis ad Prudentium et Juvencum : qui nitidissimus dicitur a Bandinio, cum initialibus librorum aureis, et ex vetustissimo exemplari, ut videtur, descriptus. Juvat hoc loco advertere, sæculo XV, cum bonæ litteræ restitui cœperunt, magno in honore fuisse poetas christianos veteres, qui ex antiquissimis codicibus avide et eleganter describebantur. Ambrosii Camaldulensis celebre est nomen inter eos, qui veterum monumenta conservare et illustrare studuerunt : is, l. II, epist. 14, tom. III Collect. Marten., ad Michaelem monachum, qui codicum antiquorum exscriptor et corrector erat, sic scribebat : *Cardinalis noster transcribi sibi Prudentium Seduliumque cupit, ornatissimis atque optimis litteris : Juvencum adhuc desiderat.*

87. In bibliotheca Florentina S. Crucis, Bandinius, tom. IV, pag. 178, plut. 24, describit codicem 11, quo Sedulii, Statii et Claudiani carmina quædam continentur. Sedulii nostri carmina hoc ordine collocantur sine certis titulis : primo præfatio metrica *Paschales*, secundo carmen paschale, tertio elegia *Cantemus*, quarto epigramma *Hæc tua*, quinto hymnus *A solis ortus*, sexto *Liber Sedulii, seu potius epistolæ fragmentum fugientibus litteris exaratum ad Macedonium presbyterum*. Sic ait Bandinius; sed, ut colligitur ex verbis epistolæ ab eo adductis, præter inscriptionem epistolæ ad Macedonium nihil aliud est Sedulii : nam quæ subjiciuntur, ad recentiora tempora pertinent, ab ignarissimo aliquo librario importune addita. Ita quippe legitur : *Domino sancto meo patri Macedonio presbytero Sedulius salutem in Domino. Januenses consules consulibus Terdonensium,* **55** *necnon et omni populo majori et minori amicitiam, salutem in Christo. Rogamus, et rogando deprecamur, ut quam citius potestis, conveniatis nobiscum.*

88. Montfauconius, in Bibliotheca bibliothecarum mss., profert, pag. 672, inter mss. Latinos Isaaci Vossii, *Sedulius Scotus in Priscianum ;* inter eosdem, pag. 681, *Sedulii episcopi in primam editionem Donati :* de quibus ex Oudino, supra, num. 45, dixi. Ceillierius laudat codicem ms. Lugduno-Batavum, *Explanatio episcopi Sedulii in primam editionem Donati*, quem non puto diversum ab eo quem Londini collocat Oudinus loc. cit. Sed, ut num. cit. 45 animadversum est, hæc minime sunt opera antiquioris

Sedulii; quod de commentario in Priscianum certissimum cuique esse debet : Priscianus enim non est tam antiquus quam multi vulgo putant. Floruit enim sæculo VI, ut ex Cassiodorio, de Orthogr., liquet. Hoc ipsum confirmat anonymus Mellicensis, de Script. eccles., qui, cap. 18, Priscianum hunc peritissimum grammaticum inter scriptores christianos collocat. Explanatio Sedulii in Donatum ab aliis dicitur in primam artem, sive editionem Donati, ab aliis in secundam editionem Donati. Fortasse Sedulius iste in utramque editionem scripsit. Montfauconius, ibid., pag. 417, ex bibliotheca monasterii Benedictinorum Florentiæ, *Sedulii poema sacrum;* in codice membranaceo, pag. 483, ex bibliotheca Patavina S. Joannis in Viridario, *Sedulius cum glossis;* pag. 632, ex bibliotheca regis Angliæ, *Paschale opus* (intelligo *carmen*); pag. 671, ex bibliotheca S. Benedicti apud Cantabrigiam, *Sedulius;* pagina 673, ex bibliotheca ecclesiæ cathedralis Eboracensis, *Sedulius, de veteri et novo Testamento;* pag. 685, ex mss. Eduardi Bernardi, *Sedulius;* pag. 686, Londini, in ædibus Jacobæis, *Sedulii opus paschale.* Montfauconius, ut puto, et nuper indicavi, nomine *operis paschalis* non intelligit prosam Sedulii, sed ipsum carmen paschale : ita multi loquuntur.

89. Pergit pag. 1084, ex bibliotheca Coisliniana San-Germanensi, *Sedulii opus paschale;* pag. 1089, ibid., *Sedulius, de Actibus prophetarum.* Hoc est ipsissimum carmen paschale, ut dixi num. 49, ubi idem titulus profertur ex bibliotheca D. Valletta. Ex eadem bibliotheca San-Germanensi, pag. 1136, *Sedulii episcopi* **56** *carmen paschale*, etc. *Belisarii Scholastici elogium Sedulii et Liberii.* Corrigam *Belisarii Scholastici et Liberii elogium Sedulii.* Ex bibliotheca Murbacensi, pagina 1176, *Sedulii carmen paschale, et alia ejusdem. Belezarii Scholastici versus :* titulus, *Sedulius antistes*, in-fol° perg. Hi sunt versus acrostichi Belisarii, cujus nomen non uno modo in mss. exprimitur.

90. Apud laudatum Montfauconium, pag. 1180, ex bibliotheca Mediani monasterii in Vosago, *Sedulii carmina*, cod. sæculi X; pag. 1205, ex bibliotheca monasterii Vindocinensis SS. Trinitatis, *Sedulius*, bis; pagina 1222, ex bibliotheca S. Albini Andegavensis, *Sedulii epistola ad Macedonium, sacrum opus de veteri et novo Testamento, hymni duo;* pagina 1245, ex bibliotheca S. Petri Carnutensis, *Incipit ars Sedulii poetæ christiani.* Hæc est annotatio quædam librarii, a nobis etiam observata in Ottobon. 1, de qua confer num. 9 et 45. Ex bibliotheca monasterii de Lyra, pag. 1258, *Sedulii paschale carmen;* ex monasterio S. Petri Pratellensis, pag. 1266, *Sedulii*, ut videtur, plura exempla; pag. 1270, ex monasterio S. Ebrulphi Uticensis *Sedulii rhetoris opera.* Sedulius vetus poeta noster *rhetor* a Ratberto et aliis vocatur, ut dixi num. 21. Ex bibliotheca S. Victoris Parisiensis, pag. 1575, *Sedulius;* ibid., ex bibliotheca Laudunensi, *Glossæ antiquæ super Virgilium et Sedulium.* Hactenus codices mss. recensiti ex Montfauconio.

91. In Catalogo mss. Angliæ et Hiberniæ, num. 2506, inter codices Thomæ Bodleii, *Sedulii libri quinque :* intelligo carmen paschale in quinque libros distributum. Labbeus, in Nova bibliotheca mss., supplem. 4, ex bibliotheca Caroli de Montchal, cod. 84, refert, 1° *Sedulii carmina, quorum præfatio plurimum differt ab edita;* 2° *Versus Liberati Scholastici in laudem Sedulii;* 3° *Versus Silvii de Salvatoris cognominibus;* 4° *Versus B. Columbani;* 5° *De die judicii versus;* 6° *Aratoris in Acta Apostolorum libri duo cum duabus ejusdem epistolis versibus elegiacis.* Non explicat Labbeus quodnam sit initium præfationis, quæ multum differt ab edita. Versus Silvii de Salvatoris cognominibus, qui in eo codice exstant, indicantur etiam a Montfauconio in bibliotheca mss., pag. 126, cod. 553 biblioth. Vatic., qui primum **57** versum refert : *Spes, ratio, via, vita, salus, sapientia, judex;* et ultimum : *Verbum, homo, rete, lapis, domus, omnia Christus, Iesus.* Hi versus tribuuntur S. Damaso, inter cujus carmina in plerisque editionibus primus versus mendose scriptus est, uti etiam apud Merendam.

92. Antonius Sanderus, in Bibliotheca codicum mss. Belg., ex bibliotheca canonicorum regularium S. Augustini in Valle S. Martini Lovanii, refert *Sedulii Scoti carmina et hymni.* Fabricius, in Biblioth. vet. Lat., commemorat *Sedulium ms.* Norimbergæ, apud Gotfridum Thomasium.

93. Catalogus codicum bibliothecæ regiæ Parisiensis indicat, codice 242, *Sedulii opus paschale*, cum glossis inter lineas sæculi XII, aut XIII! Cod. 7558, *Sedulii carmen elegiacum de incarnatione Christi*, sæc. IX. Cod. 8092, *Cœlii Sedulii carmen paschale libris quatuor. Ejusdem carmen de miraculis novi Testamenti quatuor libris : subjecta Liberati Scholastici et Silonis carmina acrosticha in laudem Sedulii*, sæc. X. Fortasse sunt duo exemplaria ejusdem operis. Quod autem passim quatuor libri tantum numerantur, causa, ut opinor, est ipsa divisio operis in librum I veteris Testamenti, et libros IV novi. *Silonis* autem nomen pro Belisario positum videtur. Ibidem, codice 8093 : *Cœlii Sedulii carmen paschale libris quatuor. Veteris et novi Testamenti collatio versibus elegiacis, auctore eodem.* Codice 8094 : *Cœlii Sedulii carmen paschale : passim inter lineas glossæ*, sæc. XI. Cod. 8313 : *Cœlii Sedulii carmen paschale. Collatio veteris et novi Testamenti, eodem auctore*, sæc. XIII. Cod. 8314 : *Cœlii Sedulii presbyteri carmen paschale*, sæc. XIII. *Collatio*, etc. *Hymnus totam vitam Christi continens*, sæc. XV, ut videtur. Cod. 8315 : *Carmen paschale, Collatio*, etc., *eodem auctore.* Cod. 8316 : *Carmen paschale, Collatio*, etc. Cod. 8317 : *Carmen paschale cum scholiis, Collatio, Hymnus.* Cod. 8340 : *Sedulii hymnus de Vita Christi.* Hæc quidem ad nostrum poetam pertinent : nam *Sedulii commentariolus in artem Eutycis grammatici*, in cod. 7830, alterius Sedulii esse creditur, ut dixi num. 45.

94. Muratorius, tom. III Antiquit. Ital. med. ævi, pag. 818, exscribit catalogum bibliothecæ monasterii Bobiensis sæculo X, **53** circiter exaratum. Auctor inter veteris bibliothecæ libros recenset : *Libros Claudiani poetæ quatuor, et in uno ex his Sedulii quædam pars, et alia opuscula.* Postea *libros Sedulii* IV, fortasse quatuor exemplaria. Unum ex his fuisse puto codicem Taurinensem descriptum num. 62. Inter libros quos Dungalus *præcipuus Scotorum obtulit beatissimo Columbano*, h. e., monasterio Bobiensi: *Sedulii orthograph.* Inter libros Theodori presbyteri : *Sedulii, Juvenci, et Prosperi, ac Prudentii, et aliorum versificatorum liber unus.* In var. lect. ad epistolam Sedulii ad Macedonium ante carmen paschale indicantur codices mss. Blandin., Scotti, Roseweydi, et Bollandi, quibus illa epistola illustratur ea parte, qua agitur de Syncletice. In Chronico Fontanellensi inter libros quos Wando abbas sæculo VIII comparavit, recensentur *Libri quatuor Evangeliorum expositionem continentes editam a Sedulio, viro scholasticissimo, ad Macedonium presbyterum.*

CAPUT IV.

Recensentur editiones Sedulii, interpretes, et conjecturarum in eum auctores.

95. Editio I, sine anni nota, Parisiis in-4°, ex officina Ascensiana, recensente Nic. Cappusoto. Sic Fabricius in Bibl. vet. Lat. Eam vidi in Bibliotheca Corsinia hoc titulo : *Celii Sedulii presbyteri, Mirabilium divinorum libri quinque cum hymno et carmine elegiaco ejusdem, Jehan Petit. Venundantur Parrhisiis in via ad divum Jacobum sub Leone argenteo, et in monte divi Hilarii sub Speculo.* Præfatur Nic. Cappusotus ad Joannem Guillardum Parisiensem magnæ exspectationis adolescentulum. In fine : *Quinto kalendas martias ex officina Ascensiana apud Parrhisios.* Post carmen paschale est epigramma Sedulii, tum hymnus et elegia. Cappusotus Sedulium interpretari constituerat. *Mirari autem non nequeo*, ait, *tam religiosum, tamque amœnum scriptorem non fuisse antehac in gymnasiis Parisiensibus vulgatiorem.* Profert etiam Sedulii elogium ex decreto Gelasiano apud Gratianum, in aliis editionibus repetitum.

59 96. Editio in-4°, sine anno et consule, ait Arntzenius, qui ea usus est, et id solum profert ex titulo : *Sedulii poetæ christianissimi, paschalis carminis libri quatuor. Ejusdem hymni duo non pœnitendi.* Ad lectorem distichon :

Hæc tibi Sedulii, si te sacra lectio ducit,
Dulcia divini carmina vatis eme.

Sequebatur Gelasii testimonium. Arntzenius *Veterem* 1 appellat.

97. Editio II. Idem Arntzenius vidit aliam editionem sine anni nota, ad cujus calcem hæc legebantur : *Hoc opus felici exitu ab industrio viro Georgio Richolff, impensis Laurentii Bornman æneis typis excusum est in præclara urbe Monasteriensi, Vestphaliæ metropoli nobilissima.* Adjecta erant huic editioni quædam epigrammata Martialis, in quorum fine id notatum erat : *Valerii Martialis poetæ lepidissimi, electorum epigrammatum liber primus cum Hermanni Buschii familiarissima expositione, in clarissima Agrippinensi academia impressus, feliciter explicit anno* MDIX. Arntzenius hinc conjicit, Sedulium quoque eodem anno 1509 impressum fuisse : sed, ut videtur, hæc duo opera in unum volumen compacta fuerant, atque adeo certus annus editionis Sedulii colligi nequit. Margini quædam erant ab homine prorsus non indocto ascripta, sed litteris ita negligenter exaratis, ut pauca ex iis excerpere Arntzenio licuerit, qui hanc editionem vocat *Monasteriensem.*

98. Editio IV, anno 1499, Lipsiæ, per Jacobum Thanner, in-4°, ex Biblioth. med. et inf. ævi Fabricii cum notis Mansii.

99. Editio V, anno 1499, Parisiis, in-fol°, cum Juvenco et aliis, ut fusius dixi in Prolegom. ad Juvencum, num. 53. Vide etiam Maittaire, Annal. typ. pag. 362.

100. Editio VI, anno 1501, Mediolani, cura Jani Parrhasii. Hanc editionem apud Batavos rarissimam Arntzenius frustra diu quæsivit. Romæ quidem non obvia est, sed exstat apud cl. præsulem Reggium, reconditioris sacræ doctrinæ in paucis æquum et doctum æstimatorem : cui plurimum hæc nostra poetarum christianorum sylloge debet, tum qua præfecto bibliothecæ Vaticanæ, tum qua selectis libris ac singulari philologiæ peritia instructo. Titulus est : *Sedulii carmen paschale. Aurelii Prudentii* **60** *carmina.* Subjungitur decretum Gelasii de Sedulio. Sequitur dedicatio, sive præfatio Parrhasii ad Michaelem Riccium Neapolitanum regium Insubriæ gubernatorem : quæ in hoc exemplari deest, ac vix quædam ex fine legi possunt, nimirum : *Accipe interea Sedulii nostri carmen, et alterum disertissimi viri Prudentii, cujus utinam scripta omnia exstarent, aut saltem siqua reperiuntur, incuria temporum depravata non essent. Certe nec ego tantum laboris in emendando subissem, quique divinorum studio tenentur, nihil in eo genere desiderarent. Sed ista qualiacumque legi malui, quam penitus interire, quæ tu boni, quæso, consulas, et Janum tuum, qui te colit, ama. Bene vale, decus nostri soli. Mediolani, Idibus Juniis* MCCCCCI. Putabat Parrhasius, Prudentium et Sedulium antea editos non fuisse : sed falso id putabat. Post præfationem : *Sedulii christiani poetæ carmen paschale.* Sequitur prologus metricus Sedulii, et sine ullo titulo aut divisione librorum carmen paschale. In fine : *Explicit Sedulii carmen paschale.* Adduntur nonnulli hymni Prudentii, ut explicui Comment. ad hymn. 2 Peristeph. vers. 1, ubi ex litteris eruditissimi viri Jacobi Morelli monui, hanc editionem exstare in bibliotheca S. Marci Venetiis. Plura alia de hac editione eodem loco observavi, quæ Romæ etiam in Bibliotheca Corsinia asservatur. Animadversiones Parrhasii in Sedulium et Prudentium proferam num. 189 seq. Arntzenius varias lectiones ex Parrhasio profert, quia eas ascriptas

a docta manu invenerat in Georgii Fabricii editione Poetarum christianorum.

101. Editio VII, anno 1501, publicata anno 1502. Venetiis, apud Aldum, cum aliis poetis christianis. Eam descripsi in Prolegom. ad Juvencum, num. 60. In secundo volumine poetarum christianorum, Aldus primum locum Sedulio dedit hoc titulo : *Cœlii Sedulii presbyteri Mirabilium divinorum liber primus. Cum sua gentiles*, etc. Desunt epistola ad Macedonium et prologus metricus. Capita passim suis titulis distinguuntur. Primus liber continenter protrahitur usque ad versum *Ora lupi*, qui in aliis editionibus est finis libri secundi. Post carmen paschale est elegia *Cantemus* cum inscriptione, *Hoc opusculum*, etc, de qua alibi, tum *Sedulii epigramma*, quod incipit, *Hæc tua*, postremo **61** *C. Sedulii* B *presbyteri hymnus de Christo succincte ab incarnatione usque ad ascensionem.* Baylius priores alias editiones ignoravit, qui in Lexico hanc primam carminum Sedulii editionem esse docuit.

102. Editio VIII, anno 1504, Lipsiæ, in-4°. Hujus varias lectiones annotavit Grunerus.

103. Editio IX, anno 1509, cujus varias lectiones margini editionis Sedulii Tornæsianæ anni 1566 ascriptas collegit Arntzenius. Ignoratur locus; ac solum erudita manus ad prologum vers. 4 notaverat : *Nusquam diphthongus neque accentus apparet in editione nostra anni* 1509, de cujus scripturæ antiquitate disseruit Salmasius, ad Sarravium epist. 183. Hanc editionem Arntzenius *Veterem* 2 nominat. Fortasse C non est diversa ab ea quæ in Biblioth. med. et inf. ævi Fabricii hoc anno 1509 peracta dicitur Lipsiæ per Jacobum Thanner, in-4°.

Editio X, 1509, Coloniæ, ex Biblioth. med. Fabr.

Editio XI, 1512, Lugduni, cum commentariis Nebrissensis, in-4°, ex Biblioth. med. Fabr. Fortasse legendum *Lucronii* pro *Lugduni*. Vide n. seq.

104. Editio XII, anno 1515, in-4°, Cæsaraugustæ, cum paraphrasi Nebrissensis. Hæc describitur a Majansio in Spec. suæ bibliothecæ p. 27. In fronte conspicitur Sedulius explicans volumen cum hoc titulo : *Cœlii Sedulii presbyteri Paschale opus :* et paulo inferius legitur : *Sedulii Paschale, cum commento Antonii Nebrissen.;* et ad finem operis ita : *Sedulii Paschale, cum reliquis opusculis, quæ exstant car-* D *mine conscripta, finiuntur. Explicita Cæsaraugustæ industria, et expensis Georgii Coci,* VI *Nonas Septembres, anno salutis christianæ* MDXV, *post primam impressionem, quam castigavit, punxit, dispunxit, interpunxitque Antonius Nebrissen., adjecitque paraphrasin in locis obscuriores* (sic). Præcesserat ergo alia editio, ac fortasse Compluti 1514, quæ per errorem in Biblioth. Nic. Antonii alligata fuerit anno 1524, aut Lucronii, vel Lugduni, ex dictis num. præced. Dempsterus ait, se non vidisse Vitam Sedulii, quam a Nebrissensi confectam narrant Gesnerus et Simlerus. Sed, ut ego puto, Nebrissensis solum scripsit brevem præfationem in carmina.

62 Editio XIII, anno 1516, Taurini, apud Joannem Angelum et Bernardinum de Silva, curante Joanne Brema, quam laudat cl. Zacharias in peregregio suo opere *Storia Polemica delle proibizioni de' libri*, ad annum 496, n. 10, pag. 51.

105. Editio XIV, anno 1524, Compluti, in-4°, cum paraphrasi Nebrissensis, ut refert Nic. Antonius in Biblioth. nova Hisp. verbo *Antonius Lebrixa*, sive *Nebrixa*, Latine *Nebrissensis*, quem edidisse ait : *In Sedulii poema de Christi miraculis paraphrasis. Compluti*, 1524, *in-4°*, nisi error est in numeris 1524 pro 1514, ut modo dicebam. Recusa paucis ante annis est Bibliotheca vetus, et nova Nic. Antonii Matriti elegantissimis typis : et Bibliothecæ quidem veteri notationes suas non quidem ita multas pro rei amplitudine, sed eruditas tamen et selectas adjecit vir clarus Franciscus Perez Bayer. In Bibliotheca nova solum apparent additiones posthumæ ejusdem Nic. Antonii. Utinam simul prodiisset, aut nunc denique in lucem emitteretur supplementum Bibliothecæ novæ, de quo sermo fit in præfatione ad hanc editionem Matritensem. Cum enim viri docti, Thomas Antonius Sanchez, Joannes Antonius Pellicer, et Raphael Casalbon, augendæ et corrigendæ Bibliothecæ novæ multam operam et laborem insumpserint, ut eam tutius legere possimus, optandum valde est, saltem correctiones in publicam lucem venire.

106. Editio XV, anno 1528. Huic anno editionem Sedulii Basileæ in-8°, ex recognitione Theodori Poelmanni, assignat Fabricius in Biblioth. vet., cum de Sedulio agit; quam repetitam innuit 1534, 1537, et Calari 1575. Loquitur de editione Sedulii simul cum Juvenco, Aratore, et duobus hymnis Venantii Fortunati integritati suæ per G. Cassandrum restitutis. At ipse Fabricius dum Juvenci editiones enumerat, solum refert editionem ex recognitione Poelmanni Basileæ sine anni nota, præmissa epistola Hadamarii, quæ repetita fuerit Calari. Confer num. 109. Ceillierius quoque commemorat editionem Basileensem Sedulii anni 1528, sed, ut conjicere licet, ex Fabricio.

107. Editio XVI, anno 1534, Basileæ in-8°, ut ex Fabricio nuper dixi. Adhæret Ceillierius.

108. Editio XVII, anno 1537, in-8° : *Juvenci Hispani et Sedulii* **63** *Scotigenæ presbyterorum et poetarum christianissimorum historiæ evangelicæ, versibus heroicis ad amussim expressæ : jam tersiores, et ex veterum aliquot librorum collatione multo castigatiores in lucem prolatæ. Coloniæ, apud Eucharium* (Cervicornum). Recensuit Reinhardus Lorichius Hadamarius. Hanc editionem explicui etiam in Prolegomen. ad Juvencum num. 69. Post Juvencum est Sedulius cum epistola ad Macedonium et prologo metrico. Carmen, ut in Aldo, in quatuor libros divisum est. Postea : *Incipit hymnus ejusdem*, etc. Hæc est elegia *Cantemus*. Denique carmen Sedulii, sive hymnus alphabeticus, *A solis ortus*.

109. Editio XVIII, eod. an. 1537, in-8° : *Juvenci*

Hispani evangelicæ historiæ libri IV. *Cælii Sedulii Mirabilium divinorum, sive paschalis carminis libri* IV, *una cum hymnis aliquot. Aratoris in Acta Apostolica libri duo. Venantii Honorii Fortunati hymni duo per G. Cassandrum integritati suæ restituti. Omnia per Theodorum Poelmannum Cranenburgensem recognita, Basileæ :* sine certa anni nota, præmissa epistola Hadamarii ex editione Coloniensi ejusdem anni 1537. In Prolegomenis ad Juvencum num. 70 et 75, conjiciebam, hanc editionem differendam esse ad annum 1551, neque nunc quidem aliter sentio, quamvis Fabricius editionem Sedulii et Juvenci cum Aratore, etc., Basileensem anno 1537 referat. Accuratior enim mihi videtur Fabricius, cum inter editiones Juvenci Basileensem hanc Poelmanni sine temporis nota dicit esse : errat tamen, quod quatuor hymnos Fortunati a G. Cassandro integritati suæ restitutos asserit. In elogio Sedulii recte duos tantum commemorat. Poelmannus Sedulium post Juvencum collocat : præmittit epistolam ad Macedonium, tum præfationem metricam. Carmen paschale divisum est in quatuor libros , ita nimirum ut tertius coalescat ex tertio et quarto nostræ editionis. Post carmen , *Cælii Sedulii elegia*, CANTEMUS, etc. Post elegiam , *Cælii Sedulii hymnus*, A SOLIS, etc. Post hymnum epigramma de quatuor Evangelistis, *Matthæus instituit*, etc., quod in nostra editione Juvenci, ex vetustissimo exemplari positum fuit pro prima præfatione Juvenci. In codice Poelmanni nomen auctoris ascriptum non erat. Post epigramma versus acrostichi de Sedulio, *Sedulius Domini,* **64** et *Sedulius Christi*, prætermisso auctorum nomine. In fine voluminis , post varias lectiones in Juvencum additæ sunt nunnullæ aliæ in Sedulium, quæ margini etiam carminum suis in locis appositæ apparent.

110. Editio XIX, anno 1538. Grunerus contulit editionem Sedulii Coloniensem hujus anni in-8°.

111. Editio XX, anno eodem 1536, Antuerpiæ, apud Viduam Martini Cæsaris, in-8°, ex Bibl. med. Fabr.

112. Editio XXI, an. 1541, in-8° : *Cælii Sedulii presbyteri cum piissimi, tum doctissimi, paschale opus, seu Mirabilium divinorum libri quinque cum enarrationibus luculentissimis Ælii Antonii Nebrissensis. Adjunximus etiam Juvenci Hispani presbyteri evangelicam historiam ejusdem argumenti, additis et in eamdem commentariis. Omnia ad vetustissima exemplaria collata et castigata. Basileæ, anno* MDXLI. Hujus editionis memini quoque in Prolegom. ad Juvencum, num. 71. Typographus est Westhemerus, qui præfationem quoque adjecit. Nebrissensis enarrationes in hac tantum editione vidi : Arntzenius, aliique recentes editores Sedulii omnino his caruerant. Post præfationem Nebrissensis, prætermissa epistola ad Macedonium, incipit prologus metricus Sedulii *Paschales :* tum carmen in quinque libros distributum ; deinde : *Incipit hymnus ejusdem*, etc. Hæc est elegia *Cantemus*. Postremo : *Sedulii presbyteri hymnus iambicus dimeter*, etc. Enarrationes Nebrissensis inter versus collocantur.

Editio XXII, anno 1545. Basileæ, in-8°, cum Juvenco et Aratore, collata cum codice Rottendorphii et aliis codicibus mss., ex Fabricio et Reuschio in catalogo editionum Juvenci. Fortasse diversa est editio Basileensis Sedulii hoc anno cum comment. Nebriss., quæ indicatur in Bibl. med. Fabr., verbo *Sedulius*.

113. Editio XXIII, anno 1548. Basileæ, in-8°, cum Juvenco et Aratore, ex Fabricio inter editiones Sedulii. Vereor, ne in tot editionibus Basileensibus aliqua subsit fraus bibliopolarum, qui sæpe primam frontem librorum recudunt, ut nova editio videatur. Fortasse etiam error est in numeris 1548 pro 1545.

114. Editio XXIV, anno 1551. Basileæ, in-8°, cura et studio Poelmanni, ut dixi ad annum 1537, ex catalogo bibliothecæ **65** regiæ Parisiensis. Dubitavi in Prolegomen. ad Juvencum, numero 75, et dubito etiamnum, sitne hæc prima editio Poelmanni, an repetita.

115. Editio XXV, anno eodem 1551. Barthius, libr. XLIX Advers., cap. 5, citat editionem Lugdunensem hujus anni, quæ Aratorem, Sedulium et Juvencum ad lectionem mss. prorsus renovatos præsefert.

116. Editio XXVI, anno 1553. Lugduni, cum Juvenco, in-12, quam contulit, et *Tornæsianam* 1 appellat Arntzenius. Continet etiam Aratorem. Ejus mentionem feci in Prolegom. ad Juvenc., num. 76.

117. Editio XXVII, anno 1554. Basileæ, ut Ceillierius testatur.

118. Editio XXVIII, anno 1564, cum aliis poetis christianis, recensente Georgio Fabricio, ut latius in Proleg. ad Prudent., Juvenc. et Dracont. exposui. Confirmat Arntzenius quod loc. cit. de Fabricio dixi : *Permisit sibi*, ait, *uno et altero loco, quod non debebat, judice Daumio, ad Heinsium epist.* 223, *tom.* V *Syll. Burm. Idem quoque egit in Sedulio, transpositis plerumque verbis, si metri leges aliquid damni paterentur, quæ ipsius transpositiones, licet in codicibus neutiquam fundatæ, tamen a posterioribus avide sunt interdum receptæ. Sæpius illud in transposita voce* JUGIS *observavi,... licet in quibusdam Fabricius certissime habuerit præeuntes, quos secutus est.*

119. Editio XXIX, anno 1566, cum Juvenco et Aratore, in-12, aut 16, quam *Tornæsianam* 2 Arntzenius vocat. Ea etiam ego usus sum ex locupletissima bibliotheca optimi principis, eminentissimi cardinalis Valentis Gonzagæ. Confer prolegom. ad Juvencum num. 78.

120. Editio XXX, anno 1568. Lipsiæ, ut Ceillierius refert, qui affirmat esse in-8°, cum aliis poetis christianis, procuratam a G. Fabricio. Id nihil aliud esse censeo, nisi quod Fabricius in Bibl. Lat. l. IV, c. 2, inter editiones Prudentii commemorat : *Georgii Fabricii in Pæanas tres Prudentii, Sedulii et Fortunati, de Vita et Morte Christi, et in hymnos tres alios Prudentii, et in Romanum martyrem expositio. Lipsiæ* 1568, *in*-8°. *Subjuncta adagiorum notatorum centuria.* In Biblioth. med. **66** Fabricii inter editiones Sedulii

recensetur editio Basileensis in-4°, anno 1566, in poetis christianis G. Fabricii : sed hæc diversa non est ab editione quam anno 1564 adjudicavi.

121. Editio XXXI, anno 1573, Calari repetita ex editione Poelmanni, ut uberius dixi in Proleg. ad Juvencum, num. 80.

122. Editio XXXII, 1575. Parisiis, in Bibliotheca Patrum, per Margarinum de la Bigne, tom., VIII ubi exstant carmen paschale, elegia et hymnus. In aliis Bibliothecis Patrum prodiit Sedulius cum aliqua varietate : nam in secunda editione 1589, Parisiis, et in Appendice ad Bibliothecam Margarini, Parisiis, 1624, Sedulio tribuuntur carmen paschale, elegia et hymnus abecedarius, et nihilominus rursus excuditur elegia hoc titulo : *Turci Rufi Asterii, viri consularis, veteris et novi Testamenti collatio Sedulio hactenus ascripta.* Notatur Asterium fuisse consulem cum Flavio Præsidio. Additur ex Cuspiniano et Aldo, carmen hoc editum ab Asterio, inscriptum Sedulio; ex Panvinio, Turcio inscriptum et missum ; exstare mss. codices, qui Claudiani Mamerti esse dicant. Ita etiam editur elegia, et hoc ipsum annotatur in Bibliotheca Patrum Coloniæ 1618, sed inter opera Sedulii in hac Bibliotheca elegia non refertur. *Cn. Spinianus* pro *Cuspinianus*, et *Panninius* pro *Panvinius*, menda sunt in his Bibliothecis repetita. Tota ipsa narratio falsa est, ut liquet ex num. 46 et 162. Sedulio in his Bibliothecis adjuncti sunt versus acrostichi Liberii et Belisarii de eo; et in Bibliotheca Coloniensi anni 1618, carmini paschali præponitur præfatio ad Theodosium Augustum, *Romulidum ductor*, quam Sedulii esse negavimus. Post acrostichidem Belisarii est opus paschale Sedulii, sive prosa ; tum Collectaneum in Epistolas Pauli, quod alterius est Sedulii. In aliis pariter Bibliothecis Patrum typis expressus fuit Sedulius, præsertim in Lugdunensi 1677.

123. Editio XXXIII, anno 1588, Lugduni, in-12, vel 16, de qua vide num. 82 Prolegom. in Juvencum. Hanc editionem habuit Jo. Alb. Fabricius a Nic. Heinsio cum mss. collatam : eamdem *Tornæsianam* 3 Arntzenius nominat, qui animadvertit, easdem fere lectiones servari in hac editione Tornæsiana 3, et in Bibliotheca Maxima Patrum Lugdunensi.

67. 124. Editio XXXIV, anno 1603, in Corpore Latinorum poetarum, Lugduni, in-4°. Huc revoco alias editiones Corporis, et Chori Latinorum poetarum recensitas in Prolegom. ad Juvenc., num. 83. Neque dissimilia sunt alia opera, quibus plura Sedulii continentur, ut Flores poetarum, Margarita poetica Alberti Eyb. Addo Hieronymi Freyeri *Fasciculum poematum Latinorum*, in quo selecta carmina sunt Ausonii, Prudentii, Claudiani, Sedulii, Boetii, et Columbani, præter alios veteres et recentes poetas, Halæ Saxonum 1713.

125. Editio XXXV, anno 1610. Collatio veteris et novi Testamenti Sedulii, sive elegia *Cantémus*, etc., in Manuali biblico Francofurti 1610, pag. 13. Editionem hujus Manualis descripsi in Proleg. ad Prudentium num. 113. Elegia Sedulii cum hymno edita fuit in Hymnario Ven. Thomasii, hymnus etiam in Officiis per ferias Alcuini, et Lipsiæ 1522, in-8°, per Petrum Mosellanum post librum Cathemerinωn ex Biblioth. med. et inf. ævi Fabricii, verbo *Sedulius*.

Editio XXXVI, anno 1701, Edimburgi, in-8°, quæ accurata habetur, et refertur in Bibl. med. Fabr. ex Georgio Mackenie De Scotis eruditis vol. 1, pag. 546. Hæc, ut opinor, est, quam Arntzenius *Scotam*, et Edimburgensem appellat.

126. Editio XXXVII, anno 1704, Cellarii cura in-8°. *Cœlii Sedulii poetæ inter Christianos veteres elegantissimi Mirabilium divinorum libri, Paschale carmen dicti, et hymni duo. Christophorus Cellarius ex mss. codd. recensuit, et annotationibus illustravit. Halæ Magdeburgicæ : sumptibus Orphanotrophei.* Accurata est hæc editio, et scholarum usui accommodata.

127. Editio XXXVIII, anno 1739, Cellariana in Germania repetita, ex Arntzenio, qui vitiis priori turpius commaculatam ait.

128. Editio XXXIX, an. 1747, in-8°. *Cœlii Sedulii Mirabilium divinorum libri quinque, sive carmen paschale. Item hymni duo ad codicum mss. et editionum veterum fidem recensuit, lectiones varias, observationes, et indices necessarios adjecit Joannes Fridericus Gruner. Lipsiæ apud Joannem Wendlerum.* Grunerus in variantibus lectionibus annotandis diligens est, et copiosus, breves interdum, et eruditas notas subjicit. Arntzenius acerbiori 68 calamo Grunerum usum objicit in enarrandis Vonckii conjecturis : quædam etiam errata typothetarum in carmine exscribendo animadvertit, quæ certe non multa sunt.

129. Editio XL, anno 1761, in-8°. *Cœlii Sedulii Carminis paschalis libri quinque, et hymni duo cum notis Casparis Barthii, Christophori Cellarii, Cornelii Valerii Vonckii, Joannis Friderici Gruneri, aliorumque : quibus accedunt Thomæ Wopkensii Adversaria emendatiora maxima ex parte adhuc inedita. Curante Henrico Joanne Arntzenio, I. F., qui annotationes, et observationum specimen adjecit. Leovardiæ apud H. A. de Chalmot.* Multum debet Arntzenio Sedulius, qui selectissima quæque ex aliis collegit, plurima etiam e sua penu adjecit supra ætatem doctus, sed ita ut, etiamsi ipse identidem id non jactaret, tamen nimis juvenem eum esse facile agnosceres. Specimen observationum 13 capitibus comprehensum, quod addidit, nihil habet commune cum Sedulio, excepto uno, et altero capite.

130. Editio XLI, anno 1773, cura et studio Gallandii in Bibliotheca Patrum tom. IX, pag. 555. *Sedulii presbyteri libri quinque paschale carmen inscripti, et hymni duo ex editione Christophori Cellarii, nunc denuo recensita, et cum mss. codice bibliothecæ regiæ Taurinensis collata, necnon carmine De Verbi incarnatione adaucta. Accesserunt libri quinque Paschalis operis studio Francisci Jureti primum editi, et notis illustrati, nunc vero iterum recogniti, et emendati.*

Gallandius Cellarii selectas notas adhibuit, suasque nonnullas adjecit.

151. Pauca nunc addam de commentatoribus Sedulii, et de aliis, qui observationes, aut conjecturas, in ejus carmina conscripserunt. In codicibus mss. passim occurrunt glossæ, et in nonnullis locupletiores : ex quibus aliquando vera lectio eruitur, interdum sententia obscura explanatur. Hujusmodi glossis antiquis, cum opportunum visum fuit, usi fuimus. Post restitutas litteras primus Ælius Antonius Nebrissensis de Sedulio illustrando cogitavit, editis brevibus notis, et ad usum Scholæ accommodatis, quibus tamen theologi etiam juvari possint : neque tam mirandum est, eum aliquando aberrasse, quam tot præclaras interpretationes primum omnium in lucem protulisse.

69 152. Nebrissensi adjungimus duos alios Hispanos, quorum alter, Bartholomæus Morlanes, commentarios, et notas scripsit in plures poetas, et nominatim in Prudentium, Alcimum Avitum, Marium Victorium, Juvencum, Sedulium, Aratorem, ut narravi in Prolegom. ad Prudentium, num. 259, in nota. Postea recusa fuit Matriti Bibliotheca Hispana Nic. Antonii, et ex hujus additionibus posthumis mentio in ea facta est Bartholomæi Morlanes, cujus commentarios mss. Cæsaraugustæ exstare innuitur. Antiquior Morlane fuit, atque ipsi Nebrissensi æqualis alter commentator Sedulii Joannes Soprarius, cujus laudantur a Nic. Antonio in Biblioth. nova Hisp. commentaria in Sedulium poetam ex epigrammate L. Marinei Siculi l. II Carminum, ex quo hæc pauca disticha seligo :

Conferat eximios si quis me judice vates,
Sedulii magna est gloria, magnus honor.
Hæc lege, crede mihi, doctos, sanctosque, magister,
Discipulos facient carmina sancta tuos.
Nam si quæ fuerint occulti carmina sensus,
Omnia Sobrari verba soluta dabunt.

Sobrarium, non *Soprarium* vocat Marineus in suis carminibus, quæ post epistolas edita sunt Vallisoleti, anno 1514.

153. Georgius Fabricius in commentar. poetar. Christ. cum reliquis nonnulla etiam loca Sedulii exponit. Barthius sæpissime, præsertim vero in Adversariis versus Sedulii ex mss., et ex suis conjecturis emendat, et explicat. Ita vero ait l. LIV Advers. cap. 7 : *Fateor, in poetis veteribus me Christianis amare simplicitatem ipsam et dictionis, et sensuum, quæ quo est candidior, eo est merito gratior : cum tumor ille, et eloquentiæ affectatæ picturæ non sinant animum pura rerum dulcedine, numeris infusarum, gaudere. Volo, ut redhostimenti loco felices illæ animæ hoc a me habeant, ut scripta eorum mea ope legantur emendatiora. Veniat in partes, vel redeat potius Sedulius, cujus quartum librum*, etc. Et post multa : *Hæc Sedulio nostro etiam hoc loco imputavimus. Scripsimus aliquando integras ad eum notas, ut et priore illa Claudiani editione indicavimus, sed eæ, vereor, ne in alias nobis correpant, et sit auctor, nobis* **70** *tamen charus, his paucis, et tenuibus commendandus saltem posteris a nobis, si non plerisque difficilioribus locis explicandus. Quod et ipsum tamen hic lector æquus inveniet*. Sane Barthius magnam lucem scriptoribus fere omnibus antiquis attulit, sed interdum subtilibus suis conjecturis id extorquere vult, ut veteres auctores tam perplexe, tamque obscure loquantur, quam ipse loquitur. Plerumque enim facilius scriptorum opera, quæ illustrare conatur, quam ipsos ejus commentarios intelligas.

154. Daumius corpus Christianorum poetarum emendatius edere constituerat, in quibus locum suum habebat Sedulius : qua de re videri possunt epistola 87 et 92 Heinsii in Syll. Burmann. Egregia de posterioris ævi poetis Daumium conferre potuisse ait Arntzenius, licet vir majoris diligentiæ, ac doctrinæ, quam judicii videatur Wilhofio diss. de vero distichor. Caton. auctore pag. 561. Suspicatur idem Arntzenius, Joannem Albertum Fabricium quoque decus aliquod Sedulio conciliare statuisse, cum partem poetarum Christianorum edere in animo habuerit, ut refert Reimarus in ejus Vita, pag. 209.

155. Cornelius Valerius Vonck lectionum Latinarum libros duos edidit Trajecti Viltorum 1745, in-8°, et lib. I, cap. 6, conjecturis Sedulium emaculare studet, quas Arntzenius notis suis inseruit. Gruneri de Vonckio judicium libens amplector, verumque esse profiteor : *Vonckius*, inquit, *nimis ad innovandum proclivis, et de corrigendis, quam intelligendis veterum scriptis magis sollicitus*. Thomæ Vopkensii animadversiones criticæ in Sedulium exstant in Misc. observ. Critic. in auctores veteres et recentes tom. IV. Postea ad Arntzenium transmisit observationum suarum Adversaria emendatiora, ut novæ Sedulii editioni deservirent. Wopkensius, ut fatetur Arntzenius, manum potius emendatricem sola conjecturarum ope, quam quidem codicum auctoritate adjutus, admovit. Gruneri æquissimum est judicium in Wopkensii emendationibus multa esse præclare dicta et summo cum judicio : quædam deserenda. Plures alios, qui Sedulii quædam loca correxerunt, aut illustrarunt, longum esset, neque vero necessarium enumerare.

71 CAPUT V.

De Asterio, qui carmina Sedulii collegit; de Liberio, et Belisario, qui Sedulium versibus acrostichis ornaverunt.

136. In multis mss. codicibus Sedulii annotatur, Asterium carmina Sedulii dispersa collegisse, ac divulgasse : sed cum id ab aliis aliter exponatur, verba ipsa codicum ad examen revocare oportet. Antiquissimus codex noster Vaticanus Reg. 1 sic habet : *Hoc opus Sedulius in certas chartulas dispersum reliquit, quod recollectum, adunatum, atque ad omnem elegantiam divulgatum est a Turcio Ruffo Asterio viro claro exconsule ordinario, atque patricio*. In codice legitur *in certa*, sed mendum clarum est pro *in certas*. Hæc nota etsi ab opere separata est in hoc codice, ut dixi num. 66, tamen videtur desumpta ex alio codice in quo præcedebat prologum metricum. Post notam illico exscribitur epigramma Asterii: *Sume, sacer meritis*, etc., sed non exprimitur quisnam sit hic sacer meritis. Reg. 3 illico post epistolam ad Macedonium sic re-

fert : *Hoc opus Sedulius inter chartulas dispersum reliquit. Recollectum, adunatum atque ad omnem elegantiam divulgatum est a Turcio Rufio Asterio Quinto V. C. exconsule ordinario, atque patricio.* Sequebatur, ut videtur, carmen paschale, cujus solum extrema pars in hoc codice reperitur. Ottobonianus codex 1 eamdem notationem affert post epistolam ad Macedonium et ante explicationem prologi metrici, quamvis post hanc explicationem non statim ponatur prologus metricus, sed hymnus *A solis ortus*, ut exposui num. 75; in eo vero discrepat a Reg. 1, quod pro *in certas chartulas* habet *inter chartulas*, et postea *devulgatum*, et *Turtio Ruffo Asterio Quinto vicario consule ordinario*, etc. Verba *Quinto vicario*, quæ in nonnullis aliis codicibus etiam inveniuntur, ab ignaris exscriptoribus intrusa sunt pro *V. C.*, sive *viro clarissimo*, ut multi observarunt. Neque in hoc codice indicatur nomen ejus, quem Asterius alloquitur, dum ait, **72** *Sume, sacer meritis*. In codice Vaticano 2, qui satis recens est, nota eadem collocatur in fine carminis paschalis. Differt etiam a Reg. 1 in his : *inter chartulas... et adunatum, atque omni elegantia d. e. a Turcio Rufio Asterio Quinto V. C. exconsule ordinario, atque patricio.*

137. Sirmondus in notis ad Ennodium l. 1, epist. 24, profert ex codice Remensi epigramma Asterii, *Sume, sacer meritis*, etc., quod dicit esse directum ad eumdem Macedonium, cui Sedulius Carmen Paschale dedicavit. Animadvertit, post epistolam Sedulii ad Macedonium esse hanc annotationem, *Hoc opus*, etc., ut in Reg. 1, cum hoc tamen discrimine, *inter chartulas d. r. q. r. adornatumque, a. a. o. e. d. e. a Turcio Rufio Asterio V. C. consule ordinario*, etc. Sequitur epigramma, *Sume, sacer*. Labbeus in Bibliotheca Nova mss. part. 1, pag. 23, se vidisse testatur exemplar Operis Paschalis (intelligo Carmen Paschale) initio mutilum, in cujus fine erat eadem nota, *H. o. S. inter chartulas d. r. q. r. adunatum, a. a. o. e. divulgatum est a Turtio Rufio Asterio exconsule ordinario a. p.* Tum versus Asterii, *Sume, sacer meritis*, etc. Bandinius in codice bibliothecæ Laurentianæ, quem recensui num. 86, invenit eamdem notationem, *Hoc o. S. inter chartulas d. r., quod r. adunatum, atque a. o. e. d. e. a Tertio Rufio Austerio V. C. exconsule ordinario a. p.* Usserius ex ms. Thorneyensi eadem fere verba initio carminis paschalis apposita sic affert : *Hoc o. S. inter c. d. r. q. r. adunatumque, a. a. o. e. d. e. a Turcio Rufino Asterio Quinto consule ordinario, atque patricio.*

138. Barthius in vetustissimis membranis reperit epigramma Asterii, operi paschali præmissum hac inscriptione : *Opus Paschale, quod recollectum, adunatum, a. a. o. e. d. e. a Turcio Russio Asterio Quinto exconsule o. a. p. Paschalis Carminis liber primus.* Sequitur deinde epistolæ Sedulii ad Macedonium fragmentum. Codex Almeloveenii sic refert : *Hoc o. S. inter chartulas d. r. q. adunatum a. a. o. e. d. e. a Turcio Rufo Asterio Quinto, viro clarissimo, consule o. a. p.* Codex vero Arntzenianus, *Hoc o. S. inter chartulas d. r. q. adornatum, atque ad omnem elegantiam compositum divulgatum est a Turcio Rufo Asterio V. C.* **73** *exconsule o. a. p.* Wilthemius etiam in codice S. Albini invenit *ex consule ordinario, et patricio*, cætera, ut in codice Remensi apud Sirmondum, quod confirmat Labbeus de Script. Eccles., ubi advertit, in ms. S. Albini annotationem, et epigramma Asterii subjici Carmini Paschali, in ms. vero Remensi inserta esse inter epistolam ad Macedonium, et præfationem metricam Sedulii. In perveteri codice Taurinensi alia manus litteris partim rubris, quæ magnam partem evanuerunt, partim nigris, ex alio codice, ut videtur, notam de Asterio exaravit, ex qua V. C. comes Galeanus Napione hæc potuit tantum describere. *Robeo incipetratum opus, id est esc vester..... amen..... lib..... Primus.... quatuor.... Sedulius inter cartolas suas reliquid, et colliti adunatique sunt a Tuscio Rufo Asterio V. C., et exconsol. Ord. patricio suprascriptorum editore librorum.* Pro *Robeo* videri legendum *Bobio* dicam in schol. ad prolog. metric. Alia fortasse in hunc modum explicanda sunt : *Incipit Sacrum Opus, id est, veteris Testamenti liber primus. Quatuor alios* (novi Testamenti) *Sedulius*, etc. Cl. Franc. Antonius Zacharias De prohibit. librorum ad ann. 496, n. 10, simpliciter negat, in codice Taurinensi monitum de Asterio correctore Sedulii exstare ; sed vel eum fugit notatio, quæ ad me missa est, vel solum ille intelligit, notationem ejusmodi a prima manu exaratam non esse.

139. His ita expositis, quærendum est, cur in recentibus Sedulii editionibus epigramma Asterii sic inscriptum appareat : *Turcii Rufii Asterii, qui Sedulii carmina post fata ejus collegit, et edidit, epigramma ad eumdem Macedonium, cui Sedulius opus suum dedicaverat.* In nullo ms. codice expressum est nomen ejus, cui epigramma inscribitur : quod enim Sirmondus ait, epigramma directum esse ad eumdem Macedonium, cui dedicatum erat Carmen Paschale, id non ex codice, ut videtur, posuit, sed ita ex eo collegit, quod post epistolam Sedulii ad Macedonium memoratam annotationem in suo ms. invenerit. Titulum enim epigrammatis nullum ex codice promit. At codices mss. non omnes eodem in loco annotationem ponunt, cum alii eam in principio carminis, alii in fine, alii alibi collocent, ut vidimus. Etiamsi autem certa sedes inscriptionis illius, sive notæ esset post **74** epistolam ad Macedonium, tamen non certum argumentum hoc esset, Asterium eo epigrammate editionem Sedulii Macedonio dedicasse. Immo, ut observat Labbeus de Script. Eccles., quamvis in aliquo ms. mentio fieret Macedonii in ea annotatione, non tamen certo colligi posset, eumdem esse Macedonium, quem Sedulius et Asterius allocuti sunt. Adde, potuisse etiam accidere (ut usu solet evenire), librarium aliquem, qui epigramma Asterii post epistolam ad Macedonium legisset, inscriptionem, quæ nunc exstat, finxisse, quod putaverit epigramma Asterii eidem fuisse dicatum, cui epistola Sedulii inscripta erat.

140. Retineamus tamen notam epigrammati Asterii præmissam. In ea exscribenda codices mss. inter se discrepant. Verius puto, quod Reg. 1 effert: *Hoc opus Sedulius in certas chartulas dispersum reliquit*, pro quo cæteri, *inter chartulas*. Conscripserat ergo Sedulius Carmen Paschale non uno volumine conclusum, sed in certas chartulas dispersum. Quod enim alibi legitur *inter chartulas dispersum*, innueret, carmen inter plures alias chartulas Sedulii dispersum delituisse, quod minus verum puto. Pergit noster codex Reg. 1, *quod recollectum, adunatum, atque ad omnem elegantiam divulgatum est*. Alii pro *adunatum* habent *adornatum*; sed melius videtur *adunatum*: cum enim carmen in certas chartulas esset dispersum, Asterius illud *recollegit, adunavit*, etc. Quamvis autem legere velis *adornavit*, tamen hoc verbum, uti et sequentia *ad omnem elegantiam* intelligenda sunt de ornatu et elegantia codicis aut voluminis, non quod Asterius in Sedulii verbis mutandis, aliquid sibi licere existimaverit. Ipse enim in epigrammate de se solum ait: *Cujus ope et cura edita sunt populis*. Collectum igitur Carmen Paschale ex multis chartulis, et in unum corpus redactum, atque eleganter descriptum, ab Asterio editum fuit populis, sive divulgatum. Cura etiam Asterii videtur fuisse, ut carmen correctum ederetur.

141. In nominibus ejus exprimendis exemplaria vetera non satis conveniunt. Videntur hæc esse præferenda, *Turcius Rufius Asterius*: pro *Turcius* alii habent *Turtius*, aut *Tertius*: pro *Rufius* alii *Ruffus*, aut *Rufus*, aut *Russius*. In mss. codicibus **75** Sedulii, uti in ipso epigrammate constanter legitur *Asterius*, excepto codice bibliothecæ Mediceæ, in quo titulus exhibet *Austerio*: in aliis documentis aliquando *Austerius*, aliquando *Astorius*, aliquando *Aterius*, aliquando *Austurius*, aliquando *Asturius*, aliquando *Astyrius*, aliquando *Hasterius*, nisi diversa hæc cognomina statuamus, quod nonnulli volunt. Turciorum nomen clarum olim fuit, ut ex veteribus inscriptionibus, aliisque monumentis patet: pro quo nonnumquam scribitur *Turgius* eo errore, quo sæpe *C* in *G* mutatur; apud alios invenias *Turcicus*, et *Curtius Rufus Apronianus*, quia scilicet inscriptiones aliquæ male descriptæ sunt. Panuinius l. III Fast. ad ann. 494 nominat *Turcium Secundum Asterium*: sed per errorem *Secundi* nomen intrusit. De gente Turcia Aproniana Asteria disserit Norisius Cenotaph. Pisan. dissert. 4, et Muratorius dissert. 1 ad Paulin. carm. Cognomen *Rufi* in multis familiis romanis reperitur: de quo ita Quintilianus. l. I, c. 4, al. 7: *Scrutabitur origines nominum, ut quæ ex habitu corporis Cicerones, Rufos, Longosque fecerunt*. Hinc contra orthographiam videtur scribere *Ruffus*. Ex nominibus, prænominibus, et cognominibus plura gentilitia nomina propagata sunt, ut Decimii, Sextii, Tullii, Quinctii. Hinc potius præferendum est *Rufii* nomen cum multis codicibus, quam *Rufi* cum aliis. In inscriptione Virgiliani codicis Medicei, mox num. 145 proferenda, clara sunt hæc tria nomina *Turcius Rufius Apronianus*.

142. Asterii multi occurrunt inter ethnicos, inter Christianos, inter sanctos, inter episcopos, inter quosvis alios viros insignes. Sed a nobis solum quærendus est Asterius, qui post Sedulium vixerit, qui consul fuerit, qui nomen habuerit *Turcius Rufius Asterius*. Duo sæculo V Asterii consules fuerunt, alter anno 449 cum Protogene, alter anno 494 cum Præsidio. Priorem Asterium fuisse, qui carmina Sedulii collegit, tenent Sirmondus in not. ad Ennodium l. I, epist. 24, Cellarius pag. 10 editionis suæ, Arntzenius cap. 10 Specim. observat., qui multis hanc opinionem confirmat. Ratio Sirmondi videtur hæc fuisse, quod Asterius, qui Sedulii carmina in unum corpus collecta edidit, ad eumdem Macedonium, cui Sedulius carmen dicaverat, **76** ea miserit, aut direxerit. Ad ætatem autem Sedulii, qui floruit anno circiter 430, magis accedit Asterius consul cum Protogene anno 449, quam Asterius consul cum Præsidio anno 494.

143. Arntzenius hoc ipsum argumentum promovet, quia Asterius videtur conjunctus amicitiæ vinculo fuisse Sedulio, et Macedonio: huic certe amicus erat, ut probant verba epigrammatis *Asteriique tui*, etc. Fieri autem non potest, aut vix quidem potest, Macedonium, quem patrem, et magistrum multorum appellat Sedulius, ad annum 494 pervenisse, quo alter Asterius consul fuit. Præterea tenendum est, eumdem esse Asterium, qui Virgilii codicem emendavit, et de hac sua emendatione epigramma confecit, et Asterium, qui simili epigrammate editionem suam Sedulii adornavit: præsertim quia in epigrammate ad emendatum codicem Virgilii ait:

Asteriumque suum vivax transmittit in ævum:

qui versus prodit auctorem epigrammatis Sedulio præmissi:

Asteriique tui semper meminisse jubeto.

Quod autem Asterius, qui recensuit codicem Virgilii Medicei, fuerit prior Asterius, consul anno 449, probat Arntzenius auctoritate Heinsii in epist. ad Papebroch. 495 tom. II Syllog. Burm., et ad Reinesium tom. V. p. 191 et 197, et Reinesii ad Heinsium tom. eod. ep. 178. Denique in plerisque codicibus mss. Asterius Sedulii editor dicitur *exconsul*. Asterius vero secundus consul fuit anno 494, quo anno prodiit decretum Gelasii de libris recipiendis et non recipiendis, ubi Sedulius, ejusque opus insigni elogio commendatur.

144. Hæc fere sunt argumenta non contemnenda pro opinione Sirmondi. Contraria tamen mihi magis placet, quam tenuit etiam Fabricius in Biblioth. Lat., Fontaninus de Antiquit., Hort. l. II, c. 3, Norisius de Cenotaph. Pis. dissert. 4, Pagius ad Baron. anno 494, et alii. In notis ad Baron. anno 449 editionis Lucensis consul hujus anni Asterius ex Relando, et Marcellino ita sine alio nomine dicitur *Asterius*: ex Fastis vero Idacii, et Victoris, et epistola S. Leonis papæ ad Flavianum in vetustis codicibus Ecclesiæ Veronensis *Asturius*, ex ms. Vaticano Pro-

speri *Astyrius*, ex nonnullis recentibus fastorum concinnatoribus **77** *Fl. Asturius*, ex aliis *Turcicus Secundus Asterius*. In Fastis Græcis Heraclii vocatur *Astyrius*; a Sidonio epist. 6 l. VIII, *Asterius*. In Cod. Justin. lib. V, tit. 17, de repud., leg. 8, subscriptio hæc est : *Dat.* V *Id. Jan. Protogene et Asterio conss.* Alii habent *Astori*, vel *Astorio*, uti apud Ferret. Mus. lapid. 3, 14.

Asterio meritam dicat hanc Octavius aram,

pro *Asterio* aliqui legunt *Astorio*. De prænomine *Flavii* nihil aliud profertur ex antiquis monumentis, nisi diptychum Leodiense in eburneo Evangeliorum operculo : FL. ASTYRIVS V. C. ET INL. COM. ET MAG. VTRIVSQ. MIL. CONS. ORD. Hoc diptychum illustravit Wilthemius : ac de eo agunt Norisius, Sirmondus, qui scribit *Asturius*, et Pagius, qui habet *Astyrius* cum Wilthemio, et Norisio.

145. Discrepant autem inter se hi auctores : nam in eodem diptycho Leodiensi Norisius, et Pagius agnoscunt Asterium collegam Protogenis consulem anno 449, ac propterea Flavii prænomen illi apponunt. Wilthemius hunc ipsum Asterium consulem an. 449 intelligit, sed eumdem fuisse existimat Fl. Turcium Rufium Asterium, qui quatuor hæc nomina habuerit. Sirmondus agi putat de Asterio consule cum Præsidio an 494. Addit Asturium collegam Præsidii videri diversum ab Asturio, cui Ennodius misit epistolam 24 libri I. Difficile est hanc quæstionem definire nisi per conjecturas. Hoc mihi valde probabile est, Flavium Asterium laudatum in diptycho diversum esse a Turcio Rufio Aproniano Asterio, qui Virgilii codicem correxit : cum enim is hæc quatuor sua nomina distincte posuerit, non omisisset nomen Flavii, quod solum cum nomine Asterii in diptycho legitur, si ita ipse vocatus fuisset. Addi etiam potest, quod *Flavius* potius videtur esse nomen gentis Flaviæ, adeoque duo diversæ gentis Asterii sunt Fl. Asterius, et Turcius Rufius Apronianus Asterius. Norisius satis prudenter conjicit, Asterium, sive potius Asturium consulem anno 449 esse Asturium illum, cujus meminit Idacius ad annum 443 : *Asturio magistro utriusque militiæ gener ipsius successor ipsi mittitur* (in Hispanias) *Merobaudis*. Asterius, sive Astyrius laudatus in diptycho Leodiensi, cum consul fuit, jam fuerat magister utriusque militiæ, ac propterea dicitur exmagister utriusque militiæ.

78 146. Asterius, qui Virgilii codicem distinxit, et emendavit, plures alios titulos sibi ipse ascribit, non vero titulum magistri utriusque militiæ. Neque simile vero est, in diptycho Leodiensi omittendos fuisse titulos Turcii Rufii Aproniani Asterii, præsertim titulum *expræfecti urbi*, et *patricii*, qui nobilissimi erant, si vere is Asterius in eo diptycho describeretur. En subscriptionem, quæ exstat in vetustissimo Virgilii codice Mediceo :

TVRCIVS RVFIVS APRONIANVS ASTERIVS VC ET INL· EX COMITE DOMEST· PROTECT· EX COM PRIV LARGIT * EXPRAEF. VRBI PATRICIVS ET CONSVL ORDIN LEGI ET DISTINCXI CODICEM FRATRIS MACHARII VC * NON MEI FIDVCIA SET EIVS CVI SI ET AD OMNIA SVM DEVOTVS ARBITRIO XI KAL· MAI ROMAE.

P VERGILI MARONIS

Distincxi emendans. gratum mihi munus amici suscipiens. operi sedulus incubui.

BUCOLICON· LIBER EXPLICIT

Tempore quo penaces circo subiuncximus. atq; scenam euripo extulimus subitam.

Vt ludos. currusq simul variumq. ferarum certamen. iunctim Roma teneret ouans.

Ternum quippe sofos merui. terna agmina vulgi. per caueas plausus concinuere meos.

In quaestum famae. census iactura cucurrit. Nam laudis fructum talia damna serunt.

Sic tot consumptas seruant spectacula gazas. festorumq; trium. permanet vna dies.

Asteriumq. suum. viuax transmittit in aeuum. qui parcas trabeis. tam bene donat opes.

INCIPIT GEORGICON LIB· I FELICITER

Quisq. legis. relegas felix. parcasq; benigne. siqua minus vacuus praeteriit animus.

Ad v. *In quæstum* notatur veluti varia scriptura *In pretium*, supra *benigne* indicatur correctio *benignus*. Hi versus a Mabillonio De re diplom., a Norisio, et ab aliis magna ex parte corrupti exhibentur. Stella appicta initium novæ lineæ indicat.

147. Egregie de hoc codice, ejusque antiquitate, ac præstantia Norisius loc. cit. disserit : qui observat, scriptum videri ex sententia Holstenii circa Valentis, aut Theodosii tempora, postea a Macario V. C. dono datum Asterio amico, qui hac de causa Macarium primum *fratrem*, tum *amicum* appellat. Fuit is codex aliquando cardinalis Rodulphi Carpensis; deinde cardinalis de Monte, qui postea fuit Julius III, ut ex litteris Cosmi I, magni Etruriæ ducis, ad eum anno 1567 datis colligitur apud Biscionium Catal. Codic. Orient. biblioth. Mediceo-Laurentianæ præfat. **79** pag. 39, et Bandinium tom. II Catal. ejusd. bibl. pag. 282 seq. Multi asserunt, eumdem codicem ad Achillem Statium, cujus epigramma initio legitur, et ad bibliothecam Vaticanam pertinuisse? qui tamen errore decepti videntur. Et epigramma quidem Achillis Statii arguit, codicem non ejus, sed cardinalis Rodulphi Pii tunc fuisse. Epistola autem Cosmi I anno 1567 non potuit esse data ad cardinalem de Monte, qui deinde fuit Julius III, ut affirmat Biscionius, cum Julius III longe ante obierit; immo ipsi superstes fuerit cardinalis Rodulphus, qui in ea epistola jam vita functus dicitur. Neque ea epistola (ad alium cardinalem de Monte forte scripta) argumentum omnino efficax est contra Manutium, qui eo codice usus fuerat, et illo ipso tempore in Orthograph. verbo *æthereus* referebat, a Rodulpho codicem bibliothecæ vaticanæ testamento legatum fuisse : *Et opinor*, addit, *ab aliquo furto surreptum*. Excusus Florentiæ typis est totus simillimis characterum formis expressis, iisdem omnino distinctionibus, et correctionibus,

quas Asterius adjecerat, recensente Petro Francisco Fogginio, qui in præfatione pollicetur opus separatum, in quo agere cogitabat de codice, de Asterio, etc. Specimen characteris a Fogginio exhibitum non parum differt ab eo quod Mabillonius tab. 6 de Re Diplomatica protulit.

148. Constituta jam distinctione inter Fl. Asterium consulem laudatum in diptycho Leodiensi, et Turcium Rufium Apronianum Asterium consulem correctorem codicis Virgiliani, facile est ostendere, editorem Sedulii non Fl. Asterium fuisse, sed Turcium Rufium Apronianum Asterium cum ex simili stylo epigrammatis præmissi codici Virgiliano, et carmini Sedulii, tum ex tribus nominibus editoris Sedulii, Turcio Rufio Asterio : nam nomen *Apronianus* proprium est familiæ Turciæ Rufiæ. Præterea honorum tituli, quibus editor Sedulii, et emendator codicis Virgiliani decorantur, magis inter se consentiunt, cum uterque fuerit patricius, neuter dicatur magister utriusque militiæ.

149. Nondum tamen soluta quæstio est : sed investigandum superest, Flauviusne Asterius, an Turcius Rufius Asterius fuerit consul anno 449. Norisius et Pagius sine ulla dubitatione respondent, Flavium Asterium consulem fuisse anno 449, Turcium Rufium Asterium anno 494. Sed vellem, veteri id monumento aliquo confirmarent. Nam fasti veteres nudum nomen Asterii utroque anno proferunt : quod autem Asterius, qui consul fuit anno 449, *Astyrius* et *Asturius* alicubi dicatur, non tanti ponderis est hæc ratio, ut necessario teneamus Fl. Asterium, vel Astyrium, vel Asturium consulem fuisse anno 449, Turcium vero Rufium Asterium anno 494. Ut autem dicamus, Turcium Rufium Asterium, qui Sedulii carmina vulgavit, consulatum gessisse anno 449, urgent rationes ex Sirmondo, et Arntzenio num. 142 seq. prolatæ. Earum vim sensit etiam Norisius, qui propterea probabile esse dicit, Sedulium circa annum 494, **80** vel paucis ante annis et scribendi, et vivendi finem fecisse. Quod enim Sirmondus ait, in interis Gennadii exemplaribus mss. legi, Sedulium Theodosio juniore vita defunctum, id Norisius censet non esse a Gennadii manu, sed ab aliena additum, ut nonnulla alia capita Gennadio adjecta esse dicit. Verum ætatem Sedulii tamdiu differri non posse, ex multis codicibus mss. demonstravimus num. 23 seq.

150. Aliud argumentum ex decreto Gelasii de libris recipiendis, vel non recipiendis petitum ita explicant Usserius, Pearsonius, Norisius, et Pagius, ut negent, ejusmodi decretum prodiisse Asterio, et Præsidio consulibus, sive anno 494, ut præfert titulus in collectione Conciliorum. Variæ, ac discrepantes inter se sunt doctorum virorum opiniones de ejuscemodi decreto. In collectione Conciliorum Labbei tom. IV, col. 1260, hæc est inscriptio : *Concilium Romanum primum, quo a* LXX *episcopis libri sacri, et authentici ab apocryphis sunt discreti, sub Gelasio anno Domini* 494, *Asterio atque Præsidio consulibus*. Ad marginem ex vetustissimo codice : *Notitia sacrarum Scripturarum, seu librorum canonicorum, cum descriptione, vel annotatione Gelasii papæ.* Et post libros veteris novique Testamenti recensitos : *Gelasii papæ decretum cum* LXX *episcopis habitum de apocryphis Scripturis.* Pearsonius in Vindiciis Ignatianis opinatur, hoc decretum conditum fuisse post synodum v anno 553 celebratam. Huc fortasse pertinet, quod Damianus Grana in præfatione ad Centonem Probæ Romæ 1588 decretum *Pelagii* appellat : sed similius vero est, Granæ excidisse Pelagii nomen pro Gelasio. Baluzius codicem ms. Collectionis Dionysii Exigui vidit, in quo hoc decretum Damaso tribuebatur, et cardinalis Baronius anno 69, n. 4, refert, Cresconianam Collectionem continere concilium Romanum sub Damaso, in quo de libris apocryphis agitur : sed melius dixisset, *de sacris Scripturis.* Nam Concilium Romanum sub Damaso, quod descriptum habeo ex codice Vat., canonem exhibet librorum veteris et novi Testamenti, sed de libris apocryphis omnino silet : ac censeo, canonem Damasi in decretum de libris apocryphis immissum fuisse. Baluzius testatur, in antiquissimo Urgellensi codice Hormisdæ idem decretum **81** ascribi. Petrus Franciscus Chiffletius edidit ex codice Jurensi decretum ipsum sic inscriptum : *Incipit decretale in urbe Roma ab Hormisda papa editum.* In codice Vaticano 1341, sæculi fortasse x, est Collectio canonum Hispanica, qualem Ballerinii describunt in dissert. de Collectionibus canonum. Index decretalium Romanorum pontificum solum exhibet sinceras epistolas, et post epistolas S. Gregorii Magni ad S. Leandrum Hispalensem antistitem notatur : *Decreta Romanæ sedis de recipiendis, et non recipiendis.* Nihil aliud additur, neque hæc decreta in corpore inserta sunt : sed indicatur certe decretum de recipiendis, et non recipiendis libris, quod in his Collectionibus antiquis Hispanicis ultimum erat inter decretales epistolas Romanorum pontificum, ut apparet non solum in indice hujus collectionis, sed in indice etiam aliarum Collectionum uberiorum, in quibus vetus index retentus est. Contemnenda propterea est quorumdam hæreticorum opinio, qui decretum de libris apocryphis confictum putant, et mercibus Isidori Mercatoris annumerant. Immo canon sacrarum Scripturarum, qui eos potissimum vexat, sub Damaso confectus fuit, ut dixi, ex quo Gelasius, sive alius pontifex primam partem Decreti de libris apocryphis, sive de libris recipiendis et non recipiendis concinnavit. Qua in controversia diligentissime versatur cl. Zacharias in opere suo optimo de Prohibitione librorum ad an. 579 et 496.

151. Pagii aliorumque sententia est, decretum Gelasium habuisse auctorem : sed ita ut Hormisdas latius promulgari curaverit. Luitprandus in Vitis Pontificum cap. 51, de Gelasio ejusque decreto, sic ait : *Item Orosii historiam laudat, et opus Sedulii et Juvenci.* Nicolaus I pontifex, Lupus Abbas Ferrariensis, Hariulfus monachus S. Richarii in Chronico

Centulensi sæculo XI apud Duchesnium, Gratianus Burchardus Wormatiensis, multi codices mss., et omnes impressi Gelasium decreti auctorem laudant. In Chronico Fontanellensi tom. III Spicil. Dacher. p. 240, inter codices cœnobio Flaviniacensi sub Ludovico Pio ab Angesiso abbate donatos, recensentur *Decreta Gelasii papæ de libris recipiendis et non recipiendis*. Pearsonius codicem antiquissimum a Lantfranco ex Beccensi monasterio in Angliam delatum **82** legit, in quo hic erat titulus : *Decreta Gelasii papæ de recipiendis, et non recipiendis libris, quæ scripta sunt ab eo cum* LXX *eruditissimis episcopis*. Huic omnino consonat codex Justelli in collectione Labbeana Conciliorum ad marg. Decreti. Similem inscriptionem inveni ego in codice Vaticano 3791, in fol. parvo membran. sæculi X circiter. Initium codicis est : *Item incipiunt capitula decretalium Apostolicorum sanctæ Romanæ sedis Ecclesiæ*. Post Felicis epistolam ad Zenonem Hispalensem episcopum legitur : *In Christi nomine incipiunt decreta de recipiendis et non recipiendis libris, quæ scripta sunt a Gelasio papa cum* LXX *eruditissimis viris episcopis in sede apostolica urbis Romæ*. In alio cod. Vat. Reg. 6018, sæculi circiter X, decretum idem ita inscriptum reperi : *Incipit confirmatione domini Gelasii papæ de libris veteris ac nobi Testamenti: In principio videlicet quinque libri Moysi*, etc. Alia similia menda occurrunt. Alius est codex Vat. Reg. 199, in quo post librum auctum Isidori de obitu Patrum est quoddam opus anonymum de numeris. Auctor occasione binarii numeri agit de duobus modis, quibus tota scriptura intelligenda est, et inserit totum decretum Gelasii libere a se descriptum. Præmittit autem : *Ordo itaque divinorum librorum, quos Ecclesia catholica scribere, legere, recipere debet secundum traditionem sanctorum virorum, et orthodoxorum Patrum, hoc est, Gelasii papæ cum* LXX *episcopis eruditissimis viris in sede apostolica urbis Romæ, et secundum traditionem S. Athanasii episcopi Alexandriæ civitatis*. Laudatur quoque *Decretale Gelasii de libris recipiendis*, etc., initio codicis Vat. Reg. 551. Joseph Blanchinus in Proleg. ad t. IV Anast. opusc. 3, ex antiquissimo codice Florentino titulum profert : *Incipit decretum de recipiendis et abjiciendis libris, quod scriptum est a Gelasio papa cum* LXX *eruditissimis viris episcopis in sede apostolica, urbe Roma*. Ex codice vero Vaticano Palatino n. 493, fol. 101, a Justo Fontanino olim, et postea ab ipso Blanchino diligentius collato : *Incipit decretalem* (sic mendose pro *decretale*) *sancti Gelasii papæ urbis Romæ*. Varias lectiones ex his duobus codicibus, et ex codice Jurensi Chiffletii, qui sæpe *Furensis* errore typographico, ut puto, in eis Proleg. vocatur, diligenter **83** annotavit Blanchinus. Vidi ego etiam codicem Vat. Palat. num. 493, quo ante Decretum Gelasii continetur Missale *Gallicanum vetus* a Ven. Thomasio dictum, cujus antiquitatem Mabillonius, et Thomasius vehementer exaggerant. Sed Lesleus in præfat. ad Missale Gothicum num. 290 conjicit

A ætatem Caroli Calvi non superare. Character Decreti Gelasiani recentior videtur charactere missalis litteris majusculis exarati, et a Blanchino dicitur pertinere ad sæculum IX circiter. Mihi totus liber videtur scriptus sæculo X aut XI, cum divites nonnulli abbates codices præsertim sacros magnis impensis, et luxu ad imitationem antiquiorum exarari jubebant. Denique Jacobus Petitus in not. ad Pœnitential. Theodori Cantuariensis observat, idem decretum Gelasio assignari a Theodoro, et in aliis mss. codicibus, quos enumerat.

152. Statuamus igitur, a Gelasio editum fuisse decretum de libris recipiendis et non recipiendis; ac difficultatem, quæ ex verbis ejus de Sedulio oritur, alio modo, si fieri possit, explicemus. In col- B lectione Labbeana Conciliorum sic decretum habet de Sedulio : *Item venerabilis viri Sedulii Paschale Opus, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude præferimus*. Sic etiam Gratianus distinct. 15, sed *proferimus* pro *præferimus* : pro diversa scriptura notatur *preferimus*. Codex Florentinus apud Blanchinum, et Jurensis apud Chiffletium *præferimus* : Vaticanus num. 1341 hoc ipsum, quamvis in compendio litterarum, quod facile ab incautis trahi possit ad *proferimus*. Codex Vat. Reg. 6018 clare *preferimus*. Auctor operis de Numeris in Cod. Vat. Reg. 199 paucis immutatis : *Item venerandi viri Sedulii episcopi Paschale Opus, quem* (lege *quod*) *theoricis versibus descripsit, insigni laude præferimus*. Codex Vatic. Palat. apud Blanchinum in textu *refe- C rimus*, secundis curis *præferimus* : idem codex in textu *Sedulii*, sec. cur. *Sydulii*, in textu *erroicis*, sec. cur. *eruditis*, quod amplexus est Blanchinus pro *heroicis*. Pagius postrema verba sic refert *insigne laude præferimus* : atque ita revera legitur in codice Vatic. 1341, sed, ut opinor, eodem sensu, non ut dicatur *opus insigne*, sed *laude insigne*, vel *insigni*. Alia discrepantia est in hoc codice Vaticano 1341, *descripserit* **84** pro *descripsit*, ut cæteri omnes exhibent : quod omittendum a nobis non fuit; nam inde fortasse diversa quædam decreti interpretatio erui poterit, ut nunc dicam.

153. Animadversum jam fuit num. 34, Sedulium poema suum voluisse vocari *Carmen Paschale*, prosam vero, sive interpretationem postea editam *Opus* D *Paschale*. Juretus, qui primus omnium prosam Sedulii vulgavit, expendens verba Gelasii, qui *Opus Paschale*, et versus heroicos, quibus descriptum fuit, nominat, concludit, videri Gelasium utrumque opus comprehendere voluisse. Sane propositio Gelasii aliquantulum obscura est, atque adeo locus conjiciendi esse potest, an oporteat legere *Opus Paschale, et quod heroicis descripsit versibus*. Cum autem in epistola ad Macedonium præmissa Operi Paschali, sive prosæ, Sedulius dicat, se idem opus antea versu digessisse, dubitare merito aliquis poterit, num retenta scriptura codicis Vatic. 1341, *quod heroicis descripserit versibus*, mens Gelasii fuerit laudare Opus Paschale, quod ex præfatione intel-

lexerat versibus fuisse descriptum, quamvis Carmen ipsum non viderit.

154. Hoc pacto facile solvi posset difficultas, ex tempore, quo decretum Gelasii prodiit, a multis objecta. Dicitur enim decretum editum, Asterio et Præsidio consulibus : et Turcius Rufius Asterius Sedulii carmen non collegit, et edidit, nisi post consulatum : nam etsi in nonnullis codicibus dicitur *consule ordinario*, in plerisque tamen expressum est *exconsule ordinario*. Nemo dubitat, quin Opus Paschale, sive prosa Sedulii sine ope et cura Asterii prodierit. Potuit ergo Gelasius Opus Paschale commendare, quamvis in vulgus editum nondum fuisset Carmen Paschale. Nihilominus probabilius censeo, Gelasium vel utrumque opus, vel potissimum Carmen Paschale insigni illa sua laude prosecutum fuisse : siquidem Juvencum cum Sedulio conjungens, illico addidit : *Item Juvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur* : quo innuit, Juvenci carmen nec minus laboriosum, nec minus laude dignum esse.

155. Pagius ergo cum aliis hinc colligit decretum Gelasii post consulatum Asterii editum fuisse. Testatur, se vidisse codicem ms. antiquissimo charactere exaratum in bibliotheca Regia **85** Parisiensi, aliumque in bibliotheca Parisiensi S. Victoris, a quibus aberat nota illa temporis, *Asterio et Præsidio consulibus*, quam Baronius et Conciliorum collectores decreto Gelasii ascripserunt. Duo Codices Vaticani et codex Florentinus supra commemorati pariter ignorant ejusmodi notam temporariam : neque video, eam ab aliquo ex designato veteri ms. produci. Quamobrem Pagius arguit, primam synodum Romanam sub Gelasio celebratam fuisse anno 495, tertio idus Martii, in qua Misenus reconciliatus est cum Ecclesia, synodum secundam vel autumno ejusdem anni, vel potius anno sequenti, in qua de libris apocryphis actum. Priori interfuerunt episcopi LV, posteriori LXXII, vel, ut plerique alii habent, LXX. In Collectionibus Conciliorum hæ synodi contrarium ordinem servant.

156. Ex his idonea eruitur ratio, cur Gelasius tam præclaro elogio Sedulium mactaverit : nam fortasse rem gratam facere voluit recenti editori Sedulii, viro patricio et consulari Asterio. Subit etiam animum suspicari, an Asterius novam Sedulii editionem Gelasio dicaverit : nam Asterius Romæ, ut videtur, epigramma suum scripsit, et quemnam alium sacerdotem ab eo appellari conjiciemus, nisi summum pontificem Gelasium? In primo versu plerique habent,

Sume, sacer meritis, veracis dicta poetæ :

Sirmondus e suo codice protulit *veracia*, et Cellarius e cod. Cant. *pater* pro *sacer*. In Cod. Vaticano Reg. 1 pro *Sume* legitur *Summe*. Non absurdum esset totum versum sic reformare,

Summe sacer meritis, veri accipe dicta poetæ.

Vel *Summe pater*, etc. Verius tamen puto *sacer* substantivo modo pro *sacerdos*. Sic in carmine elegiaco A Ermoldi Nigelli pro Ludovico imperatore apud Muratorium tom. II, part. II, col. 3, *Hoc sacer aspiciens*, etc., et Parrhasius, cujus verba num. 190 exhibebo, simile quiddam in Prudentio animadvertit, quamvis alii in Prudentii versu *sacer* adjectivo modo sumant, ut dixi ad hymn. Perist. vers. 2. Verum etiamsi retineatur versus, ut in plerisque mss. exstat, tamen probabilis est conjectura, Asterium Gelasio carmina Sedulii obtulisse.

157. Fontaninus de Antiq. Hort. l. II, cap. 3, censet, Sedulium **86** suum carmen vulgasse circa annum 434, quod postea Asterius ex schedis auctoris recognitum, et emendatum edidit, quemadmodum fecerat adhuc consul de scriptis Virgilii. Cellarius jam observarat verba ipsius Sedulii in epistola ad Macedonium præmissa prosæ : *Paschalis Carminis textum, quod officio puræ devotionis simpliciter executus vobis obtuli perlegendum*. Quid ergo collectore schedarum opus fuit? reponit Cellarius. Grunerus respondet, verbis codicum mss., *dispersum reliquit*, non nimis esse tribuendum : nam Sedulius integrum carmen Macedonio obtulit perlegendum, sed non edidit in publicum. Hæc ergo cura fuit Asterii, ut Carmen Paschale vulgaretur. Arntzenius advertit, Sedulii carmen non solum collectum, sed adornatum ab Asterio fuisse, ut inscriptio epigrammatis præfert. Cum enim Sedulius carmen Macedonio obtulisset, et hic voluisset, in solutum sermonem transferri, Sedulio enata est suspicio, carmen ipsum Macedonio non placuisse, adeoque neglexit carmen, cujus proinde membra in varias partes dispersa jacuerunt. Asterius igitur abjectas, neglectasque chartas collegit, atque vulgavit.

158. Ita ratiocinatur Arntzenius, quia Sedulius Macedonium alloquens in epistola prosæ præmissa, de Carmine Paschali ait : *Quod utrum placuerit, ideo geminari volueris, an quod offenderit, ut potius arbitror, stylo censueris liberiore describi, sub dubio videor fluctuare judicio*. Hæc tamen satis non esse videntur, ut revera carmen a Sedulio editum non fuisse credamus : nam potius Sedulius innuit, carmen a se in publicum emissum, cum illud Macedonio obtulit : et quia priores libri titulum habebant Carminis Paschalis, idcirco prosam inscripsit *Opus Paschale*. Cur ergo non teneamus, editum fuisse a Sedulio Carmen Paschale, sed in certas chartulas dispersum? Inscriptio epigrammatis Asterii non aliud evincit : *Hoc opus Sedulius in certas carthulas dispersum reliquit*, etc., ut num. 136 ostendimus. Ex quo colligi potest, necessarium non esse decretum Gelasii de libris apocryphis post annum 494, sive post consulatum Asterii differre. Etsi enim Asterius in epigrammate profitetur, sua ope, et cura dicta Sedulii fuisse populis *edita*, tamen id intelligendum **87** est de editione elegantiori omnium partium carminis, quæ antea in certas chartulas dispersæ erant. Ac fortasse quod ita primum carmen Sedulii dispersum fuerat, causa est, cur tanta sit discrepantia in libris distinguendis, et numerandis, ut constat ex

num. 31 seq. Consule not. 12 ad dedicationem A prosæ.

159. Certum quidem est, olim plures doctos, ac nobiles viros operibus veterum scriptorum, quæ jam vulgi manibus terebantur, novum lumen attulisse, exemplaribus denuo editis, recensitis, et emendatis. Asterius ipse, de quo loquimur, distinxit, et correxit codicem Virgilii, ut vidimus. Ex num. 62 constat, Abundantium quemdam contulisse codicem vetustissimum Sedulii, qui in bibliotheca Taurinensi asservatur. Concilii Chalcedonensis exemplaria contulit, et emendavit Rusticus diaconus sæculo VI, cujus verba ex mss. refert Labbeus tom. IV Concil. col. 309, post primam actionem : *Rusticus per gratiam Dei diaconus sanctæ Ecclesiæ Romanæ contuli, annotavi, distinxi. Deo gratias.* Mabillonius Annal. B Benedict. l. XII, ad ann. 721, pag. 154, num. 56, memorat Commentarium Ambrosii in Lucam scriptum jussu Leutcharii, sive Leodegarii abbatis anno 752, quem postea Ratbertus manu propria emendavit. In mss. codicibus Terentii sæpe occurrit subscriptio hæc *Calliopius recensui :* hunc Calliopium fuisse Alcuinum Caroli Magni magistrum multis probat Barthius Advers. l. VI, cap. 20. Ex schedis mss. V. C. Giovenazzii in comment. ad Prudent. l. II contra Symm. vers. 909, protuli subscriptiones Nicomachi Dextri, qui codicem Titi Livii emendavit ad exemplum Clementiani parentis sui, alterius Nicomachi, qui apud Hennam codicem etiam Titi Livii emendavit, ac Victoriani V. C., qui dominis Symmachis exemplum pariter Titi Livii emendavit. Celsum C Constantinum, virum clarissimum, commentarios Cæsaris correxisse ex mss. Puteanis patet. In bibliotheca Vaticana exstat Terentius ms., quem ævo Caroli Magni Hrodgarius scripsit, et Calliopius Scholasticus recensuit. Paulus Constantinopolitanus exemplar ms. Lucani eadem ratione correxit. De hoc veteri more videri possunt Walchius diatr. de Art. crit. vet. Roman. num. 26, Philibertus de la Marne ep. ad Heinsium 595 tom. V Syll. Burmann., et Fontaninus in Vindic. **88** diplomat. antiq. l. I, cap. 3, qui putat, Calliopium, correctorem Terentii, ex dignitate ecclesiastica appellatum fuisse Scholasticum : nimium tamen exaggerat, cum ait, sæculo V morem fuisse, ut illustrium virorum lucubrationes per librarios non ederentur, nisi a viris in D dignitate constitutis ante recognitæ, et emendatæ. Advertendum etiam est, sæpe accidere, ut ejusmodi subscriptiones correctorum non sint autographæ : nam exscriptores codicum, cum mss. aliquod exemplar describebant, omnia quæ in eo reperiebant, atque adeo ipsas primorum correctorum subscriptiones fideliter exarabant. Præterea vereor, ne interdum fraus etiam librariorum irrepserit, qui subscriptionem alicujus viri insignis, ac veteris effinxerint, ut ita ex antiquitate et correctione pretium codicis augeretur. Quo spectant Phædri verba l. V fab. 1 :

Ut quidam artifices nostro faciunt sæculo,
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori ascripserunt Praxitelem suo,
Detrito Myronem argento.

160. Exemplum hujus fraudis satis clarum, ut puto, nuper inveni. In codice Vaticano Alexandrino num. 1598 exstat catalogus librorum bibliothecæ, sive Archivii basilicæ Vaticanæ, anno circiter 1620 scriptus. In eo catalogo, pag. 16, sic enuntiatur : *Persii Flacci satyræ ante* 1200 *annos scriptæ, et Barcellonæ emendatæ a Flavio Julio Trebatio nominis Sabini anno Christi* 416. Auctor catalogi id probat, quia fol. 63 codicis hæc inscriptio legitur : *Fl*s *Iul*s *Tre*s *nn*s *Sabini ut protector domesticus temptavi emendare sine antigrapho meo, et annotavi Barcellonæ Coss DD. NN. Arcadio, et Honorio Q*s. Sequuntur in eodem codice *versus Prisciani de* EST, *et* NON, *Sermo super verbis, Fili hominis, sta super pedes*, etc. *Præcepta artis rhetoricæ a Julio Severiano collecta.* Hæc diverso, et recentiori charactere sint scripta, oportet : non enim attingere possunt antiquitatem illam, quæ satyris Persii tribuitur. Profecto hic codex, si vera esset subscriptio, antiquitate excederet celeberrimum codicem Virgilii Mediceum ab Asterio anno 494 emendatum : nam emendatio Trebatii pertinet non ad annum 416, ut ait auctor catalogi, sed ad annum 402, quo consules fuerunt Arcadius V et Honorius V, hoc enim vult, ut interpretor, nota in **89** fine *Q*s. Hunc consulatum Arcadii, et Honorii in nonnullis codicibus Persii, et Nonii designari animadvertit Petrus Relandus de Fast. Consular., nimirum ad finem codicis ms. Persii : *Flavii Jul. N. N. Sabini Vi. protector domesticus temptavi emendare sine antigrapho, et annotavi Barcellonæ coss. DD. NN. Arcad. et Honorio quinquies.* Et ad finem Nonii Marcelli : *Jun. Trifon. Sabin. Protector dominic. Legi Q. cum DD. NN. Arcad. et Honor. quinquies coss. prout potui sine magistro emendans anno tavi anno ætatis* XXX *et militiæ quarto in civitate Tolosa.* Idem corrector codicis Persii, ac Nonii videtur indicari. Equidem pro certo habeo, subscriptionem codicis basilicæ Vaticanæ supposititiam esse. Auctor fortasse non scripsit ut, vel *Vi*, ut clarius habet Relandus, sed *v. c.* pro *vir clarissimus.* Omissis autem aliis suppositionis notis, verbum *Barcellonæ* longe post natum est : nam scriptores ejus temporis, ut Ausonius, Prudentius, et alii dicebant *Barcino*, vel *Barcinon, Barcinonis.* Neque *antigraphum* pro exemplo, vel exemplari apud scriptores ejus sæculi facile invenies, neque notam *Q*s pro *V*, vel *Quintum* in antiquis monumentis reperire licet. Minus vero probari debet *quinquies*, ut Relandus scribit. Possem hoc loco agere de codice S. Hilarii ejusdem basilicæ Vaticanæ : sed pleniorem de eo tractationem capiti 7 reservo.

161. Ut redeam ad Asterium, concludendum est, ita a Sedulio Carmen Paschale fuisse editum, ut ab Asterio collectore schedarum, et partium carminis, qui simul eleganter, ornate, et emendate totum corpus describi curavit, ac fortasse adjunxit elegiam et

hymnum, Sedulii nomen multo magis inclaruerit. Itaque sive jam Asterius novam editionem carminis Seduliani perfecerat, sive in id opus tunc incumbebat, simile vero est, Gelasium Pontificem inde permotum fuisse, ut Sedulium in paucis nominaret, et effusa laude extolleret. Monet me hic locus, ut lepidam fabellam discutiam, in quam heterodoxi occasione quavis data, vel arrepta libenter excurrunt. Narrant, locum Gelasii per librarios corruptum aliquando fuisse, qui substituerunt : *Opus Paschale, quod hæreticis descripsit versibus* pro *heroicis :* quod mendum Paulum II ad capitale poetarum odium perduxit, **90** ac pluribus aliis legum professoribus imposuit : quin nonnulli eorum addunt, ex decreto Gelasii ita corrupto ab Ecclesia catholica poetas exsulare jussos, cum multi crederent, omnes poetas esse hæreticos. Verum quis non videat, nemini sanæ mentis venire in mentem potuisse, ut ex decreto Gelasii, quo insigni laude carmen Sedulii ornatur, colligeret, poetas omnes esse hæreticos? In nullis variis lectionibus reperio, verba Gelasii mendose ita fuisse exarata : *Opus Paschale, quod hæreticis descripsit versibus, insigni laude præferimus.* Fac tamen, alicubi hoc mendum irrepsisse. An serio putas, fuisse aliquem, qui simul crederet, Opus Paschale et hæreticis versibus descriptum fuisse, et insigni laude esse præferendum? Quæ quidem ratio tam aperta est, ut Baylius ipse, cui certe cordi non erat causam Romanorum pontificum agere, tamen fabellam hanc suspicatus fuerit ab Italis litterarum humaniorum cultoribus confictam fuisse, ut eos deriderent, qui parum poetis ejus temporis favere viderentur. Non me fugit, Paulum II a Platina, aliisque viris litteratis, quos ille justis de causis insectatus fuerat, ita male habitum, ut fingerent, eum omnes litteratos, atque elegantioris doctrinæ studiosos pro hæreticis habuisse. Verum hanc calumniam egregie refutarunt cum Raynaldus in Annal. Eccles., tum eminentissimus cardinalis Quirinus in Pauli II Vita. Heterodoxi objectam fabellam satis probari putant Pierii Valeriani oratione *pro Barbis sacerdotum.* Sed in primis quæram, quid fuerit causæ, cur hæretici Paulum II ubique nominent, cum Valerianus fabulam de Hadriano VI narret? Compertum est, Hadrianum VI severioris disciplinæ amantissimum poetis, qui tunc temporis Romæ ineptam quamdam ethnicismi imitationem affectabant, et liberius vivebant, parum favisse. Hinc poetarum adversum eum præsertim jam mortuum dicteria : hinc Pierius Valerianus in oratione *pro sacerdotum barbis* Romæ edita 1531, post Gelasii verba de Sedulio : *Vulgata tamen hactenus exemplaria pro* HEROICIS *versibus* HÆRETICIS *versibus habuere. Quod bonis quibusdam legum professoribus suspicionem oggessit, poemata omnia esse hæretica, poetasque inter pios, etiamsi sacra tractent, nequaquam annumerari. Id quod Hadriano IV pont. maximo usque adeo persuasum* **91** *vidimus, ut hac de causa nullum hominum genus majori prosequeretur odio, quam poetas : id nominis nihil aliud præ se ferre arbitratus, quam impietatem. Et adhuc aliqui non mali quidem præsules depravatæ illius lectione* (lego *lectionis*) *hallucinatione, et alterius hujus de rasitanda barba errore ducti, neminem sacerdotio dignum putant, qui vel barbam nutriat, vel versus faciat : tanti est pravam semel opinionem imbibisse.* Hæc ita exaggerata risus excitandi causa confingi ab aliquo scurra potuerunt; credi a nemine certe debent. Quo magis mirari subit, Funcium cap. 3 de Veget. Lat. ling. senect. cum solum Baylium auctorem allegeret, tamen eamdem crambem, tamquam certam historiam, recoquere, ac diversa narrantes scriptores ita componere, ut utrique pontifici, Paulo II et Hadriano VI, tam absurdum errorem imputet.

162. Breviter expedienda nunc est alia quæstio de Asterio, de qua nonnihil supra num. 46 et 122 actum est, sitne auctor elegiæ, *Cantemus socii*, etc. Norisius, quia in cod. Vaticano 1165 post Carmen Paschale ascribitur nota, qua significatur, carmen ab Asterio editum fuisse, et statim subjicitur elegia, arguit, incertum esse, utrum auctorem habuerit illa elegia, nec vero Labbeum adeo confidenter debuisse eam Turcio Rufio Asterio abrogare. Loquitur, ut opinor, de codice recenti Vaticano 3178, quem n. 65 recensui. Verum quamvis aliqui sint codices, ut jam notavi, qui post Carmen Paschale notam illam afferant, tamen nullo modo colligi potest Asterium auctorem esse elegiæ. Notatio enim Asterium indicat carminis collectorem, et editorem, non auctorem. In cod. Vatic. Reg. 5, qui etiam recensest, et ad Aldi editionem videtur accommodatus, sic eadem nota profertur : *Turtius Ruffus Asterius Quintus sequentia carmina inter scripta Cellii Sedulii invenit.* Sequuntur autem elegia, hymnus et epigramma Sedulii. Non difficulter credam, elegiam etiam ab Asterio fuisse collectam, ac simul cum Carmine Paschali elegantiori ornatu vulgatam, quod tradunt Labbeus, et Goldastus in not. ad carmina S. Columbani. Ex nota tamen, *Hoc opus Sedulius* etc., sive Carmini Paschali ea præponatur, sive postponatur, id evidenter demonstrari non potest. Quod **92** enim in nota innuitur *opus*, vel unice, vel præcipue intelligi debet de Carmine Paschali : quo pertinet secundus versus epigrammatis Asterii,

Quæ sine figmenti condita sunt vitio.

Id enim alludit ad primum versum Sedulii post prologum metricum :

Cum sua gentiles studeant figmenta poetæ.

Nihil ergo est causæ, cur Sedulio elegiam abjudicemus, quam illi adjudicant multi vetustissimi codices, ut liquet ex cap. 3, et ex variis lection. ad titulum elegiæ, Beda non semel de Arte metr., Auctor comment. in Bedam de Art. metr. ms. in bibliotheca Vaticana, auctor anonymus sæculi x, Osbernus, Joannes Tinmuthensis in Vita S. Dunstani, Guilielmus Malmesburiensis de Vit. Pontific. l. I, aliique.

163. Nimis jam multa de Asterio : de duobus

autem aliis poetis antiquis, qui Sedulium versibus acrostichis laudarunt, brevius, quam opus esset, disserendum est. Nihil enim occurrit, quo pedem figere possimus. Eos satis antiquos esse, ex veteribus codicibus Sedulii, in quibus versus acrostichi leguntur, liquido demonstratur. Dempsterus in Histor. Eccles. Scotor. Liberium, et Belisarium anno 440 vixisse affirmat, sed nullo vel levi indicato fundamento. Non tamen ineptum erit conjicere, eos poetas, qui simili carmine veluti certatim Sedulium commendarunt, eodem simul tempore vixisse, et æquales fuisse sive ipsius Sedulii, sive editoris Asterii. In indice librorum expurgandorum Joannis Mariæ Brasichellensis pag. 256 præscribitur, delendum esse titulum *Divi* in Liberio, et Belisario. Nonnulli tamen adhuc vocant D. Liberium, D. Belisarium : quippe intelligunt, *D.* significare prænomen *Decimum*. Labbeus in quodam ms., et Usserius in alio pro *Liberio* reperit Liberatum, Barthius vero *Libertum*. Mabillonius in Analect. t. I, Belisarium appellat e suo ms. *Bellesarium scholasticum*, sive *Belisarium :* alii *Belæsarium*, sive *Bellæsarium*, alii *Belezarium :* immo *Silonem* in quodam codice regio Parisiensi vocari animadverti num. 93, siquidem in Catalogo ejus bibliothecæ versus Liberati simul in eo codice recensentur, et in codice 8094 : *Bellesarii versus acrostichi in laudem* **93** *Sedulii*. Nonnulli codices omittunt nomina horum poetarum, alii utrumque epigramma Belisario ascribunt, ut dubitari possit an unicus sit utriusque auctor Decimus Liberius Belisarius. Non procul ab Asterii temporibus vixit celeberrimus ille dux Belisarius, qui post Silverium pontificem in exsilium missum, in se reversus, Ecclesiam Romæ erigi curavit, in qua exstat inscriptio :

Hanc vir patricius Vilisarius urbis amicus
Ob culpæ veniam condidit Ecclesiam.
Hanc ideirco pedem sacram qui ponis in ædem,
Ut miseretur eum, sæpe precare Deum.
Janua hæc est templi Domino defensa potenti.

In schedis mss. Josephi Blanchini de inscriptionibus Romanis apud v. c. præsulem Reggium notatum invenio, hanc inscriptionem a Grutero pag. 1562, n. 10, reponi ad Cruciferorum ædem in Campo Martio, et non exstare. Verum Baronius, qui eam refert ad ann. 538, n. 10, advertit, eam conspici in pariete Ecclesiæ Cruciferorum inter Pincium montem, et Quirinalem ; quæ nuncupatur S. Mariæ in Trivio, in cujus exteriori latere e regione ædium De Comitibus etiamnum cernitur. Ex inscriptionis stylo, atque orthographia colligi potest, eam circiter sæculum IX exaratam, et collocatam fuisse. Quod si hæc inscriptio vere a Belisario, aut ab aliquo ejus æquali conscripta est, argumentum ex ea peti potest, ad antiquitatem versuum Leoninorum confirmandam. Baronius, aliique v. 4 habent *misereatur :* sed in lapide legitur *miseretur*. Cajetanus Marinius in locupletissima sua collectione inscriptionum veterum Christianarum, quam jam diu viri eruditi expetunt, sic etiam legit ex simili inscriptione a se visa, quæ asservatur in ædibus privatis D. de Balneo. Alio modo scribitur nomen Belisarii in lapide, qui egredientibus porta Pinciana jacet a manu sinistra : *Date obulum Belisario*. Verum hæc inscriptio posteriorum temporum videtur esse, cum res ipsa, scilicet quod Belisario eruti oculi fuerint, et his verbis eleemosynam petere consueverit, inter fabulas a multis referatur, uta Pagio ad Baronii annales ann. 561, num. 4, Joannes Tzetzes, poeta græcus, in suis iambis hæc ipsa verba refert : *Poculum ligneum detinens clamabat plebi in stadio : Belisario* **94** *obulum date imperatori*. Hujusce fabellæ famam vigere adhuc Constantinopoli, multi narrant.

CAPUT. VI.

Elogia Sedulii, ac doctorum hominum de eo judicia.

164. Plura veterum de Sedulio testimonia allata jam a nobis sunt, videlicet ex codicibus mss. Sedulii num. 5. seqq. et num. 76 ex decreto Gelasii num. 152, ex quodam Eldefonso, sive Ildefonso, qui sæculo IX floruit, num. 28, Isidori num. 31, Sigeberti num. 48, Trithemii n. 12, Alcuini n. 27, Luitprandi n. 151, Anonymi Mellicensis n. 31. Sedulii Junioris n. 56, Xysti Senensis n. 24, Eysengreinii n. 25. Judicium vivis de Sedulio, aliisque poetis Christianis protuli in Prolegom. ad Juvencum n. 112. Epigramma Asterii et versus acrostichos Belisarii et Liberii in appendicibus exhibemus.

165. Cassiodorius l. XXVII de Instit. divin. liter. *Opus quidem, ut arbitror necessarium, sed considerata difficultate perarduum in duobus libris comprehendere velle divinarum, et humanarum fontes copiosissimos litterarum. Ubi Sedulii versus illi dicendi sunt, Grandia posco quidem*, etc. Sunt versus 349, 350, l. I, qui in nonnullis editionibus Cassiodorii corrupti leguntur. Idem Cassiodorius in exposit. psalm. CXIII, vers. 12 : *Quibus etiam Sedulii (ut ita dixerim) poetæ veritatis versus illi repetendi sunt : Lignee, ligna rogas*, etc. Ex l. I Sedulii vers. 268. Præterea in Expos. psalm. XXXVI, in conclusione, profert vers. 325 l. I, *Ambo errore pares*, et in Expos. psalm. XXXVI, in conclusione, vers. 349 l. I, *Grandia posco quidem*.

166. Venantius Fortunatus l. VIII carm. 9 :

Quod tonat Ambrosius, Hieronymus atque coruscat,
Sive Augustinus fonte fluente rigat :
Sedulius dulcis, quod Orosius edit acutus,
Regula Cæsari linea nata sibi est.

Idem rursus in vita S. Martini l. I vers. 15 :

Primus enim docili distinguens ordine carmen,
95 Majestatis opus metri canit arte Juvencus.
Hinc quoque conspicui radiavit lingua Seduli.

167. Isidorus in versibus, quos in ejus bibliotheca olim affixos fuisse multi confirmant :

Perlege facundi studiosum carmen Aviti,
Ecce Juvencus adest, Seduliusque tibi.
Ambo pares lingua, florentes versibus ambo
Fonte evangelico pocula larga ferunt,
Desine gentilibus ergo inseruisse poetis,
Dum bona tanta potes, quid tibi Calliroem ?

De his versibus nonnihil a me dictum fuit in Prolegom. ad Juvencum num. 92. Sed, ut aliquid etiam nunc addam, vix jam ullum mihi dubium, quin Isi-

dori sint, ex veteribus mss., cum in codice Vat. Reg. 215 sæculi IX exeuntis inter alios versus ad syllabarum quantitatem explorandam allegatos sub Isidori nomine produci viderim : *Te quoque nostra tuis promit bibliotheca libris*, quod elogium Hieronymi est in versibus Bibliothecæ Isidori, sed correctius in hoc Vat. codice, uti etiam in cod. Vat. Reg. 425, sub incerto auctore, et in alio Reg. 571, sub Augustini nomine. Idem Isidorus l. Orig. XX, c. 4, affert versum ultimum prologi metrici : *Arretina vasa ex Arretio municipio Italiæ, dicuntur, ubi fiunt : enim* (forte *etiam*) *rubra, de quibus Sedulius,*

Rubra quod appositum testa ministrat olus.

168. In præclara editione Patrum Toletanorum, studio, et expensis eminentissimi cardinalis Lorenzana procurata, inter sermones dubios S. Ildefonsi reponitur sermo 5, de assumptione B. Mariæ, qui inter opera Odilonis Abbatis exstat. Ibi pag. 363 : *Circa sepulturam vero Dominicam, multo magis quam mulieres illas sanctas, quidam dicunt fuisse sollicitam* (Deiparam), *quorum opinionem, nisi fallor, astruere videtur bonus ille Sedulius, poeta evangelicus, orator facundus, scriptor catholicus.* Confer Sedulium l. 5, vers. 322 et 361. Ildefonso etiam a nonnullis ascribitur opusculum De partu Virginis, quod doctissimus editor recte monet Paschasio Ratberto esse tribuendum. In hoc opere p. 314 tom. I Patrum Toletanorum hæc habemus de Sedulio : *Quod si talibus et hujuscemodi pateret puerpera tormentis, proculdubio* **96** *virgo non esset, quia virginalis integritas violata esset. Hinc Sedulius rhetor Romanæ Ecclesiæ in paschali suo opere ait : Infans namque*, etc. *Unde adhuc idem : Vere divinæ generationis*, etc. *Nihil ergo apertius dicere queunt, nihil manifestius ii sancti doctores de partu Virginis*, etc. Verba deprompta sunt ex l. II Operis Paschalis, sive prosæ.

169. Ab Aratore Sedulium laudatum quidam scriptores referunt : quod opinatur Cellarius esse ex Aldi relatione in vita Aratoris : *Contulisse autem se ad scribendos Actus apostolorum idcirco versibus Arator dicitur, quod fecisse idem in Evangelio Juvencum, ac Sedulium vidisset. Id vero in eo Aratore licet videre, qui Venetiis et in D. Georgi cognomento Majoris, et Deiparæ semper Virginis in hortis bibliotheca alligatus est.* In bibliotheca Vaticana est codex Palatinus num. 1717, in fol. magno, sæculi XI circiter, in cujus initio sic notatum invenio : *Arator subdiaconus fuit sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ, qui considerans, Juvencum et Sedulium metrice scripsisse suos libros, decrevit, se versifice scripturum Actus Apostolorum.*

170. Beda comment. in Lucam cap. 49, ad verba, *Crucifixerunt eum*, etc. : *Qualiter sane Dominus in cruce sit positus, quidve eadem sacratissimi corporis positio regalis in se typi contineat, Sedulius in Paschali Carmine pulchre versibus dixit, neve quis ignoret*, etc. Producit versum 188, et alios septem sequentes libri V, qui in codice nostro Ottoboniano 2, a versu *Quatuor inde plagas* seorsum recensentur, et quatuor aliis præmissis versibus *Qualiter affixus*, etc. laudantur, ut exposui num. 76. Eosdem quatuor versus, *Qualiter affixus*, etc., ex antiquo ms. codice Thorneyensi sine ulla discrepantia lectionis Usserius protulit. Versus autem Sedulii de Cruce a vers. 184, *Pax crucis ipse fuit*, proferuntur etiam a Dungalo, et ab Jona Aurelianensi ad cultum sacrarum imaginum probandum, ut ad eum locum dicam. Rursus Beda in libros Regum quæst. 28, cum ex Joanne Constantinopolitano episcopo retulisset, græcos ex ascensu Eliæ finxisse currum, equos, et radios solis, addidit : *Quod enim græce* ILIOS *dicitur sol, sicut etiam Sedulius, cum de Eliæ ascensu caneret, ostendit dicens*, etc. Refert versum 184 et tres sequentes **97** libri I. Ex eodem Beda in breviario Romano in Dedicatione S. Mariæ ad Nives recitamus : *Vere enim beata parens, quæ sicut quidam ait : Enixa* (*est*) *puerpera regem*, etc. Versus sunt Sedulii l. II, vers. 63 seq. Quo loco opportunum est advertere sæpe in officiis liturgicis verba Sedulii adhiberi ; nam præter hymnos, qui ex Sedulio in breviario Mozarabico et Romano sunt, ut in var. lection. ad hymnum Sedulii dicam, in Circumcisione Domini ad responsoria 2 nocturni verba ex eodem hymno Sedulii repetuntur, *Domus pudici pectoris*, etc., et in introitu Missæ votivæ Deiparæ,

Salve, sancta parens, enixa puerpuera regem,
Qui cœlum terramque regit,

ex l. II, v. 63, et in missalium rubrica laudatur Sedulius. Notavit etiam Nebrissensis in lectionibus nocturnis Festi omnium sanctorum ita de Sedulio legi : *Egregius versificator Dei sapientiam omnia nosse, atque posse considerat dicens : Qui stellas numeras*, etc. Sunt versus 66 et seq. l. I. In breviario Romano nunc id non legitur, sed legebatur antea, ut liquet ex breviario Romano de Camera nuncupato Venetiis 1550 apud Juntas in fol., ubi in Vigilia omnium sanctorum ex sermone Rabani refertur : *Et egregius ille versificator Sedulius Dei sapientiam omnia posse, atque nosse*, etc. Denique sæpissime Beda in libro de Arte metrica regulas suas exemplo, et auctoritate Sedulii confirmat, ejus nomine modo tacito, modo expresso, ut in not., et var. lectionibus monebo. Bedam commentario illustravit nescio quis antiquus scriptor in ms. codice Vaticano, quem voco Reg. 4, ut dixi num. 69. Is igitur simili modo, ac Beda, Sedulii versus in exemplum producit.

171. Ex eodem Beda num. 48 observavi, Aldhelmum imitatione Sedulii librum de Virginitate prosa, et metro composuisse : Aldhelmus tamen prius orationem solutam, tum carmen contexuit, contra Sedulius. In carmine Aldhelmi apud Canisium antiq. lection. tom. V, part. 2, pag. 837, suppresso Sedulii nomine versus ejus refertur :

Sic, mutante Deo, mutantur corda ferarum,
Quamvis stultorum torpescant corda virorum.
Ut quondam vates cola cum commate prompsit :
Edidicere cruces prædam servare leones.

98 Hic vates est Sedulius, ut in codice ms. Aldhel-

ni Vaticano Palatino num. 2078, ad marginem notatur, in quo etiam correctus legitur Sedulii versus *Et didicere*, etc., sic enim ait Sedulius l. I, vers. 219. In prosa Aldhelmus : *Ut poeta de propheta :*

Et didicere truces prædam servare leones.

Canisius ad marginem hemistichii, *Cola cum commate prompsit*, indicavit caput 28 Prosæ, ubi Aldhelmus ait : *Quod prosper per cola, et commata mellitis versuum epigrammatibus inculcavit.* Quærendum ergo est, quid significet phrasis Aldhelmi, *Cola cum commate prompsit*, vel *Cola, et commata inculcavit.* Ex ipso Aldhelmo colligo, his verbis significari, versus suavi quodam artificio esse compositos; nam in principio carminis ait :

Non rogo ruricolas versus, et commata musas,

Et paulo post :

Colaque cum pedibus pergant et commata ternis,
Dactylus excepto decurrat fine metrorum,
Spondæi quintam contemnat syllaba partem,
Ultima sic trochei concludat littera versum,
Extremus jugiter qui gaudet calce teneri.
Sic ternis pedibus properent epigrammata metri.

Primus versus in vulgatis exhibet *commoda* pro *commata*, vel *comata :* utroque enim modo scribitur. Veram autem significationem apud lexicographos frustra quæres. Sergius grammaticus, qui in codice Vaticano Palatino 1578 vocatur Serregius, nisi librarius voluerit scribere *Servius Regius*, in commentario in 1 editionem Donati, quæ est de littera, etc., sic concludit : *Cola autem, et comata ejusdem orationis singulæ partes esse noscuntur. Verum meminerimus, in prosa oratione cola, et comata idem esse, et unum significare : in versu vero aliud, et diversum : nam ubi duo liberi sunt pedes, Colon dicitur, ut apud Horatium, Terruit urbes : Coma, quando post duos pedes, vel post tres sequitur syllaba, quæ partem terminat orationis, ut in primo versu Æneidorum, Arma, virumque cano. Item Arma, virumque cano, Trojæ qui primus ab oris.* Codex Vat. sic refert; sed in editione Putschii inter veteres grammaticos recte vulgatum est, *Item,* **99** *Arma, virumque cano Trojæ :* sic enim post tres pedes sequitur syllaba. Ut ad Aldhelmum redeam; laudat hic etiam Sedulium cap. 2 et 10 prosæ, ut dicam ad vers. 13 et 179 libri I.

172. Aldhelmo adjungam imitatorem alium, quamvis minus eruditum, Sedulii ex Gregorio Turonensi l. V Hist. Franc. cap. 25, qui de Chilperico Francorum rege ait : *Scripsit alios libros idem rex versibus, quasi Sedulium secutus : sed versiculi illi nulli penitus metricæ conveniunt rationi.* Et rursus libro VI cap. 46: *Confecitque duos libros quasi Sedulium meditatus, quorum versiculi debiles nullis pedibus subsistere possunt, in quibus dum non intelligebat, pro longis syllabas breves posuit, et pro brevibus longas statuebat.* Ruinartius nullam variam lectionem affert pro *meditatus :* sed alii habent *imitatus.* Chilperici imprudentia omni tempore communis fuit, ut merito queratur Horatius libr. II, epist. 1, vers. 115.

Quod medicorum est,
Promittunt medici, tractant fabrilia fabri.
Scribimus indocti, doctique poemata passim.

173. Saltem imitarentur istiusmodi versificatores Jannitium, qui opus metro, et prosa a se compositum perquam modeste (credo, ut aliorum jactantiam in titulis suis exaggerandis retunderet) sic inscripsit : *Bibliotheca Conventus SS. Joannis et Pauli Ordinis Prædicatorum Venetiis nuper aperta, a Fr. Jacobo Maria Jannitio, nullius scientiæ professore, minimeque in poesi versato.*

174. In controversia inter Hincmarum et Gothescalcum, in *trina deitas* dici possit, Sedulius quoque in partes venit. Gothescalcus in schedula sua ad Hincmarum : *Ut est illud Sedulii fidelis poetæ tui : Iste fidem ternam*, etc. Hincmarus in opere De non trina deitate verba Sedulii explicat, quem non semel *venerandum* appellat.

175. Theodulphus Aurelianensis libr. IV, carm. I, vers. 11 :

Cura decens Patrum nec erat postrema priorum,
Quorum sunt subter nomina scripta, vide.
Sedulius rutilus, Paulinus, Arator, Avitus,
Et Fortunatus, tuque, Juvence, tonans.

100 An *rutilus* sit epitheton Sedulii, an nomen proprium alterius Christiani poetæ, disserui in Prolegom. ad Juvencum num. 100. Mihi magis videtur esse epitheton. Sic Petrarcha eclog. 10 :

Unus erat rutilus divini ruris Arator.

176. Eodem in loco n. 101 protuli testimonium Notkeri Balbuli cap. 7 de Interpretib. sacr. script. ex Thesauro Anecd. Pezii tom. IX : *Juvencum et Sedulium oratorem, hymnosque Ambrosianos, scio, quia jam memoriæ commendasti.* Admonui, corruptum locum esse apud Pezium, ac legendum *Juvencum et Sedulium, Aratorem*, etc. Tom. V Biblioth. med. Fabricii recusus est liber Notkeri Balbuli, ibique legitur : *Juvencum et Sedulium Oratorem.* Ac revera *rhetor* in nonnullis codicibus antiquis vocatur Sedulius. Nihilominus primam meam conjecturam non abjicio. Scribebat Balbulus ad Salomonem Constantiensem episcopum tertium, cujus versus exstant apud Canisium antiq. lection. tom. I, et ex prologo satis intelligitur, Sedulium ab eo perlectum fuisse. Vide var. lect. ad lib. I vers. 298.

177. Inter Alcuini opera exstat liber de Cærem. baptism. cujus auctor creditur esse Fortunatus Amalarius : sed quisquis sit, ita ait : *Credimus tres personas Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et recepimus* (forte *recipimus*) *versus Sedulii, Non quia qui summus*, l. I vers. 319. In Homiliario Alcuini ex diversis scriptoribus collecto et edito Coloniæ 1569, auctor anonymus sermonis in natali S. Lucæ, sic habet : *De quo Evangelista pulchre Sedulius presbyter : Jura sacerdotis Lucas tenet ore virenti*, quod mendosum est pro *ore Juvenci*, ut ad l. I vers. 357 dicam. Correctiores tamen ibidem sunt versus Paulini de eodem Luca Natal. S. Felicis IX vers. 424 seqq. *Bis medicus*, etc. *Artus consolidat, et nunc in mentibus ægris — Composuit geminos vitæ medicamina libros :* pro quo Muratorius : *Terrena curabat ope, et nunc mentibus ægris — Composuit gemino vitæ medicamina libro.*

178. Placidus Lactantius, sive Lutatius scholiastes Statii ad Theb. l. VIII vers. 287 producit vers. 200 seqq. Sedulii, ut tunc etiam de Scholiaste Lucani dicam. Barthius l. XI Advers. cap. 2, col. 514, observat, ab Scholiaste Horatii ad epod. 17 al. 13, *Horrida tempestas*, Sedulium laudari.

101 179. Asser Menevensis in limine Vitæ Ælfredi regis scripsit: *Getam jamdudum pagani pro Deo venerabantur, cujus Sedulius poeta mentionem facit in Paschali metrico carmine, dicens: Cum sua gentiles*, etc. Eadem fere verba repetit Matthæus Westmonasteriensis in Flor. Histor. ad ann. 758, pag. 142, ubi Getæ totam genealogiam repræsentat, et Simeon Dunelmensis de Gest. reg. Angl. ad ann. 818, ubi poetam insignem vocat Sedulium. Confer var. lect. ad vers. 19 l. I, *Ridiculove Getæ*.

180. Usserius de Britann. Eccles. primord. c. 16, ex Joanne Tinmuthensi in Vita S. Dunstani, hæc verba exscribit: *Concinens illud carmen sapientis, ac senatoris Sedulii: Cantemus Domino, sociæ, cantemus honorem*. Versus est primus elegiæ Sedulii cum aliquo discrimine a Joanne Tinmuthensi ad rem suam accommodatus. Floruit Tinmuthensis sæculo XIV. Ita etiam refert Osbernus in Vita S. Dunstani c. 8, apud Bollandianos 19 Maii, qui sæculo XI scripsit. Alius antiquior auctor *B. presbyter, coævus, et testis oculatus* apud eosdem Bollandianos cap. 6 paulo aliter: *Vidit. . . virgineas turmas in choro gyranti* (forte *gyrantes*) *hymnum hunc poetæ Sedulii cursitando cantes, Cantemus socii Domino*, etc. Guilielmus Malmesburiensis de Vit. Pont. Angl. l. I, p. 203: *Illudque Sedulianum modulato canore concinere, et repetere: Cantemus Domino sociæ*, etc. Sic etiam refert Guilielmus Thorne Chron. c. 2, non nominato Sedulio. Gervasius monachus Dorobornensis Imaginat. de Discord. inter monach. pag. 1326: *Versus Sedulii psallens, et dicens: Cantemus Domino, sociæ, cantemus honores*. Alii exhibent *honorem*. Celeberrima fuit ea visio S. Dunstani apud rerum Anglicarum scriptores.

181. Ædilwaldus in carmine ad Winfrithum:

Quemadmodum mellifluis
Heroticorum versibus
Illustris quondam poeta
Romæ urbis indigena
Styli calamo stridulo
Caraxante persedulo
Sacris inserit schedulis
Doctiloquus Sedulius.

102 Sic Usserius loc. cit. Secundo versu fortasse legendum *Heroicorum*.

182. Ex Radulpho Dunstapulensi idem Usserius hoc distichum profert:

Surgit Sedulius, veterisque, novique tenorem
Textus concinna sedulitate canit.

183. Honorius Augustodunensis cap. 7 l. III eadem fere de Sedulio verba repetit, quæ ex Isidoro supra deprompsimus.

184. In Prolegom. ad Juvencum num. 104 plures versus Francisci Petrarchæ eclog. 10 in laudem Christianorum poetarum exscripsi, quorum hi duo Prudentium, et Sedulium sic celebrant:

Huic comes hinc Prudens, hinc Sedulus alter aranti,
Certabant rigido glebas convellere rastro.

Præcesserat elogium Aratoris.

185. Gerson serm. 3, de Conceptione Deiparæ, sive quis alius sit auctor: *Tunc surrexit septima virgo, scilicet vera poesis, ad hoc habere se dicens poetrias innumeras. Nam Sedulius l. I in Carmine Paschali poetice de Maria sic ait: En velut*, etc. Vide l. II vers. 28; nam auctor hujus sermonis ex primo, et secundo libro fecisse unum videtur, ut alii etiam fecerunt.

186. Barthius lib. X Advers. cap. 9: *Inter Christianos poetas Virgilianam phrasin nemo magis comiter servavit, quoad ejus per rerum alienitatem, sæculique alterationem fieri potuit, quam Sedulius, optimi ingenii inter eorum plerosque, licet nævos etiam habeat non tam quidem suos, quam sæculi: quod fuit etiam veterum judicium, ut patet ex epigrammate quopiam vetusto. Hic vero non phrasin tantum, sed ipsas poetæ* (Virgilii) *copiosas figuras, ornatusque loquendi exprimit*.

187. Olaus Borrichius de Poet. Latin. sic de Sedulio judicat: *Dictio ejus facilis, ingeniosa, numerosa, perspicua, sic satis munda, si excipias prosodica quædam delicta, et in primis Christianæ pietatis commendatrix*.

188. Walchius Histor. crit. ling. Lat. cap. 10, n. 7: *Nec indignum est, in Christianis scholis non ignorari Christianas antiquitates, quo nomine pensa, et tempora ita distribui possunt, ne Aurelius Prudentius ab illis excludatur, et libri in primis καθημερινῶν, et περὶ στεφάνων, qui Ecclesiæ veteris fata explicant, in illas* **103** *recipiantur. Privata lectione evolvatur Sedulius antiquiorum imitator, qui et verba Publii Maronis, et contexendi suavitatem a sæculari ad sacrum argumentum tam scite, tam pie accommodavit: indignum sane est, christianos poetas adeo negligi, ut ne nomen quidem juventuti scholasticæ sit cognitum*. Periculum, quod nonnulli inde bonæ latinitatis, et poetices studio metuunt, satis depellitur, si opportunæ notæ subjiciantur, quibus usus optimorum scriptorum indicetur, ut jam nominatim de poetices studio ita juvando monuit Cellarius in præfat., qui ita pergit: *Denique et illud te moneri, lector benevole, velim, ne de Sedulii carminibus ex epistola ejus ad Macedonium, quæ præfixa est, et primo aspectui objicitur, judices. Solemne illius ævi plerisque est scriptoribus, ut suaviores in ligata, quam in prosa oratione sint, quod in Sidonio, in Paulino Nolano, Alcimo Avito, Prospero Aquitanico manifestum est. Causam si quæris, aperiam. Solute ex ingenio scribebant: carmina non nisi ex lectione, ac imitatione veterum composuerunt. Noli igitur mirari, cur horridula epistola sit Sedulii, Paschale carmen ita planum, molle, suave, ut ad antiquorum poetarum laudem, et elegantiam perveniat*. Grunerus in sua præfat. observat eruditionem Sedulii ex epistola ad Macedonium conspici: tenet autem

cum Moshemio Institut. Hist. Christ. antiq., erudi- A tionem v sæculi tenuem fuisse.

189. Parrhasius in editione sua Sedulii, et nonnullorum, carminum Prudentii quædam de utroque annotavit ; quæ quoniam plerisque poetis christianis communia sunt, hoc loco non importunum est adjicere : « Sedulius, ut hinc incipiam, verbis utitur, nec figuris poeticis omnino sublimibus, nec item sordidis, ita mediam quamdam elocutionem servantibus, ut proprium retineant locum : exstat tamen in eo quorumque divinorum studium. Nam *facturam* dicit, *factorem*, *deitatem*, legis *testamenta*, *cœlos*, quamvis et hoc Lucretius non abstinuit : et *ficulneam*, quodque insolentius est *duodecim millia legiones* ex illo Hieronymi, *Ex tribu Manasse duodecim millia signati :* magis Latine Prudentius, qui *millia multa notarum*, B non *notas* ait. Inserit et peregrinas aliquot dictiones, sed a christianis auctoribus jam receptas, *Patriarcham*, *synagogam*, *pharisæos*, et pro fortunatis insulis **104** *paradisum*, *gehennam*, quod incendium significat, denique *manzeres*, id est, adulterio, stuproque conceptos. In quibusdam sequitur analogiam, cum ait : *Urbem libertatis opem*, id est, fecundam, quod ejus contrarium sit *inops*, id est, egenus. In aliis, neglecta proportione, consuetudini sese adjungit, sumitque e media plebe *præsumptorem*, *traditorem :* qua ratione *Mariam* cum accentu penultimæ enuntiavit, cum Claudianus semper, et ipse nonnumquam corripiat. Idem *populationem* pro incondita multitudine usurpat, *Fiebat populatio præsens*, etsi quibusdam legi placeat, *Flebat populus quoque præ-* C *sens*. Substituit et derivativum pro suo primitivo, *Memphitis in oris* pro *Memphitidi*, unde deflectitur. Tibullus, *Pubes miratur Osirim — Barbara Memphiten plangere docta bovem*. Itidem tempus pro tempore, quod per se quisque facile deprehendet. Obsoleta quædam in usum revocat, ut *peniculum* pro spongia Terentii, Plautique auctoritate, *præsepe* in casu Latino ex antiqua declinatione, *deterta capillis*, quod apud Ennium legerat, *Terta nitet galea*. Pauca quædam novavit, ut *pompare*, quod ampullosius ad invidiam veterum poetarum confixit, *simplat ; Quod simplex, triplicet, quodque est triplicabile, simplet :* ita namque scribendum, non *simplex*. A præscriptis numeris aliquando discedit. Nam videbis apud eum D *h* aspirationis notam vim litteræ frequenter obtinere, *Ioannem* prima brevi, cum per ω notetur. Sed defenditur exemplo Maronis, qui eamdem litteram in *o* mutavit, atque corripuit in *Orione*. *Regulus* dignitatis nomen apud eumdem anapæstus, aut tribrachus est, cum *rex*, a quo deflectitur, omnes obliquos producat. Sed ex iis intelligendum est, quæ primitivi numerum mutant, et quem accipiunt productum, contrahunt, ut *dicax*, *lucerna*, *stabilis*, et compluscula. Anapæstum quoque fecit in *Dario*, cum ejus media longa sit Græca diphthongo. Ovidius : *Utque necatorum Darœi fraude secundi*, nisi, quod vero propius existimo, bisyllabum protulit : nam multus in hujusmodi concisionibus invenitur, ut qui *aiscipulum* pro *discipulorum*, *vestigis* pro *vestigiis* sæpiuscule dicit. *Suave* trisyllabum posuit, ut Horatius *suetus*, et Papinius *suasit*. Illud vero nimis audacter, quod *us* in accusativo plurali quartæ inflexionis contraxit **105** hoc versu, *Non ratio, primosque necans vagitus, et audens*. Quod autem in omnibus exemplaribus, et in nostris etiam leges, *Scribitur in titulis super : Hic est rex Judæorum*, equidem castigandum censuerim, *Scribitur in titulis : Hic est rex Judæorum*, ut reciprocus versus sit, et spondaicus imitatione Maronis, et aliorum, ne unam, et alteram syllabam novo exemplo corripiat in *Judæo*. »

190. « Prudentius (sic pergit Parrhasius) tametsi magis elaboratus in verbis est, et minus licentiosus, eadem tamen venia carminis utitur in *idolo*, *paraclito*, in quo sectatorem reperit Apollinarem. Quid quod dativum relativi nominis *cui* bisyllabum protulit, ultimamque in eo consonantem vertit in vocalem ter in eodem carmine? *Cæsaraugustam vocitamus urbem*, — *Res cui tanta est*. Præterea : *Sanguinem Justi*, *cui Pastor hæret*. Item paulo post : *Morsque Vincenti*, *cui sanguis hinc est :* quod ut ignoscendum, ita ferendum non est : sicut nec illud *Malorum tetrius omnium est*. Anapæstum quoque, et proceleusmaticum pro spondæo plerumque substituit temporum ratione ; quibus pares sunt, et conveniunt. In *Nola*, cujus priorem Virgilius produxit, si verum Gellius tradit, hic corripit, *Jamque Nolanus adest*, licet nonnulli *Ianicolanus* confuso locorum ordine scribant. Tentavit et ipse quoque fastiditis gratiam reddere. Nam *volupe est* pro *libet* ab Ennio, Plautoque mutuatur, ut *ninguidos* a Lucretio, qui, quod alii *nivem*, *ninguem* vocat : dicit et *pultet* pro *pulset*, et *altar* ex analogia ; *Altar tepescit ore*, *saxum pectore*. Nec alienigena quædam respuit, *Messian*, *Nazarenum*, *Levitas*, *charaxat*, quod est χάραξεν, id est, calamorum, sudiumque fastigatis, atque subtilibus spiculis corpus infigit, quod pœnæ genus adhuc Hispani retinent ; *cryptam*, *colymbum*, id est, labrum, quo defluens unda excipitur, et pro tumulo *tumbam*. Nec in consectaneis scriptoribus lectitandis operam lusisse videri voluit : unde plerasque dictiones accepit, *ecclesiam*, *evangelistam*, *factorem*, *passionem*, *animabus*, a quo veteres temperaverunt, *psalmos*, *martyras*, quos et Latine *testes* interpretatur, ut *angelos*, et *nuntios*, et alia, quæ tute observabis. Sunt et ipsius sua quædam propria, *cohærant*, id est, addicunt, ab *aere*, interjecta **106** aspiratione hiatus causa, *artisis* pro morbo articulari : *Nodosa torquet quos podagra, et artisis*, *anulla* ab *anu* diminutivum, *prosperante* pro *favente*, *prosperare*, adesse, *sacrum*, quem alii sacerdotem, *Vidimus*, *o Christi Valleriane sacer :* in quo nomine liquidam duplicavit, ut alibi in *Valleriis*, et *relligione*. Necnon *sacrare* pro sacrificare dicit, et *sacrantem*, sacrificantem. *Esto* quoque apud eum quorumdam sententia verbum, aut affirmandi particula non est, sed hortandi adverbium, neque numeris, neque personis inserviens : *Esto*, *precor*, *fortes*, *et vincite viribus annos*. Nos vero legendum putamus, *Este*. Occurrent et aliqua subobscura, *fornix*, id est, lupanar, *solum* pro pedis calce, *ter-*

rigeæ, scilicet homines, quos Deus ex luto finxisse dicitur, *virginal* in mulierum genitalibus pellicula pudoris custos. Idem verbum invenies apud Solinum. *Lancinant*, dilacerant. Inde Græcum *lancinatores*, id est, laniones. *Cautis* in recto singulari dixit, ut P. Victor *ædis*, *camurum* pro curvo, *hyalum* pro vitro, *sudum* cœli serenitatem. Vergilium secutus, ait, et *ædituum*, cui templi cura credita sit, *mera calce* dixit, id est, nudo pede, quoniam pura omnia veteres *mera* dicebant. Supersunt et alia sexcenta, quæ non est hujus temporis, aut instituti recensere. Nam tanta in eo rerum, verborumque cognitio est, quantam in quovis alio apud nos esse contenderim. »

191. Hactenus Parrhasius de Sedulio, ac Prudentio : quæ tametsi non omni ex parte probari debent, ut ex Prolegomenis ad Prudentium, ac notis ad hunc, aliosque poetas christianos passim liquet, tamen operæ pretium visum fuit transcribere, ut in sacris poetis legendis æquum judicium ferri possit.

CAPUT VII.

De codicum mss. correctoribus, et corruptoribus. Excursus in codicem S. Hilarii, qui in archivio Basilicæ Vaticanæ asservatur.

192. Multos olim viros doctos, præsertim sæculo v exstitisse, qui codices veterum scriptorum emendarent, et distinguerent, **107** ut correctiores in lucem publicam venirent, num. 159 demonstratum est. Ipsi etiam exscriptores codicum aliquando conferre, quod scripserant, et ad vetera exemplaria emendare cogebantur. In codice Vaticano Reginæ Sueciæ 2054, chartac. in fol. exstat Chronicon Eusebii Cæsariensis ab Hieronymo, et Prospero continuatum. Præmittitur *Adjuratio Prosperi. Adjuro te, quicumque hos descripseris libros per Dominum nostrum Jesum Christum, et gloriosum ejus adventum, in quo veniet judicare vivos et mortuos, ut conferas quod scripseris, et emendes ad exemplaria ea, de quibus scripseris, diligenter : et hoc adjurationis genus similiter transcribas, et transferas in eum codicem, quem transcripseris.* Hanc adjurationem Prosperi, sive alterius potius, imitatus est Matthæus Palmerius in fine præfationis ad suum Chronicon, quod nondum integrum editum est, ut in hoc eodem codice reperitur : *Rogo igitur illum, qui aliquando hunc librum transcribet, ut diligenter, eodem servato ordine, transcribat, et quod transcripserit, ad exemplaria conferat, et emendet.* Vide etiam Ducangium in præfatione ad Glossarium num. 6, et Barthium l. VI Advers., c. 21, qui ex Aponio præfat. Commentar. in Cantic. Canticor. similia verba profert. Sed non una, eademque ubique fuit ratio emendandi : nam sæpe verba omnino eradebantur, ut quid fuisset scriptum, nullo modo, vel difficulter intelligi posset : idque fiebat, ubi verba aut aperte essent mendosa, aut talia esse corrector existimabat. Interdum verbum corrigendum solum lineola superposita notabatur, ut ita lector intelligeret, falsam esse scripturam primæ manus, veram secundæ. Aliquando intacto verbo codicis ex collatione aliorum codicum varia lectio inscribebatur : Nonnumquam suas corrector conjecturas adjiciebat. Erant autem notæ propriæ ad ejusmodi correctiones facile indicandas, ab Isidoro l. I Etym., cap. 20 expositæ.

193. Codices ita emendati cum in aliorum manus describendi venirent, sæpe accidebat, ut alius aliam scripturam arriperet : et cum alii novi errores sui cuique exscriptori exciderent, ea nata est copia variarum lectionum, quam in operibus veterum publicandis editores critici nostræ ætatis solent congerere. Magna quoque mihi seges cum in aliis poetis christianis obvenit, **108** tum maxime in Sedulio : fortasse, quod celeberrimus hic poeta non solum Asterium editorem et correctorem suorum carminum, sed etiam Abundantium collatorem nactus fuerit.

194. Correctoribus codicum adjungere possumus corruptores : nam sæpe eveniebat, ut cum corrigere vellent, corrumperent. Etsi enim dubitari non potest, quin multi mala fide, ut errorem suum confirmarent, aut auctoritatem contrariam diluerent, exemplaria mss. adulteraverint, tamen sæpius, ut ego puto, id contigit aut ex ignorantia, aut ex præjudicata opinione. Walchius cap. 7 Hist. Crit. ling. Latin. *Codices*, inquit, *solent corrumpi ab IPSIS SUIS AUCTORIBUS, cum aberrante manu facile aliud scribere possunt, ac sentiunt : a SCRIBIS, qui perperam audiunt, orthographiam, et antiquiores litteras non semper assequuntur; qui scribunt, quæ cogitant, non quæ audiunt : a DICTANTE, qui modo scripturam non intelligit, modo sine accuratiori animi attentione monumentum legit, modo male pronuntiat, modo glossemata oræ libri apposita, ipsi auctoris sermoni interponit : a LIBRARIIS, et CRITICIS, cum elegantem, et nitidam scripturam, emendatæ lectioni præferunt; cum officio corrigendi libros aut plane desunt, aut illo ita funguntur, ut plura corrumpant, quam sanent : a VETUSTATE, quæ in libris in membrana, aut charta descriptis, vel plurium vocum, vel aliquot litterarum lacunas efficit.* Cum librariis, et criticis res nunc mihi est. Incidebat horum aliquis in locum, quem non intelligebat, aut sententiæ, quam ipse veram censebat, contrarium ; et cum verba intacta relinquere deberet, putans, ea non esse auctoris, sed mendose a librario posita, delebat, atque alia subrogabat. In Juvenco animadverti, multos versus ita fuisse adulteratos, ut Vulgatæ nostræ, quam ipse præ oculis habere non potuit, conformarentur. In aliis aliorum Patrum operibus pariter hanc sibi licentiam sumebant nonnulli, ut verba sacræ Scripturæ, quæ ex Itala versione proferunt, ad Vulgatæ nostræ exemplar reformarent : qua de re Latini Latinii querelas nihil attinet refricare.

195. In Sedulio innumera occurrunt, quæ falsata esse manifeste evincitur, ut ex variis lectionibus patet, et aliquando quidem **109** vel hac sola ratione, quod versus, ut a poeta compositus erat, minus recte videretur procedere, ut l. IV, v. 8.

Clarifica, dixit, nomen tuum, magnaque cœlo.

Cum autem verba inter se aliquatenus similia sunt, quamvis diversa res significetur, tum frequentissima est permutatio vocum, ut l. I, v. 3, *mella* pro *mala* a librariis male positum ostendam, et l. eod. v. 247, *homo pronus adoret*, pro *homo plenus adoret*. Sequebantur enim librarii, quod magis ipsis clarum apparebat, non quod verius erat. Quod minus mirum videbitur, si animadvertamus, in monasteriis juvenes plerumque, in scientiis non plene versatos, muneri scribendi destinatos fuisse, qui etiam importune festinabant, ut quantocius ad umbilicum libri pervenirent. In cod. Vat. Reg. 254, in quo libri Sententiarum, et Soliloquia Isidori, aliaque ex Patribus excerpta continentur, librarius pueriliter scripsit : *Explicit, expliceat : ludere scriptor eat*. Magna etiam est codicum inter se discrepantia in verbis *adopto*, *adoro*, *adorno*, *adapto* commutandis, ut noto ad l. III, v. 294, et ad eleg. v. 31. Quæ tamen sæpe a collatoribus, aut lectoribus pro diversa uniuscujusque in rebus theologicis opinione aliter rescripta sunt, quam auctor voluerit.

196. Quæ mihi nunc sese occasio offert, ut quod supra n. 160 pollicitus sum, uberiorem sermonem instituam de vetusto, et celeberrimo codice S. Hilarii in Tabulario Basilicæ Vaticanæ asservato, quem ipse inspexi, et in quo apparet nunc verbum *adoratur*, cum antea videatur fuisse *adoptatur*. Res ita mihi narrata fuerat, quasi certissime constaret, sub initium hujus sæculi codicem fuisse corruptum. Legeram etiam in Vita ven. Cardinalis Thomasii a v. c. Antonio Francisco Vezzosio conscripta, et Institutionibus theologicis ven. Thomasii præmissa, plures fuisse censores die 15 decembris anno 1707 deputatos ad inspiciendum codicem, et inter hos ven. Thomasium. *Hi omnes*, addit Vezzosius n. 57, *codicem contuentur diligentissime, agnoscunt, fatenturve, non modo recentem, sed RECENTISSIMUM esse vocis ADOPTATUR corruptorem. Rem describunt*, etc. *Hæc uberius exarata leguntur in ipsomet codice, atque enucleate descripta in Vindiciis veterum codicum confirmatis* **110** *Lutetiæ Parisiorum editis anno* 1715. Cum primum codicem vidi, ac locum inspexi, miratus valde sum, qui censores deputati judicare potuerint, corruptorem non solum recentem, sed *recentissimum* esse ; nam contra mihi videbatur correctio recentior quidem charactere primo codicis, sed vetusta nihilominus, et multis ante nos sæculis facta, neque dissimilis aliis, quæ in eodem codice observantur. Lego igitur judicium censorum in eodem codice exaratum, vel potius additum : ac tunc magis miratus sum, cum nihil de *recentissimo* corruptore invenerim, nihil, quod opinioni meæ de correctione antiqua adversaretur.

197. Hæc sunt verba censorum, quæ etiam protulit Constantius in Vindiciis veterum codicum confirmatis : *Originali charactere primæ manus adhuc legitur* ADO, *et in spatio interjecto duarum litterarum erasarum loco earum alia manu, et nigriori, et recentiori atramento, et diverso ab eo, quo scriptus est codex, et chirographum supradictum, superposita est littera R, quam litteram recentiorem sequuntur duæ syllabæ primæ manus, id est*, ATUR, *quarum littera prima A ex parte est illita eodem recentiori atramento, et reformata : quod evidentissime apparet*. Ex his nihil aliud colligere licet, nisi litteram *R* recentiorem esse charactere primo codicis, et chirographi, sive subscriptionis cujusdam studiosi, qui codicem se contulisse ait anno decimo quarto Trasamundi regis, sive anno salutis 510. Neque censores, a P. D. Guillelmo Laparre Procuratore Generali Maurinorum rogati, ut judicium suum proferrent, ullam vel levissimam suspicionem de recentissima corruptione codicis indicarunt. Unde ergo rumor ille, et fabella de codice Vaticanæ basilicæ recentissime adulterato originem habere potuit? Non aliunde certe, nisi ex Diario litteratorum Italiæ Venetiis 1716, tom. XXIII, art. 13, ubi enuntiatur liber Constantii, *Vindiciæ veterum codicum confirmatæ*. Ita enim ibi lego de censoribus deputatis : *Ritrovarono, che* RECENTEMENTE, *e* MOLTO DI FRESCO *era stato adulterato, e con* NUOVO, E MODERNISSIMO *inchiostro ritoccato*. Bene autem habet, quod nullus testis allegatur, nisi ipsum documentum, quod retulimus, et ex quo calumnia plane convincitur. Incredibile autem est, quam inepte auctor ejus articuli **111** mendacia confingat. Ut enim alia omittam, primas Vindicias codicum mss. a Constantio anno 1706 editas commemorat : tum refert, codicem Vaticanæ basilicæ a patre Tellier, ut Germonio morem generet, observatum fuisse hebdomada majori anni 1707 : quod cum aliis suboluisset, deputati sunt censores, qui de codice judicium suum proferrent, ac documentum authenticum ad Maurinos Parisienses missum fuit.

198. Subjungit : *Il P. Constant per abbondare in carità, e moderazione con l' avversario, si contentò di far vedere così scritto a mano il documento avuto da Roma senza stamparlo nelle sue prime Vindicie*. At qua ratione in primis Vindiciis, editis anno 1706, promulgare potuit documentum confectum anno 1707? Germonius anno 1716 epistolam ad auctores Diarii Veneti Parisiis edidit, quæ inserta quoque fuit in Memoriis Trevultiensibus, et Italice etiam prodiit, qua calumniam non tam sibi, quam Tellierio, viro in primis gravi, qui Ludovici regis XIV conscientiam moderatus fuerat, magisque suis scriptis, et probatis moribus inclaruerat, intentatam strenue retundit. Affirmat, Tellierium codicem S. Hilarii inspexisse, præsentibus eminentissimo Gozzadinio tunc præfecto Archivii basilicæ Vaticanæ et Zaccagnio præfecto bibliothecæ Vaticanæ. Observat, Tellierium primum omnium animadvertisse, et litteris ad ipsum Germonium datis 19 Aprilis 1707 notam fecisse correctionem verbi *adoratur* ex *adoptatur*.

199. Addit, non posse rationem excogitari, cur Tellierius codicem corrumperet, nisi ut ex eo commodum aliquod Germonius assequeretur : nullum

autem commodum Germonium assequi posse ex loco, quem Tellierius depravatum demonstrat, et Germonius ipse primus omnium typis vulgavit ita corruptum reperiri. Denique ex ipso documento, quod Constantius produxerat, aperte evincit, calumniam esse asserere, censores, pronuntiasse, corruptorem codicis *recentissimum* esse. Sed a multis, ut dixi, adhuc ea fabula narratur, et in exemplari Vindiciarum confirmatarum Constantii, quod in bibliotheca Casanatensi asservatur, manu non ita recenti ascriptum margini part. III, cap. 5, ad verba, *virum doctissimum* reperio : *Id est, P. Le Tellier Jesuitam,* **112** *qui putatur falsasse hunc locum.* Ut autem pateat, quam id sit falsum, rem ab origine repetam, et quædam a me observata adjungam. Felix Urgel tanus hæresim suam, Christum esse filium Dei adoptivum, cum aliis testimoniis Patrum, tum hoc S. Hilarii l. II de Trinit. c. 27 probabat : *Aliud intelligitur, aliud videtur, aliud oculis, aliud animo conspicitur. Parit Virgo, partus a Deo est : infans vagit, laudantes angeli audiuntur : panni sordent, Deus adoratur. Ita potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.*

200. Patres concilii Francofordiensis adversus Elipandum, et Felicem objecerunt, eos testimoniis Patrum corruptis dolose abuti : *Sed tempus est, ut ad discutiendos sensus libelli vestri veniamus, in quo sanctorum Patrum per loca testimonia invenimus posita, sed malæ perfidiæ veneno corrupta, et inter flores pulcherrimos fidei catholicæ anguinos erroris vestri dentes insertos. Tacuistis nomina librorum, et numerum capitulorum, ut difficilius error vester investigaretur : et ex hoc solo perspicuum est, errasse vos voluntarie.* Et postea : *Et invenimus, sicut et ante præfati sumus, certissime vos illorum sanctissima scripta hæreticæ pravitatis veneno infecisse, et* INTERSERUISSE *verba, quæ nusquam in eorum legimus libris.*

201. Egregius catholici dogmatis defensor contra Felicem vigebat tunc Alcuinus, qui illum l. VI sic insectatur : *Insuper et quædam calliditatis tuæ nequitia subtrahis, quæ tuam hæresim damnare videntur. Quædam vero consueta tibi versutia immutare non times, ut in libris beati Hilarii fecisse videris : ubi ille præcipuus doctor, et catholicus ait, Potestatis dignitas non amittitur, tu omnino perversissime dicis,* ADOPTATUR, *ubi beatus Hilarius ait* ADORATUR. Non ergo assentiri possumus Constantio, qui affirmat, Alcuinum satis significare, se nullum vidisse codicem, in quo legeretur *adoptatur*. Immo Alcuinus non debuisset ita aperte, et palam Felicem redarguere, nisi ex codicibus certus esset, Hilarium scripsisse *adoratur*, cum facillime posset a Felice revinci. Sic Alcuinus, cum Elipando verba quædam ex officio Gothico objicienti respondet, quia codices ipsos non viderat, solum conjicit, aut ea verba in codicibus non exstare, **113** aut codices ejusmodi liturgicos esse corruptos, ut postea dicam.

202. Ex his autem, quæ Patres concilii Francofordiensis, et Alcuinus adversus Felicem referunt, solum certo colligi potest, Felicem aliter Patrum, et nominatim Hilarii verba allegasse, quam in mss. exemplaribus exstarent, non autem ipsos codices corrupisse. Sed cum ab Alcuino de loco S. Hilarii urgeretur, simillimum vero est, eum tentasse in aliquo codice, in quo legeretur *adoratur*, substituere *adoptatur*. *Nonnumquam etiam* (ait de hæreticis Isidorus l. III, Sentent. cap. 12) *blasphemias suas latenti dolo in libris nostrorum inserunt, doctrinamque veram adulterando corrumpunt : scilicet vel adjiciendo, quæ impia sunt, vel auferendo, quæ pia sunt.* Id ergo est, quod Hincmaro narranti de Felice credere renuit Constantius, quamvis tot sint adjecta, quæ narrationem confirment.

203. Hincmarus in opere de non trina deitate adversus Gothescalcum monachum sic testatur : *Felix Orgelitanæ quondam civitatis episcopus infelix, in libro beati Hilarii, ubi idem sanctus dixerat,* CARNIS HUMILITAS ADORATUR, *tempore Caroli Magni imperatoris quoscumque hinc codices arripere potuit, in omnibus adulterabit,* CARNIS HUMILITAS ADOPTATUR, *ut quia per veritatem non poterat, de mendacio suam astipularetur sententiam.*

204. Rursus Hincmarus rem eamdem narrat, ac gravissimos testes exhibet in præfat. tractat. de prædestinat. : *Sicut ipsorum, qui interfuerunt concilio* (Aquisgranensi) *relatione didicimus, quomodo divæ memoriæ Domnus Carolus Felicem, infelicem Orgelitanæ civitatis episcopum, synodali decreto hæreticum comprobavit, atque damnatum comperit, etiam revictum invenit, quia corrupto muneribus juniore bibliothecario Aquensis palatii librum beati Hilarii rasit, et ubi scriptum erat, quia in Dei filio* CARNIS HUMILITAS ADORATUR, *immisit,* CARNIS HUMILITAS ADOPTATUR.

205. Itaque Hincmarus affirmat, confirmatque, nemine tunc, neque postea refragante, locum Hilarii depravatum fuisse : idque de Felice hæretico narrat, cujus fraudes, et perjuria aliunde perspecta sunt. Cum enim Felix hæresim suam disseminaret, in concilio Ratisponensi anno 792 convictus, errorem abjuravit, **114** atque iterum eodem anno in concilio Romano sub Hadriano pontifice : *Fecit illum orthodoxum in vinculis libellum, anathematizans, et confirmans inter cætera, nequaquam filium Dei adoptivum esse, sicut dixerat, sed proprium, et verum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei confiteor. Unde et ipsum orthodoxum suum libellum super sacrosancta Dei mysteria in nostro patriarchio ponens juravit sic tenere, et confiteri. Et iterum in confessione super corpus beati Petri apostoli ipsum ponens orthodoxum suum libellum, similiter et illic juravit,* etc., ut narratur in concilio Romano sub Leone papa III, act. 2, quod anno Christi 799 celebratum fuit.

206. Ex hoc ipso concilio constat, Felicem, cum domum rediisset, iterum hæresim propugnasse, tot confessionibus suis juratis contemptis. Coacta synodo Francofordiensi anno 794 rursus damnatus est :

et cum Alcuinus epistolam ad ipsum dedisset, ut ad bonam frugem se reciperet, integro libello respondit et pejora etiam, quam antea, docuit. Hinc occasionem sumpsit Alcuinus septem libros adversus felicem scribendi. Missus etiam fuit Leidradus, vel Laidradus, aut Laidracus, archiepiscopus Lugdunensis, Urgellam, ad sedem ipsam Felicis, ut hunc ab errore revocaret. Felix commeatum a Leidrado obtinuit adeundi Carolum Magnum, adeoque in Aquisgranensi palatio congregata synodo Alcuinus cum Felice decertavit, eumque ad ejurandam hæresim adegit, cum paulo ante Romæ etiam eodem anno 799 hæresis Feliciana in concilio a Leone papa III fuisset proscripta.

207. Exstat Felicis in concilio Aquisgranensi ab episcopatu jam depositi catholica fidei confessio, qua ait, se ad Ecclesiam ex toto corde reverti *non qualibet simulatione, sed velamine falsitatis, sicut dudum, quod Deus scit, sed, ut dixi, vera cordis credulitate, et oris professione.* Atqui idem Felix Lugdunum exul missus *diligenter, et fraudulenter instauravit, quantum in se fuit, omnem pravitatem dogmatis sui*, ut narrat Agobardus initio libri adversus Felicem post hujus obitum scripti. Constantius contra Germonium urget, quod Albinus post concilium Aquisgranense nullam hujus criminis mentionem injecerit. Respondet Germonius, Albinum noluisse corruptorum codicum memoriam refricare **115** ne molestum id esset cum aliis, tum Felici, qui palinodiam cecinerat, et mores ad externam virtutis speciem fingens, multos in sui admirationem traxerat. Sed ut ego puto, Albinus, quamvis nomini Felicis pepercerit, rem tamen ipsam non obscure significavit l. II adversus Elipandum, ubi de orationibus officii gothici loquens, sic habet : *Et videtur a quibusdam corruptoribus pro* ASSUMPTI *hominis* ADOPTIVI *esse positum... Et forte ibi in antiquioribus exemplaribus* ASSUMPTI *hominis positum fuit, sed corruptum postea... Ideo magis æstimandum est, juniores quoslibet hujus novæ infidelitatis catenis colligatos, ad perditionem sui ipsorum dicta sanctorum corrumpere doctorum, et suorum pessima pertinacia maculare nomen parentum... Et hoc ex eo veri esse simile videtur, quia probatissimorum in Christi Ecclesia doctorum, et omnibus acceptabilium catholicas sententias vel perverso interpretari sensu, vel perfida vos immutare temeritate agnovimus, veluti in aliquibus probavimus locis, dum ad nos per Felicem olim vestrum, nunc autem nostrum commilitonem, pluriores vestri erroris pervenerunt litterulæ.*

208. Omnia ergo eo nos ducunt, ut Hincmari narrationem veram esse credamus. Profecto in codice Hilarii Germanensi, qui antea fuit Corbeiensis, et olim fuerat Aquisgranensis, Constantius vestigia corruptionis Felicianæ reperit, nimirum *adoptatur* in loco abraso ; quin etiam suspicatur, hunc esse codicem, quem a bibliothecario juniore muneribus corrupto depravatum Hincmarus conqueritur. Et quamvis in Vindiciis Constantius affirmet, mutationem in codice Germanensi accidisse vel lapsu librarii, qui primo scripsit *adoratur*, et illico se correxit, aut erasionem provenisse vitio membranarum non satis æquabiliter politarum, tamen in nota ad loc. S. Hilarii l. II, cap. 27, ita sensum suum aperuerat : *Penes nos est liber Corbeiensis ante annos* 800 *scriptus postremas hasce syllabas* PTATUR *loco abraso exhibens. Etsi mala forsitan fide, non tamen male ascriptum est* ADOPTATUR. Loquitur e sua sententia.

209. Itaque codex Germanensis, qui, Constantio ipso fatente, tempore Caroli Magni in bibliotheca Aquisgranensi exstabat, Hincmari narrationi, fidem conciliat. Sed est et alius codex **116** longe ante Caroli Magni tempora scriptus, Veronensis nimirum, in quo prima lectio clare est *adoratur*, quam aliquis in *adoptatur* mutare voluit. Audiamus Maffeium præfat. ad Hilar. : *Primum igitur pro comperto habeatur, in hoc libro* ADORATUR *scriptum esse, nullo abrasionis vestigio, nulla superinductionis suspicione, at cum post eam dictionem a capite resumatur versus, in vacuo, quod remanet, spatio, sive eadem, sive paulo posteriori manu* ADOPTATUR *adjectum fuisse. Priori verbo nulla quidem irrogata est contumelia, sed lineolis superpositis, atque R in superiori margine ascripto, indicatur de more, adjectam dictionem anteriori substituendam esse, in aliis tamen codicibus certius adhuc testimonium* REQUIRENDUM ... *In verbo* ADOPTATUR *eadem litterarum figura, idem prorsus atramenti color ; at levi cultello fuisse olim apparet, qui litteras, et superpositas lineolas abducere tentarit, ac delere. Quæ quidem omnia in has conjecturas me pertrahunt : liquido primum, nullaque hæsitatione exaravit librarius* ADORATUR : *at sive ab ipso, alia postmodum exemplaria inspiciente, sive ab alio quopiam* ADOPTATUR *additum est, et simul, ut* ADORATUR *expungeretur, monitum. Alter exinde accessit, qui secunda lectio non probabatur ; propterea verbum* ADOPTATUR *conatus est auferre, abrasionis nubeculis id satis testantibus.* Ita Maffeius prudenter.

210. Pro lectione *adoptatur* duos veteres codices profert Constantius, Colbertinum et Carnutensem, quos ait *annos præ se ferre circiter mille*, et antiquiores esse Caroli Magni temporibus. Contra Germonius vehementer dubitat de tanta horum codicum antiquitate, ut certo definiri possit, eos ante hæresin Felicianam esse descriptos, etiamsi annos circiter mille præ se ferant. Neque sane ejusmodi sunt rationes a Constantio allatæ, quæ in tam fallaci judicandi ratione probari debeant.

211. Quod si editiones antiquas consideremus, hæ potissimum scripturam *adoratur* præferunt, ut editio Badii Ascensii Parisiis ann. 1510, duæ editiones Basileenses, quæ deinde consecutæ sunt, altera 1523, Erasmo recensente, altera 1535, et editio Ludovici Miræi, quam *omnibus, quæ ante, et post prodiere, castigatiorem* censebat Constantius. Hæc rara est, **117** quam cum jam desperaret Constantius detegere, in magno Carmelitarum conventu invenit. Exstat etiam in Collegio Romano sic inscripta : *D.*

Hilarii Pictavorum episcopi lucubrationes olim per Des. Erasmum Rot. haud mediocribus sudoribus emendatæ, nunc denuo vigilantissima cura ad fidem miræ antiquitatis exemplarium recognitæ. Parisiis, ex officina Carolæ Guillard sub Sole Aureo. Præfatur Ludovicus Miræus. Nihilominus Constantius plures alias pro voce *adoptatur* profert, videlicet Martini Lipsii 1544, Grinei 1570, Gillotii 1572, Parisienses 1605, 1631, 1652. Notaverat vero Constantius, in præfatione, Gillotium textum Hilarii illibatum reliquisse, editionem recusam anno 1570 mendosiorem priori esse; editioni Parisiensi 1605 deinde repetitæ præ multitudine mendorum facile anteferendas videri Basileenses. Equidem in editioni Parisiensi 1572 et 1605 mendum in hoc ipso loco invenio: *Ita potestatis dignitas non admittitur* (corrige *amittitur*), *dum carnis humilitas adoptatur.*

212. His permotus Constantius, et duobus illis codicibus Corbeiensi et Carnutensi, quos ante Felicem exaratos existimabat, in editione sua S. Hilarii prætulit lectionem *adoptatur*. Etsi autem idem Constantius indicaverat, codicem S. Hilarii nullum antiquiorem exstare codice basilicæ Vaticanæ, et hujus codicis varias lectiones Roma ad se missas suis locis inserebat, tamen ad hunc locum pro scriptura *adoptatur* codicem basilicæ Vaticanæ ne nominavit quidem.

213. Germonius, qui non probaverat, a Constantio prælatam fuisse scripturam *adoptatur*, certus fieri voluit, quænam lectio exstaret in codice basilicæ Vaticanæ, atque ita primus ipse edoctus a Tellierio, corruptionem ejus codicis evulgavit, in quo nunc legitur *adoratur*, sed antea, ut videtur, legebatur *adoptatur*. Ex quo plane colligitur, nullum esse locum suspicandi fraudem ullam aut in Germonio, aut in Tellierio. Nemo de lectione hujus codicis verbum ullum in hac controversia fecerat, cum Germonius part. II, c. 9 de Cod. corrupt. scripsit: *Quia tamen religio est mihi quidquam prætermittere, quod ad veritatem elucidandam conferre possit, non dissimulabo rem, quæ videtur latuisse Constantio, nempe in eo codice primitus scriptum fuisse* **118** ADOPTATUR: *ita enim accepi ab eruditissimo viro, qui librum illum rogatu meo diligenter inspexit.*

214. Age vero, apertius hoc ipsum demonstremus. Constantius ad suam Hilarii editionem de codice basilicæ Vaticanæ in præf. n. 2 sic habet: *Nullus desiderari posse videtur antiquior, quam qui in archivo Vaticanæ Ecclesiæ asservatur.... Sed in antiquo codice non negandum est menda esse antiqua... Eam ob rem codicis hujus antiquitati nihil inconsulte tribuimus, ea tantum ei concessa veneratione, ut lectiones* PROPE OMNES, *in quibus a cæteris discrepat, diligenter annotaremus. Has a Joanne Baptista Bandinio, Vaticanæ basilicæ canonico, cum novam Hilarii editionem pararet, collectas nobis descripserunt fratres nostri, qui Romæ versantur, et nonnulla opera per se accurate recognoscentes, laudati Canonici diligentiam probaverunt.* In secundis Vindiciis idem Constantius sic refert part. III, c. 5, de eodem codice loquens: *Sed de loco nunc controverso nos silere bona fides compulit, cum Lud. Miræi editio, qua Romæ ad ejus recognitionem usi fuerant fratres nostri, nobis deesset, adeoque nec, quid in eo legeretur, constaret. Neque vero ad lectionem confirmandam, quam aliunde satis certam semper censuimus, codicis hujus auctoritate nos egere tunc arbitrabamur. Nostro silentio motus disceptator, et, ut suspicari est, codicem illum sibi favere ratus, virum doctissimum, ut eum diligenter inspiceret, sollicitavit.*

215. Itaque cum editio, quæ codici basilicæ Vaticanæ collata fuerat, exhibeat *adoratur*, et Bandinius, Maurinique variam lectionem ad hunc locum non ascripserint, consequenter tenendum est, viros diligentes, quales Constantius nobis describit, in eo codice reperisse scriptum *adoratur*. Et quamvis adverterint litteram *r* in loco ampliori eraso a secunda manu exaratam fuisse, tamen id necessarium non duxerunt monere, quod veram correctionem alicujus erroris putaverint esse, ut multa sunt in eo codice sic correcta. Sane Constantius, qui in primo etiam libro Hilarii editionem Miræi allegat, aliquatenus negligens videri potest, quod eam ad hunc locum secundi libri consulere non curaverit. Quid autem si consuluisset? Legisset in ea contrarium sibi verbum *adoratur*, et cum inter varias lectiones Roma missas **119** nullam discrepantiam ad hunc locum notasset, concludere debuisset, in codice basilicæ Vaticanæ legi *adoratur*.

216. Sed multo ante idem verbum *adoratur* in eo codice exstitisse, manifestum est ex collatione, quam diligentissimus vir Latinus Latinius exsecutus est. Exstant ejus variæ lectiones, et animadversiones in S. Hilarium, editionis Parisiensis sub Sole aureo 1544, quæ est editio Ludovici Miræi, in Bibliotheca ejus sacra et profana, pag. 38 seqq. Initio hæc est annotatio: *Die* XXII *Januarii* 1561, *collegi ex codice basilicæ S. Petri miræ vetustatis, litteris pene majusculis scripto, varias lectiones, quæ notantur nota P. De Trinitate liber primus*, etc. Annotat accuratissime Latinius varias lectiones ad 12 libros de Trinitate, ad librum contra Constantium, ad duos libros ad Constantium, ad librum contra Arianos vel Auxentium, ad epistolam Auxentii, ad librum de Synodis: et in hoc libro ad verba, *Vere Spiritus sancti, hisque nominibus non simpliciter*, subjicit illico hoc monitum: *Hactenus habet exemplar basilicæ S. Petri, in quo aliquot quinterniones desunt.*

217. Ut autem perspicuum sit quanta cura et diligentia Latinius in codice expendendo, et Hilario illustrando, versatus fuerit, paucas ejus cum varias lectiones, tum conjecturas annotabo. Lib. I, num. sive cap. 1 de Trinit. in editione Miræi: *Quod alterum sine altero*, in codice basilicæ Vaticanæ *quod aliud sine altero*. Sic legit Constantius, sed nullam discrepantiam scripturæ observat. Ibid. in edit. Mir.: *pabulis læta vagantibus*; in cod. basil. Vatic.: *pabula læte vagantibus*. Constantius *pabulis læta evagantibus*, et solum notat ex mss. Colbertino et Germanensi *vacantibus* pro *evagantibus*. Ibid. Mir., *ex pascuis*, cod. bas. Vat., *ex pastu*. Constantius *ex*

pascuis, ac nullam variam lectionem ascribit. Ibid. Mir. *absolutissimus vitæ humanæ usus existimabitur*, cod. bas. Vat. *absolutus vitæ humanæ usus exsisteret.* Constantius omnino cum Miræo, sed discrepantem scripturam non indicat.

218. Hæc quidem ex numero I libri 1, qui solum 32 lineolas complectitur, deprompsi. Sic porro pergit Latinius, et cap. II ejusdem libri 1, pro *inepte ac belluinæ vitæ*, in editione **120** Miræi nihil ex codice bas. Vat. ascribit, sed conjecturam suam apponit *inertis* pro *inepte*. Constantius edidit *ineptæ ac belluinæ*. Eod. cap. Mir. *ob quam profecto*, cod. bas. Vat. *ad quam:* sed monet Latinius, *ad* esse demendum: sic contra in codice deest *munus*, et Latinius censet esse addendum. Quid plura? Viginti sex saltem correctiones aut varias lectiones Latinius expresserat usque ad cap. 10, quo primum Constantius nominat codicem basilicæ Vaticanæ ad verba *ex corporum voluntate*, ubi notat, *Basilicæ Vaticanæ vetustissimus codex cum plerisque aliis mss.* VOLUPTATE: quæ varietas notata etiam fuit in sua editione a Latinio.

219. Hic tantus vir, tamque acri ingenio præditus, ad caput 27 libri II de Trinitate cum pervenisset, et cum in sua editione legeret *carnis humilitas adoratur*, et ad marginem *humanitas* pro *humilitas*, nihil notavit, retinens ex codice id, quod in textum receptum erat, *carnis humilitas adoratur*, neque ullam suam conjecturam, ut aliis in locis, interposuit. Et animadvertere quidem potuit, verbum *adoratur* posteriori manu ita fuisse exaratum sive ex *adoptatur*, sive ex *adornatur*, sive ex *adaptatur:* nam in littera *o* aliquod etiam vestigium apparet posterioris manus et recentioris atramenti. Sed quocumque tandem modo scriptum fuerit illud verbum a prima manu, errorem arbitratus est esse Latinius bene correctum a secunda manu per *adoratur*. Corrector enim nullo modo voluit simulare, verbum *adoratur* fuisse scriptum a prima manu: nam etsi littera *r* interposita antiquitatem præ se fert, ut ex forma colligitur, tamen longissime distat a forma ejusdem litteræ *r* a prima manu in eodem verbo *adoratur*, et in aliis descriptæ.

220. Putet fortasse aliquis, Latinium in hoc capite XXVII l. II recensendo dormitasse, aut minus diligentem, quam in aliis, fuisse. Non ita certe. Mirare potius constantem ubique hominis diligentiam. Miræus hoc in capite legit *Emmanuelem*, id est *Nobiscum Deum:* nam in Bibliotheca sacra Latinii mendose legitur *Deus*, ut ex contextu et ex ipsa editione Miræi patet. Constantius vero *Emmanuel*, id est, *Nobiscum Deum*, quod etiam expressit Maffeius. At Latinius ex cod. basil. Vatic. notat *Emmanuehel*, **121** id est, *Nobiscum Deus*. Miræus ibidem *Proclamat spiritus per prophetam*, *angelus testis est.* Sic etiam Constantius sine ulla discrepantia lectionis. Latinius vero ex cod. basil. Vatic., *Proclamat Spiritus sanctus per prophetam*, *Angelus testatus est.* Miræus ibidem, *Novum Magis de cœlo stellæ lumen effertur:* ita etiam Constantius, subjecta hac nota: *Scribunt constanter veteres libri* ECFERTUR *vel* HECFERTUR. Atqui Latinius ex cod. basil. Vat. observat, *Novum de cœlo Magis stellæ lumen exoritur*. Miræus et Constantius, *Gloria deinde in cœlis Deo, et pax;* Latinius ex cod. basil. Vatic., *Gloria in excelsis Deo, deinde pax*. Miræus et Constantius, *Et post illam inanis scientiæ suæ operationem arcanam*, Latinius ex cod. basil. Vatic., *Et post illa inanis scientiæ suæ arcana operatione*. Miræus *desuper veniens*, Lat. ex cod. basil. Vatic. *superveniens:* sic etiam edidit Constantius, qui subjicit notam, in vulgatis esse *desuper veniens*.

221. Hæc quidem omnia eo capite XXVII libri I a Latinio animadversa sunt, neque a verbo *superveniens* longe distant verba *humilitas adoratur* in editione Miræi, quæ tamquam codici consentanea Latinius sine diversitate lectionis præteriit. Non omittendum tamen, in editione Miræi paulo ante legi *et ipsum Angelus nuntians*, pro quo Constantius habet *et angelus nuntians* cum nota: sic mss., in vulgatis hic adjicitur *idipsum*. Latinius vero non agnovit in cod. basil. Vatic. lectionem diversam a lectione Miræi, *et ipsum angelus*. Etsi autem Bibliotheca Latinii satis per se fidem facere debet, eum ad verbum *adoratur* nullam variantem lectionem ex codice basilicæ S. Petri apposuisse, tamen exemplar ipsum editionis Miræi, cujus margini scripturam codicis præfati adjecerat, per amicum fidum explorari curavi: a quo edoctus sum, hoc in loco nihil annotasse Latinium ad verbum *adoratur*. Exstat id exemplar in bibliotheca Capituli Canonicorum Viterbiensium cum aliis libris, qui ejusdem Latinii fuerant, et quorum margini multas observationes sive ex mss. codicum fide, sive ex conjectura ascripserat: quos ego etiam, Viterbii dum essem, perlustravi. Quæ cum ita a me investigata ac perscripta fuissent, casu incidi in editionem Hilarii Parisiensem apud Sebastianum Nivellium 1572 in bibliotheca collegii **122** Romani, sed extra ordinem et locum suum collocatam: quam a summo critico M. Antonio Mureto cum celebri codice Basilicæ Vaticanæ accuratissime collatam fuisse, adjectis margini variantibus lectionibus, deprehendi. Codex vocatur *S. Petri*, et esse hunc ipsum, de quo est controversia, ex loco, ubi incipit, quo desinit, et ex variis lectionibus evidentissimum est. Etsi autem initio primæ paginæ pars folii de industria recisa est, in qua, ut ego puto, scriptum erat, *Ex libris Mureti: Bibl. Secret. Coll. Rom.*, ut in cæteris libris Mureti, qui in secretiori bibliotheca collegii Romani asservantur, cernere licet, tamen character variantium lectionum omnino Mureti est, ut conferenti manum Mureti in aliis libris simili modo a Mureto collatis, aliisque ejus autographis in eadem bibliotheca exsistentibus, liquido patebit. In hac ergo editione excusum legitur *adoptatur*, quem ad locum Muretus notat, *s. e. factum est* ADORATUR: quod ita intelligo, *sic erat*, *factum est* ADORATUR, vel *scriptura erasa factum est*, etc. Certe Muretus affirmat,

jam tunc factum conspici *adoratur*. Similes alias correctiones antiqua manu factas idem Muretus observat. Optandum sane fuisset, ut varias has Mureti lectiones cum notis, quas intermiscet, præ oculis habuisset Constantius. Nam quas Roma a sociis suis missas accepit, oppido raræ sunt, neque satis ad exemplar conformatæ: ut cum l. IX, c. 65, notat: *In solis Mart., et Bas. Vat.* CONSUMMABUNTUR, cum Muretus ad verba cap. LIX ejusdem libri, *futuræ voluntatis agitandos*, contra animadvertat, in veteri codice S. Petri deesse quaternionem usque ad verba *mea sunt* cap. 73. Præterea Muretus, cum scriptura codicis initio recentior sit, prope finem libri I de Trinitate, ad verba *Nativitatis significatio est*, etc., hanc notam appingit: *Hic incipit antiqua scriptura*. In libro autem de Synodis adversus Arianos, ad verba, *certumque filii vere filii*, etc., sic notat: *Hucusque codex S. P. Hæc* (reliqua) *sunt conferenda cum Vatic. codicibus*, ut revera contulit, ac discrepantiam lectionum simili modo ex Vat. cod. margini adjecit.

222. Alia deinde quæstio suborta est de antiquitate codicis, qui in archivio basilicæ Vaticanæ asservatur. Ac primum adverto, non ante sæculum XV ad tabularium basilicæ S. Petri **123** codicem S. Hilarii videri delatum: siquidem Ambrosius Camaldulensis, qui diligentissime ubivis codices veteres, præsertim sanctorum Patrum, investigabat, Romæ primum bibliothecam Pontificis, deinde bibliothecam S. Petri perlustravit, et de hac sic refert in Marteniana collectione Script. tom. II, col. 545, epist. 16: *Bibliothecam S. Petri videre volui, sperans aliquid inventum novi. Audieram enim complura esse volumina: sed nihil omnino memoria dignum inveni. Vix pauca ex rebus notissimis offendi, vilia*, etc. Mabillonius de Re diplom., p. 356, in secunda ætate scripturæ romanæ ait, laudatum codicem scriptum esse *sub finem quarti sæculi, aut ineunte quinto*: sed voluit dicere, ut ex contextu ipso colligitur, *sub finem quinti sæculi, aut ineunte sexto*: atque ita correxit in Supplem. de Re diplom., p. 78, 79. In fine libri in Constantium legitur inscriptio cujusdam studiosi, qui codicem contulit anno 14 Trasamundi regis, qui annus, ut observat Mabillonius ex Holstenio, convenit anno 510.

223. In codice Alexandrino Vaticanæ bibliothecæ, numero 1598, chartac. in 8°, initio exstat catalogus bibliothecæ basilicæ Vaticanæ, conscriptus, ut videtur, sæculo XVII ineunte. Sic in hoc catalogo describitur codex S. Hilarii, qui in archivio basilicæ Vaticanæ custoditur, pag. 4 versa: *S. Hilarii liber antiquissimo charactere ante mille et centum annos scriptus: folio enim* 288 *annotatum est: Contuli in nomine Domini nostri Jesu Christi Putrasulis constitutus anno quarto decimo Transamundi regis*. Ad marginem catalogi hujus legitur nota eodem charactere, *Circa annum Domini* 500, et ad vocem *Putrasulis* alia nota eodem charactere, *Locus in Africa in provincia Numidiæ inter Tunetum, et arcem Guletæ, hodie vulgo* PUTRACCIO *dictus*. Pergit deinde descriptio codicis: *Continet autem libros* XII *de Trinitate contra Arianos; librum in Constantium imperatorem fol.* 276: *Ejusdem ad Constantium imperatorem libros duos fol.* 288; *Adversus Auxentium Mediolanensem librum fol.* 294; *Librum de Synodis contra Arianos fol.* 300. *In hoc volumine habentur* XVIII *folia diverso charactere non ita antiquo scripta, et post folium* 192 *desunt folia octo. In fine libri desunt folia* 24, *in quibus erat liber de Synodis. Folio* 35 *inserta* **124** *sunt hæc carmina in laudem SS. Mauri et Benedicti: Qui benedici cupitis, huc festive currite, Benedicti patris opem quærite*, etc. Describitur integer hymnus, cujus finis est: *Quo sequi nos donet Christus*. Casu incidi in auctorem hujus hymni. Joannes Mezlerus de Vir. illustr. monasterii S. Galli Eckerardum seniorem, qui obiit anno 966, cum laudat, sic refert: *Scripsit sequentias: Qui benedici cupitis*, etc.

224. Mabillonius de Re diplom. profert etiam inscriptionem anni, quo collatus est codex Hilarii, *ab incerto quodam libris Hilarii de Trinitate* (melius *libro in Constantium* dixisset) *subjunctam*. Advertit eum, qui catalogum ecclesiæ Vaticanæ ordinavit, legisse *Contuli*, etc. *Putzalis*, et explicuisse de oppido *Putrazzio*. Ipse vero, quamvis codicem non viderit, ex forma characterum ad se transmissa contendit, legendum *apud Kasulis* pro *Putzalis*, et intelligit *Casulam* urbem provinciæ Bizacenæ.

225. Cum autem omnes consentiant in anno quartodecimo regis, quem plerique *Trasamundum*, alii *Transamundum*, in codice vocari affirmant, quo collatus est codex, nullum videtur superesse dubium de ejus ætate circa annum 500 constituenda. Sed possumusne certi esse de veritate hujus inscriptionis? Sæpe hujusmodi subscriptiones aut ab ignaris librariis additas fuisse, aut dolo malo invectas, ut pretium codicibus quæreretur, dixi supra num. 159, et num. 160 comprobavi apertissimo exemplo alterius codicis ejusdem basilicæ Vaticanæ, qui correctus dicitur initio sæculi V. Mabillonius ipse hujus rei experientissimus ex simili supposititia inscriptione deceptus aliquando fuit, et instrumentum anno 564 exaratum in tabulam primæ ætatis scripturæ romanæ retulit, putans esse testamentum C. Julii Cæsaris; quam fraudem ipsemet casu postea detexit.

226. Haud ignoro equidem, standum esse pro veritate subscriptionis, nisi adsint fundamenta dubitandi. At in re nostra dubitandi adsunt nec levia quidem fundamenta. Character codicis in specimine exhibitus a Mabillonio nullum præ se fert certum indicium tantæ vetustatis, ut ad sæculum VI revocari possit: atque ita existimat non solum Germonius, sed etiam Maffeius in præfat. ad editionem S. Hilarii. Neque aliter mihi visum est **125** codicem ipsum inspicienti. Specimen, quod præbuit Mabillonius, atque ex Mabillonio duo Maurini auctores Tractatus Diplomatici gallice tom. III, majorem vetustatem præ se ferre videtur, quam exemplar ipsum basilicæ Vaticanæ. Hunc enim codicem intelligunt duo illi Maurini, cum pag. 263 *codicem ms. Vaticanum* ap-

pellant. Sane Hilarii textus non est in duas columnas divisus, ut sunt omnes codices, quos certo scimus ad eam antiquitatem pervenire, et sunt etiam duo illi codices Veronenses Hilarii, quorum specimen Maffeius in præfat. ad opera S. Hilarii exhibet. Omnium characterum forma sequiorem ætatem redolet : verba apto intervallo inter se separata sunt, quod certissimum argumentum putatur ut codices non valde antiqui existimentur. Si codicem attente expendas ad regulas, quas Trombellius de Arte cognoscendi ætatem codicum nobis tradidit, sine ulla hæsitatione colliges, codicem sæculo VIII aut IX esse scriptum.

227. In subscriptione ipsa multa falsitatis argumenta profert Germonius : nam cum in fine aliorum etiam librorum Hilarii legatur charactere satis claro *Contuli*, vel *Contuli in nomine Domini nostri Jesu Christi*, verba, quæ in fine libri contra Constantium adduntur, *apud Kasulis constitutus anno quartodecimo Trasamundi regis*, videntur esse diversæ formæ et posterioris ætatis, ut apparet in Specimine tabulæ Mabillonianæ. Hoc ipsum arguit, quod ea alio modo ab aliis leguntur et explicantur, cum priora verba subscriptionis illico ab omnibus intelligantur. Quin etiam Maffeius neque *Putzalis*, ut legit Holstenius, neque *apud Kasulis*, ut legit Mabillonius, probat, et pro *Trasamundi* vel *Transamundi* aliud nomen scriptum esse existimat. Præterea in hac subscriptione nonnullæ litteræ extra lineam tam longe excurrunt, ut nihil simile in codicibus sæculi VI aut VII reperiri sciam. Nihil ergo certi superest, ex quo ætas codicis sæculo VI definiri possit, quamvis negari nequeat venerandæ antiquitatis eum esse, ac magno in pretio habendum.

228. Erunt fortasse, qui quærant, utra tandem lectio genuina sit Hilarii, *humilitas adoptatur*, an *adoratur*. Maffeius ex suo codice colligit, *libenter quidem* ADORATUR *lectum olim fuisse : de ea tamen lectione antiquitus quoque, et multo ante* **126** *Felicem Orgelitanum dubitatum esse*. Tam facilis est permutatio harum vocum in codicibus, ut sive Hilarius scripserit *adoratur*, sive *adoptatur*, valde probabile sit utramque lectionem etiam ante Felicem in codicibus exstitisse. Id satis probat codex Veronensis, qui unus sine controversia tempora Felicis antecedit. Conjicere ergo possumus, Felicem revera in aliquo codice reperisse *adoptatur*, quod verbum arripuit, quia suæ hæresi favere existimabat. Contra Alcuinus in Hilario legebat *adoratur*, quod sensum quoque postulare censebat. At Felix, vel quod illi præsto non esset codex, in quo legerat *adoptatur*, vel quod vellet, ex aliis codicibus, in quibus legebatur *adoratur*, id verbum abesse, et aliud *adoptatur* subrogari, codices Aquisgranenses corrumpi curavit, ut Hincmarus testatur.

229. Post hæresim Felicianam ejusdem verbi mutatio in codicibus accidit, vel quia nonnulli codices descripti ex corruptis a Felice præferebant *adoptatur* : et catholici nonnulli verbum spurium id censentes in *adoratur* convertebant, vel quia eadem semper fuit ratio dubitandi, an ex sententia Hilarii *adoratur*, an *adoptatur*, præstet legere. Etiamsi vero aliquis velit fingere, verbum *adoptatur* aliqua ex parte trahi posse ad probandam hæresim Felicis, tamen omnes consentiunt Hilarii mentem longissime ab ea hæresi distare, ut ex innumeris locis ejus operum patet : quæ vera est ratio interpretandi verba obscuriora quæ in Patribus nonnumquam occurrunt. Propterea Agobardus, qui, Felice vita jam functo, hæresim Felicianam impugnavit, codicem Hilarii nactus, in quo legebatur *adoptatur*, ex præcedentibus et consequentibus id verbum declaravit pro *assumitur*. Crimen vero falsati codicis non objecit, sive id ignoraverit, sive amicos Felicis, quos adhuc superesse queritur, offendere noluerit. Certe neque illa crimina attigit, quæ in concilio Francofordiensi adversus Felicem probata fuerant.

230. Theologi scolastici antiqui cum S. Thoma non aliam videntur lectionem agnovisse, nisi *adoptatur*, ac S. Hilarium *improprie* locutum fuisse respondent. S. Thomas part. III, q. 23, art. 4, sic argumentum proponit : *Videtur quod Christus, secundum quod homo, sit filius Dei adoptivus. Dicit enim Hilarius de Christo* **127** *loquens : Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humanitas adoptatur*. Respondet : *Ad primum ergo dicendum, quod sicut filiatio non propriè convenit naturæ, ita nec adoptio. Et ideo cum dicitur, quod carnis humanitas adoptatur, impropria est locutio, et accipitur ibi adoptatio pro unione humanæ naturæ ad personam Filii.* Ac notandum S. Thomam legisse *humanitas*, ubi plerique legunt *humilitas*.

231. Gabriel Vasquez, theologus acutissimus, cum animadvertisset, in nonnullis codicibus legi *adoratur*, hanc lectionem longe præferendam esse censuit tom. I, in III part., q. 23, disp. 89, cap. XV : *Quamvis in aliquibus codicibus recenter excusis sit verbum illud* ADOPTATUR, *in aliis tamen legitur* ADORATUR : *in quo facile potuit incuria scriptorum error aliquis irrepere. Hanc vero esse lectionem germanam, ex optimo sensu, quem reddit verbum* ADORATUR, *mihi habeo persuasum : cum tamen verbum* ADOPTATUR *vix aliquem bonum sensum exprimere valeat*. Judicium Vazquii probant Cardinalis de Lugo de Incarnat. disp. 31, sect. 1, et alii.

232. Contrarius quodammodo his est eruditissimus Petavius, qui l. VII de Incarnat., cap. 4, putat, minus cohærere cum antecedentibus *adoratur*, quam *adoptatur*, minusque aptam orationem videri, si verbum *adoratur*, quod præcedenti periodo positum fuerat, repetatur. Quod autem docet, sine idonea veterum codicum auctoritate non esse reponendum *adoratur* pro *adoptatur*, nec *temere* assentiendum Hincmaro de germana lectione Hilarii, id certe facile admitti potest : sed in hoc cardo quæstionis vertitur, utri lectioni magis faveant codices ante Felicem scripti, et an fides negari possit Hincmaro idem factum semel atque iterum narranti, accedente Alcuini testimonio, fraudisque vestigiis in codice Aquisgranensi perseverantibus.

235. Maffeius in Præfat. ad opera S. Hilarii verbum *adoptatur* præferendum censet, quia elegantiæ oratoriæ id magis congruit, ne idem verbum repetatur, ut aiebat etiam Petavius ; et quia Hilarius ex oppositis mirificum aliquid aucupatur. Sed minime constat, an Hilario hoc loco cura ulla fuerit de oppositis, neque difficile est plura verba apud eum sic repetita reperire. **128** Mihi quidem aliud agenti libro I, cap. 35, occurrit : *Nativitatis significatio est, sola nativitatis professio est : ubi vero creationis est nomen, ibi causa ejusdem creationis anterior est.* In editione quidem Parisiensi anni 1572 legitur *professio sit :* sed codex S. Petri, qui ab hoc loco scripturam profert antiquam, exhibet *professio est*, ut observat Muretus, atque ita Constantius et Maffeius legunt sine ulla scripturæ varietate.

234. Quid autem ego sentiam, si aperiendum sit, judicium Francisci Suarez, quo nemo solertius rationes hinc inde expendere solet, libenter amplectar in III part., q. 23, disp. 48, sect. 4 : *Ad Hilarium respondet D. Thomas, et communiter Scholastici,* IMPROPRIE *vocasse* ADOPTIONEM *carnis gratiam unionis... Alii conjectant mendosam esse litteram Hilarii, et ubi legitur* ADOPTATUR *legendum esse* ADORATUR... *Sic enim optime quadrat ratio : ostendit enim, majestatem Christi non esse imminutam inter vagitus*, etc., *quandoquidem in ipsis adoratur. Et hæc lectio habetur in editione Parisiensi anni* 1544 (Miræi sub Sole Aureo). *Juxta quam lectionem illa particula*, dum carnis humilitas adoratur, *non est causaliter sumenda.... Non potest ergo illa particula reddere causam, sed signum, ut sensus sit*, dum adoratur, *id est, siquidem adoratur. Et solum videri potest durum in hac lectione, quia illa particula in communi usu, et Latina proprietate non videtur illam significationem habere : est tamen nihilominus probabilis lectio, et responsio. Sed non est alia contemnenda, quam habent recentiores codices, eamque esse antiquam et communem constat ex D. Thoma et Scholasticis. Et potest reddere satis germanum sensum. Docet enim eo loco Hilarius, Verbi majestatem non fuisse imminutam ob assumptionem nostræ naturæ.... Unde concludit, ex humilitate carnis Verbo conjunctæ, non fuisse Verbi majestatem, et potentiam amissam.*

235. Addit Suarius, ut doctrinæ S. Thomæ magis cohæreat, gratiam unionis solere interdum per translationem et metaphoram adoptionem vocari : *In qua metaphora*, subjungit, *in eo sensu sumpta nullus est error, sed nobis cavenda est, tum quia, ut ostendimus, vere et proprie illa non est adoptio, tum etiam quia metaphora illa rarissime est usitata, et potest esse occasio erroris.* **129** Quæ quidem vera sunt, si de significatione jurisperitorum, aut veluti theologica verbi *adoptare* sermo sit : alioquin apud veteres Latinos *adopto* interdum simpliciter significabat *assumo*, interdum *assumo in filium ;* quod discrimen ex argumento et re ipsa colligebatur.

236. Sanctus quidem Hilarius, etsi sæpissime verbum *assumo* hac in re usurpare solet, tamen ad psalmum CXXVII sic habet : *Cuique a Patre Ecclesiæ hæreditas per adoptionem corporis, quod ex virgine præsumpturus esset, desponsata sit.* Ita enim ex mss. restituit Constantius, cum in excusis legeretur *per adeptionem corporis*. Lectionem Constantii *per adoptionem* confirmat non solum Maffeius ex codice Veronensi, sed etiam Muretus ex codice Vaticano, quocum editionem Parisiensem anni 1572 ad eo collatam esse diximus.

CAPUT VIII.

Quid in nova hac Sedulii editione præstitum sit.

237. Cum multa sint in poetis sacris, quos adhuc recensui, Prudentio, Dracontio, Juvenco, communia cum Sedulio, ea interdum indicare tantum, plerumque omnino prætermittere opportunum visum fuit. Opus igitur, laborque præcipuus hujus editionis est veram scripturam e mss. eruere et constituere : si quid variis lectionibus addere oportebit, id eisdem scholiis concludetur. Cum enim carmini prosam Sedulii subjicere decreverim, inconcinnum esset variis lectionibus notas commentariumve subjungere, præsertim cum prosa ipsa efficiat ne multis notationibus opus sit.

238. Consentaneum est prosam loco interpretationis simul cum carmine edere : ex qua non solum mens poetæ clarius perspicitur, sed et vera lectio sæpissime confirmatur. Utinam alia haberemus vetera exempla, ad quæ prosam ipsam multis in locis castigare possemus ! Vere enim pronuntiavit Gallandius in Dissert. de Sedulio ad tom. IX Biblioth. Patrum : *Ubi primum ad ejus* (prosæ) *lectionem accessimus, tum illud Ciceronis succurrit :* **130** *De Latinis* (libris) *quo me vertam, nescio : ita mendose et scribuntur, et veneunt.* Illud etiam incommodum accidit, quod neque Gallandius exemplar prosæ a Jureto anno 1585 editum vidit : neque mihi illud nancisci licuit. Gallandius contulit Bibliothecam Patrum Parisiensem anni 1624, ac Lugdunensem : his antiquiores alias ego præ manibus habui, ut mox dicam. Suspicio mihi nata est, prosam, quandoquidem eam Sedulio abjudicare contra Bedæ, aliorumque ejusdem fere temporis auctoritatem non licet, ab aliquo interpolatam esse, et in quibusdam locis ad mendosam carminis scripturam accommodatam. Sane cum prosa liberius interdum evagetur, veram carminis lectionem e solis mss. exemplaribus colligere sæpissime necesse est. Ut autem in promptu sit explicatio notarum, quibus editiones veteres et codices mss. in scholiis indicantur, indicem earum subtexo.

Alb. Codex bibliothecæ Albaniæ. Vide num. 80. — *Ald.* Editio Aldi, de qua, num. 101. — *Alm.* Almeloveenii codex. Vide n. 81. — *Ang.* Codex bibliothecæ Angelicæ, num. 79. — *Arntz.* Codex Arntzenii, num. 81. — *Barth.* Codices Barthii, num. 85, 133. — *Burm.* Petri Secundi Burmanni codices, et conjecturæ, n. 82. — *Cant.* Codex Cantuariensis, num. 83. seq. — *Capp.* Editio Cappusoti, num. 95. — *Cell.* Editio Cellarii, num 126. — *Cod. a. b. c. d. e.* Quinque Codices, ex quibus Arntzenius varias lectiones habuit, num. 82. — *Col.* Editio Coloniensis,

num. 110. — *Edimb.* Editio Edimburgensis, n. 82, 125. — *Fabr.* Georgii Fabricii editio, num. 118. — *Gall.* Gallandii editio, num. 130. — *Grun.* Gruneri editio, num. 128. — *Had.* Hadamarii editio, num. 108. — *Lips. cod.* Codex Lipsiensis, num. 84. — *Lips. ed.* Editio Lipsiensis, num. 102. — *Mab.* Mabillonii codex, num. 163. — *Meus.* Codex meus descriptus, num. 80. — **131** *Mon.* Monasteriensis editio, num. 97. — *Nans.* Nansii codex, num. 182. — *Nebr.* Nebrissensis editio, num. 103, 111. — *Ott.* 1. Codex Vaticanus Ottobonianus 1. Vide num. 75. — *Ott.* 2. Ottobonianus 2. Vide num. 76. — *Palat.* Codex Vaticanus Palatinus, num. 5 et 63. — *Parrh.* Parrhasii editio, num. 100. — *Poelm. ed.* Poelmanni editio, num. 106, 109. — *Poelm. schedæ*, Poelmanni notæ mss., num. 81. — *Reg.* 1, 2, 3, 4, 5, 6. Sex codices Vaticani Reginæ Suecorum. Vide num. 66 ad 74. — *Rom.* Codex bibliothecæ Collegii Romani, num. 78. — *Scota.* Editio est eadem atque Edimburgensis, de qua supra. — *Taur.* Codex bibliothecæ Taurinensis, num. 62. — *Torn.* 1, 2, 3. Editiones tres Tornæsianæ, n. 116, 119, 123. — *Vat.* 1, 2. Duo codices bibliothecæ antiquæ Vaticanæ, n. 64, 65. — *Vet.* 1, 2. Duæ veteres editiones, quibus usus est Arntzenius, num. 96, 103. — *Urb.* Codex Vaticanus Urbinas, num. 77. — *Wonck.* Conjecturæ Corn. Val. Vonckii, num. 135. — *Wopk.* Animadversiones Thomæ Wopkensii, num. 135.

239. Post varias lectiones hinc inde expensas, brevesque aliquando notas criticas, et philologicas, nonnumquam accidit, ut controversias quasdam theologicas exponere necessarium sit, quod sine ambitione et fastu præstare soleo, tantum ut dogmata catholica poetarum etiam Christianorum veterum auctoritate confirmem, aut peculiares quasdam eorum opiniones in bono lumine collocem. Etsi autem nihil mihi prius est, quam ut celeberrima quæque probatissimorum doctorum placita sequar, tamen sententias meas, a quibus graves aliqui theologi dissentiunt, pro certis venditare non audeo, sed eas tantum probabiliores, aut communiores voco, scilicet *stivam stivam, ligonem ligonem.* Quod eos velim animadvertere, qui meas notationes in examen aliquando vocant, præsertim cum rem apud vulgus agunt, cujus sane nihil interest de istiusmodi subtilioribus theologiæ quæstionibus audire. Exemplum, si placet, proferamus ex Diario ecclesiastico Romano **132** hujus anni 1793, num. 19, in quo enuntiatur Dracontius a me editus Romæ anno 1791.

240. Auctor articuli de Dracontio diligenter totam editionem, carminumque argumentum describit, ac meum etiam laborem exquisitis laudibus commendat. Unum tamen fuit, quod animadversione dignum putaret. En ejus verba : *Al verso 484 del libro* I *de Deo, dice il ch. A.* de cognitione, qua præditus fuit Adamus, mysteriorum supernaturalium non levis est quæstio : quam veram fidem supernaturalem fuisse probabilius est : *Ci permetta, che noi pure diciamo la nostra. Concessa ad Adamo la cognizione dei misteri sovranaturali, com' egli dice, ci sembra venirne certa la conseguenza della cognizione sovranaturale ; altrimenti dovremo conoscere nella sola natura la forza proporzionata per conoscere ciò che supera la cognizione della natura. Quì parlasi di cognizione certa, non di conghietturale.*

241. Quodnam, rogo, de tota hac re judicium illorum erit, qui Latine nesciunt, et verba mea cum verbis Italicis Diarii conferre non possunt ? Quodnam etiam eorum, qui Latine quidem sciunt, sed theologiam aut omnino ignorant, aut leviter tantum, quod plerique nunc faciunt, attigerunt ? Agam igitur cum auctore ipso Diarii, non solum theologo, verum etiam clarissimo theologiæ professore. Asserui sententiam probabiliorem esse, quæ tenet cognitionem mysteriorum fidei, qua præditus fuit Adamus, fuisse *veram fidem supernaturalem.* Quid ergo est, quod jure opponere possis ? An nescis, id in quæstione positum esse, et quosdam graves doctores negare, ejusmodi cognitionem esse *veram fidem supernaturalem ?* Atqui nihil magis obvium est apud theologos, qui de opere sex dierum scribunt, nominatim apud Suarium l. III, cap. 18, ubi multa disserit de rerum supernaturalium cognitione, quam homo ante peccatum obtinuit.

242. Ac primum negat eam cognitionem fuisse *visionem beatificam* : tum pro certo ponit fuisse *cognitionem supernaturalem* : ac deinde quærit an fuerit *vera fides supernaturalis*, ut plerique docent cum S. Thoma, an *aliquid fide supernaturali perfectius, et medium inter visionem beatificam et fidem supernaturalem*, ut tenent Hugo de S. Victore, Alensis, S. Bonaventura, **133** Gabriel, etc. Sententiam S. Thomæ sequitur, quam ego etiam probabiliorem dixi. Reponis : Concessa Adamo cognitione mysteriorum supernaturalium, videtur inde certo consequi cognitionem supernaturalem. Sed nonne vides, hac arguendi ratione mutari medium, ut scholæ loquuntur ? Quæstio enim est de *vera fide*, non de *cognitione supernaturali*, quæ potius Adamo concessa supponitur. Cognitio autem supernaturalis potest esse vel visio beatifica, vel fides, vel ex probabili quorumdam opinione cognitio media inter visionem Dei, et fidem.

243. Plura addere nihil juvat : sed vereor ne, si rationem, quam laudatus hic theologus objicit, tacitus præteream, silentio eam meo videar approbasse. *Altrimenti*, ait, *dovremo conoscere nella sola natura la forza proporzionata per conoscere ciò che supera la cognizione della natura.* Si nihil aliud velit, nisi statuere, seclusa revelatione divina, mysteria supernaturalia cognosci non posse, ultro assentior : at si existimet (quod verba innuunt) nullam posse esse cognitionem certam naturalem mysteriorum supernaturalium etiam post revelationem, id falsum esse constat in hæretico, qui multis mysteriis supernaturalibus cognitione certa naturali assentitur.

244. Multi quidem sunt, qui naturæ humanæ lapsæ debilitatem aut impotentiam nimis exaggerant, ut olim erant, qui vires cum Pelagio nimis extolle-

rent. Sed præterquam quod res nunc esset de natura integra Adami ante peccatum originale, etiam de natura lapsa tenenda illa doctrina est, quam SS. Patres nobis tradiderunt, et concilium tridentinum decretis canonibusque suis sanxit. Aperte concilium sess. 6, c. 1, in decreto de Justif. declarat, in hominibus post Adæ peccatum *liberum arbitrium minime exstinctum esse, viribus licet attenuatum, et inclinatum;* et can. 5 : *Si quis liberum hominis arbitrium, post Adæ peccatum, amissum et exstinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam, anathema sit.* Quod si liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum minime amissum exstinctumque est, quo jure naturæ humanæ lapsæ bona quævis naturalia negabimus ? Neque vero decet contra catholicam sententiam venerabili Augustini nomine **134** abuti, aut causari doctrinam A concilii de justificatione non esse completam, ut auditum ex aliquo memini. Nam etiamsi fingere velis, deesse aliquid in decreto et canonibus de justificatione, fateri tamen debes, nihil inesse catholicæ fidei contrarium. Hoc ipsum certe de S. Augustino confidentissime profiteor, doctrinam ejus de justificatione doctrinæ concilii Tridentini apprime congruere. Si quod tamen in ejus operibus fortasse inveniatur verbum aliquantulum obscurum, malo illud cum vero ipsius discipulo S. Thoma interpretari, quam a Lutheranis, aut Calvinistis, interpretationem mutuari. Qui autem in hujusmodi controversiis de unanimi Ecclesiæ catholicæ consensu parum solliciti, in glorioso aliquo nomine, quod sibi ipsi arrogant, sese magnifice jactant, deque eo B sibi, magis securi, quam tuti, blandiuntur, meminerint satyricum illud poetæ :

Nunc satis est dixisse : Ego mira poemata pango.

CŒLII SEDULII

IN QUINQUE LIBRIS DISTRIBUTUM

CARMEN PASCHALE

cui subjacet et continenter respondet

OPUS PASCHALE,

PROSAICO SERMONE SCRIPTUM.

Dedicatio Carminis Paschalis

AD MACEDONIUM.

Domino sancto ac beatissimo patri Macedonio presbytero Sedulius Cœlius in Christo salutem.

135 Priusquam me, venerabilis pater, operis nostri decurso volumine censeas, et ritu [1] forsan severitatis objurges, utpote qui, nulla veteris scientiæ prærogativa [2] suffultus, tam immensum paschalis

Titulus in codice Reg. 1 est : *Incipit Prologus Sedulii presbyteri ad Macedonium. Domino sancto, ac beatissimo patri Macedonio presbytero Sedulius Cœlius in Christo salutem.* Ottob. 1 : *Domino meo ac beatissimo patri Macedonio presbytero Sedulius in Christo salutem.* Vat. 1 cum Ottob. 1, sed addit *meo sancto, ac.* Vat. 2 cum Vat. 1, sed omittit *meo*, et addit, *sancto ac venerabili patri Macedonio Sedulius in Christo salutem plurimam dicit.* Reg. 3 solum habet, *Domino meo patri Macedonio presbytero.* Reg. 2 : *Incipit epistola Sedulii poetæ eximii ad Macedonium presbyterum.* Alia, ut Vat. 1. Codex Barthii plane facit cum Vat. 1, nisi quod scribit *presbyt.* Codex Nansii B. *Venerabili Macedonio presbo Sedulius in Christo salutem.* A codice Almeloveenii abest etiam vox *sancto*, quæ tamen a veteribus Christianis frequenter et eleganter adhibebatur. In quodam ms. apud Usserium et Labbeum de Script. eccles. hæc epistola dicitur *Apologeticus prologus Sedulii rhetoris.* Omissa est in nonnullis editionibus : pleræque eam exhibent. Poelm., ut Vat. 1, sed sine *meo.* C Ald., *Domino sancto, ac venerabili patri*, etc. Fabr., *Domino sancto, ac patri beatissimo Macedonio Abbati Cœlius Sedulius*, etc. Fortasse *abbas* hic dicitur Macedonius, quia nomen *patris* monachis tribui solet. Verum commune olim erat episcopis et presbyteris. Trithemius tamen hunc ipsum Macedonium *abbatem* nuncupat Proleg. n. 29. Vox autem *Domini* et episcopis, et sanctis viris, et aliis passim, præsertim in epistolis tribuebatur.

1. Reg. 1, Ott. 1, a prima manu, *rite.* Sic multi editi. Plerique nostri cum ms. Barthii, schedis Poelmanni, Almeloveenii, codd. A., B., apud Arntzenium, veteri editione 1, et Monast., *ritu.* Vatt. 1 et 2; Ottobon. 1, a sec. m.; Reg. 1, a pr. m.; Reg. 2 et 3, *forsan*, cum nonnullis editis. Cæteri, *forsitan.* Fabr., *rite forsitan, severeque.*

2. Vet. 1, *prorogativa :* retine *prærogativa*, quæ pro speciali quodam privilegio sumitur, et dicitur ita ex more Romanorum. Prærogativa enim tribus erat, quæ prius ferre suffragium rogabatur.

pelagus majestatis, et viris quoque peritissimis formidandum, parva [3] tiro lintre cucurrerim [4]; hujus apud te facti causas expurgem [5], ut, cum me non audacem fuisse probaveris, sed devotum, in pectoris tui portum blanda tranquillitate recipias: quem, gubernante Deo [6], lætaberis nulla pertulisse naufragia. Cum sæcularibus igitur [7] studiis occupatus, vim impatientis [8] ingenii, quod [9] divinitatis in me providentia [10] generavit, non utilitati animæ, sed inani vitæ dependerem, et litterariæ [11] solertia disciplinæ, lusibus infructuosi operis, non auctori, serviret [12]; tandem misericors Deus, rerum conditor [13], clementius fabricam sui juris [14] asspexit, et stultos in me mundanæ sapientiæ diutius haberi sensus indoluit, ac fatuum prudentiæ **137** mortalis ingenium cœlestis sale condivit. Moxque [15] ut cordis oculos interior caligo deseruit [16], per sentes dumosi ruris errantia in herbam flo- A rei [17] cespitis revolvi vestigia, totoque nisu melioris arbitrii, cultum illustrati pectoris Deo dicavi [18], non præsumptione virium sarcinam tantæ molis arripiens, sed onus Christi, quod leve nimis est, humili pronus devotione complectens, culpa me scilicet arbitratus silentii [19] non carere, si studiosæ mentis officium, quod vanitati detulissem, veritati denegarem: cum et divina reverenter [20] asseri, et humana possint [21] honeste tractari. Angebar rursus alia [22] animi procella turbati [23], et ægros anhelitus illa mihi ratio [24] sæpe commovebat, qua me [25] noveram vel tua, pater beatissime, vel aliorum, quos gratia similiter cœlestis illustrat [26], quiddam profecisse doctrina. Quamquam ipsi cuncta monstrantes [27], aliquem credatis igniculum in me posse lucere: sed torpor cordis obtusi [28] tamquam **138** silicis B per venas [29], scintillam tenuem vix emittit. Et id [30] ipsum parvi fomitis nutrimentum, quod in me potuit

SCHOLIA.

3. Vet. 1, Monast., Poelmann., *parva*. Reg. 2, a pr. m., *parvo*; plerique nostri, cum aliis aliorum, *parva*. Utrumlibet stare potest.

4. Vat. 1, mendose, *currerim*. Metaphora poetica hæc est, sed ab oratoribus etiam aliquando usurpata.

5. Wopkensius et Grunerus recte Cellarium explodunt, qui putabat, sensum postulare *liceat expurgem*. Siquidem *expurgem* hoc loco valet *age*, *expurgem*. Vel etiam ponitur pro *expurgabo*. Grunerus quoque Wopkensium reprehendit, qui conjecerat *exponam*, vel *expromam*, quia insolentior phrasis ei videbatur *expurgare facti causas*. Certe hujusmodi loquendi formæ istorum temporum scriptoribus satis sunt frequentes. *Exponam* glossa est in Vatic. 1. In Reg. 1 glossa, *utinam excusem*: *futurum optativi pro* C *futuro indicativi*.

6. Reg. 1, *gubernante Domino*; alii, *gubernante Deo*.

7. Vet. 1 et Mon., *sæcularibus ergo*; alii, *sæcularibus igitur*. *Studia sæcularia* sunt profana, significatione frequenti apud scriptores ecclesiasticos.

8. Codex B., *patientis*; melius cæteri, *impatientis*, cujus glossa in Reg. 1, *ardentis*.

9. Plerique mss. et editi, *quod*; Cellarius edidit *quam*, affirmans, ita exstare in Almel: sed Arntzenius etiam in Almel. deprehendit *quod*, idque verius esse in Addendis agnovit.

10. Cod. A., *providentia in me*; alii, *in me providentia*.

11. Ott. 1, Reg. 1, 3, Almelov., *litterariæ*. Vatt. 1, 2, Reg. 2, cum cod. Lips., *litteratoriæ*; cod. A., *litteratoriæ* etiam, sed omittit *disciplinæ*; cod. B., *litteralis*. Tertullianus dixit *litteratorius*; Cœl., Aurelianus, et Diomedes, *litteralis*, sed magis Latinum D est *litterarius*, quod ex consensu bonorum codicum restituere præstat, quamvis plerique editi exhibeant *litteratoriæ*. Arntzenio etiam magis placebat *litterariæ*. Apud scriptores medii et infimi ævi, *litteratoria ars* erat grammatica.

12. Plerique mss. nostri, *auctori serviret*; alii, *auctori deserviret*. Ald., Vat. 2, *auctori Deo deserviret*. Cod. B., et schedæ Poelm., *auctori serviret*, quod edidit Cellarius; *Deo*, glossa est in Reg. 2.

13. Cod. A., *misericors Deus conditor rerum*; alii, *misericors Deus rerum conditor*. Arntzenius, secutus schedas Poelm., omittit *Deus*, quam vocem e glossa enatam putat. Deest etiam in Reg. 1. At nihil est cur lectionem ubique communem deseramus. Ea exstat in quatuor nostris mss.

14. Ottobon. 1, Reg. 1, 3, *fabricam sui juris*; accedunt alii mss. et editi. Vatt. 1, 2, Reg. 2, cum Aldo, *sui fabricam juris*.

15. Nonnulli vulgati *mox ut*: cæteri *moxque ut*. Eleganter *cordis oculos*, ut Cicero, Quintilianus, et alii, *mentis oculos*. Mox *dumosi ruris*, ut Virgilius *dumosa arva*, *dumosa rupes*.

16. Ott. 1, *deserit*: retine cum reliquis omnibus *deseruit*.

17. Vatt. 1, 2, Ald., schedæ Poelm., *floridi*: alii cum Reg. 1, 2, 3, Ott. 1, *florei*.

18. Codex B. cum omnibus nostris mss., *dicavi*. Poelm., Arntzenius, et alii, *dedicavi*.

19. Schedæ Poelm., *sancti arbitratus silentii*, quod non intelligo, nisi legendum sit *tanti* pro *sancti*. Sed ne *tanti* quidem necessarium est.

20. Vat. 1, *divina-opera reverenter*.

21. Ald., *possunt*: schedæ Poelm. *possent*: plerique *possint*.

22. Almel., Vet. 1, Mon., et alii vulgati, *rursus alia* pro *alia rursus*.

23. Cod. B. non male *procella turbatus*. Ex Virgilio, l. IX, vers. 814, desumptum est epitheton *ægros anhelitus*; sed Virgilius in singulari ait, *æger anhelitus*.

24. Ottobon. 1, Ald., Almel., cod. B.: *Illa mihi sæpe ratio*; alii, *illa mihi ratio sæpe*. Vet. 1 et Monaster. omnino omittunt *sæpe*.

25. Reg. 3, *quia me*. Reg. 1, Ott. 1, *quia*, sed factum *qua*: alii nostri vel *quia*, vel *qua*, vel fortasse *quod* in compendio litterarum. A ms. Barthii abest *me*, quod elegantius esse ait Barthius libr. XII Advers., cap. 19, præsertim cum Sedulius concise loqui affectet. Ald., schedæ Poelm., *quia noveram me*; Vat. 2, Reg. 2, *qua*, vel *quia noveram me*: plerique, *qua me noveram*.

26. Vat. 1, 2, *illuminat*. Ottobon. 1, Reg. 1, 2, 3, *illustrat*. Poelmann., Col. *illustrarat*: alii editi *illustrat*. Barthius in suo ms. invenit *illuminat*, quod glossemati ascribendum censent Grunerus et Arntzenius.

27. Ms. Barth. *quamquam vos ipsi mihi cuncta monstrantes*, quod majori emphasi dictum existimat Barthius. In Reg. 1 glossa est *vos* supra *ipsi*, et *mihi* supra *monstrantes*.

28. Nonnulli scribunt *obtunsi*: plerique *obtusi*: de qua scribendi varietate dixi etiam in not. ad Juvencum. Communior scriptura est *obtusi*.

29. Reg. 1, *tamquam silicis vena*, sed prius aliud fuit. Vet. 1, Mon. *silicis vena*. Communis scriptura *tamquam silicis per venas*. Vatic. 1, *tamquam silicis per venam*. Vat. 2, *tamquam per venas silicis*: sic etiam Aldus. Virgilius l. VI, vers. 7: *Abstrusa in venis silicis*.

30. Almel. *et ad ipsum*: alii *et id ipsum*. Imitatur

doni cœlestis oleo permanere [31], nefas esse pensabam [32], muti [33] tenacitate silentii cum nullo partiri, ne unius talenti creditam quantitatem dum nitor [34] cautius custodire, culpa defossæ pecuniæ non carerem. Invidiæ siquidem maculam de sese non abluit, qui alteri conferre denegat, quod cum dederit, non amittit [35]. Inter diversas tamen anxiæ [36] trepidationis ambages, ad jaciendum hujus operis fundamentum ob hoc maxime [37] provocatus accessi, ut alios exhortationibus veritatis ad frugem bonæ messis [38] invitans si quando infirmitatis humanæ [39] vitiis forsitan lacessitus impugner, verbis propriæ disputationis admonitus metuam [40]: **139** et qui [41] furta prohibui, fur videri verear, et qui rectæ [42] soliditatis iter ostendi, proclivioris lubrici periculosa sectari, et clypeo dominicæ protectionis armatus inimicæ jaculationis tela facili repulsione contemnam. Cur autem metrica voluerim hæc [43] ratione componere, breviter expedire non differam [44]. Raro, pater optime, sicut vestra [45] quoque peritia lectionis assiduitate cognoscit, divinæ munera potestatis stylo quisquam hujus modulationis aptavit, et multi sunt, quos studiorum sæcularium [46] disciplina per poeticas magis delicias, et carminum voluptates oblectat. Hi quidquid [47] rhetoricæ facundiæ perlegunt, negligentius assequuntur, quoniam illud haud diligunt : quod autem versuum viderint [48] blandimento mellitum, tanta cordis aviditate susci piunt, **140** ut in alta memoria sæpius hoc iterando constituant et reponant. Horum itaque [49] mores non repudiandos æstimo, sed pro insita consuetudine, vel natura tractandos, ut quisque suo magis ingenio [50] voluntarius acquiratur Deo. Nec differt, qua quis

SCHOLIA.

Virgilium Æn. I, vers. 175. Alii pariter dicunt *nutrimentum*, *alimentum ignis*.

31. Vet. 1, Monast., Fabr. *permanare* : mss. cum aliis editis *permanere*.

32. Fabricium recte arguit Barthius, quod *putabam* pro *pensabam* reposuerit. *Pensare* enim sequiori sæculo est cogitare : ex quo ea vox ad vulgares linguas eadem significatione transiit. Non dissimili sensu usurpata eadem vox est a Curtio l. VII, c. 8.

33. Nonnulli vulgati *mutui* : retine *muti*. Silentii proprium epitheton est *mutum*, quod exemplis confirmatum voluit Arntzenius.

34. Ald., Vatt. 1, 2, schedæ Poelm., *dum creditam quantitatem nitor*. Ott. 1, *creditam mihi quantitatem dum nitor*. Plerique mss., et editi, *creditam quantitatem dum nitor*.

35. Almel., Vet. 1, Monast., Poelm. cum nostris mss, *amittit*. Arntzenius cum aliis edidit *amittet*.

36. Reg. 2, *inter has tamen diversas anxiæ*.

37. Fabr. *hoc maxime* : mss. cum plerisque editis *ob hoc maxime*, quod probat Grunerus, neque improbat Barthius, quamvis particula *ob* ab optimis scriptoribus interdum omittatur.

38. Wopkensius conjecerat *bonæ mentis*, qui ita hunc locum a Barthio e suo codice citari observat. Verum non liquet, ita in suo ms. legisse Barthium : is enim scripturam Fabricii refert, ac varias sui codicis lectiones distinguere solet, sed de hac voce tacet. Et fortasse illi excidit *mentis* pro *messis*. Vat. 1, mendose, *bonæ mensis* : alii clare, *bonæ messis*.

39. Vat. 1, 2, Ald., *humanæ infirmitatis* : reliqui *infirmitatis humanæ*. Almel., Vet. 1, Monast., Fabr. *vitiis necessitate forsitan lacessitus*. Barthius putat, hæc duo verba *necessitate forsitan* glossas esse cujuspiam, viro sancto culpam amoventis, sed citra ipsius voluntatem. Aberant quippe ad ejus ms. Certe *necessitate* in nullo ex nostris mss. reperitur, neque in schedis Poelm., neque in Aldo. Verum Reg. 1, 3, retinent *forsitan* ; Reg. 2, Ott. 1, Vatt. 1, 2, *forsan* : sic etiam variant editi.

40. Barthius conjecit *me tuear* : Cellarius conjecturam inter ipsa Sedulii verba recepit. Grunerus, et Arntzenius ex sententia ipsa et sequentibus verbis veterem lectionem revocarunt. Vult enim Sedulius admoneri, et metuere verbis propriæ disputationis, ut qui furta prohibet, fur videri veretur. Cato in distichis : *Turpe est doctori, cum culpa redarguat ipsum*. Cicero hac ratione ab accusando Verre Q. Cæcilium deterruit in Divinatione in Verrem.

41. Reg. 1, a pr. m., Ott. 1, a pr. m., codex B, *metuam, ut qui* : schedæ Poelm. *metuam, qui*. Alii omnes *metuam : et qui*.

42. Arntzenius Aldo tribuere videtur *atque recte* pro *et qui recte*. Sed Aldus mihi habet *et qui recte*. Schedæ Poelm., Vat. 2, Ald. *aliis iter* : cæteri omittunt *aliis*. Observanda est phrasis *clypeo Dominicæ protectionis*, quæ familiaris est ecclesiasticis scriptoribus ex sacris litteris, in quibus *clypeus* et *murus* pro præsidio et tutela poni solet.

43. Poelm. *hac*, Vat. 1, *hoc* : reliqui *hæc ratione*.

44. Ott. 1, Reg. 1, *non differam breviter expedire*. Sic codex B., et schedæ Poelm.

45. Mss. plerique *vestra* : nonnullæ editiones etiam veteres *tua*, quod probant schedæ Poelm., et Grunerus : quia Sedulius in epistola numero singulari uti solet. Dissentit Arntzenius, qui notat, Sedulium in epistola prosæ ad Macedonium sic numero plurali loqui amare : quod apud alios etiam invenitur. Codex Barthii, Reg. 1, *cognovit*, quod aptius esse censet Barthius, probante Cellario. Grunerus et Arntzenius restituerunt *cognoscit*. Iidem rescribunt *pietatis* cum nonnullis editionibus : quia optime vox *pietas*, h. e., benignitas, clementia, huic loco convenit. At mss. omnes nostri cum ms. Barthii, et schedis Poelm., exhibent *potestatis* : in Vat. 2, per compendium litterarum *potestatis*, vel *pietatis*. Opportunus hic locus esset, ut Sedulius Juvenci primi poetæ christiani meminisset, quod observavi in Proleg. ad Juvencum, num. 91. Quod autem Aldus hinc suspicatur, Juvencum a Sedulio lectum non fuisse, mihi probabile non est. Vide schol. ad vers. 38, et 188, l. I.

46. Vatt. 1, 2, *sæcularium studiorum* : alii *studiorum sæcularium*. Codex B. omittit *quos* ante *studiorum*, et paulo post habet *voluptatem oblectat*.

47. Mss. omnes nostri, cum multis editis, *hi quidquid*. Poelm. *hi quoque quidquid*. Alicubi *hi quæque rhetoricæ*, quod minus rectum esse notatur in schedis Poelmanni. Ald. *perlegent* pro *perlegunt* : Verba *haud diligunt* desiderantur in cod. B.

48. Schedæ Poelm. *viderint versuum* : sic Vatt. 1, 2, Reg. 2.

49. Vat. 1, supra, *Eorum itaque*. Reg. 2, *non respuendos æstimo*. Reg. 1, *non repudiandos esse æstimo* : plerique *non repudiandos æstimo*. Aldus scribit *existimo*, sed Arntzenius probat multis exemplis, *æstimare* apud alios etiam positum pro *existimare*. Interdum tamen variant etiam apud alios scriptores mss. codices.

50. Ott. 1, Reg. 1, 2, Poelm., *ut quisque suo magis ingenio voluntarius acquiratur Deo*. Sic Reg. 3, sed *magis suo*. Vat. 2, *ut quisque magis suo ingenio acquiratur Deo* : sic schedæ Poelm., Ald., et Vat. 1, sed in hoc mendose *quis quos* pro *quisque*. Codex B.,

occasione [51] imbuatur ad fidem, dum tamen viam libertatis [52] ingressus, non repetat iniquæ servitutis laqueos, quibus antea fuerat irretitus [53]. Hæ sunt, pater egregie, operis nostri causæ, non supervacuæ, sicut didicisti, sed commodæ : quæ si probabili ratione non displicent [54], benignitatis tuæ donentur [55] favore, quo paululum ab scripturis [56] celsioribus vacans, humilioribus te quoque libenter impertias. Non semper aquila super nubes elevata pervolitat; sed etiam remissioribus aliquando pennis descendit ad terram. Sæpe belliger [57] miles armis, quibus **141** assuetus est dimicare, delectatur et ludere [58]. An [59] forsitan, ut ab hac te molestia perlegendi carminis, in occultis abducas, talibus me blandæ A orationis vocibus alloqueris, Cur, inquiens [60], affabilis amice, quem gratia puræ dilectionis amplector, dum me profusius [61] niteris venerari præ cæteris, et fidi propositi sedulitate sectaris, alios tamquam neglectos offendis, qui cum sint doctrina non impares [62], et una mecum soleant religiosæ fidei societate conjungi, me potissimum ac solum eligas, vel secernas, cui devotionis tuæ dicta committas? Habes [63] antistitem plenum reverentiæ sacerdotalis Ursinum, qui ab ætatis suæ primævæ [64] tirocinio regis æterni castra non deserens, vixit inter **142** barbaros pius, inter bella pacatus [65]. Accepit testimonium beati jam meriti evangelicæ sacramento doctrinæ. Legimus enim: *Beati pacifici, quoniam*

SCHOLIA.

Almel. *ut quisque suo magis ingenio acquiratur Deo.* Potest quidem vox *voluntarius* esse glossa verborum *suo ingenio;* sed Wopkensius exemplis in medium prolatis ostendit, fortasse esse pleonasmum aliis aliorum similem : nec video cur Arntzenius reponat, ejusmodi pleonasmum commode defendi posse, vix tamen hoc loco. Virgilius l. II Georg. vers. 10 : *Namque aliæ, nullis hominum cogentibus, ipsæ — Sponte sua veniunt.* Cicero de Finib. II, 10 : *Cum sua voluntate, nulla vi coactus.... Carthaginem revertisset.* Lactantius V, 20 : *Non expetimus, ut Deum... velit, nolit, colat aliquis invitus.* Sic alii pariter; neque Arntzenius discriminis rationem ullam facile afferet.

51. Almel., Poelm., Reg. 2, 3, Vat. 1, 2 : *Nec differt, qua quis occasione.* Ott. 1, *Nec differt quisquam qualibet occasione.* Reg. 1, *qua occasione quis.*

52. Vat. 1, cum nonnullis editis, *libertatis viam* : alii *viam libertatis.*

53. Vatt. 1, 2, Reg. 1, a pr. m., *ante* : schedæ Poelm., codex B. *ante irretitus fuerat;* alii *antea fuerat irretitus.* C

54. Vat. 1, 2, Ald., schedæ Poelm. *displicent tibi :* alii omittunt *tibi.*

55. Nonnulli vulgati, *donantur* pro *donentur.*

56. Nonnulli *a scripturis :* plerique *ab scripturis.* Multa ejusmodi scriptionis sunt exempla. Alii scribunt *impartias*, alii *impertias.* Pro *super nubes* Almel., et editiones quædam *supra nubes*, schedæ Poelmanni *per nubes.* Ex codice Taurinensi in Prolegom. num. 62, observare potes *quoque te*, et *supra nubes elata.* Pro *terram* Vatt. 1 et 2, Ald., schedæ Poelm. *terras.*

57. Cellarius edidit *sæpe etiam belliger*, inserto *etiam* ex antecedentibus, *sed etiam remissioribus*, solemni librariorum errore. Deest *etiam* in nostris omnibus mss. Favent tamen Cellario Almel., Vet. 1, Mon.

58. Pro *delectatur et ludere* nonnulli editi *delectatur etiam ludere*, pro qua scriptura Arntzenius laudat Aldum, in quo tamen invenio *delectatur et ludere.* Conjiciebat Arntzenius *delectatur et etiam ludere*, cujus phrasis nonnullum forsan exstat exemplum : non tamen mutat *et ludere*, ubi *et* valet *etiam.* Vossius suspicatur *assuetus est lædere, delectatur et ludere* per paranomasiam, ut apud Martialem l. I epigr. 5, al. 7. *Sed dum ludit aper, lædere novit aper.* Recte tamen dissentit Arntzenius, qui Sedulium illustrat similibus locis. Cicero l. II de Orat. c. 20 : *Sed videant quid velint, ad ludendumne, an ad pugnandum arma sint sumpturi.* Ovidius l. IV Trist., el. I, vers. 72 : *Aspera militiæ juvenis certamina fugi, — Nec nisi lusura movimus arma manu.* In nostris omnibus mss. *dimicare* legitur. Hunc Sedulii locum æmulatur Arator in prologo ad Florianum : *Loricam solitus mem-* B *bris imponere miles*, etc.

59. Schedæ Poelmann., Vatt. 1 et 2; Reg. 2, 3; Ottobon. 1, a pr. m. *an :* editi *at*, Reg. 1, *at*, supra *an* cum glossa *interrogando, vel jocando loquitur.* Alii codices *forsan, alii forsitan.* Vat. 1, *ut ab te* sine *hac.* Codex A. *perlegenda* minus bene. Codex A. *alloquens*, codex B. *alloquaris* pro *alloqueris.*

60. Grunerus cum nonnullis editis maluit *inquies*, probante Arntzenio. Sed quamvis ea loquendi ratio fortasse elegantior sit, tamen sequi oportet omnes mss. nostros, aliosque, et optimas editiones : *alloqueris. Cur, inquiens.* In Reg. 1, est *inquies*, sed eadem manu factum *inquiens :* cujus glossa in Reg. 2, 3, est *dicens.*

61. Schedæ Poelm. *profundius niteris.* Vatt. 1, 2; Ald., Reg. 1, 2, 3, Ott. 1, *et fidi propositi sedulitate sectaris.* In Ott. 1, videtur prius fuisse *fidei;* in Reg. 1. exstat glossa *fidelissimæ devotionis*, et in contextu fuit *et fidei proposita.* Plerique editi *fide propositi sedulitate amicos sectaris.* Codex A. *fida propositi.* Vocem *amicos* expungendam, recte censuit Grunerus, præsertim cum faveant Almel., et schedæ Poelm. præter mss. nostros. Pro *offendis* codex B, et, a pr. m., Ott. 1, *offendas.*

62. Vat. 2, Ald., *cum non sint impares :* Vat 1, *cum sint non impares :* Reg. 1, 2, 3, Ott. 1, *cum sint doctrina non impares :* ita pleræque editiones.

63. Multæ veteres editiones, *Habes autem :* e mss. alii exhibent *autem*, ut Ott. 1, Reg. 1; alii omittunt, ut Vatt. 1 et 2.

64. Plerique mss. nostri, *qui ab ætatis suæ primævæ.* Ott. 1, Vatt. 2 cum multis editis omittit *suæ :* sic auctor declamat. in Sallust. cap. IV : *At hercle lapsus ætatis tirocinio sese correxit.* Nonnulli vulgati *qui ab ætatis suæ primævo.* Vet. 1, Mon. *qui dum ab ætatis primævæ :* codex B. *qui dum ab ætatis tirocinio*, omisso *primævæ.* Vatt. 1, 2, Ald., et schedæ Poelm. *deserens dum vixit.*

65. Vatt. 2 legit, et distinguit *pacatus, accipit.* D Vat. 1, 2, Reg. 1, 3, Ottob. 1, *meriti evangelicæ sacramento doctrinæ.* Sic etiam codex Lips., et Aldus. Glossa in Reg. 2, *sacramento — statuto, confirmatione, sacratissimo fonte.* Cellarius edidit *testimonium beati jam meriti, et evangelicæ sacramentum doctrinæ* cum secunda veteri scriptura Reg. 1, et ms. Almel., in quo glossa exponit *sacramentum* per *mysterium.* Wopkensius præfert lectionem nostrorum codicum, sed pro *beati jam meriti* conjiciebat *beatitatem meriti :* nihil tamen mutat, quia *meritum beatum* ponitur pro merito beatitatis, usu improprio adjectivorum, Sedulio aliisque poetis familiari. Sic Sedulius vocat *jejunos morsus, naufraga brachia*, etc. Grunerus maluit *per evangelicæ sacramentum doctrinæ.* Verum quamvis hæc sit sententia, necesse tamen non est verba mutare.

ipsi filii [66] *Dei vocabuntur*. Habes Laurentium difficili comparatione presbyterum, qui substantiam sui patrimonii sic amavit [67], ut ecclesiis et egenis universa distribuens, tanti census effusione nihil perderet: sapientia pervigil, lenitate placabilis, quo et serpentis astutiam [68] cum lege custodiat, et columbæ simplicis animum non amittat. Habes quoque meum [69] Gallicanum æque presbyterum, non in libris sæcularibus [70] eruditum, sed placida bonitate mitissimum, catholicæ regulam disciplinæ factis potius edocentem, quam sermone [71] monstrantem. Quid Ursicini dicam quoque presbyteri [72] annosam **143** patientiam, et in Christi famulatu [73] non deficiendo juvenilem senectam? quidve Felicem referam vere felicem, hujus sæculi inimicum, cui crucifixus est mundus? Sunt et alii memorabiles [74] viri quamplurimi, quos ad hoc suscipiendum idoneos constat esse officium. Nec Hieronymi, divinæ legis interpretis, et cœlestis bibliothecæ cultoris, exempla pudeat [75] imitari, atque ad generosas quoque feminas, et præclaræ indolis fama subnixas, in quarum mentibus sacræ lectionis instantia sobrium sapientiæ [76] domicilium collocavit, propriæ disputationis transmittere documenta. Quis non optet, et ambiat [77] eximio Syncletices [78], sacræ virginis et ministræ, placere judicio? quæ superbi **144** sanguinis nobilitatem sic humilitate provexit ad gloriam, ut in cœlestis patriæ senatu fieri mereatur allecta. Vere dignum, in quo Dominus habitet [79], templum, jejuniis castigatum, orationibus refectum [80], puritate mundissimum. Scripturas etiam ecclesiastici [81] dogmatis

SCHOLIA.

66. Plerique mss. et editi, *ipsi filii;* alii omittunt *ipsi*.

67. Vatt. 1, 2, Reg. 2, cum Ald., schedis Poelm., Fabr. *sic erogavit*. Reg. 1, 3, Ott. 1, *sic amavit*, quod plerique vulgati exhibent. *Census* recte ponitur pro patrimonio, bonis ac divitiis.

68. Cod. B. *astutia* pro *astutiam*. Wopkensius conjicit *et columbæ simplicitatem non amittat*. Magis placent vera Sedulii verba. Vet. 1, *amittit* pro *amittat*. Alm., schedæ Poelm., *non amittat animum*.

69. Reg. 2, *habes meum quoque*. Ott. 1, cum aliis, *habes quoque meum*. Codex B. omittit *quoque*. Reg. 2, cum plerisque editis *Gallicanum:* alii mss. nostri cum Alm., Ald., sched. Poelm., *Gallianum*, vel *Galianum*.

70. Wopkensius suspicatur *in litteris sæcularibus;* sed nihil mutandum ait. Sic Daniel. c. 1, v. 17, *In omni libro, et sapientia*. Cod. Lips., *placida benignitate*.

71. Reg. 3, *dictis:* alii *sermone:* nonnulli editi utrumque ignorant, sed perperam. Eleganter enim, et frequenter hæc duo opponuntur, *res*, et *sermo; facta*, et *dicta; res*, et *nomen*.

72. Reg. 1, 2, Vatt. 1, 2, Ald. *Ursicini dicam quoque*. Alm. *Ursicini quoque dicam*. Reg. 3, Ott. 1, *Ursini quoque dicam*. Schedæ Poelm. *Ursici* præferunt. Arntzenius, *Quid Ursini presbyteri quoque dicam*. In Ott. 1, ex *Ursini* secunda manu correctum *Ursicini*. Idem Ottob. 1, Reg. 1, pro div. script. veteri eadem manu cum multis editis *patientiam*. Vatt. 1, 2, Reg. 2, 3, cod. B., Almel., Ald., schedæ Poelm. pro *patientiam* habent *sapientiam*, quod probat Petrus Burmannus, et istas quidem voces in mss. nonnumquam confundi jam alii observarunt.

73. Cod. B. *famulatum*. Vat. 2, schedæ Poelm. *deficientem;* alii *deficiendo*.

74. Vet. 1, Monast. *venerabiles* pro *memorabiles*. Ott. 1, *esse constat*. Paulo post Hieronymus dicitur *cœlestis bibliothecæ cultor* eo sensu, quo *bibliotheca* pro bibliis sacris ab ipso Hieronymo et ab aliis passim scriptoribus christianis sumebatur. Vide Ducangium.

75. Arntzenius ait deesse verba *te pudeat* a cod. B., et edit. Ald., Vet. 1, Mon. Sed, ut puto, solum deest verbum *te:* nam in Aldo certe legitur *pudeat* sine *te*, quod pariter abest a Reg. 1, 2, 3, 4, qui hic incipit, et Vatt. 1, 2. Codex Alm. *pudeat te*. Ald., Vat. 2; *generosas feminas*, omisso *quoque*. Schedæ Poelm. *subnixas fama*.

76. Reg. 1, *sapientiæ*, sed a sec. m., *sapienti*, cum glossa *Christo*. Observa verbum *instantia* pro assiduitate, perseverantia ex Plinio, Solino, Apuleio et aliis similibus.

77. Cellarius cum Alm. *et non ambiat*. Mss. alii cum editis omittunt *non*, quod recte hoc pacto omitti probat Arntzenius, et sæpe a librariis ineptis eam particulam repetitam et intrusam fuisse ostendit.

78. Vat. 1, 2. *Sincleticis*. Reg. 1, 2, et ut videtur, Ott., 1, *Sincliticis*. Sic etiam ms. Blandin. apud Bollandum die 5 Januarii, ubi in præfat. ad Vitam S. Apollinaris Syncletices memorat etiam hanc, quam Sedulius celebrat. Ipse legit *Syncletices*. Reg. 3, *Syngleticis*. Reg. 4, *Syngleticæ*. Cod. B. *Sincleticæ*. Ald. non *Sincletices*, ut ei tribuit Arntzenius, sed *Syncletices*. Vet. 1, Monast. *Sindeticæ*. Editi alii *Sindeticis*. Hæc varietas partim inde oritur, quod in mss. facile *cl*, et *d* confunduntur, partim quia *e* longum græcum per *i* nonnumquam redditur latine. Originem nominis Cellarius ex græco repetit a senatu, quod ex sequentibus confirmatur; schedæ Poelm. a fœdere. Cellarii verior est opinio. Cassianus l. VII, Coll. 10, sententiam S. Basilii de quodam senatore monacho sic refert: *Syncleticum perdidisti, et monachum non fecisti*. S. Syncletice sæculo IV monasterium virginum prima fundasse traditur. Quædam Syncletice memoratur in lapide apud Vignol. pag. 353. Vat. 2, cum nonnullis editis *ac Dei ministræ*, vel *et Dei ministræ*. Reg. 1, 2, 3, 4, Vat. 1, Ottob. 1, cod. B. *ac ministræ:* alii *et ministræ*, omisso *Dei*. Glossa in Reg. 1, *ministræ — diaconissæ*. Confer. Prolegom. num. 22. De diaconissis et viduis agit Zieglerus. Arntzenius edidit *et ministræ Dei*. Pro *gloriam* Vet. 1, *glorias*. Ald., et nonnulli alii editi *athleta* pro *allecta*. In Reg. 3 *alleta*, in Reg. 1 aliud erat scriptum, nunc *allecta*, uti legitur etiam in mss. Blandin. et Bollandi, qui in quodam codice apud Scottum mendum putat *athleta*. In Ott. 1 nunc videtur *anthleta*, prius aliud fuit. Schedæ Poelm. unice probant *athleta*. Sed præferendum cum plerisque *allecta:* quo verbo in re simili Livius, Plinius, Suetonius et veteres inscriptiones utuntur. *Allecti in senatum* proprie dicebantur, qui propter exiguum senatorum numerum ex equestri ordine in senatum assumebantur. Seneca in Agamemn. vers. 812 dixit, *Allegi cœlo* pro *referri inter deos*.

79. Nonnulli ediderunt *habitat:* sic Ott. 1 et Reg. 3, pro quo alii mss., et editi nostri exhibent *habitet*, ut conjecit etiam Wopkensius:

80. Cellarius cum mss. Alm. et Lips. *refectum*, h. e., confirmatum. Ott. 1 cum aliis *refertum*. Reg. 1, a pr. m., 3 et 4, *refectum*. Glossa in Ott. 1, *completum*.

81. Reg. 1, 4, Almel. *scripturas autem ecclesiastici:* alii *etiam* pro *autem*. Arntzenius sic annotat. *Etiam ecclesiastici* recte pro *et* scribi monent schedæ Poelmanni = quo fortasse innuit, alicubi esse *et* pro etiam.

ita sitiens epotavit, ut, nisi sexus licentia [82] defuisset, posset etiam edocere [83], licet in membris feminei corporis animus sit virilis. De quotidianæ vero misericordiæ dispensatione reticeo, quam sic exercet; ut sileat; sic largitur, ut lateat. Indicat [84] tamen ejus habitus pauper, ubi census proficiat dives. Et ut magnitudo [85] tantæ prudentiæ, gemina resplendens **145** lampade, plus luceret, habet germanam nomine, meritoque Perpetuam, annis imparem, factis æqualem, ævo teneram, probitate grandævam, quæ, dum nominis sui dignitate pascitur, sic vivit, ut nequeat amittere, quod vocatur. Illustris maritali potentia, illustrior religione divina, proximam virginitati [86] continet palmam, in conjugii fœdere manens pudica. Cætera, præter conspicuos, A utpote nuptæ convenientes ornatus, quæ jam de sorore diximus, in hujus quoque moribus invenimus. Ad hæc [87] ego congrua rursus ita responsione perfungar: Ne, quæso, domine, mi pater, quem diligere te profiteris, abjicias: quem fovere assoles, invidiose deterreas. Nullum siquidem ex his omnibus vito, de nullius meritis, aut instructione [88] diffido; sed in te cunctos aspicio. Quosdam collationibus assiduæ disputationis ad meliora vexisti: quosdam placidæ maturitate doctrinæ, desiderio sanctæ conversationis implesti: quibusdam exemplum factus es ad salutem: alios [89] intra **146** septa gregis tui oves fecisti: alios [90] enutristi; omnia omnibus [91] factus es, ut omnes salvos efficeres. Cesset, obsecro [92], plurimorum jactura verborum; cessent deinceps

SCHOLIA.

82. Wopkensius suspicatur *ut nisi sexui licentia defuisset:* non enim intelligit quid sit *sexus licentia.* Sed satis commode explicari potest, *nisi virilis sexus licentia defuisset:* subjungitur enim *animus sit virilis.*

83. Mss. omnes nostri, etiam Vatt. 1, in quo reliqua hujus præfationis desiderantur, *posset etiam edocere*, sed in Reg. 4, *posset etiam et edocere*, quæ videtur esse in Reg. 1, diversa lectio: cod. B. *potuisset etiam docere.* Ald. cum mss. nostris facit. Poelm. *posset et edocere.* Arntzenius *posset et docere*, qui nullam variam lectionem advertit in *docere.* Sic etiam legit Bollandus, qui ex ms. Scotti notat *potuisset* pro *posset.* Alm. *licet in membris.* Ald., Poelm. cum nostris mss., et cod. B., *licel in membris.* Arntzenius *cum in membris*, quod planiorem sensum reddit. Reg. 1, pro div. script. *licet et in membris:* glossa in Reg. 3: *licet — quamvis.* Bollandus habet *licet et in membris*, et ex mss. Scotti et Rosweydi profert *quam et in membris*, quod acutius videtur.

84. Arntzenius notat, schedas Poelm. monere, legendum *indicat*, non *judicat:* addit Arntzenius, *quo jure, non video.* Equidem neque ego video, quid ipse sibi velit. Nam Ald. cum mss. nostris omnibus habet *indicat*, et ipse Arntzenius edidit *indicat.* Poelmannus in textu *judicat*, ad marg. *indicat.* Ott. 1, *habitus ejus pauper:* reliqui nostri mss. cum Ald. *ejus habitus pauper.* Poelm., Arntz. *ejus pauper habitus.* Schedæ Poelm., et ejusdem editio ad marg. *refulgeat* pro *proficiat.*

85. In schedis Poelm. notatur, recte legi *et ut magnitudo*, neque delendum esse *ut.* Nostri mss., et editi, ita habent *et ut.* A ms. Bollandi aberat *gemina lampade.* Ott. 1, Reg. 1, 2, 3, cod. B., Alm., Vat. 2, et Ald. *habet germanam:* alii *habet et germanam* cum Reg. 4. Aliquando quidem *et* omissum est a librariis, cum præcedens vox iis litteris terminatur: aliquando tamen ex præcedenti voce repetitum est. Et quamvis hoc loco pro *etiam* sumi possit, melius tamen puto illud omittere. Reg. 2, *amittere, quo vocatur:* cæteri *quod.*

86. Vat. 2, Reg. 2, 4, Ald., *virginitati.* Ott. 1, Reg. 2 a sec. m., Reg. 3, Alm., *virginitatis*, quod edidit Poelmannus, sed in ejus schedis improbatum apparet. Ott. 1, Ald., codex B., Alm. et alii nostri mss., *manens pudica.* Barthii codex, *manens perpudica.* Poelmanni editio et aliæ, *permanens pudica:* sed in schedis Poelm. repositum fuit *manens pudica.* Id etiam magis placuit Arntzenio, quia simplex verbum in hac locutione usitatius occurrit. *Nuptæ* desideratur in codice B. *Conjugii fœdere* elegantia nota, similibus exemplis ab Arntzenio comprobata.

87. Vat. 2, Ald., schedæ Poelm. *ad hoc ego*: sic B Ott., 1, sed obscure, *hoc.* Reg. 1, 2, Poelm., Vet. 1, Monast. *ad hæc ego.* Reg. 4, mendose *ad hac ego.* Reg. 3, *ego ad hæc:* sic edidit Arntzenius, qui elegantiam notat, quod pronomen *ego* præponatur, cum hæc verba orationis paulo gravioris speciem præ se ferant. Multa quidem sunt istius modi exempla: sed non pauciora sunt, in quibus postponitur. In Reg. 3 additur *ergo*, nempe, *ego ad hæc ergo congrua;* in reliquis deest. Cod. B., *perfungatur;* retine *perfungar.* Schedæ Poelm. delendum censent *domine mi*, Alm. habet *mi domine;* Reg. 2, omittit *mi.* Vat. 2, Ald. cum schedis Poelm. *ne*, *quæso*, *pater*, et in Vat. 2, videtur fuisse *ne quæso te*, *pater.* Plerique *ne quæso*, *domine*, *mi pater.* Reg. 2, Vat. 2, Ald., *diligere profiteris:* alii nostri mss., *diligere te profiteris.* Barthius in suo ms. reperit *deteras*, quod videtur approbare, quia Tacitus et Horatius ita locuti sunt. Probum nihilominus est *deterreas*, h. e., per terrorem a te removeas, ut explicat Wopkensius, qui similia etiam quædam exempla profert.

C

88. Schedæ Poelm., *institutione* pro *instructione*, et *consolationibus* pro *collationibus.* Vat. 2, *factus ad salutem* sine *es.*

89. Reg. 2, *alios intra septa gregis accipiens tui oves.* Reg. 3, *alios accipiens intra septa gregis tui oves.* Reg. 1, 4, *alios intra septa tui gregis accipiens oves.* Ott. 1, Vat. 2, Ald., *alios intra septa gregis tui oves* sine *accipiens*; sed in Ott. 1, a verbo *quibusdam* usque ad *enutristi* omnia desunt in contextu, et margini addita sunt. *Accipiens*, quod exstat in multis vulgatis, aberat etiam a ms. Barthii, qui censet melius abesse, quam adesse. Pejus quidem est in cod. B. *aspiciens.* Gruneri editio *inter septa*, non *intra septa;* schedæ Poelm., et cod. B., *tui gregis*, non *gregis tui.* Id significat societatem, seu contubernium. Inter Cicer. ep. ad Att. l. VI, ep. 1: *Ac vellem, te in tuum veterem gregem retulisses.*

90. Vat. 2, Reg. 2, *alios in fide enutristi.* Reg. 1, 3, Ottob. 1, *alios enutristi.* Reg. 4, *alios nutristi.* D Poelm., *alios salvos enutristi:* nonnulli alii vulgati, *alios salvos enutrivisti.* In schedis Poelm. pro varianti lectione, *Al.*, *enutrivisti*, *al. implesti*, sed præferebant *alios in fide enutristi.* Illa *in fide* abesse a cod. B. et Aldo affirmat Arntzenius; sed quantum quidem ad Aldum attinet, mea Aldi editio exhibet *alios in fide enutristi.*

91. Vat. 2, Reg. 2, 3, Ottobon. 1, Ald. *omnia omnibus;* alii mss. et editi, *omnibus omnia.*

92. Reg. 4, *cesset nunc, obsecro.* Reg. 1, *plurium;* supra, *plurimorum.* Alm. *verborum jactura;* idem cum Ott. 1, cod. B., *longæ deinceps.* Plerique, *nec pigeat te.* Reg. 1, *nec pigeat* sine *te*, quod deest etiam in cod. B. et Reg. 4; sed in Reg. 1 additur supra. Reg. 2, 3, *ne pigeat te.* Reg. 4, *nec pepigeat;* forte pro *nec te pigeat.* Pro *adhuc fluctuanti* inverso

longæ excusationis ambages, nec pigeat te post tanti gurgitis emensa discrimina adhuc fluctuanti paginæ auctoritatis tuæ anchoram commodare. Quatuor ergo [93] MIRABILIUM DIVINORUM libellos, quos ex pluribus pauca complexus usque ad passionem, et resurrectionem, ascensionemque Domini nostri Jesu Christi, quatuor evangelistarum [94] dicta congregans A ordinavi, contra omnes æmulos tuæ **147** defensioni commendo. Huic autem operi [95], favente Domino, PASCHALIS CARMINIS nomen imposui, quia PASCHA nostrum immolatus est Christus : cui honor [96], et gloria, cum Patre, et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SCHOLIA.

ordine Vat. 2, cod. B., Ald., Vet. 1, Mon., schedæ Poelm., *fluctuanti adhuc*. Reg. 1, Ott. 1, cum nonnullis editis *commodare* : alii cum Ald., Vet. 1, Vat. 2, Mon., Poelm., *accommodare*.

93. Ott. 1, *Igitur mirabilium divinorum tres libellos*; sed *tres* appictum est supra. S. Isidorus de Vir. illustr. tres etiam enumerat. Nostri alii mss. Vat. 2, Reg. 1, 2, 3 : *Quatuor igitur mirabilium divinorum libellos*. Reg. 4, *Quatuor mirabilium igitur divinorum*. Quatuor etiam cod. Almel. recenset. In schedis Poelm. pro *quatuor* substituitur *quinque*. Editiones pariter variant, aliæ quinque libros exhibent, B aliæ quatuor. Varietas hæc in hac epistola ex numeris oriri potest, ut sæpe accidit : in ipsis vero libris distribuendis vel ex librariorum arbitrio, vel ex ipsa varietate in exemplaribus hujus epistolæ. Vide Prolegom. num. 31 seqq.

94. Ottob. 1, *quatuor Evangeliorum* : sic Reg. 1 a pr. m., supra *evangelistarum*, quod cæteri habent. Plerique mss. et editi, *congregans ordinavi* cum glossa in Reg. 2, *instruxi*. Mss. Poelm., *congregans curavi* : cod. Barthii, *congregans adunavi*. Barthio non displicet *curavi*, sed magis placet *adunavi;* quæ vox ad ultimum ætatis argenteæ tempus refertur. Burmannus ad Petron. c. 38 præfert *curavi :* sed hujusmodi vocis usus Wopkensio non probatur : qui conjicit *quis*, vel *quibus ex pluribus.... dicta congregare curavi*, vel *quos ex pluribus... dicta congregans adornavi*. Arntzenius rejicit *adunavi*, nonnihil propendet in *curavi*, sed cum Cellario recipit *ordinavi*. Hæc ipsa scriptura communis in nostris omnibus mss. clare exhibetur, ac cæteris est præferenda. Non enim assequor, cur *ordinavi* glossa censenda sit. C

95. Nonnulli editi, *Huic autem carmini;* vera lectio, *operi*, cujus glossa in ms. Barthii erat, *h. e., carmini præsenti*. Sedulius non semel *opus* vocat suum carmen, itaque alii loquuntur. Alioquin Sedulius voluit, nomen poematis, ut a prosa distinguitur, esse *Carmen Paschale*, nomen vero prosæ *Opus Paschale*. Nostri omnes mss. cum Ald., Mon., Vet. 1., sched. Poelm., *favente Domino*, alii editi *favente Deo*. Cod. B., *Huic autem, favente Deo*, sine *operi*. Ott. 1, cum Ald. et aliis mss. nostris, *Paschalis Carminis nomen imposui*. Codex Barth., *Paschalis Carminis novum nomen ideo imposui*. Arntzenio *novum* superfluum videtur, nec satis convenire. Nonnulli editi, *Paschalis Carminis ideo nomen imposui*.

96. Vat. 2, Reg. 1, pro sec. lect., vel glossa, Reg. 4, Ald., *cui est honor;* alii mss. nostri et editi, *cui honor*, sine *est*. Reg. 4, *honor, gloriaque cum Patre*. Ott. 1, Vat. 2, Ald. cum aliis editis, *et Spiritu sancto*. Reg. 1, *et cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen*. Alii mss. et editi, *et sancto Spiritu*. A Lips. absunt hæc, *cum Patre, et Spiritu sancto*. Idem codex, *in sæcula*, non *per omnia sæcula*, quod alii tenent. Arntzenius ait, *omnia* videri abundare, sed pro recepta scriptura affert Sedulium ipsum in fine epistolæ dedicatoriæ prosæ, Prudentium hymn. 9 Cath. vers. ult., et cod. ms. vitæ S. Odiliæ. In libris nostris liturgicis nihil est frequentius. In Vat. 2 deest *amen*. Reg. 4, *amen. Explicit epistola Sedulii ad Macedonium*. Sic fere codex vetus Taurinen- C sis, ut dixi in Prolegom. n. 62.

Dedicatio operis Paschalis

AD MACEDONIUM.

Sancto ac beatissimo patri Macedonio presbytero Sedulius in Christo salutem.

148 Præcepisti, reverende mi domine, Paschalis carminis textum, quod officio puræ devotionis

SCHOLIA.

In Opus Paschale notas edidit, qui primus omnium typis illud vulgavit, Franciscus Juretus. Recusæ eæ sunt in nonnullis editionibus Bibliothecæ Patrum, et præsertim in Bibliotheca Gallandiana. Non viderat Gallandius primam editionem Operis Paschalis, quæ a Jureto Parisiis procurata fuit anno 1585; et cum animadvertisset, in Bibliothecis Pa- D trum, maxime in Parisiensi anni 1644, Sedulianum hoc opus fœdis mendis ubique scatere, vix ut interdum auctoris mentem assequi posset, contulit inter se Bibliothecam Patrum Parisiensem anni 1644, et Lugdunensem, notasque suas subjecit, quibus nonnullos errores auferre, lumenque operi afferre conatus est. Ne mihi quidem licuit primam editionem Operis Paschalis consulere : contuli tamen editiones Bibliothecæ Patrum Margarini de la Bigne, Parisiis 1589; Auctarium Ducæanum ejusdem Bibliothecæ, Parisiis 1624; editionem Coloniensem 1618, Parisiensem 1644, Lugdunensem, et Gallandianam. Omnium harum editionum antiquissima profecto est Parisiensis anni 1589, quam potissimum sequar. Parisiensis anni 1624 mendosa est, sed mendosior altera anni 1644. Ex notis autem Jureti et Gallandii nihil omisi, quod ad hos libros Sedulii illustrandos pertinere arbitratus sum. Judicium Wopkensii de Prosa hoc est : *Nec tamen Prosæ huic tantum tribuo, ut illius auctoritate emendationes meas sæpenumero spongia damnaverim, quippe quam poematis sensibus non semper satis exacte adhærere, et aliquando etiam corruptæ scripturæ conformatam esse, mihi certo persuadeam*. Sic refert Arntzenius in præfatione qui tamen statuit, *pauca tantum in ipso carmine superesse, de quibus difficilius ex Prosa posset definiri, quid verum sit*. Vide Proleg. n. 238.

simpliciter exsecutus vobis obtuli perlegendum, in rhetoricum me [1] transferre sermonem. Quod [2] utrum placuerit, ideo geminari volueris, an quod offenderit, **149** ut potius arbitror, stylo censueris liberiore describi, sub dubio videor fluctuare judicio. Sanctis tamen jussionibus non resiliens, injunctam suscepi provinciam, et procellosis adhuc imbribus concussæ ratis vela madentia tumentis pelagi rursus fatigationi commisi per emensos cursus revoluti discriminis, et Cycladas ingentes, quas præcipitanti formidine celerius ante transieram, longa maris circuitione discurrens, ut illos portus et littora, quæ dudum prætereundo lustravi, diligentiori opera nunc viserem. Tradita [3] siquidem multa pro metricæ necessitatis angustia priori commentario nequaquam videntur inserta, quæ postmodum linguæ resolutio magis est assecuta. Dederimus hinc obtrectatoribus viam, dicentque nonnulli, fidem translationis esse corruptam, quia certa videlicet sunt in oratione, quæ non habentur in carmine. Si qui tamen istud objiciant, faciunt næ [4] intelligendo, ut nihil intelligant. Nam [5] si sæculares litteras assecuti, aut divinis videbuntur libris instructi, debent exempla veterum recensere, ne similia lacerare conentur injuste. Cognoscant, HERMOGENIANUM doctissimum jurislatorem tres editiones sui operis confecisse. Cognoscant, peritissimum divinæ legis Origenem tribus nihilominus editionibus prope cuncta, quæ disseruit, aptavisse. Nec eorum quispiam mordacis linguæ laceratur injuria, cum potius inde laudis consequantur augmenta, quod proventibus uberioris ingenii diligentiore posteros fide noscendæ veritatis instruxerunt. Aliud est namque mutare composita, et aliud integrare. Nam plena quamvis spatia divinæ legis immensa, quibus dicta semper adjiciuntur, et desunt, velut mare fluviorum penitus incrementa non sentiens, nullis terminari sensibus queant, nullis explicari linguis valeant. Sic et nostri prorsus a sese libelli non discrepant. Sed quæ defuerant primis, addita sunt secundis. Nec **150** impares argumento, vel ordine, sed stylo videntur, et oratione dissimiles. Proferant igitur sua, si qui carpere nituntur aliena. Promptius est omnibus judicare, quam facere, et de castrensi [6] munimine pericula securo vultu conspicere. Credo tamen, Pater egregie, nullum fore, quamvis impudenter, obloquium [7], si meruero dextrum [8] pectoris adipisci judicium. Fave primum [9], ut alii faveant, et omnium mentibus sententia se probatæ jugiter auctoritatis infundat. Tu facies, ut delectet evasisse discrimina, cum serenior cœperis aperire tranquilla. Navigare rursus in æquore, nunc in portu jam [10] navigem. Tandem aliquando post undas calcare liceat, nos [11] arenas tetigimus montes ex pelago. Tangamus montes ex saxo, et infirmos aquis irruentibus gressus navali positos statione firmemus. Priores igitur libri, quia versu digesti sunt, nomen Paschalis Carminis acceperunt. Sequentes autem in prosa nulla cursus varietate conversi, Paschalis designantur Operis vocabulo nuncupati. Utramque vero materiem vobis orantibus, Domino Jesu Christo, qui vota non recusat humilium, [12] et grego supplicanter, et offero, cui virtus, honor et gloria cum Patre, et Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

1. Gallandius edidit *me potius transferre*, fortasse ex mendosa lectione editionis Parisiensis anni 1644, *me potuit transferre*. Superfluum mihi videtur *potius*, quod paulo post occurrit, et hoc loco omittitur in cæteris editionibus Bibliothecæ Patrum.

2. Clarius erat, *utrum quod placuerit*, etc. Sed Juretus veteris codicis lectionem retinuit, quia familiare est huic auctori verum et rotundum verborum ordinem mutare : valebat enim magis carmine, quam prosa. Fortasse Sedulius scripsit *Quod utrum quod placuerit*, etc.

3. Sic emendavit Juretus : in veteri codice erat, *Tarditas siquidem multa*.

4. Gallandius cum reliquis omnibus Bibliothecis Patrum edidit, *faciunt nec intelligendo* : nescio, an ita etiam habeat editio Jureti. Sed certe vera lectio est *næ* : repetit enim Sedulius verba Terentii ex Andriæ prologo, ad quem redit infra, *Nec impares*, etc.

5. Ex correctione Jureti *Nam si* : vetus codex habebat *Nam sicut*.

6. In v. c. erat *munime*.

7. Gallandius suspicatur *obloquum*, malo *obloquium*.

8. Gallandius supplet *dextrum* (tui) *pectoris*.

9. Forte, *Fave primus*.

10. Locus mancus, et mutilus, ut videtur ; quod asterisco notatum voluit Juretus.

11. Locum mendosum sic restituebat Gallandius : *Tandem aliquando post undas calcare liceat nos arenas, qui tetigimus montes ex pelago*. Melius puto leviori mutatione *calcare liceat nos arenas. Tetigimus montes ex pelago : tangamus montes ex saxo*. Plerique editi referunt *non* pro *nos*.

12. Testatur Juretus, clare esse in v. c. *et grego*, quod tuetur pro *et congrego*. In Biblioth. Patrum invenio *et rogo* : mihi placeret *erogo*, vel *congrego*, quo verbo utitur in fin. prior. epist. Hæc satis innuunt, non minus carmen, quam Opus Paschale, vivente Sedulio, in publicam lucem prodiisse, quod tenui in Prolegom., num. 158.

Prologus metricus.

AD LECTOREM.

151 Paschales quicumque dapes conviva re- A [quiris,
Dignatus nostris accubitare toris,
Pone supercilium, si te cognoscis amicum,
152 Ne quæras opus hic codicis artificis :
Sed modicæ contentus adi solemnia mensæ,
Plusque libens animo, quam satiare cibo.
At si magnarum caperis dulcedine rerum,
153 Divitiasque magis deliciosus amas,
Nobilium nitidis doctorum vescere cœnis,

OPUS PASCHALE.

Incipit præfatio Sedulii antistitis in soluta oratione Paschalis Carminis ad lectorem.

Paschalibus te dapibus conviva quisquis impertis, accumbere nostris non dedignatus in toris, erectum supercilii depone fastigium, si charus advenis, et amicus, nec opus codicis hic requiras artificis : sed exigua parvæ mensæ solemnia lætus accipiens, contentus assumens, libentius animo saturare, quam cibo; aut si magna potius ubertate rerum caperis opimarum, divitiasque præcipuas deliciosus exspec-

SCHOLIA.

1. In cod. Reg. 1, post præfationem, sive epistolam ad Macedonium, additur *Explicit præfatio. Incipit secunda.* Ott. 1, post hymnum de Christo, *Incipit prologus Sedulii; Paschales*, etc. Codex Taurinensis in folio ultimo extra locum, et diversa manu : *Robeo. Præfatio operis sacri librorum novi et veteris Testamenti.* An pro *Robeo* legendum erit *Bobeo*, aut *Bobio?* Erat enim liber monasterii Bobiensis. Vat. 1, post Aratoris carmen, *Incipit prologus metricus Sedulii catholici poetæ. P. F. Paschali* (forte fuit prius *Paschalis*) *Carminis.* Montfauconius in Biblioth. bibl. mss. codice 1665 compendium litterarum sic refert *Pro festo paschali. Paschales*, etc. Sed omittit *carminis* : et in aliis codicibus his litteris *P. F.* solet indicari præfatio. Reg. 2 : *Præfatio Paschalis Carminis beati Sedulii poetæ.* Codex Urbinas : *Egregii Sedulii episcopi de utriusque testamenti historia prologus incipit feliciter : Paschales*, etc. Deest præfatio ad Macedonium. Ott. 2 : *Incipit liber Sedulii de actibus prophetarum, et toto Christi Salvatoris cursu : Paschales*, etc. Desideratur etiam epistola ad Macedonium, ut in Rom., qui ita habet, *Incipit liber poetæ Sedulii : Paschales*, etc.

2. Reg. 1 ex *choris* factum *thoris;* sic enim nonnulli scribunt, sed male, pro *toris. Accumbere, discumbere, recumbere* verba frequentia sunt de conviviis. Hinc *accubitus*, et *accubito*, verbum formatum a Sedulio, quod expressit etiam Braulio in Vita S. Æmiliani c. 24, et Sugerius in Ludovico VI : *Tanquam toris accubitati.*

3. Burmannus conjiciebat, *si me cognoscis.* Prudentius Psychom. vers. 287 : *Disce supercilium deponere.*

4. Editi, *Nec quæras;* sic Prosa et Reg. 1, pro diversa scr., sed in contextu, *Ne quæras*, quod cæteri nostri mss. retinent. Iidem nostri mss., cum plerisque editis, *opus hic codicis artificis;* Rom., corrupte, *conditis artificis.* Alb. inverso ordine contra metrum *artificis codicis.* Poelm. ad marg. *opes* pro *opus*, et in Ott. 1, a pr. m., videtur fuisse *opes.* Repugnat lex metri, cui non satis consulit Nebrissensis, dum sic reformat, *Ne quæras hic opes codicis artificis.* Ignorabat Arntzenius, quis ita hunc versum edidisset, cum a Savarone sic citari observasset. Sed, ut dixi, adverbium *hic* corripi non debet. Melius esset, *Hic nec opes quæras codicis artificis.* Cæterum recte procedit versus, *Ne quæras opus hic codicis artificis.* Grunerus exponit, Ne quæras in hoc codice opus artificis : eique assentitur Arntzenius. Sed longe melior est interpretatio ejusdem Arntzenii, quæ adhibita etiam fuit a Nebrissensi : Ne hic quæras opus codicis artificis, h. e., codicem artificem, vel manu artifici factum. In Ott. 1 glossa est *artificis*, h. e., *artificialis.* Ita adjective *artifex* interdum a probis scriptoribus usurpatur. Suspicari aliquis possit, an Sedulius nomine *codicis artificis* intellexerit commentarium aliquem culinarium, ut sunt libri Apicii titulo insigniti. Equidem non aliter accipio versus Martini Dumiensis sæculo VI, *in refectorio*, ut habet titulus : *Non hic auratis ornantur prandia fulcris; — Assyrius murex nec tibi sigma dedit. — Nec per multiplices abaco splendente cavernas — Ponentur nitidæ codicis arte dapes.* Eadem videtur esse sententia Sedulii. Vonckius voce plane dictatoria, ut ait Grunerus, ac formulis illis, quas in hujusmodi Criticis Menckenius, annotatoresque operis *de Charlataneria Eruditorum* reprehendunt. *Jurare*, inquit, *ausim, numquam hanc scripturam a vate nostro profectam : sed reponendum absque ulteriori mora : Nec quæras opus hic onychis artificis.* Vel si quem neglecta primæ syllabæ in *onychis* quantitas offendat, reponere jubet *nobilis artificis.* Ratio Vonckii est, quod Sedulius in perpetua a convivio est metaphora, adeoque nullus codici videtur esse locus. Verum imbecillius hoc argumentum est, quam ut lectio omnium mss. et editorum debilitari inde possit.

5. *Modica mensa* est mediocris, vel potius exigua, et vilis, *Adire epulas, convivium*, et similia, usitata phrasis. In codice Taurinensi sic corruptum est hoc distichon : *Sed modite contentus adi sullemnia mese — Plusque lebet animum quam satiare cevum.*

6. Nonnulli editi cum Parrhasio, et sched. Poel., *libenti animo.* Mss. omnes nostri cum aliis et plerisque editis, *libens animo.* Reg. 1, 2, Vat. 1, Ott. 2, Rom., Urb., *satiare.* Vat. 2, *saturare :* ita etiam fuisse videtur in Vat. 1, in quo nunc legitur *saturari*, quod ferri nequit. Grunerus cum multis editis *satiare :* Arntzenius ex prosæ verbo *saturavit*, et quia alibi etiam Sedulius verbo *saturo* utitur, nempe l. III, vers. 266, edidit *saturare.*

7. In Reg. 1 fuit., *Aut* pro *At.* In cod. Taurin. restat adhuc *Aut*, ut in prosa.

8. *Deliciosus* verbum Rutilii, Martiani Capellæ, Aratoris.

9. Vonckius, *mira innovandi libidine*, ut ait Grunerus, *abreptus*, pro *doctorum* rescribi vult *dominorum*, quia cœna *doctorum* respuit. Repugnant omnia exemplaria, etiam prosa : neque metaphora cœnæ ita perpetua esse debet, ut Sedulius doctrinæ, quam comparat cœnæ, omnino obliviscatur. Addit Arntzenius, *doctum* dici de eo, qui artis suæ peritus est, etiam de coquo. Verum id quidem : sed, ut dixi, Sedulius doctrinam potius, litterarumque peritiam commemorat.

10 Quorum multiplices nec numerantur opes. A
Illic invenies, quidquid mare nutrit edendum,
Quidquid terra creat, quidquid ad astra volat.
Cerea gemmatis flavescunt mella canistris,
154 Collucentque suis aurea vasa favis.
15 At nos exiguum de paupere carpsimus horto,
Rubra quod appositum testa ministrat, olus.

OPUS PASCHALE.

tas, nobilium debes cœnis satiari doctorum, quorum multiplices nequeunt referri apparatus. Illic profecto reperies, quidquid maris nutrit [a] unda vescendum, quidquid terræ fœcunditas subministrat, quidquid in nubibus pennali corpus libramento sustentat. In ipsis etiam ferculis pretiosa nimis varietate gemmatis flavescunt nectareis sua mella cum ceris, et aureis appositus in canistris concolor metallo favus [b] alludit. At nos de pauperis horti seminibus olus vile decerpsimus, quod in rubra testæ paropside

SCHOLIA.

10. Nic. Heinsius scribi jussit, *Quorum multiplices annumerantur opes*. Reponit Wopkensius, *nec* pro *non* venire, ac sic loqui Commodianum Instruct. 16: *Sunt alia præterea dæmonia fanis, — Quæ nec numerantur*. Sententia ex prosa clara est: nempe quorum opes ne numerari quidem possunt. Rejicienda ergo est alia conjectura Herm. Cannegieteri, *vel numerantur*, aut *et numerantur*. Parrh., cum Reg. 2, ita distinguit, *Quorum multiplices, nec numerantur opes*, scilicet multiplices sunt, nec numerantur. Indicium autem magnarum opum est, quod non numerentur: nam *Pauperis est numerare pecus*, ut vulgo dici solet. Horatius l. I, ep. 6: *Exilis domus est, ubi non et multa supersunt, — Et Dominum fallunt, et prosunt furibus*.

11. Heinsius rursus conjicit *mittit* pro *nutrit*, dissentiente pariter Vopkensio, qui observat, ob sequens verbum *creat* concinnum esse *nutrit*. Plerique distinguunt, *Illic invenies, quidquid mare nutrit edendum*; Burmannus non ineleganter, *Illic invenies, quidquid mare nutrit, edendum*.

13. Taurinensis vetus codex, *Terea gemmatis flavescunt mella canistris*. Mendosum est, *Terea*. Poelm. ac nonnulli alii editi, *Cætera;* vera lectio *Cerea* ex mss. et sententia. Accedit prosa. Pro *flavescunt* Arntz., *flavescent*, quod cum *invenies* recte cohæret. Sequitur autem *collucent* in præsenti, nisi hoc ipsum in futuro indicativi dicas a *colluco, collucis*. Multa enim verba sunt secundæ conjugationis, quæ in tertia etiam a poetis maxime adhibentur. Barth. citat *florescunt* minus bene. Cum tot critici hunc prologum excusserint, ac multa verba suo loco movere tentaverint, mirum videri debet, neminem in hoc versu *mella* sollicitasse. Et Nebrissensis quidem ansam præbuit suspicandi: *Quomodo*, ait, *mella canistris in cœna apponantur, non video, nisi malis legere* CATINIS. Sed exemplaria omnia referunt *canistris*, quod tuetur etiam acrostichis Belisarii v. 6 in Append. In ms. Reg. 2 hæc erat glossa supra *cerea, favum*, et supra *mella, licentia poetica dicit*. Omnes mss., quos vidi, et editi legunt *mella canistris;* ita etiam refert Aldhelmus cap. 2 Prosæ de Virgin., ubi de arte apum conficiendi mel loquens, sic ait: *Cujus artis molimen egregius poeta metrica facundia fretus catalectico versu creditur cecinisse, cum diceret: Cerea gemmatis flavescunt mella canistris. Et infra brachycatalecto, sive colopho, — Collucentque suis aurea vasa favis*. At Sedulius non canit hoc loco artificium apum, sed mensas secundas: itaque vix dubito, quin genuina lectio sit *mala canistris*, cum ob rationem Nebrissensis, tum quia ita melius mensæ secundæ exprimuntur, tum denique quia id suadent aliorum scriptorum loca, quæ Sedulius imitatur. Ovidius l. VIII Met., vers. 672: *Dantque locum men-*

B *sis paulum seducta secundis. — Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis, — Prunaque, et in patulis redolentia mala canistris, — Et de purpureis collectæ vitibus uvæ. — Candidus in medio favus est*. Pervulgatum est proverbium, *Ab ovo usque ad mala*. Certe nulla causa est, cur mellis *canistris* apponendi Sedulius mentionem faceret, cum favum *vasis aureis* collucentem memoret ex veteri more adhibendi mel in conviviis, ut de Pythagoræis testatur Jamblichus Vit. Pythag. c. 21, n. 97: *In prandio panis erat, et mel, aut favus*. Etsi autem Sedulius libro II, vers. 268, utrumque conjungit, *Exsuperantque favos, et dulcia mella*, quasi duo synonyma verba ponens, tamen in præsenti minus id commodum esset, cum duas diversas res exponere voluisse videatur. Quod autem non *catinis* legendum sit, ut conjiciebat Nebrissensis, sed *canistris*, præter Ovidium suadet etiam Cicero l. VI, ep. 1, ad Att., circ. med. *Lancibus, et splendidissimis canistris olusculis non soles pascere; quid te in vasis fictilibus appositurum putem?* Huc
C etiam, ut arbitror, Sedulius respexit. Vide etiam Prudentium, hymn. 4 Perist. vers. 15: *Pretiosa portans — Dona canistris. Cerea mala* dicuntur vel ob colorem cereum, quo spectat *flavescunt*, vel quia mollia sunt. Hoc pariter ex Virgilio videtur sumptum ecl. 2, vers. 59, *Addam cerea pruna*. Ductus autem ipse litterarum eo nos ducit, ut ex *mala* factum *mella* ab ignaris librariis existimemus, præsertim quia medio ævo malum dicebatur *melum* ex Græco μῆλον, *pomum:* quæ vox etiam in Italicum idioma transiit. Confer Ducangium.

14. Nebrissensis dubitat, an favi dicantur *sui*, quasi sui coloris, an quia vasis aureis apponi consueverant. Verum id nomen *suis* solum indicat, favos tunc in vasis aureis contineri.

15. *Pauper hortus* est tenuis, non abundans, ut apud alios *pauper ager, pauper mensa*. Virgilius ecl. 7, vers. 34, *Custos es pauperis horti*.

16. Reg. 1, *oppositum*, supra diversa lectio, vel
D correctio *appositum;* quod unice tenendum. Est enim verbum *appono*, uti simplex *pono*, frequens in conviviis explicandis. Vide verba Ciceronis paulo ante relata, et not. ad Juvencum l. III, vers. 80. In Urb. mendum clarum *testum* pro *testa*. Isidorus citat hunc versum, ut dixi in Proleg. num. 167; citat etiam Beda de Arte metr., sed mendose *Rubræ* pro *Rubra*, in exemplari quidem, quo utor.

[a] Reposui *nutrit*, ut *subministrat, sustentat*. Alii, *nutrivit*.

[b] Ad hunc locum ita Juretus annotat: *Sic ex vestigiis detritæ scripturæ veteris exemplaris expressi*. Ex quo colligi licet, neque illa quidem, quæ de melle præcesserunt, satis clare legi potuisse.

LIBER PRIMUS.

155 Cum sua gentiles studeant figmenta poetæ
Grandisonis pompare modis, tragicoque boatu,
Ridiculove Getæ, seu qualibet arte canendi

156 Sæva nefandarum renovent contagia rerum
Et scelerum monumenta canant, rituque magistro
Plurima Niliacis tradent mendacia biblis :

OPUS PASCHALE.

voto magis, quam splendore cernimus ministrare.

Cum poetarum studiosa consuetudo gentilium fabulosas carminis nugas nobilium commendet pompa verborum, et sive clamoribus cothurnatæ tragœdiæ, seu ridiculi Getæ comica fœditate, vel quibuslibet metricæ numeris disciplinæ priscorum scelerata temporum gesta, nonnulla etiam probra narrationis arte composita Niliaci papyro gurgitis calamo perarante

SCHOLIA.

17. Hic rursus novæ inscriptiones in multis exemplaribus apparent. Reg. 1, *Explicit metricus prologus. Incipit sacrum opus idem de veteri Testamento.* Ott. 1, *Incipit Paschalis carminis utriusque testamenti. Incipit liber primus Sedulii.* Vat. 1, *Incipit sacrum opus de veteri Testamento, libri primi Sedulii de singulis utriusque testamenti miraculis.* Reg. 2, *Incipit sacrum opus ex veteri Testamento. Quod poeta incitat se ad scribendum.* Urb., *Præfatio ejusdem arguens gentiles.* Ott. 2, *De figmentis poetarum* Rom., *Præfatio gentiles arguens.* = Codex bibliothecæ Laurentianæ apud Bandinium exhibet *pigmenta* pro *figmenta :* sed retinendum est *figmenta.* Mendum pariter apud Bedam de Arte metrica *Cum tua.* Petrus Paulus Justus Specim. observat. cap. 21, censet legendum, *Sic sua gentiles studuerunt ficta poetæ :* quia sic invenit apud auctorem veterem vitæ B. Adalberonis inter Pezii Scriptores rer. Austr. t. II, pag. 6. Sed non advertit, hunc auctorem verba Sedulii aliquantulum mutata in rem suam trahere, ut *sic* pro *cum*, *studuerunt* pro *studeant*, quod sensus in Sedulio exigit.

18. Barthius l. II Advers. c. 2, ex Gulielmo Britone Sedulii imitatore profert : *Si sua gentili mendacia cuique poetæ — Grandisonante fuit licitum pompare boatu.* De verbo *pompare* confer num. 189 Proleg. judicium Parrhasii. *Pompatus* verbum est Tertulliani. Scriptores sequioris ævi non tantum *pompare*, sed et *pompizare* dixerunt. Vide Ducangium, et not. Colvenerii ad Chron. Camerac. Balderici. In prologo Vitæ B. Adalberonis ex editione Joannis Abbatis Lubacensis legitur *Grandisonis ornare modis :* sed inter Scriptores rer. Austriac. restitutum est e mss. *pompare.* Pergit autem auctor ejus Vitæ *tragicoque boatu, et ritu magistro pulchra mendacia sua, parum posteritati profutura, pulchris ænigmatum adumbrare, et includere figuris.* Quæ ex sequentibus Sedulii versibus desumpta sunt, adeoque minus bene in priori editione scriptum fuit, *et ritu magnifico* pro *et ritu magistro.* Hoc vero notandum, quod verba *Niliacis biblis* v. 22 explicare videtur auctor per *pulchras ænigmatum figuras.*

19 Mss. nostri *Ridiculove Getæ :* Rom., Ang. scribunt *Ridiculo vegete*, quod inde ortum, quia in antiquissimis membranis verba non separabantur, et deerant interdum diphthongi. Igitur ex *Ridiculovegete* inepti librarii fecerunt *Ridiculo vegete*, quam scripturam nonnulli defendere voluerunt, quasi sermo esset de *vegete*, quod pro vini cado a Palladio poni aiunt. Grunerus Vonckio videtur imputare, quod pro *Ridiculove Getæ* legi jusserit *Ridiculove scæva.* Sed si id Grunerus credidit, falsus fuit animi : Vonckius enim in v. seq. *Scæva* pro *Sæva* reponi voluit. Parrhasius, Nebrissensis, qui advertit, legendum non esse *Ridiculo veteri*, Fabricius, et alii recte ediderunt *Ridiculove Getæ.* et de comœdia ex Getæ servi nomine interpretati sunt. Barthius hanc interpretationem non probat : nimirum putat ipse, Getam nomen esse ridiculi cujusdam dei apud vetustissimos Britannos, de quo rerum Anglicarum scriptores agunt, et in primis Asserus in vita Ælfredi, qui sæculo IX exeunte floruit, et genealogiam Getæ ponit, et hos ipsos Sedulii versus in eam rem producit. Verba Asseri exhibui in Prolegom., num. 179, ubi alia aliorum similia addidi. Eodem fortasse respicit, quamvis Sedulium non nominet, Ethelredus, sive Ælredus abbas Rievallis De geneal. reg. Ang. : *Geta, qui et ipse tantæ sapientiæ, et virtutis habitus est, ut a paganis pro deo coleretur.* Asserus tamen primum vocat *Geada*, ex quo *Getæ* nomen conficit. Gronovius Observat. in Eccles. cap. 2, Barthium, aliosque summos viros, qui id amplexi fuerant, rejicit : et animadvertit, omnes comicas personas esse ridiculas, et nominatim Getam ridiculum a Menandro esse introductum. Ovidius l. III de Arte vers. 331 : *Nota sit et Sappho (quid enim lascivius illa?) — Cuive pater vafri luditur arte Getæ.* Sedulius clare seipsum in prosa explicat : *Ridiculi Getæ comica fœditate.* Profecto cum præcesserit tragicus boatus, consequens est, ut ridiculus boatus Getæ de comœdia exponatur. Grunerus putavit, Parrhasium correxisse *Ridiculove Geta*, quod falsum est. Parrhasius enim cum mss., et aliis editionibus legit *Ridiculove Getæ*, nisi quod scribit *Gete :* nam in ejus editione diphthongi aliquando omittuntur. Nec liquet, an Gronovius legi voluerit *Ridiculove Geta*, ut Grunerus, et Arntzenius affirmant, qui hanc scripturam tenuerunt. Mihi sane id parum arridet. Non enim ait Sedulius *pompare ridiculo Geta*, sed *pompare ridiculo boatu Getæ*, vel *renovare contagia tragico boatu, aut ridiculo boatu Getæ, aut qualibet arte canendi.* Ita enim potius sententiam, et syntaxin accipio.

20. Vonckius pro *Sæva* legi jubebat *Scæva*, quod Burmanno etiam placuit : et ita quidem semper in nonnullis mss. scribitur *scævus* pro *sævus.* Vide var. lect. ad Juvencum, l. I, vers. 287, ubi simulem varietatem notavi. Arntzenius, si quid mutandum esset, vellet *sacra*, h. e. dira. Asser. loc. cit. *renovant*, et v. seq. *canunt :* utrumque male.

21. Hic etiam in scribendi ratione variant libri veteres, *monimenta*, et melius *monumenta.* Arntz. *canunt :* lege *canant.* Nota phrasin *monumenta scelerum* ut *monumenta furoris, clementiæ.*

22. Urb. *juliacis :* retine *niliacis ;* abundabat quippe Nilus papyro Fulgentius l. I Mythol., præfat. pag. 12 : *Et quidquid libet niliacis exarare papyris.* Reg. 1, male *tradunt* pro *tradant*, ut *canant, renovent, studeant.* Munckerus ad Fulgentium loc. cit. profert *miracula chartis.* Sed *mendacia* ex mss., editis, prosa, et sensu auctoris retinendum est. Etiam *biblis* defenditur ex mss., et editis, nisi quod cod. Vulcanii exhibet *libris.* At Sedulius *biblis* voluit ex Lucano l. III, vers. 222 : *Nondum flumineas Memphis contexere biblos — Noverat.* Græce *biblos*, seu *byblos* est papyrus, ex qua charta fiebat ; eademque voce liber significabatur, ex quo *biblia, bibliotheca.*

157 Cur ego Davidicis assuetus cantibus odas
Chordarum resonare decem, sanctoque ve-
[renter
Stare choro, et placidis cœlestia psallere verbis,
Clara salutiferi taceam miracula Christi?
Cum possim manifesta loqui, Dominumque to-
[nantem
Sensibus, et toto delectet corde fateri,
Qui sensus, et corda dedit, cui convenit imi
158 Facturam servire suam, cui jure perenni
Arcibus æthereis una est cum patre potestas,
Par splendor, communis apex, sociale cacumen,
Æquus honor, virtus eadem, sine tempore re-
[gnum,
Semper principium, sceptrum juge, gloria
[consors,
Majestas similis: hæc est via namque salutis,
Hæc firmos ad dona gradus paschalia ducit.
Hæc mihi carmen erit: mentes huc vertite cuncti.
Hanc constanter opem læsis adhibete medullis,
Quos lethale malum, quos vanis dedita curis
Attica Cecropii serpit doctrina veneni,

OPUS PASCHALE.

contradant: cur ego, qui decachordo psalterio inter beati dogmatis choros Davidicæ modulationis cantus exercens, spiritualia reverenter dicta respondeo, mirabiles Christi salubresque virtutes pressa voce reticeam, cum veritatis opus arripere, et fidelis instrumenta [a] sermonis dona debeam cœlestis gratiæ non tacere? Nulli siquidem justius humani cordis, et sensus famulatur officium, quam omnipotenti Domino, qui sensus instituit, corda [b] fundavit, ut devota semper Creatori materies proprium non relinquat auctorem, cui fabricam sui juris nec subtrahi convenit, nec perire. Cui ditione perpetua in æthereis arcibus una est cum Patre potentia, par splendoris claritas, communis apicis indivisa sublimitas, honor æquus, eadem virtus, sociale fastigium, regnum temporibus infinitum, jugi semper manens æternitate principium, sceptri societas, consors gloria, similis et majestas. Hæc est ad salutis domicilium dirigens via, hæc firmis gressibus ad paschalia dona panditur semita. Hic nostri ponimus operis fundamenta. Hæc igitur ægras cuncti mentes advertite, hanc morbis medicinam lethalibus adhibete, quos noxiæ disputationis vana serpit intentio, et Attici dogmatis insanabilis disciplina Cecropiæ sauciat veneno doctrinæ, ut cum vitales auras divinæ legis spiramento flagrantes odore gratæ suavitatis hauritis,

SCHOLIA.

23. Retinemus communem scribendi rationem *davidicis*: alioquin mss. omnes nostri, excepto recenti Urbinate, scribunt *daviticis*, quod etiam legitur in multis veteribus editionibus. Arntz., *Cur ego daviticas assuetis vocibus odas*, quod ait Arntzenius defendi posse, si solummodo pro *assuetis* rescribatur *assuetus*. Immo etiam cum *assuetis* bene procederet sententia, si postea legatur *vererer*, aut *verebor*. Cur ego vererer assuetis vocibus resonare davidicas odas decem chordarum, sanctoque choro stare, etc.? Aldhelmus dixit simili modo, *Odas davidicas modulantes carmine sancto*. Nec rejicienda tamen est recepta lectio.

24. Vulc., *resonare darem*: corrige *decem;* sermo enim est de instrumento musico decachordo, quod non semel in psalmis commemoratur. Videsis Calmetum dissert. de instrum. music. Hebræor. ad Comment. II tom. in Psalm. Vatt. 1, 2, Reg. 1, 2, Ott. 1, Ang., Asserus *verenter*, quo spectat mendum in Alb., Ott. 2, Urb. *verentur*. Parrh., Cappusotus, Ald., et alii editi simili modo *verenter*, quod tenuit etiam Arntzenius. In hac scriptura verbum pro *assuetus* erit *taceam*. Nota Nebrissensis hoc loco est, *verebor, i. e., cum maxima quadam reverentia*. Sed in textu versuum editionis Nebrissensis, qua utor, legitur *verenter*, et nota hoc ipsum innuit. Poelm. cum nonnullis editis *vererer;* scilicet cur ego assuetus vererer, resonare, etc.

25. In nota Nebrissensis pro *placidis* est *placitis*, sed fortasse mendose: nam explicatio *non turbulentis* arguit *placidis*.

27. Nonnulli editi *domumque;* qui error fortasse natus est ex compendio litterarum, quo in mss. scribitur *dominumque*. Arntzenius quædam similia exempla profert, ut probet, versum recte participio finiri contra Servium, sive quemvis alium, qui operibus Servii multa inepta immiscuit.

28. Mss. nostri *delectet:* in aliquo tamen dubium videtur, an sit *delecter*. Pro *delectet* stant alii mss., schedæ Poelm., et plures editiones. Wopkensius cum Parrh., Fabr., Vulc., Lips. præfert *delecter*, ut in epistola ad Macedonium, *delectatur et luderc*. Poelm. in textu *delectat*, ad marg. *delecter*. Col. *delectat:* sic etiam Alb.

30. Cant. et schedæ Poelm., male, *servare* pro *servire*. Rom., *cui jure perennis*. De verbo *factura* pro opere facto dictum jam a nobis fuit in not. ad Prudentium, et Dracontium.

31. Reg. 1, *ætheris*, supra glossa, vel correctio *æthereis*, quod rectum est.

34. Mss. omnes nostri cum plerisque editis *sceptrum juge*, correpta prima in *juge*, quod fieri solet a Sedulio. Fabricius, ut hoc metri peccatum fugeret, sæpe lectionem veterem corrupit.

37. Sedulius videtur id mutuari a Juvenco l. 1, vers. 27: *Nam mihi carmen erit Christi vitalia gesta*.

38. Ott. 2, *lætis;* lege *læsis*.

39. Herm. Cannegieterus conjiciebat, *Queis lethale malum, queis... inserpit doctrina veneni*.

40. Pro *cecropii* plerisque mss. nostri, et alii cum Parrhasio *cecropei*, quos audiendos non esse monuit Gruterus. Nostri omnes mss. *serpit* cum Cant., Arntz., Lips., Almel., in quo glossa *invadit*, et plerisque antiquis editionibus. Codex Barthii *cepit*, quod Cellarius, et Arntzenius arripuerunt. Nonnulli vulgati *sepit*. Codex Taurin., *Attica cœcropii serpit doctrina veneno*. Cannegieterus suspicatur *inserpit*, ut nuper dicebam. Joann. Conr. Schwartius *carpsit*, ex quo Wopkensius malebat *Attica cecropis carpit doctrina venenis*. Verum cum verbum *serpit* exstet non solum in fere omnibus mss., verum etiam in prosa, retinendum omnino est. Etsi enim frequenter hoc verbum *serpo* construitur cum aliqua præpositione, ut *serpere per terram, in arborem*, aut peculiari modo *serpere humi*, nihil tamen obest, quominus efferatur cum accusativo sine præpositione vel ita ut subintelligatur præpositio *per*, quæ a poetis interdum omittitur, vel accusativus ille sit tanquam personæ patientis. Siquidem passive *serpo* usurpatur a Solino c. 52, al. 35: *Cum terra nullo serpatur angue*. Cur ergo dici non poterit, *Cum nullus anguis terram serpat?*

[a] Legendum puto *et fidelis instrumento sermonis*.

[b] Alii *instituit, et corda:* alii sine conjunctione *et*.

159 Sectantesque magis vitam spirantis odo- A [rem
Legis, Athenæi pædorem linquite pagi.
Quid labyrintheo, Thesidæ, erratis in antro,
Cæcaque Dædalei lustratis limina tecti?
Labruscam placidis quid adhuc præponitis uvis,
Neglectisque rosis, saliuncam sumitis agri?
Quid lapides, atque æra coli, quid fana profa- [nis
160 Proderit, et mutis animas damnare me- [tallis?
Parcite pulverei squalentia jugera campi,
Et steriles habitare plagas, ubi gignere fruc- [tum
Arida nescit humus: nec de tellure cruenta
Livida mortiferis vellatis toxica succis,
Tartareis damnata cibis: sed amœna vireta
161 Florentum semper nemorum, sedesque [beatas
Per latices intrate pios, ubi semina vitæ
Divinis animantur aquis, et fonte superno
Lætificata seges spinis mundatur ademptis,

OPUS PASCHALE.

Athenæi pædoris illuviem sensu deinceps puriore B jam parcite squalentibus arenosi pulveris glebis, et linquatis. Quid tenebrosis erroribus labyrintheos, Thesidæ, circuitis anfractus, et involutis exitu pereunte vestigiis, caligantia cæcis ambagibus antra lustratis? quid adhuc labruscam bonæ viti præponitis? quid nitidis saliuncam rosariis antefertis? Quid in lapideis simulacris et æreis figuris inani cultu confidere, ac fana profana, venerando metallica, proderit animos servitute damnare? Parcite, quæso, sterilium nuda perfrui siccitate camporum, ubi numquam gravidis arva visceribus, laborem sudantis agricolæ fecunda norunt relevare mercede. Nec de cespistis cruenti germinibus toxica lethalis succi nutrimenta vellatis, quæ cibis semper amica tartareis vitæ nesciunt famulari, sed morti. Quin potius jucunda florei germinis prata et amœnos beatæ sedis accessus per liquidos puri fontis latices introite, ubi

SCHOLIA.

42. Plerique et meliores mss., et editi, *pædorem*; alii *fetorem*, quod glossam potius sapit. Cellarius *Athenæi* interpretatur *Attici;* sed clarius est *Atheniensis*, ut multi alii *Athenæus* pro Atheniensi dixerunt. *Pagus Athenæus* est superstitio gentilium Atheniensium. Christiani *paganos* ethnicos vocarunt a pagis, in quibus diutius idololatria perseveravit. Inde poetæ Christiani pro vana superstitione *pagum* usurpabant, ut Prudentius, et alii. Isaanus Sedu- C lium videtur imitari l. I de Bello Trojano vers. 30: *Quin te cecropii mentita licentia pagi;* et l. III, vers. 454, *Desine, cecropii funesta licentia pagi, — Incestos generare deos.*

43. Pro *Quid* Arntz. *Qui:* melius est *Quid*. Plerique nostri mss. scribunt *laberintheo;* Poelm., *labirynthæo;* Arntz., *laborintheo*. cum inepta glossa, quæ in aliis etiam codd. reperitur, *quasi labor intus*. Alii, *labyrinthæo*. Vera scriptura *labyrintheo*. Nostri plerique mss., *Theside*, Ald., *Tesidæ;* cod. E, *Thessidæ*. Retine *Thesidæ:* sic enim vocantur a Virgilio Athenienses.

44. E nostris mss. alii, *Dædalii;* alii, cum editis, *Dædalei*. Pro *tecti* Col. *tectis*, fortasse *Dædaleis lustratis limina tectis*. Sed Arntzenius observat, familiarem esse poetis hanc locutionem *limina tecti* pro *limina domus*. De labyrintho *tectum* pariter dixerunt Virgilius et Ovidius.

45. Pro *placidis* Burmannus in margine malebat *placitis*. Pro *quid* Arntz. *qui*, ut vers. 43.

46. Parrh. mendose *saluincam* pro *saliuncam*. Ex Virgilio ecl. 5, vers. 16: *Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ, — Puniceis humilis quantum saliunca rosetis*.

47. In Reg. 1 nunc est *fana*, sed videtur fuisse *vana:* quæ fuit quoque conjectura Wopkensii. Sed luculentiorem sensum agnovit in *fana*, quomodo templa idolorum a Patribus passim appellantur. *Colere templa*, *fana* legitima phrasis est, et usitata. Confer var. lect., seu schol. vers. 242 h. l., *Heu miseri*. Ald. et Nebriss., *profani*, videlicet *o profani*. In codice meo ms., qui a vers. 45, *Labruscam placidis*, incipit, magis videtur scriptum *profani*, quam *profanis*. Nebrissensis agnovit alteram lectionem, quæ communis est *quid fana profanis — Proderit?* Nimirum quid proderit lapides, æra, et fana profanis, h. e., a profanis coli. Juvenco familiarem fuisse hujusmodi dativum pro ablativo cum verbis passivis non semel in notis monui.

48. Rom. *multis*, correctum per *mutis*. Burmannus legi volebat *nudis*, ut nuda metalla intelligantur, quæ nihil præter metalla sunt. Idem conjiciebat *donare*. Retine *mutis damnare;* intelliguntur enim muta simulacra. Simili modo Prudentius l. I contra Symm. vers. 210: *Fudit, opesque sibi cæca de rupe poposcit*. Et Perist. hymn. 5, vers. 68, etc.: *Coli jubetis numina — Excisa fabrili manu, — Cavis recocta et follibus: — Quæ voce, quæ gressu carent, — Immota, cæca, elinguia*. In verbo *damnare* Cellarius, et Arntzenius putant alludi ad damnatos in metalla, quibus similes sunt idolorum cultores. Melius Nebrissensis existimat, petitum id ex Virgilio ecl. 5, vers. 80, *Damnabis tu quoque votis*. Ponitur sæpe *damno* pro obligo, obnoxium reddo. Dicebantur ergo dii homines damnare, reosque voti facere, cum ea, quæ voto petebantur, concedebant, sibique obnoxios reddebant, ut præstarent ipsi homines ea, quæ voto polliciti fuerant. Ait ergo Sedulius, non deos damnasse, sive obnoxios sibi reddidisse homines, cum dii illi lapides et æra essent, sed ipsos homines sese mutis metallis obligasse.

50. Rom. *casas;* ad marg. correctio, vel diversa lectio, *plagas*.

52. Ald., mendose, *velatis* pro *vellatis*. Arntz., *mortiferi... succi*. Nonnulli vulgati, *mortiferis... fucis*. Verum veneno passim *succus* tribuitur, et error D hic librariorum commutantium *succus* et *fucus* frequens est, inde fortasse ortus, quod multi scribunt *sucus*, non *succus*. Toxica *livida* dicuntur, quod epitheton passim veneno tribuitur.

53. Reg. 1, Arntz., cod. E, cum aliis mss. et editis, *Tartareo damnata cibo*. Ott. 1, 2, Vatt. 1, 2, Reg. 5, cod. Meus in textu, Aug. cum Parrh., Ald., Prosa Sedulii, *Tartareis damnata cibis*, quod magis poeticum Arntzenio videtur. Plerique mss. scribunt *virecta* pro *vireta*. Similis varietas in aliis etiam scriptoribus occurrit: mihi magis placet *viretum*, quam *virectum*. Virgilius l. VI, vers. 679, *Devenere locos lætos, et amœna vireta — Fortunatorum nemorum, sedesque beatas*. Vide not. ad Dracont. l. III, vers. 679.

55. Reg. 1, *intrare*, supra recte *intrate*. Sampsit id Arator l. II, vers. 665: *Et latices intrare pios*, al. *In latices*.

57. Meus *adeptis*: lege *ademptis*.

Ut messis queat esse Dei, mercisque futuræ
Maxima centenum cumulare per horrea fructum.
Omnipotens æterne Deus, spes unica mundi,
Qui cœli fabricator ades, qui conditor orbis,
Qui maris undisonas fluctu surgente procellas
Mergere vicinæ prohibes confinia terræ,
Qui solem radiis, et lunam cornibus imples,
162 Inque diem, ac noctem lumen metiris utrumque,
Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus,
Signa, potestates, cursus, loca, tempora nosti,
Qui diversa novam formasti in corpora terram,
Torpentique solo viventia membra dedisti,
Qui pereuntem hominem vetiti dulcedine pomi
Instauras meliore cibo, potuque sacrati
Sanguinis infusum depellis ab angue venenum,
Qui genus humanum (præter quos clauserat arca)
Diluvii rapida spumantis mole sepultum
Una iterum de stirpe creas, ut mystica virtus,
Quod carnis delicta necant, hoc præsule ligno
163 Monstraret liquidas renovari posse per undas;
Totum namque lavas uno baptismate mundum:

OPUS PASCHALE.

vitalium seminum divinis aquis animata fecunditas nutrit segetem, revulsa sentium asperitate [a] crescentem, quæ nimiæ frugis ubertate multiplici, Dei queat esse jam messis, ac spem futuræ mercis opperiens, centenis cumulis fructum maximum recondat in horrea.

Omnipotens individui Deus numinis et æterni, qui totum sacro nutu contines mundum, qui machinam cœli tuorum digitorum operatione firmasti, et potentis [b] verbi fabricam condidisti, qui rapidam fluctuantis pelagi insaniam limitem terrenæ vicinitatis obruere, terminis prohibes constitutis, qui solis radiantis aspectus, et cornigeros lunæ vultus diei noctique conterminans, utriusque luminis vices sacræ moderationis libramento dispensas, qui stellarum numerum, potestates, signa, munera, loca, cursus, ac tempora solus colligis, solus agnoscis; qui rudis terræ membra torpentia per diversos motus vivis animasti corporibus, qui hominem fructus arboreos vetita præsumptione mandentem postquam morte condemnas, melioris cibi sacramento resuscitas [c], et a viperei morsus voluptuosa fallacia potu sanguinis immaculati conservas: qui humani generis nomen, præter quos custos arca munierat, repentina surgentis diluvii inundatione mersum penitus ac sepultum, ex una rursus progenie multiplicare restitutum, ut

SCHOLIA.

58. Vat. 1, *Et messis*: lege *Ut*. Ita fere S. Ignatius martyr: *Frumentum Christi sum; dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.*

60. Pro titulo Ott. 1: *Incipit deprecatio Sedulii rhetoris. Oratio.* Reg. 1. *Invocatio.* Rom. *Invocatio poetæ.* Aug. *Invocatio Sedulii.* Similes inscriptiones exstant in aliis mss., et editis, non ab auctore, sed a librariis pro arbitrio confectæ: quas omnes recensere supervacaneum esset. Parrhasius nullos habet hujuscemodi titulos capitum. — Ita fere incipit Dracontius l. II, *Omnipotens æterne Deus.*

61. *Ades* pro *es*: verbum compositum pro simplici, ut alibi.

62. Explicata est hæc sententia similibus exemplis in not. ad Drac. l. II, vers. 343. Nonnulli *undisonam... procellam.*

64. Barthius l. XXV Advers. c. 15 pro *et lunam* citat *ad lunam*, errore typographico, ut puto. Sed fortasse voluit *at lunam*, quod elegans est, sed contra mss.

65. Pro *metiris* Cant. *concedis*. Wopkensius explicat *Inque diem, ac noctem*, h. e., *interdiu, ac nocte*: clarior est prosæ interpretatio.

66 Ex sacris litteris petitum. Barthius ait, hos versus adumbratos ex Ovidianis V Met. Vid. Proleg. n. 170.

68. Gallandius ex codice Taur. pro varia lectione subjicit *Qui diversa nova formasti in corpora terra*: sic etiam notatur in Catalogo bibliothecæ regiæ Taurinensis, ex quo, ut puto, suas varias lectiones Gallandius deprompsit.

72. Aliqui vulgati *ab ungue*: mss. et meliores editi cum Parrh. *ab angue*. Favet Prosa.

73. *Præter quos*: vide, quæ de hac phrasi dixi ad Drac. l. III, vers. 430.

74. Meus *gravida*, ad marg. correctio, vel diversa lectio, *rapida*. Ott. 2, cum quibusdam editis, *rabida* pro *rapida*. Ita solent librarii *rapidus* pro *rabidus*, et contra scribere: ac sæpe dubitatur, quid melius sit. Hoc loco *rapida* communior est lectio, ac præferenda: innuitur enim celeritas diluvii.

76. In schedis Poelm. ascriptum erat, nonnullos legere, *Quos carnis*; alios, *Hos carnis*. Rom. a pr. m. *Quod*, correctum per *Quos*: cæteri *Quod*. Plerique mss. et editi, *præsule ligno*. Poelm. ad marg. *præside*, quod nonnulli vulgati referunt. Nebrissensis pro *præsule* conjecerat *præstite*, vel *præside*. Arntzenio displicebat *præside*; qui, nescio qua ratione, errorem hunc esse existimabat. Eadem enim est sententia, et eodem modo dici potest *præstite, præside, præsule ligno*, scilicet auxilio, præsidio, ope ligni crucis. Ridiculus enim est Cellarius, qui interpretatur *præsaliente arca super aquas*. Adeo heterodoxi a catholica doctrina de SS. Crucis veneratione abhorrent. Wopkensius, qui rectam interpretationem adversus Cellarium tuetur, eadem præjudicata opinione abreptus, conjecerat, legendum *præsule signo*, h. e. typo præmisso, vel per hoc prodigium. Rejecit tamen hanc ipsam conjecturam, cum observasset, alios quoque Patres arcæ diluvii lignum crucis comparasse, ut Augustinum de Civitate Dei l. XV, c. 26; Alcimum Avitum l. IV, vers. 300.

77. Meus *revocari* non inepte pro *renovari*. In Rom. mendum *renovare*.

78. Codex Taurin. mendose *Toto* pro *Totum*.

[a] Sic legit et distinxit Juretus, qui in vet. cod. invenit *Crescentemque nimiam frugis Ubertatem multiplicis Dei*.

[b] Intelligi potest *potentis verbi operatione*: vel lege *potenti verbo*. Gallandius conjicit *potentis verbi virtute fabricam*, etc., quia auctor videtur respicere verba Apostoli ad Hebr. I, 3, *Portansque omnia verbo virtutis suæ*. Confer Psal. VIII, vers. 4, et Job cap. XXXVIII, vers. 11.

[c] Alii minus bene *resuscitans*. Paulo post Gallandius vult *multiplicas restitutum*, vel potius *multiplicare statuisti*.

Pande salutarem paucos quæ ducit in urbem
Angusto mihi calle viam, verbique lucernam
Da pedibus lucere meis, ut semita vitæ
Ad caulas me ruris agat, qua servat amœnum
Pastor ovile bonus, qua vellere prævius albo
Virginis agnus ovis, grexque omnis candidus [intrat,
164 Te duce, difficilis non est via, subditur [omnis
Imperiis natura tuis: rituque soluto
Transit in adversas jussu dominante figuras.
Si jubeas mediis segetes arere pruinis,
Messorem producet hiems: si currere mustum
Vernali sub sole velis, florentibus arvis
Sordidus impressas calcabit vinitor uvas,
Cunctaque divinis parebunt tempora dictis.
Indicio est antiqua fides, et cana priorum
Testis origo patrum, nullisque abolenda per [ævum
Temporibus constant virtutum signa tuarum.
Ex quibus audaci perstringere pauca relatu
165 Vix animis committo meis, silvamque pa- [tentem
Ingrediens, aliquos nitor contingere ramos.

OPUS PASCHALE.

mysticæ demonstratione virtutis, quod carnis delicta necaverant, fida ligni protectione vallatum, per unum totius mundi baptisma panderes abluendum: illam mihi placidus viam, illam supplici nunc demonstra semitam, quæ ad salutaris urbis mœnia paucorum dirigit angusto calle vestigia, Hierusalem scilicet civitatem Dominicam, Christi passione nostrum Pascha gestantem, ut per hanc corporalis gratiæ hospitalitatem fulgentem, ad illam spiritalis gloriæ mereamur patriam pervenire, et sit *lucerna* [a] *pedibus meis verbum tuum*, Domine, quo recti fulgor itineris ad illa me florei graminis loca perducat, qua nitidum bonus pastor ovile conservat, qua virginis ovis agnum nivea claritate purissimum grex omnis sequitur candidatus. Non est via difficilis, si te ducem præbere digneberis. Omnia tuæ subjacent potestati. Omnis tuis imperiis natura succumbit, et in adversas species ac figuras jussu dominante pertransit. Si velis glacialibus segetes annuas flavere temporibus, producit, falcibus agilem hiems pigra messorem. Si vernalis plagæ tempore cum prima florum palla tellus adoperta resplendet, gravidis vineam pampinis jubeas parturire musteo vinitori, jam [b] nec repudians viscera felicis uvæ nectarea, temulentæ calcis grata propulsabit injuria. Cunctorumque temporum vices mutatis fructibus non renuent Creatori servire. Mirabilium siquidem divinorum cana pandit fides indicium, et antiqua patrum testis origo priscorum. Nec abolenda sæculis ævo senescente transactis immortalia cœlestium virtutum signa perdurant. Ex quibus metu trepidantis ingenii pauca saltem audaci relatione perstringere vix nostris animis et cordi permittimus imbecilli, ut silvam magnæ densitatis ingrediens, aliquos enitar extrema digitorum summitate ramos attingere. Nam etsi humano corpori centum simul ora suppeditent, centenisque linguarum motibus vox ferrea clamare non cesset, quis cuncta valeat expedire, quorum numeris nec astra cœli densissima, nec bibula maris arena conveniat? Ex quo in claram rerum faciem confusa materies, quæ chaos dicta est, Verbo fabricante, surrexit.

SCHOLIA.

80. Nonnulli vulgati *Augusto*: emenda *Angusto* ex verbis ipsis Salvatoris.

82. Ald. *quo servat*: alii *qua*.

83. Ottob. 1, *quo vellere*: sic Reg. 1 a pr. m., sed correctum *qua*.

84. Burmannus conjiciebat *agnus ovat*. Reg. 1, et Ott. 1 a pr. m., *oves*, correctum per *ovis* cum glossa in Reg. 1, *Mariæ*. Eadem est glossa in Reg. 2, eademque scriptura *ovis* in cæteris mss., et editis, uti etiam in Prosa. Sed fortasse vera est lectio *oves*, *grexque*, hac distinctione: *Virginis agnus oves, grexque omnis candidus intrat*: nam oves in judicio Dei statuentur a parte dextra, ut hædi a sinistra. In mss. exemplaribus sæpe *i* occurrit pro *e* positum. Huc facit Fortunatus l. II, carm. 4: *In cruce restituit Virginis agnus oves*. Immo etiamsi legatur *ovis*, eadem interpunctio, ac sententia sustineri potest. In Rom. deest *que* post *grex*.

87. Meus, *nominante*: lege *dominante*.

88. *Arere* pro maturescere, ut *arentes aristæ*. *Pruinis* pro hieme, ut alii vulgo poetæ.

89. Urb., Rom., *producit*: alii *producet* cum glossa in Reg. *dabit*. Sic postea *calcabit*, *parebunt*.

91. Ovidius II Met. 29: *Stabat et Autumnus calcatis sordidus uvis*.

93. Ott. 2, *Judicio est*: facile hæc inter se commutantur. Hoc loco *Indicio* sine controversia retinendum est. Virgilius I Æn. 296 dixit *Cana fides*: sic *cana jura*, et similia pro priscis, antiquis.

95. Pro *constant* schedæ Poelm. *exstant*.

96. Burmannus pro *relatu* malebat *volatu*, vel *meatu*, quia *perstringere* proprie avibus tribuitur. Quæ sane conjiciendi ratio inepta est. Sedulius fortasse imitatur Claudianum de Rapt. Pros. init.: *Junonis thalamos audaci promere cantu*, etc. Res divinas explicare velle etiam ethnici audaciam existimabant.

97. Idem Burmannus suspicatur *Vix alis committo meis*, eadem scilicet ratione ductus. Reg. 1, Urb., *potentem* pro *patentem*. Rom., pro d. s., *sonantem*.

98. Pro *aliquos* Parrh. *paucos*; vel hoc, vel *parcos*, scriptum videtur in cod. E. Burmannus conjectat *patulos*, quod epitheton ramis sæpe tribuitur. Meus *nitor paucos*. Corippus Paneg. Anast. init. id expressit: *Immensam silvam laudum, vir juste, tuarum — Aspiciens, celsos nitor contingere ramos*, etc. Adumbrata hæc ex Theocrito observavit Barthius I de Laud. Stilic., vers. 22. Clare Sedulium imitatur auctor vetus Vitæ S. Theobaldi, quam vidi in codice antiquissimo Vat. Reginæ Suec. 571, in fine: *Testem invoco habitatorem ejus Spiritum sanctum, multa cognita me prætermisisse, et de magna silva vix paucos ramos perstrinxisse.*

Paulo ante in vulgatis est *plagæ temporis*, et paulo infra *fidei judicium*, et mox *corde permittimus*.

[a] Ex psalmo CXVIII, vers. 105.

[b] Animadvertit Juretus, male esse in v. c. *nam nec repudians*. Sane tota hæc periodus obscura est.

Nam centum licet ora movens, vox ferrea [clamet,
Centenosque sonos humanum pectus anhelet,
Cuncta quis expediet, quorum nec lucida cœli
Sidera, nec bibulæ numeris æquantur arenæ ?
Primus ab usque chao meritis vivacibus Enoch
Multa per innumeros jam sæcula contigit annos,
166 Natura perdente modum, quem jure [creandi
Terra tulit : genitum sed mors miratur adem- [ptum.
Saucia jam vetulæ marcebant viscera Saræ,
Grandævo consumpta situ, prolemque negabat
Frigidus annoso moriens in corpore sanguis :
Cum, seniore viro, gelidi præcordia ventris
In partum tumuere novum, tremebundaque [mater
Algentes onerata sinus, spem gentis opimæ
Edidit, et serum suspendit ad ubera natum.
Mactandumque Deo pater obtulit, at sacer [ipsam
167 Pro pueri jugulis aries mactatur ad aram.
O justi mens sancta viri ! pietate remota,
Plus pietatis habens, contempsit vulnera nati,
Amplexus præcepta Dei, typicique cruoris
Auxilio ventura docet, quod sanguine fuso

OPUS PASCHALE.

Enoch Deo gratissimus, et dilectus vivacem glo- riam consecutus, per innumeros annorum cursus humanæ modum naturæ transgrediens, nascendo terræ munus implevit, sed morti miraculum, cui subtractus est, concitavit.

Marcebant Saræ jam senectute membra languentia, et grandævo situ sanguis exstinctus annosi corporis venas desperatæ prolis sterilitate damnaverat, cum senioris viri fecundata connubio, sinum gelidi repente ventris extendit, et tumidis novo partu præcordiis natum sera felicitate progenitum, in spem futuræ gentis, et populi ad lactei potus ubera mater tremebunda suspendit, quem genitor munus obtulit Deo, cujus fuerat in desperatione promissio [a]. Stetit puer ad jugulum, et factus est aries in holocaustum. O sancti mens intemerata Pontificis ! humana respuit, divina prospexit, filio dum vitam denegat, acquisivit. Abraham gladium protulit, ut feriret, et Dominus sacrificium sibi mutavit, ut filium non feriret. Grande scilicet gerebatur in hac parte myste-

SCHOLIA.

99. Vat. 1, *sonet*, supra veluti glossa *clamet*. Metri lex postulat *clamet*. Ferream vocem, centum ora Virgilius et alii poetæ ad res quasdam explicandas non sufficere dicunt. Confer not. ad Dracont., l. III, vers. 552, et doctissimum Martinum de Roa Singul. l. II, c. 3. Adde auctorem Vitæ S. Dunstani, c. 5.

103. Titulus in Reg. 1, *Expositio de Enoch*. Ott. 1 *de Enoch*. Sic Rom. In Ott. 2, *Explicit invocatio, seu oratio poetæ. Incipit liber primus. De transitu Enoch*. Cod. Cant., *Incipit liber veteris Testamenti*. Ed. Lips., *Liber* 1, *continens veteris legis aliquot historias*. Pro *ab usque chao*, Lips. et alii codices a Davisio citati ad l. 1 Cicer. de Nat. deor., c. 33, habent *ad usque chaos*. Ipse tamen Davisius retinet lectionem in nostris mss., et editis communem. Rom. *ab usque chaos*. Recte tamen se habet *chao*, uti apud Prudentium hymn. 12 Cath., vers. 40. *Antiquias cœlo, et chao*. Glossa in nonnullis mss. Sedulii est *absque morte :* sed poetæ mens potius est *a mundi initio*, sive a chao, quod mundum præcessit. Vide Prudent. 12 Cath. 40. In Prosa male collocatum est initium capitis.

105. Lucretius l. VII, vers. 532, *Perdidit inde modum cædes*.

106. Nonnulli mss., et editi, interpungunt : *Terra tulit genitum : sed*. Alii plures, *Terra tulit : genitum sed*.

107. Inscriptio in Reg. 1, *De Sara*. Rom., *De Sara*. Ott. 1, *De Abraham, et Sarra*. Multi, *Sarra*, et *Sarræ* per duplex *rr* exhibent : alii contra. Arntzenius suspicabatur *arida* pro *saucia* : ac putat, Sedulium præ oculis habuisse Ovidii locum l. III Trist., eleg. 14, vers. 53 : *Ingenium fregere meum mala : cujus et ante —Fons infecundus, parvaque vena fuit. — Sed quæcumque fuit, nullo exercente, refugit, — Et longo periit arida facta situ*. Nihil tamen mutandum : nam Sedulius verius imitatur Apuleium in Apolog. p. 514, *Diutino situ viscerum saucia*. De verbo *marcebant* confer not. ad Dracontium, Satisfact., vers. 228.

108. Arntz., *sinu :* retine *situ*, vel ex his, quæ modo attuli ex Apuleio.

109. Lucanus, l. II, vers. 339, *Dum sanguis inerat, dum vis materna, peregi —Jussa, Cato*.

110. Urb. corrupte, *Cum se more viri*. Meus cum Aldo distinguit *sanguis —Cum seniore viro. Gelidi*. Melius *sanguis : — Cum, seniore viro, gelidi*. Sumitur autem *vir* pro *marito*, ut ab aliis passim.

112. Cod. Taurin. *Algentis* ex diversa scribendi ratione pro *Algentes*.

113. Ex Virgilio VI, 764, *Quem tibi longævo serum Lavinia conjux — Educet silvis*.

114. Poelm. hic novum titulum apponit *Aries pro Isaac immolatur*. Sic fere aliqui mss. In Urb. mendum est *ac sacrat ipsum*. Non raro depravata est lectio in hoc codice, quod semel monuisse satis sit. Vonckius legere nos jubet *istam* pro *ipsam*. Grunerus contendit, *istam* locum habere hic non posse, *ipsam* posse. Wopkensius pariter præfert *ipsam*, nempe eamdem, ad quam cæteroquin mactandus Isaacus fuisset. Sic Prudentius hymn. 12 Cath. vers. 131, *Aram ante ipsam*, etc., et hymn. 4, Perist. vers. 39. *Ad aram—Porriget ipsam*. Frequenter *ipsa* et *ista* a librariis permisceri observat Arntzenius : cujus conjectura est *ipse*, hoc est, sponte sua, pro *ipsam*, nimirum si vers. seq. placeat Vonckii suspicio *mox statur*, de qua infra. Fatetur tamen Arntzenius, *ipsam* emphasin habere, ut in aliis multis. Nonnulli editi habent *ac* pro *at*.

115. Vonckius pro *mactatur* putat legendum *mox statur*, i. e., sistitur : quam conjecturam aliquatenus firmari ait Arntzenius serm. 2 Chrysologi : *Filius immolabatur ignarus, filius sistebatur nescius*. Sic enim emendavit Petr. Faber 3, serm. 8. Scripturam receptam invenio apud Isidorum 12, Orig. cap. 1, n. 9, de ariete : *Hoc pecus a gentilibus primum est aris immolatum. Aries, quod aris imponeretur. Unde est illud : Aries mactatur ad aram*.

116. Sic fere Dracontius de eodem Abrahamo l. III, vers. 102, *Et pius immitis*, etc.

119. Omnes mss., quos vidi, cum Parrh., Ald.,

[a] Mendose alii, *promisso*. Paulo ante in multis editis invenio, *sanguinis exstinctus*, quod pariter pro *sanis* mendum esse existimo.

Humana pro gente pius occumberet Agnus.
168 Loth Sodomæ fugiente chaos, dum respicit uxor,
In statuam mutata salis, stupefacta remansit,
Ad pœnam conversa suam : quia nemo retrorsum,
Noxia contempti vitans discrimina mundi,
Aspiciens, salvandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens, vultum in sua terga referre.

Ignibus innocuis flagrans apparuit olim,
Non ardens ardere rubus, nec juncta calori
Materies alimenta dabat, nec torrida vivens
169 Sensit damna frutex, sed amici fomitis æstu
Frondea blanditæ lambebant robora flammæ.
Mitis in immitem virga est animata draconem,
Per flexos sinuata globos, linguisque trisulcis

OPUS PASCHALE.

rium, ut pro humani generis vita sponte se Christus mitis Agnus offerret ad victimam.

Loth peritura fugiebat ex Sodoma, cujus uxor incautæ præsumptionis audacia, dum respicit, quæ evasit, mutata salis remansit in statua, non pro sapientia, sed pro pœna. Nullus enim ad contempta semel mundi discrimina præcipiti rursus cupiditate conversus jucundæ salutis lætitia perfruetur. Nec enim dignus est arator ille ventura fructuum fertilitate gaudere, qui sulcum vomeris recto cursu formandi retrorsi [a] vultus aversione confundens, præteriti laboris ordinem dissiparit.

Rubus innocuis quondam ignibus involutus, non ardens videbatur ardere, cujus materies nec incendiis alimenta præstabat, nec circumfusi caloris igne correpta, detrimentis exusti roboris subjacebat. Ita divini fomitis temperabatur attactus, ut blandiente ramis æstuantibus flamma, splendor in frondibus cerneretur esse, non pœna.

Mitis virgæ natura tractabilis in immitem et intractabilem mutata est draconem, qua vipereos motus tam sinuoso flexu volumina, quam trisulcas vi-

SCHOLIA.

sched. Poelm., et codicibus, quos Cellarius et Arntzenius viderunt, *sanguine Christi*. Poelm., cum aliis vulgatis, *sanguine fuso*, quod tenuit Cellarius, affirmans, *Christi* in mss. esse glossema : hoc ipsum tenet Arntzenius, qui addit, glossema fortasse inde ortum, quod aliquis supra vocem *agnus* in v. seq. glossam *Christus* ascripserit. Certe vix commodus sensus erui potest, si retineatur *Christi* : itaque dum clarius aliquid affulget, lectioni vulgatæ subscribo. In meo cod. supra *agnus* glossa est *caro Christi*. Facile ergo potuit vox *Christi* poni pro ultimo verbo hujus versus.

120. Reg. 1, 2, Vat. 1, 2, Urb., Alb., Ott. 1, Cant., Alm., Arntz., Lips., cum Ald., *occumberet*. Parrh., *procumberet*. Id videtur fuisse in Aug., sed correctum est eadem manu per *occumberet*. Ott. 2, *succumberet*, quod placuit multis editoribus, etiam Cellario et Arntzenio, qui tamen fatetur aptius videri *occumberet*. In hac quidem scriptura in *pius* ultima producitur ratione cæsuræ : Cellarius et Arntzenius id vocant *hiatum*, quo jure, nescio : nam hiatus est, cum plures vocales concurrunt, quarum nulla eliditur : nam ut eas proferamus, labia diducta, apertumque os habere debemus. Jam poetis hujus ævi familiare est, ratione cæsuræ vocalem brevem producere, ut in Prudentio, Dracontio, et Juvenco animadvertimus.

121. Reg. 1, et Ott. 1, pro titulo *De Loth* — Reg. 1, Ott. 2, *Sodomis* : sic Ott. 1, sed factum inde *Sodomi*. Grunerus non improbat *Sodomis* in ms. Cant. Sic Prudentius Ham. vers. 725, *Loth fugiens Sodomis ardentibus*. Editi, cum plerisque mss., *Sodomæ* : sic etiam Reg. 4, qui hic rursus incipit. Hos versus laudat Beda de Art. metr., ubi mendose legitur *Loth Sedomis*.

123. Vat. 1, *suam est*. Multi mss. cum plerisque editis clare *quia* : alii ambigue *quia*, vel *quod*. Parrhasius edidit *quod*.

125. Mss. nostri Reg. 1, 2, 4, 5, Urb., Ang., Vatt., 1, 2, Ott. 1, 2, Meus, Alb. cum aliis aliorum, necnon cum Parrh., et Ald. *Aspiciens*. Editi plerique etiam veteres *Respiciens*, quem pleonasmum *retrorsum respiciens* a manu Sedulii esse putat Arntzenius, et multa similia congerit : qualia in Dracontio, et Juvenco a nobis etiam notata sunt. Retinuit tamen *Aspiciens*, cum videret omnes codices in id conspirare. Simile veri est, *Respiciens* potius esse a manu alicujus librarii, aut editoris, qui verba Vulgatæ in mente habuerit, cum tamen Sedulius aliam veterem versionem sequi soleat.

126. Apud Bedam de Art. metr., mendum est *multum* pro *vultum*.

127. Reg. 1, Ott. 1, inscribunt *De rubo*. Rom., *De rubo flagrante, et non ardente*. Meus, *Dominus in forma ignis super rubo*. — Vide Prudent., Apoth. 55.

128. Arntzenius recte damnat Barthium, qui ad I de Rapt. Pros. 166, legit, *Non audens ardere*. Meus, *ardore* : melius, *ardere*. In Ott. 2, videtur *vincta*, Lips. *victa* ; reliqui *juncta*. Facile hæc inter se permutantur ex simili ductu litterarum in mss.

129. Meus *videns* male pro *virens* : nec melius Lips. *virens*. Arntzenius quidem defendi id posse existimabat, quia Palladius l. XIV de Insit., vers. 39, ait : *Nam quæcumque virens alienis frondibus arbor*. At non advertit, primam in *virens* esse brevem, ut ex ipso Palladii versu perspicuum est : in versu autem Sedulii produci deberet, ut producitur in *vivens*. Dicunt autem Latini *cespes vivus*, *radix viva*, *vivens frutex*, cum adhuc hæc vegetant, suamque vitam vegetativam, ut philosophi vocant, vivunt. Sic contra *mori* ea ipsa dicuntur, ut notavi ad Juvencum l. II, vers. 749.

130. Lips. *amicti* : retine *amici* : Fortasse imitatur Virgilium I Æn. 180 : *Rapuitque in fomite flammam*. Nebrissensis nota non satis intelligitur, *Fomes est inimicus igni, sed hic fuit amicus*. Fortasse innuit, fomitem ab igni comburi solitum, sed tunc combustum non fuisse.

131. Weitzius ad Prudentium Apoth. vers. 56, al. 124, citat *blanditiæ* pro *blanditæ*, fortasse errore typographico. De verbo *lambo*, cum flammæ applicatur, vide not. ad Dracont. I, 660.

132. Reg. 1, *De virga in draconem versa*. Sic Ott. 1, sed *conversa*. Rom. *De Virga, quam Dominus Moysi dedit*. Meus *Virga Moisi mira*. Pro *draconem* male Reg. 4, *draconum*. Beda, de Art. metr. laudat venustatem hujus versus, quod prius ponantur epitheta, tum nomina substantiva.

133. Editio Basileensis cum comment. Nebrissensis habet *Per flexus*, sed Nebrissensis ibi exponit, et legit *Per flexos*. In Reg. 1, et Ott. 1, videtur etiam a pr. m. fuisse *Per flexus*. Vides imitationem Virgilii in *linguisque trisulcis*, ex II Æn. 475.

[a] Forte, *retrorsum*. Alii, *firmandi*.

Squamea colla tumens, inimicos ore chelydros
Sorbuit, et proprii redit in virgulta rigoris.
Pervia divisi patuerunt cærula ponti
In geminum revoluta latus, nudataque tellus
Cognatis spoliatur aquis, ac turba pedestris
170 Intrat in absentis pelagi mare, perque [profundum
Sicca peregrinas stupuerunt marmora plantas.
Mutavit natura viam, mediumque per æquor
Ingrediens populus, rude jam baptisma gerebat:
Cui dux Christus erat; clamat nam lectio, Multas
Vox Domini super exstat aquas; vox denique [verbum est,
Verbum Christus adest, geminæ qui consona legis
Testamenta regens, veterem patefecit abyssum,
171 Ut doctrina sequens planis incederet arvis.
Quid referam, innumeras cœlesti pane catervas
Angelicos sumpsisse cibos, nimbisque superni
Nectaris, aeria populum dulcedine pastum,
In pluviis habuisse dapes, et in imbribus escas?
Rursus in exustis sitiens exercitus arvis,
Qua nimium loca sicca diu, qua terra negatis

OPUS PASCHALE.

brando linguas exercens, geminos inimicæ fraudis angues absorbuit, atque propriam virgulti speciem rigida rursus mutatione suscepit.

Per media marinis fluctibus profunda latentia revolutis in geminum latus undis, et æquorea divinitus ædificatione suspensis, pedestris turba transivit, stetit undique pontus ut murus, et cognati gurgitis spoliata velamine tellus permansit nuda, donec populus pelago gradiens absente per pelagus, vestigiis hospitam peregrinis aquosæ viam carperet siccitatis. Mutavit natura semitam, jussa paululum relaxare constantiam, et innumera lubrici salis campos multitudo transgressa, rude baptismatis mysterium nesciendo gerebat, quæ per aquarum freta salubria, duce Christo, transiverat. Ita denique prophetа cecinit, illa significans : *Vox* [a] *Domini super aquas multas.* Vocem igitur verbum dici quis dubitat? Verbum autem Christum esse quis abneget? qui veteris, ac novi conditor Testamenti immensam [b] primæ legis abyssum suo patefecit adventu, quatenus recentiore doctrina, tamquam remotis undarum molibus intimis, ac profundis, sequens ætas nil pericli formidans per callem planæ libertatis incederet jam secura.

Quid ejusdem plebis catervas innumeras in desertis terrarum spatiis, et totius victus sterilitate damnatis, cibos angelicos, panemque cœlestis gratiæ referam consecutas? Ubi nectareus æthereæ majestatis nimbus irrorans populo dapes ex pluviis, et copiosas ex imbribus escas effudit.

Per squalentia rursus violentis arva fervoribus sitiens æstuabat exercitus, qua familiari semper ardore negatis fontibus, jacens terra languebat, qua spem bibendi pariter, ac vivendi deficiens aquarum

SCHOLIA.

134. Virgilius, II Æn., 381: *Et cærula colla tumentem.* Epitheton *squameus* de serpente obvium est.

135. In Meo clare mendum *reddit* pro *redit* : ibidem *vigoris*; fortasse aliquis voluit *viroris*, sed *rigoris* probum est.

136. Reg. 1, *De mari Rubro, et populo Israelitico.* Ott. 1. *De mari Rubro, et turba.* Rom., *Ub populus Israel siccis pedibus per mare ivit.* Meus, *Mare Rubrum cedit populo Dei.* In Althelmo et aliis occurrit *cærula ponti* : similia sunt *aversa castrorum*, *recta montium*, *flexa collium*, *porrecta camporum*, *acerba fluctuum*, *convexa vallium*, etc.

138. Cant., Parrh., Reg. 2, 5, *at turba* ; alii, *ac turba* ; Reg. 1, *et turba.*

139. Adverte tautologiam, aliis etiam poetis familiarem, *pelagus*, *mare*, *profundum*, *marmora.*

140. Eleganter stupor tribuitur mari. *Marmora* pro mari : vide Dracont. I, 578.

141. Burmannus conjicit *natura vices.* Omnes habent *viam*, sed in Ott. 1, pro *viam* aliud prius videtur fuisse.

142. Cell., Ald., *Incedens* cum codd. Heins. et Almel. Nostri omnes, et alii *Ingrediens*, quod magis accedit ad version. Vulgat. Exodi, et Sedulii prosam. Rom., *rude baptisma;* lege *rude jam baptisma.*

143. *Lectio* notanda significatione sumitur pro sacra Scriptura, vel doctrina, uti apud Paulinum De Vita S. Martini IV, 181, Jul. Firmicum, etc. Hinc *lectiones* in officiis ecclesiasticis, *lectionarius*, *lectionarium.* Orientius sua sacra carmina vocat lectionem his pulchris iambicis in fin. : *Quod si quem lædit spiritalis lectio*, — *Ei licebit lectionem spernere*, — *Non commutare lectionis formulam*, — *Anguem magistrum falsitatis increpo*,—*Ut non adjiciat, sive demat litteram.* Reprehendit, ut videtur, codicum corruptores.

144. Schedæ Poelm., Parrh., *denuo* pro *denique.* Reg. 1, 4, Ott. 1, Ang., Rom., Meus, Vat. 1, 2, Parrh., Ald., et plerique editi, *verbum est* Cellarius cum mss. Arntz., Almel., Cant., ac nonnullis ex nostris, *verbum* sine *est*, sed ita ut subaudiatur.

145. Reg. 5, Ald., *at est* pro *adest.* Nonnulli vulgati *quod* pro *qui.*

146. Reg. 2, 5, Alb., Vat. 2, Ott. 2, Ald., Parrh., *gerens.* Alii mss., cum multis editis, *regens;* Meus, *ferens.* Nebrissensis legit, et explicat, *gerens.* Cellarius et Arntzenius ediderunt *regens*, quæ est scriptura optimorum codicum.

147. Reg. 3, *incederat ;* corrige, *incederet.*

148. Reg. 1, *De manna.* Ott. 1, *Ubi panem acceperunt cœlestem.* Rom., *De manna cœlitus dato.* Meus, *Populus Dei manna pascitur in deserto.*

150. Plerique mss. nostri *aeria*, nonnulli *aerea.* Poelm. ad marg., *ætherea :* alii editi et schedæ Poelm., *ætheria.*

151. Torn. 1, Edimb., *In plumis* pro *In pluviis*, ut intelligantur coturnices : et ita has voces apud Tibullum l. I Eleg. 2, vers. 79, confundi monuit Burmannus. Longe tamen melior est communis lectio. Meus non male *dapes, in nubibus escas.*

152. Reg. 1, *De aqua ex petra producta.* Ott. 1, *Ubi aquam de petra eduxit.* Rom., *De Moyse, cum aqua manavit de petra.* — Pro *in exustis* Meus *inexhaustis* perperam.

153. Arntzenius in Miscellaneis, quæ, postquam Sedulii editionem cum notis variorum procuraverat, anno 1765, edidit, cap. 17, ex conjectura corrigit *quia terra* pro *qua terra :* quod minime placet.

[a] Psalm. XXVIII, vers. 3.

[b] Nonnulli *immensum :* retine *immensam.* Paulo ante præstiterit legere *quis dubitet :* sequitur enim *quis abneget.* Infra reposui *familiari semper ardore* pro *ardoris.*

Ægra jacebat aquis, qua spes ablata bibendi,
Vivendique fuit, subitas arente metallo
Hausit aquas, sterilique latex de rupe cucurrit,
172 Et jejuna novum vomuerunt marmora potum.
His igitur jam sacra tribus dans munera rebus,
Christus erat panis, Christus petra, Christus in undis.
Angelicis tremefacta minis affatur asella
Sessorem per verba suum, linguaque rudenti
Edidit humanas animal pecuale loquelas.
Sol stetit ad Gabaon, mediique cacumine cœli
Fixit anhelantem dilato vespere lucem,
Insolitus frenare diem, nec luna cucurrit
173 Ordine pigra suo, donec populantibus armis,
Fervidus ingentem gladius consumeret hostem,
Conjurante polo : jam tunc famulata videbant
Sidera venturum, præmisso nomine, Jesum.
Heliam corvi quondam pavere ministri,
Præbentes sine more dapes, alesque rapinis
Deditus, atque avido saturans cava guttura rostro,
Tradidit illæsam jejunis morsibus escam.
Nunc bonus Heliæ, qui perfidus antea Noe,

OPUS PASCHALE.

natura subduxerat, cum stupentis saxi visceribus torpor inclusus spumantem subito fluctuanti cante redundavit in laticem, siccæque jejuni marmoris venæ potum cunctis vomuere multiplicem. Ilis tribus ergo rebus jam magna sui nuntians sacramenta mysterii Christus erat in pelago, Christus in pane, Christus in saxo.

Asella, vile pecus, ac stolidum, angelicæ potestatis visione perterrita, sessorem verbis alloquitur, et rudentis linguæ clamor inconditus humanæ vocis affatibus explicatur.

Sol in medio cœli cacumine rapidos anhelantis flammæ cursus infrenans contra Gabaon per insolitas diei moras dilato vespere lucem fixus astrinxit. Nec luna suis legibus mota pigræ stationis limen excedens, ordinem consueti gressus exercuit, donec gladius victoris exercitum hostilem funditus amputaret cœlestis auxilii conjuratione. Virtuti famulantia denique videbant ipsa jam sidera, per similis vocabuli sacramentum, Jesum Dominum, nomine præcedente, venturum.

Heliam præter naturæ dispositum corvi diurnis epulis transegerunt, alesque [a] voracis rostri rapacitati subjectus, qui facilem prædam cavo gutturi subministrat, jejunis morsibus escam deferebat illæsam. Nunc Heliæ bonus, ac fidus, qui Noe quondam malus, ac perfidus, in terris abluit culpam, in aquarum

SCHOLIA.

155. *Metallo*, h. e. petra. *Metallum* de marmore dicitur a Silio, et Statio, de gemmis a Plinio Juniore. Nebrissensis exponit lapidem, vel potius lapidis venam. Vide Cerdam Adv. c. 101.

156. Taurinensis codex antiquissimus, *Ausit aquas, sterilique latex de rupe manavit*. In veteribus mss. codicibus aspiratio sæpe desideratur, sæpe redundat: itaque *Ausit* est pro *Hausit*. Sed *manavit*, quamvis contra metrum sit, tamen in multis mss. exemplaribus retinetur. Meus, Ang., Alb., Reg. 1, 2, 4, 5; Ott. 1, Vatt. 1, 2, Cant., cod. E., *manavit*, quo spectat Arntz. *manabat*. In Ott. 1 supra tanquam glossa est *cucurrit:* in Reg. 2 glossa est *eduxit, cucurrit, fluxit;* in Vat. 1, a sec. m., *cucurrit*. Urb., Ott. 2, Rom. recentes mss., *cucurrit*. Ald. edidit *manavit:* Parrh., *salivit*, quod vix cum grammatices regulis stare, in schedis Poelm. observatur : nam *salii*, et *salui* in præterito, raro *salivi* dicitur. Plerique editi *cucurrit*, et Grunerus affirmat, *manavit* glossam esse. Assentitur Arntzenius, qui similibus exemplis docet, recte *currere* de aqua dici, et ex Antonio adv. Gent. vers. 15, sive potius ex Paulino poem. ultim. producit locum similem : *Manna cui e cœlo, et fons de rupe cucurrit*. Non difficulter credam, veram scripturam esse *manavit*, cum primam hujus verbi Eugenius Toletanus antistes, aliique christiani poetæ corripuerint.

157. Rom., *vomuere;* lege, *vomuérunt*.

158. Vonckii conjectura est *His jugiter* pro *His igitur*. Sed quamvis verum sit, primam in *jugis* a Sedulio licenter corripi, tamen hoc loco innovandi causa nulla est. Parrh., schedæ Poelm., *His igitur sacrata tribus*, quod minus verum puto.

159. Exstat hic versus apud Bedam de Art. metr.

160. Reg. 1, Ott. 1 : *De asina, quæ locuta est*. Rom., *Ad Balaam de locutione asinæ*. Meus, *Asella ad Balaam*.

161. Meus, *rudendi;* retine *rudenti*.

162. *Edere loquelas* dicitur, ut *edere vocem, sonos, clamorem*. Verbo *pecualis* usus etiam est Venantius Fortunatus II de Martino 146.

163. Reg. 1, Ott. 1, *De Jesu Nave*. Rom., *De Josue, de statione solis*.

165. Wopkensius suspicatur *Invalidus*, vel *Insolidus*, qua voce posteriore usus est Ovidius. Interpretatur *Insolitus frenare, cum jam dedicisset* (legam *dedidicisset*) *frenare, vel regere diem*. Melius Arntzenius vulgatam lectionem exponit; qui ordine suo servato non in longius tempus diem protrahere solet. Pro *frenare* Meus habet *retinere* ex aliqua fortasse glossa. Arntzenius *frenare*, uti etiam *anhelantem* alludere putat ad opinionem veterum, qui equos soli tribuebant. Verum Sedulius non solum a fabulis, sed etiam a nominibus fabularum longissime distare solet : et potest accipi *frenare* metaphorice pro retinere. Est autem sensus, Sol non solitus retinere diem.

166. Meus *plena:* lege *pigra*. Vat. 1, *arvis*, a sec. m. *armis* probe.

167. Ald. *Fervidus in gentem;* nisi error sit typographicus pro *ingentem*. Venuste *Fervidus gladius*. Lucanus VII, 502: *Frigidus inde — Stat gladius: calet inde nocens a sanguine ferrum*.

168. Nonnulli *jam tum:* plerique *jam tunc*. Imitatur Claudianum de III Consul. Honorii v. 98 : *Cui militat æther, — Et conjurati veniunt ad classica venti*. Et de bello Get. vers. 49 : *Aut conjuratum querimur splendore serenum*.

169. In Reg. 1 forte fuit *promisso*, nunc est *præmisso*. In Rom. clare *promisso*, in Meo dubie. Confer Prudent. hymn. XII Cath. vers. 173.

170. Reg. 1, Ott. 1, *De Helia*. Meus *Helias, corvo ministrante, pascitur*. Rom. *De Helia, corvis pascentibus*.

171. Parrh., schedæ Poelm., *Reddentes* pro *Præbentes*. Arntz. ms. *rapinæ* pro *rapinis*, haud inelegantor: nam apud poetas numerus singularis interdum pro plurali ponitur.

173. *Jejunis morsibus*, aut corvi, ait Nebrissensis, quamvis jejuni, aut Heliæ jejuni.

174. Meus, *Tunc bonus*. Cellarius conjiciebat *ante*

[a] In vet. cod. fuit *feracis;* sed librarius ipse correxit *voracis*.

Abluit in terris, quidquid deliquit in undis.
Plenus at ille Deo, postquam miracula terris
174 Plura dedit, meritisque suis succedere [dignum
Hæredem propriæ fecit virtutis amicum,
Aurea flammigeris evectus in astra quadrigis,
Qua levis æthereos non exprimit orbita sulcos,
Sidereum penetravit iter, curruque corusco
Dexteriora petens, spatio majore triumphum
Duxit, et humani metam non contigit ævi.
Quam bene fulminei prælucens semita cœli
Convenit Heliæ! merito qui, et nomine fulgens,
175 Hacope dignus erat: nam si sermonis Achivi
Una per accentum mutetur littera, sol est.
Ultima labentis miseratus tempora lucis,
Ter quinos quondam regi Deus addidit annos,
Usus jure suo, patefactaque limina claudens
Mortis, ab occasu vitam convertit in ortum.
Jonas puppe cadens, ceto sorbente voratus,
In pelago non sensit aquas, vitale sepulcrum,
Ne moreretur, habens, tutusque in ventre ferino,
Depositum, non præda fuit, vastumque per æquor

OPUS PASCHALE.

inundatione contractam. At ille plenus existens, postquam miracula terris plura monstravit, suaque dignum successione per spiritum velut hæreditariam largitatem propriæ virtutis munus transtulit in amicum, flammeis raptus equis, et curribus per illos claræ serenitatis excessus, qua levior puri tramitis via nullos in æthereo campo ferventis rotæ sulcos orbita demergente conservat, dexteriora majoris spatii sic petivit, ut triumphi cœlestis axe resplendens, humani limitis metam longa fretus vivacitate contemneret. Quam bene vocabulo pariter, convenienter ac merito Heliæ claritati, vel nomini fulgentis semitæ majestas arrisit! Cui si Græco sermone queat una per accentum littera commutari, sol specialiter exprimi videatur.

Ezechiæ, regi justissimo, in extremis vitæ terminis constituto, quindecim Dominus sua pietate, vel jure annos addidit ad salutem, mortisque claudens
B patefacta jam limina, vitam in occasu languentem ad ortus revocavit originem.

Jonas in marinos fluctus anxiæ puppis trepidatione jactatus, uteroque sorbentis ceti reconditus, non sensit aquas in pelago constitutus, vitale scilicet sepulcrum, ne moreretur, ingressus, tutusque mitissima sub voraci ventre custodia, depositum videbatur esse, non præda, hostilique salubrius protectione servatus, venit ad terram vomitu, non carina. Cui facto diversitate contrario nauta feritatem [a] præbuit, fera navigium ministravit.

SCHOLIA.

ea. Sic pro *post ea* aliquando a librariis inventum fuit *postea*. Hoc tamen loco non male est *antea*. Reg. 1, C *ante*, forte *ante Noemo*. Nonnulli *Noæ*, alii sine diphthongo *Noe*. Corvus fuit perfidus, quia *egrediebatur, et non revertebatur*. Frustra Nebrissensis lectionem Hebræorum objicit, *Egrediebatur, et revertebatur*.

177. Meus *Plurima dedit* pro *Plura dedit*.

179. In re eadem similis versus est Juvenci l. II, v. 548. Aldhelmus, cap. 10 Prosæ de Virginit., versum Sedulii profert: *Ut poeta heroico hexametro refert, Aurea*, etc. Virgilius dixit *aurea sidera*.

180. Plerique mss. *aerios*, vel *aereos*: alii *ætherios*, vel *æthereos*. Sic pariter editi variant. Ex prosa tamen retinendum videtur *æthereos*.

181. Reg. 1, *Siderium*: alii *Sidereum*.

182. Parrh. *Exteriora* minus bene: Vet. 1, Mon. *Deteriora* pessime. Glossæ in Reg. 1, et Alm. *Dexteriora* exponunt *meliora*, sive *cœlestia loca*.

184. Pro *bene*, Alardus ad Valerium Flaccum, l. III, v. 211, citat *vel*, errore calami, aut typographi, ut videtur: qui tamen occurrit apud Bedam in libr. Reg. quæst. 28, ubi hos versus allegat. *Fulmineum* D *cœlum* est lucidum, et tamquam fulmine splendens.

185. Plerique nostri mss., et meliores cum ms. Nic. Heinsii, et plerisque editionibus, Parrhasii etiam, *meritoque et nomine*. Pro eadem scriptura Arntzenius laudat Aldum: sed is mihi exhibet *merito qui, et nomine*: quæ videtur esse vera lectio, et exstat in Alm., Reg. 5, et ambigue in Ott. 2. In mss. *que*, et *qui* sæpe simili modo exarantur: hinc alterum pro altero facile ponitur. Arntz. habet *meritoque qui*. Alardus loc. cit. refert *merito qui nomine*. Nic. Heinsius, et Meursius in Spicil. ad Theocrit. Idyll. XXVI, p. 150, probant *merito qui, et nomine*. Id tenent recentes editores. Beda loc. cit. mendose *fulgent* pro *fulgens*. Ex prosa vero hujus versus lectio erui non potest: nam hoc loco, si mendosa non est, obscura certe est.

186. Parrhas. *Æthere dignus erat*: sic nonnulli vulgati, sed mss. omnes, etiam antiquissimus Taurinensis *Hac ope dignus erat*, videlicet flammigeris quadrigis, quibus in astra eveheretur. Adhæret Beda.

187. Beda loc cit. *mutatur*: alii *muletur*. Accusatur hoc loco Sedulius a nonnullis, quod nominis *Eliæ* veram Hebræam significationem ignoraverit. Sed potuit quidem id scire Sedulius, et nihilominus ad significationem ex Græco sermone petitam alludere, quoniam de curru igneo mentio erat. Neque mirum videri debet, si linguam Hebræam Sedulius non calluerit. Nebrissensis *per accentum* exponit, quia accentus acutus in penultima transfertur in antepenultimam. Græce sol est ἥλιος, Elias scribitur apud Septuaginta Ἠλιοὺ, *Eliu*, apud alios Ἠλίας.

188. Reg. 1, Ott. 1, *De Ezechia*. Meus *Ezechiæ quindecim anni ad vitam adduntur*. Rom. *De Ezechia rege quindecim annis*. Hic versus videtur depromptus ex Juvenco III, 564: *Ultima labentis restabat portio lucis*.

189. Rom. *addit*: corrige *addidit*.

190. Parrh. edidit *lumina*: sic Arntz. a sec. m., Urb., et Rom. a pr. m., in quo corrigitur per *limina*, ut in Prosa etiam legitur. Vat. 2 male *patefacta limina*.

192. Reg. 1, Ott. 1, *De Jona*. Rom. *De Jona naufragante*. Meus, *Jonas in ventre ceti*. — Urb., Rom., *quippe* pro *puppe*, quod pro diversa scriptura appingitur in Rom.

194. *Fera* de piscibus non obvium est: occurrit tamen apud Manil. V, 139, 192.

195. Lips., Arntz. a sec. m., Ald., Parrh. cum nostris mss. Aug., Alb., Vatt. 1, 2, Ott. 2, Reg. 5,

[a] Vetus codex habuit *nauta veritatem præbuit*. Jurctus correxit *feritatem*, et advertit, in mss. antiquis sæpe *v* pro *f* poni ob affinitatem. Hac ratione emendat in Panegyrico Maximiano dicto, vel potius, ut notat Gallandius, in Panegyrico Eumenii Constantio Chloro dicto, c. 9, *Viros attonita feritate trepidantes* pro *veritate*, et in oratione Eumenii pro scholis cap. 19, *feritate Francorum* pro *veritate*, et apud Arnobium l. VI, cap. 9, *instincta feritate naturæ*. Francorum *feritatem* testatur etiam Isidorus, lib. IX Etymol. cap. 2, a qua eos vocatos innuit.

176 Venit ad ignotas inimico remige terras.
Cum, spirante Deo, Babylonia sacra negarent
Tres una cum mente viri, durumque subirent
Exitium sævi Chaldæa lege tyranni,
Cujus Achæmeniam rabies accenderat iram
177 Plus fornace sua, medios truduntur in ignes,
Nil audente rogo, tantoque ardore calentes
Cordis, imagineæ vincunt incendia pœnæ
Igne animi. O quanta est credentum gloria! [flammis
Ardentis fidei restincta est flamma camini.
Digna sed immitem mox perculit ultio regem.
Nam quod ab humana vecors pietate recessit,
Agrestes pecudum consors fuit ille per herbas,
Aulica depasto mutans convivia feno.
Pronus ab amne bibit, septenaque tempora lus- [trans,
178. Omnibus hirsutus silvis, et montibus [errat.
Nec minus et Darii furuerunt jussa tyranni.

OPUS PASCHALE.

Cum, spirante cœlitus Deo, trium puerorum una cordis intentio Babylonia sacra contemneret penitus, ac negaret, durumque mortis exitium tyrannicæ legis atrocitate susciperet, cujus rabies Achæmenii[a] furoris igne succensa, torrentem fornacis propriæ superabat ardorem, rogo vincti traduntur in medio, pyra juvenes non audente contingere, qui tantum corde ferventes vicerunt imaginem pœna deferente supplicium. O quanta est credentibus salus, cum gloria flammis fidei plus candentes[b], restincta torpuit vis camini!

Auctor igitur tam nefandi judicii dignum factis supplicium non evasit. Nam qui vecordi raptus insania, humanæ pietatis jura despexerat, ferino vixit ritu per silvas, et consortia pecudum sectatus agrestia, aulici deliciosa convivii pastus feno, potatus fluvio

SCHOLIA.

Urb., Rom., Meo, et, ut videtur, Ott. 1 a pr. m., *Depositus*. Alm., Reg. 1, 2, 4, Ott. a sec. m., Arntz. a pr. m., *Depositum* : quæ verior est scriptura. Idem verbum de Jona usurpatum a S. Maximo Homil. ars. I de pascha, observat Grunerus : *Sed piscè illæsum eructante depositum, tertia die terris refunditur*. A jurisperitorum libris ad alios id nomen transiit quo tamen Cicero, Juvenalis, aliique utuntur.

197. Reg. 1, Ott. 1, *De tribus pueris*. Rom., *De rege Nabuchodonosor; et tres viri*. Meus, *Tres pueri liberantur e camino*.—Pro *Cum spirante* Urb. mendose *Conspirante*. Reg. 4, *Cum inspirante*, quæ lectio forte sese genuina est. Etsi enim parum elegantes censeantur hujusmodi versus, in quibus prima vox monosyllaba efferenda est cum elisione, tamen non desunt exempla in optimis poetis. *Inspirare* pro *divinum Spiritum immittere* vox est ecclesiastica, sed quæ originem ducit a bonis latinitatis auctoribus, ut ostendi l. II Dracont. vers. 15, *Tu Deus inspiras*. At *spirare* eadem significatione, nescio an alicubi inveniatur. Omnes tamen editi cum plerisque mss. referunt *Cum spirante Deo*.

198. Plerique mss., et editi *durumque* : favet etiam Prosa. Reg. 5, Ott. 2, schedæ Poelm., Lips., Parrh., Ald., Ott. 1 a pr. m., *dirumque*.

200. Nonnulli vulgati male *accenderet* pro *accenderat*. Apud Scholiastem Statii l. VIII *Theb.*, vers., 287, sic legitur hic versus : *Cujus Achæmeniam rabiemque accenderat ira*, sed mendose. Scribendum certe est *Achæmeniam*, scilicet Persicam, ab Achæmene Cyri avo : quo epitheto Horatius, Val. Flaccus, Sidonius, aliique usi sunt. Scholiastes Statii est Placidus Lactantius, sive Lutatius, cujus verba sunt : *Achæmenia ipsa est Chaldæa, vocata ita a quodam crudelissimo rege, de quo in Sedulio legitur : Cujus Achæmeniam*, etc. *Non enim poterat ejus ira placari nisi humano sanguine*. Nonnulli minus bene scribunt *Achemeniam*. Burmannus notavit, hunc versum laudari etiam ab Scholiaste Lucani II, 49. Producitur etiam ab Scholiaste Horatii XIII Epod. ad verba, *Nunc et Achæmenia*.

201. Meus, *traduntur* : melius reliqui *truduntur*.

202. Ott. 1, 2., Urb., Ang., Alb., Vatt. 1, 2, Reg. 2, 5, Rom., Meus, Parrh., Ald., Lips., Cantabr., Tornæs. 1, 2, 3, schedæ Poelm. *urente*. Poelm. in textu, Fabr., et alii vulgati, *ardente*, quod non inelegans esse putat Arntzenius, ac suo calculo probat Burmannus. Reg. 1, 4, Arntz., edd. Vett. 1, 2, Mon., *audente*, quod confirmat Prosa, et tenuerunt Grunerus et Arntzenius. In Reg. 1 glossa in *audente* est *urente*, in Arntzen. *lædente*. In Ott. 1 ex *urente* eadem veteri manu factum *audente*. Nec mirandum, ut ait Grunerus, *audere* de rogo dici, cum oblivionem igni tribuat Drepanius in hymno trium puerorum : *Vimque suam oblitus sanctos non læderet ignis*. Vetus codex Taurinensis *tantumque ardore* : quod cum Lips. recepit Cellarius : neque abludit Prosa; sed communis scriptura est *tantoque*.

203. Glossa in Reg. 1 est *imagineæ, quia videbatur ardere, sed non urebat*. Nebrissensis interpretatur *pœnæ imagineæ*, h. e., propositæ non adorantibus imaginem Nabuchodonosor regis. Melius cum glossa *imaginea* pœna sumitur pro imaginaria, quia vere pœna non erat. Utitur hoc eodem vocabulo *imagineus* Fortunatus II de Vit. Mart. 276. Similis sententia exponitur a S. Leone in Natali S. Laurentii : *Superari charitas Christi flamma non potuit, et segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit*. Tribuitur autem ardor a Patribus passim cum charitati, tum fidei, quam diserte nominat Sedulius.

204. Parrh. cum Vat. 1, omittit *O* post *animi*.

206. Reg. 1, *De Nabuchodonosor* : sic Rom., Meus, *Furor Nabuchodonosor*. Ottobon. 1, omittit hunc titulum.

210. Ott. 1, Vatt. 1, 2, Urb., Rom., Ang., Alb., Parrh., Ald., Reg. 1 pro d. s., Reg. 2, *lustrans*, et vers. seq. *errans*. Editi etiam variant.

211. Reg. 4, *lustrat* — *Omnibus hirsutus silvis, in montibus erat*.

212. Reg. 1, Ott. 1, *De Daniele*. Meus, *Daniel e leonum lacu liberatur*. Rom., *De Daniel a leonibus custodito*. = Parrh., Edimb. cum ms. Cantabr., *feruerunt*, quod arripuit Grunerus, quia *feruere* de odio, et ira sæpe dicitur, et *furuerunt* videtur esse

[a] Quidam editi *Achemeni*.

[b] Mendose *cadentes* in nonnullis editis. Supra forte legendum *truduntur*, *et vicerunt imagineum pœna deferente supplicium*. Pro *deferente* quidam, *deferiente*.

Ecce etenim sceleri scelus addidit ira furentis, A
Hebræumque decus Daniel decernitur insons
Jejunis cibus esse feris, sed bellua justo
Mitis facta viro, sanctos ne læderet artus,
Cœpit amare famem, rabies mollita furorem
Deposuit, sævisque in faucibus ira quievit,
Et didicere truces prædam servare leones.
179 Dic, ubi sunt, natura, tuæ post talia le-
[ges?
Quis toties tibi jura tulit? quis tartara jussit
Translatum nescire virum, sterilemque marito
Fecundavit anum, sacram præcepit ad aram
Sponte venire pecus, muliebres transtulit artus
In simulacra salis : ramos incendia passos
Non ardere dedit : virgultum solvit in anguem :
Per pelagus siccavit iter : mirabile nimbis
Manna pluit, saxo latices produxit ab imo :
Quadrupedem fari plano sermone coegit :
180 Suspensis rapidas elementis distulit horas :
Per volucres hominem pasci dedit atque coruscis
In cœlum transvexit equis : jam morte gra-
[vato
Adjecit tria lustra viro ; prædonis in ore
Naufragio fundavit opem : flagrante camino

OPUS PASCHALE.

permutavit, quem sub hujus deformitatis aspectu hirsutum silvis et montibus septem viderunt tempora pervagatum.

Nec minus Darii postmodum regnatoris dum præteritam furor imitatur insaniam, Daniel, Hebræorum decus amplissimum, cum feris jejunio stimulatis in- B cluditur, et simplicis animæ corpus innoxium sævius vorandum morsibus deputatur; bellua tamen facta mitis et placida, ne sanctos artus insano dente laceraret esuriens, cœpit amare jam famem, vultusque terribilis rabies mollita submittens, atque in sævis faucibus ira blandior conquiescens, genuinæ feritatis immemores prædam servare docuit tunc leones.

Dic, ubi post talia tuæ sunt leges, pertinax o natura, quis toties tibi jura subtraxit? quis [a] translatum nescire virum jussit infernum, sterili matri fecundam præstitit senectutem, ad aram sponte compulit venire pecudem, muliebrem effigiem in salis simulacrum convertit, ramos incendiis æstuantes non ardere monstravit, virgultum solvit in colubrum, per marinos fluctus pedestres patefecit incessus, pluentibus nimbis nectareum manna diffudit, ex arentibus saxi visceribus undas ejecit, ora mutæ quadrupedis humana fari verba permisit, elementa defixis cursibus longa statione suspendit, volucrum ministeriis hominem pavit, et in cœlum corusci equitatus axe per-

SCHOLIA.

glossa. Sed cum omnes nostri mss. cum plerisque editis teneant *furuerunt*, id præstat retinere, quamvis nonnulli grammatici negent præteritum a *furo*. Nam favet Prosa, et præteritum *furui* Servio tribuitur, et Plinio etiam ab Hardnino. Ostendit præterea Arntzenius, *furorem* graviori iræ tribui, adeoque *feruerunt* C posse esse glossam præteriti *furuerunt*. In *Darius* antiquiores primam et secundam producebant : Sedulius, Sidonius, et alii. utramque corripiunt; quamquam in Sedulio synæresis fieri potest, aut legi *Dari*.

213. Hic versus *Ecce* deest in Vat. 2, Alb., Ang., Reg. 4, 5, Urb., Meo, Rom., Ald., Parrh., Arntz., Lips., ms. Heinsii, Cant. Additus est in Vat. 1 recentiori manu, et in Ott. 1 ascriptus in fine paginæ, et in Reg. 2 ad marginem. In Reg. 1 prius est versus *Ecce*, tum *Nec minus :* sed signum trajectionis adest. idem Reg. habet *Ecce etenim*, sed pro *etenim* fortasse fuit *aliud*. Ott. 2, codex E, et alius ms. apud Burmannum, *Ecce aliud*, quod Burmannus monet desumptum ex Virgilio II Æn. *Ecce aliud majus*. Alii exhibent *Ecce etenim*.

219. In carmine vulgato Aldhelm. de Virginit. inseritur hic versus, et legitur *Edidicere :* sed in ms. inveni *Et didicere*. Nebrissensis ex Martiali I, ep. 105, de leone et lepore profert : *Et securior est in* D *ore præda*. Idem Martialis I, ep. 7, ait : *Tutus et ingenti ludit in ore lepus*.

220. Reg. 1, *Recapitulatio omnium ultionum*. Ott. 1, *Recapitulatio omnium miraculorum*. Rom., *Interrogatio contra naturam*. Meus, *Epilogus prædictorum*. Arator clare imitatur Sedulium l. 1, vers. 890, al. 825 : *Dic, ubi sunt, mundana, tuæ, sapientia, leges?*

221. Editi *Quis toties*, vel *totiens*. Cod. E. cum Reg. 1 a pr. m., *Qui toties*. In *toties* et *totiens* mss. etiam variant. Editi, *qui tartara* : e mss. nostris Vat. 1 a pr. m., Reg. 4, Meus, *quis tartara :* alii cum editis.

222. Posset *sterilique marito*. Cellarius, et Arntzenius *tartara* interpretantur de sepulcro, vel statu mortuorum. Sed cur non de inferis sedibus, ad quas animam Christi descendisse credimus, ut animas sanctorum patrum liberaret? Scio, hoc ipsum ab hæreticis nonnullis negari : sed eos egregie revincit Petavius l. XIII de Incarn. c. 15. Vide l. V, vers. 428.

223. Ott. 2, *anum Saram, præcepit*. In aliis mss. *Saram* est glossa supra *anum*.

227. Burmannus putat, interpungendum, *mirabile! nimbis*. Verum non videtur interjectioni hic locus esse aptus.

228. Reg. 5, Vat. 2, contra metrum *pluit, qui saxo*. Sic edidit Aldus, qui plerumque his duobus mss. consentit. Plerique mss., et editi, *pluit, saxo latices produxit ab imo*. Minus bene Poelm. *producit*, et Parrh. *ab uno*. Arntzenius suspicabatur *ab icto*, quia scilicet percussum est saxum : sed ex ms. Arntz. rescripsit *saxi latices produxit ab imo*, ut hoc libro vers. 302 *ima profundi*, et similia, præsertim apud poetas. In Addendis tamen agnovit. frequens etiam esse *imum saxum, imum pulmonem, imum profundum*. Intellige *quis pluit manna*.

229. Omnes nostri tredecim mss. cum Parrh., Ald., et codd. Heinsii, Lips., Arntz., Cant., *plano :* non pauci editi, *pleno*. Schedæ Poelm. et Arntzenius probarunt *plano*, cujus glossa est in Reg. 1 *articulato*, D *recto, vel apto*. Burmannus præferebat *pleno*, ut *plena voce* apud Virgilium lib. I Georg. vers. 348. Addit Lucanum l. VI, vers. 622.

230. Nonnulli editi, *Suspensus:* lege *Suspensis*. Reg. 4, Meus, *abstulit :* in Reg. 4 recentiori manu factum *distulit*.

231. Reg. 5, Ott. 2, Meus, Alb., *Per volucremque hominem*. Vat. 2, Ald., *Per volucremque hominem*, et Vat. 2 addit errorem *pisci* pro *pasci*. Alii mss. cum Parrh., et plerisque editis *Per volucres hominem pasci dedit, atque coruscis*. Urb., Rom., *dedit, ille coruscis*.

232. Fortasse ex Ovidio IV, Met. 145. *Oculos jam morte gravatos*, ubi nonnulli habent minus bene *jam in morte*.

234. Urb., *Naufrago :* sic Ott. 1 a pr. m., sed supra

[a] Alii *Qui*, alii *Quis*.

Servavit sub rore pios : per pascua regem
Pavit, ut hirsutam pecudem, rictusque leonum,
Instimulante fame, jussit nescire furorem?
Nempe Creatori (cujus quæcumque videntur
Seu quæcumque latent, et rerum machina ser-
[mo est)
181 Omne suum famulatur opus, sequiturque
[jubentis
Imperium, quocumque trahit sententia nutu.

Heu! miseri, qui vana colunt, qui corde si-
[nistro
Religiosa sibi sculpunt simulacra, suumque
Factorem fugiunt, et, quæ fecere, verentur.
Quis furor est, quæ tanta animos dementia ludit?
182 Ut volucrem, turpemque bovem, tortum-
[que draconem,
Semihominemque canem supplex homo plenus
[adoret?

OPUS PASCHALE.

duxit, morienti jam regi tria lustra donavit, feri prædonis in utero portum dedit esse naufrago, rore sidereo puerorum membra proluit in camino, regem vagum dumosa per pascua feris ac pecoribus fecit esse convivam, leones prædæ parcere, et rapinam docuit non amare? Nempe rerum conditori omnium, cujus cuncta, seu nota, seu latentia verbi constant machinis fabricata, sui operis subjacent fundamenta, et sequitur jubentis imperium creatura, quacumque nutu naturæ traxerit divinæ sententia.

Heu! miseri, qui vanis cultibus inclinati stultum sinistri cordis officium sculptis a se simulacris impendunt, factoremque proprium relinquentes, suæ manus venerantur effigies, qui furor est, quæ tanta menti [a] ludit insania, ut turpem volucrem, obscenissimum bovem, tortum draconem, et semihominem canem homo integer membris adoret, et solem nonnulli nebulosis mentibus obcæcati rerum genito-

SCHOLIA.

recte *Naufragio* cum cæteris nostris codicibus, et multis editis. Codd. Lips., et Heins. pariter, *Naufragio*. Poelm., Vett. 1, 2, Mon., Fabr., et alii vulgati, cum ms. Arntz., *Navifrago*. Sed præferendum est *Naufragio*, quod exponitur pro naufrago, ut interdum *conjugium* pro conjuge, *matrimonia* pro conjugibus, *servitia* pro servis, *ministeria* pro ministris, *officium* pro officialibus, *philosophia* pro philosophis, et talia plura.

235. Reg. 1, *de rore*, quod non displicet : supra glossa, vel diversa lectio *sub rore*. Mentio fit roris ex Daniel. III, 50, *quasi ventum roris*, etc.

236. Poelm., *victusque*, emenda *rictusque*, pro quo C mendose Ott. 2, Meus, habent *ritusque*.

237. Schedæ Poelm., et nonnulli vulgati, *Instigante* pro *Instimulante*.

239. Tredecim omnes mss. nostri constanter legunt *machina sermo est*, et in Reg. 1 glossa est *Cum ipse dixit, et facta sunt*. Adhærent mss. Heinsii, Lips., Cantabr. a sec. m., Schedæ Poelm., Parrh., Ald., et codex antiquus bibliothecæ Taurinensis. Favet Prosa. Itaque audiendi non sunt Davisius, Wopkensius, et Burmannus, qui cum aliquo ms., editione quadam in-4, sine anno et loco, et aliis vulgatis inferioris notæ præferunt *machina serva est*. Quamvis autem durum videatur *machina sermo est*, tamen hoc certe voluit Sedulius dicere, omnia creata solo Dei verbo existere. Alterum *serva est* nec satis clarum est, et non alia ratione explicari potest, nisi per tautologiam *Omne suum famulatur opus*.

241. Davisius ad Ciceron. de Natur. deor. l. II, c. 2, distinguebat, *quocumque trahit sententia, nutu*, et *nutu* cum *jubentis* construebat. Wopkensius sub ea distinctione mallet referri *nutu* ad *sequiturque*, et exponit, ad levissimum divinæ voluntatis indicium, quod alibi dicitur *in temporis*, vel *oculorum ictu*. Idem Wopkensius conjicit, *Imperii, quocumque trahit sententia, nutum*, vel *sequiturque jubentis — Imperii, quocumque trahit, patientia nutum*. Quæ conjecturæ sic satis sunt ineptæ, præsertim in re per se clara. Burmannus quidem distinctionem Davisii probabat : sed aliud præfert Prosa. E mss. nostris Reg. 1, Meus, Vat. 2, obscure, *quocumque trahit sententia nutu;* sed in Reg. 1, videtur prius fuisse *quemcumque trahit sententia nutum;* Ott. 1, Vat. 1, Reg. 2, 5, Urb., Rom., Alb., et, ut videtur, Ang., *quacumque trahit sententia nutu*. Reg. 4, Ott. 2, *quæcumque trahit sententia nutu*. Parrh., et Ald. cum Ott. 1, faciunt.

242. Reg. 1, *De diversis cultoribus;* Ott. 1, *De diversis hæresibus;* Meus, *Contra Paganos;* Rom., *De reprehensione poetæ contra ipsos, qui colebant idola*. Ott. 1 a pr. m., Reg. 2 a sec. m., Reg. 5, Ang., Alb., Vat. 1, 2, Ott. 2, Rom., Meus, Cant., Arntzen. a pr. m., Ald., *fana*. Alii nostrii cum Parrh., Sched. Poelm., Ott. 1, supra eadem vet. m., et aliis *vana*, quod Prosa confirmat. In Urb. est *ana*, et deest prima littera.

243. Meus, Ald., *scalpunt*, quod melius quidem est, si grammaticos audimus : nam aliqui dubitant, an Latinum sit *sculpo*. Sed plerique habent *sculpunt*, et apud alios quoque id verbum legitur, quamvis plerumque varient exemplaria. Nonnulli vulgati *simulacra deorum*.

244. Reg. 5, Vat. 1, Meus, Ald., *ea, quæ;* alii, *et quæ*.

245. Ott. 1, *animas* pro *animos*. Ott. 2, *dementia fallit*. Arntz., *dementia cepit* ex Virgilio l. v Æn. vers. 465, *Quæ tanta animum dementia cepit?* Arntzenius ex Prosa conjiciebat *quæ tanta animis dementia ludit?*

246. Ott. 2, *Et volucrem;* lege *Ut*. Rom., Arntz., *torvumque;* retine *tortumque*, quod frequens est epithetum draconis, seu anguis. *Turpis* bos dicitur ex Virgilio III Georg. vers. 52 : *Forma bovis, cui turpe caput*. Irridentur Ibis, Apis, Anubis, dii Ægyptiorum, et Æsculapius draconis nomine. Ibis est *volucris*, Apis *bos*, Anubis *semihomo canis*. Notæ sunt fabulæ.

247. Arntzenius edidit, cum plerisque editis et mss., *homo pronus adoret :* sed restituenda est Sedulio sua lectio, quæ acuta, et elegans est, *homo plenus adoret*, quod alludit ad *semihominem canem*. In Reg. 1 clare est hæc scriptura, quamvis altera manus *pronus* superscribere voluerit. Clara etiam est glossa pro primigenia scriptura, *non semis, sed plenus sensu, vel ad imaginem Dei factus*. In Ott. 1 et Reg. 2 nunc quidem legitur *pronus*, sed videtur fuisse a pr. m. *plenus*, quod aperte indicat glossa in Reg. 2, scilicet *totus*. Recte ergo Gruterus cum ms. Cant., et Prosa, ubi est *integer*, edidit *plenus;* a quo Wopkensius, et Arntzenius dissentiunt inepta illa

[a] Forte *mentes* : nam in carmine est *animos*.

Ast alii solem, cæcatis mentibus acti,
Affirmant rerum esse patrem, quia rite videtur
Clara serenatis infundere lumina terris,
Et totum lustrare polum, cum constet ab istis
Motibus, instabilem rapidis discursibus ignem
Officium, non esse Deum, quique ordine certo
Nunc oritur, nunc occiduas demissus in oras
183 Partitur cum nocte vices, nec semper [ubique est,
Nec lumen fuit ille manens in origine mundi,
Cum geminum sine sole diem novus orbis ha- [beret.
Sic lunæ quoque vota ferunt, quam crescere [cernunt,
Ac minui, stellisque litant, quæ luce fugantur.
Hic laticem colit, ille larem, sed jungere sa- [cris
Non audent inimica suis, ne lite propinqua
Aut rogus exiguas desiccet fortior undas,
Aut validis tenues moriantur fontibus ignes.
Arboreis alius ponit radicibus aras,
184 Institoitque dapes, et ramos flebilis orat,
Ut natos, charamque domum, dilectaque rura,
Conjugiique fidem, famulos, censumque gu- [bernent.
Lignee, ligna rogas, surdis clamare videris,
A mutis responsa petis, quæ jura domorum
Hac ratione regunt, si cæsa securibus actis

OPUS PASCHALE.

rem illa volunt opinione censeri, quia terrarum tractus, et spatia claræ serenitatis luce perfundens, cœli plagas, ac sidera flammigera lustrare velocitate non cessat; cum ab ipsa potius instabili mobilitate, quam rapidis discursibus vagus ignis exercet, officium constet esse, quam dominum. Quippe certo dispensationis ordine custodito, nunc oritur, nunc ad occasum horis vergentibus inclinatus, vices cum nocte partitur. Nec ubique semper est constitutus, quique nulla nascentis vidit mundi primordia, nisi peracto sine sole die jam gemino, providus cum conditor a tertiæ lucis instituisset radiare principio. Sic etiam lunæ supervacua plerique vota dependunt, quam crescere semper, ac minui præfinitis mensium temporibus intuentur. Sic stellis quoque litare non desinunt, quæ depulsæ noctis abscessu matutinæ lucis vultibus effugantur. Hic aquarum cultor est, ille flammarum. Sed species, sibi natura contrarias, non audent inimicas efficere, ne propiore discordia aut ignis ardentior latices debiliores exsiccet, aut impar undis ingentibus rogus subito moriatur exstinctus. Alius arboreis radicibus aras instituens, dapes apponens, ramos, ac robora flebiliter orare non cessat, ut natos, domos, rura, conjugium, famulos, censumque custodiant. Lignee, ligna [a] quid obsecras? surdis operam dependis exclamans, a mutis responsa nihil auditurus exspectas. Quæ domorum constantiam illa tantum ratione sustentant, si securibus amputata,

SCHOLIA.

ratione, quod et Sedulius alibi, et alii, hac phrasi utuntur, *pronus adorat*. Colligere potius debuissent, ineptos librarios hac communiori phrasi deceptos versum corrupisse. In Reg. 4 hic versus ponitur post vers. 272.

248. Vat. 1, *actu*, ad marg. recte *acti*.

251. Reg. 1, Ott. 1, a pr. m., *constat* pro *constet*.

252. Vat. 1, *decursibus*, supra *discursibus*. Vet. 1, male, *discordibus*.

253. Meus, *Officio non esse Deum*; sed vera est lectio, *Officium, non esse Deum*, videlicet non esse Deum, sed ministrum, officialem : quo sensu *officium* interdum usurpatur, ut dixi in var. lect. ad vers. 234. Sententia ipsa copiose, et eleganter explicatur a Prudentio lib. II contra Symmach. vers. 509 seq.

254. Ut alias in hujusmodi compositis, sic hic variant codices; alii, *dimissus*; plerique, *demissus*, quod magis placet. Meus, *demersus in oras*, non inepte : pro *oras* nonnulli editi et mss., *horas*. In prosa quoque scribitur *horis vergentibus*; sed utrobique omitti debet aspiratio. In Reg. 1, quamvis *horas* scribatur cum aspiratione, tamen additur glossa *fines*, quæ *oras* innuit.

255. Urb., *ubique* sine *est*. Confer not. ad Dracont. II, 10 : *Partita cum fratre vices*.

256. Meus, *Hoc lumen*; corrige, *Nec*.

257. Reg. 4, *Cum genitum sine sole diem* : ita in Vat. 1 videtur fuisse. Aug., *Cum geminam*. Reliqui mss., et omnes editi, *Cum geminum*; ad quod verbum Nebrissensis noster notavit, non geminum, sed tres fuisse dies. Revera die quarto fecit Deus solem et lunam, ut cap. 1 Genes. refertur. Sed fortasse Sedulius duos dies post primum numerat : non enim placet *genitam sine sole diem*.

258. Cod. E, *qui*; Parrh., *quia*; melius, *quam*.

260. Meus, *latices*. Cannegieterus volebat *lapidem*. Sed ex sequentibus liquido patet, sermonem esse de aqua, et igni. Utrumque enim ethnici coluerunt. Aquam Ægyptios, Scythas, et Persas coluisse, tradit Vossius De Idol. l. II. De lare apud Romanos culto res est nota. Pro *sed jungere* schedæ Poelm., *hi jungere* : præstat retinere *sed*.

261. Meus, *Nec audent . . . nec lite*. Utrumque respuo. Post hunc versum in Meo erat hic alius, qui ab omnibus ignoratur, *Humida vis siccum dispergat in aera numen*; margini ascriptum erat *vacat*.

263. *Moriantur* pro *exstinguantur* elegantia ab aliis quoque usurpata. Sic contra ignis *vivus*, et *vivere* dicitur pro *ardens*, et *ardere*.

264. Reg. 4, *ponitur* : lege *ponit*. Vesania ethnicorum, qui arbores etiam adorabant, exagitatur a Prudentio II, contra Symm. 1009; quæ superstitio etiamnum quodammodo videtur renovata.

266. Reg. 5. *charam domum* : metri lex poscit *charamque domum*.

267. In Ott. 1, Vat. 1, *censusque* correctum per *censumque*. Etiam in Reg. 2, videtur fuisse *censusque* a. pr. m. Vat. 2, Reg., 5, Ald. *censusque* : plerique *censumque*. Nebrissensis *Conjugii fidem* interpretatur conjugem fidelem. Jam alibi notatum, *conjugium* aliquando pro conjuge usurpari.

268. Wopkensius conjecerat *Lignea signa rogas*; sed ex Prosa intellexit, vulgatam scripturam esse veram, quæ etiam elegantior est. Nebrissensis exponit *rogas*, id est, rogare debes. Res per se clara est sine hac interpretatione.

270. Cannegieterus sollicitabat hunc locum, ac legebat *regant, sic cæsa*. Nihil mutes. Meus non male, *si scissa* pro *si cæsa*. Wopkensii conjectura fuit *axis* pro *actis*, quam postea recte condemnavit, et

[a] Editiones minus correctæ, *quod*.

Ardua pendentis sustentent culmina tecti,
Aut subjecta focis dapibus famulentur edendis.
Nonnulli venerantur olus, mollesque per hortos
Numina sicca rigant, verique hac arte videntur
275 **185** Transplantatorum cultores esse deorum.
Plura referre pudet, sanctoque in carmine lon-
[gum
Vel damnare nefas, ne mollia sentibus uram
Lilia, purpurei neu per violaria campi
Carduus, et spinis surgat paliurus acutis.
280 Jam satis humanis erroribus addita monstra
Risimus, aut tales potius deflevimus actus.
Nunc cœptam juvat ire viam, montemque per
[altum
Nitentes firmare gradus; properemus in urbem,
186 Libertatis opem, radians ubi regia fulvis
285 Emicat aula tholis, ubi dantur digna petenti,
Quærenti spes certa manet, claustrisque remotis,

OPUS PASCHALE.

pendentia culmina tecti suffulciant, aut focis adhibita sumendis dapibus famulentur accensa. Nonnulli dementius olerum veneratores existunt, et in hortis numina rigantes arentia transplantatorum se deorum edocent veros esse cultores. Sed plura de talibus jam referre pudet, ne in sanctæ religionis pagina dum numerosos stultitiæ castigamus errores, aut lilia nimio decore mollissima rubus asper exurat, aut per violaria florentis campi purpurea, carduus, et spinosis armatus aculeis paliurus exsurgat. Igitur increpando jam satis est, qui humanis erroribus coli monstra derisimus, vel potius tales actus miserando deflevimus.

Nunc per incœpti juvat ire tramitis institutum, montemque sublimem firmo gradu conscendere, atque ad urbem, nostræ libertatis auctorem, totarum virium studio pervenire. Ipsa denique tranquillæ domus est pacis, ipsa tutum salutis habitaculum, ipsa perpetuum libertatis obsequium. Si enim de terrena mortalis habitaculi civitate, et a mortali fabricatore fundata Poeta sæcularium ita cecinit litterarum [a],

> Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?
> Libertas...

quanto magis cœlestium in civitate regnorum, quam Deus Dominus instituit fabricator, jura perpetuæ libertatis esse credemus! de qua vates ait [b] spiritua-

SCHOLIA.

actis pro adactis, incussis accepit. Phrasin *regere jura* illustrat Wopkensius ex Rutilio Itin. I, 157 : *Si non displicui, regerem cum jura Quirini*, ubi plura Sitzmannus.

271. E mss. alii, *sustentent*, et mox *famulentur;* alii, *sustentant . . . famulantur;* alii, *sustentent . . . famulantur*. Sic fere editi variant. Communis lectio subjunctivum præfert; sed potest etiam indicativus retineri : non tamen in altero verbo subjunctivus, in altero indicativus.

272. Poelm., *Aut subjecta foci :* pro quo schedæ ejusdem Poelmanni admonent, legendum *focis*. Reg. 4, *Aut subjuncta focis*, quæ fortasse genuina est lectio. Nebrissensis quidem ad hunc locum notavit, *subjecta*, immo *superinjecta*. Non male esset *Aut injecta focis ;* in Prosa est *adhibita*. De verbo *famulentur* dixi ad vers. præced.

273. Irridet hanc insanam superstitionem Juvenalis sat. XV, vers. 10.

274. Reg. 4, *viridique hac arte ;* retines *verique*.

276. Reg. 4, *pudent;* lege *pudet*. Ott. 2, *longum est*.

277. *Urere* pro exsiccare, humorem absumere, apud Virgilium, Plinium, alios.

278. Urb., Meus, *ne per*.

279. Vat. 1, *ex spinis*, bene correctum *et spinis*, ex Virgilio, ecl. 5, vers. 39, a quo hunc versum mutuatur Sedulius, et mutuatus est auctor Carminis in Genesin, quod inter Carmina Juvenci suppositicia, aut dubia reposui, ubi ad vers. 121 notavi, eumdem versum in Centone Probæ exstare. Reg. 4, *paliurus acutus :* sed *acutis* habet Virgilius, et Columella l. X de Cult. hort., vers. 22 : *Spinisque ferat paliuron acutis*.

280. Pro *addita* Wopkensius et Burmannus reponere volebant *edita*, h. e., prognata. Sententia eadem est, errore hominum falsis numinibus cultum præstitum fuisse. Poetarum gentilium figmenta in cultu deorum promovendo magnam habuisse partem tradit Isidorus l. VIII Etym. c. 11 : *In quorum etiam laudibus accesserunt poetæ, et compositis carminibus in cœlum eos sustulerunt*. Et infra : *Sed hoc a poetis totum fictum est, ut deos suos ornarent*, etc. Præmittit autem cap. X : *Pagani ex pagis Atheniensium dicti, ubi exorti sunt*, et cap. 11 confirmat, Cecropem primum omnium fuisse, qui simulacra reperit : quo versus Sedulii de Cecropio veneno, et Atheniæo pago, vers. 40 seqq. h. l. melius intelliguntur.

281. Nostri plerique mss. et editi, *aut tales potius ;* alii, *aut potius tales*.

282. Reg. 1, et Ott. 1, nullum titulum exhibent. Poelm., *Sacram Triadem asserit*. Schedæ Poelm., et ed. Lips., *placet :* magis poeticum est *juvat*, quod Prosa etiam amplectitur. Mendose Reg. 4, *juvet ire*, et Arntz., *per almum*.

283. Curtius, Quintilianus, et alii, dicunt *firmare gradum*, ut Virgilius *firmare vestigia*. Rom., *ad urbem*.

284. Reg. 1, 2, 4, Ott. 1, Rom., Parrh., Vet. 1, 2, Mon., Poelm., *Libertatis opem*. Vatt. 1, 2, Ott. 2, Reg. 5, Meus, Ang., Alb., Ald., *Libertatis ope :* quod prætulit Grunerus hac distinctione, *Properemus in urbem; — Libertatis ope radians ubi*, etc. Putabat Grunerus, Fabricium mutasse *ope* in *opem :* quod falsum esse ex mss., et antiquissimis editionibus compertum est. Wopkensius tentaverat *properemus in urbem; — Ubertas ubi opum :* sed ex Prosa intellexit, a manu Sedulii esse *Libertatis opem;* hoc enim est, quod ait Prosa, *ad urbem nostræ libertatis auctorem*. Burmannus quoque pro hac ipsa scriptura stat, et *opem* exponit pro re, quæ aliquid efficit, auxilio, etc. Sic Iseanus de bello Trojan. l. II, vers. 261 : *Hicne nitor chalybis, hoc aurum hostile, decoris — Extorquebat opem*. Parrhasius ait, Sedulium secutum fuisse analogiam, *Libertatis opem*, h. e., fecundam, cum contrarium sit *inops*, h. e., egenus. Confer, si placet, not. ad Dracont. l. III, vers. 415 : *Libertatis opem nec ferrea vincla tenebant*.

285. In Vat. 1, ex *tholis* factum *thoris :* repone *tholis*. Ott. 1, *potenti*, recte factum s. m. *petenti*.

286. Parrh., et schedæ Poelm., *Quærentem*, quod stare quidem potest. Sed mss., et plerique editi referunt *Quærenti*, et in Vat. 1, ex *Quærentis* appareret correctum *Quærenti*.

[a] Virgilius, eclog. I, vers. 27.
[b] Psalm. CXLVI, vers. 2, et psalm. seq. vers. 12 seqq. Plura hic carmini adduntur.

Pervia pulsanti reserantur limina cordi.
Hic est ille lapis reprobus, quem vertice gestat
187 Angulus, atque oculis præbet miracula [nostris,
Cujus onus leve est, cujus juga ferre suave est.
Per digesta prius veteris miracula legis
Rettulimus, sancti conjuncto Spiritus actu
Quæ Genitor socia Nati virtute peregit.
Per digesta rudis necnon miracula legis,
188 Dicemus, sancti conjuncto Spiritus actu
Quæ Natus socia Patris virtute peregit.
Semper ut una manens deitatis forma perennis,
Quod simplex, triplicet, quodque est triplicabile, simplet.

OPUS PASCHALE.

lium canticorum, *Ædificans Hierusalem Dominus*, et in sequenti nihilominus psalmo similiter explanavit, *Lauda, Hierusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion, quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te, qui posuit fines tuos pacem*, etc. Audiamus ipsum quoque rerum omnium conditorem in Evangeliis suis, sacrosancto sermone cujus esse memorarit hanc urbem : *Dico autem vobis, non jurare omnino neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum est pedum ejus, neque per Hierosolymam, quia civitas magni regis est* (*Matth.* v, 34 *seqq.*). Tamquam si diceret *mea*, qui apertius dissimulavit exprimere, ut humilitate sermonis culmen suæ panderet majestatis. Ita enim cum doceret, admonuit dicens : *Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde* (*Matth.* xi, 29). Hic est, ubi regia fulvis aula tholis irradiat, ubi petens accipit, quærens invenit, pulsanti mox panditur. Hic ille, pretiosus enim lapis, qui ab ædificantibus reprobatus in anguli nitet capite constitutus. Cujus onus nimis leve sentitur, cujus jugum suave plurimum comprobatur.

Igitur per digesta quædam veteris Testamenti miracula retulimus, quænam Pater Filii consortio, sanctoque Spiritu secum gesserit constituto. Per digesta similiter quædam novi Testamenti miracula referemus, quænam Filius paterno consortio, sanctoque Spiritu secum gesserit constituto, ut deitatis una potentia inseparabili semper virtute conspicua, et sim-

SCHOLIA.

288. Nonnulli vulgati perperam interpungunt *lapis, reprobus*. Glossa in Reg. 1, *reprobus, Christus reprobatus a Judæis*. Vide Ducangium verbo *reprobus*.

289. Reg. 4, corrupte *Angelus, atque*.

290. Omnes nostri mss. *Cujus onus leve est, cujus juga ferre suave est*. Ita cum hiatu pleræque editiones veteres. Fabricius ex ingenio, ut videtur, *læve est* pro *leve est* : in comment. vero pag. 79, *leve* retinet. Apud Bedam de Art. metr. bis occurrit hic versus, ut in mss. legitur *Cujus onus leve est*. Cellarius Gruneru s, et Arntzenius contra fidem mss. et editorum transponunt *Est leve cujus onus*. Arntzenius, et Burmannus conjiciunt *Cujus onus lene est* : sic Paulinus Natal. xi, vers. 37 : *Quia lene jugum, et leve Christi — Est onus*. Revera ita edidit Parrhasius *Cujus onus lene est*. Sed cum Cellarius ipse fateatur, ejusmodi hiatum non esse insolitum, et similem hiatum cum recentibus etiam editoribus v. 321 hujus libri admittat, et cum Sedulius in Prosa, et in epistola ad Macedonium onus Christi *leve* vocet, scripturam mss. omnium retinere prope necessarium duco. Aliud est de Paulini verbis : nam hic *lene* accipit pro *suavi*, et jugo accommodat, onus vero *leve* appellat. Alterum *est* post *suave* commode abesse potest : sed ab omnibus nostris mss. retinetur. Post hunc versum in Urb. sic legitur : *Explicit liber primus egregii episcopi Sedulii de veteris Testamenti historia. Incipit secundus liber ejusdem de novi Testamenti historia secundum sanctos quatuor evangelistas, et primo de sanctissima atque individua Trinitate. Præfatio.*

291. Epigraphe in Meo, *Contra Arrium et Sabellium* ; in Rom., *De Trinitate*. Barthius vellet conjungi *Perdigesta*. Merito dissentiunt Wopkensius et Arntzenius : sententia enim est, Retulimus per quædam digesta, sive ordine suo narrata : sic *digestum Lucæ* pro ipsius Evangelio dixit Tertullianus, ut notavit Otto ad § 4 Proœm. Instit. Pro *legis* male Vet. 1, *regis*.

292. Reg. 5, *sancti conjunctos flaminis actu*. Aldus in erratis ita etiam edidit, sed, ut puto, *conjunctos* error typographicus est. In contextu Aldi legitur *spiritus actu*, ut in fere omnibus mss. et editis. Codex Reg. 5 recentissimus est, adeoque suspicio mihi est, ex Aldi editione fuisse eum transcriptum. Cellarius suspicabatur, a manu Sedulii esse *flaminis*, ne ultima in patrio casu *spiritus*, quæ longa est, corripiatur. Repugnant vetustissima exemplaria cum in hoc versu, tum in aliis ejusdem Sedulii, ubi eodem modo occurrit *spiritus* in patrio casu, correpta ultima : et in Ott. 1 glossa indicat hoc ipsum. Barthius hujusmodi licentiam notavit in Proba Falconia, Fortunato, et Hilario. Vide ejus lib. xv Advers., c. 15, et lib. xlvi, cap. 15.

293. Simili modo Dracontius lib. ii, vers. 541 : *Ad superos revocans animas virtute parentis.*

295. Urb. corrupte, *Dicendus*. Reg. 5, omittit hunc versum, et præcedentem.

298. Reg. 1, 4, Lips., Vet. 1, Mon., Fabr., *quodque est triplicabile, simplex* : quod non displicebat Arntzenio. Otton. 1, *quodque est triplicabilis implet*, correctum *triplicabile, simplet*. Vatt. 1, 2, Reg. 2, 5, Otton. 2, Urb., Meus, Ang., Rom., Alb., *simplet* ; cujus glossa in Ott. 1 *adunet*. Hincmarus in opere de non trina Deitate ita etiam legit, quamvis sustineat, hæc et alia hujusmodi a poetis christianis dici *metri necessitate* et per metonymiam. Vide var. lect. ad vers. 324 h. l. In plerisque editionibus est *simplet*. Arntzenius Parrhasio affingit *quod est triplicabile* : sed quamvis in contextu editionis Parrhasii appareat *quod est triplicabile, simplex*, tamen in Corrigendis monuit, legendum *quodque est triplicabile, simplet* : rejicit omnino *simplex*, et verbum *simplare* novatum a Sedulio ait. Palladius usus est verbo *simplicare*. Salomon Constantiensis episcopus ex Sedulio, quem memoriæ mandaverat, ut liquet ex Prolegomenis num. 176 : *In quo personæ triplant, substantia simplat*. Eadem est sententia in fine homiliæ sub Orosii nomine super Apocalypsin : *Ipse, qui simplex est in triplicitate, et triplex in simplicitate*. Legitur hæc *Expositio Pauli Orosii super Apocalypsin* in quodam codice veteri, olim S. Mariæ ad Martyres, nunc Vaticano num. 6596, cujus meminit Baronius in Martyrologio, 1 Novembr., et in Annal.; sed revera ea Expositio non Orosii est, sed Haymonis, in cujus Comment. super Apocalypsin exstat ad cap. vii, vers. 2.

Hæc est vera fides, hanc sprévit habere sa- [lutem
Arrius infelix, qui curva per avia rectum
Flectere nisus iter, foveam delapsus in atram
Corruit, et tetri mersus petit ima profundi :
Tam vacuus sensu, justæ quam tempore pœnæ,
189 Visceribus fusis, vacuus quoque ventre [remansit.
Demens, perpetui qui non imitanda parentis
Jura, caducorum gradibus simulavit honorum!
Namque homines inter natum genitore minorem
Lex carnalis habet, quoniam pater ipse parentis
Filius ante fuit : mox et qui filius est nunc,
Afforet esse pater ; sic per genus omne nepotum
It nova progenies et avi numerantur avorum.

At Dominus, verbum, virtus, sapientia, Chri- [stus,
Et totum commune Patris, de lumine lumen,
De solo solus, cui nec minus est Patre quid- [quam,
190 Nec, quo crescat, habet, genitus, non [quippe creatus,
Ipse est principium : nam sicut clarus habetur
In genitore manens, genitor quoque clarus in [ipso
Permanet, et rerum caput est Deus unus ubi- [que.
Non quia qui summus Pater est, et Filius hic est,
Sed quia quod summus Pater est, et Filius hoc [est.

OPUS PASCHALE.

plici majestate sit triplex, et triplici majestate sit simplex. Hæc est vera fides, et firma credulitas. Hanc salutem infelix Arrius habere contempsit, qui, per devios curvi callis anfractus dum rectum nititur iter avertere, tetram delapsus in foveam, caligantis tartari secutus tenebrosa est, tam sensu vacuus, et inanis, quam tempore justi supplicii ventre quoque vacuus fusis visceribus exspiravit. Demens, qui paternæ divinitatis jura, nullius exemplo similitudinis coæquanda, caducis putavit gradibus computari ! Inter homines namque carnali lege nascentes filius minor est patre, quoniam pater ipse, qui filium nunc præcedit, paulo ante filius fuit, et qui filius est, nunc cernitur, cum [a] pater fieri posse non habetur ambiguum. Sic per omnem nepotum seriem nova proles excurrit, et avorum atavi senio [b] numerantur ingenti. Dominus, qui verbum, virtus, sapientia, et totum commune Patris, est Christus, de lumine lumen exortum, de solo solus est natus, qui nec Patre minor in aliquo, nec est, quo crescat, rebus universis excelsior, quippe qui genitus, non creatus, nomen habet pro summitate *Principium* : ita enim, secundum Joannem, Judæis requirentibus sese dixit esse principium. Quid ergo principium est, nisi cacumen excelsum, supra quod nihil penitus reperitur, semper in Patre permanens, qui in ipso semper manet Pater, rerumque omnium caput, unus individuæ majestatis est Deus, non quia Filius hic credatur esse, qui Pater est, sed quia Filius hoc credatur esse, quod Pater est, sicut per evangelicam ipse locutus est doctrinam,

SCHOLIA.

299. Poelm. pro titulo : *Arrii Sabelliique hæresim taxat.*— Deest hic versus in Ott. 1, sed a m. s. insertus est. Paulinus Vit. S. Mart., l. I : *Attamen ore fidem tenuit, vel corde salutem.*

300. Arnt., *cuncta per avia*, minus bene.

301. Rom., *Flectere iter nisus*, non male. Vet. 1, *Flectere visus iter*, forte errore typographico. Reg. 1, Vatic. 1, Rom., Arntz., Ald., *dilapsus*, quod damnat Arntzenius. Plerique habent *delapsus* : sed ejusmodi permutatio frequens est in compositis præpositione *de*. Reg 1, a s. m., *delapsus*.

304. Turpe mortis genus, quo periisse Arium ex Annalibus ecclesiasticis constat.

305. Reg. 4, *quia non* : Virgilius, quem Sedulius imitatur, habet *qui non*.

306. Reg. 1, 2, 4, 5, Rom., Alb., Vat. 1, cum aliis, *similavit*. Ott. 1 ita etiam, sed videtur, prius habuisse *simulavit*, quod exstat in multis mss., atque editis. Nonnulli contendunt, *similare* Latinum non esse, et, ubicumque id verbum occurrit, mutandum in *simulare* : sed negari nequit, apud scriptores sequioris ætatis frequens fuisse verbum *similo*. Hoc tamen loco verum videtur *simulavit* ex Virgilio l. VI, vers. 585 : *Demens, qui nimbos, et non imitabile fulmen — Ære, et cornipedum cursu simulavat equorum*. Confer Var. Lect. ad Juvenc. l. I, vers. 394.

308. Meus, *parenti*, non male, pro *parentis*.

309. Arntzenius advertit, nonnullos editos habere *filius nunc est*. Metri lex postulat *filius est nunc*.

311. Poelm., Fab., *In nova*; Rom., *Id nova* : corrige, *It nova*. Virgilii verba sunt l. IV Georg., vers. 208 : *Et avi numerantur avorum*.

313. Arntz., *Est totum* ; quod sustineri posse existimat Arntzenius, si interpungatur *sapientia. Christus — Est, totum commune Patris*. Vat. 1, *Et totum est commune Patris*. Melius tamen vulgata lectio retinebitur. Hæc Trinitatis explicatio conferri potest cum Prudentio Apoth. vers. 278, hymn. 10 Perist. vers. 316 seqq.

314. Schedæ Poelm., *qui nec minor est Patre quidquam*. Mss., et editi, *cui nec minus est Patre quidquam*, sed in Ott. 1 a pr. m. erat *minor est*. Fortasse legendum, *qui nec minor est Patre quidquam*, h. e., qui nequidquam minor est Patre. Non enim raro *nequidquam* pro *nihil*, vel *non* ponitur. Cicero I Tuscul. c. 51 : *Secernere autem a corpore animum nequidquam aliud est, quam emori discere*, sive legas cum aliis *nec quidquam*, sive *nihil quidquam*. Ex prosa autem vulgata lectio defenditur.

315. Poelm. pessime interpungit *habet genitus : non quippe creatus*.

316. Desiderabatur hic versus in cod. E., sed additus fuit margini.

319. Pater est *idem, quod* Filius, non *idem, qui* Filius, quia masculinum *idem* indicat personam, neutrum naturam. Legesis not. ad Drac. l. II, vers. 105. Orientius carm. de Trinitate : *Non idem, sed prorsus idem*. Sic distinguit *idem* masculinum, et neutrum ex diversa syllabarum quantitate.

320. Ott. 1, *Sed quia quod sumus* ; obscure *quod;* percipitur.

[a] Alii, *cum pater fieri* ; alii *compater fieri*. Implicata syntaxis tam in carmine, quam in prosa, quæ sæpe carmine obscurior est ; sententia satis per se

[b] Cur non *serie numerantur ?*

Sic ait ipse docens : Ego in Patre, et Pater in A [me est.
191 Rursus : Ego, atque Pater, unum sumus. [Arrius UNUM
Debet scire, SUMUSque Sabellius esse fatendum.
Iste fidem ternam, ast hic non amplectitur unam.
Ambo errore pares, quamquam diversa sequen- [tes ;
Qualiter assueti varias producere sectas,
Impugnant sua dicta viri, qui brachia nudis
Ostentant exserta humeris, nil tradere docti.
192 Sed tantum certare cati, prudentia quorum
Stulta jacet, quia vana Deo est sapientia mundi.
Hic loquitur nimis, ille tacet; hic ambulat, hic [stat ;
Alter amat fletus, alter crispare cachinnum,
Diversisque modis par est vesania cunctis.
Interea dum rite viam sermone levamus,
Spesque, fidesque meum comitantur in ardua [gressum,

OPUS PASCHALE.

dicens : *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* x, 38). Deinde consequenter adjecit : *Ego, et Pater, unum sumus* (*Ibid.*, 30). Arrius, *unum*, dici audiat; Sabellius, *Sumus*, dici cognoscat; alter a Trinitate refugiens, alter ab unitate dissentiens : ambo pares errore, licet diversa sentientes. Qualiter gentilium dogmatum suis obviare dictis invicem conantur auctores, qui brachia nudis humeris proferentes exserta, nihil docendo tradere, sed tantum [parati sunt longa disputatione certare. Quorum prudentia jacet inculta, quia vana est coram Domino mundanæ sapientiæ fragilis disciplina. Hic plus loquitur, ille plus tacet. Hic ambulando disputat, ille stando pronuntiat. Alius semper illacrymat, alius ridere non cessat. Diversis igitur modis par vesania videtur in cunctis.

Interea dum viatici laboris sarcinam sermonibus allevamus, spesque simul ac fides in ardua meum

SCHOLIA.

mendum quidem est *sumus* pro *summus*. Schedæ Poelm. præferebant *summis* sine ulla ratione, ut innuit Arntzenius. Pro *et filius* ms. Arntz. *quia filius* ; affirmat Arntzenius, id prosam non improbare : sed fallitur, nam in prosa semel tantum, ut in versu, legitur *quia* ; in ea vero lectione, quam ipse indicat (ambigue enim loquitur), bis *quia* recurreret. Hic versus, atque præcedens laudantur in quadam Revelatione Ildefonsi episcopi Hispaniensis sæculo IX, ut dixi in Prolegom. num. 28, sed corrupte, *hoc et filius est* pro *et filius hoc est*. Error etiam est in editione Bedæ, qua utor, *quidquid* pro *quod* : commentator quidem ejus libri de Metris habet *quod*. Vide etiam Proleg. num. 177 testimonium Amalarii.

321. Vet. 1, *agit*, inepte, pro *ait* ; quæ duo sæpe in mss. etiam permutantur. Omnes nostri mss. cum codd. Heinsii, Lips., Arntz., et editionibus Parrhasii, Aldi, et aliis, hiatum admittunt, *Ego in Patre, et Pater in me est*. Ut hiatum fugiant, sic nonnulli editi cum Cappusot., et Poelm., *docens : Et ego in Patre* ; alii, *docens : Ego et in Patre*. Quod a Sedulii manu non esse, satis per se patet. Recentes editores hoc loco hiatum recipiunt, quem vers. 290 recipere noluerunt. Beda sic etiam legit, ut a nobis editum est, sed putat, Sedulium contra regulam grammaticæ dispositionis peccasse, ut verba Redemptoris retineret : scandit enim *Sic ait—ipse do—cens e—gin Pa*, adeoque tertio loco admittit trochæum. In eadem videtur esse opinione commentator anonymus Bedæ in codice ms. Vaticano. Existimant enim, Sedulium noluisse recipere hiatum. Longe aliter sentio, ut iterum dicam in fine Elegiæ, ubi sententiam Bedæ fusius exponam.

322. Codex Taur., *sumus*. *Si Arrius*. Arntzenius sollicitabat hunc versum, vel *Ego, atque Pater sumus unum* : *Arrius unum* cum hiatu inter *unum*, et *Arrius*, vel *Ego, Pater atque unum sumus*. *Arrius unum*. Verum cui bono ejusmodi verborum trajectio? Quid enim incommodi est, si ultima in *Pater* ratione cæsuræ producatur?

323. Reg. 4, *summusque Sabellius*. Parrh., schedæ Poelm., *simulque Sabellius* ; lege SUMUS*que Sabellius* : nam ex duobus illis verbis, *unum sumus*, Arrius *unum* negabat, Sabellius *sumus* ; scilicet Arrius unitatem essentiæ, Sabellius trinitatem personarum. Reg. 5, Ald., *sumus Sabellius* sine conjunctione *que*, quod tolerari potest. Melius tamen prima in *Sabellius* corripietur cum Prudentio Apoth. vers. 178, et aliis.

324. Arntz., *Ille fidem* ; cæteri, *Iste*. Frequenter in mss. *iste* et *ille* confunduntur. In hoc versu *iste* et *hic* valent *alter, alter*. Plerique mss. et vetustissimi editi, *ternam* ; recentiores, *trinam*. Gothescalcus in schedula, *Quod trina deitas dici possit*, inter opera Hincmari, pag. 417, pro se adducit, et legit *Iste fidem trinam*. Hincmarus, pag. 803, distinguit inter *ternus* et *trinus*, quia *ternus* est a *ter*, *trinus* a *tria*, vel *tres*, et advertit, Sedulium non *trinam*, sed *ternam* ponere voluisse. Sed revera eadem est utriusque verbi significatio, ut ex Indice verborum Juvenci patet. Plura etiam dixi de hac phrasi *trina deitas* in Hymnodia Hispanica, et in Comm. ad Prudentium. Adde Florum Diaconum Lugdunensem tom. I Analect. Mabillonii carm. 6 : *Nocte, dieque hymnis trinum inclamantia numen*. Claruit Florus eodem sæculo, atque Hincmarus. In cod. Arntz. delectum erat *non*, quod prosa et sensus postulant.

325. Arntz., *quamvis* ; alii, *quamquam*. Reg. 1, 4, Meus, pro d. s., Vet. 1, 2, Mon., Taur., *sequentes*, quod prosa confirmat. Alii, *sequantur*. Sic etiam Cassiodorius expos. psalm. VIII, in fine. In Rom. mendum *sequatur*.

328. Reg. 1, *Ostentant*, quod magis placet, quamvis reliqui præferant *Ostendunt*. Plus enim innuit *Ostentant*, scilicet *Ostendunt* terrendi, et minitandi causa. *Brachia exserta* dicuntur, ut *exserti humeri*, *lacerti*, etc. Vide Cerdam not. ad Tertull. De Pallio c. 3, prope finem, ubi et Sedulium nostrum et plures alios allegat.

330. *Jacet* ponitur pro contemnitur, ut apud alios.

331. Meus contra metrum *ille stat* ; corrige *hic stat*.

332. Ott. 1, Reg. 5, Ald., *cachinnos* ; alii, *cachinnum*. Priorem lectionem suadet Persius, quem imitatur Sedulius, sat. 3, vers. 87 : *Naso crispante cachinnos*. Hoc ipsum postulat *fletus* in plurali, quod ex altera parte ponitur. Intelligit Heraclitum, et Democritum, quorum hic risus, ille fletus amabat.

334. Poelm., *Christi milites hortatur* ; in plerisque deest titulus. *Viam sermone levamus*, ex Virgilio VIII, 209 : *Ingrediens, varioque viam sermone levabat*.

335. Reg. 4, *comitentur*.

Blandius ad summam tandem pervenimus arcem. A
En signo sacrata crucis vexilla coruscant :
En regis pia castra micant, tuba clamat herilis,
193 Militibus sua porta patet ; qui militat [intret :
Janua vos æterna vocat, quæ janua Christus.
Aurea perpetuæ capietis præmia vitæ,
Arma quibus Domini tota virtute geruntur,
Et fixum est in fronte decus. Decus, armaque [porto,
Militiæque tuæ, bone Rex, pars ultima resto.
Hic proprias sedes, hujus mihi mœnibus urbis

194 Exiguam concede domum, tuus incola [sanctis
Ut merear habitare locis, alboque beati
Ordinis extremus conscribi in sæcula civis.
Grandia posco quidem : sed tu dare grandia [nosti.
Quem magis offendit, quisquis sperando lepe- [scit.
Christe, fave votis, qui mundum in morte ja- [centem
Vivificare volens, quondam terrena petisti
Cœlitus, humanam dignatus sumere formam,

OPUS PASCHALE.

comitantur incessum, blandius ad arcis summæ fastigium, depositâ difficultate, pervenimus. Ecce sacræ crucis vexilla jam radiant, ecce magni regis castra piissima coruscum lumen ostendunt, flatuque sidereo B tuba Dominicæ stationis exclamat. Militibus suæ portæ patet accessus ; qui militat, ingrediatur intrepidus. Janua vos æternitatis invitat, quæ janua Christus, scilicet vox paterna. Aurea perennis vitæ remuneratione gaudebitis, quia cœlestia Domini viriliter arma tractatis, et in fronte decus affixum, fidelis signi sacramenta monstratis. En ego decus, et arma cœlestia tua, tuæ militiæ pars minima, bone rex, bajulo consecrata. Hic proprias me sedes accipere, hujus urbis in mœnibus exigua dignum habitatione concede. Tuus semper incola, tuusque vernaculus parvo sanctæ mansionis in angulo constitutus inter beati ordinis cives albo vitalis paginæ postremus merear municipalis ascribi. Grandia quidem postulo, sed tibi grandia dare suppeditat magnitudo, quem ille magis offendit, qui spem dubiam de tanta pietate conceperit.

Christe, annue votis, qui, morientem mundum vivificare festinans, cœlitus petisti terrena, humanam dignatus sumere effigiem, aliena quidem suscipiens, sed propria non relinquens. Hoc Matthæus adortus imprimis, hominem generaliter expedivit. Marcus,

SCHOLIA.

337. Vet. 1, *ducis*, pro *crucis*, frustra : laudat enim Sedulius signum, seu vexillum crucis, et fortasse respicit vexilla militaria christianorum, quæ a Constantini tempore signo crucis ornabantur. C Prudentius l. I contra Symmach. vers. 464 : *Agnoscas, regina, libens mea signa, necesse est, — In quibus effigies crucis aut gemmata refulget, — Aut longis solido ex auro præfertur in hastis*, etc.

338. In Poelm. error est *turba* pro *tuba*. Meus *cantat* pro *clamat :* sed si hoc commutandum esset, melius reponeretur *clangit*, quod proprium est tubæ. *Pia castra* dicunt etiam Paulinus Vit. S. Mart. II, 423, et Drepanius hymn. S. Mich. arch. ; *cœlestia castra* Lactantius de Mort. Persec. c. 16.

339. Meus *intrat :* retineo *intret*.

340. Urb., Rom., a pr. m., *quæ janua est Christus ;* et Alb., *quæ janua Christus est* contra metrum, recepto *est* ex glossa. Ott. 2, Parrhasius, et, ut videtur, Meus codex, cum interrogatione, *quæ janua? Christus :* quæ scriptura elegans videtur, et a Burmanno approbatur, sed a prosa abest interrogatio, et contextus ipse eam abesse a carmine exigit.

341. Parrh., schedæ Poelm., *gaudia ;* cæteri *præmia*, favente prosa. Sic etiam legit auctor antiquus D Vitæ S. Gerardi apud Baronium ann. 939, n. 4, qui ex Sedulio sumit, *Aurea perpetuæ ut contingat præmia vitæ*, quod ad rem suam accommodat. *Munera perpetuæ vitæ* vocat Dracontius l. II, vers. 560, et *munera æternæ vitæ* l. III, vers. 455. Sic Tertullianus de Jud. Dom. vers. fin. : *Sic quoque cœlestis capietis munera vitæ*, et Prudentius Hamart. vers. 295, *Aurea dona — Justorum*. In precibus liturgicis obvium est *præmia vitæ æternæ*.

342. Paulinus de Vit. Mart. I, 271, *Tota virtute precandi ;* et II, 182, *Tota fidei virtute precatur*. Similia ascribit Wopkensius, ex declam. Quintil., *tota velocitate ;* ex Ammiano, *tota celeritate ;* ex Optato hoc ipsum, et præter ea *tota importunitate, tota securitate*, ex Minucio *toto silentio*.

343. In Vat. 2, et in Rom. desideratur alterutrum *decus*.

345. Reg. 2, 5, Vatt. 1, 2, Ang., schedæ Poelm., Rom., Ott. 1, 2, Urb., Arntz., codd. Lips., et Barth. C cum Parrh., Ald., *Hic propriæ sedis*, ut nectatur cum *domum*. Cant. cum nostris Reg. 1, 4, et multis editis, *Hic proprias sedes*, quod prætulerunt Grunerus, Wopkensius, et Arntzenius. In Meo ms. est scriptura, quæ magis placere debet : *Hic propriæ sedes, cujus tu mœnibus urbis — Exiguam concede domum*. Huc etiam referri potest lectio communior, *Hic propriæ sedis :* nam *sedis* ex veteri scribendi ratione positum videtur pro *sedes*. Pro *cujus* bene etiam est *hujus*. Æmulatur Sedulius Virgilium, ut sæpe alias, l. III Æneid., vers. 167 : *Hæ nobis propriæ sedes, hinc Dardanus ortus*. Ac fortasse Sedulius scripsit *Hæ propriæ sedes*. Intelligit autem, cœlum esse proprias sedes hominum, quia inde, h. e., a Deo originem trahunt, et illuc redire debent. Explicari etiam potest *Hic propriæ sedes*, nempe tibi : nam cœlum sedes est Dei. Juvencus l. I, vers. 574 : *Nec fas est homini cœlum jurare per altum, — Quod sedes Domini est*. Pro alia lectione *Hic proprias sedes* facit Virgilii locus D l. III, Æn. vers. 85 : *Da propriam, Thymbræe, domum ; da mœnia fessis, — Et genus, et mansuram urbem*. Adde prosam.

347. Schedæ Poelm., *alboque beari — Ordine, et extremus*, inepte.

348. Dempsterus ad Rosinum l. I, c. 17, citat *Ordinis externus :* ibi explicat, quid sit conscribi albo ordinis beati. Meus depravate *cinis* pro *civis*. Videtur Sedulius explicare voluisse locum Prudentii, alioquin difficilem, Hamart. vers. 955 : *Non posco beata — In regione domum*.

351. In Heinsiano codice inscribitur *Prologus quatuor evangeliorum*. Ott. 2, *fave cœptis, quod mundum*.

353. Cant., *sumere carnem ;* cæteri, *sumere formam*, quæ phrasis satis usitata est non solum a Christianis, sed ab ethnicis quoque poetis.

Sic aliena gerens, ut nec tua linquere posses.
Hoc Matthæus agens, hominem generaliter implet.
195 Marcus ut alta fremit vox per deserta leonis,
Jura sacerdotis Lucas tenet ore juvenci.
More volans aquilæ, verbo petit astra Joannes.
Quattuor hi proceres una te voce canentes,
Tempora ceu totidem, latum sparguntur in orbem.
Sic et apostolici semper duodenus honoris
Fulget apex numero, menses imitatus, et horas,
Omnibus ut rebus totus tibi militet annus.
Hinc igitur veteris recolens exordia mortis,
Ad vitam properabo novam, lacrymasque sedendo,
Gaudia longa metam : nam qui deflemus in Adam,
196 Semina mittentes, mox exsultabimus omnes,
Portantes nostros, Christo veniente, maniplos.

OPUS PASCHALE.

ut leo mirabilis, per deserta vociferatus infremuit. Lucas sacerdotali religionis exordio sumpsit similitudinem de juvenco. Joannes aquilæ volantis impetu cœlum verbi majestate penetravit. Quatuor isti proceres, ac præcones una te[a] voce cantantes, ceu tempora totidem per latissimam totius mundi sparguntur effigiem. Sic apostolici quoque culminis honoris duodenus apex semper refulgens, numeris horas imitatur, et menses, ut, rebus omnibus congregatis, annus tibi militet universus. Igitur hinc vetusta memorans antiquæ mortis exordia, novam properare delector ad vitam, ut qui fletus seminavimus in Adam, lætitiam metamus in Christo, et Davidicam mereamur dicere cantilenam [b] : *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent. Euntes ibant, et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient in exsultatione, portantes manipulos suos* (*Psal.* CXXIII, 5, 6).

SCHOLIA.

354. Reg. 2 supra, Reg. 4, et nonnulli editi, *nosses;* plerique, *posses;* Reg. 2, a pr. m., *possis.* Sæpe accidit, *posse* et *nosse* inter se permutari, et interdum parum refert, utrum eligas : eadem enim eruitur sententia.

355. In Cantabr. *Explicit de vet. Testamento : incipit de quatuor evangelistis. Prologus.* Alb. *Invocatio novi Testamenti.* Ott. 1, *De quatuor evangelistis.* Ott. 2, *Invocatio Sedulii in secundo libro.* Pro *agens* Reg. 1 *aiens* cum glossa *scribens,* sed prius videtur scriptum fuisse *agens.* Aldus edidit *aiens,* et in Emendandis correxit *ait, qui hominem,* quomodo legitur etiam in Reg. 5. Animadverte phrasin *implere hominem,* h. e., munus hominis, ut *implere amicum, Deum, judicem, complere duces.* In prosa est *expedivit.*

357. Reg. 1, 2, 5, Vat. 1, 2, Ott. 1, 2, Urb., Rom., Mens, *sacerdotii.* Codd. Cant., Arntz., editiones Parrh., Ald., aliæque simili modo *sacerdotii.* Editio Lips., *sacerdotum.* Plerique editi, *sacerdotis,* cum Ang., Reg. 4, Alb., et, ut videtur, Ott. 1, ubi nunc est *sacerdotii* eadem veteri manu : sed aliud apparet deletum. In homilia etiam veteri, cujus memini num. 177 Proleg., est *sacerdotis*, et mendose *ore virenti* pro *ore juvenci.* Probabile valde est, a Sedulio esse profectum *sacerdotii :* nam eum in hujusmodi concisionibus multum esse, advertit Parrhasius, atque in hujuscemodi genitivis præstantiores alios habuit duces, quos imitaretur, ut *Virgili, auxili,* etc. Quamvis autem quadrisyllabum sit *sacerdotii,* tamen melius ita scribetur, quam *sacerdoti,* ut ambiguitas omnis tollatur.

359. Juretus in prosa legit *unate voce*, atque ita conjunctim etiam in carmine legendum contendit, et exemplaria mss. in hunc sententiam trahit. Sed nihil nos cogit tam insolens verbum *unas, unatis,* agnoscere; adeoque tam in prosa, quam in carmine separanda sunt verba *una te,* scilicet : te, Christe, una voce canentes.

362. Urb., Rom., *imitatur, et horas.* Arator l. 1 vers. 164 : *Duodena refulgent—Signa chori,* et vers. 318 : *Ecclesiæ crescebat apex.*

364. Urb. corrupte, *Hic igitur ne terris recolens.* Pro *exordia mortis* codex vetus Taur., *exordia mundi,* quod tamen minus placet.

366. Plerique mss. et editi, *nam qui deflemus in Adam;* Ang., Vet. 1, *nam quod;* in Reg. 2 videtur fuisse *nam quos*, sed factum est *nam qui*, et supra *nam* glossa *nos.* Schedæ Poelm. in textum recipiunt *nos* pro *nam*, atque ita in ipsa editione Poelmanni legitur. Urb., male, *nam qui deflevimus Adam;* Rom., Alb., contra metrum, *nam qui deflevimus in Adam.*

367. Arator, l. 1, v. 419, videtur Sedulium æmulari, *Da semina verbi,* etc. *Colligat ista manus, te fructificante, maniplos.*

368. Rom., minus eleganter, *Christo nostros* pro *nostros Christo.* Vetustissimus codex bibliothecæ Taurinensis : *Explicit liber primus veteris Testamenti. Incipit liber primus novi Testamenti. Legenti vita perpetua.* Reg. 1, *Explicit liber veteris Testamenti. Incipit liber primus in novo Testamento.* Ott. 1, *Explicit liber Sedulii primus veteris Testamenti. Incipit novi Testamenti liber primus.* Vat. 1, *Explicit de veteri Testamento. Incipit de novo.* In nonnullis codicibus distinctio indicatur inter librum primum, et secundum, sed sine ulla inscriptione. Aldus librum primum continuat usque ad versum, *Prima suæ Dominus thalamis dignatus adesse :* quo alii *tertium librum inchoant.*

[a] Juretus, ut dixi, et Gallandius legunt *unate,* alii editi *unita.* Divido verba, sicut in carmine, *una te.*

[b] Paulo ante rescripsi *metamus* pro *metemus.* Sic nonnumquam levi unius litterulæ mutatione sensum prosæ, alioquin certum, planiorem reddidi, ut pag. 178, *imitatur* pro *imitatus*, et *deputatur* pro *deputatus.* Aliquando verba eadem relinquo, quamvis facile possint ad textum carminis reformari, ut pag. 193, *gaudebitis quia :* potest enim ex carmine reponi *gaudebitis, qui.* Sæpius autem ita depravata est prosa, ut sine aliorum mss. ope inutile sit velle medicinam adhibere.

LIBER SECUNDUS.

197 Expulerat primogenitum sævissimus an- A [guis
Florigera de sede virum, blandique saporis
Illecebris lethum misero potarat amarum.
Nec solus meritam præsumptor senserat iram
Mortali sub lege jacens, sed prorsus ab ipso
Humanum simul omne genus. Heu! noxia con- [jux,
198 Noxia tu conjux magis, an draco perfi- [dus ille?
Perfidus ille draco, sed tu quoque noxia con- [jux.
Proh dolor! æterni fuerant duo. Crescere post- [quam
Cœpit origo, perit, clademque a semine sum- [psit.
Quid numerosa dies, quid tempore proderat [illo
Cernere nongentos ultra feliciter annos,
Progeniemque senum decimam spectare nepo- [tum,
Jamque suum nescire genus, cum victa supre- [mis
Cursibus, extremæ sors irreparabilis horæ,
Sera licet, ventura foret, longumque per ævum
Vita brevis nil esse diu cum fine doleret?
Nec reducem spes ferret opem, primique se- [pulcrum

OPUS PASCHALE.

Expulerat serpens ille nequissimus de paradisi B sede florigera primogenitum dolosis artibus virum, et illecebris blandi saporis absconditam mortem gustari fecerat mox amaram. Nec indignationis divinæ sententiam solus præcepti temerator vitæ damno susceperat, sed ab ipso veniens humana progenies longæ mortis fuerat conditioni succumbens. Heu! conjux crudelis, et noxia! An ille magis draco perfidus homicida? Sed tu conjux quoque crudelis noxia. Proh dolor! duo tantum fuerant æterni. Postquam crescere cœpit origo, tunc periit, clademque parturiens a semine detrimenta suscepit. Quid illa tempestate numerosa dies, ac multiplex? quid felicibus vitæ spatiis nongentos proderat annos excedere, nepotumque decima senescente progenie, sui generis externum sanguinem jam videre, cum sors humanæ conditionis extrema irreparabilis horæ supremis cursibus occupata, licet serum, nequaquam tamen declinaret interitum, longamque temporum per ætatem vitæ [a] existens brevis, nihil esse diutinum,

SCHOLIA.

1. Reg. 2, *Incipit liber* I *de expulsione protoplasti ex* C *paradiso.* Vat. 2, *Sedulii presbyteri liber secundus.* Meus, *Sedulii de historia Domini liber secundus incipit feliciter.* Ms. Nic. Heinsii, *Liber primus Sedul i De novo Testamento.* Cant. *Liber primus in novo Testamento.* Ott. 2, *De novo Testamento.* Arntz., *Incipit liber secundus.* Ott. 1, pro titulo primi capitis *De Adam dicit.* Rom., *Quod Adam fuit ejectus de paradiso.* Urb., *De lapsu protoplasti per draconem.* Hic primus versus, et sex alii sequentes producuntur in Collectione Pisaurensi poetarum, tom. VI, p. 282, inter carmina minora incertorum auctorum ex Tractatu diplomatico Maurinorum, tom. III, part. II, sect. 4, cap. 2, art. 1. Ignorabat scilicet Collector Pisaurensis, Sedulii eos esse.

2. Nonnulli vulgati, *blandisque;* mss. et plerique edidi, *blandique*, favente prosa. Poelm. cum quibusdam editis *soporis:* alii editi cum plerisque mss. et prosa, *saporis*, cujus verbi glossa in Reg. 1 est *illius pomi.*

3. Parrh. *læto misero:* cæteri *lethum misero.* Reg. 1, pro d. s, vel correctione, Vatt. 1, 2, Ottob. 2, Urb., Ald., Rom., Alb., Reg. 5, et Ang. *portarat.* Reg. 2, a pr. m., ut videtur, Reg. 4, Poelm., et alii, *portabat.* Meus, *portavit.* Reg. 2, a sec. m., Parrh., et fortasse Reg. 1, a pr. m., *potabat.* Ott. 1, ad marg. *potabat*, in contextu *portat*, sed videtur fuisse *deportat:* hoc ipsum *deportat* est diversa alia lectio in Reg. 1. Genuina lectio mihi videtur *potarat*, quamvis exemplum non inveniam hujus significationis activæ *potare alicui aquam, vinum*, et metaphorice *lethum* pro exhibere potandum, aut gustandum. Huc facit l. IV, vers. 180: *Quippe necem parvo de-* D *gustaturus amaram—Tempore.* Quod si minus arrideat *potarat*, certe *portarat* longe melius est quam *portabat.*

4. Ott. 2, *sumpserat:* lege *senserat.*

7. Parrh. interpungit *Noxia tu conjux, magis an draco perfidus ille?* In Virgilio, quem Sedulius imitatur, pariter distingui poterit, *Crudelis mater, magis an puer improbus ille?* Plerique comma post *magis* apponunt.

12. Reg. 4 mendose, *Cernere non genitor ultra.*

13. Editi, cum plerisque mss., *senum.* Ott. 1, *senes*, quod explicari posset: Quid proderat, quod senes spectarent progeniem decimam nepotum, etc. Burmannus conjecerat *senem*, eadem, opinor, sententia. Optima quæque exemplaria *spectare*, nempe videre. In nonnullis vulgatis cum Ang., *exspectare*, quod frequenter a librariis confusum cum *spectare:* aliquando tamen *exspecto* pro *specto*, vel *aspecto* ponitur. Vide l. I Dracontii 356.

14. Parrh., *convicta;* legendum *cum victa.* Nebrissensis interpretatio est: *quæ multitudine annorum tandem vincitur.*

15. Reg. 4, *inseparabilis horæ*, qui error contra metrum et sensum inde oritur, quod in multis mss. scribitur *inreparabilis.* Virgilius lib. X, versu 467: *Stat sua cuique dies, breve, et irreparabile tempus—Omnibus est vitæ.*

17. Reg. 1, Vatic. 2, Ald., *nihil esse:* plerique *nil esse*, quod perinde est. Taur., *Vita brevis nihil esse diu cum fine doloris.* Mss. nostri cum plerisque editis *cum fine doleret.* Fabr. et nonnulli alii vulgati, *doceret*, repugnante prosa.

[a] Gallandius, *vita... cum clauderetur;* alii, *vitæ... qui clauderetur.*

199 Terrigenæ cæca sorberet fauce nepotes : A
Ni pius ille sator, culpas ignoscere promptus,
Reddere difficilis, sua ne factura periret,
Quæque Deo similis vivens astabat imago,
Dissimilis de morte foret, veniale misertus
Instauraret opus, pomisque vetaret acerbis,
Quæ mandere patres, natorum horrescere [dentes,
Donaretque suis semper placatus, ut unde
Culpa dedit mortem, pietas daret inde salutem.
Et velut e spinis mollis rosa surgit acutis,

200 Nil, quod lædat, habens, matremque ob- [scurat honore :
Sic Evæ de stirpe sacra veniente Maria,
Virginis antiquæ facinus nova virgo piaret :
Ut quoniam natura prior vitiata jacebat
Sub ditione necis, Christo nascente, renasci
Posset homo, et veteris maculam deponere [carnis.
Hæc ventura senes postquam dixere prophetæ,
Angelus intactæ cecinit properata Mariæ,
Et dictum comitata fides, uterumque puellæ

OPUS PASCHALE.

qui fine clauderetur, ingemeret? nec huic malo remedium spes ulla promitteret affuturum. Sed primi terrigenæ meritum sepulcrale cunctas postremi quoque germinis nationes avida passim fauce sorberet, nisi pius ille rerum creator, et conditor, cui proprium B est veniam delictis infundere, quam pœnaliter imminere, fabricam sui operis ab ipso debilem fundamento, firmius per eumdem lapidem rursus dignaretur erigere. Ne videlicet imago, quæ ad similitudinem Dei facta fuerat vivens, dissimilis haberetur ex morte, munusque venialis indulgentiæ largiretur, ac poma [a], quæ patres acerba voraverunt, filiorum obstupuere dentes, arceret, donaretque mitissimus, ac placatus, ut unde mortem peccata contraxerant, inde vitæ pietas enutriret immensa. Et velut rosa suavis, atque mollissima de spinoso cespite nascitur, nil læsura matrem, quam gratia jucunditatis obscurat : ita de stirpe nocentis Evæ Maria sacro veniente cum lumine, primæ virginis luem sequens virgo dilueret, ut quæ prior natura vitiis inquinata duræ necis fuerat conditioni subjecta, nascente Christo per hominem, homo quoque posset renasci per Christum, originalis maculæ fœditatem vetustati corporis innovatione positurus.

Hæc postquam prophetica sæpius vox prædixit, et Gabriel angelus Mariæ jam præsenti annuntiavit, mox puellæ credentis in utero fidelis verbi mansit aspirata conceptio, prolesque siderea nascendi sub

SCHOLIA.

19. Wopkensius etsi probat *cæca*, tamen suspicatur *sæva*.

20. Ottob. 1, *Ne pius* ; lege *Ni pius*. Cant., male, *prius* pro *pius*. In Ott. 1 videtur pro *culpas* prius exaratum *culpis*. Frequentius quidem *ignosco* cum dativo reperitur, sed bene etiam est cum accusativo, præsertim cum sequatur *Reddere difficilis*, scilicet culpas.

21. *Reddere culpas*, pro *punire*, *vindicare*, phrasis est ex sacris litteris petita, ab Augustino etiam, et a Paulino Petrocorio, et similibus usurpata.

23. Parrh. in Addendis observavit pro *veniale* scriptum alicubi *vernale*, videlicet opus servile, vel servum, qui erat opus suum. Nexus litterarum, quo in nonnullis mss. scribitur *veniale*, huic lectioni ansam præbere potuit. In Reg. 1 glossa est *veniale— recuperabile*. Alii interpretantur venia dignum. Poterit etiam accipi adverbii more. Vide not. ad Dracont. Satisfact. vers. 121 : *Namque inimicorum culpis veniale minaris*.

25. Meus, *mandare ;* emenda, *mandere*. Obscura syntaxis, ex prosa explicanda, ex qua videtur legendum in præterito *Quæ mansere*, vel, ut nonnulli malunt, *mansere*, vel *manduere*, quod per synæresin stare potest.

26. *Donare* pro *condonare*, *remittere*, elegans est : sed adjungi solet accusandi casus, ut *injurias*, pro quo hic est *ut pietas daret*, etc.

28. Reg. 1, ms. Burmanni cum nonnullis editis, *Et velut in spinis*. Vat. 2, Reg. 5, Ald., *Et veluti e spinis*. Plerique, *Et velut e spinis*. Ottobon. 1, *Ut velut spinis*, desideratur *e*, neque bene est *Ut*. Alb. ms., *Et velut ex spinis*. In Gersonis serm. 3 de Conceptione immaculata Deiparæ, sive quis alius auctor ejus sermonis est, legitur *En velut e spinis nobilis rosa :* sed *nobilis* cum metro stare nequit. His versi-

[a] In vet. cod. erat *acerva* ex illa litterarum *b* et *v* affinitate, quæ facile degenerat, ut notat Juretus : qui etiam advertit, id sumptum ex Hieremia cap. XXXI, vers. 30, et Ezechiele cap. XVIII, vers. 2, et repeti de vino distinct. 30, ubi legitur *uvam* pro qua *pomum* hic habet Sedulius. Forte legendum *pomis.... obstupescere*.

29. Quidam ms. apud Wassium Ind. Sallustii verbo *obscurare* exhibet *honorem*, quod probari non C potest. Wopkensius conjicit *Nil quod lædat habens matrem, quam obscurat honore*. Sed clarior est lectio communis, cujus glossa est in Reg. 1, *matremque — surculum suum spinosum*. In cit. serm. Gers. *Nil quod lædit, habens, vel quod obscurat honorem*, quod non probo.

30. Hoc loco in Ott. 1, titulus est *De Eva*, in Reg. 1, *De sancta Maria*. Pro *sacra*, ms. Arntz., *pia*. Sedulius in *Maria* secundam modo producit, modo corripit, ut vers. 49, h. l., *Quis fuit ille nitor Mariæ*.

31. Apud Gersonem loco cit., *piat* ; lege *piaret*.

32. Parrh., schedæ Poelm., *Et quoniam*.

34. Ottobon. 1, Vat. 1, Urb., *Possit ;* alii, *Posset*. In Reg. 2 *Poscet* correctum per *Posset*. Reg. 1, *maculas* pro *maculam*. Arntz. *culpæ* pro *carnis :* sed præferendum est *carnis ;* sermo est enim de *veteri homine*, ut vocat Paulus c. IV ad Ephes. vers. 22. *Macula* pro dedecore, infamia, turpitudine, a Cicerone, et aliis sumi solet.

D 35. Rom. pro titulo *Ubi Maria accepit Spiritum sanctum*. Meus, *Annuntiatio beatæ Virginis*. Vat. 1, *Angelus ad Mariam*. Urb. *prædixere* contra metrum. Mss. nostri cum Ald., Parrhasio, aliisque editis, *dixere*, quod reposuit etiam Arntzenius, cum in nonnullis vulgatis reperisset *cecinere*. Utrumque verbum apte de oraculis dicitur : sed *cecinit* vers. seq. occurrit.

36. Taur. corrupte *propheta* pro *properata*, uti etiam legit Beda de Metr.

37. Vat. 2, Reg. 5, Ald., *dictum est comitata*, quod ex glossa est.

201 Sidereum mox implet onus, rerumque A [creator
Nascendi sub lege fuit ; stupet innuba tensos
Virgo sinus, gaudetque suum paritura parentem.
Janique novem lapsis, decimi de limine mensis
Fulgebat sacrata dies, cum Virgine feta
Promissum complevit opus Verbum caro factum,
In nobis habitare volens ; tum maximus Infans
Intemerata sui conservans viscera templi,
Illæsum vacuavit iter, pro virgine testis
Partus adest, clausa ingrediens, et clausa relin- [quens.

202 Quæ nova lux mundo, quæ toto gratia cœlo !
Quis fuit ille nitor, Mariæ cum Christus ab alvo
Processit splendore novo ? Velut ipse decoro
Sponsus ovans thalamo, forma speciosus amœna
Præ natis hominum, cujus radiante figura
Blandior in labiis diffusa est gratia pulchris.
O facilis pietas ! ne nos servile teneret
Peccato dominante jugum, servilia summus
Membra tulit Dominus, primique ab origine [mundi
Omnia qui propriis vestit nascentia donis,

203 Obsitus exiguis habuit velamina pannis :
Quemque procellosi non mobilis unda profundi,
Terrarum non omne solum, spatiosaque lati

OPUS PASCHALE.

lege delituit, quæ cuncta suo nasci nutu concessit. Tumebant virginis sinus, et fecunditatem suorum viscerum corpus mirabatur intactum. Grande mundo spondebat auxilium feminei partus sine viro mysterium, quæ nullius maculæ nævo fuscata, tenso nutriebatur ventre præcordia, genitoris genitrix mox futura.

Nonus interea mensis effluxerat, et decimi lumen immortale radiabat, claruit fetu virgineo spiritalis gratiæ manifesta promissio, et [a] *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, id est, habitavit in homine, cujus se dignatus est carne vestiri. Infans parvus, ac maximus, membris scilicet exiguus, deitate præcelsus, per hospitalis templi sinceram defluens castitatem, non læsit corpus abscedens, qui non læserat cum venisset. Vere divinæ generationis est hoc secretum, testis virginis partus ostenditur, qui materni pudoris custos, ingressus clausis visceribus, et conceptus, et creatus est. Quæ novæ lucis illa tunc claritas mundi totius oras implevit ! quæ cœlo lætitia ! quis ille nitor effulsit, cum Christus splendore sidereo, *velut sponsus procedens de thalamo suo* (*Psal.* XVIII, 6), Mariæ processit ex utero ! Cujus ita species divina videbatur [b] præminere, ut Davidicus ipsum psalmus ita pronuntiet : *Speciosus forma præ filiis hominum. Diffusa est gratia in labiis tuis*, etc. (*Psal.* XLIV, 3). Bene *præ filiis hominum speciosum* definivit, quia licet humanæ susceperit incarnationis effigiem, filiumque hominis in evangelica prædicatione sæpe dixerit, peccatum nos tamen originale fœdaverat, quod ipse non habuit, qui suæ nos nativitatis puritate mundavit. O pietas clemens, et facilis ad salutem ! ne nos jugum diuturnæ premeret servitutis pro conditione peccati, Dominus servi membra suscepit. Audiamus vocem Pauli dicentis Apostoli : *Semetipsum exinanivit, et formam servi*

SCHOLIA.

38. Parrh. *complevit* pro *mox implet*, improbantibus schedis Poelm.

39. Reg. 1, *Nascendo*, posteriori m. *Nascendi*. Cellarius cum solo ms. Heinsii *plenos*. Grunerus et Arntzenius revocarunt *tensos*, quod cod. Taurin. et nostri confirmant, excepto Vat. 1., ubi est *plenos*. Utraque phrasis poetica est. Prosa pro *tensos* facit.

40. Conjectura Burmanni *clauditque suum*. Ego contra, si invenissem *clauditque*, conjecissem *gaudetque* : adeo hoc præ illo placet.

41. Rom. *Natalis Domini*. Poelm. *E Virgine nascitur Christus*. — Arntzenius notat, in Vet. 1, Mon., frustra esse *decem*, sed non distinguit, an *decem* positum sit pro *novem*, an pro *decimi*. Utrumlibet improbari debet. Idem Arntzenius cum schedis Poelm. *de lumine* : ita etiam Ott. 2 recens codex. Cæteri nostri cum Parrh., Ald., Edimb., ms. Arntz., *de limine*. In prosa pariter malim *limen* pro *lumen*. Nebrissensis explicat *In principio*, et notat, præpositionem pro præpositione adhiberi, nempe *de* pro *in*.

43. Ott. 1, dubie, *Verbum caro factum est* : ita clare Reg. 5, et Aldus. Tunc distinguendum erit sic : *Promissum complevit opus Verbum, caro factum est — In nobis habitare volens.*

47. Ottob. 2, *clausam ingrediens, clausamque relinquens* : quod etiam Burmanno in mentem venit. Sed proba est lectio communis cum glossa codicum *clausa — viscera*. In Ang. videtur *clausam ingrediens* : postea clare *et clausa relinquens*. Hoc clarum testimonium intemeratæ virginitatis Deiparæ ante partum et in partu protulit ex prosa Ratbertus, ut dixi n. 168 Proleg.

48. In Reg. 1 videtur fuisse ut in aliis, *gratia* : sed etiam vetus manus scripsit *gaudia* : quod sane displicere non debet, et a prosa indicatur.

50. Vat. 1 a pr. m., Cant., Torn. 2, *decore*. In Vat. 1 factum *decoro* cum aliis nostris mss., et plerisque editis, probantibus schedis Poelm. Vulgati nonnulli *decora*, quod non ita placet.

51. Urb. *ovas* : lege *ovans*.

52. Reg. 1, *Præ filiis* supra diversa lectio, vel correctio, *Præ natis*, quod plerique alii mss. et editi repræsentant. In Ott. 1 supra *natis* veluti glossa est *filiis*. In ed. Lips. prodiit *Præ filiis ;* contractis duabus syllabis in unam.

53. Parrh. *In labris*.

55. Urb., Ott. 2, cum Parrh., *damnante* : alii *dominante*.

56. Vat. 1, *primaque*.

58. Ott. 1, *Obvisis ;* supra, *Obsitus*. *Obsitus pannis* ex Terentio ; quod, etsi multi accipiunt pro squalido pannis, proprie tamen *obsitus* est tectus, involutus.

59. Nonnulli editi, *Quem procellosi*, repugnante metro.

60. Cant., Torn. 2, 3, *speciosaque :* magis sententiæ congruit *spatiosaque*. Frequens est mutatio harum vocum.

[a] Joannis cap. 1, vers. 14. Ratbertus, qui, ut dixi Proleg. n. 168, Sedulium laudat, sic legit : *Infans namque parvus... exiguus, sed deitate... abscedens, quod non... generationis hoc.... visceribus conceptus est, et creatus.*

[b] Margini editionum adjicitur diversa scriptura *pœnitere*.

Non capit aula poli, puerili in corpore plenus
Mansit, et angusto Deus in præsepe quievit.
Salve, sancta parens, enixa puerpera Regem,
Qui cœlum, terramque tenet per sæcula, cujus
Numen, et æterno complectens omnia gyro
Imperium sine fine manet; quæ ventre beato
Gaudia matris habens cum virginitatis honore,

204 Nec primam similem visa es, nec habere [sequentem,
Sola sine exemplo placuisti femina Christo.
Tunc prius ignaris pastoribus ille creatus
205 Enituit, quia pastor erat, gregibusque [refulsit
Agnus, et angelicus cecinit miracula cœtus.

OPUS PASCHALE.

suscepit, etc. (*Philipp.* II, 7), quique cuncta vestit ab origine mundi, nascentia pannis involvi sua passus est membra. Et cui cœlum parvus est limes, terra deficit, maris unda non sufficit, plenus mansit in corpore puerili, modico Deus recubans in præsepi. Salve, parens optima, tanti regis puerperio consecrata, qui supernis ita jugiter et infimis dominatur, ut ejus imperium, potestas, et nomen nec initium noverit habere, nec finem, quæ beati ventris honore conspicuo simul et mater esse probaris, et virgo. Cui nulla penitus æqualis femina reperitur, quæ tuum decus similiter præcesserit, aut sequatur [a], sola placens singulariter Christo, nulli compararis exemplo. Tunc [b] angelici facunditate sermonis pastores primi gregem suum nocturnis vigiliis servantes, natum Dominum cognoverunt, ut et pastoribus pastor mundi claresceret, et inter greges agnus genitus appareret. Igitur, ut evangelicus sermo testatur, ita pronuntians : *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, et dicentium : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* XI, 13, 14). Ostendit Evangelistæ fidelis assertio, de cujus ageretur hic regno, quando cœlestis militiæ multitudo Deum laudat in Christo, ut licet humana fuerit pro matris conditione creatio, deitatis tamen una communio Patrem cognosci demonstrat in Filio. Dicebant ergo : *Gloria in altissimis Deo*. Utique in altissimis gloria Dei permansit, unde Christus veniens non recessit. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Terram credendum est homines nuncupari, de qua sumus, Domino fabricante, plasmati, qui Adam increpans dixit: [c] *Quia terra es, in terram ibis* (*Gen.* III, 19). Tunc terra nostra pacem meruit post illud bellum ferale, quo cecidit, quando Christus terram nostræ carnis assumpsit. Nam si terram in hoc loco campos arbitremur dictos, et montes, quam pacem potest habere, vel prælia, mutata moles, et pigra? In homines ergo specialiter pax illa descendit, quos bonæ voluntatis capaces invenerit, ut ubi studium sinceri propositi rerum scrutator et cordis esse conspexerit, illic domicilium suæ delectetur instruere mansionis. Pax est enim, et ratio melioris arbitrii, contra spiritum carnis non favere certamini : sed utrumque manentem concordi jugiter puritate cum spiritus dominatione servare. Nec debemus tantum de carnis imbecillitate diffidere, ut de cœlesti videamur auxilio desperare. Omnipotens enim Dominus Jesus Christus, qui Dei et hominis mediator approbatur, ut excusationem nobis corporeæ fragilitatis offerret, studium tantum nostræ voluntatis inquirens, perfectionem boni operis suæ majestati servavit. Apostolica namque doctrina sic explicat, dicens : *Velle adjacens mihi est, perficere autem bonum non invenio,*

SCHOLIA.

61. Vet. 1, 2, *puerile*.

62. *Præsepe* in ablativo, ut in eodem casu *mare* dixerunt Plautus, Lucretius et Ovidius non semel. Poterit etiam *præsepe* esse a *præsepis*, *præsepis* femin. gen., si legatur *angusta*. Confer l. IV, vers. 301.

63. Rom. *Hic laudat Domini matrem*. Meus, *Salutatio*. Poelm., *Gratulatio ad Virginem matrem*. Hi septem versus charactere rubro in codice Urb. distincti sunt. Vide Proleg. num. 170.

64. Mss. omnes nostri, cum plerisque aliis mss. et editis, *tenet*. Parrh., Lips., schedæ Poelm., et editio Poelm. ad marg., Missale Rom., *regit :* quæ fortasse glossa est alicubi, nam in Rom. glossa ad *tenet* est *gubernat*. Hoc sensu accipi posse *tenere*, ex Justino et Mela ostendit Arntzenius. Beda in Homiliario Alcuini Coloniæ 1569, in Commem. B. Virginis, profert hos sex versus, et scripturam recentiorem tenet *regit*.

65. Reg. 1, *Nomen*, sed correctum per *Numen*. In Lips. ms. Cellarius innuit esse *Numine*, vel *Nomine*. Urb., Rom., *Numen æterno :* desideratur *et*. Meus, *Numen ab æterno*. Vera lectio est, *Numen, et æterno*. Wopkensius vellet *jure* pro *gyro*, cui minime assentiar : est enim pulchra oppositio in *gyro*, et *manet*. Sæcula enim gyro et motu perpetuo volvuntur; Deus autem, ejusque nutus, seu numen, et imperium idem manet. Nebrissensis putat, *æterno* ad mundum archetypum referri, aut pro *semper* poni. Sed verbum *gyro* potius indicat motum perpetuum, quo res creatæ aguntur. Ex prosa tamen certa hujus loci interpretatio erui non potest.

68. Plausibilis est scriptura Parrhasii *Nec primam, aut similem visa es, nec habere sequentem*. Posset enim accipi *primam* pro *priorem*. Repugnant alii omnes. Reg. 1, *Nec primam visa es similem :* cæteri, uti etiam libri liturgici, *Nec primam similem visa es*. S. Bernardus in serm. 4 de Assumptione sic versus transponit, ut orationi suæ accommodet : Unum est, in quo *Nec primam similem visa est, nec habere sequentem*, — *Gaudia matris habens cum virginitatis honore*.

70. Ottobon. 1, *Ubi Pastoribus enituit*. Meus, *Pastoribus nuntiator*.—Ottob. 1, ex correctione, Ott. 2, Alb., Reg. 2, 4, 5, Rom., Meus, Vatt. 1, 2, Urb., Ald., Parrh., codd. Cant., Arntz., *creator*. Reg. 1, *creatus*, quod fortasse fuit in Ott. 1, in quo glossa est *secundum humanitatem*, et retinetur in plerisque editis pro *natus :* habet enim *creari* hanc significationem, quam prosa comprobat.

71. Mss. omnes nostri cum vetustissimis editis, ms. Heinsii, et schedis Poelm., *Enituit*. Cellarius

[a] Gallandius, cum reperisset *signatur*, prudenter conjecit et reposuit *sequatur*, quod sensus et carmen exigunt.

[b] Gallandius hic caput 4 inchoat.

[c] Infra videtur legendum *muta moles*.

Talia Bethlæis dum signa geruntur in oris,
Eoi venere Magi, sævumque tyrannum
Grandia sollicitis perturbant nuntia dictis :
Judaicis nuper populis Orientis ab axe
Progenitum fulsisse ducem, hoc cœlitus astra,
Hoc stellam radiare novam. Ferus arbiter aulæ
Æstuat Hebrææ, ratus, hunc succedere posse
Mox sibimet, qui primus erat : tunc fronte serena
Nubila mentis habens, clam mandat ubique requiri,
Sicut adorandum, quem tractat fraude necandum.
Quid furis, Herodes ? Christum sermone fateris,

OPUS PASCHALE.

quia videlicet nostrum est bonum velle, Dei perficere qui pacem suam hominibus bonæ voluntatis infundit. Divinus deinde sermo prosequitur dicens :

Cum ergo natus esset Jesus in Bethleem Judæ, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes : Ubi est, qui natus est rex Judæorum ? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum, et scribas populi, sciscitavit ab eis ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt : In Bethleem Judæ. Sic enim scriptum est per prophetam : Et tu Bethleem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda. Ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. Tunc Herodes, clam vocatis Magis, didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis. Et mittens illos in Bethleem dixit : Ite, et interrogate diligenter de puero. Et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum [a]. Convenienter scripturarum sanctioni concordans [b] Christi nativitas ab Oriente fulgebat, qui implet, quod Zachariæ designat oratio [c] : *Visitavit nos Oriens ex alto.* Nam et Davidicus similia continet psalmus [d] : *In sole posuit tabernaculum suum*, etc. *Sole* vero significat Orientem, de qua regione semper oritur dies. Quid igitur, Herodes, acutius furis ? quid dementer insanis ? Christum siquidem lingua profiteris, corde persequeris, mentemque tetram, et nebulosæ caliginis obscuritate damnatam, jucundi vultus serenitate dissimulas. Christum namque mandas inquiri non adorandum religione, quam fingis, sed necandum fraudibus, quas moliris. Erras nimis, et falleris. Illum credens tibi succedere, qui regia primus dominatur in sede, qui nec succedit penitus, nec decedit, sed æternus solium suæ possidet majestatis, legemque legis, ac negligis, qui Regi regum tua regna minaris. Caret verbis hæc culpa, caret excusatione perfidia : hunc enim conaris exstinguere, quem te promiseras adorare. Minus forte delinqueres, si de Christo nihil quæreres, quatenus homicida tantum velut ignotum hominem persequendo, non etiam sacrilegus esse Deo videris [e] offenso. Nonne legeras eum Davidico cantico sic monentem [f] : *Nolite tangere Christos meos, et in prophetis meis nolite malignari ?* Cur ergo divinæ præceptioni parere necesse sit, ut neque Christi ejus, neque prophetæ [g] maligna quidquam improbitate sustineam ? quia videlicet spiritali consecratos unguento nefas grande sit contumeliose tractari. Quale nomen habebit hoc crimen, ut ipsum Dominum Christum, a quo Christi sunt nuncupati, ipsum vero prophetam, a quo verax prophetia descendit, tuis ambias dolis interfici ? Nonne David,

SCHOLIA.

eum aliis vulgatis prætulit *Emicuit* ex simili Prudentii loco Cathem. hymn. IX, vers. 27 : *Emicat promissus olim.* Arntzenius hoc ipsum tenet, quia *emicare* illi dicuntur, qui fulminis instar illico prodeunt, et ex improviso adsunt. Verum hoc loco magis genuina, et opportuna videtur lectio communis veterum exemplarium *Enituit*, præsertim si attendatur ratio *Enituit pastoribus, quia pastor, et gregibus refulsit agnus.* Hoc ipsum confirmat prosa *clarescere.* Vat. 1, *qui pastor erat*, Vat. 2 ambigue *qui* vel *quia.*

73. Rom., *Cum stella visa est Magis.* Meus *Magis significatur.*

74. Meus, *summumque tyrannum*, quod non sequor. Beda de Metr. communem lectionem etiam tenet *sævumque.*

77. Alb. *Per genitum :* lege *Progenitum.* Reg. 4, *ducem, ac cœlitus ;* Urb. *ducem, hæc cœlitus.* Cæteri *ducem, hoc.* Beda de Metr. cap. de synalœph. probat hunc hiatum ratione aspirationis vocis *hoc*, quæ vim consonantis habet, laudatque hunc versum Sedulii cum alio Juvenci l. I, vers. 61 : *Nomine Ioannem hunc tu vocitare memento*, ut animadverti ad eum locum Juvenci.

78. Urb. *Hæc stellam.*

79. Meus, *succedere terræ* nullo sensu.

81. Reg. 1, Ott. 1, Alb., Parrh., Vet. 1, 2, Monast., tres Tornæsianæ, et aliæ editiones, *habens.* Reg. 2, 5, Urb., Ott. 2, Meus, Rom., Aug., Vatt. 1, 2, Cant., *alens*, cum glossa in Reg. 2, *nutriens.* In Ott. 1 ex *habens* videtur factum *alens* cum glossa *tegens*, et in Reg. 1, aliquis in *habens* voluit *b* convertere in *l*, ut nunc legatur *halens.* Recentiores Cellarius, Grunerus, Arntzenius damnant *habens*, quasi id sit librarii. Passim quidem occurrunt hæ phrases *alere vulnus, alere sitim, sententiam, amorem, curas, malum.* Verum mihi a manu Sedulii videtur esse *habens :* nihil enim aliud vult significare, nisi Herodem nubila mentis serena fronte occultasse, quod melius exprimitur per *habens*, quam per *alens.* Duo nostri mss. vetustissimi tuentur *habens.* Prosa utrumlibet admittit.

82. Ott. 2 male dividit *Sicut ad orandum.* Pro

[a] Matth. cap. II, v. 1 seqq.

[b] Nonnulli apponunt punctum post *concordans :* nimirum *sermo divinus*, qui in fine capitis præcedentis nominatur. Paulo infra reposui *corde persequeris* pro *prosequeris.*

[c] Luc. cap. I, vers. 78.

[d] Psalm. XVIII, vers. 6.

[e] Invenio *videris* apud Gallandium, et alias editiones Patrum ; sed puto, legendum *videreris.*

[f] Psalm. 104, vers. 15.

[g] Nonnulli *propheta* sine ullo sensu. Pro *sustineam* reponendum videtur *sustineant.*

207 Et sensu jugulare cupis, legemque legendo
Negligis, et Regi regum tua regna minaris.
Ne tamen insano careant tua nomina facto,
Patrandum sub honore crucis, sed crimine gentis,
Herodes alius, quod tu molire, videbit.*

208 Ergo alacres summo servantes lumina cœlo
Fixa Magi, sidusque micans regale secuti,

OPUS PASCHALE.

mandatis Domini servientem, debuisti sectari, qui Saul in speluncam, qua latebat, ingressum cum ita [a] cogeretur exstinguere, ita respondit [b] : *Absit a me omnino hoc, mihi non contingat a Domino, si fecero verbum istud domino meo, christo Domini mei, ut inferam manum meam in eum, quia christus Domini hic est.* Et ille quidem pepercit inimico, se volenti perimere. Tu autem insidiaris Domino, qui mundi natus est ad salutem. Qui si nullis, ut immemor, veterum tangebaris exemplis, ob hoc saltem parricidalis conatus debueras arma relinquere, ne sceptri quod gerebas, dejiceres potestatem, qui unctus agnosceris, persequens unctionis auctorem. Ne tamen nominis tui cruenta perfidia tanti sceleris a satietate discedat, sub honore crucis æthereo, sed crimine tuæ gentis infero [c], quod frustra sæviens tu moliris, Herodes alius post videbit.

Evangelicum ergo sequens ait ita capitulum : *Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat puer : videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde, et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham.* Quid est hoc, ut præcederet eos stella, quam viderant, nisi ut, ducatum parvi sideris intuentes, materiam pleni luminis invenirent? Adoraverunt autem, quia vere venerant adorare, quod Herodes se mentiendo facturum non meruit obtinere. Nisi enim veris adoratoribus Dominum non conceditur adorare; sicut ipse Dominus noster ad Samaritanam mulierem locutus est, dicens [d] : *Vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum.* Licet ergo Dominicæ verba doctrinæ manifesta sint et aperta, quod Dominum nisi veritas non adoret, debemus tamen vim sermonis diligentius perscrutari, qui sit [e] : *Venit hora, et nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, et veritate.* Arbitror itaque juxta sensum, quem meæ Deus parvitati largitur, quod per significationem præsentis temporis, quo se palam mundo monstravit, in se patrem dixerit adorari. Sic enim sequentibus patefecit alloquiis, dicens [f] : *Judicium omne dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Magnifice vero postquam dixit *in spiritu*, adjecit *et veritate*, quoniam spiritum Dei gerentes veritas sequitur, alienum fallacia comitatur. Declaratur et in hac Magorum persona mysterium. Per illos namque gentiles et advenas ad se Dominus noster Jesus Christus ingressos gratiam futuræ legis ostendit, quod omnibus ad se gentibus venientibus aditum jam pararit. Ita enim et per prophetas [g] suos, et per seipsum noscitur locutus. Per prophetas quidem licet sæpius ista prædixerat, Davidico tamen testimonio sic explanavit [h] : *Dominus dixit ad*

SCHOLIA.

tractat Burmannus conjiciebat *tractet*. In Rom. ex *tractat* videtur factum *tradat*. Meus cum reliquis *tractat*, sed pro d. s. *tecta*, fortasse ut sensus sit, *quem tecta fraude mandat necandum*, qui sensus parum commodus. *Tractare* est animo agitare, constituere.

84. Arntzenius putabat omnes editiones præter Lips. habere *Et sensu*. Ipse cum prosa legit *Sed sensu*. Ita ediderat etiam Parrha-ius. Ott. 1, Reg. 2, Ang., *Sed sensu*. Rom. *Sensu* sine *Et*, vel *Sed*, repugnante metro. Alii mss. *Et sensu*, quod eumdem sensum reddit.

85. Plerique scribunt *Neglegis*, ex quo Ott. 1, *Nec legis:* quamvis id acutum videri possit, tamen vera scriptura est *Negligis*, quod satis intelligitur ex præfat. Dionysii Catonis Distich. l. 1 : *Igitur mea præcepta ita legito, ut intelligas. Legere enim, et non intelligere, negligere est.* Sunt tamen, qui etiam hic acumen affectent *nec legere est* pro *negligere est*. Schedæ Poelm. pro *regna* habent *damna*. Alii cum prosa tuentur *tua regna*, cujus glossa est in Reg. 1, *potestatem*, et ad *minaris — tollere*. Clarius Nebrissensis explicat : *Per regni potestatem minaris te in illum sæviturum.*

86. Reg. 4, Rom., nonnulli editi *Nec, tamen*. Urb. *Nec tantum*. Biblioth. Lugd. Patrum *Et tamen :* corrige *Ne tamen*. Ott. 1, Reg. 2, 4, 5, Urb., Rom., Ang., Meus, Vatt. 1, 2, Ald., *numina*. Reg. 1, *nomina*, supra veluti glossa *dignitas, vel numina :* sed hoc secundum potius est diversa lectio. In Reg. 2, supra *numina* glossa est *potestates*, sed pro *numina* videtur prius aliud fuisse. Nonnulli editi *munia*. Meus pro d. s., vel ex correctione, Parrh. *nomina*, quod merito probant schedæ Poelm., et recentes editores. Alius enim rex ejusdem nominis, h. e. alius Herodes vidit Christum occisum, quod hic Herodes Infanticida patrare voluit. In Rom. pro *facto* aliquis videtur corrigere voluisse *fato :* quæ haud inepta conjectura est.

87. Reg. 4, Edimb., *Patrando :* aptius est *Patrandum*.

88. Multi editi *Herodesque*, ubi omnino superflua est conjunctio *que*. Nonnulli vulgati *Et Herodes* eodem vitio laborant, ac præterea peccant contra metrum. Reg. 4, Cant. *videbis :* sensus exigit *videbit*.

89. Rom. *Ubi venerunt Magi adorare Dominum*. Meus, *Magi stellam sequuntur*.

90. Recte corripitur prima in *Magi :* in dedicatione ad Theodosium, quam Sedulio abjudicavi, minus bene producitur.

[a] Forte *cum ira cogeretur*. In nonnullis solum est *cum cogeretur*. In aliis supra male *a quo christiani* pro *a quo Christi*. Quidam *in qua latebat*.

[b] Libr. I Reg. cap. XXIV, vers. 7.

[c] Veteres editiones bibliothecæ Patrum *Nec tamen :* melius *Ne tamen* cum Gallandio. *Infero* opponitur *æthereo*.

[d] Joann. cap. IV, vers. 22 seq.

[e] Fortasse *quid sit*.

[f] Joann. cap. V, vers. 22, 23. Gallandius refert *sicut honorificant patrem*. Bibliotheca Patrum Parisiensis 1589, et aliæ *sicut honorificavit patrem*. Evangelium *honorificant*.

[g] Mendum est in multis bibliothecis Patrum *et prophetas* sine *per*.

[h] Psalm. II, vers. 7, 8. Gallandius habet *dabo*

209 Optatam tenuere viam quæ lege futura
Duxit adorantes sacra ad cunabula gentes:
Thesaurisque simul pro relligione solutis,
Ipsæ etiam ut possent species ostendere Chri-
[stum,
Aurea nascenti fuderunt munera regi,
Thura dedere Deo, myrrham tribuere sepulcro.
Cur tria dona tamen? quoniam spes maxima
[vitæ est:
Hunc numerum confessa fides, et tempora sum-
[mus

A Cernens cuncta Deus, præsentia, prisca, fu-
[tura,
Semper adest, semperque fuit, semperque ma-
[nebit
210 In triplici virtute sui. Tunc cœlitus illi
Per somnum moniti contemnere jussa tyranni,
Per loca mutati gradientes devia callis,
In patriam rediere suam. Sic nos quoque san-
[etam
Si cupimus patriam tandem contingere, post-
[quam

OPUS PASCHALE.

me, Filius meus es tu, ego hodie genui te, postula a me, B *et dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Hæreditatem dixit, qui per novi gratiam Testamenti Domino parabantur acquiri. Per seipsum in Evangelio, tamquam bonus pastor, ita promisit[a]: *Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.* Nec devotionem munerum divino caruisse nutu credamus. Nam per illas species merito variæ significationis oblatas Christi potentia patuit declarata. Aurum namque, si diligentius inquiramus, quid pronuntiet attributum, sine dubio tam præclara materies, et opulenta metallici splendoris irradians, utpote regi memoratur illata. Sed in hoc rege duplicem fatemur esse substantiam. Christus enim et specialiter regnat in cœlis, et carnaliter na- C tus est rex Judæis. Thuris munus, quia religioso libamini illud olim proficiebat, incensum Christo datur, ut Deo. Myrrha vero, quæ tumulandis est apta corporibus, humanam morituro per carnem sepulcrali lege. Ipsa quoque trinæ quantitatis oblatio cultum catholici dogmatis pronuntiabat ex numero. Quippe qui Deus omnipotens, qui præterita conspicit, ac futura, semperque manet, mansit jugiter, ac manebit, triplicis in una deitate virtutis in eorum temporum cursu rerum omnium posuit fundamentum, quamquam præsentia sub ejus oculis semper universa consistant, qui nec vetustatis senium, nec juventutis suscepit incrementum. Sed quod semper est, idem esse non desinit. Nam potestatis suæ nomen excelsum Moysi sollicite[b] perquirenti, ut Israeli populo nuntiaret, de flamma rubi ardentis hoc edidit[c]: *Ego sum, qui sum.* Et dixit: *Sic dices ad filios Israel, Qui est misit me ad vos.* In Evangelio nihilominus ad Judæos Abraham sibimet præponentes antiquitate, sic inquit: *Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Vide distantiam utriusque substantiæ, Deum discernentem, et hominem: *Abraham*, dixit, *antequam fieret;* de seipso non dixit, *Ego fui*, sed *Ego sum*, quoniam divinitatis esse est, non fuisse, quæ via semper æternitate consistens, nec initiis oritur, nec terminis explicatur. Tempus enim a Deo est, non Deus a tempore. Lectionis itaque sermo prosequitur: *Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* Debemus igitur imitari nos etiam Magorum facta fidelia, et sicut illi somno crediderunt, nos evidentissimis aspectibus jam credamus, quatenus qui Christum signo Crucis prælucentem repertum meruimus adorare, eidemque de thesauris nostri cordis munera trinæ laudis offerre, jam minime revertamur ad hujus mundi principem, qui nos ante seduxerat, deceptorem. Sed priorem semitam relinquentes, per illius callis secreta pergamus, qui ad cœlestem patriam gressus dirigit confitendo. Dehinc per ordinem talia gesta narrantur;

Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset a Ma-

SCHOLIA.

91. *Tenere viam, ut tenere iter, cursum,* pro perge- D re, proficisci.

93. Urb. *salutis:* emenda *solutis.*

94. Reg. 1, Ott. 1, *possint*, sed in Reg. 1 factum deinde est *possent.*

96. Nonnulli vulgati, cum Fabr., *sepulto.* Mss. *sepulcro*, ut apud Rusticum de Benef. Christi, *Per speciem documenta ferens, das munera, regi — Divitias, das thura Deo, myrrhamque sepulcro:* ubi fortasse legendum *Per species.* S. Leo serm. II Epiph. dixit etiam *mysticas munerum species.*

97. Vat. 2 *trina*, recte emendatum per *tria*, ut metro consulatur. Reg. 4, Urb., Meus, *vitæ* sine *est.* Nonnulli punctum post *est* affigunt.

tibi gentes hæreditatem tuam. Hæreditatem dixit, etc. Antiquæ Patrum editiones, *Dabo tibi gentes. Hæreditatem dixit*, etc., quod minus bene procedit.

[a] Joann. cap. XVI, vers. 16.

98. Reg. 4, *Tunc numerum.* Urb. *fides est Tempora.*

101. Cellarius *triplicem virtutem* exponit de trinis temporis differentiis: sed hæc phrasis apud christianos poetas adhiberi solet ad significandam trinitatem personarum in una essentia. Vide Schol. ad l. I, vers. 324.

105. Schedæ Poelm. monuerunt, *Si cupimus*, non mutandum esse in *Sic cupimus:* quam scripturam neque nos in nostris, neque Arntzenius in suis exemplaribus invenit. Hic versus et alii sequentes usque ad vers. 163 deerant in codice meo; avulsum scilicet erat unum folium.

[b] Vetus codex *sollite:* Juretus restituit *sollicite*, vel *solicite.*

[c] Ex cap. III Exodi, vers. 14, et mox ex Joann. cap. VIII, vers. 58.

Venimus ad Christum, jam non repetamus ini- A [quum.
Ergo ubi delusum se comperit, impius iram
Rex aperit, si jure queat rex ille vocari,
Qui pietate caret, propriam qui non regit [iram;
Ereptumque gemens facinus sibi, ceu leo fren- [dens,
211 Cujus ab ore tener subito cum labitur [agnus,
In totum movet arma gregem, manditque, tra- [hitque
Molle pecus, trepidæque vocant sua pignora [fetæ
Nequidquam, et vacuas implent balatibus auras.
Haud secus Herodes Christo stimulatus adempto,
Sternere collisas parvorum strage catervas
Immerita non cessat atrox. Quo crimine sim- [plex
Turba perit? cur qui vix dum potuere creari,
Jam meruere mori? Furor est in rege cruento,
212 Non ratio; primosque necans vagitus, et [audens
Innumerum patrare nefas, puerilia mactat

OPUS PASCHALE.

gis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, et in omnibus finibus ejus a bimatu, et infra, secundum tempus, quod exquisierat a Magis. Igitur a Magis, quos crediderat illudendos, illusus, dissimulatos motus ira præcipiti rex impius publicavit. Si regem dici conveniat, qui nec pietatem tenuit, nec suos regens animos temperavit. Sed leo sævissimus, et cruentus, cui si tener quiverit forsan agnus auferri, in totum parvi sanguinis gregem impetus ferinos exercet, pecusque mollissimum mandit, lacerat, decerpit, exstinguit; stant B eminus fetæ miserrimæ pignora vocantes frustra jam perdita, crebrisque balatibus inanes auras exagitant. Sic Herodes de Christo stimulatus ablato, parvulorum catervas elidere sanguinolenta non destitit tyrannide. Quonam, rogo, crimine simplex morti turba succumbit? Cur qui vixdum modo sunt geniti, digni sunt jam puniri? furor est in cruento rege, non ratio, qui primis vagitibus inimicus, et innumerum patrare nefas agressus, puerilis millia mactavit ætatis, unoque luctu tot simul genitrices orbavit. Hæc effusam vultibus comam miseranda di-

SCHOLIA.

106. Vet. 1, 2, Mon., *jam nos :* sententia postulat *jam non.*

107. Rom., *Ubi Herodes vidit se illusum a Magis.*

109. Ottob. 2, *qui propriam non regit iram*: lege C *propriam qui.*

111. Constructio ita planius procederet, Ut leo frendens, qui, cum ab ejus ore labitur, etc. Sed non desunt similia exempla in aliis. Prosa pariter implicata est; in qua forte legendum *sicut leo.*

112. Virgilius l. XII, vers. 6 : *Tum demum movet arma leo.* Et l. IX, vers. 340 : *Manditque, trahitque — Molle pecus.*

113. Plerique distinguunt *fetæ, — Nequidquam :* ita etiam Arntzenius, qui tamen ex prosa interpungendum putat *vocant sua pignora fetæ — Nequidquam, et vacuas implent*, etc. Scilicet nequidquam vocant. Hæc distinctio commodior videtur. In prosa erat *stantes eminus.*

114. Arntzenius scribit *Nec quidquam :* sed melius est *Nequidquam*, aut *Nequicquam.* Reg. 4, et Rom. a pr. m., *ballantibus:* retine *balatibus.* In Rom. ex *auras* correctum apparet *aures*, quod tamen rejiciendum omnino est.

116. Vassius, ad Sallust. Jugurth. 84, refert ex ms. bibl. publ. Cantabr. *cœlicolas* pro *collisas*, ipse autem conjicit *lacteolas.* Sic Prudentius hymn. XII Cath. vers. 119 : *Spargit cerebrum lacteum* et in Dittoch. vers. 115 : *Fumant lacteolo parvorum sanguine cunæ*, quem imitatur Hartmannus Sangallensis, ut ad eum loc. observavi. Verum in *Sedulio* verior est lectio communis. Neque obstare pallilogiam *sternere collisas*, ostendit Wopkensius exemplo Avieni fab. XI, vers. 7 : *Ne tamen elisam confringeret area testam;* et Paulini l. IV, vers. 183. Pro *parvorum*, in quibusdam editionibus menda est *pravorum.* Pro pueris *parvi*, *parvuli* adhiberi solet, ut olim a me notatum.

117. Rom., Barthius cum suo ms., Wopkensius, ed. Lips., *Immerita*, quod tenuit etiam Nebrissensis cum explicatione, quia infantes nihil tale merebantur. Plerique mss., et editi, *Immerito*, et glossa in Reg. indicat, esse adverbium pro *collisas.* Arntzenius cum ms. Arntz., et schedis Poelm., restituit *Immerita.* Non male esset *Immeritas*, ut apud Virgilium *gentem immeritam*, etc.

118. Antiquissimus codex Taurinensis, *Cum sic* C *turba perit : vix dum potuere creari.* Sed ita sensus nullus est. Fortasse reponendum erit *quo crimine simplex, — Cur sic turba perit? vix dum potuere creari, — Jam meruere mori?*

120. Barthius putat, legendum *Non ratio, patrare nefas.*, omissis aliis, quæ intrusa existimat. Cellarius conjiciebat *Non ratio, primisque hostis vagitibus audet.* Wonckius præferebat *primisque ferox vagitibus audet*, aut *ferus* pro *ferox.* Neque tamen hanc lectionem veram esse ait, sed scribendum *primosque vetans vagitus, et audens — Innumerum patrare nefas.* Insolentissime enim dictum arbitratur *necare primos vagitus.* Arntzenii conjectura est *primosque negans vagitus, et audens*, vel *primisque negans vagitibus audet.* Revera hi scriptores in sollicitando hoc loco operam perdiderunt : neque magnum nos operæ pretium fecimus, quod eorum suspiciones retulerimus. Exemplarium omnium scriptura proba est : pluralis *us* in *vagitus* a Sedulio more suo corripitur contra prosodiæ legem, quod nimis audacter ab ipso factum D ait Parrhasius. In Alb. *primos negans vagitus* desideratur conjunctio *que. Vagitus* sumitur pro vagientibus, ut notavit Wopkensius, ex Prudentio Perist. X, vers. 743 : *Omnes capaces esse virtutum Pater — Mandavit annos : neminem excepit diem, — Ipsis triumphos annuens vagitibus.* Sic apud eumdem Prudentium *gemitus* pro gementibus, *cursus* pro currentibus, *vota* pro precantibus, *culpa* pro noxio, apud Statium *lacrymæ* pro lacrymantibus, *gaudia* pro gaudentibus, apud Paulinum carm. de Vita S. Martini *enses* pro armatis, apud Sedulium *naufragium* pro naufrago, et infinita alia ubique obvia.

121. Plerique mss., et editi, *Innumerum.* Rom. *In numerum* : atque ita legendum esse confirmat Wopkensius Lucani versibus, quos Sedulius æmulatur, l. II, vers. 108 : *Crimine quo parvi cædem potuere mereri? — Sed satis est jam posse mori. Trahit ipse furoris — Impetus, et visum est lenti quæsisse nocentem. — In numerum pars magna perit.* Hoc est,

Millia, plangoremque dedit tot matribus unum.
Hæc laceros crines nudato vertice rupit,
Illa genas secuit, nudum ferit altera pugnis
Pectus, et infelix mater (nec jam modo mater)
Orba super gelidum frustra premit ubera natum.
213 Quis tibi tunc, lanio, cernenti talia [sensus?
Quosve dabas fremitus; cum vulnera fervere late
Prospiceres arce ex summa, vastumque videres [deres
Misceri ante oculos tantis plangoribus æquor?
Exstinctisque tamen quamvis infantibus absens,
214 Præsens Christus erat, qui sancta periculæ [cula semper
Suscipit, et pœnas alieno in corpore sentit.
Ast ubi bissenos ætatis contigit annos,
Hoc spatium de carne trahens, ævique meatus
Humana pro parte tulit, senioribus esse
Corde videbatur senior, legisque magistros
Inter ut emeritus residebat jure magister.

OPUS PASCHALE.

lacerans crinalis damni fœditate nudum verticem sauciabat. Illa madidas lacrymosis imbribus genas unguium protervitate sulcabat. Duris alia pectus sanguinolentum verberibus infelix mater cædebat, nec jam modo mater, super unici gelidum corruens cadaver [a] exstincti abscissas uberum venas, lactis copiam, cum cruore fundebat. Nemo calamitatis illius tam varias, tamque multiplices potest imagines expedire. Ubi diversis generibus lamentorum dolor aderat non diversus. Quis tibi sensus, quæve fuit mentis intentio, non jam tyranne, sed lanio? quos fremitus eructabas accensus, cum insontium vulnera parvulorum ex arce summa prospiciens, vastum pelagus lacrymarum passim, ac velut ad ingentem solummodo numerum efficiendum: de qua forma quædam observavit idem Wopkensius ad Tacit. Ann. l. XV, cap. 71. *Puerilia millia* sunt millia puerorum, ut apud Prudentium hymn. XII Cath. vers. 148: *Puerile pignus tollere.*

122. Reg. 1, *Millia tum, luctumque dedit*, sed correctum per *Millia, plangoremque dedit.*

123. Reg. 2, Rom., *rumpit:* alii *rupit:* vers. seq. variant tempora *secuit, ferit.*

125. Ex Ovidio II Art. 93: *At pater infelix, nec jam pater, Icare, clamat.*

126. Prudentius Apoth. 614, dixit, *innupto ubere.* Sic *orba ubera.*

127. Arntz. a pr. m., Fabr., et nonnulli editi, *nunc* pro *tunc;* ut solent hæc facile inter se confundi. Sententia postulat *tunc*, uti locus Virgilii lib. IV Æneid. vers. 408 seqq., quem Sedulius exprimit. Liberius Virgilium imitatur Prudentius, ut notavi ad hymn. V Peristeph., vers. 421: *Quis audienti talia,— Datiane, tunc sensus tibi*, etc. In Breviario Romano ad festum Septem Dolorum B. Mariæ Virginis respons. 1, noct. 3, simili modo: *Quis tibi tunc sensus, dum cernis talia, Virgo?*

128. Schedæ Poelm., et ed. Lips., *gemitus*, qua voce utitur Virgilius loc. cit. de Didone. Præferendum est *fremitus* cum prosa, et plerisque exemplaribus, ut sic nervosius viri, immo regis, incensus ira animus exprimatur.

129. Arntzenius tentaverat *vastamque videres — Misceri ante oculos tantis plangoribus æthram.* Potuisset leviori mutatione *vastumque videres — Misceri ante oculos tantis plangoribus æthra:* scilicet pro *æthera*, quo accusativo Græco contracto *æthra* non semel usus est Juvencus, ut adverti ad l. 2, vers. 532. Ita etiam inscriptio vetus apud Gruterum pag. 1164, n. 4, *Effusasque preces mittat ad æthra suas*, uti etiam legitur in codice Vatic. Palat. num. 833, ex quo Gruterus plerasque inscriptiones christianas deprompsit. Vera tamen est lectio codicum mss., et editionum, ut agnovit etiam Arntzenius ex prosa, ubi est *pelagus* pro *æquor.* In Alb. erat *æther*, sed eadem manus emendavit *æquor.* Cellarius in Indice *æquor* per tumultum exposuit, quod Wopkensius et Arntzenius recte damnant. Nisi obstaret prosa, explicari posset *æquor* per planitiem. Wopkensius ait Sedulium verbum Virgilii retinuisse, quia existimavit, *æquor* dici posse de aquis Jordanis, aliisve, quas transmeare matres cum infantibus fugientes conarentur. Herodes quidem præsens non erat: sed verba *prospiceres*, et *videres ante oculos*, non absurde intelligi possunt de oculis mentis. Interpretatio prosæ retinenda est, nimirum intelligi pelagus lacrymarum inundatione collectum. Habet hoc etiam Hispanum idioma, ut copiosum fletum *mare lacrymarum* dicat.

130. Ott. 1, *clamoribus*, ex quo factum *plangoribus.*

131. Vat. 2, Reg. 5, *Exstinctis tamen* sine conjunctione *que* contra legem pediam. Aldus hos codices secutus est, ut solet; nisi si, ut puto, Reg. 5, sequitur Aldum. Urb. *Exstinctisque tantum:* retine *tamen.* Scilicet, Et tamen exstinctis infantibus, etc.

132. Wopkensius longe venustius putat *qua:* sed *qui* receptum est ab omnibus, et retinetur a prosa, nec minus elegans est.

133. Fabr., et nonnulli alii editi, *Suspicit.* Solent hæc duo verba inter sese commutari. Hoc loco sententia exigit *Suscipit.* Nebrissensis exponit: sibi imputat, quod pro se alii patiuntur. *Sentit*, illis condolet.

134. Rom. *Ubi sedebat Dominus inter magistros legis.*

137. Scriptores veteres christiani passim prudentiam maturiorem juvenum *senium*, sive *senectutem mentis, cordis* aut *animi*, appellabant.

SCHOLIA.

passim, ac velut ad ingentem solummodo numerum efficiendum: de qua forma quædam observavit idem Wopkensius ad Tacit. Ann. l. XV, cap. 71. *Puerilia millia* sunt millia puerorum, ut apud Prudentium hymn. XII Cath. vers. 148: *Puerile pignus tollere.*

122. Reg. 1, *Millia tum, luctumque dedit*, sed correctum per *Millia, plangoremque dedit.*

123. Reg. 2, Rom., *rumpit:* alii *rupit:* vers. seq. variant tempora *secuit, ferit.*

125. Ex Ovidio II Art. 93: *At pater infelix, nec jam pater, Icare, clamat.*

126. Prudentius Apoth. 614, dixit, *innupto ubere.* Sic *orba ubera.*

127. Arntz. a pr. m., Fabr., et nonnulli editi, *nunc* pro *tunc;* ut solent hæc facile inter se confundi. Sententia postulat *tunc*, uti locus Virgilii lib. IV Æneid. vers. 408 seqq., quem Sedulius exprimit. Liberius Virgilium imitatur Prudentius, ut notavi ad hymn. V Peristeph., vers. 421: *Quis audienti talia,— Datiane, tunc sensus tibi*, etc. In Breviario Romano ad festum Septem Dolorum B. Mariæ Virginis respons. 1, noct. 3, simili modo: *Quis tibi tunc sensus, dum cernis talia, Virgo?*

128. Schedæ Poelm., et ed. Lips., *gemitus*, qua voce utitur Virgilius loc. cit. de Didone. Præferendum est *fremitus* cum prosa, et plerisque exemplaribus, ut sic nervosius viri, immo regis, incensus ira animus exprimatur.

129. Arntzenius tentaverat *vastamque videres — Misceri ante oculos tantis plangoribus æthram.* Potuisset leviori mutatione *vastumque videres — Misceri ante oculos tantis plangoribus æthra:* scilicet pro *æthera*, quo accusativo Græco contracto *æthra* non semel usus est Juvencus, ut adverti ad l. 2, vers. 532. Ita etiam inscriptio vetus apud Gruterum pag. 1164, n. 4, *Effusasque preces mittat ad æthra suas*, uti etiam legitur in codice Vatic. Palat. num. 833, ex quo Gruterus plerasque inscriptiones christianas deprompsit. Vera tamen est lectio codicum mss., et editionum, ut agnovit etiam Arntzenius ex prosa, ubi est *pelagus* pro *æquor.* In Alb. erat *æther*, sed eadem manus emendavit *æquor.* Cellarius in Indice *æquor* per tumultum exposuit, quod Wopkensius et Arntzenius recte damnant. Nisi obstaret prosa, explicari posset *æquor* per planitiem. Wopkensius ait Sedulium verbum Virgilii retinuisse, quia existimavit, *æquor* dici posse de aquis Jordanis, aliisve, quas transmeare matres cum infantibus fugientes conarentur. Herodes quidem præsens non erat: sed verba *prospiceres*, et *videres ante oculos*, non absurde intelligi possunt de oculis mentis. Interpretatio prosæ retinenda est, nimirum intelligi pelagus lacrymarum inundatione collectum. Habet hoc etiam Hispanum idioma, ut copiosum fletum *mare lacrymarum* dicat.

130. Ott. 1, *clamoribus*, ex quo factum *plangoribus.*

131. Vat. 2, Reg. 5, *Exstinctis tamen* sine conjunctione *que* contra legem pediam. Aldus hos codices secutus est, ut solet; nisi si, ut puto, Reg. 5, sequitur Aldum. Urb. *Exstinctisque tantum:* retine *tamen.* Scilicet, Et tamen exstinctis infantibus, etc.

132. Wopkensius longe venustius putat *qua:* sed *qui* receptum est ab omnibus, et retinetur a prosa, nec minus elegans est.

133. Fabr., et nonnulli alii editi, *Suspicit.* Solent hæc duo verba inter sese commutari. Hoc loco sententia exigit *Suscipit.* Nebrissensis exponit: sibi imputat, quod pro se alii patiuntur. *Sentit*, illis condolet.

134. Rom. *Ubi sedebat Dominus inter magistros legis.*

137. Scriptores veteres christiani passim prudentiam maturiorem juvenum *senium*, sive *senectutem mentis, cordis* aut *animi*, appellabant.

[a] Error in antiquis editionibus bibliothecæ Patrum *gelidum corruens cadavere.* Fortasse auctor scripsit *gelido corruens cadavere.* Paulo post *semper incertus* mendum est in nonnullis editis. Rescripsi etiam *insontium vulnera*, pro quo inveni *sontium.*

Nec mora, (quas etenim volitans per tempora [mundus
Novit habere moras?) usus majore juventa ;
Sex quasi lustra gerens, placidam Jordanis ad [undam
215 Venit ut acciperet hoc ; quod dare vene- [rat ipse.
Hunc Baptista potens ut vidit ab amne Joannes,
Quem matris dum ventre latet ; nondumque [creatus
Senserat, obstruso jam tunc sermone prophetes,

Ut muto genitore fluens, cui munera linguæ
Post noni taciturna diu spiramina mensis
216 Parto reddulitur nato, mox prædicat : [Agnus
Ecce Dei, veniens peccatum tollere mundi.
Tollere cum dicit, quod non habet, hoc mihi [tollit :
Non mala ut ipse gerat, sed ut ipse nocentia [perdat.
Qualiter in medias cum lux præclara tenebras
Funditur, et proprio non offuscata sereno,

OPUS PASCHALE.

testi esse mora temporibus, quæ volucri cursu fugacia, nondum veniunt, jam recedunt, ut evangelista [a] significat ?) *Ipse Jesus erat quasi jam annorum triginta, ut putabatur filius Joseph ;* præclare nimis utrumque verbum (*quasi*, et *putabatur*) divinitatis servavit. Sicut enim quasi triginta videbatur annorum, cum sit æternus, ita Joseph putabatur, cum sit ex virgine procreatus. Tunc Jordanis ad fluenta baptizaturus accessit, expetens quod venerat, ut donaret, abluendus qui veniebat abluere. Hunc Joannes Baptista conspiciens, quem matris in utero senserat, dum lateret, jam Christi conscius affuturi, prophetiæ munus exercens, licet loqui non posset, tamquam muti patris a silentio temporali descendens, proclamare cœpit, et dicere : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Cum dicit, *tollit*, ostendit, eum non habere, qui tollit quod quidem tulit, non ut ipse gereret, sed ut ipse deperderet. Sicut tenebris nocturnæ cæcitatis ortum radiantis diei subito videmus infundi, nec tamen caliginis tactu, quem decutit, splendoris sui gratiam lux amittit, ita Dominus Jesus Christus, humani generis delicta suscipiens, non tenuit, sed fugavit. Nam ut ignis metalla sordium consummatione clarifi-

SCHOLIA.

139. Rom. *Ubi venit Jesus ad Jordanem baptizari a Joanne.* Ottob. 1, *Ubi Christus baptizatur.*

140. Ms. Arntz. *majore senecta*, quod Arntzenius suspicatur esse glossema verborum *majore juventa :* sed ineptum esset glossema ; non enim major juventa vocari potest senectus, præsertim cum sequatur, *Sex quasi lustra gerens.*

141. Reg. 5, *placidas ad Jordanis undas.* Plerique codd. mss., et editi, *placidam Jordanis ad undam :* ita etiam edidit Aldus, neque video, cur in Erratis legere nos jubeat *placidas ad Jordanis undas.* Sedulius ipse paulo post, consentientibus omnibus exemplaribus, secundam producit in *Jordanis.* Nonnulli tamen corripiunt. Vide not. ad l. I Juvenci, vers. 383. Sex lustra sunt triginta anni, ut in hymno *Lustra sex qui jam peregit*, etc. Arator 1 Apost. 500, al. 246 : *Octo lustra gerens.* Alii dicunt *gerere annos* pro *agere.*

143. Rom., *potens vidit ;* desideratur *ut.* Alii quadrisyllabum faciunt *Joannes*, prima correpta, secunda autem producta. Joannes dicitur etiam *potens* a Fortunato, et aliis.

144. Reg. 1, *latens ;* sic fortasse fuit in Reg. 2, ubi nunc est *latet.* Ottob. 2, mendose, *nudumque creatus.*

145. Vet. 1, Mon., *abstruso ;* sed bene est *obstruso* cum mss. et plerisque editis. Seneca philosophus, Statius et Prosper utuntur voce *obstrusus* pro recondito, clauso, abstruso. Posset etiam scribi *obtrusus.* Reg. 1, cum multis editis, *prophetes*, nimirum ipse Joannes propheta, vel prophetes senserat, etc. In Reg. 2, nunc est *prophetæ*, sed fortasse fuit *prophetes*, quod indicat glossa *propheta, vates.* Plerique mss. nostri, Ott. 1, 2, Vatt. 1, 2, Ang., Reg. 5, Urb., et Alb. cum Parrh., Ald., sched. Poelm., *prophetæ*, quod Rom. et ms. Arntz. innuunt in *prophete.* Ed. Lips., *propheta.* Reg. 4, *prophetis :* quæ non absurba est lectio. In nonnullis mss. glossa est *prophetæ, Zachariæ*, atque ita hunc locum Nebrissensis exponit. Si legamus *prophetis*, sensus erit, senserat sermone Elisabeth prophetis, seu prophetidis. Immo etiam si retineatur *prophetæ*, eadem explicatio adhiberi poterit : nam *prophetes*, *prophetæ*, de femina quoque dici potest. Vide Juvenci versum a me restitutum lib. I, vers. 249, *Mox ecce prophetæ—Femineam sancto complet spiramine mentem.* Ex quo etiam cum lectione *prophetes* dubitari posset, an Joannes, an Elisabeth ea voce exprimatur. Verior tamen interpretatio est, ipsum Joannem e ventre matris clausum sensisse quodam abstruso sermone, quia exsultavit in utero, et jam tum prophetam fuisse : quod prosa tenet.

146. Rom., *Et muto genitore* pro *Ut muto.* Monast., *mutuo*, mendose. Parrh., *fruens*, Nebrissensis conjecerat *silens*, quod nonnulli vulgati secuti sunt cum Fabricio. Plerique editi cum mss., *fluens*, cujus glossa in nonnullis codd. est *nascens.* Scriptura hæc exstat etiam in vetustissimo codice Taurinensi, et a prosa indicatur.

147. Rom. et ed. Vet. 1, contra metrum et sensum, *Post novi.* Cant., Ald., et pauci alii editi, *taciturna*, quod Nebrissensis explicat *tacentia.* Plerique, *taciturna.* In Alb. desunt verba *noni taciturna.* Intellige *munera taciturna.*

148. Vat. 2, Reg. 5 et Ald., *Partu.* Reg. 2, *Parto*, cum plerisque, sed ex correctione, *Partu.* Reg. 1, *Edito*, et pro d. s., *Parto :* sed cum *Edito* non constat versus, et in Rom. *Edito* est glossa supra *Parto.* Nebrissensis observat, in Græcis, ac veteribus Latinis exemplaribus Evangelii *peccatum* legi, non *peccata.*

149. *Tollere* accipit Sedulius tum pro *portare*, tum pro *auferre*, scilicet mihi, vel a me. Alii alio modo. Confer not. ad Dracont. l. II, vers. 602.

150. Arntzenius ex Parrh. et schedis Poelm. refert *dum dicit.*

151. Vet. 2, *ut ipsa gerat ;* melius, *ut ipse gerat.* Parrh., schedæ Poelm., *ferat* pro *gerat.* Rom., *sed ipse ;* lege *sed ut ipse.*

152. Nonnulli editi, *dum lux.*

153. Reg. 1, a sec. m., Reg. 4, et, ut videtur, multi sequioris ætatis locuti sunt, ut Isidorus, et Julianus Toletanus, in quorum editionibus similia verba nunc apparent mutata.

[a] Cap. III Luc., vers. 23, et subinde Joann. cap. I, vers. 29, et infra Matth. cap. III, etc. Paulo post occurrit *baptizaturus* pro *baptizandus* : ita scriptores

Decutit expulsas illæsis vultibus umbras,
Sic delicta fugans Salvator nostra gerendo
Tersit, et attactu procul evanescere jussit.
217 Tunc vada torrentum simplex ingressus [aquarum,
In se cuncta lavat nostræ contagia vitæ,
Ipse nihil, quod perdat, habens, sanctoque li- [quentes
Corpore mundavit latices, limphasque beavit
Gurgitis, et propriis sacravit flumina membris.
Senserunt elementa Deum, mare fugit, et ipse
Jordanis refluas cursum convertit in undas.
Namque prophieta canens : Quidnam est, mare, [quod fugis, inquit,
218 Et tu, Jordanis, retro quia subtrahis am- [nem?

OPUS PASCHALE.

cat, ita nos ab originali contagio sua bonus opifex flamma mundavit. Tunc immaculatus aquas ingressus in se nostram lavit illuviem, nihil habens proprium, quod lavaret. Ipsos denique latices sacri corporis majestate purificans, beavit gurgitis lymphaṁ, honorem Dominici baptismatis consecutam. Senserunt tremendam deitatis undæ præsentiam. Pontus recessit a littore, fluvius remeavit in fontem. De quibus propheta cantitans, hæc designat : *Mare vidit, et fugit, Jordanis conversus est retrorsum. Quid est, mare, quod fugisti, et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum?* Evangelicæ lectionis ergo textus ita prosequitur : *Baptizatus autem confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam venientem super se. Et ecce vox de cœlis, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Consideremus attentius, quantum reveletur et in hoc loco mysterium. Postquam enim Dominus de aqua baptizatus ascendit, mox aperti sunt cœli. Quomodo mox aperti sunt Christo, cui super sidera domus, numquam cœlum videtur occlusum? Sed arbitror, quantum pietas ejus meis sensibus aspirare dignatur, quod ideo tunc aperti sunt cœli, quando Dominus ascendit ab aqua baptizatus, ut suis misericors doceret exemplis, homini, cujus effigiem sumpsit, cœlorum regna tunc pandi, cum meruerit spiritalis aquæ consecratione perfundi. Quod autem Spiritus Dei super eum in specie columbæ

SCHOLIA.

Ott. 1, a pr. m., cum Vet. 1, 2, Mon., tribus Tornæsianis, Poelm., aliisque editis, *et proprium non offuscata serenum :* qui usitatus græcismus. Plerique nostri mss., Reg. 1, a pr. m., Ang., Reg. 2, Vatt. 1, 2, Ottob. 2, Urb., Rom. cum Parrh., Ald., cod. Cant., schedis Poelm., *et proprio non offuscata sereno.* In Ott. 1, deletis aliis, solum nunc apparet, *et propri... sereno.* Verbum *offusco* reperitur apud Tertullianum et Orosium.

154. Arntzenius nonnullam suspicionem movet, an legendum sit *Discutit.* In Rom. certe legitur *Discutit :* sed verbum *decutio* frequens est in poetis christianis. Confer. var. lect. ad Juvenc. l. III, vers. 193. Reg. 1, *expulsas* cum cæteris, supra correctum, ut videtur, per *expulsans.* Martialis utitur hoc verbo *expulsare.*

155. Arntz., male, *fugando* pro *gerendo.*

156. In Rom. mendum est *Tersit, et tactu.* Nebrissensis explicat *a tactu, h. e. a contagione.* In schedis Poelmanni tribui videtur Nebrissensi *attractu*, nisi alterius hæc lectio sit : certe in editione Nebrissensis, qua utor, non est. Cellarius et Arntzenius rejiciunt *attactu* in Parrhasio. Sed proba mihi visa est lectio *attactu*, quam invenio etiam in Reg. 1, ex qua in Reg. 2, 4, Ott. 1, 2, Alb., Urb., factum est *atactu.* Vat. 1, 2, Reg. 5, Ang., *attactu*, sed in Vat. 1 prius videtur fuisse *attacta*, scilicet delicta. Ex Virgilio sumpsit Sedulius hoc verbum l. VII, vers. 550, *Volvitur attactu nullo.* Eodem nomine Varro utitur in ablativo : nam extra hunc casum vix exemplum reperire licet. Varronis verba sunt l. II, R. R. cap. 5, *Corium attactu non asperum.* Utitur etiam Juvencus l. I, vers. 776 : *Tum dextera Christi—Attactu solo purgavit lurida membra.* In Sedulio l. IV, vers. 104, omnes fere habent *Attactu patuere fores*, ut fatetur Arntzenius, qui ibi quoque intrusit *A tactu.*

157. Nebrissensis ait, legendum *Tum in vada*, vel supplendam præpositionem. Hoc secundum tenendum, præsertim cum præpositio *in* jam insit verbo *ingressus.* In *simplex* intellige *innocens, purus* vel cum presa *immaculatus.*

158. Reg. 1, 4, Ott. 2, Ang., *lavit;* sed in Reg. 1 prius fortasse exaratum fuit *lavat.* Utrumlibet rectum est, vel *lavat* a *lavo, lavas*, vel *lavit* a *lavo, lavis.*

160. Rom., *lymphamque.*

161. Vonckius citat *cærula membris*, non inelegantter, ait Arntzenius. Sed fortasse illi excidit *cærula* pro *flumina*, quod unice probant mss., et editi. Hæc causa est, cur olim multi cuperent in Jordane baptizari, ut exposui ad hymn. 2 Cathem. Prudent. vers. 64. Vide etiam S. Gregorium Turonensem l. I Mirac. n. 88 : *Cum dies sanctus Epiphaniarum advenisset, et omnes in Jordanem descenderent abluere tam vulnera corporis, quam animæ cicatrices*, etc. Georgius Gemnic. cap. 23, l. II Ephemer. apud Pezium Thesaur. Anecdot. tom. II, de Jordane loquens, sic refert : *Bibimus ex eo, et manus, pedesque, caput, et faciem abunde ex illo conspersimus. Adhæc et in vasculo nobiscum usque in patriam sine omni fetore aut corruptione aquam attulimus.* Nostra ætate aquam ex Jordane in Lusitaniam allatam novimus, ut in sacro baptismate adhiberetur.

163. In Reg. 1 pro *Jordanis* prius fuit *Jordanes.* Nonnulli *Jordanus.* Pro *refluas* Rom. *refluens*, cum interpretatione seu glossa *revertens*, minus bene.

164. In Reg. 4 peculiaris est lectio *canens, Quidnam est mare, quare fugisti?* Sed ultima in *quare*, et prima in *fugisti* pessime corripiuntur. Plerique, *Quidnam est mare, quod fugis? inquit.* Cod. ms. Arntzenii, *quinam est*, quod non ineptum putat Arntzenius, si suppleatur *quinam est Deus, quod*, videlicet ob quem fugis. Obscurissimum id esset. Si *quidnam* mutandum esset, mallem *quianam* pro *quare*, vel *cur.* Sic Virgilius, quem Sedulius passim imitatur, l. X, vers. 6 : *Cœlicolæ magni, quianam sententia vobis — Versa retro?* et l. V, vers. 15 : *Heu! quianam tanti cinxerunt æthera nimbi?* Ubi male aliqui legerunt *quidnam*, aut *quinam.* Virgilius ex aliis antiquioribus, Nævio, Ennio, hanc vocem usurpavit, ut notarunt Servius et Quintilianus l. VIII, cap. 3, ante med. Ennius libro VII apud Festum : *Quianam dictis nostris sententia flexa est?* In Sedulio confirmetur *quianam* ex *quia* vers. seq. Cæterum cum sequatur *quod*, nihil mutandum.

165. Cant., Reg. 1, Ottob. 1, pro d. s., nonnulli

Ergo ubi flumineum post mystica dona lava- A [crum
Egrediens, siccas Dominus calcavit arenas,
Confestim patuere poli, sanctusque columbæ
219 Spiritus in specie Christum vestivit ho- [nore,
Mansuetumque docet, multumque incedere mi- [tem,
Per volucrem, quæ felle caret, natoque vocato
Voce Patris, triplici Deus ex ratione probatur,
Quod Pater, et Natus, quod spiritus est ibi Sanc- [tus,
Quo manet indignus, qui non numeraverit unum.
220 Inde quaterdenis jam noctibus, atque [diebus
Jejunum dapibus, sacro spiramine plenum

OPUS PASCHALE.

descendit, ostenditur, quanta sit ejus bonitas, mansuetudo, simplicitas, per volucrem, fellis amaritudinem non habentem. Et ne corporaliter visus esse nesciretur Deus, voce Patris asseritur dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Præclarus iste dilectionis affectus plenam catholici dogmatis continet firmitatem, unamque Patris, et Filii, pronuntiat esse virtutem. Charitas enim, quæ in Deo consistit, a similitudinis et æqualitatis spiritu non recedit. Nam qui dixit sui lege mandati: *Diliges proximum tuum, tamquam teipsum*, docuit, diligentis et dilecti nullam fieri oportere distantiam. Nam et in sequenti verbo, quod addidit, *in quo mihi complacui*, intelligitur potestatem unius deitatis explanasse communem. Plus est enim *complacui* dixisse, quam *placui*, quia *complacui* convenientiæ verbum est, et geminæ cernit adhærere personæ. Quod ideo vox cœlestis expressit, ut et Pater in Filio, et Filius complacuisse videatur in Patre. Nam et ipso tam paternæ vocis, quam Filii baptismatis, vel Spiritus advolantis consortio congregato, Trinitas uno fulsit ex Deo, quo dignus non meretur existere, qui numeravit Trinitatem.

Tunc ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens ad eum tentator, dixit ei: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant*. Igitur tentabatur a diabolo, fidei semper inimico. Nemo enim sibi manifestam rem discutit, nisi qui, fallaci plenus ingenio, compertæ veritati non credit, sicut ipse diabolus, qui postea quam Jesum paterni claritate sermonis Dei Filium esse cognovit, ejusdemque potentiam singularem quadraginta diebus et quadraginta noctibus nihil vescentis expavit. Licet Moyses similiter, et Elias totidem dierum sustinuerint, noctiumque jejunium. Sed illos alieno fultos auxilio, quamquam suo merito noverat hæc fecisse. Jesum propria cernebat operari virtute. Spem repente vanissimam stultæ tentationis arripuit, quia Dominus esurivit. Nec audebat aggredi divinitatem, nisi mixtum vi-

ESCHOLIA.

vulgati, *quia subtrahis*, quod recentiores Grunerus et Arntzenius secuti sunt. Ott. 1 in contextu, Arntz., Ang., Alb., Ott. 2, Urb., Rom., Meus, Parrh., Ald., et plerique editi, *quid subtrahis*. In Vat. 1 et 2 dubium, an *quid*, an *quia* sit legendum. In Reg. 1 a pr. m. fortasse fuit *quid* : nunc supra *quia* est glossa, vel diversa potius scriptura *quid, vel cur*. Verior est lectio *quia* ex prosa, et verbis psalmi CXIII : *Quid est tibi, mare, quod fugisti? Et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum?* Similia sunt exempla in Vulgata versione sacræ Scripturæ, et alia ex Rufini Histor. Eccles., in quibus *quia* sumitur pro *quod*, vel *cur*.

166. In meo codice titulus hoc loco apponitur, *Spiritus sanctus in specie columbæ apparuit*. Cant., Arntz., schedæ Poelm., Reg. 2, 5, Vatt. 1, 2, Urb., Ott. 2, Alb., Rom., Meus, Parrh., Ald., et alii editi, *fluminei post mystica dona lavacri*. Reg. 1, Ott. 1, cum multis editis, præsertim recentioribus, *flumineum post mystica dona lavacrum*, quod mihi etiam magis arridet.

167. Rom., Meus, Ott. 1, Reg. 2, Parrh., Ald., *siccas Dominus;* Reg. 1, et alii, *Dominus siccas*. Arntzenius edidit *siccas Dominus*, et Parrhasio, aliisque vulgatis tribuit *Dominus siccas*, sed Parrh. contrarium habet.

169. Vonckius tentabat *Christum investivit honore:* quam conjecturam facillimam esse dicit Arntzenius, cum nihil sit in mss. frequentius, quam, ut *m* et *in* inter se commisceantur. Wopkensius rectius existimat, nihil hic esse mutandum.

170. Ang., *multum incedere;* alii, *multumque incedere*. Wopkensius etsi fatetur, *multum* cum adjectivis pro *maxime* aliquando construi, tamen mallet *mitemque incedere, mitem*, vel *humilemque incedere*, vel *justumque incedere*. Grunerus et Arntzenius jure dissentiunt.

171. Vet. 1, 2, Mon., *notoque*, errore typographico, certe vitiose. Quod autem columba felle careat, vulgi quidem opinio est, sed falsa, ut tradunt, qui hujusmodi rerum scientiam profitentur.

172. Ott. 2, *Deus ratione :* ut stet versus, legendum *Deus ex ratione*, neque male esset *Deus hac ratione*.

173. Meus, *ubi;* lege, *ibi*.

174. Cant., Reg. 4, Ott. 1, recentiori m., *honoraverit*. Editi cum plerisque mss. *numeraverit*. In Ott. 1 prius fuit *adoraverit*, aut *oraverit :* supra vel glossa, vel d. s., *numeraverit*. Arntzenius ait, *numerare* antiquis esse venerari, æstimare, ex iis, quæ notavit Cortius ad Ciceronem l. XII Ep. fam. 11. Verum *numerare* pro *venerari* non probo, pro *censere*, vel *æstimare* facile admittam, cum id, quod numeratur, inter alia similia reponitur, ut *maximum beneficium numero in bonis numero*, et similia. At cum sermo est de uno Deo, difficultatem creat hæc phrasis, *numerare unum Deum* pro *fateri unum Deum*. Suspicor Sedulium scripsisse *qui non memoraverit unum*. Sic vers. 237 h. l. *Qui dominum cœli patrem memoramus, in ipso — Jam fratres nos esse decet*. Aliam scripturam *adoraverit*, vel *honoraverit* lex carminis rejicit. Prosa aut obscura est, aut mendosa : ex qua tamen hæc explicatio eruitur : Qui numeraverit non unum, sive tres Deos.

175. Rom. *Ubi diabolus tentavit Dominum jejunando*. Meus, *De tentatore, qui adiit Dominum, postquam jejunavit*. Ott. 1, *Ubi tentatur a diabolo*.

176. Nonnulli mss., et editi *Jejunium;* quod mendum Aldus in Erratis emendavit.

Insidiis tentator adit, doctusque per artem
Fallaces offerre dapes, Si filius, inquit,
Cerneris esse Dei, dic, ut lapis iste repente
In panis vertatur opem. Miracula tamquam
Hæc eadem non semper agat, qui saxea terræ
Viscera frugiferis animans fecundat aristis,
Et panem de caute creat. Hac ergo repulsus
221 Voce prius, hominem non solo vivere pane,
Sed cuncto sermone Dei, labefactus, et amens,
Altera vipereis instaurans arma venenis,
Cum Domino montana petit, cunctasque per orbem
Regnorum monstravit opes: Hæc omnia, dicens,
Me tribuente, feres, si me prostratus adores.
Quantum perversus, tantum perversa locutus.
Scilicet ut fragilis regni affectaret honores,
222 Qui populis æterna parat, monstrumque [nefandum
Pronus adoraret, cujus super æthera sedes,
Terra pedum locus est, quem nullus cernit, et [omnis
Laudat in excelsis summissa voce potestas.
Christus ad hæc: Tantum Dominum scriptura, [Deumque
Jussit adorari, et soli famulari uni.

OPUS PASCHALE.

deret hominem. Mox antiquas molitus insidias ciborum, improbus dolos fallacia suscitavit assueta. Demonstransque lapides [a] suas magis epulas serpens ait: *Si filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant*, quasi non posset hoc facere, qui tale jugiter opus exercens, de saxeis terræ visceribus producit segetem frugali victu prægnantem, et spicea messium densitate cautis nutrimento crescente panis uberem cibum de lapidum fecunditate largitur. Sed maluit sapientia singularis gloriam mirabilis facti contemnere, ne petitionem tentatoris admitteret [b]. Deus enim credentes suscipit, tentantes excludit. Nam populus Israel ob hoc Deum legitur offendisse quam maxime, quia beneficiorum ejus oblitus, tentare ausus est eum, ut cum desperatione peteret epulatum. De quorum Moyses in libris suis incredulitate non tacuit. Et David ita memorans breviter explanavit: *Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis. Et male locuti sunt de Deo, et dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto?* etc. Quid enim illi potest esse difficile, qui pro immensa rerum omnium possibilitate vocatur omnipotens? Respondens autem Dominus Satanæ, sic dixit: *Scriptum est: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Apta nimis, et competens data est inimico responsio. Nam percunctanti, si filius Dei esset, velut homo respondit, quatenus per eum potius vinceretur, quem videbatur aggressus. Quo audito, fractus, et debilis, arma tamen audaciæ non deponit. Et duxit illum diabolus, et ostendit ei omnia regna orbis terræ in momento temporis, et ait ei: *Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, et cui volo, do illa. Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia.* Quid mirum, si perversa sit locutus miser, qui ne rectas vias incederet, serpentis torti effigiem sumpsit, regni frágilis, et caduci Christum æstimans cupiditate contingi, qui validum potius, et æternum suis venerat collaturus? [c] Aut ille divitias sæculares dignaretur acquirere, qui docere venerat, ut perirent. Monstrumque cœlo dejectum adoraret, cui thronus est cœlum, terra subpedaneum, mundus omnis obsequium, quem nullus audet aspicere, et cunctæ summissis vocibus laudant super sidera potestates. At iterum Dominus eum tali responsione confudit, di-

SCHOLIA.

177. Dracontius I, 471, *Insidiosus adit.*

179. In nonnullis mss., *lapides*, et in nonnullis editis, *repentem*, menda sunt.

181. Omnes mss. nostri cum mss. Lips., Heins., Cantabr., et antiquissimo Taurinensi, necnon schedis Poelm., Ald., Parrh., *Hæc eadem non semper agat, qui*. Multi editi *Hæc non semper agat Dominus, qui*. Meus *saxa* vitiose pro *saxea*. Augustinus tract. 24 in Joann. simili ratione laudat *opera Dei mira, et stupenda in quolibet seminis grano.*

182. Codices omnes nostri cum Ald., Parrh., mss. Arntzenii, Cant., et schedis Poelm., *frugiferis*. Nonnulli *fructiferis*, quos sequi maluit Arntzenius. Magis placet *frugiferis*: in Reg. 5, *fruiferis* hoc ipsum innuit.

183. Rom., *tunc*; ad marg. vel correctio, vel d. s., *hac*, quod præferendum.

184. Rom. *solum*, correctum per *solo*.

186. *Arma*, consilia, quibus noceat, si possit. Virgilius l. II Æn. 99: *Et quærere conscius arma.*

190. Torn. 3, *tamen* pro *tantum*. In mss. passim hæc duo commutantur: sed hoc loco neque metrum, neque sensus patitur *tamen*. Reg. 5, Vat. 2, Ald., *tantum est perversa*: in aliis deest verbum substantivum, quod eleganter omittitur.

191. Reg. 1. in contextu, Reg. 2, pro d. s., Ott. 2, Vat. 2, Reg. 5, *fragiles regni affectaret honores*, Arntz. *fragiles mundi affectaret honores*; Reg. 4, *fragilis regna affectaret honoris*. Communior scriptura est *fragilis regni affectaret honores*, cui favet Prosa. Ita plerique editi. Parrh., Ald., et nonnulli alii, *fragiles* pro *fragilis*.

192. Cellarius in Addendis suadet, legendum *externa* pro *æterna*, nisi typothetarum iterum id errori sit ascribendum, ut observat Arntzenius.

195. *Summissa voce*: dictum id censet Nebrissensis, quia in psalmo LXIV, vers. 2, in textu Hebræo legitur: *Te decet silentium, Deus, in Sion*, pro quo Vulgata nostra habet, *Te decet hymnus*. At in Reg. 1, glossa est *summissa*, h. e. *sursum missa, vel elevata*. Verior est glossa Ott. 1, *summissa—supplici*. In prosa idem verbum retinetur, *summissis vocibus*.

197. Meus. *soli et*; alii, *et soli*. Nonnulli editi *famulari et uni*, repugnante metro. Reg. 5, mendose *famitteret* pro *admitteret*. Paulo post occurrunt verba ex psalm. LXXVII, vers. 18, 19.

[a] *Suas magis epulas*, ex Genesi ad serpentem: *Terram comedes*. Vide notam ad carmen *Genesis*, quod post Juvencum edidi, vers. 110.

[b] Mendosum est in multis bibliothecis Patrum

[c] Putarem, legendum *An ille*, etc. cum interrogatione.

His quoque deficiens congressibus, audet iniquus,
Ter sese attollens, animo perstare superbo,
Terque volutus humo, fragili confidere bello.
Tunc assumpsit eum sanctam sceleratus in urbem,
Et statuens alti supra fastigia templi,
223 Si natum genitore Deo tete asseris, inquit,
Impiger e summo demissus labere tecto.
Nam Scriptura docet, de te mandasse Tonantem,
Angelicis subvectus eas ut tutior ulnis,
Ad lapidem ne forte pedem collidere possis.
O quam cæca gerit nigro sub pectore corda
Mens tenebris obscura suis! hunc ardua templi
Culmina, et erectæ quamvis fastigia pinnæ
Credidit in præceps horrescere, maxima summi
Curvavit qui membra poli, cœlosque per omnes
Vectus in extremæ descendit humillima terræ,
Inferiora petens, sed non excelsa relinquens.
224 Dixerat, et validi confossus cuspide verbi,
Quod tentare suum Dominumque, Deumque requiret,

OPUS PASCHALE.

cens : *Scriptum est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies*, adhuc ex humana cernitur respondere persona. Dedignatus scilicet infirmum rebellem virtute majori potentiæ subjugare. Licet hujus quoque verbi livor ille vipereus congressione dejectus nondum deposuerit temeritatis ingenium, sed trisulca linguarum vibratione confidens contra victricem Trinitatis manum tertio caput erigit saucia-tum. *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum supra pinnaculum templi, et dixit ei : Si filius Dei es, mitte te deorsum : scriptum est enim, quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* O quantum cæcitatis atque caliginis nigro semper dominatur in pectore, mensque tenebris propriæ malignitatis obscura, nescit indeprehensam custodire fallaciam ! Ecce dicens : *Si filius Dei es*, ostendit, hoc se nescire. Cum quærit dicens iterum : *Angelis suis mandavit de te*, confitetur, hunc esse, quem cernit, sed ancipitis usus varietate sermonis simulator, ac dissimulator inventus, mendax suis artibus approbatur. Nec solius fallaciæ, sed etiam stultitiæ domus est cor malignum. Quid enim poterit ineptius reperiri, quam ut illum crederet licet alta sublimis templi fastigia, et cacumen excelsi pinnaculi saltu formidare præcipiti, qui ut planis videtur in terris, de summa cœlorum arce descendit ? de quo clamat David, et dicit [a] : *Et descendit, et inclinavit cœlos*, simul humillima continens, et altissima non relinquens. igitur deficientis audaciam sic eloquens perculit vox divina : *Scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum.* Hic Dominum Deumque se esse jam pandens, tales ultra conatus assumere prohibet tentatorem, suis nos admonens pius doctor exemplis, spiritum, vetustæ malignitatis artificem, illic humanis proculdubio subjacere virtutibus, ubi fuerit Deus simplicitati puri cordis infusus. Ait enim lectionis instructio : *Tunc reliquit eum diabolus, et ecce angeli*

SCHOLIA.

mulariter. Arntz. ms. *famularier illi*, quod in textu recepit Arntzenius, favente Prosa. At Prosa servat verba Scripturæ sacræ, poeta in carmine ad majorem vim exprimendam addidit *soli uni* : sic enim passim hæc duo conjunguntur, quod exemplis facillimum esset comprobare. Ex ipsa autem sententia subintelligitur, *Domino Deo uni soli* serviendum esse, quin addatur *illi*.

198. Reg. 4, *ardet*, pro *audet*, Cant., et nonnulli alii *iniquis* pro *iniquus*. Melior lectio communis *audet iniquus*. Nomine *iniqui* simpliciter posito diabolum intellexit etiam supra vers. 106 : *Jam non repetamus iniquum.*

199. Reg. 4, Ott. 2, *præstare* : lege *perstare*.

200. Arntzenius male *consistere bello* pro *confidere*.

201. Mon. *Hinc* : alii cum Prosa *Tunc*.

202. Vat. 1, Mon., *vestigia*, vitiose.

203. Rom., Urb. *tute*, quod edidit Parrhasius, et exstat in Mon., et in ms. Arntz. Hanc scripturam præferunt tres Arntzenii, Editor Sedulii, pater ejus ad Plinium Paneg., et patruus ejusdem ad Caton. distich. 4, l. 1. Plura similia congerit Arntzenius ad hunc locum. Damnanda quidem non est hæc lectio : sed nulla est causa, cur a recepta, et communiori codicum mss. recedamus.

204. Meus, *delapsus*, quod Parrhasius quoque vulgavit. Mss. alii cum plerisque editis *demissus* : sed Rom. scribit *dimissus*, ut in hoc, et similibus verbis præpositione *de* compositis accidere solet.

206. Reg. 4. *subjectus* : reline *subvectus*.

208. *Mens*, *pectore*, *corda* voces sunt fere synonymæ : sed poetæ ita sæpe orationem amplificant.

209. Commentator Bedæ de Art. metr. profert hunc versum.

210. Meus *Culmina et rectæ*, Rom. *Culmina erectæ* : lege, ut stet versus, *Culmina et erectæ*.

212. *Membra poli*, ut *membra urbis* apud Prudentium II contra Symm. 446. Vide Commentarium.

214. Reg. 1, 2, 4, 5, Ott. 1, Vat. 2, Arntz., Ald., *et non*. Meus *at non*. Vat. 1, Ott. 2, Ang., Alb., Urb., Parrh., *sed non* : quod prætulit Arntzenius, quia facile, et sæpe in mss. ex *sed*, aut *set* (sic enim multi librarii scribebant) fiebat *et*, præsertim cum in fine præcedentis vocis littera *s* erat.

215. Meus *confusus* : sed verbum sequens *cuspide* exigit *confossus*. In Reg. 4, mendum *cospide*.

216. Reg. 4, Vat. 2, Urb., Meus, *Dominum*, *Deumque* : lex pedia postulat *Dominumque*, *Deumque*. Pro *nequiret* Reg. 4, *nequisset*; Parrhasius, *requirit*. Aldus edidit *Dominum*, *Deumque nequiret*; in Emendatis reposuit, *Dominumque*, *Deumque requiret*. Verum neque *requirit*, neque *requiret* huic loco congruit, et fortasse error typographicus est utrobique.

[a] Psalm. XVII, vers. 10. Vulgata, *Inclinavit cœlos, et descendit.* Paulo ante præstiterit legere *videretur* pro *videtur*.

Victoris fugit ora gemens. Tunc hoste repulso, A
Cœlicolæ assistunt proceres, cœtusque mi-
[cantes
Angelici Christo famulantur rite ministri.
Protinus ergo viros ex piscatoribus aptos
Humanas piscari animas, quæ lubrica mundi
Gaudia sectantes, tamquam vaga cærula ponti,
225 Cæcaque præcipites tranant incerta pro-
[fundi,
Discipulos jubet esse suos, talesque supernæ
Conciliat vitæ, quos non ventosa loquendi
Gloria, nec vana de nobilitate superbus
Sanguis alat, sed fama tacens, humilique reful-
[gens
Mente nitor cœlo faciat de plebe propinquos.
Namque stulta potens elegit, et infima mundi,
226 Fortia confringens Deus, et sapientia per-
[dens.
Quin etiam celerem cupiens conferre salutem,
Orandi præcepta dedit, judexque benignus

OPUS PASCHALE.

accesserunt, et ministrabant ei. Videtur, ut arbitror, in hoc diaboli fugientis abscessu, et ministerio consequenter angelico quamdam paschalis gloriæ declarare præcedentibus signis imaginem. Nam sicut victis tentationibus, depulsoque diabolo, præbuerunt angeli ministerium Salvatori, sic contumeliis Judæorum, et pœnis beatæ crucis passione contemptis, ipsaque diaboli fraude, et morte calcata, surrexit ab inferis, evectus est astris, et consueto majestatis imperio Christus ab angelis adoratur in cœlo.

Exin discipulos ex piscatoribus quosdam sibimet sociavit accitos, humanas deinceps animas piscaturos, quæ lubricam sectantes mundi lætitiam, tamquam natantes vias ponti fluctuantis incertas per voluptuosos lapsus vagis cursibus erraverunt, talesque vitæ conciliavit [a] æternæ, quos nec generosæ prosapiæ ortus terrenæ nobilitatis inflaret, nec nitor eruditæ facundiæ gloria vanæ garrulitatis extolleret, sed quos sanctum vitæ simplicis institutum superba nimis humilitate conspicuos cœlo faceret jam vicinos. Namque Deus omnipotens stulta mundi potius elegit, et infirma, renuens, quæ sapientia videntur, et fortia, quia sicut Paulus apostolus doctor egregius: *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et imbecille Dei, fortius est hominibus.* Et confestim iterum dixit: *Quæ sunt stulta hujus mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et quæ non sunt, tamquam non sint, ut ea, quæ sunt, destrueret.*

Quin etiam salutem celerem misericors cupiens adhibere Salvator, orandi quoque modum precesque constituit. Judex piissimus breviter vult rogari, quo citius annuat supplicanti. Sic orandum ergo docuit patrem, suum scilicet pro natura, nostrum vero pro gratia, honorem proprium largitus hominibus, ut, quod solus habet egregium, cunctis largiretur indultum. *Pater noster, qui es in cœlis.* Qui cœlorum perpetem regnatorem patris audemus nomine nuncupare, primum debemus advertere, non separatim sin-

SCHOLIA.

219. Ald. cum Vat. 2, *Angelici et Christo.* Melius omittitur conjunctio *et.* Arntz. *jure* pro *rite.*

220. Ott. 1, *Ubi ex piscatoribus fecit discipulos.* Meus, *Quomodo legit sibi discipulos.* Rom. *Ubi Dominus elegit discipulos.* In Reg. 4, desideratur hic versus *Protinus.*

222. Cellarius cum nonnullis editis *vada cærulea*, quod defendi potest. Sed præferunt *vaga cærula* mss. omnes nostri excepto Rom., in quo omissum est *vaga*, vel *vada;* consentiunt Arntz., Parrh., Ald., Vet. 1, 2, Mon., schedæ Poelm., et alii.

223. Vat. 1., Urb., Rom., et Poelm. ad marg., *præcipitis.* Plerique alii mss., et editi, *præcipites*, ex quo pro diversa scribendi ratione natum est *præcipiteis*, et *præcipitis.* Ott. 2, corrupte *Cæca quod præcipitis.* Reg 4, *tranent:* verius est *tranant.*

225. Prudentius 1 contra Symm. 656, de eloquentia Symmachi, *Ludere ventosas jactu pereunte sagittas*, ubi ex Petronio excitavi, *ventosa loquacitas.*

227. Marcklandus ad Statium l. v, silv. 3, cum nonnullis *forma tacens:* sed hic sermo est de *fama* tacente, vel tacita, quæ opponitur gloriæ ventosæ loquendi. Wassius in ind. Sallust. verb. *rumor* ex ms. biblioth. publ. Cantabr. profert *fama jacens*, h. e., obscura; quæ scriptura non debet quidem displicere, sed alteri tamen est postponenda. Fama *tacens* est obscura. Confer notata ab aliis ad Silium XI, 777. *Ille ego sanguis — Dardanius.* Pro *inflet* elegans est *alat* ex Virgilio V, 251: *Hos successus alit;* et Silio XI, 555: *Animos favor haud obscurus alebat.*

228. Arntz. ex glossa, et contra metri rationem *vicinos* pro propinquos.

229. Reg. 4, depravate, *Namq. elegit infirma potens et stultaque mundi*, nec melius Meus: *Nam sibi stulta potens elegit, et infirma mundi.* Fabricius cum nonnullis editis *Namque infirma potens.* Parrh. *Nam quia stulta potens:* ed. Lips., *Nam quoque stulta potens.* Plerique editi, etiam recentiores, *Nam quæ stulta.* Wopkensius conjecit *Namque stulta.* Sane Aldus, et nonnulli alii ita ediderunt. Grunerus conjecturam Wopkensii laudat; Arntzenius eamdem confirmat codice ms. Arntzenii, ubi per compendium litterarum legitur *Namq. stulta.* Vellet tamen, alios codices consentire. Atqui fere omnes nostri ms., scilicet Reg. 1, 2, 5, Ottobon. 1, 2, Vatt. 1, 2, Urb., Rom, Ang., et Alb., unanimi consensu scribunt *Namq. stulta*, quod per *Namque* sine ulla dubitatione exponendum est. Inepti aliqui editores, qui *que* corripi sciebant, putarunt corrumpi metrum, si ederetur *Namque stulta.* Sed cum sequatur duplex consonans *st*, ex sententia quorumdam *que* produci debet, ex sententia omnium potest, ut uberius disserui in Prolegom. ad Prudentium. Accedit, multos existimare, *que* communi intervallo quantitatis gaudere. Quin etiam, ut ego opinor, et non semel in not. ad Dracontium, et Juvencum, probavi, nullum est monosyllabum breve, quod produci non possit. In Rom. desideratur conjunctio *et* post *elegit.*

230. Vatt. 1, 2, Urb., Reg. 5, et Ald., *confundens:* alii *confringens*, quod videtur etiam fuisse a pr. m. in Vat. 1. Nonnulli mss. in litterarum nexu dubio scribunt *perdens*, vel *prodens:* sed legendum est *perdens.* Sic habet Ott. 1, in quo prius fortasse fuit *prodens.*

231. Meus, *Tunc etiam celerem.*

232. Vonckius legere nos jubet *indexque benignus.*

[a] Ex mendo *contiavit* recte Juretus reposuit *conciliavit.*

Indulgenda peti breviter jubet, ut cito præstet,
Sic dicens : Orate patrem, baptismate nostrum,
Jure suum : propriumque homini concessit ho-
[norem,
Et, quod solus habet, cunctos permisit habere.

227 Qui Dominum cœli patrem memoramus,
[in ipso
Jam fratres nos esse decet, nec origine carnis
Germanum tractare odium, sed spiritus igne
Flagrantes, abolere doli monumenta vetusti,
Atque novum gestare hominem, ne forsan ab alto
Degenerent terrena Deo : cui nos, duce Christo,
Fecit adoptivos cœlestis gratia natos.

228 Sanctificetur ubi Dominus, qui cuncta
[creando
Sanctificat, nisi corde pio, nisi pectore casto?

OPUS PASCHALE.

gulis, sed communiter universis domum tanti muneris attributum. Nam quasi [a] semotus a cæteris, et secretioribus habitans latenter in locis, Dominum quilibet verbis hujus orationis imploret, non inquiet, *Pater meus*, sed *Pater noster*, quoniam soli Christo debetur hoc verbum, cujus proprie pater est Deus. Quamquam enim in omnibus Evangeliis hoc habeatur ascriptum, in illo tamen evidenter Dominus Jesus in capitulo juris sui potentiam singularem docuit, a populari permixtione discretam, ubi discipulos confortabat alloquens : *Vado ad Patrem meum, et Patrem vestrum.* Quod ait *meum*, hanc sibi specialem gloriam congrue vindicavit; quod ait *vestrum*, generalem gratiam communiter cunctis esse patefecit. Similitudinem faciamus hic aliquam, ut ex humanis divina capiamus. Ponamus igitur quempiam nobilem virum, cui Filius unicus, et aliquanti sint famuli. Numquid ob hoc, quod paterfamilias appellatur, potest apud eum servorum, ac filii par dilectionis esse conditio, cum et ipse filius Dominus probetur esse cunctorum? Nos igitur utimur hac oratione, non Christus, quoniam prece hujus supplicationis ipsum quoque deposcimus, qui cum Patre unus est Dominus coæternus. Dicentes itaque *pater noster*, confitemur, nos omnes in ipso fratres exsistere. Cujus nominis non debemus affectum mutuæ charitatis expulsione contemnere, nec originalis odii monumenta sectari, quo Cain, germani sanguinis fusor, parricidalis maculæ factus est inchoator. Sed mansueti spiritus igne ferventes carnalis ponamus nequitiam vetustatis, et novo homine gratulemur induti. Ne cum cœperint a cœlestibus opera degenerare terrena, tanto patre videamur indigni, qui Christo nos duce sacra natos adoptione suscepit. *Sanctificetur nomen tuum.* Sanctificatio quæ potest æstimari, qua Dominus sanctificari valeat, qui cuncta sanctificat, nisi ut cor pium, mite, placidum, castum ad ejus præparemus ingressum? quatenus tali domicilio delectatus sanctificationis suæ in nobis operetur augmentum; quemadmodum ipse Dominus noster Jesus Christus in discipulis suis se clarificatum esse memorabat, qui clara semper divinitatis luce fulgebat. Nam in Evangelio secundum Joannem, dum pro discipulis supplicat patri, inter diversa, quæ prosecutus est, verba sic inquit, *Et clarificatus sum in eis*, scilicet qui [b] claritatem suam in eis inveni. Ubi ergo et sanctificationis suæ signa repererit, sanctificare se

SCHOLIA.

Sæpe quidem *Judex* et *index*, *judicium* et *indicium* confunduntur; sed cum mss. omnes non minus quam editi, exhibeant *judexque*, satius duco, nihil mutare.

234. Arntzenius ex ms. Arntz. edidit *patrem in baptismate nostrum:* quia præpositio *in* latere potuit sub littera præcedenti *m*. Verum cæteri elegantius eam præpositionem omittunt. Idem Arntzenius Parrhasio, et ed. Lips. tribuit *vestrum*. At in Parrhasio clare est *nostrum*. Arntzenius cum Cellario distinguit *nostrum; — Jure suum propriumque homini*, etc. Exponit Cellarius, honorem esse jure suum, propriumque. Sedulius aliud voluit, *Orate patrem, baptismate nostrum, — Jure suum : propriumque homini concessit honorem*. Nimirum Deus est pater Christi jure, et natura, noster in baptismate, et per adoptionem. Cum autem proprius Christi sit honor, ut Deum patrem appellet, nobis concessit hunc honorem, etc. Glossa in Ott. 1, est *jure suum — natura:* et post *habere — adoptive.*

237. Reg. 1, Ottobon. 1, Rom., Meus, *Pater noster, qui es in cœlis*. Ott. 2, *Qui Deum cœli*. Ald., Vat. 2., *Cui Dominum*; corrige, *Qui Dominum*.

238. Reg. 4, *Jam decet nos esse fratres :* non patitur metrum, ita collocari verba. In notis Nebrissensis lego *origine mundi :* sed in ipso contextu hujus editionis est *origine carnis*. Nebrissensis ait, supplendam esse præpositionem *in*, vel *ab*. Sententia est : Non decet, nos tractare, vel sectari odium, quali Cain in origine carnis, sive initio mundi adversus fratrem Abelem exarsit, sed decet potius, nos igne spiritus flagrantes, abolere monumenta sceleris vetusti, sive odii fraterni.

239. Reg. 1, 4, Vat. 1, Meus, Rom., Ott. 1, pro d. s., Alb., et plerique editi, *tractare*. Reg. 5., Ald., Fabr., Ang., Reg. 2., pro d. s., Parrh., *gestare*. Ott. 2., Reg. 2, in textu, *sectari*, quod ex ms. Arntz. amplexus est Arntzenius. Eodem pertinet in Ott. 1, a pr. m., *sectare*. Arntzenius præfert *sectari*, adductis similibus exemplis, *sectari bonum, vitia, charitatem*. Favet prosa. Alii, *tractare* cum mss. vetustioribus pro *mente agitare*, vel etiam pro *trahere*. Reg. 5. Ald., *sed pneumatis igne*, quod a recentioribus contra poetæ mentem intrusum, ne ultima in contra to casu quartæ declinationis corripiatur. Non semel hanc licentiam sibi arrogat Sedulius.

244. Reg. 1, Ott. 1, et alii, *Sanctificetur nomen tuum*. Meus, *Sanctificetur ubique Deus*, nullo sensu. Poelm., *Sanctificatur ubi Dominus* sine interrogatione, quæ necessaria est. Plerique nostri mss., et editi, schedæ Poelm., *Sanctificetur ubi Dominus*. Wopkensius præferi *Sanctificatur*, cui favent Cant., Arntz, et multi editi. In Reg. 1 glossa est, *ubi poterit sanctificari*, quod intelligo interrogative.

245. Meus, et Reg. 1, pro d. script., *corpore;* communis lectio, *pectore casto*, nempe puro.

[a] In veteri codice error erat, *Nam quasvise semotus*, quem Juretus correxit. Paulo post citantur verba ex Joann. c. xx, vers. 17. Superfluum videtur unum *in*, *in illo... in capitulo.*

[b] In plerisque bibliothecis Patrum legitur *scilicet qui claritatem suam in eis inveni*. Gallandius habet *scilicet quia claritatem meam in eis inveni*. Restituendum videtur *scilicet quia claritatem suam in eis invenit*. Series orationis sequentis hanc lectionem comprobat.

Ut mereamur eum nos sanctificare colendo,
Annuat ipse prior, sicut benedicier idem
Se jubet a nobis, a quo benedicimur omnes.
Adveniat regnum jam, jamque scilicet illud,
229 Morte vacans, et fine carens, cui nulla [per ævum
Tempora succedunt, quia nescit tempus habere
Continuus sine nocte dies : ubi, principe Chri- [sto,
Nobile perpetua caput amplectente corona,
Victor opima ferens gaudebit præmia miles.
Hoc jugibus votis, hoc nocte, dieque precemur,
230 Illius ut fiat cœlo, terraque voluntas,
Qui nusquam vult esse nefas, hostemque nocentem,
Utque polo, sic pellat humo, ne corpora nostra,

OPUS PASCHALE.

ibidem dicit. Pietas enim illa, sine modo mitissima, sibi conferri pronuntiat, quidquid suis famulis ipsa fructificat. Similis itaque sensus ostenditur, et ut se benedici præcipiat, cum ipse potius universa benedicat. Namque trium puerorum in camino canentium ab omni creatura per ordinem benedicendum Dominum generalis hymnus exclamat. *Adveniat regnum tuum.* Regnum advenire deposcimus regnatoris, qui regnare non desinit, ut fallacem [a] hujus mundi principem pro præsumpta puniat tyrannide, solusque, qui solus est, suum demonstret imperium, nec morte constrictum, nec temporibus consumendum. Nescit etenim tempus lucis illius dies sine nocte continuus, ubi fortissimus miles, adorato Christo, diversa mundi post pericula prælio victor exsistens cæsariem beati capitis ornaturam perpete nobilitatus gratulabitur jam corona. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra.* Præcedentis et hic continentiæ sensus videtur intelligi, quod jugibus dies, noctesque precibus debeamus exposcere, ut illius cœlum, terramque voluntas adimpleat, qui nusquam vult esse nequitiam, quo dejectum cœlo diabolum nec

SCHOLIA.

247. Reg. 1, 2, 5, Vatt. 1, 2, Ang., Alb., Ott. 1, Urb., Rom., Meus, Ald., aliique editi, *Annuat*, quod frustra esse ait Arntzenius. Ipse tenet *Annuet*, quod habent editio Poelmanni, et aliæ nonnullæ. Reg. 4, *Annuit :* id placebat Wopkensio, ut paulo ante *Sanctificatur :* qui distinguit, *Ut mereamur eum nos sanctificare colendo, — Annuit ipse prior.* Alii punctum appingunt post *colendo.* Verbum *annuere* pro concedere, tribuere, assignare a Virgilio, Prudentio, et aliis usurpatur.

248. Reg. 4, *benedicimus;* lege *benedicimur.*

249. Reg. 1, Ottob. 1, *Adveniat regnum tuum* pro titulo. Decem nostri mss. cum Heins., Cantabr., et multis editis, *regnum jam, jamque scilicet illud*, producto *que* ob *sc* dictionis sequentis, vel quia revera commune est, ut jam alibi notatum est. Ita etiam legunt Beda, et ejus commentator de Arte metrica, qui dicunt, in hoc versu *que* positione esse longam. Inepti librarii alii aliter corruperunt. Ottob. 2, *regnum jam jam nunc scilicet illud.* Parrh., *regnum cœleste videlicet illud.* Meus, Vat. 1 recentiori manu, Arntz., ut videtur, et plures editi, *regnum jam jam quoque scilicet illud.* Nonnulli vulgati, *regnumque tuum jam scilicet illud.* Vera lectio elegantior quoque cæteris est. *Jam jam* indicat rem imminentem, et celeritas major indicatur, quum alteri *jam* additur conjunctio *que.* Cicero Tuscul. l. I, c. 7 : *Cum dies, et noctes cogitandum sit, jam, jamque esse moriendum;* et l. XIV ad Attic., ep. ult. : *Quamquam ipse jam, jamque adero.* Ex notis Nebrissensis arguo, eum alio modo legisse : ait enim : « *Quod*, subaudi *regnum.* Ad *quod. ipse* respondet. » In editione, qua utor, non invenio in hoc versu, pro quo ea est nota, *quod*, sed *jam jam quoque scilicet :* notæ enim Nebrissensis recusæ hic sunt, et sæpe ad alia verba alludunt, quæ in textu non apparent. Puto igitur, a Nebrissensi in sua editione scriptum fuisse *Adveniat regnum jam, jam. Quod? scilicet illud.* Acute, sed minus vere, minusque eleganter.

251. Arntzenius cum multis editis exhibet *Succedent*, et ex Cant., Parrh, Ald., aliisque, citat *Succedunt*, quod minus rectum putat; id enim innuit, cum ait *sine necessitate.* Nostri fere omnes, Reg. 1, 2, 4, 5, Ang., Alb., Vat. 2, Ott. 2, Meus, Rom., *Succedunt*, quod ex nexu litterarum in Vat. 1 etiam colligo; in Ott. 1 fortasse est *Succedant.* Probum est *Succedunt*, cujus glossa in Reg. 1 est *subveniunt :* nempe æterno Dei regno omnia sunt præsentia, neque succedunt tempora.

252. Meus, *Æternus*, pro d. s., *Continuus.*

253. *Corona* pro æterna felicitate a Christianis scriptoribus solet adhiberi.

255. Reg. 1, Ott. 1, *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra.* Communis scriptura est *Hoc jugibus votis*, correpta prima in *jugibus*, ut alibi apud Sedulium. Cant. *precibus* pro *jugibus.* Cellarius Fabricio imputat, quod mutaverit *Jugibus hoc votis*, sed in Reg. 5 ita etiam invenio : quod eo etiam notandum est, quia hic codex vix unquam discedit ab Aldo, qui habet *Hoc jugibus votis.* In editione Ascensiana Cappusoti invenio etiam *Jugibus hoc votis*; eandem scripturam præferunt schedæ Poelm., cum addunt, *Non, hoc jugibus.* Reg. 4, *noctu ;* corrige *nocte* metri gratia. Rom., *precamur ;* retine *precemur.*

256. In Reg. 4 ita depravatus est hic versus, *Illius ut fiat in cœlo, et in terra voluntas.* Codex Artnz., *Ipsius* pro *Illius.* Arntzenius retinendum ait *Illius*, quia hæc vox emphasin habet, cum de viris inclytis, aut de diis, apud veteres scriptores profanos, est sermo.

257. In Reg. 4 videtur *ore* pro *esse*, quod unum tenendum. Cant., *hostemque malignum.*

258. Wopkensius affirmat, in *utque* abundare *que*, metri solummodo causa injectum, ut aliis in locis apud Sedulium, nempe l. III, vers. 89 ; l. IV, vers. 68, et apud Avienum, fab. 17, vers. 13. Fortasse ut hanc difficultatem declinarent, librarius in Reg. 5 scripsit, et Aldus edidit *ut cœlo, sic pellat humo.* Equidem nullam video causam, cur ita Sedulius non scripserit. Repugnant tamen vetustissima exemplaria, et Sedulius non semel addit *que* pro *etiam*, ut dicimus *hodieque.* Pro *ne* Ott. 2, et Rom. a pr. m., *nec.*

[a] In vet. cod. Juretus invenit *hujus pro mundi principem ;* et suspicatur, auctorem scripsisse *hujus mundi proprincipem.* Non placet. Paulo post reliquit scripturam mendosam veteris codicis *nec morte constium*, pro quo Gallandius conjicit *nec morte constrictum :* ita revera legitur in nonnullis Bibliothecis Patrum, nec facile mutaverim. Ita etiam retineo infra *adorato Christo* ex Biblioth. Patr., pro quo Juretus et Gallandius cum vet. cod. legunt *odorato Christo.* Recte Juretus mendum *prælia victor* correxit per *prælio victor.*

Tamquam vile solum, sævus sibi vindicet hydrus;
Sed, qui cuncta fovet, plena pietate redundans
Omnipotens animas pariter conservet, et artus :
Altera pars etenim cœli sumus, altera terræ.
Annonam fidei speramus pane diurno,
231 Ne mens nostra famem doctrinæ sentiat [umquam.
A Christo jejuna sub, qui corpore, et ore
Nos saturat, simul ipse manens verbumque, ci- [busque.
Dulcia nam Domini nostris in faucibus hærent
232 Eloquia, exsuperantque favos, atque om- [nia mella.
Debita laxari qui nobis cuncta rogamus,

OPUS PASCHALE.

terra patiatur infensum, nec terrenam corporis nostri substantiam, tamquam limo concretam, sævus coluber, ut escam suæ voracitatis invadat, ac pessimis nos suasionibus involutos squamosis nexibus amplectatur, et ambiat, donec lethalibus venenis inebrians miserabilem vitam lambendo consumat. Ideoque Dominum deprecemur assidue, ut animam pariter in nobis tueatur, et carnem ; altera namque cœli pars sumus, altera terræ semen exsistimus. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Panis alimoniam quotidiani petentibus tripartitus intelligentiæ sensus aperitur, quamquam scripturas divinas sic oporteat omnes adverti. Ergo secundum litteram specialiter frumentarii germinis panem vescendi videmur gratia postulare, et moraliter [a] ut servi Dominum deprecamur, quo diurnam consequi mereamur annonam, dum tam utriusque rationis formam de spiritali noverimus procedere disciplina. Ob hoc enim epulas victuales quotidie jubemur exposcere, nequid in crastinum reservantes, dubitare de divina pietate cernamur. Quod tamen ita laboriosum probatur, et arduum, ut a paucis viris, atque rarissimis talis queat regula custodiri. Namque Dominus ipse fidelis in omnibus, qui filios Israel productos ex Ægypto per annos in eremi sterilitate quam plurimos, sabbatico tantum parentes, quotidianis dapibus gubernavit, hoc et nobis, si fides non deficiat, se daturum evangelicis sermonibus compromisit, al- loquens suos ita discipulos inter alia, quæ docebat : *Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi.* Si vero plenius spiritaliter dicta, de quibus loquimur, velimus agnoscere, sentiemus, hunc panem divinum esse sermonem, a cujus substantiali doctrina si vacans animus vel paululum jejunaverit, magnæ famis penuriam sustinebit. Distantia siquidem non pusilla inter spiritales epulas et corporales exsistit. Illas enim parcius edere, illas [b] numquam præcipimur recusare. Hic abstinentia salubris, illic aviditas fit vitalis. Denique David meditationem Dominicæ legis exercenti die ac nocte beatitudini se his verbis prædicat inhærere : *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, et in via peccatorum non stetit, et in cathedra pestilentiæ non sedit, sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditabitur die, ac nocte.* Hæc meditatio nimirum saturat, et delectat, tamquam mellis crassa dulcedo, quæ licet alvum cito vescentis adimpleat, nectarea tamen suavitate naturæ numquam probatur horrere. Audiamus hic etiam, idem propheta quid dicat : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo!* Perfecte verba legis definivit intelligi, cum faucibus dulcia dicit esse, non auribus, hæc super mel, et favum, ori, non auditui ministrari. Nam et surdi, quibus auditus minime suffragatur, præceptis cœlestibus per oris officium legentes implentur similiter, et Apostolus ad Corinthios [c] usus

SCHOLIA.

259. Reg. 1, *sibi indicet ;* correctum recentiori manu, *sibi vindicet.* Fortasse primus librarius exarare voluit *sibi vindicet ;* nam variant codices : plerique nostri scribunt *vendicet.* Cellarius et Arntzenius ediderunt *hydros* recto casu Græco ex ms. Heinsiano. Nostri omnes, Cant., et pleræque editiones, *hydrus.* Serpens terra vescitur : hinc intelliges, quid sibi velit, *Tamquam vile solum.* Vide supra notam prosæ respondentem versui 176 hujus libri.

263. Reg. 1, Ott. 1, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Arntzen., omnes nostri mss. cum plerisque editis, *speramus*, sed in Reg. 2 correctum est per *speremus.* Id unice probat Arntzenius ; sed non propterea communem scripturam desero. Postea vers. 269 occurrit *rogamus*, quod non mutat Arntzenius. *Diurnus* pro quotidiano, ut apud Tacitum, Ambrosium, Prudentium Psychom. vers. 616, *Redeunt escæ cum sole diurno.*

265. Wopkensius conjiciebat *pectore et ore*, sed receptam lectionem sic explicari posse ait : *Qui dum nobis annonam mentis, fideique subministrat, corpore simul, et ore nos saturat.*

266. Torn. 2, mendose, *Non saturat.* Vat. 1, *Nos satiat.* Arntzenius distinguit *Nos saturat simul ipse, manens*, fortasse opinione Wopkensii, quam modo dicebam, ductus. Malo, *Nos saturat, simul ipse manens.*

267. Vat. 1, Meus, *namque dei nostris.* Reg. 5, Ald., *si faucibus* pro *in*, nullo bono sensu.

268. Arntzen. *Favos, et dulcia mella* minus eleganter. Præcessit jam *dulcia.*

269. Reg. 1, Ott. 1, et alii, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Arntzen. *nobis qui ;* alii, *qui nobis.*

[a] Erratum est in nonnullis editis *mortaliter* pro *moraliter.* Paulo post in vet. cod. erat *Quod tamen illaboriosum probatur :* emendavit Juretus.

[b] Amplector libens conjecturam Gallandii *illas numquam*, pro quo omnes editi contrario sensu *illas namque.* Mox errorem veteris libri *beatitudinis his verbis* correxit Juretus per *beatitudini se his verbis.* Laudantur verba psalmi 1, vers. 1 seq., atque iterum psalm. CXVIII, vers. 103.

[c] Infra in vet. cod. erat *Quis dubitet que solus ambigat :* locum Juretus restituit. Fermenti mentio postea occurrit ex Matth. XVI, 6, et Apostolo I ad Corinth. V, 6.

270 Nos quoque laxemus ; proprii nam cautio verbi
Spondentes manifesta tenet, graviusque soluti
Nectimur, alterius si solvere vincla negamus :
233 Incipietque pius decies millena talenta
Dimittens Dominus, si nos affligere propter
275 Denarios centum conservum senserit ullum,
Tradere confestim tortoribus, inque feroci
Carcere constricti non permittemur abire,
Donec cuncta brevem reddamus ad usque quadrantem.
234 Non quia nos Dominus, lucis via, semita pacis,

OPUS PASCHALE.

epistola, manifestavit, spiritales epulas esse doctrinam, dicens: *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, quasi infantibus in Christo vobis potum lac dedi, non cibum. Nondum enim poteratis* (I *Cor.* III, 1, 2). Quis dubitet, solusque ambigat, hæc omnia spiritaliter figurari? neque enim fuisse illos infantes, aut lactis ab Apostolo nutrimenta sumpsisse, vel stultus aliquis poterit arbitrari. Sed incipientes verba legis haurire, ac paulatim divinis imbui institutis, lactea velut infantes ebibere primordia scire convenit, quia sicut salutaris cibus est bona doctrina, sic noxius est maligna. Ideo Dominus discipulos monebat a fermento Pharisæorum, et Sadducæorum spiritaliter se cavere : sciens, acidi dogmatis viros totius dulcedinis ubertatem parvo tactu corrumpere, quoniam secundum quod ait idem Paulus apostolus, *Modicum fermentum totam massam corrumpit :* nam etsi corpus Domini nostri Jesu Christi magis esse credamus hunc panem, ab spiritali nihilominus ratione nequaquam noscitur declinare, maxime quia talis epulatio, vel talis oratio nulli gentilium, nulli Judæorum, nisi solis divinitus traditur Christianis. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Si diligentius petitionis nostræ vota metiamur, vel tribuenda nobis indulgentia, vel neganda propriis dignoscitur exemplis. Hoc enim sperare jubemur a Domino, quod cernimur dimisisse conservo. Quippe quos paris eadem lex conditionis astringit, ut debitores sicut esse nolumus, ita nec habere cupiamus. In aliorum namque personis aut absolvimur, aut ligamur. Quod si putatur incertum, de quibus debitoribus hic agatur, ponenda est excusationis infirmæ materies, et seu fortassis in culpa, sive pecunia, vel in quocumque tibi frater reus fuerit, hoc relaxa. Nam et non tam delictorum crebra præsumptio, quam pecuniariæ quantitatis inhonesta tractatio plurimis ostendit apud Dominum nexibus involutos. Quisquis enim, prout facultas virium ponderatur, egenti fuerit inhumanus, Deo, quæ sua sunt, inficiatus, abjurat, cujus pietas infinita miserorum sic tuetur angustias, ut quidquid pauperi dispensatio benigna largitur, sibi profecisse [a] testetur. In votis etiam, quæ promittimus, divina beneficia consecuti debitores exsistimus, donec ea fideli mente solvamus. Hæc igitur, quæ de pecuniariis dicta sunt debitis, etiam de cæteris peccatorum generibus diversis, quibus æterno judicio tenemur obstricti, sentire nos convenit : scientes, ob hoc æreriam similitudinem flagitiis comparatam, quoniam [b] *radix omnium malorum est avaritia* (I *Tim.* VI, 10), sine cujus semine vitioso nulla propemodum scelera generantur in malo. Hic homicidium perpetrat, ut innocenti, quod affectavit, eripiat. Alter præmio sollicitatus accepto mendacis testimonii fit jurator. Nonnullos ad lenocinium adulterini commercii coitus fœdæ redemptionis impellit. Alii furto se maculant, alii depositum negant. Sunt istis et plura similia, quibus amica semper fames auri commilitat. Nullum tamen crimen facile admittitur, cui pecuniæ ministerium minime suffragatur. Igitur divinæ pietatis munus indepti, impunitatem cœlestis indulgentiæ consecuti, quod accepimus, invicem non negemus, ne majoribus absoluti, cum parva non resolvimus, maximis iterum vinculis implicemur. Moxque Dominus ille misericors donator, debiti non exactor, qui talentorum nobis decem millia relaxavit, si propter denarios centum senserit nos strangulare conservum, sævis tradi tortoribus cuncta jubeat exigendo; inque carceralem detrusi custodiam penitus egredi non sinamur, donec luamus universa usque ad modum ultimi quadrantis amissa. *Et ne nos inducas in tentationem.* Non quod Dominus,

SCHOLIA.

271. Vet. 1, 2, Mon., *tenent ;* corrige, *tenet.*

272. Reg. 1, Ott. 2, *negemus ;* in Reg. 2 fuit *negemus*, sed eadem veteri manu correctum est per *negamus*, quæ codicum nostrorum communior est lectio. Sic etiam Arntz., Parth., Aldus, et multi editi. Alii, *negemus.* Utrumlibet rectum est : nam particula *si* cum indicativo et subjuncto promiscue usurpatur.

275. Urb., *cum servum;* lege, *conservum.* Pro *ullum* Meus *illum*, Arntzen., *unum.* Passim hæc in mss. permiscentur. Melius videretur *unum.* Nonnulli putant, secundam in *Denarios* hoc loco corripi, ut in similibus exemplis Martialis, et Dionysii Catonis. Melius alii trisyllabum per synæresin dicunt esse *Denarios.* Eodem modo hoc verbo usus est Conradus monachus apud Pezzium dissert. Isagog. ad I vol. thesaur. Anecd. pag. 3, ubi indicatur carmen, *Quod triginta argentei, quibus a Juda venditus est Christus, tempore Assyriorum regis fabricati fuerint.* Incipit : *Denariis triginta Deum vendit Galilæus.*

276. Meus non male *atque* pro *inque.*

278. Vonckius suspicatur *levem* pro *brevem*, merito dissentientibus Wopkensio, Grunero, et Arntzenio. *Brevis* sumitur pro exiguo, minuto. Vide notam ad Juvenc. l. I, vers. 554. *Ultima quam minimi reddatur portio nummi.* Avienus fab. 38 : *Te simul æve brevi debile vulgus emet.* Sic alia passim.

279. Reg. 1, Ott. I, *Et ne nos inducas in tentationem.* Sedulius junior, auctor Comment. in Matth., hos versus laudat, ut dixi Prolegom. n. 56.

in mundo. Non arbitror necessarium veterem scripturam deserere. Infra *quadrantis amissa* legendum videtur *admissa*, hoc est, commissa, seu peccata. *Sunt qui malint* amissa, *h. e.* dissipata.

[a] Erat in vet. cod., *sine profecisse.* Juretus reposuit *sibi profecisse.*

[b] Editi omnes legunt *generantur in malo.* Gallandius e sua conjectura in textum immisit *generantur*

In laqueos tentantis agat, sed cum mala nostra
Deserit, ire sinit : nam quisquis retia mundi
Deliciosa sequens, luxus, et gaudia blandæ
Perditionis amat, Deus hunc, virtutis amator,
Linquit, et ingreditur, qua se tentatio ducit.
Ab hac ergo pedem retro faciamus, et arctum
235 Corde petamus iter, tenuis qua semita [monstrat
Ire per angustam regna ad cœlestia portam.
Si cupimus vitare malum, debemus adire,
Sectarique bonum ; hic quia liberat, ille trucidat :
Hic alit, ille necat : nam quantum sidera [terris,
Ignis aquis, lumen tenebris, concordia bellis,
Vita sepulturis, tantum bona longius absunt
Dissociata malis. Dextrum quicumque, ne- [cesse est,
Aut lævum gradiatur iter. Sed dextra bonorum
236 Semita conspicuos vocat in sua gaudia [justos,
Inque tuos, Patriarcha, sinus: at læva malorum
Exercet pœnas, et ad impia tartara mittit.

OPUS PASCHALE.

qui lucis via, pacis et semita, in laqueos quemquam tentationis inducat, sed abhorrens divinis monitis non parentes, cum eos deserit, introire permittit. Omnes enim, qui lubrica sectantes mundi contagia, retibus deliciosis inclusi, luxus blandæ perditionis affectant, a Domino, qui puræ virtutis amator est, derelicti, pergunt ingredi, qua se tentatio voluptuosa pertraxerit. Ab hac igitur pedem retro nitamur abducere, semitam potius conterentes angustam, quæ tenui calle multis incognita cœlestium regnorum subit [a] arduam latenter ad portam. *Sed libera nos a malo.* Cum liberari nos a malo deprecamur, bonum esse, quem petimus, ut nos liberet, confitemur. Nec immerito sectandus iste, qui liberat, ille fugiendus est, qui trucidat. In hoc enim per bonos fructus arbores vitæ [b], in illo per malos radix prævaricationis antiquæ actus. Namque fructus intelligi evangelica lectio declaravit, ubi Dominus varias diversorum mentes aperiens, ex suis quemque fructibus, id est, ex operibus jussit agnosci, dicens : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Siquidem quanta distantia cœlum separatur a terris, ignis ab aquis, lumen a tenebris, pax a bellis, vita nihilominus [c] a sepulcris, tantum magnæ remotionis abscessu longius bona discernuntur a malis. Duplex etenim semper electio deliberationis nostræ famulatur arbitrio, quo vel dextrum teneamus tramitem, vel sinistrum; non ignari, nec dubii, dextram semitam esse justorum in Abrahæ Patriarchæ sinu lætantium : lævam vero profundis impiorum suppliciis deputatam. Unde nullus ad alterum [d] per tam grande chaos, et abruptæ molis immensum valeat transmeare periculum. Hæc est igitur

SCHOLIA.

280. In Ott. 1, ex *agat* videtur factum *agit*, quod stare quidem potest.

284. Ottob. 1, *Linquet*, correctum ibidem *Linquit*.

285. Cellarius, et Arntzenius ediderunt *Nos hac ergo pedem retro abducamus, et arctum*. Ex ms. Lips. sumpsit Cellarius *Nos hac*, qui contra metrum esse dicit *Ab hac*. Ut huic incommodo occurrant, Arntzen. et Meus exhibent *Ex hac*. Pro *retro faciamus*, quod in codicibus scriptis repertum Cellarius durum existimabat, reposuit ex Prosa *retro abducamus*. Sic Virgilius l. v, vers. 428, *Abduxere retro*. At Burmannus defendit *retro faciamus* ex Casaubono ad Suetonium August. cap. 16. Aliter hunc versum reformarunt edd. Poelm., Bas., Fabr., Torn. 3, Bibl Lugdun. Patrum. *Jugibus hanc igitur studiis vitemus, et arctum*. Melius autem esset ad Sedulii consuetum scribendi morem transponere *Hanc igitur jugibus studiis*, ut observat Arntzenius : nam Sedulius primam in *jugis* corripere solet. Vera autem scriptura est, quam Cellarius et Arntzenius sine necessitate deserunt, *Ab hac ergo pedem retro faciamus*. Ita mss. nostri Reg. 1, 2, 4, 5. Ott. 1, 2, Vatt. 1, 2, Urb., Rom., Ang., Alb., cum alibi laudato vetustissimo, ut videtur, codice Taurinensi; Parrh., Aldo, et aliis editis. *Ab* producitur ob aspirationem sequentis vocis *hac*, quæ vim consonantis habet, velut ad Prudentium, Dracontium, et Juvencum sæpe monui. Minus quidem usitatum est *retro pedem faciamus*, quam *retro pedem feramus*, aut, quod metro congrueret, *referamus* : sed verba codicum, quæ retineri possunt, mutari non debent. Dubitari etiam potest, an Sedulius phrasi nautica usus fuerit : nam *facere pedem* est velum expandere, ut ventum concipiat, extensis imis funibus, qui pes veli dicuntur. Fortasse ergo apud Sedulium *retro facere pedem* est navem, seu cursum in contrariam partem dirigere. Qua explicatione metaphora in sequentibus nonnihil variat.

287. Fortasse imitatione Juvenci l. 1, 717, al. 683 : *Ite per angustam, justi, supra sidera portam.*

288. Reg. 1, Ottobon. 1, *Libera nos a malo.* Meus, *Si cupiamus* : metri lex poscit, *Si cupimus.* Pro diabolo adhibet masculino genere *malum*, ut vers. seq. pro Deo *bonum.*

295. In Reg. 4, videtur esse *malo* pro *malis.* Fabr., Cellarius, cum mss. Lips., Heins., Arntz., *cuicumque*, quod Wopkensius et Grunerus damnant. Melius quidem est *quicunque* pro *unusquisque* significatione satis obvia. Ex glossa ergo in Reg. 5, et Ald. intrusum est *unusquisque.* Plerique nostri mss. cum Parrh. et plurimis aliis editis, *quicumque.* Arntz. *necesse* sine *est.*

294. Ott. 1, *Ut* ; emenda, *Aut.* Meus, *gradiantur* ; retine *gradiatur.*

296. Reg. 4. *Inque tuo sinus paradise* : sed fortasse voluit librarius ad metri rationem *Inque tuos*, *paradise*, *sinus.* Sententia postulat *Patriarcha* : sermo enim est de sinu Abraham.

[a] In multis bibliothecis Patrum *subdit* : sed videtur cum Gallandio legendum *subit.*

[b] In vet. cod. erat *arborem vitæ* : in nonnullis bibliothecis Patrum *arbores vitæ.* Gallandius profert *arbor vitæ.* Fortasse præstiterit rescribere *arbor est vitæ.* Juretus vocem *actus* videri suspectam ait. Reponit Gallandius, legendum, vel intelligendum *per malos....actus.* Ita quidem syntaxis implexa est, sed fortasse ex ingenio Sedulii.

[c] Ita esse in vet. cod. notatum voluit Juretus.

[d] Juretus videtur retinuisse veteris codicis lectionem *nullus adulterum*, quæ sane mendosa est. Alii referunt *nullus ad alterum*, quod ferri potest : alii *nullus ad ulterum* nullo sensu.

Ergo agnis, ovibusque Dei est hæc sola vo- [luntas,

Et bona libertas, evadere torva cruenti
Ora lupi, vitaque frui per pascua Christi.

OPUS PASCHALE.

nobis libertas optabilis, ut oves et agni summi pastoris si fuerimus digni censeri, torvos mereamur lupi morsus evadere, atque suavissima Christi per pascua largi floris amœnitate gratissima vitam carpere jam securam.

SCHOLIA.

297. Cant., Reg. 4, Ott. 1, 2, Rom., Urb., et ed. Lips., *ducit*. Ott. 1, pro d. s., cum reliquis, *mittit*, ut Virgilius l. VI Æn. vers. 537 : *At læva malorum — Exercet pœnas, et ad impia tartara mittit.* Cellarius edidit *mittet*, quod, nescio, an casu illi exciderit.

300. Post hunc versum Reg. 1, 2, Vat. 1, *Explicit liber I. Incipit II.* Ott. 1, *Explicit liber Sedulii primus novi Testamenti. Incipit liber II.* Reg. 5, *Mirabilium divinorum liber secundus.* Ott. 2, *Finis orationis Jesu. Incipit liber secundus. Miracula et facta Christi.* Urb., *Egregii Sedulii episcopi de novi Testamenti historia liber secundus explicit, tractans de vita, virtutibus, et conversatione Domini nostri Jesu Christi. Incipit ejusdem liber tertius de miraculis, atque mirabilibus signis Redemptoris unigeniti Dei, et Domini nostri, et primo quomodo ad nuptias invitatus, hydrias sex aquæ mirabiliter convertit in lene merum.* In Vat. 2, Rom., et meo cod., non indicatur divisio libri. In Reg. 4, desiderantur reliqua, et post vers. *Ora lupi* sequitur *Ars Phocæ grammatici.* Codex Taurinensis, *Explicit liber primus novi Testamenti. Incipit liber secundus. Legenti vita perpetua.* Sic in Catalogo mss.; at in descriptione doctissimi Comitis Napione solum lego...*er Primus. Incipit liber secundus. Legenti vita perpetua.* In Alb. *Explicit novi Testamenti liber secundus. Incipit tertius.* Sed hæc ita intelligenda sunt, ut incipiat liber tertius carminis, qui tamen est secundus novi Testamenti, ut in Prolegomenis uberius explicatum est.

LIBER TERTIUS.

237 Prima suæ Dominus, thalamis dignatus [adesse,
Virtutis documenta dedit, convivaque præsens
Pascere, non pasci, veniens, mirabile! fusas
In vinum convertit àquas; amittere gaudent
Pallorem latices, mutavit læta saporem

Unda suum, largita merum, mensasque per [omnes
Dulcia non nato rubuerunt pocula musto.
Implevit sex ergo lacus hoc nectare Christus;
238 Quippe ferax qui vitis erat, virtute colona
Omnia fructificans, cujus sub tegmine blando

OPUS PASCHALE.

Prima Dominus nuptiis interesse dignatus virtutis suæ documenta patefecit, ubi conviva præcipuus divinam reserans potestatem, non pasci visus est, sed pavisse. Defuerant namque vina solemnibus, et inter epularum cumulos ferculis aggregatos, tantum vacuati calices mera siccitate torpebant. Terrenus abscesserat potus, scilicet ut cœlestis intraret. Convertit Christus ergo tunc latices in vini speciem transeuntes. Amiserunt aquæ, quod natæ sunt, aquis indigentes ad potum, undaque nobilior facta, quam genita, colorem mutavit pariter, et nomen. Cunctis denique mustum dulce rubebat in poculis, ac per omnium jucunda mensarum captos suavitate convivas haustus fluminei nectaris ebriabant. Stupebant fontium ministri sex hydrias, quas aquis impleverant, vino redundante fuscatas, subitaque Christi tota fervisse vindemia, quippe qui vitis aderat virtutis colona, nata fructifera sub æthereæ frondis umbraculo, nutriens racemos spiritalis pampini semper amœnitate victuros.

SCHOLIA.

1. Vat. 1, *Ubi aquam in vinum convertit.* Reg. 2, *De miraculo aquæ conversæ in vinum.* Rom. *Ubi Dominus vocatus ad nuptias, convertit aquam in vinum.*

4. Cellarius ex mss. reposuit *amittere*, cum vulgo reperisset *dimittere.* Nostri etiam omnes mss. *amittere* cum editionibus Parrhasii, et Aldi, nisi quod in hac mendose est *ammittere*, ut legitur etiam in cod. Ang., et Alb.

5. Cant., Fabr., et nonnulli alii vulgati, *læsa* pro *læta*: hoc retinendum. Nebrissensis hæc notat ad verbum *Pallorem: Qui color est vini optimi in genere vini albi, gilvum appellant;* et ad verbum *rubuerunt: Quædam hydriæ in vinum gilvum, quædam in rubrum mutatæ sunt.* At vero Sedulius asserit, aquas amisisse paliorem suum, non sumpsisse pallorem vini. Notant viri eruditi, in Palæstina vina alia non fuisse, nisi rubra; neque ad Christi sanguinem figurandum aliud symbolum aptius vino rubro inveniri potuit.

8. *Lacus* accipi solet pro vase amplo, in quo mustum recipitur. Sic Cicero, Ovidius, Columella, Nemesius, et alii id verbum usurparunt.

9. In Ott. 1, *verax*, bene correctum, ut videtur, per *feraæ.* Plerique nostri mss. Ang., Alb., Reg. 2, 5, Vatt. 1, 2, Meus, Urb., Rom., Reg. 1, pro d. script., Ott. 1, a secunda m., cum Arntz., Parrh., Ald., et schedis Poelm., *virtute colenda.* Ott. 2, Reg. 1, a pr. m., Ott. 1, a pr. m., *colona*, quod Prosa, et plerique editi retinent. Nebrissensis exponit *virtute colona, id est, agricolante.* Ex prosa aliud arguitur: dicitur enim *vitis virtutis colona*, nisi legendum sit *virtute.*

10. Meus, *fructiferans;* pro d. s. melius *fructificans*, quod Calpurnii atque Tertulliani verbum est: nam alterum ad barbara rejici debet.

Mitis inocciduas enutrit pampinus uvas.
Post regulus nato quidam moriente rogabat
Flebilis, et supplex Dominum, quo viseret ægrum
Febre laborantem puerum, trepidamque veretur
Labi animam de sede sua; tunc larga potestas,
Credenti quæ nulla negat, nec dona retardat,
239 Velocem comitata fidem, sermone salutem
Concedens facili: Vivit jam filius, inquit,
Perge, tuus. Quantum imperii fert jussio Christi!

A 20 Non dixit, Victurus erit, sed, Jam quia vivit,
More Dei, qui cuncta prius, quam nata, videndo,
Præteritum cernit, quidquid vult esse futurum.
Inde salutiferis incedens gressibus, urbes,
Oppida, rura, casas, vicos, castella peragrans,
25 Omnia depulsis sanabat corpora morbis.
Ecce autem medio clamans ex agmine turbæ
Leprosus poscebat opem, variosque per artus
Plus candore miser: Si vis, Domine, inquit,
240 Me maculis mundare potes. Volo, Christus ut inquit,
30 Confestim redit una cutis, proprioque decore

OPUS PASCHALE.

Deinde regulus quispiam Domino flebiliter supplicabat, ut ægrum morientis filii relevaret incommodum, deque sede corporea anxiantis animam labi prohiberet infirmam. Tunc divinæ potestatis humanitas, quæ credenti nil denegat, nec donum dilatione suspendit, quod comitatu fidei non recedit, plenam puero sospitatem voce præstitit, sermone concessit. Ita namque respondit: *Vade, filius tuus vivit.* Quam imperiosa Domini potestas est, quamque magnifica! non victurum annuit, sed jam vivere designavit. Hoc enim divinitatis est singulare, ut omne cernat præteritum, quidquid decreverat affuturum.

Inde per diversas urbes, et compita, perque rura,

B et vicos, et castra, salutiferos gressus accommodans, cuncta depulsis morborum [a] vitiis membra sanabat.

Cum repente de medio stipantis turbæ concilio varia leprosus infelicitate perfusus, et obsceno factus candore miserior, Dominum, sic inquiens, postulabat: *Domine, si vis, potes me mundare.* Non fuit supplicis isto parva fides in verbo, qui suæ mundationis effectum in divina tantum voluntate credidit institutum. Namque, ut eum Dominus sacra contigit manu, dicens, *Volo, mundare*, confestim bicolor ægritudo discessit, ponensque maculosæ cutis horrorem peregrina corpus caruit fœditate. Cernebatur a populis repentino [b] mutatus auxilio, sanamque

SCHOLIA.

11. Vet. 1, Mon., et Poelm. *Mitis*. In Ott. 1, dubium est *Mitis*, an *Vitis*. Vera lectio est *Mitis*. Virgilius lib. I Georg. vers. 448, *Heu! male tum mites defendet pampinus uvas*. Nonnulli vulgati male scribunt *in occiduas* pro *inocciduas*, h. e. *non perituras*, ut in glossis explicatur. Parrh., Ang., et schedæ Poelm., *emittit*: mss. alii nostri cum plerisque editis melius *enutrit*.

12. Ott. 1, *De Filio reguli*. Meus, *Absentem liberat puerum reguli*. Omnes nostri mss. *Post regulus nato quidam*, excepto recentissimo codice Reg. 5, ubi legitur *Regulus hinc nato quidam*. Aldus cum mss. ediderat *Post regulus*, in Erratis correxit *Regulus hinc nato*. Aldum, ut puto, secutus est Fabricius quamvis Cellarius Fabricio ascribere videatur, quod verba codicum mss. ipse transposuerit. Cappusotus, Parrhasius, aliæque editiones veteres, cum mss. Arntz., Cantabr., et Taurinensi miræ antiquitatis, scripturam exemplarium mss. nostrorum confirmant. Nihilominus Cellarius, et Arntzenius, metri solliciti, retinuerunt *Regulus hinc nato*. Verior tamen est altera lectio, sive Sedulius syllabæ quantitatem in hoc nomine, ut in quibusdam aliis, contempserit, sive originem a *rego* secutus, primam in *regulus* corripi posse existimaverit.

13. *Flebilis* pro flente, ut *fragilis* sumitur pro fracto, *fugitivus* pro fugiente vel fugato, *sanabilis* pro sanato, *mutabilis* pro mutato, *fugax* pro fugiente, et similia.

15. Vat. 2, *animum*; alii *animam*. Sic vers. 112, *Lapsumque animam*.

16. Parrhas., et schedæ Poelm. *quia nulla*.

17. Vat. 1, *Velocem est comitata*: melius omittitur *est*.

21. Meus, *quia cuncta prius quam nota videndo*, minus bene. Sedulius, ut observat Nebrissensis, in his verbis, *prius quam nata*, videtur intelligere, filium Reguli non illico sanatum fuisse. Evangelista vero Joannes, IV, 52 seq., refert, sanatum fuisse ea ipsa hora, qua dixit Jesus: *Filius tuus vivit*. Neque certe aliud sentit Sedulius, cum ait: *Sermone salutem — Concedens facili*. Non ergo paritatis ratio contra apertam Sedulii mentem protrahenda est.

23. Rom. *De sanatione leprosi*. Meus, *Leprosum mundat*. Poelm., *Varii languores tolluntur*. Non omittam Nebrissensis notam: *Omne oppidum est urbs præter Romam, quæ non est oppidum. Rura, quæ coluntur. Casas, tuguria in agris. Vicos, qui muro non sunt circumdati, sicut castella, quæ sunt muro cincta.*

26. Poelm. *Leprosus mundatur*. In aliis inscriptio præponitur versui 23. Reg. 1, 2, Vatt. 1, 2, Rom., Ottob., 2, Ang., Cantabr., Arntz., Alb., ed. Lips., Parrh., Cellar., *mediæ*. Reg. 5, Meus; Ald., Vet. 1, 2, Grunerus, et Arntzenius, *medio*. Ottob. 1, *medio*, sed videtur correctum per *mediæ*. Prosa magis suadet *medio*: sed præstantiores mss. præferunt *mediæ*. In Urb. mendum est *media*.

28. Vet. 1, 2, *nitens*: sed *miser* defenditur ex mss., et Prosa. Vat. 1, *Deus* pro *Domine*, quod retinendum vel ex ipso Evangelio.

29. Cellarius et Grunerus cum nonnullis editis *purgare*, quod verbum huic rei accommodatum quidem est: sed nihilominus Arntzenius cap. 9 Specim. Observat. multis probat, præferendum esse *mundare* ex Prosa, ex ms. Arntz., edd. Parrh., Fabr., Mon., et aliis. Adde mss. nostros Rom., Meum a pr. m., Alb., Reg. 1, 2, 5, Vatt. 1, 2, Ott. 1, 2, et Urb. Meus *at*, melius *ut*.

[a] Advertit Juretus, solemne fuisse librariis affinitate litterarum *b* et *m* errare; ut in vet. cod. erat *mormorum* pro *morborum*.

[b] Pro *mutatus* in vet. cod. scriptum erat *motatus*. Postea libenter legerem *vera magis in specie, suoque minus agnosci visus est in colore*, h. e., vix, aut minus agnitus fuit, cum ad suum colorem rediit.

Læta peregrinam mutarunt membra figuram,
Inque suo magis agnitus est vix ille colore.
Forte Petri validæ torrebat lampadis æstu
Febris anhela socrum, dubioque in funere pendens
Saucia sub gelidis ardebat vita periclis,
Immensusque calor frigus lethale coquebat.
241 At postquam fessos Domini manus attigit artus,
Igneus ardor abit, totisque exstincta medullis,
Fonte latentis aquæ cecidit violentia flammæ.
Quin etiam rabidas nigrorum depulit iras

Spirituum, ne flatus atrox laceraret iniqua
Peste homines, operisque Dei vexaret honorem,
Quem norat non esse Dei; passimque catervas,
Ut pius, innumeras pulso languore saluti
Reddidit, et varia populos a clade levavit.
242 Inde marina petens, arentes gressibus algas
Pressit, et exiguæ conscendens robora cymbæ,
Æquoreas intravit aquas; Dominumque sequentes
Discipuli, placido librabant carbasa ponto.

OPUS PASCHALE.

proferens jam figuram, vera magis in specie quoque, minus agnosci visus est in colore.

Petri socrum violenter affectam, correptis igne visceribus, anhela febris urgebat, validique lampas ardoris æstuantibus acriter medullis insederat. Pendebat sors animæ trepidantis ambigua inter funus et vitam, gelidæque mortis adventus nimis coquebatur flamma membrorum. At ubi Dominus ægram periculis involutam tactu salutifero visitavit, lethale subito fugit incendium, vivaci fonte restinctum, surgensque mulier sospitata, sedulis officiosa servitiis, quæ modo languerat, sui medici fit ministra.

Quin etiam diabolicæ severitatis insaniam a membris sæpius humanæ miscricors collisionis exclusit, ne in divinitatis opus insertus sæviret spiritus non divinus; passimque catervis innumeris usum corporis sauciati morbis fugientibus reformavit, atque varia [a] populos clade languoris periculo deficiente subtraxit.

Dein littoreas arenosi callis oras obambulans, parvæ lintris tabulata conscendit, ac, discipulis comitantibus, cœperat transfretare. Cumque motu carbasi tumentis impulsa procul a littore veheretur jam carina, surgit hyems immitis, et aspera, totum mare funditus procellis exagitans, ac puppim, fluctu recedente submersam, undis iterum tumentibus allevabat. Turbaverat mœstos salus desperata discipulos, nullumque remedium in sua prorsus arte consistere

SCHOLIA.

32. Arntz. *Inque suo magis agnitus est vix ipse colore.* Ang., Alb., *Inque suo magis est vix agnitus.* Alii, *Inque suo magis agnitus est vix ille colore.* Reg. 5, Ald., *cognitus* pro *agnitus.* In Reg. 1, glossa hæc est, *Plus in suo, quam in alieno colore vix est cognitus.* Vet. 1, 2. et Mon., male distinguunt, *Inque suo (magis est) vix agnitus.* Ed. Lips. mendose *vir agnitus.* Wopkensius cum Cellario *magis* exponit per *amplius*, vel *deinceps*, ut apud Fortunatum de Christi benef., *Nec peccatoris mortem magis eligit auctor, — Quando suis pœnis nobis dedit arma salutis.*

55. Meus, *Socrum Petri a febre liberat.* Rom. *De socru Petri.* Barthius ad Claudianum pag. 874, citat *Nam Petri.* Arntzenius Aldo affingit *Morte Petri:* sed Aldus non id habet, sed *More Petri*, quod exstat etiam in Vat. 2, et Reg. 5, et sensus esse potest, Febris more validæ lampadis torrebat æstu socrum Petri. Pro *torrebat* Cant., et nonnulli vulgati, *torquebat.* Sed multo magis consentaneum est *torrebat*, ut æstus febris exprimatur. Confer Juvencum l. 1, vers. 807: *Cujus anhela socrus æstu, febrique jacebat.*

54. Arntz., *socri*; lege, *socrum.*

36. Mon. mendose *colebat* pro *coquebat*, h. e., fovebat, vel parabat. Silius 1, 450: *Atque ubi turpe malum, Latioque extrema coquebant — Cœpta viri.* Sic etiam Livius, Statius, Sidonius, et alii.

38. Meus, *Ingens*, non ita bene, atque *Igneus.* Reg. 5, *erat;* Aldus cum ceteris edidit *abit*, in Erratis posuit *erat.*

40. Meus, *Multos liberat a spiritibus.* Poelm., *Dæmonia, omnesque morbi depelluntur.* Rom., Meus, *rapidas*, quod interdum cum *rabidas* in mss. commutatur. Huic loco magis convenit *rabidas.*

42. Vonckius fidenter affirmat, legendum *fœdaret honorem*, quia honos alicujus insulse dicitur vexari. Sed præterquam quod novum non est *vexare famam alicujus*, quod dixit Aurelius Victor Epit. cap. 52, hoc loco *bonos* operis dei ponitur pro homine, qui honos est operis Dei. Glossa in Reg. 1 est, *Quem sic vexabat, ut videretur nescire, Dei imaginem esse hominem.* Cellarius exponit, *Quem hominem honorifice creatum novit flatus ille malus non esse Deo devotum.* Melius cum prosa, *quem flatum Deus norat non esse divinum.*

43. Rom., Urb. et Ang., *noverat*, resistente metro. Vat. 2, Reg. 5, et Ald., *non esse deum.* Nebrissensis conjiciebat *non esse reum*, h. e., culpa dignum. In editione Westhemeri cum comm. Nebrissensis sic referuntur in notis verba Sedulii: *Quem notat non esse Deum.* Mendum puto esse *notat*, cum metro adversetur. Scriptura communis est *non esse Dei.*

44. Reg. 1, 2, 5, Vatt. 1, 2, Ang., Alb., Ott. 2,, Urb., Meus, Rom., *Ut pius*, h. e., utpote pius, nam dæmon contra est spiritus atrox. Hanc scripturam ex cod. Arntz., schedis Poelm., Ald., et aliis, amplexus est Arntzenius contra alios, qui ediderant *Ut prius* cum Parrhasio. Eandem lectionem *Ut pius* comprobat vetus codex Taurinensis, et tuetur prosa.

45. Vat. 1, *a clade resolvit.*

46. Meus, *Imperat tempestati.* Rom. *Ubi Dominus sedavit mare.*

47. In Reg. 2, ex *cymbæ* factum est *lymbæ* cum glossa *parvæ navis, lintris.* Verum *lymbæ* nihil significat; fortasse librarius voluit scribere *limbi*: sic enim nonnemo scribit pro *lembi.* Verum *exiguæ* posscit *cymbæ*, nisi aliquis malit *lintris.*

48. Burmannus pro *sequentes* conjiciebat *vehentes.* At Sedulius Matthæi verba expressit cap. 8, vers. 23: *Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus.*

49. Arntz. *Nautica discipuli librabant.* Barthius, l. xxxv Advers. cap. 10, citat *carbasa vento.* Usitatius quidem est *carbasa præbere vento*, et similia: sed defenditur *ponto* ex Seneca Med. v. 318, *Pandere*

[a] Male in vet. cod., *aqua varia*, pro quo Juretus restituit, *atque varia.*

Jam procul a terris fuerat ratis, actaque flabris A
Sulcabat medium puppis secura profundum,
Cum subito fera surgit hiems, pelagusque pro-
[cellis
Vertitur, et trepidam quatiunt vada salsa ca-
[rinam.
Perculerat formido animos, seseque putabant
Naufraga littoreis jam tendere brachia saxis.
Ipse autem placidum carpebat pectore somnum,
243 Majestate vigil, quia non dormitat in
[ævum,
Qui regit Israel, neque prorsus dormiet unquam.
Ergo ubi pulsa quies, cunctis clamantibus una
Voce simul, Miserere citus, miserere, perimus,
Auxilio succurre pio : nil vota moratus,
Exsurgens Dominus, validis mitescere ventis
Imperat, et dicto citius tumida æquora placat.
Non erat illa feri pugnax audacia ponti,
In Dominum tumidas quæ surgere cogeret undas,
244 Nec metuenda truces agitabant flamina
[vires;
Sed lætum exsiliens Christo mare, compulit
[imum
Obsequio fervere fretum, rapidoque volatu
Moverunt avidas ventorum gaudia pennas.
Interea placido transvectus marmore, puppim

OPUS PASCHALE.

fateri cogebantur et nautæ; cuncti se denique jam B suum movere nisa sunt conditorem? absit, ut hoc perire, et aut tabularum tractibus inhærentes, aut brachiali remigio pervolutos scopulosis credebant naufragos littoribus collidendos. Christus autem, verus gubernator, ac providus [a], modico cervicali suffultus, fluctuanti dormiens quiescebat in puppi, sopitus corpore, pervigil majestate, qui secundum prophetiam Davidicam : *Non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Cumque discipulis una simul voce clamantibus, *Domine, libera nos, perimus*, exsurgit suscitatus, ventis imperat ut quiescerent, mari præcipit ut taceret, subitoque ponti pariter iter et aeris inopinata temperies præsentiæ proditrix fit divinæ. Quid igitur convenit illa de tempestate censeri? Numquidnam [b] pelagus sævas erexit procellas in C Dominum, aut seditiosum flabra luctamen contra elementa tentaverint, quod injuriam ingereret majestati. Sed ut cuncta Christi virtutibus humili devotione subjecta potius censeamus, omne creditur fretum Dominica navigatione lætissimum, quod venerit obsequens, ac procurrens ex imis undarum sedibus æstu candidiore fervescens. Sic etiam levium præpes natura ventorum puppim, qua Christus insederat, alis volucri jucunditate diffusis, tamquam regia ducis castra, cœtu famulante vallaverat. Neque enim cui violentiæ potestatis licentia suffragatur, imperioso facile cogatur obedire Domino, sicut æquorum [c] et venti, divinis Christi jussionibus inclinati, cursus rapida commotione præcipites languenti subito deposuere torpore.

Interea quin etiam gurgitis dominus lenitate transvectus, relicto navigio, per oram vicini littoris in-

SCHOLIA.

vasto — Carbasa ponto. Quid autem sit *librare carbasa*, intelligetur ex Ovidio III Fast. 585. *Vela cadunt primo, et dubia librantur ab aura*, hoc est, non intenduntur, sed laxe agitantur.

50. Vat. 1, *a terra.*

52. Rom. pro d. s., Arntzen., schedæ Poelm., *Tunc* pro *Cum.* Rom., perperam, *subita surgit.*

53. *Vada salsa* ex Virgilio l. v, vers. 158.

54. In Monast. *Pertulerat*, mendum est pro *Perculerat.*

56. In Reg. 1 est *placidum*, ut in reliquis; sed glossa *sereno* innuit *placido.*

57. Plerique nostri mss. cum Parrh., sched. Poelm., Ald., *quia non.* Nonnullæ editiones etiam antiquæ cum prosa *qui non.* In Vat. 2, dubium *qui*, an *quia* legendum. Urb. *quæ non*, scilicet *majestas.*

58. Schedæ Poelmann. scribere jubent *prorsus nec.* Sed præstat retinere scripturam communem *neque prorsus.* In Rom. error est metricus *dormitat umquam.* D

59. Reg. 1, Ott. 1, codex vetustissimus Taurinensis, Cant., edd. Vat. 1, 2; Mon., *lacrymantibus.* Mss. Alb., Reg. 2, 5; Vat. 1, Urbin., Ottob. 2, Rom., Aug., Meus cum Prosa, et plerisque editis, *clamantibus.* Vat. 2, mendose, *cunctisque clamantibus.* In Reg. 2, glossa pariter est *clamantibus*, quod arguit, aliud fuisse.

60. Parrh., schedæ Poelm., *Miserere Deus;* quod non placet: etsi enim in Prosa est *Domine*, tamen discipuli Christum *Dominum* quidem, non *Deum* tunc appellarunt. Vat. 1, Ott. 2, Aug., *Miserere cito :* elegantius alii *citus.*

63. Virgilius I Æn. 146 : *Sic ait, et dicto citius tumida æquora placat.*

68. Nonnulli editi *Obsequio servire :* majorem emphasim habet *fervere*, quo etiam etymon *freti* denotatur. Vide not. ad verba Juvenci *freta fervida* l. III, vers. 127.

69. Schedæ Poelm. *subitas*, Urb., Parrh., *rapidas*, quo ducit Prosa. Plerique *avidas*, h. e., cupidas obediendi Christo. Explicatio Cellarii, *Venti gaudebundi refugiunt, Christo imperante*, contraria est menti poetæ, qui ait, ventos gaudebundos solo obsequio in Christum circum volitantes quodammodo exsultasse. Ventis tribuuntur pennæ. Juvenalis sat. v, vers. 101, *Siccat madidas in carcere pennas.*

70. Rom. *Ubi Dominus liberavit hominem quemdam a legione dæmonum.* Meus, *Legionem dæmonum expu-*

Sedulio confundit.

[a] Juretus, Gallandius et alii, *ac profidus;* malo, *ac providus*, quæ est scriptura in quibusdam Bibliothecis Patrum, et fuit etiam conjectura Jureti. Postea occurrunt verba ex psalmo CXX, vers. 4. In multis Bibliothecis Patrum legitur *non dormitavit :* sed retinendum est *dormitabit.*

[b] Juretus testatur, in vet. cod. sic legi *Numquidnam :* quam loquendi rationem similibus exemplis confirmat Arnobii, et Sedulii junioris, auctoris Collect. in epistolas Pauli, quem male cum nostro poeta

[c] Gallandius conjectat *æquorum fluctus, et venti.* Malim *sicut æquorei venti.* In *cogatur* subaudiendum est *aliquis*, aut pro *Neque* legendum *Nemo*, scilicet nemo cogatur obedire imperioso domino, cui violentiæ potestatis licentia suffragatur, sicut, etc. Obstat tamen, quod omnes editi habent *violentiæ :* quo verbo obscurus redditur sensus. Paulo post fortasse legendum est *sævissima.*

Liquerat, et medios lustrabat passibus agros;
Cum procul e tumulis gemino stridore ruentes
Prosiluere viri, quos non mala dæmone pauco,
245 Sed legio vexabat atrox, nexuque cruento
Sæva catenatis gestabant vincla lacertis.
Angebat quoque pœna duplex. Heu! dira furoris
Conditio; qui vim patitur, magis ille ligatur.
Tunc Domini præcepta tremens, exire jubentis,
Spiritus infelix hominem non audet adire,
Effigiem repetens, quam Christum cernit habere.
246 Sed pecus, immunda gaudens luc, semper amicum
Sordibus, atque olido consuetum vivere cœno,
Pro meritis petiere suis, tristesque phalanges
Porcinum tenuere gregem : niger, hispidus, horrens
Talem quippe domum dignus fuit hospes habere.

OPUS PASCHALE.

cedebat, cum repente duo viri sævissimi turba, et dæmonum legione possessi, de sepulcralibus monumentis fremitu prosiluere terribili. Et ob hoc ferreis catenarum nexibus innodati. Heu! quam gravis est furoris conditio! Qui vim sustinet lacerantis insaniæ, illum necesse est et vinclis pœnalibus subjacere. Convenienter tamen spiritus ille nequissimus inter busta magis habitabat et cineres, cui nihil est cum vita commune. Tunc domino veniente perterritus, et a sedibus purgatæ mentis exclusus, in humanam rursus effigiem, quam Christum videbat gerere, metuens intrandi licentiam postulare, pecus immunda sordium obscœnitate lætissimum, et olentis cœni semper amicitiis involutum, pro suis adire meritis impetravit. Quippe niger, hirsutus, et horridus, propriæ deformitati consimilem studuit eligere mansionem, tristesque continuo phalangas incursus, gregem pervasit, impulit, ac necavit in marina præcipitem fluenta porcinum. Nec immerito diabolus generaliter dicitur inimicus, qui cunctis sit noxius, ut, et quos odit, impetat, et quos amat, exstinguat.

SCHOLIA.

lit de duobus viris quæ invasit gregem porcorum. Depravate exaratum est *Lege Joanne* pro *Legionem.*

72. Parrh. *gemini*, favente Prosa, sed dissentientibus mss., aliisque editis.

73. Vetustiores codices scribunt *Prosiluere*, alii *Prosiliere*. De hac varietate scribendi dixi ad Juvencum not. ad l. 1, vers. 119. Ott. 1, *malo*, supra *mala*, ad marg. videtur diversa lectio *male*. Urb. ita habet *quos non male dæmone pauco*. Reg. 5, distinguit *quos non mala, dæmone pauco — Sed legio vexabat atrox.* Vat. 1, *quos non de mala dæmone pauco, — Sed legio vexabat atrox :* sed apparet deletum *de*. In Reg. 1, glossa est *mala — pestis*. Vonckius conjectabat *quos non ala dæmone pauco, — Sed legio vexabat atrox*, correpta prima in *ala*, ut alibi quantitatem Sedulius neglexit. Rejicitur a Grunero, qui illud *mala* non ad legionem referendum ait, sed accusativum pluralem esse : opinor, voluit dicere nominativum pluralem, hoc sensu, quos non mala vexabant dæmone pauco, sed legio atrox vexabat. Wopkensio hæc explicatio parum arridet, qui proinde tentabat *quos non dæmonia pauca, — Sed legio vexabat atrox*, producta secunda in *dæmonia*, ut alia solet peccare Sedulius, vel potius *quos non malus agmine pauco, — Sed legio vexabat atrox*, nimirum ut *malus* pro dæmone accipiatur. Primam conjecturam non facile admiserim, cum Sedulius alibi secundam in *dæmone* corripiat. Altera non ita inepta est : sed etiam sic durior est constructio, quæ hoc pacto procedere deberet : Quos non malus agmine pauco, sed atroci legione vexabat. Sensus hic certe est : Quos non pauci dæmones, sed legio atrox dæmonum vexabat. Ex Vat. 1, fortasse hic sensus ita erui poterit *quos non de dæmone pauco, — Sed legio vexabat atrox*, videlicet quos non legio de dæmone pauco, sed atrox, sive ingens vexabat. Sumi enim potest legio pro quavis manu, seu turba dæmonum, quæ major, minorve esse potest. Verum dum melius aliquid affulget, teneamus primam interpretationem ex Grunero petitam, vel potius ex Nebrissensi, qui exponit : *Non mala, — repete ab inferioribus, vexabant. Pauco dæmone, — i. e., pauci dæmones mali.* Intelligi etiam potest : Quos mala legio vexabat, non dæmone pauco, sed atrox, hoc est, numerosa. Suspicari quoque licet *quos non macra dæmone pauco, — Sed legio vexabat atrox.*

75. Reg. 1, Ott. 1, in contextu, Poelm. in contextu, *gestantes*: communior codicum mss., et editorum scriptura est *gestabant*, quam Ott. 1 eadem veteri manu exhibet ad marginem. Arntzenius edidit *gestantes.*

76. Reg. 1, Ott. 1, Vat. 2, cod. Heinsii, *dura*, quod arguitur ex Prosa *gravis*. Plerique *dira*. Pœna vero erat duplex, quia et dæmonem, et vincula patiebatur.

80. Codex vetus Taurinensis *Effigiem reddit*. Reg. 1, Meus ad marg., Vulc., Nans., Torn. 1, Bas., Colon, Vet. 1, 2, Mon., schedæ Poelm., editio Poelm. in contextu, *reddens*, cujus glossa est in Reg. 1 *deserens*. Reg. 2, 5, Ottob. 1, 2, Vatt. 1, 2, Urb., Rom., Meus in contextu, Alb., Ald., Parrh., Ang., *repetens :* sed in Reg. 2, et Ott. 1, aliud videtur fuisse, quo deleto, eadem manus vetus appinxit *repetens* : in Vat. 1 exaratum erat *Effigiem non repetens*, sed erasum postea fuit *non*. Editio Poelm. ad marg., Torn. 3, Lips., Fabr., Bibl. Lugd. Patrum, *fugiens*. Ms. Cant. *linquens*. Cellarius ex conjectura intrusit *reverens :* sed conjecturis tunc demum locum relinquendum putamus, ait Grunerus, ubi in codd. apti plane nihil reperitur. Ipse ergo Grunerus eligit *fugiens*. Burmannus præfert *repetens*, vel *recolens*, h. e., animo, mente sua reputans : nam Cellarius *recolens* alicubi invenerat. Arntzius putat, *reverens* esse contra mentem Sedulii : non enim ex reverentia dæmon exiit, sed vi coactus ex imperio Christi. Aptius huic loco putat *fugiens*, sed cum id in mss. non reperiatur, ingenio alicujus eruditi tribuendum censet. Tenet igitur cum ms. Arntz. *linquens*. Antiquissima sane est lectio *reddens*, vel *reddit*, neque spernenda, si *reddens* cum glossa exponi possit per *deserens*. Verum etsi *reddo* significat *restituo, emitto, edo*, tamen pro *desero* non facile invenietur. Retineo igitur *repetens* cum plerisque mss., non tamen ea significatione, quam Burmannus volebat. Sensus enim hic est, Non audet adire hominem, revertens in effigiem, quam cernit Christum habere, sive, Non audet adire hominem, et reverti in effigiem, quam, etc. Sic paulo post ait *petiere pecus*, etc.

81. Horatius I, epist. 2, vers. 26 : *Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.* Advertit etiam Wopkensius, *semper — amicum* occurrere pariter apud Avienum, Symmachum, Aratorem, Helpidium per hyphen, ut *graveolens, semper-avarus.*

84. Edim. *Porcorum tenuere.* Alii *Porcinum*, etiam Beda de Metris, et ejus Commentator, qui tacito auctoris nomine, hunc versum excitant.

85. Arator dæmonem *hospitem* pariter vocat 2, 640 : *Hospite sit polluta suo*, etc.

Hinc alias Dominus pelago delatus in oras, A
Intravit natale solum, quo corpore nasci
Se voluit, patriamque sibi pater ipse dicavit.
247 Ecce aderant, vivum portantes, jamque [cadaver,
Bis bina cervice viri, lectoque cubantem
Vix hominem, cui vita manens sine corporis [usu
Mortis imago fuit, resolutaque membra jace- [bant
Officiis deserta suis, fluxosque per artus
Languida demissis pendebant vincula nervis.
Hunc ubi virtutum Dominus conspexit egentem
Robore, peccatis primum mundavit ademptis,
Quæ generant augmenta malis : miseroque [jacenti,
248 Surge, ait, et proprium scapulis attolle [grabatum,
Inque tuam descende domum. Nil jussa mora- [tus,
Cui fuerat concessa salus, vestigia linquens
Tandem aliena, suis lætatur vadere plantis,
Vectoremque suum grata mercede revexit.
Principis interea synagogæ filia, clauso
Functa die, superas moriens amiserat auras.
At genitor, cui finis edax spem prolis adultæ

OPUS PASCHALE.

Hinc Dominus navigio rursus famulante subvec- B tus, natalis soli fines intravit, ubique [a] creator omnium nasci se voluit, illius regionis oppidum suam patriam nuncupavit. Tunc ad eum quatuor viri cervices lecto suppositi, quemdam detulere languentem, vix adhuc hominem, jam cadaver. Cujus vita motu corporis carens funeream præludebat imaginem. Ita membra jacentia, resolutis nervorum vinculis, ac dimissis per fluxos artus, et saucios morboque marcidæ tabis alienos, uti propriis officiis non valebant. Quem ut dominus supernæ virtutis egere virium restitutione conspexit, a peccatis prius curavit absolvere, quæ malorum omnium sunt radices, ut in hominem depulso sordium squalore mundatum, tamquam præparatam sibi salus introiret in domum. Dicit ergo jacenti tunc misero, sed felici protinus futuro [b], *Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam.* Nec moratus ille parere jussis, assurgit, ex imbecilli validus, ex desperato confisus, ex moriente victurus, tollensque lectulum, quo jacebat immobilis, et ipsius arentis ligni robore factus aridior, suis tandem plantis incedere, alienis se gaudet caruisse vestigiis, gratæque mutua redhibitione mercedis vectorem proprium humeris famulantibus mox revexit.

Hæc igitur Domino faciente miracula, Principis

SCHOLIA.

86. Meus, *Paralyticum liberat.* Rom. *Ubi Dominus* C Arntzenius ex Prosa prætulit *dimissis* : sed conferri *suscitavit hominem defunctum.* Sed in hoc titulo error apertus est. — Editi nonnulli, quos secutus est Cellarius, *pelagi.* Mss. cum plerisque editis *pelago.* Sic Lucanus l. 2, vers. 88, *Pelago delatus iniquo — Hostilem in terram.*

87. Nonnulli vulgati male *de corpore*, pro *quo corpore*, videlicet quo solo voluit se nasci corpore. Matthæus cap. 9, vers. 1, ait : *Et ascendens in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam.* Sedulius exponit *natale solum*, sive Bethleem. Sed melius alii intelligunt Capharnaum, in qua civitate frequenter Jesus commorabatur.

88. Arntz. *Deus*, alii *Pater*, et glossa in Reg. 1, *qui eam jam fecerat.* Nebrissensis *Pater ipse, — cum dixit : Quoniam Nazaræus vocabitur.* Verum Sedulius de Bethleem loquitur, non de Nazareth. Pater igitur dicavit sibi, i. e., *ei* Domino patriam Bethleem, cum dixit : *Et tu Bethlehem, terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux,* D *qui regat populum meum Israel.* Syntaxis autem etsi hærere videtur, non est tamen inusitata. Melius quidem est cum glossa *pater ipse*, Christus, qui eam fecerat, vel cum Prosa *creator.*

89. *Vivum cadaver* oppositio verborum, de qua ad Dracontium l. 1, 648 : *Funera viva gerens, vivax in morte cadaver.* Chrysologus quoque *vivum cadaver* vocavit paralyticum serm. 50.

90. Juvenalis sat. 1, vers. 64, *Sexta service feratur.*

93. *Officia membrorum* dixerunt etiam Lactantius, et Juvencus. *Desertus officiis* pro *desertus ab officiis :* sic pariter præpositionem omittunt Propertius, Statius, Tacitus, Phædrus, Boetius.

94. Vat. 1, Meus, Reg. 2, *dimissis :* in Reg. 2, prius fuit *demissis*, quod cæteri nostri mss. cum Arntzen., et præstantissimis editionibus retinent.

95. Arntzenius cum solo ms. Arntz. *egere*, quod item ex Prosa confirmat. Non autem video, cur astruat, *egere* ad poetarum genium accommodatius esse, quam *egentem*, quod unanimi consensu alii mss., et editi comprobant : ni forte sententia illi arrideat, a nobis alibi explosa, non bene hujusmodi participiis versum concludi. *Virtutum*, vel *virtutis Dominus Deus* phrases sunt ecclesiasticæ, et in orationibus liturgicis receptæ.

96. Cant., Arntz., codex Burmanni, schedæ Poelm., Parrh., Ald., Lips. cum mss. nostris Ott. 1, Vat. 1, Reg. 5, Urb., Rom., Alb., Meo, *confirmat.* Alii mss., et editi, *mundavit*, quod recentiores amplectuntur ex Prosa, et simili loco l. 1, vers. 57, *Lætificata seges spinis mundatur ademptis.*

97. Fabr., et quidam alii editi, *nisero inde jacenti.*

99. Edimb. *discede*, quæ est etiam conjectura Wopkensii. Grunerus tuetur *descende*, quia solet id verbum poni pro *ire.* In Reg. 2, glossa *ascende, perge, vade.*

100. Vet. 1, *confessa :* lege *concessa.*

102. Glossa Reg. 1, *Vectorem-grabatum. Grata-placida.* Accipe nunc Nebrissensis enarrationem : *Vectorem suum, vel seipsum, vel grabatum. Mercede grata, quia ab aliis vehebatur mercede, sed non grata.*

103. Meus, *Rogat Dominum princeps sacerdotum pro filia defuncta.* Rom., *De filia principis synagogæ.* Taurinens., *Principis synagogæ filiam suscitat.*

104. Nebrissensis ad verbum *clauso die* profert

[a] Recte Gallandius advertit, legendum videri, ut constet census, *ubique*, hoc est, *et ubi :* itaque id amplector, quamvis in omnibus vulgatis sit *ibique.*

[b] In quibusdam editis lego *effecturo*, in aliis *affecturo*, in aliis mendose *furo.* Vix dubito, quin vera sit lectio *futuro*, vel *affuturo.* Infra in vet. cod. erat *ex becilli* pro *ex imbecilli.*

Sustulerat, sanctos Domini lacrymansque, ge- A [mensque
Corruit ante pedes, vix verba precantia fari
Singultu quatiente valens, Miserere parentis
Orbati, miserere senis, modo filia, dicens,
Unica, virgineis nec adhuc matura sub annis,
249 Occidit, et misero patris mihi nomen [ademit.
Affer opem, lapsamque animam per membra [refunde,
Qui totum præstare potes. Hæc inquit : et auctor
Lucis ad exstinctæ pergebat funera, gressum
Vix populo stipante movens : permixtaque tur- [bis
Ibat inundantem mulier perpessa cruorem,
Quæ magnas tenuarat opes, ut sanior esset,
Exhaustaque domo, nec proficiente medela,
Perdiderat proprium pariter cum sanguine sen- [sum.
Ast ubi credentis jam sano in pectore cœpit
Dives adesse fides, mediis immersa catervis,
Nititur aversi vel filum tangere Christi :
250 Posteriusque latens, subitam furata salu- [tem
Extrema de veste rapit, siccisque fluentis
Damnavit patulas audax fiducia venas.
Senserat ista Deus, cujus de fonte cucurrit,
Quod virtus secreta dedit, furtumque fidele

OPUS PASCHALE.

synagogæ filia vitalibus terminis occupata, supernæ B per annos duodecim mulier sauciata quæ medentibus plura conferens, nil proficiens, et facultatibus pariter vacuata prodibat, et sanguine. Sed ubi credulo jam sani cordis arcano fidelis cœpit abundare præsumptio, mediis se catervis vehementer inseruit, parvam saltem desiderans summitatem Dominici contingere vestimenti, latensque posterius, ab extrema pendentis ora laciniæ furtivam subito rapuit sospitatem. O quam rebus arduis impetrandis plus est confidere, quam rogare! Quippe venit ex corde fiducia, ex lingua preces sæpius sine corde funduntur, fiducia sine corde non nascitur. Ecce nunc femina longæ passionis supplicio desperata, venit ad medicum, non obsecrans, non gemens, non deplorans, sed tacens abstulit, quod quærebat. Stabat in ore muto silentium, et animus exclamabat ad Dominum. Mox undosi sanguinis rivos major fidei desiccavit alluvio, cunctisque gratiæ muliebris ignaris, Christum non

SCHOLIA.

versum Virgilii II Æn., *Ante diem clauso vesper componet Olympo;* et *ad superas auras*, VI Æn., *Superasque evadere ad auras.*

110. Vat. 2, *necnon*, manu fortasse recentiori, *nec adhuc.*

111. Vat. 2, Reg. 5, Ald., *mihi patris.* Elegans esset, *Occidit : heu! misero patris mihi nomen ademit.*

113. Vonckius sollicitabat, *Qui totam*, vel *Qui votum;* quem Wopkensius recte refellit, nullis probans, *totum* pro *omnia* accipi. Confer. vers. 520, l. IV Juvenci : *Totum complere licebit.* Ita locuti Ambrosius, Zeno Veronensis, Chrysologus. Deus *auctor, repertor, dominus lucis* a poetis sacris passim dicitur. In hymno S. Vincentii, quem descriptum habeo ex perveteri codice Vat. Palat. num. 833, neque editum puto, simili modo : *At contra dimicans, auctorem* D *lucis Patrem, ejusque natum.— Qui solus, ac verus est Deus, instantius tu es confessus.* Quæ est imitatio Prudentii hymno 5, Peristeph. S. Vincentii vers. 57 seqq., *Nos lucis auctorem Patrem*, etc.

116. Meus, *fluorem :* retine *cruorem.*

117. Parrh., *expendit :* alii *tenuarat.* In Reg. 1, aliud fuit, sed eadem vetus manus appinxit *tenuarat.* Rom. mendose, *tenuerat.* In Ott. 1, ex *tenuarat* factum est *tribuebat.* Minime loco moveri debet *tenuarat* pro *minuerat.*

120. Ott. 2, *credenti jam sano pectore*, quod ferri potest.

121. Ottob. 2, *mediisque* : superflua est conjunctio.

122. Ott. 2, Urb., *adversi :* lege *aversi* ex Evangelio : *Accessit retro.*

123. Vat. 1, *subito*, manu forte eadem factum *subitam.* Arator II, 1209, *Undique præcipites subitam rapuere salutem.*

125. Meus, *Sanavit*, Rom. pro d. s. *Curavit*, in textu *Damnavit*, quod mss. alii cum omnibus editis exhibent. Burmannus conjiciebat *Stagnavit*, *ut stagnare sanguinem* dici notat Faber ad Justin. l. XXXVII, c. 11. Verum Wopkensius recte explicat *Damnavit* pro *obstruxit.* Nebrissensis observat, *damno* sumi pro *constringo* ex Marcello, et Servio ad Virgilium, eclog. V, vers. 80, *Damnabis tu quoque votis.* Wopkensius pro sua interpretatione laudat Prudentium hymn. II Perist., vers. 479, *Nefanda damnet limina,—Obdens æneos pestulos :* et Hamart. vers. 650, *Damna aures, Pater alme, meas :* et Apoth. vers. 752, *Ante fores tumuli, quas saxa immania duro — Objice damnarant.* Sic Arator l. II, vers. 195, *Quin etiam custode dato signare sepulcrum — Ad geminum voluere nefas, Dominoque paratam —Surgendi damnare viam.* Cæterum *damnare aliquando* idem valere, ac damnum inferre, Hispanice *danar*, ostendi ad Dracontium l. II, vers. 316, ubi hunc etiam versum Sedulii allegavi. Sed revera hoc loco sensus postulat, *Damnavit* explicari per *obstruxit, constrinxit*, aut *impedivit, ne cruore diffluerent.*

126. Nonnulli vulgati, *cujus in fonte ;* minus bene.

Laudat, et egregiæ tribuit sua vota rapinæ.
Ventum erat ad mœsti lugentia culmina [tecti,
251 Deflentemque domum, moriens ubi virgo [jacebat
Extremum sortita diem, trepidusque tumultus
Omnia lamentis ululans implebat amaris,
Funereosque modos cantu lacrymante gemebant

A Tibicen, plangorque frequens confuderat ædes.
252 Ponite sollicita conceptos mente dolores,
Hic sopor est, Salvator ait, nec funus adesse
Credite, nec somno positam lugete puellam.
Dixerat, et gelida constrictum morte cadaver
Spiritus igne fovet, verboque immobile corpus
Suscitat, atque semel genitam bis vivere præstat.
Obstupuere animis, inopinaque vota parentes

OPUS PASCHALE.

latuit sui muneris donum, de cujus fonte emanavit, quod spes confidentis implevit, furtumque publicans tam fidele donis salutaribus remuneratur vim rapinæ.

Ventum erat interea miserandæ domus ad tecta lugentia, funus ubis virginis immaturum lacrymis B omnium jacebat expositum, cœtusque flebilis, ac tumultus universa vocibus amaræ jubilationis impleverat. Plangebant[a] gemitu modulante tibicines cantus inferis blandientes, et illætabilis multitudo discurrens crebris clamosa doloribus ædes confuderat infelices. Vetat Dominus, fleri somno compositam, vetat, mortuam lugeri victoram. Cunctis etenim corpus videbatur exstinctum. Soli Christo, qui ad vitam venerat largiendam, sopor apparebat infusus. Et hoc quidem ad ejus gloriam pertinuit singularem, quod defunctam dixerit dormientem, ut admirabilium scilicet facta virtutum parentibus monstraturus, minus se donare pronuntians, quam donabat, humanæ laudis declinaret injuriam. Tunc cadaver immobile, corpusque gelidum, et frigidæ mortis rigore constrictum, spiritus igne remolliens, imperiosæ vocis arbitrio virginem suscitavit a tartaro, semelque progenitam, vivere præstitit bis puellam. Stupebant

SCHOLIA.

128. Fabr., et nonnulli alii editi *sua dona*, quod ex Prosa firmari potest. Alii *sua vota*, h. e., vota ipsius mulieris, ea, quæ voverat, vel optaverat. In Reg. 2, aliud fuit, sed vetus eadem manus rescripsit *vota*. Paulo post, vers. 141, occurrit eadem significatione, *Inopinaque vota parentes — Aspiciunt*.

129. Editio Poelm. ad marg., Schedæ ejusdem Poelm., ed. Lips., *limina tecti* : quod quidem magis usitatum est apud poetas. Itaque Wopkensius ex conjectura volebat, mutari *culmina tecti* in *limina tecti*. Sed cum exemplaria vetera omnia consentiant C in *culmina tecti*, id retinendum est : ac fortasse Sedulius amplitudinem domus innuere voluit. Vide Barthium ad Claudianum l. I in Rufinum, vers. 205 : *Hæc mihi tecta—Culminibus majora tuis*. Alioquin *culmen tecti* pro ipso domus tecto accipi solet : sed ut *tectum*, ita etiam *culmen* pro ædibus ipsis interdum usurpatur.

130. *Morientis* peculiari significatu pro *mortua*. Verbum *jacere* de vita jam functis frequenter adhibetur.

131. Vatic. 1, ed. Lips.. *Extrémam*, quod præferendum esse putat Arntzenius, si regulis grammaticorum stemus : quia Servius ad Virgilium l. x, vers. 467, *Stat sua cuique dies*, sic habet : *Dies vero tempus vitæ : nam feminino usus est genere : cum enim masculino utimur, revera diem significamus*. Sed quidquid sit de hac distinctione, quam non religiose ab omnibus observari ipse Arntzenius fatetur, in re præsenti ipsum diem postremum vitæ vult significare Sedulius. Sic Horatius l. I, epist. 4, vers. 13 : D *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum*.

133. Arntzenius ex Prosa conjicit *cantu modulante*, videlicet tibicines gemebant cantu modulante funereos modos ; nihil tamen mutandum censet. Vat. 1, Meus, Rom., Ang., Reg. 5, Urb., Ottobon. 1, rec. m., Parrh., *gemebant*. In Ott. 1 fuit a pr. m. *gemebat*, quod schedæ Poelm. præferunt, sed ita, ut legatur *Tibicen*, non *Tibicines*. Arntz., Cant., Ald., Vet. 1, 2, Monast., Col., Lips., aliæque plures editiones cum Reg. 1, posteriori manu, et aliis mss. nostris, *gerebant*. In Reg. 1 prius erat *gerebat*. Fabr., Torn. 3, Bibl. Lugd., *ferebat*. Prosa stat pro *gemebant*.

134. Fabr., Torn. 3, schedæ Poelm., et, ut puto, Nebrissensis, *Tibicen*, quod et metro satisfacit, et bono sensu usurpari potest pro multis tibicinibus, ut *miles*, et similia, sive versu præc. legas *gemebat*, sive *gemebant*. In Ott. 2 ex *Tubines*, correctum est *Tubicines*, et recentiori manu factum *Tibicines*. In Reg. 1 etsi a pr. m. est *gerebat*, tamen exaratum est *Tibicines* cum glossa, qua indicatur, secundam esse longam. In Ang., Alb., et aliis mss., et editis, cum hoc errore metri *Tibicines*. Defendi posset *Tubicines*, C producta prima, quia tres breves concurrunt, ut fieri solet in similibus. Juvencus quidem in hoc puellæ funere tubas memorat l. II, vers. 400, et in codice Vercellensi versionis Italæ Matthæi non *tibicines*, ut in Vulgata, sed *tubicines* legitur, ut ad eum loc., et in Addendis notavi. Quod autem nonnulli dicunt, tibiam semper adhibitam fuisse in funeribus hominum minoris ætatis, id, si auctoritate Servii admittatur, intelligi debet de infantibus. Puella autem, cujus mentio nunc fit, erat duodecim annorum : adeoque locus jam erat tubis. In Reg. 2 pro *frequens* videtur prius fuisse *fremens* : quæ fortasse proba, et genuina est lectio. Sedulius enim imitatur Juvencum, sic describentem idem funus l. II, vers. 400 : *Plangentis populi fremitus, clangorque tubarum—Ultima supremæ celebrabant munera pompæ*.

136. Reg. 2, *ne funus* : sed factum recentiori manu, *nec*.

137. Poelm., mendose *lugere*.

138. Reg. 1, 2, 5, Ott. 1, 2, Vat. 2, Urb., schedæ Poelm., Parrh., Ald., *gelida*, quod epitheton est usitatum mortis. In Vat. 1, et, ut videtur, in Vat. 2, ex *gelida* factum est *gelidum*, quod editio Poelm., Vet. 1, 2, exhibent.

141. Ott. 1, *animas*, recte poster. m. correctum *animis*. Wopkensius conjicit *parentis*, ut tibicines, et alii, qui aderant, obstupuerint vota patris. Sed ex Prosa, et Evangelio Lucæ cap. VIII, perspicuum est, parentes obstupuisse. Itaque recte in Vat. 1, eadem manus prima *parentis* mutavit in *parentes*.

[a] Juretus in vet. cod. invenit *Clangebant*, reposuit *Plangebant*. Primitus etiam in codice ms. erat *tubicines* : sed librarius postea expressit *tibicines*, quod postremum rectius esse pronuntiat Juretus : quia tibiæ in funeribus tenerioris ætatis adhiberi solebant. Confer notam ad versus. Pro *inferis blandientes* non mala est conjectura Gallandii *inferiis blandientes*. Idem paulo post refert *defunctam dixerit* : pleræque bibliothecæ Patrum *defunctum dixerit*, quod equidem non ausim damnare.

Aspiciunt, versisque modis per gaudia plan- A [gunt.

253 Inde pedem referens, geminos videt [ecce sequentes
Cæcatos clamare viros : Fili inclyte David,
Decute nocturnas exstinctis vultibus umbras,
Et clarum largire diem. Quam credere tutum,
Quam sanum est cognosse Deum ! jam corde vi- [debant,
Qui lucis sensere viam ; tunc cæca precantum
Lumina, diffuso ceu torpens ignis olivo,
Sub Domini micuere manu, tactuque sereno
Instaurata suis radiarunt ora lucernis.

254 His ita dimissis, alius producitur æger,
Multiplici languore miser, qui voce relictus,
Auditu vacuus, solo per inania membra
Dæmone plenus erat : hunc protinus ordine sa- [cro
Curavit versis Deus in contraria causis,
Dæmonio vacuans, auditu, et voce reformans.
Nec minus interea proprios jubet omnia posse
Discipulos, totisque simul virtutibus implens,

OPUS PASCHALE.

parentes in filia cunctantes credere quæ videbant, B plicita, suis lucernis radiarunt ora videntia.
subitaque rei jucunditate permoti, gaudio lacrymis plus profusis, genus mutavere plangoris.

Inde peracta recidivæ lucis operatione discedens, duos conspicit viros amissis luminibus sauciatos, talibus pene vocibus deprecantes : *Miserere nostri, fili David.* Illam scilicet misericordiam deprecabantur, ut noctem removens caligantem, ex cunctis diem vultibus reformaret. Quam tutum est credere, quam sanum est in Deo studiose confidere ! Corde siquidem jam videbant qui, Christo gradiente, lucis semitam sentiebant. Tunc oculi mœsta supplicii cæcitate compressi, velut oleo torpens ignis infuso, tactu micuere Dominico, dextraque serenitatis ap-

His itaque dimissis, alius morbis et triplicibus oblatus est imbecillis, qui voce desertus, vacuatus auditu, per inania raptis usibus membra, plenus solo videbatur esse dæmonio. Hunc, conversis in contrarium causis, Dominus illico sic curavit, ut dæmonio vacuasset [a] ejecto, voce pariter, et auditu replevisset infuso.

Nec cunctatus duodecim quoque discipulis tantumdem tradere potestatis, jubet eos omnia posse perficere, quæ videbant se fecisse, totisque virtutibus opulentos mittit ad ovium indaginem perditarum, domus scilicet Israel, quia necdum per omnes jugiter gentes hujus nominis disperserat dignitatem.

SCHOLIA.

142. Codices nostri unanimi consensu, Mss. Lips., C et, ut videtur, Alb., *Quam sanum est, cognosce Deum.* Heins., Barthii, Parrh., schedæ Poelm., ac multi editi, *plangunt*. Poelm. in contextu cum aliis editis *plaudunt*. Bene id esse ait Wopkensius, h. e., exsultant : neque illi displiceret *pangunt*, i. e., hymnos canunt : præfert tamen *plangunt*, ut dici solet flere, aut lacrymari gaudio : quæ etiam fuit interpretatio Nebrissensis, et glossatoris in Reg. 1 : *Ex nimio gaudio et admiratione flent.* Huc pertinet, quod supra de contrario plangore ait : *Plangorque frequens confuderat ædes.* Favet prosa, et similis locus Victorini Pictaviensis de J. C. Deo et homine, vers. 39 : *Jussumque cadaver — Prosilit ante oculos : lætus fit plangor in omnes.*

143. Rom. *De duobus cæcis illuminatis a Domino.* Meus, *Cæci duo vident.* Urb. *Unde pedem.* Vat. 1, *Inde pedes*, ead. vet. m., *pedem.*

144. Meus, *clamore*, quod edidit Fabricius : sed retinendum *clamare.*

145. Omnes mss. nostri *Decute.* Parrhasius et D plerique editi *Discute.* Cellarius cum pluribus membranis restituit *Decute.* Vide l. II, vers. 154, *Decutit expulsas illæsis vultibus umbras.*

146. Vat. 1. *Et clare :* alii, *Et clarum.* Ott. 2, ed. Lips., *tutum est.* Meus mendose, *tuum est.* In Ott. 1 videtur fuisse *totum*, factum *tutum* cum glossa *sanum, firmum.* Communis omnium scriptura *tutum* sine *est.*

147. Parrh. *Quam sanum sit nosse Deum.* Reg. 1 in contextu, Reg. 2, 5, Ott. 1 a sec. m., Ald., et multi editi, *Quam sanum est cognosse Deum.* Ita Arntz. sine *est.* Ms. Burmanni, Reg. 1 ad marg. pro d. s., *Quam clarum est cognosse Deum.* Ott. 1 a pr. m., *Quam clarum novisse Deum.* Meus in contextu, *Quam sanum novisse Deum.* Meus pro d. s. perperam, *Quam clarum est cognoscere Deum.* Rom., *Quam sanum cognoscere Deum*, correctum *cognosce Deum.* Vat. 1 male *Quam sanum est cognoscere Deum.* Vat. 2, Urb.,

[a] Observat Juretus, *vacuasset* esse pro *vacuaret*, ut *replevisset* pro *repleret*, et l. v, cap. 7, *meruisset* pro *mereretur*. Mutatio isthæc temporum familiaris est scriptoribus sequioris ætatis.

148. Prima manus in Arntz. pro *sensere* scribit *videre*, invita prosa.

149. Reg. 1 *defuso*, factum *diffuso.* Similiter in Vat. 1, *defuso* mutatum est in *difuso.* Plerique alii mss. *diffuso.* Editi etiam variant. Burmannus probabat *defuso.* De hac varietate scribendi dixi in not. ad Dracontium l. III, vers. 75.

150. Arntz., schedæ Poelm., Parrh., Meus pro d. s., Reg. 2, Ott. 1 a sec. m., *fulsere :* alii *micuere ;* quod pro glossa vel d. s. in Reg. 2 apponitur.

151. Arntz., schedæ Poelm., Reg. 2, *micuerunt :* in Reg. 2 glossa, vel d. s., *radiarunt*, quæ communior est lectio. Editi plerique *radiarunt*, Parrh. *micuerunt.* In Ott. 1 posterior manus fecit *radiarunt.*

152. Rom. *De quodam ægro.* Poelm. *Dæmonium mutum ejicitur.*

156. Urb., Rom. errore metrico transponunt *Deus* D *versis.* Meus *versis Dominus contraria :* sed deest sensus; ad marg. pro d. s. recte *versis Deus in contraria.*

158. Rom. *Ubi Dominus dedit potestatem discipulis super omnia.*

159. Vat. 1, *totis virtutibus et simul implens.* Vonckius ait, sensum exigere *tot eosque simul.* Merito dissentit Wopkensius, qui et ipse conjicit *totosque simul*, i. e., *omnes*, sed retinet *totisque* pro *omnibus.* Notionem hanc vocis *totus* pro *omnis*, sequiori ævo adhibitam, in Virgilio et Cicerone frustra quæri affirmat idem Wopkensius. Alii similia exempla Plauti, Phædri et Hirtii allegant. Conjectura Wopkensii *totosque* reperitur in meo codice ; sed eadem manus correxit *totisque.* Hanc lectionem confirmat prosa : et exponere possumus, *integris, universis virtutibus implens.*

Ite, ait, et tristes morborum excludite pestes,
Sed domus Israel (quia necdum nomine gentes
255 Auxerat hoc omnes), cœlorum dicite reg-
[num,
Dæmoniis auferte locum, depellite lepram;
Functaque subductæ revocate cadavera vitæ.
Sumpsistis gratis, cunctis impendite gratis.
Ac velut hoc dicens, Ego vobis quippe ministris
Servandos committo greges, ego denique pastor
Sum bonus, et proprios ad victum largior agros.
Nemo meis ovibus, quæ sunt mea, pascua vendat.
Hæc in Apostolicas ideo prius edidit aures
Omnipotens, ut ab his jam sese auctore magistris
In reliquum doctrina fluens decurreret ævum.
Qualiter ex uno paradisi fonte leguntur
256 Quattuor ingentes procedere cursibus
[amnes
Ex quibus in totum sparguntur flumina mundum.
Quisquis enim deitatis opus, quod non habet ex se,
Sed, Domino tradente, gerit, sub munere puro
Suscipiet, puro dispenset munere, possit
Ut dispensator, non ut mercator haberi,
Davidisque modis vitam cantare futuram;
Intrabo in Domini requiem, quia nescio mercem.

OPUS PASCHALE.

Euntes ergo, sic admonet inter alia quæ jubebat, *prædicate, dicentes, quia propiavit regnum cœlorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmonas ejicite; gratis accepistis, gratis date.* Tamquam si diceret pastorali Dominus cura sollicitus: Ego vobis operariis utpote solertibus commendo cautius greges bonus pastor exsistens, pro quorum victuali solatio proprii juris agros impertio. Nullus itaque meis agnis et ovibus vendat pascua meæ potestati subjecta, quod ideo prius Apostolicæ tradidit disciplinæ, ut ab eorum dehinc magisterio propagata in posteros defluueret sequentis ævi doctrina, sicut [a] derivata per totius mundi limitem flumina vagantur innumera. Quisquis itaque Deitatis opus exercet, quod non proprium gerit, sed spiritali dignus traditione suscepit, puri muneris gratiam consecutus, puri muneris gratiæ sit devotus, ut dispensator potius, quam videatur esse mercator, et cantico Davidicæ jucunditatis impleto, spem sibi vitæ sic pronuntiet affuturæ [b]: *Qui non cognovi negotiationes*,

SCHOLIA.

160. Rom. *pellite*, Meus *expellite;* alii *excludite*, quod melius est, nam paulo post recurrit *depellite*.

161. Arntz., Ott. 2 cum Monast., Fabr., Lips., Poelm. aliisque editis, *Sed domui Israel*, quod defendit Wopkensius: nimirum dicite cœlorum regnum domui Israel. Fere omnes nostri mss. cum Cappusoto, Parrh., Ald., et aliis, *Sed domus Israel*, quod contra Wopkensium tuetur Grunerus, videlicet excludite pestes, sed domus Israel: nondum enim gentes aliæ hoc nomine appellabantur, ut postea Paulus Abrahamum patrem *gentium* vocavit, *gentes* Abrahami semen, filios dixit. Hæc interpretatio et lectio retinenda, quæ ex Evangelio et prosa maxime confirmatur. Quod autem in genitivo *domus* ultima corripiatur, id novum non est in Sedulio. Alia est conjectura Wopkensii *munere* pro *nomine*, quæ similiter a prosa clare damnatur.

162. Poelm. pro d. s. *Sanxerat hoc*, Rom. *ducite:* lege *dicite*, h. e., prædicate.

163. Mendum est in Reg. 5, *Dæmonis*, et in Poelm. *auferre*.

164. Cant., Parrh., Vet. 1, Bas., Torn. 1, 2, *Cunctaque*. Legendum cum plerisque *Functaque*, h. e., defuncta. Sic enim hoc verbum sumi solet, scilicet simplex pro composito.

165. Juvencus l. II, vers. 442, *Et vos haud aliter gratis impendite dona*.

168. Mon. *Cum bonus*, mendose.

169. Urb. *questus:* lege *quæ sunt*.

170. Wopkensius interpungendum censet *Ac (velut hoc dicens: Ego... vendat) Hæc in apostolicas*, etc. Prosa aliam distinctionem suadet.

171. Ms. Arntz. *ministris:* alii, favente prosa, *magistris*.

172. Cant. *discurreret:* melius alii, *decurreret;* quamquam similia verba præpositione *de* et *dis* composita sæpe inter se permutantur, neque semper significatu distinguuntur.

173. Parrhasius hunc et seqq. versus octo omittit usque ad *Exin conspicuam*. In editione Gruneri desideratur hic versus *Qualiter*, sed aperto mendo typographico, cum duo sequentes ibi legantur. Isidorus l. VI Etym., c. 16, hac eadem similitudine utitur: *Inter cætera autem concilia quatuor esse scimus venerabiles synodos, quæ totam principaliter fidem complectuntur, quasi quatuor Evangelia, vel totidem paradisi flumina*. Hoc caput a Braulione, qui Etymologias Isidori in libros digessit, accersitum videri ait annotator Isidori Grialius. Sed rationes, quas profert, minime id probant.

174. Mss. Heins. Arntzen. *irrigui* pro *ingentes*. In Vat. 2, videtur hæc vox in duas divisa *in gentes*, quod non arridet.

176. Hic et sequentes quinque versus absunt a mss. Heins., Cant., Lips., Arntz., a nostris omnibus codicibus, etiam ab Ang. et Alb., ab antiquissimo Taurinensi, ab Aldo, ab edd. Vet. 1, 2, Mon., Lips. et aliis. Editio Poelm. et aliæ eos exhibent: recentiores quoque editores Cellarius, Gruuerus, Arntzenius. Sententia eorum in prosa legitur: sed cum prosa nonnumquam in alia, quæ in carmine non sunt, excurrat, merito suspicari possumus, hos versus Sedulii non esse, sed alterius, qui ex prosa eos concinnaverit. Arntzenius ex stylo pronuntiat, hæc ab aliena manu panno Seduliano fuisse assuta. Equidem tam apertum discrimen inter hos et versus Sedulianos non video, neque difficulter credam, ipsum Sedulium, confecta prosa, hos quoque versus carmini addidisse: ex quo accidere potuit, ut in multis exemplaribus desiderentur.

177. Wopkensii conjectura *sub munere puro* pro *sub nomine puro*, ut habent editi, innititur prosæ et toti contextui: adeoque ea lectio recipienda a nobis est. Non enim ex solis editionibus vulgatam scripturam, quæ minus commoda est, retinere debemus. Respondent autem hæc versui 165, *Sumpsistis gratis, cunctis impendite gratis*.

180. Arntzenius ex prosa conjicit *Davidicisque:* id certe, vel, ut in mss. plerumque scribitur, *Daviticisque*, magis redolet Sedulium. Editi, *Davidisque*.

181. *Nescio mercem* est nescio mercator esse, ut paulo ante ait, *non ut mercator haberi;* vel *non co-*

[a] In vulgatis omissum est *sicut*, vel *ut*, et sine ullo sensu legitur *doctrina, derivata*, etc. Gallandius errorem jam advertit. In quibusdam Patrum bibliothecis mendum est *lumina* pro *flumina*.

[b] Juretus scripturam veteris exemplaris retinuit: etsi enim in Vulgata nunc legitur psalm. LXX, vers

257 Exin conspicuam synagogæ ingressus in A [aulam,
Aspicit invalidum, dimenso corpore mancum,
Seminecem membris, non totum vivere, cujus
Arida torpentem damnarat dextera partem;
Imperioque medens, gelidam recalescere palmam
Præcipit, et reduci divino more saluti,
258 Sicut semper agit, nil tollit, et omnia reddit.

En iterum veteres instaurans lubricus artes
Ille chelydrus adest, nigri qui felle veneni
Lividus, humano gaudet pinguescere tabo,
Quodque per alternos toties disperserat ægros
Virus, in unius progressus viscera fudit:
Cui vocem, lumenque tulit, triplicique furore
Saucia membra tenens, mutum quatiebat, et [orbum.

OPUS PASCHALE.

introibo in potentiam Domini. Nullus namque sine Domini largitate potest habere famulus, quod ministret, aut unde dona distribuat, si non acceperit, quæ dependat. Paulum audiamus apostolum similiter hæc dicentem: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur*. Et iterum monet idem doctor, et dicit: *Quid autem habes, quod non accepisti? quod si accepisti, quid gloriaris, quasi qui non acceperis?*

Synagogam deinde Dominus cum fuisset ingressus, cernit invalidum stupore dimensi corporis mancum, membris seminecem sauciatis, totum nec vivere, nec obire, cujus arentem dextram pigri torporis glacies amputaverat, desperatis usibus jam sopitam. Tunc imperioso potenter auxilio palmam meruit, cessantibus alienum in calorem sanguinis venarum motibus, animari non arte præstitit, sed jubendo concessit, dicens: *Extende manum tuam*, et extendit manum suam, et restituta est ei, sicut altera. Vere Dei munus est istud singulare, quod incessanter exercet, qui humanæ saluti nil adimit, et semper universa restituit. B

En iterum lubricus adest ille Chelydrus, et noxius instaurator, qui livido veneno fellis uberrimus, tabo pinguescere gaudet humano, quodque per multos alternis passionibus occupatos sæpe virus effudit, in unius totum membra sæviendo congessit, cui mentem rapuit, vocem clausit, lumen exstinxit, triplicesque simul clades innectens, mutum, cæcumque

SCHOLIA.

gnori negotiationes, ut ait prosa.

182. Rom. *Ubi reddidit Dominus manum cuidam manco*. — Ms. Arntz. et ed. Lips. scribunt *Exhinc*. Wopkensius melius putat *Exin continuo*, vel *Exin contiguam*. Sed nulla est causa, cur *conspicuam* rejiciatur.

183. Reg. 1, 2, Meus, Urb., Rom. *dimenso*, cujus est glossa in Reg. 1, *quasi mensuram non habente*, et in Reg. 2, *diminuto*. In Ott. 1 etiam ex *demerso* factum est *dimenso*. Grunerus id secutus est, quod etiam in ms. Burmanni exstabat, et confirmatur ex prosa. Alii mirum quantum variant. Vatt. 1, 2, Reg. 5, Ang., Ald., Poelm. in contextu, Lips., Fab., Cell., *demisso*, quod vix idoneum sensum recipit. Nebrissensis, Barth. et schedæ Poelm., *demesso*, h. e., mutilato, ut exponit Nebrissensis. In edit. Poelm. ad marg. *demessos* error est pro *demesso*. Cappusotus, Parrh., *dimerso*, vel, ut melius scribitur, in Ott. 1 a pr. m. *demerso*. Codex Arntz. *demisso*, a sec. m. mutatum in *demso*, quod forte erit *demenso*. Alb., Vet. 1, 2, Mon., Ott. 2, *dimisso*.

184. Arntzenius edidit *nec*: atque ita quidem habet prosa; sed mss. nostri cum plerisque editis *non*. Solet autem alterum pro altero usurpari; et in mss. frequenter inter se confunduntur.

185. Vet. 1, 2, et Mon., *damnaret*. Ita fuit in mss. Ottob. 1, Rom., Meo, sed emendatum est per *damnarat*. Vat. 1, repugnante metro, *damnaverat*.

187. Reg. 1, 2, 5, Ott. 1, 2, Ang., Alb., Urb., Meus, Rom., Vat. 2, Cant., Arntz., et Ald., *et reduci*, cujus glossa in Reg. 1, *reverti*, quæ indicat, *reduci* esse a *reduco*, *reducis*: sed tunc secunda esset producenda. In Reg. 2 glossa est *remeabili* a *redux*, *reducis*. Vat. 1, *ac reddit*. Parrhas. *et reddit*. Fabr. etiam *reddit*. Torn. 3, et alii, *salutem*, pro *saluti*. Arntzenius cum schedis Poelm. et aliis vulgatis, *et reddi divino more saluti*: qui non intelligit, quid sibi velit *reduci*. Atqui hæc scriptura, quæ fere omnium mss. est *Qui* pro *Quia*, ut revera Gallandius edidit. Apostoli verba sunt ex I ad Corinth. cap. IV, vers. 1, 2 et 7. Infra ad vers. 109 in prosa *antiquæ* mendum videtur pro *antiqua*. C

188. Ott. 1, *semper ait*: retine *agit*. Nebrissensis sic explicat, *Nil tollit pro mercede, vel nil diminuit*. Hoc secundum magis placet.

189. Rom. *De cæco, et muto*. Meus, *Cæcus mutus dæmoniacus liberatur*. — Aldus edidit, *Ecce iterum*.

190. Arntz., Reg. 1 a pr. m., et Ott. 1 a pr. m., *nigro*, ut apud Senecam Æd. vers. 558, *Et felle nigro tabidum spumat jecur*. In Reg. 1 et Ott. 1 correctio indicat *nigri*, quæ est communis scriptura: et passim quidem *nigrum* venenum dicitur, quod exemplis confirmare supervacaneum est.

192. Meus *Quique*: melius alii *Quodque*. Arntz. contra leges pedias omittit *que*. Sæpe in codd. mss., id accidere observat Arntzenius. Rom. *diffuderat ægros*. Sententia est, Quod alternatim plures ægros inficiens disperserat, etc.

194. Cellarius edidit *lucemque*, Fabricium, Poelmannum et nonnullos alios editos secutus. Schedæ Poelm., Arntz., Parrh. cum nostris omnibus mss., melius *lumenque*: nam *lumen*, et sæpius *lumina* in plurali, pro oculis ponitur. *Tulit* sæpe usurpatur pro *abstulit*, nimirum simplex pro composito.

195. Vonckius conjiciebat *Saucia membra terens*. Sed quanto melius est *tenens*, h. e., occupans, et quasi ditione sua continens! *Orbum* simpliciter pro *cæco*, pro *orbo visus*, aut *visu* haud facile invenies apud antiquiores Latinos. Italico sermone *orbo* cæcus est. In glossis Isidori vestigium aliquod apparet hujus significationis. Contrario modo orbati cæcos et excæcatos sese dicebant, quia oculis liberi æquabantur, ut ex veteri interprete Apollonii Tyrii et Quintiliano observat Barthius l. LVII, c. 6. Fortunatus eadem significatione, atque Sedulius, dixit lib. VIII, carmen 25, *Jugiter ille sacris meritis illuminat orbos*. D

15, *Quoniam non cognovi litteraturam, introibo in potentias Domini*, tamen multi veteres, ut Hieronymus, Augustinus, Arnobius in Comment., et Psalterium Romanum, exhibent *negotiationem* pro *litteraturam*. In bibliothecis Patrum fortasse mendum

259 Tunc Dominus mundi, lux nostra, et ser- A [mo parentis,
Sordibus exclusis, oculos atque ora novavit ;
Verbaque per verbum, per lumen lumina sur- [gunt.
Venerat et mulier, morbo contracta vetusto,
Non senio, tremebunda, gemens, incurva, ca- [ducis
Vultibus, et solam despectans cernua terram.
Quæ, Domino miserante, juges post octo de- [cemque
Membra levat messes, cœlumque, ac sidera tan- [dem

260 Cernit, et ardentem solis reminiscitur [orbem,
Totum erecta videns ; quia quos malus oppri- [mit hostis,
Ima petunt ; quos Christus alit, sine labe re- [surgunt.
Cumque dehinc populum sese in deserta se- [cutum,
Ut typicus Moyses, verusque propheta, videret
Antiquam sentire famem, majoribus actis
Antiquam monstravit opem ; tunc alite multo
Carnis opima dedit, geminis modo piscibus [auxit.

OPUS PASCHALE.

compulit insanire. Huic misericors totius mundi sal- B vator, lux nostra, sermo genitoris, obsceno spiritu turbato, visum reddidit, os novavit, perque verbum verba proficiunt, per lumen lumina reviviscunt.

Mulier quoque venerat sospitanda, veteri magis contracta morbo, quam senio, gestu tremula, gemitibus anhela, scapulis curva, vultibus inclinata, semperque despectans humilem cernua depressione tellurem. Quæ Domini virtutibus allevata post octo juges annos, ac decem, membris erecta suspensis cœlum tuetur, ac sidera, globumque solis arden- tem aliquando reminiscitur se vidisse. Quid differat, idola colentes, advertite, inter Deum, quem fugitis, et dæmonem, quem placatis, si placari tamen is possit, qui lædere non desistit. Omnes enim, quos ille possidet, opprimuntur : quos Christus jugo suavissimæ levitatis onerat, allevantur.

Inde cum populum in deserta sese prosecutum, ut Moyses typicus, et propheta verus, aspiceret antiquæ victus sterilitate deficere, maximis antiqua solatia reparavit augmentis. Tunc siquidem repentinam multæ volucris carnem, modo duorum piscium

SCHOLIA.

196. Poelm. ad marg., Fabr. et alii nonnulli vulgati, *lux vera*. Schedæ Poelm. cum nostris mss. et præstantissimis editionibus, *lux nostra*. Rom., *nostra, sermo :* metrum exigit *nostra, et sermo*.

197. Meus mendose *Moribus* pro *Sordibus*. Ed. C Lips. non male *expulsis* pro *exclusis*. Sedulius alibi etiam adhibet *excludo* pro *expello*. S. Damasus carm. 1, in laudem Davidis : *Sedibus depositis purgant penetralia cordis ;* qui versus in codice Vaticano num. 84, in quo est Psalterium ex versione S. Hieronymi, et in quodam epigrammate sub S. Hieronymi nomine, melius legitur, *Sordibus expositis*, etc., ac legi posset *expulsis*, vel *exclusis*. In alio Psalterio Hieronymi cod. Vatic. 4226, epigramma editum Hieronymi nomine tribuitur Damaso, et simili modo legitur, *Sordibus expositis*.

198. Meus corrupte *Umbraque per verbum*, ac minus eleganter *per lucem lumina*, quamvis præcesserit *lux nostra*.

199. Rom., *De muliere contracta*. Meus, *Mulier curva erigitur*. Cappusotus, *contacta ;* lege, *contracta*. Urb., ridicule, *morbo contracta venusto*.

200. Meus, Urb., *Non senio tremebunda gemens, sed curva caducis — Vultibus*, quod probari nequit. Arntzenius interpungit *incurva caducis*. Vet. 1 inter- D pungit *incurva, caducis — Vultibus*, quod non malum sensum efficit ; sed prosa aliud vult.

202. Arntz. scribit *jugis* pro *juges* ex diverso modo terminandi hujuscemodi casus plurales, *jugeis, juges*, et *jugis*. Wopkensius recte explodit conjecturam Barthii, *reserante Deo*. Certe *Domino miserante*, hoc est, beneficio Domini, probum est, magisque ex stylo ecclesiastico. Fabricius edidit *Quæ, miserante Deo, juges :* id secuti sunt nonnulli vulgati, ac defendunt schedæ Poelm., quia JUGES *primam producit*. At quid hoc refert, cum ex unanimi codicum consensu constet, Sedulium primam in *jugis* sæpe corripuisse ?

203. Meus corrupte *lavat* pro *levat*. Cant., Reg. 1, Rom., Meus, Parrhas., Reg. 2 a pr. m., obscure ; Vat. 1 ex correctione, Ott. 2, Urb., *menses*. Reg. 2 ex correctione, Reg. 5, Ald., Vat. 2, ut videtur, Vat. 1 a pr. m., Ang. et multi editi, *messes*, quod unice tenendum ex Luca c. XIII, ubi hæc mulier annis decem et octo eo morbo laborasse dicitur. *Messis* pro anno sæpe sumitur, ut *hiems, arista*, etc. Arntz., Ott. 1 in contextu, et nonnullæ editiones, *et ;* plerique mss. cum aliis editis, *ac*. Alb. ex glossa *levat annos ;* deinde *cœlum, ac sidera tandem*.

204. Reg. 2, *ac ;* alii venustius, *et*.

205. Vet. 1, *quia nos;* emendandum est, *quia quos*.

206. *Ima petunt* ex Virgilio VIII, 67.

207. Rom., *Ubi pluit manna populis Dei in deserto*. Melius Poelm., *Quinque panibus quinque millia cibantur*. Hoc enim est præcipuum capitis argumentum.

208. Plerique, atque vetustissimi nostri mss., Reg. 1, 2, 5, Vatt. 1, 2, Alb., Ottobon. 1, 2, Rom., Aug., Meus cum Cant., Parrh. et aliis editis, scribunt *Moyses*. Recentiores cum Ald. et aliis præferunt *Moses*, quia, ut advertit Grunerus, *Moyses* trisyllabum primam corripit, et secundam producit. Verum etsi exempla quædam sunt, ex quibus apparet, poetas Christianos primam in *Moyses* corripuisse, secundam produxisse, tamen difficile est in his nominibus propriis Hebræorum legem statuere, ad quam versus poetarum Christianorum refingi debeant, cum poetæ sequioris ætatis, etiam ethnici, sæpe in quibusvis nominibus propriis efferendis magnam sibi licentiam arrogaverint : qua de re disserui pluribus in Prudentianis. Quod attinet quidem ad *Moyses*, prima potius esset producenda, cum Græce scribatur per omega. Quidquid id est, nihil obstat, quominus *Moyses* sic exaratum disyllabum sit per contractionem duarum vocalium. Trisyllabum *Moyses* hoc eodem libro occurrit vers. 285.

210. Arntz., Cant. et schedæ Poelm., cum mss. nostris Reg. 2, 5, Vatic. 2, Vat. 1 ex correctione, Ottob. 2, Ang., Urb., Alb., *multo*. Sic Parrh., Ald., et multæ antiquæ editiones. Alii mss. et editi, *multa*. Utrumlibet rectum est, cum *ales* sit tam masculini, quam feminei generis.

211. Vet. 1, 2, Mon., *geminis modo panibus amplum*, et v. seq. *pluit, modo piscibus auxit*, inverso et præpostero ordine.

261 Sufficiens tunc manna pluit, modo panibus A [amplum
Quinque dedit victum per milia quinque vi- [rorum.
Cætera turba latet, numero nec clauditur ullo
Maxima parvorum legio, vel maxima matrum.
Quodque magis stupeas, cophinos ablata replerunt
Fragmina bissenos, populisque vorantibus [aucta,
Quæ redit a cunctis, non est data copia mensis.
Jamque senescentem calidi sub cærula ponti
Oceano rapiente diem, cum pallor adesset
Noctis, et astriferas induceret hesperus umbras,
262 Discipuli, solo terris residente magistro,
Undosum petiere salum, fluctuque tumente,
Torva laborantem jactabant æquora puppim,
Adversus nam flatus erat; tunc noctis opacæ
Tempore calcatas Dominus superambulat undas,
Et vasti premit arva freti, glaucisque fluentis
Circumfusa sacras lambebant marmora plantas.
Miratur stupefacta cohors, sub calle pedestri
Navigeras patuisse vias : at Petrus amicam
Doctus habere fidem, Christumque agnoscere [semper,
In medias descendit aquas, quem dextra levavit
Labentem Domini, nil tanto in gurgite passum :
263 Cui portus fuit illa manus, pelagique [viator
Libera per vitreos movit vestigia campos.
Genesar inde soli, Domino veniente, coloni

OPUS PASCHALE.

redundare fecit quantitatem. Tunc uberrimum cœlo B manna diffudit, modo quinque panibus distributis, totidem virorum millibus epulas abundare concessit. Cæteræ motus turbæ delituit, mulierum, parvulorumque multitudine numerum non habente; quodque magis amplius admireris, quisquis ista perlegeris, si necdum tibi nota didiceris, post expulsam saturatæ plebis esuriem cophinos ablata duodecim fragmentorum moles implevit. Nec tanta fuit copia, cum daret, quanta fuit in reliquiis jam fastidita, cum tollitur.

Interea sub cærulosa æstuantis unda fervoris oceano diem suscipiente præcipitem, cum stellatæ noctis proximum per pallidum nuntiaret adventum, terris magistro residente, discipuli marinum soli petivere navigium, furebatque pontus expositam fla- C bris adversantibus in carinam. Tunc umbrosæ noctis quarta fere vigilia calcatas Dominus super undas obambulans, tumidos spumosi gurgitis fluctus placido comprimebat incessu, sacraque Christi vestigia miti pelagus abluvione lambebat. Mirantur novum subito periclitantes aspectum, pedestri sub calle vias patuisse navigeras. Cunctisque nutantibus, utrum vere Dominus appareret, an oculos metu discriminis obumbratos incerta caliginis simulacra deciperent, Petrus fidei saucius, et amicus, cui familiaris gratia semper Christum agnoscere concedebat, ut ad eum pergeret, postulavit. Vocatusque, nil trepidans in marina descendit, nulla refluentis undæ rapacitate submersus, qui Dominicæ manus auxilio sublevatus potentis dexteræ tutissimum confugisset ad portum, perque vitreos salsi maris campos callem secuit, contra mentem pelagi viator existens. O fidei crescentis augmentum! pridem retia pauperis contempsit, vitæ solatium; nunc ipsam renuit vitam, quatenus veniret ad Christum.

Genesar igitur terram, cœtu comitante discipulorum, relicta Dominus navi calcabat, cujus incolæ

SCHOLIA.

212. Nonnulli vulgati *nunc :* lege *tunc*, ut vers. 210. Vide etiam, quæ proxime dixi de hoc versu.

216. Cant., Reg 1, 5, Urb., Rom., Vatt. 1, 2, cum Aldo et aliis editis, *Quoque magis*. Alii, *Quodque*, quod fortasse fuit a pr. m. in Reg. 1, ut in Reg. 2 videtur prius fuisse *Quoque*. Utraque lectio bona est. Desumptum id est ex Juvenali sat. 6, vers. 87 : *Utque magis stupeas*. Meus mendose *replent* pro *replerunt*.

218. Arntzenius cum Cellario et ms. Heinsii edidit *Redditaque a cunctis*. Reg. 1, Ott. 1, *Reddita quæ cunctis*. Reg. 1 pro d. s. ab eadem veteri m., *quæ redit a cunctis*, quod plerique alii mss. et editi exhi- D bent. Arntzenius pro hac lectione citat Parrhasium : sed is edidit *Reddita quæ cunctis*. Nostra scriptura ex prosa, *cum tollitur*, clare confirmatur.

219. Rom., *Ubi Dominus ambulavit supra mare*. Reg. 1, Meus in contextu, *calidi*, cujus glossa in Reg. 1, *ferventis*, in quo tamen fortasse prius fuit *gelidi*. Sic Meus pro d. s. cum reliquis. Magis erudita est scriptura *calidi* : fingebant enim poetæ, æquora tepescere a sole occidente. Horatius l. I, sat. 4, vers. 29 : *Hic mutat merces surgente a sole ad eum, quo — Vespertina tepet regio*. Ovidius l. I Met. 63, *Vesper, et occiduo quæ littora sole tepescunt*. Tibullus l. II, el. 5 : *Quaque patent ortus, et qua fluitantibus undis — Solis anhelantes abluit amnis equos*. Alii veteres putabant, solem quotidie Oceano exstingui : ex quo mare recalescere necesse erat. Dicitur vero sol, vel dies *senescens* pro *occidente* eo fere modo, quo *luna senescens*, *mensis senescens*, cum prope finem sunt.

224. Meus, corrupte, *Turba labrantem jacebant*, et videtur correctum *Turba* per *Perturbata*. Reg. 1, cum plerisque, *Torva* et glossa *aspera*; sed videtur prius fuisse *Turba*. In Ottob. 1 clare *Turba*. Urb., et Vatic. 2, *jactabat*. Sed lectio communis recte procedit.

225. Arntz., *ventus* pro *flatus*.

227. Vat. 2, Reg. 5, *glaucique fluentis*, quod editum est ab Aldo : sed deest sensus, nisi legas *glaucique fluenti*, scilicet marmora fluenti glauci. Wassius ad Sall. Cat. 21, p. 27, ex cod. bibl. publ. Cant. legit *siccisque fluentis*, quod Grunerus et Arntzenius præferunt. Non placet, fluenta vocari *sicca*, quia plantæ siccæ erant : neque id placuit Wopkensio, qui ipse conjiciebat *raucisque fluentis*, sed melius concludit, quæ integra sunt, movenda non esse. Arntzenius ex Aratore pro *siccisque fluentis* profert in epist. ad Vigil., *Fluctibus in mediis cui via sicca fuit*. Sed neque hoc loco fluctus vocantur *sicci :* et Sedulius ipse in prosa nullo modo *sicca* fluenta innuit.

229. Plerique, *calle*. Poelm., ad marg., *calce*. Meus in contextu *calce*, ad marg. *calle*, quod retinendum.

232. Meus, *dextera :* ut stet versus, reponendum *dextra*.

236. Rom., *Ubi Dominus sanavit quemdam ægrotum*. Meus, *Ad tactum vestis liberantur ægroti*. In Ott. 1 scribitur *Genezar*, et videtur prius fuisse *Gennezar;* Alb. exhibet *Genessar*. Meus *Ganezar*, Rom.

Infirmos traxere suos, ut fimbria saltem
Vix attacta Dei morbis mederetur acerbis;
Et quoquot tetigere, jugem sensere salutem.
264 Quam pretiosa fuit, quæ numquam [vendita vestis,
Ipsa omnes modici redimebat munere fili!
Hinc Tyrias partes, Sidoniaque arva petentem
Anxia pro natæ vitio, quam spiritus atris
Vexabat stimulis, mulier Chananæa rogabat,
Se canibus confessa parem, qui more sagaci
Semper odoratæ recubant ad limina mensæ,
Assueti refluas dominorum lambere micas.
A Vox humilis, sed celsa fides, quæ, sospite nata,
De cane fecit ovem, gentisque in sentibus ortam
Compulit Hebræi de gramine vescier agri.
Alta dehinc subiens montis juga, plebe se- [quente,
265 Millia cæcorum, claudorum millia passim,
Leprososque simul populos, surdasque catervas,
Invalidasque manus, et quidquid debile vulgi
Venerat, in priscum componit motibus usum,
Et revocata suis attemperat organa nervis.
Dumque medens ægrum refovet virtute tu- [multum,

OPUS PASCHALE.

gratum suscipientes adventum, suos diversis languoribus impeditos ad divinam sanandos præsentiam congregabant, ut fimbria saltem vestimenti ejus attacta morbis mederetur asperrimis. Et quisquis meruit hoc potiri, compos factus est mox salutis. Quam pretiosa fuit hæc vestis! vel pretium magis ista non habuit, quæ nullo venumdata commercio, parvi fili muneribus ipsa redimebat universos.

Hinc Tyri, Sidonisque prætereuntem regionis itinera, mulier Chananæa pro filiæ vitio sauciatæ, quam spiritus ater insederat, suppliciter obsecrabat, se canibus postulans exæquandam, qui dominorum mensas sagaciter non relinquunt, ut reliquias B delambentes excussas, cadentium micarum exiguitate pascantur. Vox humillima, sed fides excelsa, quæ, filia sospite, canem transtulit mox in ovem, inque sentibus suæ gentis exortam, Hebræi graminis fecit introire per pascua.

Alta dehinc juga montis ascendens, populo comitatus innumero, millia claudorum pariter et cæcorum, surdos etiam et leprosos conventus, ac manibus imbecilles, et quidquid ægrum vulgi confluxerat, usum reformavit in pristinum, suisque nervis et motibus organa debilium statuit temperata membrorum.

Dumque mirabilis operatione virtutis agmen refo-

SCHOLIA.

Genesaret. Metrum solum patitur *Genesar*, atque ita exhibet Vulgata Matth. XIV, 34: *Venerunt in terram* C *Genesar.* Ott. 2, Ang., male, *Unde soli*: pejus Urb. *in soli.* Plerique referunt *soli*, scilicet coloni soli, seu terræ Genesar. Sed in Reg. 1, 2, Vat. 1, forte fuit *solum*, quod exstat in Vat. 2, Alb., Reg. 5, Aldo, et nonnullis aliis vulgatis, ut hic sensus sit, Inde Domino veniente solum Genesar, h. e., in solum, seu terram Genesar.

258. Rom. non inepte, *Vix ac tacta.* Ottobon. 2, *morbos sanaret acerbos*, quod a manu glossatoris est, aut alicujus inepti correctoris. Arntzenius cum multis editis tenuit *morbis medeatur acerbis*, et quamvis fateatur, in ms. Arntz., Cantabr., editionibus Aldi, Lipsiensi et aliis, uti etiam in prosa, exstare *mederetur*, tamen id negligit, quia *sæpius ita a librariis peccatum fuisse, fusius alibi docuerunt viri eruditissimi.* Verum quærendum esset, an peccaverint librarii, qui scripserunt *mederetur*, an qui *medeatur*. In mss. nostris, Ang., Alb., Reg. 1, 2, 5, Vatt. 1, 2, Ott. 1, Rom., invenio *mederetur*: huc facit mendum D in ms. Urb. *mederentur*, et in meo codice *moddere-tur*, nisi id accipere malis pro *moderetur*. Parrhasius pariter edidit *mederetur*. In Reg. 2 prius fortasse aliud fuit, sed nunc clare est *mederetur* cum glossa *sanaret*. In Reg. 1 similis est glossa *medicaretur* supra *mederetur*. Pro *mederetur* stat etiam codex antiquissimus Taurinensis. Hæc igitur vera lectio censenda est, quam vetera exemplaria unice confirmant. Fortasse opponet aliquis, secundam in *mederetur* esse longam. Verum id quidem est, et hæc fuisse videtur causa, cur nonnulli editores amplexi fuerint *medeatur*. Nihilominus cum plura sint verba secundæ conjugationis, quæ aliquando ad tertiam transferuntur, ut *fulgeo*, *ferveo*, et similia, tenendum est Sedulium analogia usum, *mederetur* posuisse in tertia conjugatione, correpta secunda.

259. Primus omnium videtur fuisse Fabricius, qui transpositionem minime necessariam contra codicum fidem invexit, *Senserunt jugem, quotquot tetigere, salutem.* Fabricium alii secuti sunt. Verum primam in *jugis* sæpe corripuisse Sedulium constat.

240. Vat. 1, *nunquam est vendita;* alii omittunt *est.* Cur autem ait, nunquam venditam fuisse Christi vestem? Fortasse quia milites tunicam inconsutilem scindi noluerunt, et de illa sortiti sunt, cujus esset, ut refert Joannes XIX, 25.

242. Rom., *De Chananæa.* Meus *Filia Chananææ liberatur.*

243. Reg. 1, Ott. 1, Meus, *atris;* plerique alii mss. cum Arntz., Parrh., et Ald., *atrox*, sed in Reg. 2 prius videtur fuisse *atris*, cujus glossa nunc apparet *cum pessimis affectionibus.* Id præferendum censet Arntzenius. Bene esset *ater* cum prosa.

244. Plerique scribunt *Cananæa*, sed in Vulgata legitur *Chananæa.*

245. Planius videretur, *qui nare sagaci — Semper odorantes:* nam *mensa odorata* esset mensa odorifera. Fabricius jam edidit *nare*, sed mss. omnes et optimæ quæque editiones præferunt *more.* Prosa *sagaciter* facile in utramque scripturam trahi potest.

249. Fabricius, et cum eo nonnulli vulgati, *genitisque.* Sententia exigit *gentisque.*

250. Cellarius cum Lips. cod., *Ebraici*: plerique, *Hebræi*, aut *Ebræi*, aut *Hebrei*, pro diversa scribendi probabili ratione; sed in Ott. 1 prius videtur fuisse *Hebræo*: Cellarius cum mss. Barth. et Heins., *germine.* Ita etiam ediderat Parrhasius. Grunerus recte communem scripturam *gramine* tuetur; favet prosa.

251. Rom., *Ubi multitudo ægrotantium a Domino recepit salutem.* Meus, *Varios ægros sanat.* Wopkensius mallet *subiit.*

255. Wopkensius divinaverat *Venerat, his priscum condonat roboris usum*, vel *confirmat roboris usum*: sed advertit receptam lectionem a prosa confirmari.

256. Poelm. ad marg., *membris*, in contextu *nervis* cum prosa et aliis.

257. Rom., *Ubi Dominus satiavit quatuor millia virorum ex septem panibus, et duobus piscibus.* — Arnt-

Tertia lux aderat, sterilique in cæspite nullum
Contigerat plebs tanta cibum, nimiosque la-
[bores
Nutribat geminanda fames, si saucia callem
Turba per ingentem dapibus jejuna rediret.
Qua flexus pietate Deus, qui semper egentum
Panis adest, victumque locis sine frugibus infert,
Pisciculis paucis et septem panibus agmen
266 Pavit enorme virum, præterque infirma
[secundi
Sexus et ætatis saturavit quattuor illic
Millia vescentum; plus ut mireris, et auctas
Disce fuisse dapes, epulas nutrivit edendo
Vulgus, et attritæ creverunt morsibus escæ.
Relliquiasque suas, sportarum culmina septem,
Expavit fugitiva fames, ubi, fragmine sumpto,
Vidit abundantem modico de semine messem.
Nec tamen humano quamvis in corpore Chris-
[tum,
267 Matris ab occasu mortalia membra ge-
[rentem,
Clam fuit esse Deum, quia non absconditur ur-
[quam
Urbs in monte sedens, modio nec subditur ar-
[dens
Lychnus, anhelantem sed spargens altius ignem,

OPUS PASCHALE.

vet sauciatum, dies tertius decurrebat, et in locis arida siccitate jejunis nullam victus attigerat plebs defatigata substantiam, geminisque laboribus excitandum languens inedia nutriebat incommodum, si per callem redituris gressibus imminentem longam penuriæ sarcinam populus sustineret exhaustus [a]. Qua miseratione flexus omnipotens, qui semper largus panis est indigentum, ubi cibos impertit, ubi fruges steriles necessitas abnegarit, paucis admodum modicisque pisciculis, et septem panibus comminutis, quatuor millia virorum saturavit, præter feminarum agmen immensum, et parvulorum examen apibus coæquandum. Utque magis aliud plus mire-

B ris, auctæ sunt epulæ, dum vorantur, et cibos morsibus enutritos fecunda mensis detrimenta generarunt. Expavit proprias fames fugitiva reliquias, septem sportarum cumulis aggregatas, ubi tanti fragminis ubertate collecta vidit parvo de semine messem redundare multiplicem.

Quamvis autem humani corporis Christus a maternæ generationis occasu membra videretur ferre mortalia, latere tamen Deus esse non potuit, quia nec civitas in capite montis absconditur constituta, nec ardens cavo ponitur lucerna sub modio, sed altius elevata vivacis flammæ substantia lumen omnibus administrat. Tribus namque discipulis secum

SCHOLIA.

zen., Vat. 2, Ang., Reg. 5, Ald. et alii: *Cumque medens:* meliores mss. nostri cum Parrh., *Dumque* C *medens.*

260. Meus, *Nutrierat geminata fames.* Plerique, *Nutribat geminanda fames;* sed in Reg. 1, fortasse fuit *geminando:* quod etiam innuit glossa *multiplicando, vel crescendo.* Nebrissensis exponit *fames præsens et futura.* Virgilii est *Nutribat.*

262. Meus, schedæ Poelm., *Tunc flexus;* Wopkensius suspicatur *Quo flexa pietate*, vel *Cum flexus pietate:* sed retinet vulgatam scripturam hoc sensu: Quamobrem, vel ob quod flexus pietate Deus: quem usum pronominis relativi probat ex Hygino, Livio, Aurelio Victore. In nonnullis vulgatis mendum est *egentem.*

264. In Vet. 2, Mon., *victum locis*, desideratur *que.* Arntz., *affert* pro *infert.*

265. Cant., Ott. 2, Rom., Alb., *inorme*, quod videtur prius fuisse in Reg. 2 et Vat. 1. Eodem pertinet mendum in Urb. *inorbe.* Munkerus ad Fulgent. Myth. l. I, c. 1, hanc scribendi rationem defendit. D Plerique scribunt *enorme:* neque refert, primam corripi, nam apud poetas sequioris ævi in compositione *e* sæpe corripitur. Vide comment. ad Prudentium Cath. hymn. 8, vers. 64, *Corpus enervans*, ubi similiter aliqui scribunt *inervans.* Cod. Arntz. pro *enorme*, vel *inorme*, habet *grande*, et in Reg. 2, supra *enorme* manu glossatoris exaratum est *Vel grande.* Nebrissensis legit etiam *Pavit grande.* Id factum a librariis, ut peccatum contra metrum effugerent. Ea ratione plurima alia in poetis christianis corruperunt.

266. Vat. 2, Reg. 5, et Arntz., *Sexus, ætatis*, quod Ald., Fabr. et alii ediderunt. Vera lectio est *Sexus, et ætatis*, quin obstet, quod in obliquo *sexus* ultima corripiatur; nam id Sedulio familiare est. Meus *illi:* lege *illic.*

267. Vet. 1, male, *vescentem.* Grunerus ex Cant. et ed. Lips., *mireris adauctas.* Adhæret Arntzenius cum schedis Poelmanni, quia vocula *et* vulgatæ scri-

pturæ plane otiosa est. Verum nostri omnes mss. cum præstantissimis editionibus exhibent *et auctas*: in Urb. error *exhaustas* potius innuit *et auctas*, quam *adauctas.* Editio Poelmanni ad marg. *adauctas*, in contextu *et auctas.* Conjunctio *et* otiosa non est: immo eleganter adhibetur pro *etiam.* Ut plus mireris, disce, dapes etiam auctas fuisse.

271. Vet. 1, 2, Mon. *Explevit:* retine *Expavit.* Meus, *ut* pro *ubi.*

272. Rom., *medico:* lege *modico.* In meo codice post hunc versum inseruntur 12 versus ex Fortunato in Vita S. Martini: *Primus enim docili distinguens ordine carmen*, etc., qui charactere rubro sunt exarati. Solent enim in codicibus ejusmodi lusus reperiri, et fortasse librarius hos versus scripsit, quia in eis post elogium Juvenci laudatur Sedulius.

273. Meus: *Quomodo Dominus, præsentibus tribus discipulis, est transfiguratus.* Rom. *De Transfiguratione Domini in monte.*

274. Reg, 2, *ab hoc casu*, cum glossa, *ab hoc casu dicitur, quia infantes nascentes terram petunt.* In Reg. 1, glossa est similis, *quando cecidit a ventre matris*, sed scriptura communis aliorum est *ab occasu.* Ponitur igitur compositum *occasus* pro simplici *casus.* In Reg. 2, ex *gementem* bene correctum *gerentem.*

276. Arntzenius notat, *sedere* non dici de locis sublimioribus, qualis est urbs in monte constituta, sed de depressis, et planis, ac melius putat *jacens*, si per mss. liceret. Sed quamvis aliquando *sedere* usurpetur de his, quæ in plano et humili loco sunt, tamen sæpe adhibetur pro consistere, esse, manere in quocumque loco, sive depresso, sive excelso, quod sexcentis veterum scriptorum exemplis posset demonstrari.

277. Wopkensius conjicit *spargens latius ignem.* Sed cur displiceat *altius?* nam sive jungere velis *spargens altius*, sive *anhelantem altius*, sensus commodus eruitur, et Evangelio consentaneus. Epitheton *anhelans* sæpe a poetis, et nonnunquam ab aliis

[a] Mendose in vet. cod. *exhausus* pro *exhaustus.*

Cunctis lumen agit : radians nam testibus amplo
Discipulis fulgore tribus, velut igneus ardor
Solis, in ætheream versus splendore figuram,
Vicerat ore diem, vestemque tuentibus ipsam
268 Candida forma nivis Domini de tegmine [fulsit.
O meritum sublime trium, quibus illa videre
Contigit in mundo, quæ non sunt credita mundo!
Quid quod et Heliam, et clarum videre Moysem?
Ignotos oculis viderunt lumine cordis,
Ut major sit nostra fides, hunc esse per orbem
Principium ac finem, hunc Alpha viderier, [hunc Ω.
269 Quem medium tales circumfulsere pro- [phetæ,
Alter adhuc vivens, alter stans limine vitæ.

OPUS PASCHALE.

testibus, in excelsa montis abductis, speciem suæ gloriæ transfiguratus ostendit, et velut igneus [a] solis radiavit aspectus, nivis candorem vestibus imitatus. Cur vero divinæ majestatis splendidissimam claritatem, quam nullius aspectus potest acies intueri, solis et nivium figuræ visibili prudentissimus Evangelista contulerit, ratio manifestior docebit. Nihil est siquidem in hoc mundo sole clarius, nive candidius, et ob hoc illud specimen summæ divinitatis ratus est conferendum, qua nihil mortalibus ultra oculis probatur esse concessum. In tantum namque Domini fulgor ille præcipuus et solem superabat, et nives, ut solem quidem nivesque conspicere facile cuilibet obtutu suppeditet. Christum vero propriæ lucis claritate fulgentem cum nequirent apostoli cernere, pronis in terram vultibus conciderunt. O sublimium meritorum grande fastigium, quibus data sunt hæc in mundo cognoscere, quæ mundus non merebat [b] advertere! Quid quod et Heliam nihilominus, ac Moysem, corporalibus ignotos aspectibus, oculis interioribus cognoverunt, ut majoris fidei veritas innotescens illum α et ω, id est, initium esse finemque monstraret? Ad quem tales prophetæ visi sunt convenisse, quorum alter adhuc vivaci senio perfruatur, alterius finalem luminis metam nullus humanæ sortis excedat cursus, sidereique sermonis

SCHOLIA.

applicatur igni, ut ostendi in notis ad Dracontium. Confer Indic.

278. Vonckius conjectat *lumen alit*. Wopkensius vero defendit hanc phrasin *lumen agit* pro emittit, effundit, ex Victorino Petavionensi de J. C. Deo et homine, vers. 111 : *Regia forte poli tum primum lumen agebat*, et Drepanio Floro hymn. ad Mich. Archang. : *Consumens hostes, lumen et intus agens*. Reg. 1 et Meus distinguunt *lumen agit radians : nam testibus amplo;* et in Reg. 1, glossa conjungit *radians* cum *lychnus*, sed potest etiam conjungi cum *lumen*. Editi, *agit : radians nam*.

280. Reg. 1, Ottob. 1, *ætheriam :* alii *ætheream*. Editi pariter variant.

284. *Quæ non sunt credita mundo :* Nebrissensis exponit : Vel incredibilia, vel quia mundus eum non cognovit. Ex prosa aliud colligitur.

285. Fabr., *Heliam, et clarum virtute Moysen*. Cod. Lips., *Helian, et clarum lumine Mosen*. Cod. Heinsii, Arntz., Reg. 2, Ang., Vatt. 1, 2, Ott. 2, Alb., Urb., Rom., *Heliam, et clarum videre Moysen*, sed in Reg. 2 et Vat. 1, pro *et clarum* aliud fuit, et glossa Vat. 1 innuit, *clarum* esse adverbium pro *clare*. Ott. 1 : *Heliam et clarumque videre*. Parrh., *Heliam clarum Moysenque videri — Ignotos oculis, viderunt lumine cordis*. Wopkensius suspicatur *Heliam, et clarum, ceu sidera, Mosen*, aut *Heliam, et claro sub lumine Mosen :* observat enim Sedulium numquam fecisse trisyllabum *Moyses*. Burmannus conjicit *Helian, et clarum sidere Mosen*. Schedæ Poelm., *Heliam, et clarum denique Mosen*. Editi plerique, *Heliam, et clarum videre Moysen;* nonnulli scripturam Fabricii tenent, quæ Grunero non displicebat. Multis in recepta lectione inscitum videtur præteritum *videre* in hoc versu, et illico *viderunt* in vers. sequenti. Probabilis lectio exstat in Reg. 1, et in meo codice, et indicata est in Ottob. 1 : *Quid quod et Heliam, clarumque videre Moysem?* Connectitur enim præsens infinitivi *videre* cum *contigit*. Quid, quod illis contigit videre Heliam, et clarum Moysem? Viderunt lumine cordis ignotos oculis. Prosa vulgatæ lectioni favet : neque inelegans est præteriti repetitio.

287. Parrh. *hoc esse :* alii, *hunc esse;* in Urb. mendum est *huc esse*.

288. Plerique, *Principium ac finem, hunc alpha viderier, hunc* ω ; Reg. 1, Vat. 1, *et* pro *ac*. Nonnulli editi, ut Bas., Col., Fabr., Poelm., *hunc simul alpha*, ut hiatum fugiant contra voluntatem poetæ. Eodem spectant schedæ Poelm., *finem, sic alpha*. Parrhasius, inconcinne, *hoc esse per orbem — Alpha Deum verum, et o principium sine fine*. In Ott. 1, prius erat *videri, et hunc* ω, correctum per *viderier, hunc* ω. In Alb. et Reg. 5 desideratur ω in fine versus. Sententia hæc, qua Deus dicitur *alpha* et ω, explicata est in Proleg. ad Prudent. n. 214, not. a, et in commentar. ad hymn. 9 Cath. vers. 11.

290. In Poelm. error est *Altera adhuc*. Vat. 2, Alb., et, ut videtur, Reg. 5, *limite*, quod edidit Aldus, et exstat in Edimb. Alii, *limine*. Cant., Ott. 2, Fabr., *mortis* pro *vitæ*, quod plerique exhibent. In Arntz. prior manus dedit *mortis*, altera correxit *vitæ*. Cellarius retinet *limine vitæ*, et exponit, quia Helias (Cellarius nominat *Enoch*, sed *Heliam*, ut puto, voluit dicere) adhuc vivit, Moyses vero in limine vitæ erat, nimirum mox resurrecturus cum corpore statim post resurrectionem Christi. Wopkensius mavult *limine mortis*, seu *lethi*, nimirum existens, seu versans in morte : ita enim Moyses mortuus opponitur Heliæ viventi. Gallandius simili modo exponit de Moyse mortuo in terra Moab ex Deuter. XXXIV, 5, Grunerus et Arntzenius tuentur *limine vitæ*, et ex prosa interpretantur, Moysen esse in statu vitæ æternæ, quia e vita hac, licet ille decesserit, tamen in alteram statim translatus est, et ita a limine vitæ numquam recessit. Certe obscura est sententia versus, nec clarior est prosa, in qua cum legatur *finavideri* legendum *illius speciem... conferendam* vel potius *illud speciei* (scilicet tum solis, tum nivis) *conferendum*. Mihi unice placet, quod et amplector, *illud specimen*.

[a] Gallandius intexuit *ardor*, scilicet *velut igneus ardor solis*, etc., ut sensus, inquit, constet. Ita quidem in carmine legitur : sed defendi potest scriptura vetus hoc sensu; et radiavit aspectus igneus velut solis, nimirum velut aspectus igneus solis : amat Sedulius similibus verborum involucris loqui. Post pauca verba idem Gallandius vulgatam lectionem retinuit *et ob hoc illud speciem... conferendum;* sed animadvertit,

[b] Vetus et proba est scriptura *merebat*, non *merebatur :* sic *moderat, lucraret* apud nostrum auctorem, et similia apud alios, quæ Juretus indicat. Exstat hanc in rem Nonii libellus de contrariis generibus verborum.

Sidereoque sono, Meus est hic Filius, aiens,
Ostendit verbo genitum vox patria Christum.
Postquam corporeos virtus regressa per artus
270 Texit adoratam carnis velamine formam,
Seque palam Dominus populis dedit, ecce re-
[pente
Vir humilis, mœsto dejectus lumina vultu,
Procedit, supplexque manus, et brachia tendit,
Imploratque gemens : unus mihi filius, unus
Est, Domine: horrenda lacerat quem spiritus ira,
Nec linquit, nisi mergat aquis, aut ignibus atris
271 Opprimat, atque animam dubia sub morte
[fatiget.
Hunc, precor, expulso miseratus utrumque
[furore
Redde mihi, vel redde sibi, ne cæca potestas
Expellat trepidam subtracto lumine vitam.
Dixerat, et genua amplectens, genibusque vo-
[lutans
Hærebat, Dominusque pio jam pectore votis

OPUS PASCHALE.

oraculo cœlitus prorogato, cum dicit, *Hic est Filius meus dilectus, in quo bene complacui*, verbo docuit Christum vox paterna progenitum.

At postquam corporeum Dominus resumpsit aspectum, carnisque velamine rursus ætheream protexit effigiem, seque palam populis demonstravit, quidam repente vir humilis, genibus inclinatus, mœrore dejectus, supplicans sic orabat: Unicus mihi, Domine, superest filius, si superesse dicendus est, in confinio mortis, vitæque suspensus, quem spiritus nimium debellat immundus, eumque dilacerans, aut flammis exurere, aut in aquis nititur molestis frequenter exstinguere, multisque fatigato periculis terminum machinatur extremum. Hunc, oro [a], depulsa mentis insania, mihi redde, vel sibi, ne potestas inimica luci, et cæca misero vitam subtrahat desperatam. Hæc adhuc fletibus ille, gemituque fundebat, et Dominus pio jam pectore puerum sospitabat.

SCHOLIA.

lem luminis metam, locus est stabiliendæ lectioni *limite vitæ*, aut conjecturæ *lumine vitæ*. Neque mihi displicet explicatio Burmanni ad Val. Flacc. l. I, vers. 823, per limen vitæ intelligi limen quo de vita exeatur. Sensus ita erit, Moysen adhuc permanere, etiamsi ex hac vita decesserit. Apud Dracontium *limina mortis* sæpe occurrit, uti apud Juvencum *limine lucis, vitæ, mortis*, ut ex indicibus verborum apparet.

291. Parrh., *hic est* : alii, *est hic*. Rom., mendose, *agens* pro *aiens*, ut passim in mss. *agit* pro *ait* invenitur.

292. Parrh., *verbum genitum*. Nebrissensis cum invenisset *verbo genitum*, reposuit, *Immo — verbum genitum*. Sed sollicitanda non est scriptura codicum mss. *verbo genitum*. Christus enim non solum est *verbum genitum*, sed etiam *verbo genitus*. Hanc loquendi rationem a Patribus usurpatam theologice explicui ad Prudentium Cath. hymn. 3, vers. 2 : *Omniparens, pie, verbigena;* et hymn. 11, vers. 17 : *Ex ore quamlibet Patris — Sis ortus, et verbo editus.* 293. Rom. : *Cum Dominus redit in pristinam figuram*. Meus *Ejicit spiritum immundum ex puero*. — In Reg. 1, ex *egressa* recte factum est *regressa*.

294. Urb., Rom., Vet. 1, 2, Monast. *adorandam*. Plerique mss. et editi, *adoratam*. Editio Poelm., ad marg., et ed. Lips., *adornatam*. Schedæ Poelmanni habent *adoratam*, cum explicatione, scilicet tunc a tribus discipulis : et pro d. s. indicant *adornatam*, et *adorandam*. In Ott. 1, nunc est *adoratam*, sed fuit *adornatam*, vel fortasse *adoptatam*, aut *adaptatam*. Frequenter hæc verba *adorno, adoro, adopto, adapto* in mss. permutata reperiuntur : qua de re uberius dixi Prolegom. cap. 7, ac suspicari fortasse aliquis poterit, a manu Sedulii esse *adoptata* [a], quod alii præsertim post Adoptianorum hæresim mendum crediderint, et, alio subrogato verbo, eraserint. Prosa exponit *ætheream*.

295. Reg. 5 et Ald., *Atque palam* : lege *Seque palam*. Parrh., inverso ordine, *populis Dominus*.

296. In Poelm., *humili* mendum est : in Ott. 1, pro *mæsto* aliud prius fuit. Arntz. transponit, *vultu dejectus lumina mæsto*. Beda de Art. metr., et commentator ejus, sine auctoris nomine hunc versum proferunt. *Dejectus lumina*, ut apud Ovidium *oculos dejecta*, apud Statium *vultum dejectus*, apud Virgilium *vultum demissa*.

297. Ottob. 1, *Procidit*, correctum *Procedit*. Mentrum quidem non patitur *Procidit*, *supplexque* Wopkensius conjiciebat *Prociderat*, *supplexque;* Arntzenius, *Procumbit*, *supplexque* : sed uterque sine libris mss. nihil mutandum censet. Matthæus, XVII, 14, ait : *Accessit ad eum homo genibus provolutus*. Sedulius *accessit ad eum* explicat per *procedit*, reliqua per *supplexque*, etc., et clarius, vers. 305 : *Genua amplectens, genibusque volutans — Hærebat*. Poelm., Vet. 1, Mon., Bas., Col., *simplexque* : mss. codices, et meliores editi, *supplexque*, quod recte præferunt schedæ Poelmanni.

298. Meus, *filius, ait*, resistente metro. Arntz., Alb., schedæ Poelmann., Ang., Reg. 1, 2, 5, Vatt. 1, 2, Ott. 1, Urb., Rom., cum Parrh., Ald., *filius unus* : notatque Nebrissensis, hanc repetitionem *unus, unus* significare *unicum*. Ottob. 2, *filius, inquit*, quod plerique editi retinent, et prætulit Arntzenius. Sedulius videtur imitari Juvencum l. II, vers. 298 : *Implorat lacrymans* : confer not. Wopkensius accipit *Implorat* pro *plorat*, nisi subintelligendum velimus *ipsum*. Sensus hoc loco potius est, Gemens opem implorat.

300. Vet. 1, 2, Mon., *quin* pro *nisi*. Parrh., *Nunc liquidis demergit aquis, nunc ignibus atris*. Ita etiam schedæ Poelm. fortasse ex Parrhasio.

301. Parrh., schedæ Poelm., *Opprimit*, et *fatigat*. In Ott. 1, fuit *fatigat*, sed correctum est per *fatiget*. In Ott. 2, Ang., Alb., *fatigat*, quod defendi potest, etiamsi retineatur *Opprimat*.

302. Cellarius, *Nunc* : plerique rectius *Hunc*. Wopkensius conjicit *excluso* pro *expulso*, quia scriptores inferioris ævi sæpe *excludo* pro *expello* usurpant. Verum lectionem vulgatam non modo codices, sed etiam prosa tuetur. Poelm., Col., Bas., *utrinque*. Meus, Arntz., a sec. m., *utroque*. Vera lectio est *utrumque*.

305. Parrh., *tetra potestas*. Wopkensius suspicatur *sæva* : sed bene est *cæca*, h. e., furibunda, nullo rationis lumine prædita, ut ipse explicat.

305. Ott. 2, Vet. 1, 2, Mon., schedæ Poelm., *volutus*. Scriptura communior *volutans* confirmatur ex Virgilio, l. III Æneid. vers. 607, a quo integrum hunc versum Sedulius mutuatus est. Sed Virgilius ait *genua amplexus*. Est autem *volutans* idem, ac *se volutans*, vel *volutatus*, ut *volventia plaustra*, *volventibus annis*, et alia similia.

306. Ott. 2, *Merebat*, fortasse librarius voluit scribere *Mœrebat*, sed longe melius est *Hærebat*.

[a] Erat in vet. cod. *Hunc ore* : Juretus recte edidit *oro*.

Annuerat ; tunc prædo furens, ac noxius hostis,
Cui possessa diu est alieni fabrica juris,
Pervasa migrare domo compulsus, in iram
Tollitur accensam, correptaque carpere membra
272 Nititur, et frustra, Domino prohibente,
[laborans,
Fugit in obscuras, puero vivente, tenebras.
Rex etiam solus regum, et Dominus domi-
[nantum
Non dedignatus, Petro piscante, tributum
Solvere Cæsareum, medii de gurgite ponti
Hamum ferre jubet, gerulum didrachmatis aurei.

Incola mox pelagi pendentia fila momordit,
Jussa tributa ferens, graviorque onerante metallo,
Vilis honor piscis pretio majore pependit.
273 Discipulisque suis se percunctantibus,
[aulæ
Cœlestis regni quis possit major haberi?
Ut Deus, et doctor mirabilis, Omnibus, inquit,
Celsior est humilis, cunctisque potentior ibit,
Qui cunctis subjectus erit, seseque minorem,
Demissa cervice, feret, velut iste videtur
Parvulus; et monstrat puerum consistere par-
[vum.

OPUS PASCHALE.

Tunc prædo furibundus, et turbidus, qui male tractatam juris alieni fabricam diu vexarat, perversæ domus habitaculo migraturus, in iram stimulatur accensam, correptaque membra discerpere, Domino vetante, non prævalens, in inferna puero pervolavit illæso.

Rex etiam, qui solus est regum, et Dominus probatur esse dominantium, tributum non dedignatus inferre cæsareum, de marinis fluctibus piscantem Petrum jubet erigere natantem, didrachmatis [a] aurei portitorem. Tunc mobilior velox habitator undarum voravit tremulas hami decipientis insidias, a genuinis æquoribus calamo flagellante suspensus, piscisque vilissimus divitem deferens pensionem, pluris valuit honore ponderis alieni, quam proprii. Quantum hoc nihilominus facto suæ nos Christus imitatores voluit esse doctrinæ, qui cum renuere posset indignam hujus præbitionis injuriam (utpote cui nihil erat sociale cum plebe, nisi ut salutaribus cunctos beneficiis adjuvaret), maluit superfluum munus exsolvere, quam petenti cuilibet aliquid negare, ut justitiæ conditor, et magister, qui dixit: [b] *Omni petenti tribue*, primus instituta suæ legis impleret.

Cumque simpliciter, ut solebant, cum percunctarentur apostoli, quis major in cœlorum posset regno censeri, tamquam Deus, doctorque mirabilis, omnibus humilem respondit esse potiorem, cunctosque præcellere, qui cunctis sese novissimum præstitisset, velut puer infantulus, quem spiritalis exempli gratia tenebat in medio constitutum, ævi scilicet pusilli

SCHOLIA.

309. Ott. 2, Ang., *Perversa;* lege *Pervasa*, h. e., invasa. Utitur etiam Ammianus participio *pervasus* eadem significatione. Cum Ottob. 2 faciunt Cant., Mon., Bas., Torn. 1, 2, Edim., Bibl. Lugd., et prosa, ut nunc quidem legitur. Codex Burmanni, *Pervasta;* ed. Lips., *Provisa*. Sed cum plerique nostri mss. et præstantiores editi vocem commodiorem *Pervasa* exhibeant, retinenda ea est : immo, ut probat Arntzenius, etiam in prosa eadem vox pro *perversæ* restituenda est. Citat Arntzenius ex Cassiodorio *pervasus* et *pervasor*, et ex Salviano *pervasio*.

310. Mens, Vet. 1, 2, Mon., *corpore :* retine *carpere* cum aliis, quod sententia et prosa exigunt.

313. *Ubi Dominus præcepit Petro, solvi tributum.* — Arntz. *Rex etiam regum solus, Dominus*. Plerique nostri mss. cum codicibus Heinsii et Lips., Parrh., Ald. et aliis optimis editionibus, *dominantum*. Rom., *dominantium*, quod fuit etiam in Reg. 1, sed in hoc ad metri meliores leges correctum est *dominantum*. Codex Arntz., ed. Poelm., Torn. 1, 2, 3, aliique vulgati, *dominorum :* ita videtur fuisse in Ott. 1, ubi nunc apparet *dominantum*. Vat. 2, sine conjunctione, *Rex etiam solus regum, Dominus dominantium*. Apostolus, I Timoth. VI, 15 : *Solus potens, rex regum, et Dominus dominantium*.

315. Ms. Arntz. scribit *Cæsarium*.

316. Vatt. 1, 2, Ang, Alb., Reg. 5, Ott. 2, Rom., Mens, Lips., schedæ Poelm., Ald., Parrh., et alii editi, *auri*. Reg. 1, Ott. 1, et plures editi, *aurei*, quod videtur fuisse a pr. m. in Reg. 2, ubi nunc est *auri*. In Reg. 1, Ott. 1, ex *auri* videtur factum *aurei*. Melius est *aurei* disyllabum per contractionem ; quod librarii non intelligentes, in *auri* converterunt. Wopkensius tamen non improbat, *didrachma auri* usurpari pro aureo, ut *numisma argenti, statua salis*. Vocem *didrachma* alii scribunt *didragma*, alii *didrama*.

317. Inepte in Bibl. Lugd. *prudentia*, et in Rom., a pr. m., *pandentia*, pro *pendentia*. Pro pisce, *incola pelagi :* sic Plinius, Cicero, Phædrus.

318. Reg. 1, *honorante*, quod recte emendatum per *onerante*.

319. Vat. 2. mendose, *piscibus*. Hic versus desideratur in Vet. 1, 2, Mon., exstat in omnibus nostris exemplaribus : neque sensus sine eo procedit.

320. Rom. : *De interrogatione discipulorum : Quis major esset in regno cœlorum*. Mens : *Quis sit major futurus in regno cœlorum*. — Arntz., *suis semper cunctantibus :* lege *suis se percunctantibus*, scilicet *se* pro *eum*, ut alias *suus* pro *ejus*, *sibi* pro *ei :* quæ quidem loquendi ratio non temere adhibenda est, sed damnari non debet. Multi scribunt *percontantibus* : quæ varietas ad orthographiam pertinet. Mens, Rom., Cant., Vatt. 1, 2, Urb., Reg. 5, Parrh. et Ald., *aulæ*. Reg. 1, 2, Alb., Ott. 1, ut videtur, Ang., *aula*, sed prius in his tribus fortasse fuit *aulæ*. Plerique editi, *aula*, h. e., in aula.

321. Mens, *Regni cœlestis*. Plerique nostri mss., *quis possit major*. Fabr., Poelm. et plures editi, *major quis possit*. Arntzenius edidit *quis major possit*, quod in Alb. reperitur. Ms. Arntz., *quis posset major :* sic etiam prosa *posset* pro *possit*. Notandus est usus hujus phrasis *possit haberi* pro *habeatur* vel *habendus sit*. Similia occurrunt alibi apud Sedulium.

322. Reg. 1, *Tum;* supra, pro d. s., *Ut*.

325. Vat. 1, Rom., Parrh., *Dimissa*, pro *Demissa*, quod melius videtur. Cant., schedæ Poelm., Ott. 1, Ang., aliique mss., et plures editi, *gerit*. Ott. 1, pro d. s., Alb., Reg. 1, 2, Lips., Fabr., *feret ;* sed in Reg. 2 aliud fuit, et glossa est *gerat*. Parrh., *geret*. Recentiores præferunt *feret*.

[a] Editi, *dragmatis :* lego *didrachmatis*, uti legere jubet Gallandius ex carmine.

[b] Gallandius, *Omni petenti te tribue*, ex Vulgata, Luc. VI, 30. Aliæ editiones Sedulii omittunt *te*.

Scilicet ingenium teneri sectemur ut ævi
Non annis, sed mente, jubet, quia mollior [ætas
Nil pompæ mortalis amat, non ambit honorem,
274 Nec resupina tumet; sic puræ semita vitæ,
Quantum prona solo, tantum fit proxima cœlo:
Mens etenim vergens, altum petit, altaque vergit,
Inferiorque gradus, quo vult descendere, surgit.
Ecce humilem Dominus de stercore tollit egenum,
Et facit egregios inter residere tyrannos:
At contra tumidum pugnaci mente rebellem
Præcipitem cœlo sub tartara jussit abire.
275 Parva loquor, si facta Dei per singula curram,
Et speciale bonum, cum sit generale, revolvam.

OPUS PASCHALE.

vel teneri, sectandum præcipiens ingenium, non ætatem. Quoniam anni videlicet infantiles exiguæ [a] parvitatis, nec mundanæ pompæ quid diligunt, nec honoris ambitione tanguntur, nec tumore superbi fastus inflantur. Ideoque vitæ simplicitas inclinatæ, quantum vicina fit solo, tam fit vicina cœlo. Mens enim vergens erigitur, erecta devergitur; inferiorque cordis incessus, quo descendere nititur, sublimatur. Humilem namque Deus et pauperem de sordibus erigit, et potentum societati conjungit. Cervicem diabolicæ vere superbiæ cœlesti dignitate præcipitem in squaloris tartarei profunda dejecit. Ita namque lectio divina proloquitur [b]: *Humilibus Deus dat gratiam, superbis autem resistit.* Et iterum similiter memorans, dicit: *Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem; ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.* Omnis enim paupertas humilitatis socia. Audi Salomonem dicentem: *Paupertas humiliat virum.* Sed parva nimis exiguaque referimus, si per singula Divinitatis facta currentes, specialiter revolvamus, quæ nullis explicanda sermonibus, generaliter innotescant.

SCHOLIA.

327. Meus, *sectamur et* : sensus postulat *sectemur ut.*

329. Reg. 1, Cant., Ott. 1, *mundalis;* in Ott. 1, veluti glossa, est *mortalis.* Ott. 2, *mondalis.* Plerique mss. et editi, *mortalis*, quod præfert Grunerus, quia etsi Prosa habet *mundanæ*, tamen *mortalis* est magis poeticum, et *mundalis* apud alios non reperitur. Iterum Sedulius, l. IV, v. 293: *Qui pompæ mortalis honor.* Mihi in Sedulio non displiceret *mundalis*, aut etiam *mundialis* trisyllabum per contractionem, quo vocabulo Tertullianus, Hieronymus, Prudentius, et Salvianus utuntur.

330. *Resupinus* pro superbo ab Ovidio et Seneca usurpatur, ut *supinus* ab aliis. *Puræ vitæ*, quia puer a *puro* dicitur, ut ait Nebrissensis, vel, ut Isidorus libr. XII Orig. c. 2, a *puritate.*

331. Vat. 1, *Quantum est prona :* alii omittunt *est.* Hoc Sedulii versu potest confirmari conjectura, quam indicavi ad Juvencum, l. IV, vers. 36: *Qui terræ proni* pro *Qui terram proni*, ut in mss. legitur. Adisis varias lectiones. *Tantum* et *quantum*, pro *tam* et *quam*, sic satis usitatum.

333. Vonckius malebat *Inferiorque gradu quo vult:* exemplaria vetera et prosa exigunt *gradus.* Nostri omnes et plerique alii *quo vult descendere, surgit.* In schedis Poelm. erat notatum, *Quo, scilicet eo, vel ea parte qua : aliter, cum.* Monent eædem schedæ, legendum *descendere surgit*, non *descende, resurgit.* Hanc varietatem Arntzenius in suis non invenerat. Exstat tamen in editione ipsa Poelmanni, in qua legitur *quo vult descende, resurgit*, et ad marg. *cum vult.* Sed, ut opinor, error typographicus est *descende, resurgit :* nullus enim inde eruitur sensus.

334. Cant., Arntz., Ang., Alb., Reg. 2, 5, Vat. 2 et Ott. 2, *egenum.* Sic Ott. 1, sed correctum per *egentem*, quod exhibent Reg. 1 et alii. Editi simili modo variant.

335. *Tyrannos*, antiqua significatione, nempe reges.

336. Meus, *Econtra*, vel *E contra :* quæ loquendi ratio auctoritate Aurelii Victoris, Hieronymi, Servii, etiam Taciti, ut nonnullis videtur, defenditur: sed latinius est *contra* simpliciter. Retinendum ergo *At contra*, quæ communis est scriptura.

337. Vat. 1, *Præcipitem e cœlo :* alii, *Præcipitem cœlo.*

338. Parrh., schedæ Poelm., *Pauca loquar.* Rom., Ang., Alb., et alii, *Parva loquar.* Communior veriorque lectio, *Parva loquor*, cui favet prosa. Wopkensius exponit, *Nimis exigua me proferre sentio.* Sidonius, carm. 5, *Parva loquor. Quid? quod*, etc. Vat. 1, *si* cum aliis, sed supra videtur esse *nisi.* Scriptores sequioris ævi usurpabant *currere per facta, per miracula*, etc., pro breviter recensere, ut Severus Sulpicius, Paulinus Nolanus, Augustinus. Nec dissimile est illud Ciceronis, Verr. 5, al. 3, c. 42: *Nam per omnes civitates, quæ decumas debent, percurrit oratio mea.*

339. Dracontius conjungit etiam *generale* et *speciale*, l. II, vers. 183: *Et speciale jubes, tamquam generale, tueri.* Post hunc versum, Reg. 1: *Explicit liber secundus. Incipit liber* III, *in Christo.* Reg. 2: *Explicit lib.* II. Ottob. 1: *Finit lib.* II. *Incipit lib.* III. *Evangelistæ sequitur tituli singulis capitibus coarctari.* Ita vitiose scriptum est, fortasse ut indicetur, singulis capitibus suos titulos præponi. Vat. 1: *Hic liber tertius incidit secundum personas.* Clarum est *Hic liber tertius*, alia confusa et litteris inter se permixtis obscura. Reg. 5: *Finis secundi libri. Liber tertius, Divinorum mirabilium liber tertius.* Meus: *Sedulii poetæ liber secundus. Incipit* III. Codex pervetustus Taurinensis: *Explicit liber secundus. Incipit liber tertius. Ego Abundantius istum librum contuli feliciter.* In aliis codicibus inferioris notæ hoc loco nulla est distinctio libri. In editis pariter idem observatur: nam alii a vers. *Jam placidas* alium librum inchoant, alii secus. Liber autem qui finitur, in mss. dicitur secundus et liber qui inchoatur, tertius, quia primus liber carminis quasi extra ordinem ponitur, et inscribitur liber veteris Testamenti: liber secundus carminis dicitur primus novi Testamenti; et idem ordo deinde servatur.

[a] In vet. cod. erat *exigui* pro *exiguæ*, et *qui diligunt* pro *quid diligunt.* In multis bibliothecis Patrum non *diligunt*, sed *deligunt* scribitur.

[b] Prima hæc scripturæ verba sunt ex Epist. Jacobi cap. IV, vers 5. Altera ex psalm. CXII, vers. 7, 8; alia denique ex Proverb. X, 4, secundum versionem LXX, quam Sedulius plerumque sequitur.

LIBER QUARTUS.

276 Jam placidas Jordanis item transgressus A [arenas,
Judææ sectatus iter, sine nomine mixtum
Vulgus, et innumeras relevans a clade cater- [vas,
Suscipit infirmos, et dat discedere sanos.
Nil igitur summo de se sperantibus unquam
Difficile est conferre Deo, cui prona facultas
Ardua planare, et curva in directa referre ;

277 Nam quidquid natura negat, se judice, [præstat.
Namque foramen acus sicut penetrare camelus
Membrorum præ mole nequit, sic dives, opima
Fertilitate tumens, tenuem non possit adire
Cœlestis regni ducentem ad limina callem,
Ni Genitor rerum (qui mundum lege coercet,
Et nulla sub lege manet, cui condere velle est,
Quem frons nulla videt, sed totum conspicit ipse)

OPUS PASCHALE.

Jam cum denuo Jordanis fluenta transgrediens, B Judææ semitam præteriret, passim vulgus immensum, et catervas ab omni varietate languoris sine nomine curavit innumeras, infirmos accipiens, et columes [a] remeare concedens. Nil igitur summo conferre difficile est de se sperantibus, Domino, cui facultas prona suppeditat [b] ardua planare, curva dirigere, quod est superbos ad humiliora deponere, errantibus semitam demonstrare. Isaias namque propheta magnificus ita noscitur elocutus, Christi cum denuntiaret adventum : *Et erunt prava in directa, et aspera in vias planas.* Numquid de saxis, aut sentibus, aut inflexis viarum prophetavit anfractibus, cum Christus ad salvandum venerit mundum, non silvis, et montibus, sed humanis gentibus constitutum? Hoc est illud etiam, *Vox clamantis in deserto*, quæ C monet, parare viam Domino, rectas facere semitas ejus, viam scilicet cognitionum, et semitas voluntatum, qua Dominus ad mundi cordis habitaculum recto graditur ingressu. Cogitationes etenim et voluntates viæ sunt operum, quæ bonum cujuspiam sive malum præcedere videntur effectum. Quidquid ergo naturaliter vis denegat, divinæ facillimum subjacet potestati. Namque bellua Camelus immensa sicut foramen acus exiguum pro tanti corporis mole non potest transmeare, sic opulentus dives et tumidus nequit ad regna cœlestia tenuem angusti callis introire per portam, nisi rerum providus gubernator, qui totum lege continet, nec tenetur ipse sub lege, quem nulla umquam facies aspicit, sed ipse cuncta semper intendit, motos hac conditione discipulos talibus fovisset alloquiis consolator : Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt; non omnibus quippe divitibus

SCHOLIA.

1. Vat. 1 : *De divite, qui regnum cœlorum intrare non potest.* Reg. 1 : *Ubi Dominus innumeras ad Adæ sanat catervas.* Legendum *Judææ* pro *ad Adæ*, ut indicat glossa. — Ott. 2, *congressus;* Ald., *ingressus :* retineo *transgressus.* Meus, mendose, *iste transgressus.*

2. Nonnulli, *sectatur iter.* Plerique mss. et editi, *mixtum :* et fortasse Sedulius imitatur Juvencum l. III vers. 760 : *Complentur mensæ mixtæ sine nomine plebis.* Edit. Lips., *mestum*, fortasse pro *mistum :* multi alii editi clare *mœstum.* In Reg. 1, *mœstum* est prima scriptura, et glossa *infirmum ; mixtum* altera scriptura : contra accidit in Reg. 2.

3. Arntz., *a morte;* alii, *a clade*, ut l. III, vers. 45 : D *Populos a clade levavit.*

8. Cant., Arntz., schedæ Poelm., Parrh., Edimb., Rom., Ang., Ott. 1, 2, Vat. 1, 2, Reg. 5, Alb. et Urb., *Nam quidquid.* Reg. 1, 2, cum multis editis, præsertim recentioribus, *Et quidquid.* Meus, *Qui quidquid.* Vonckius ex conjectura : *Ut quidquid natura negat, se judice, præstet.* Grunerus defendit, *Et quidquid*, etc., etsi fatetur, duriorem esse hunc verborum nexum. Clarior est lectio, quam plerique nostri codices tenent, *Nam quidquid*, etc., magisque ad prosam accedere videtur. Ablativus absolutus *se judice*, *præstat* pro *ipse judex præstat*, simili modo occurrit apud Juvencum, Avitum, Aratorem, Fortunatum, ut veteres inscriptiones omittam, *Se vivo fecit*, etc., de quibus videri potest v. c. Ignatius Potenza, in opere erudito hoc anno 1793 edito : *Notizie concernenti il sacro deposito di S. Augustale martire*, etc. Cujus martyris sepulcrum Romæ nuper repertum fuit hoc simplici titulo : *Augustalis se vivo fecit.*

10. Ott. 1, Alb., Urb., Rom., Parrh., ms. Burmanni, *pro mole* : melius est *præ mole*, quamvis aliud sit in prosa.

11. Bentleius Emend. ad Cicer. Quæst. Tuscul. p. 54, pro *Fertilitate* substituit *Altilitate*, quod novum nomen est pro pinguedine. Recte hanc mutationem Arntzenius condemnat. Sumitur enim fertilitas pro abundantia seu copia rerum. Arntz., Parrh., Ald., Vat. 1, 2, Reg. 5, *posset :* quod non displicet Arntzenio. In Ott. 1, ex *possit* factum *posset :* in Reg. 1, 2, ex *posset* correctum *possit*, quod magis placet pro *poterit.*

15. Poelm. claudit parenthesin in *conspicit*, alii in *ipse.* De voce *impossibilis* dixi ad Prudentium vers. 833 Apoth., uti de simplici *possibilis* ad Juvencum II, 533.

[a] Vulgati omnes habent *et columes :* apud Isidorum l. X Etym. exstat hæc vox *colomis* vel *columis*, pro erecto et incolumi. Tribuitur etiam Plauto.

[b] Juretus ita emendat, *ardua planare, curva dirigere*, pro quo, inquit, vetus codex habebat *curva dirigere :* fortasse apud Juretum legendum *digerere.* Alio modo non intelligitur, quid emendet. Veterum proverbium erat *curva corrigere.*

Hoc impossibile est homini, dixisset, at alto
278 Possibile est jus omne Deo; multisque [molestum
Divitibus tandem faceret mitescere censum.
Nam proprias bene tractat opes, cœloque re- [condi
Thesauros vult ille suos, ubi quidquid habetur,
Non mordax ærugo vorat, non tinea sulcat,
Nec male defossum famulatur furibus aurum,
Jejunis quicumque cibum, sitientibus haustum,
Hospitibus tectum, nudis largitur amictum,
Solatur nexos in carcere, perfovet ægros,
279 Atque aliis largus, sibi tantum constat [egenus.

Nec dubie in cœlum substantia pervenit illa,
Quæ Christo collata datur sub paupere forma,
Quæ damnis augmenta capit, quæ spargitur [ut sit,
Quæ perit ut maneat, quæ vitam mortua præ- [stat.
Præterea geminos Dominus considere cæcos,
Dum quoddam transiret iter, comitante ca- [terva,
Conspicit', exstinctæ poscentes munera formæ,
Flebilibusque vagas implentes vocibus auras.
Nec cunctata solens pietas inferre salutem,
280 Quæ sentit flagrare fidem, mox lumina [tangens

OPUS PASCHALE.

patrimonium sui census est oneris, sed illi, qui propriæ malus rector est ubertatis. Nam cum dicit Dominus per prophetam : *Aurum et argentum meum est*, ostendit, non esse malum, quod ejus est, si operarius illud bonus habuerit; nihil etenim differt, utrum bonis quis operibus nil dependat, an plurima malignis effundat. Ille siquidem suas tuto servat opes, et collocat, qui cœlo thesauros occultat, ac recondit, ubi non edacis tineæ nec æruginis scabræ quidquam morsus absumit, nec furibus ad furandum aditus reseratur effossus, qui jejunis cibum, sitientibus potum, peregrinis ministrat hospitium, mœstos solatur in carcere, fovet ægros in corpore, cunc- B tisque largissimus, sibi tantum pauper est et egenus. Nec dubitare quis debet, illam prorsus in cœlum substantiam pervenire, quæ sub vilissima pauperis forma Christo probatur impensa, quæ detrimentis augetur, spargendo servatur, perit ut maneat, vitam [a] mortua repræsentat.

Interea dum populo Dominus comitante vallatus, Hiericum fuisset egressus, duos oculis captos aspicit considentes in aggere, reddi sibi lumina postulantes. Petebant ita confidentes gressuum cum mobilitate considere [b]. Sed tenebrae reluctantur adversæ, nec cunctata vel paululum virtus illa, pietati nil abnuens, quæ salutem consuevit inferre, qua fidem sentit ar-

SCHOLIA.

16. Plerique nostri mss. cum Arntz., Ald., Fabr., et aliis editis, *at alto :* plerique editi, *et alto*. In nonnullis nostris prius videtur fuisse *et* vel *ac* pro *at*. Wopkensius, Burmannus, Arntzenius jure præferunt *at*, favente prosa. In Ott. 2, *dixisse*, *sed alto*, mendum videtur pro *dixisset*, *et alto*.

22. Burmannus conjicit *Nec male depostum*, h. e., quod avarus abscondit, cum deberet eo uti : aut accipiendum ait novo sensu *defodere* pro *effodere* : nam fures non solent e visceribus terræ aurum defossum surripere. Arntzenius explicari posse ait *male defossum*, ita negligenter positum, ut facilem furtis ansam præbeat : defendit autem lectionem hanc vulgatam ex Sedulii epistola ad Macedonium, *culpa defossæ pecuniæ non carerem*. Sed in hac epistola sermo est de pecunia, seu talento, quod abscondidit servus, qui noluit negotiari, timens dominum, quia austerus erat. Vera autem ratio defendendi scripturam receptam desumitur ex verbis ipsis Matthæi VI, 19 seq. : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra . . . ubi fures effodiunt, et furantur. Thesaurizate autem vobis in cælo, . . . ubi fures non effodiunt, nec furantur*. Aurum igitur male defossum est, quod avarus, cum deberet eo bene uti, defodit : quod fures aliquando effodiunt et furantur. Significatio vero propria *defossi auri* est absconditi subtus terram. Cicero, l. II de Oratore : *Ut enim si aurum cui, quod esset multifariam defossum, commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa et notas ostenderem locorum*, etc. Post *aurum* Cellarius, et alii vulgati affigunt punctum, atque ita male sensum abrumpunt. Nam *tractat*, *vult ille*, *qui*, vel *ille*, *quicumque*.

25. Reg. 1, pro d. s., Reg. 2, ex correctione, Vat. 1, 2, Ott. 2, Urb., Alb., Rom., Meus, Reg. 5 et alii mss. apud Arntzenium, cum Parrh., Ald., C *qui ferre :* in schedis Poelm. ascriptum erat *ferre*, *scilicet vult*. Id non probat Arntzenius ob sequens *largitur*. Reg. 1, in contextu, Ott. 1, ex correctione, Ang., *quicumque*, quod fortasse fuit a pr. m. in Reg. 2, et in plerisque editis retinetur.

27. Vet. 1, vitiose, *Hæc* pro *Nec*. Schedæ Poelm., *Nec dubium*. Ott. 2, *Nec dubio*. Reg. 1, *Nec dubiæ*, sed glossa *dubitanter* poscit *dubie*.

31. Rom. *De duobus cæcis a Domino sanatis*. Meus, *Duos cæcos sanat*. — Wopkensius aptius putat *Interea*, quod exstat quidem in prosa, sed mss. et editi exhibent *Præterea*. Alm. inverso ordine *Dominus geminos*. Arntz., *geminos cernens*, sed obstat prosa. Parrh., *consistere* pro *considere*, quod prosa confirmat.

32. Arntz., Parrh., *Cum :* alii, *Dum*. *Iter* non solum sumitur pro actu eundi, sed etiam pro via. *Comitante caterva* Virgilianum est.

33. Wopkensius suspicatur *exstinctæ poscentes lumina frontis*. Sic l. III, vers. 145 : *Decute nocturnas exstinctis vultibus umbras*. Favet huic conjecturæ D prosa, et scriptura mei codicis, et ed. Lips., *lumina formæ*. Sed magis poetica est lectio recepta : nam cæci deformes sunt, et dici solent, ut notat idem Wopkensius, et hoc munus poscebant cæci, ut formam amissis luminibus exstinctam recuperarent.

34. Cant., *vacuas*, quod epitheton apte a poetis tribuitur auris, sed hoc loco metri lex poscit *vagas*, nisi, omissa conjunctione *que*, legas, ut revera legitur in Ott. 1, *Flebilibus vacuas*.

35. Meus, corrupte, *Nec cuncta solens;* ms. Arntz., *Nec cunctis cessans*, quod non ineptum reputat Arntzenius : durior enim est constructio, scilicet, *Nec cunctata pietas solens inferre cunctis salutem*. Pro *inferre* ed. Lips. *conferre*. Pro Deo pio, vel divina pietate *pietas* simpliciter non semel a Sedulio ponitur.

36. Wopkensius pro *Quæ* conjicit *cum*, vel *Qua*.

[a] In vet. cod. erat *vita* pro *vitam*.

[b] Obscurum id est, sive legas *confidere* cum vet. cod., sive *considere*, quod Juretus malebat.

Evigilare jubet, quæ somnus presserat ingens, A
Atque diu clausas reserans sub fronte fenestras,
Ingrediente die, fecit discedere noctem.
Hinc repetita sacri gradiens per mœnia templi
Lumina cæcatis dedit, et vestigia claudis.
Talia davidicam post facta reliquerat urbem,
Bethaniæ vicina petens : eademque reversus,
Clarescente die, properabat visere tecta.
Ecce autem mediis astans sublimis in arvis,
Frondea ficus erat, cujus in robore nullum
Repperit esuriens, lustrato stipite, pomum.
Arboreisque comis, Jam nunc ex germine [vestro

281 Nullus, ait, fructus reliquum generetur in [ævum.
Confestim viduata suis ficulnea succis
Aruit, et siccis permansit mortua ramis.
Omnis enim quicumque Deo nil fertile nutrit,
Ceu sterilis truncus, lignis æquabitur ustis.
At justus palmæ similis florebit amœnæ,
Semper habens frondes, et tamquam Libana [cedrus,
Multiplicandus adest, et vertice sidera tangit.
282 Post oblatus ei virtutem sensit herilem
Insanus sermone carens, quem faucibus arctis
Angebat vis clausa mali, vitiumque tacendo

OPUS PASCHALE.

dere, diuturno lumina somno compressa, vigili repente tactu perexcitat, claustraque latentium sub fronte reserans fenestrarum, intrante protinus die, noctem pepulit caligantem.

Hinc sacra templi per mœnia rursus obambulans, cæcis dedit aspectum, claudis reformavit incessum. Post hæc nobilium monimenta virtutum, davidicam deserens civitatem, venerat in loca Bethaniæ, dieque remeans subsequente, ad ejus urbis denuo tecta pergebat. Ficus haud procul a semita connexis frondium velamentis umbrosa, cujus in robore cum nullum penitus pomum Dominus carnaliter esuriens invenisset, inhumanos arboris ramos non maledicto sauciat, sed præcepto condemnat, increpans sic in eam : *Nunquam in te fructus nascetur in æternum.* Confestimque ficulnea succis viduata subtractis, infecunda protinus, et deformis comarum posita dignitate peraruit. Non tamen hæc accipiamus ad litteram, licet manifeste credantur impleta, quoniam B spiritalibus causis convenit lex divina cognosci. Quid enim materies sine sensu peccaverat? præsertim quæ fructum, sicut Marcus Evangelista commemorat, incongrui ratione temporis non habebat; nisi ad instructionem Dominus nostræ utilitatis hoc ageret, qui factorum sermonumque parabolis vitale nobis iter ostendit. Omnis igitur humanæ conversationis industria, quæ Deo nil studet nutrire, quod placeat, tamquam pigri stipitis arbor inutilis, plena fronde, non germine, lignis æquabitur concremandis, quemadmodum et illa ficus infructuosa consistens, quam Dominus vineæ, qui eam plantaverat, præcipiens amputari, sub unius anni dimisit induciis, ut si fructum vel sero redderet, permaneret, alioquin merito jam periret; at vero juxta canticum psalmi C dicentis : *Justus, sicut palma, florebit, et sicut cedrus, quæ in Libano est, multiplicabitur.*

Exin oblatus est ei quidam cum furoris incommodo, sermonis quoque subjacens detrimento, cui præ-

SCHOLIA.

Ed. Mon. et prosa referunt *Qua*. Vat. 1, *Que*, correctum per *Qua*, vel *Quæ* : cæteri *Quæ*. Reg. 1, Alb., Ottob. 1, 2, Ang., *sensit* : sed in Ott. 1, forte fuit *sentit*, quæ est communis scriptura. Ed. Lips., absurde, *Quam sentit flagrare saltem*. Schedæ Poelm. negant, pro *lumina tangens* substituendum *munera tangens*, quod nescio ubinam Poelmannus invenerit, neque sciebat Arntzenius.

38. *Fenestras* oculos passim vocant scriptores ecclesiastici, ut dixi ad Dracont. l. III, vers. 619.

40. Poelm., *Cæci et claudi sanantur*. — Arntz., *limina templi*, quæ phrasis satis poetis familiaris est, sed ad ædificii amplitudinem explicandam melius est *mœnia;* sic Juvencus l. III, v. 674 : *Templi se mœnibus infert.* D

42. Plerique mss. scribunt *daviticam*.

43. Arntz., *tandemque;* Parrh., *eodemque;* alii, *eademque*. Meus *revertens*, non male, pro *reversus*.

45. Poelm., *Ficus inarescit*. — Urb., *constans* pro *astans*. Rom., contra metrum, *stans*.

46. Hic versus invenitur apud Bedam De art. metric., et ejus Commentat., sed non indicatur auctoris nomen.

47. Ald., Parrh., male scribunt *exuriens*. Ott. 1, *lustrata stipite :* lege *lustrato* ex regulis grammatices.

48. Plerique distinguunt *pomum*, — *Arboreisque comis : Jam nunc*. Burmannus orationem ita languere ait, quæ numeros suos habet, si post *pomum* exeat periodus, scilicet *pomum*.—*Arboreisque comis, jam nunc ex germine vestro*. Burmanno adhæret Arntzenius. Pro *germine* Parrhas. minus bene *gramine*. Fabr. et nonnulli alii vulgati, *germine vasto*. Melius est *vestro* pro *tuo;* in Urb. error videtur *verso* pro *vestro*.

50. In *ficulnea* subaudiri potest arbor : Latinis enim est adjectivum.

53. Conjectura Vonckii, Wopkensii et Burmanni est *istis* pro *ustis*. Parrhasius jam ediderat *istis*, quod schedæ Poelmanni etiam exhibent. Constans lectio codicum est *ustis*, h. e., *concremandis*, ut prosa exponit; aut concrematis, ut glossa Almel.; aut *siccatis*, ut glossa Reg. 1; aut *comburendis*, ut Nebrissensis. Ita etiam, et recte legit hunc versum Beda in Collectaneis.

54. Reg. 1, *amœnas* — *semper habens frondes*, cum glossa *pulchras*. Alii, *amœnæ*, et nonnulli scribunt *amœne*, quod pro adverbio accipi potest.

55. Ausonius primam corripuit in *Libanus*, Sedulius producit: sed hoc magis proprium Sedulii est, quod adjective usurpat *Libana* ex *Libano*, nomine montis. Hunc ipsum Sedulii versum produxit Beda in Collectan., sed inverso ordine, *Frondes semper habent, et tamquam Libana cedrus*, etc. In numero plurium loquitur quia verba Sedulii ad justos plurali numero accommodate transfert.

56. Nonnulli, *sidera vertice:* alii, *tanget* pro *tangit*.

57. Meus, *Mutum ejicit dæmonium*.

58. Alm., a pr. m., Reg. 1, in contextu, Ott. 1, Vatt. 1, a pr. m., *atris*, quod secutus est Cellarius ex scriptis codicibus, ut ait. Verum scriptura communis fere omnium nostrorum codicum, et Arntz.,

Prodiderat. Sed cuncta solens infirma levare
Conditor, obsessa pepulit de fauce latronem,
Et voci patefecit iter, nexuque soluto
Muta diu tacitas effudit lingua loquelas.
Post Dominus Pharisæa petens convivia cœnæ,
Orantis dapibus sese impertivit amici.
Tunc mulier, quam fama nocens, et plurima [vitæ
283 Mordebant delicta suæ, clementia sup- [plex
Corruit amplectens vestigia, quæque profusis
Irrigat incumbens lacrymis, et crine soluto
Nec tergere sacras, nec cessat lambere plantas,
Unguento fragrante fovens, sententia donec
Læta Dei, quem ferre manum non pœnitet un- [quam,
Si nos pœniteat veterem quæsisse ruinam,
Vade, fides, mulier, tua te salvavit ab omni,
284 Dixisset, quodcumque mali gessisse vi- [deris :

OPUS PASCHALE.

clusis faucium spiramentis, nulla labiorum cymbalis vox sonabat, nihilque penitus ore denuntians, tacendo mutam publicat insaniam. Sed conditor ille sidereus, infirma roborare consuetus, latronum angustis anhelatibus [a] imminentem a faucis obsidione decutiens, per aperta vocis itinera resolutæ vinculis linguæ plena reddidit loquaci libertate commercia.

Præterea dum Pharisæi cujuspiam postulantis propria Dominus sublimaret humilitate convivium, aderat, properante ingressu, peccatrix mulier, et famosa, quæ multis delictorum vulneribus saucia, vitam gerebat obscenam. Denique corruens provoluta vestigiis, nec fletu proluere, nec crinibus detergere, nec pretioso quiescebat unguento pedes osculans irrigare, donec promulgata Dei sententia, quem cadentibus manum dare non pœnitet, si nos antiquæ lubricum pœniteat jam ruinæ, verbis indulgentiam talibus relaxaret, dicens: *Fides tua te salvam fecit: vade in pace.* O quantum miseris opitulatur infirmis illud confessione detegere, quod absconditum fit lethale! Nutrit namque sua vulnera, qui celarit, et stimulo doloris incertus medico nudare negligit plagam.

SCHOLIA.

etiam Almel., quo utebatur Cellarius, ex correctione est *artis*, vel *arctis*, quod perinde valet. Prosa et contextus hoc ipsum poscunt. Adhærent Parrh., Ald. et editi meliores: sic vers. seq. *Angebat*; alii *Urgebat*.

60. Nonnulli, *Sic*, minus bene, pro *Sed*.

61. Arntz., *repulit;* Reg. 1, *reppulit*, sed ad metri regulas scribendum est *repulit*: quæ scriptura videtur satis probabilis, quamvis altera longe sit communior. Ut prima in *repulit* producatur, scribi solet *reppulit:* ac fortasse aliqui librarii putantes, primam semper protrahi, mutarunt *repulit* in *pepulit*. Pro dæmone *latronem* usurpat noster poeta, ut Prudentius Hamart. vers. 946: *Ne cernat truculentum aliquem de gente latronum.*

62. Ottob. 1, Alb., Arntz., Ang., *vocis*. *Vocis iter* est apud Virgilium l. VII, vers. 534. Pro *voci* facit Ovidius l. IV Met. vers. 69: *Et voci fecistis iter:* quamquam etiam apud Ovidium in nonnullis editionibus invenio, *Et vocis fecistis iter*. Editi plerique, *voci*, Fabr. et pauci alii, *vocis*. Parrh., mendose, *patefeci* pro *patefecit*.

63. Arntzenius suspicatur *placidas*, h. e., tales, quibus Deum laudaret. Sæpius enim *placidus* in *tacitus* commutatum est. Nihil muto.

64. Rom., *Ubi mulier, quæ erat in civitate peccatrix, rigavit pedes Christi lacrymis.* Meus, *Liberat a peccatis Magdalenam.* — Rom., mendose, *Pharisee.*

65. Ms. Burmanni cum Ang., Alb., scribit *impartivit*. Plerique *impertivit*, sed nonnulli per compendium litterarum.

66. Rom., *pluria*, corr. *plurima*, Invenitur quidem *pluria* et *compluria* pro *plura* et *compluria*. Hoc tamen loco melius est superlativum *plurima*.

68. Wopkensius suspicatur *Irruit*, aut *Corripit:* probum tamen agnoscit esse *Corruit*, ut l. III, vers. 107: *Corruit ante pedes*. Idem Wopkensius in *quæque* ait encliticum *que* solummodo metri causa injectum videri: alioquin suspicandi locus esset *quasque profusis*, scilicet *plantas*, ut *et* in verbis *et crine soluto* ponatur pro *etiam*. Fortasse *sacras plantas* est accusativus appositionis. Et ea vestigia (sacras plantas) quæ irrigat, nec tergere cessat, nec lambere. Verior tamen interpretatio desumitur ex non vulgari significatione conjunctionis *que* pro *etiam*, *quoque*, ut in *hodieque* cernitur. Exempla alia ex Plinio, Tacito, Velleio, Aurelio Victore, profert Forcellinus. Iterum Sedulius hoc libro, vers. 152: *Discipulosque alios*, ut ex mss. restituam, pro *Discipulos quoque alios.*

70. Meus, Rom., Parrh., schedæ Poelm., Alm., Arnt., Ang., *Tergere nec sacras, nec cessat:* quod prætulit Burmannus, quia *tergo* poetis usitatius est, quam *tergeo*. Torn. 3: *Tergere nec cessat, nec sacras lambere plantas*. Plerique mss. et editi, *Nec tergere sacras, nec cessat lambere plantas*, quod magis aures implet. *Lambere*, deosculari, ut apud Paulinum poem. 35, vers. 541: *Castaque lambentes Domini vestigia Christi.*

71. Mss., ut in aliis scriptoribus accidit, variant in hoc verbo scribendo: alii *fraglante*, alii *flagrante;* alii *fragrante*, quod hac in re usitatius est. Versus, nescio cujus, est: *Quæ flagrant, ardent; quod fragrat, mittit odorem*, ut diversa scribendi ratio præscribatur.

72. Schedæ Poelm. *Lata*, quod ex prosa potest confirmari. In Ott. 1 etiam est *Lata*, sed male invertitur ordo horum versuum, nam prius ponitur *Lata*, tum *Unguento*. Communis lectio est *Læta*, et Nebrissensis exponit, *lætam faciens mulierem*. Contra Juvenalis sat. 2, vers. 62: *Tristis sententia fertur*. Post hunc versum *Læta* in Rom. et Ott. 2, inseritur alius, quem cæteri ignorant, scilicet, *O quam confestim pereunt discrimina leti*, vel, ut legendum arbitror, *lethi*.

73. Vet. 1, perperam, *non* pro *nos*. Rom. pro *quæsisse*, non male, *fecisse*. Arntzenius ex quodam ms. indicat *sensisse*, quod sensu caret.

74. Ott. 1, Rom., *salvabit*, errore inde orto, quod *b* et *v* facile inter se mutabantur ob affinem pronuntiationem.

75. Cant., Almel., Arntz., a pr. m., Reg. 1, ex correctione, Reg. 2, Ott. 1, 2, *mali*. In Vat. 1 fortasse prius fuit *mali*, postea factum est *malo*, atque iterum alius corrector restituit *mali*. In Reg. 1 fuit *male* ante correctionem. Vat. 2, Reg. 5, Urb., Ott. 2, Rom., Meus, Ald. et plerique editi, *malo*. Schedæ Poelmann., et Arntz., a secunda manu corrigente simili modo, exhibent *malo*. Parrh., Fabr., Torn. 3, et nonnulli alii vulgati cum Ang., Alb., *malum*. Rebus. Mendum puto *latronum* pro *latronem*, et postea *excide homini* pro *exi de homine*.

[a] Male vetus codex *anhelantibus*, nisi legeris *angustiis anhelantibus*. Melius reposuisset Juretus *anheliti-*

Utere pace mea. Magna est medicina fateri,
Quod nocet abscondi; quoniam sua vulnera nu-
[trit,
Qui tegit, et plagam trepidat nudare medenti.
En polluta diu, modicum purgata recessit
Per gemitum, propriique lavans in gurgite fletus,
Munda suis lacrymis redit, et detersa capillis.
Jamque Capharnææ synagogam intraverat urbis
Rite docens populos, quem cum vidisset iniquus
Humano sub corde latens, clamore protervo
285 Spiritus infremuit, Quid nobis, et tibi?
[dicens :
Perdere nos, heu! Christe, venis? Scio denique,
[qui sis,
Et sanctum cognosco Dei; nec plura locutus,
Imperio terrente, tacet, hominemque reliquit
Pulsus, et in vacuas fugiens evanuit auras.
Sic etiam variis finem languoribus esse
Fecit, et exclusos semper reticere coegit
Dæmonas, ac talem prohibet se pandere testem.
Olim quippe ferox, et nigræ mortis amator
Ille nocens anguis, dejectus culmine cœli
286 Cum pompis, sociisque suis, omnique ne-
[fandæ
Agmine militiæ, Christum, quem noverat illic,
Conspicit in terris, velamine carnis opertum,
Et gemit esse homini Dominum virtutis amicum.
Dumque Tyri transgressus iter, Sidonia rursus

OPUS PASCHALE.

Ecce nunc femina diuturni contagio morbi polluta, parvi gemitus afflictione purgatur, suique gurgite fletus abluitur, et lacrymis perfusa, capillis extersa, discedit munda, quæ venerat sordida.

Ad urbem quoque Capharnaum nomine Dominus cum venisset, in qua plurimos synagogæ concilio cœlestis populos edoceret, subito per humanæ vocis ministerium corporale nequissimus ille diabolus talem fremuit in clamorem : *Quid tibi, et nobis, Jesu Nazarene? venisti perdere nos? Scio, quis sis, sanctus Dei.* Moxque Domino minaciter dicente perterritus, atque dejectus : *Obmutesce, et excide homini, spiritus immunde,* magno reboans cum mugitu, quo divino se fateretur imperio verberatum, reliquit humana præcordia, fugiens in auras non videndo obscuras.

Similiter Dominus multis diversæ languentibus, et variæ cladis calamitate vexatis opem præstitit salutarem, multaque dæmonia verbo suæ potestatis exclusa loqui penitus non sinebat, fidem majestatis æthereæ tali dedignatus teste vulgari; quippe vetus anguis ille tartareus, vitæ perditor, mortis inventor, cum tota socialis pompæ dementia, totoque damnato militiæ fœdo satellite, cœlesti dejectus e culmine, Christum, quem in illa noverat arce sidereum, stupebat in terris carnis humilitate vestitum, magisque gemebat hinc lividus, quod virtutis Domino cernebat hominem sic dilectum.

Dumque Tyri dehinc loca præteriens, Sidonio Dominus graderetur in littore, curavit oblatum gemina quemdam calamitate miserrimum, qui vocis et auriam privatus officiis, nec sua dare, nec aliena po-

SCHOLIA.

centiores præferunt *mali :* Wopkensio tamen placet *malo :* nam similis trajectionis exempla apud Sedulium et alios occurrunt.

76. Consule not. ad Dracont. I, 34 : *Sic impune reis licuit peccasse fatendo.*

77. Ed. Poelm., *abscondit,* quod recte damnant schedæ ejusdem Poelmanni. Sensus enim est, Magna est medicina fateri, quod nocet, si abscondatur. In Reg. 1 fortasse fuit *abscondit,* nunc est *abscondi. Vulnera* pro vitiis et peccatis dicunt Juvencus, Prudentius, Prosper, Arator, et ad rem præsentem Severus Sanctus de Mort. boum : *Nam vulnus reserat, qui mala publicat, — Claudit, qui tacitum premit.* In prosa erat *doloris insertum.*

79. Almel., *Impolluta :* alii, *En polluta.*

80. Rom., *propriosque:* lege *propriique.* Vat. 2, Reg. 5, Parrh. et Ald., *lavans se gurgite :* melius omittitur *se,* atque ita plerique referunt *lavans in gurgite.*

81. Edimb., *rediit detersa.* Parrhasius, *redit, et deterta,* quod ait Parrhasius ita scriptum a Sedulio, quia apud Ennium legerat, *Terta nitet galea.* Verum hic locus est Varronis apud Nonium, c. 2, n. 847. In nostris mss. et fere omnibus editionibus verbum hoc scribitur *detersa,* non *deterta.* Alb., corrupte, *redit et detensa.*

82. Rom., *Ubi Dominus intravit Capharnaum.* Meus, *Dæmonem fugat.* — Schedæ Poelm. scribunt *Capernææ,* alii, *Capherneæ;* alii, *Caphernæ;* alii, *Capernææ.*

86. Arntzen., *nos jam :* alii, *nos heu!* Vatt. 1, 2, Ott. 2, Meus, Parrh., *quis sis :* alii, *qui sis.* Similis est varietas in re eadem apud Prudentium Apoth. vers. 419 : *Qui sis, quid venias, qua nos virtute repellas, — Novimus.*

87. Parrh., *Te sanctum :* reliqui, *Et sanctum.* Observavi jam in not. ad alios poetas christianos, Christum per excellentiam *sanctum* simpliciter vocari. Plura e sacris litteris testimonia profert Huetius Demonstr. Evang. prop. 9, c. 81, quibus Christus *sanctus,* et *sanctus Dei* appellatur.

88. Arntz., editio Lips., *jacet :* melius alii, *tacet.* Cantabr., Reg. 1 et nonnulli editi, *relinquit,* quod fortasse fuit etiam in Reg. 2, in quo nunc apparet, ut in plerisque et prosa, *reliquit.*

90. Meus, *Sanatque plures languores.* Poelm., *Christus variis morbis medetur, dæmonesque tacere jubet.* — Mss. plerique, etiam antiquissimus Taurinensis, et præstantissimi editi, *Sic etiam.* Vet. 2, Fabr. et nonnulli alii vulgati, *Hic etiam.*

91. Ott. 2, *Fecerat, et clausos;* retine vulgatam lectionem. Phrasis, *fecit esse finem,* pro *fecit, ut esset finis,* Sedulii æqualibus haut ignota erat.

92. Reg. 1, Ott. 1, pro d. s., et Vat. 1, supra *Dæmonas :* plerique mss., *Dæmones.* Editi præferunt *Dæmonas* more Græco, ut postrema corripiatur. Aldus edidit *ac tali prohibet se pandere testi.* Sic etiam Reg. 5. In Ott. 1 et, ut videtur, in Reg. 1, prius fuit *tali,* sed in utroque clare est *testem.* Ang., *et* pro *ac.* In Poelm. mendum est *panderet testem :* alioquin cogitare aliquis posset *ac talem, prohibet, se panderet esse.*

96. Parrh., inverso ordine, *quem Christum noverat.*

99. Rom., *De duobus cæcis.* Verius Meus, *Sanat mutum et surdum.* — Arntz., schedæ Poelm., Vat. 2, Reg. 5, Meus, Rom., Urb., Ald., *Cumque :* meliores mss. et editi, *Dumque,* etiam Parrhasius, cui Arntzenius male affingit *Sumque.* In Reg. 1 obscurum est, *iter,* an *item* sit : sed *iter* præstat retinere. In prosa mendum erat *Dumque tria dehinc.*

Arva legens, placidas Dominus calcaret arenas,
Curavit gemino miserum spiramine clausum
Qui vocem non ore dabat, non aure trahebat,
Sidereæque manus ruptis penetralibus omnes
Attactu patuere fores, lætusque repente
Audirique loquens, meruitque audire loquentes.
Tu quoque virtutis sensisti munus herilis,
287 Procumbens oculis, cujus in lumina Chri-
[stus
Exspuit, et speciem simulatæ mortis ademit.
Hinc majora docens populos cœlestia, ve-
[rum
Se reserat sermone Deum, turbasque frequentes,
Quæ nimis irruerant, cupiens vitare parum-
[per,
Stagna petit, parvaque sedens Simonis in
[alno,
Littore sistentem firmabat ab æquore plebem.
288 Et dictis jam finis erat; tunc altius ac-
[tam
In pelagus jubet ire ratem, vastoque pro-
[fundo
Retia demitti piscantia, quæ nihil omnem
Claudere per noctem vacuo potuere labore.

OPUS PASCHALE.

terat verba suscipere. Sed tactu manus ætheræ cunctis penetralibus, quæ pernicis clauserat violentia, disruptis, repente fores patuere impulsæ, venarumque custodiis protinus relaxatis, qui modo mutus videbatur, ac surdus, et ipse loqui meruit, et alios loquentes audivit.

Tu quoque Dominicæ virtutis dona sensisti, cujus in oculis tartarea cæcitate compressis Christus ut exspuit, speciem illico simulatæ mortis extersit. Cumque perennis vitæ suffragia sacris habere populos edocens institutis, Deum sese manifestius aperiret, evitans paululum turbas præcipitanter infusas, ad stagnum marini gurgitis venit, parvaque Simonis residens in carina, plebem littore permanentem divinis imbuebat oraculis. Tandem dicta definiens, numquam desideriis copiosa, jubet altius eunte navicula, pelago retia dimitti piscantia, quæ totius noctis evoluto circulo, nihil trahere de profundis opere valuere frustrato. Paret Simon sacro lætus imperio, turbasque fluctivagas linea doctus obsidione concludens,

SCHOLIA.

100. In Ott. 1 fortasse prius fuit *calcarat :* nunc est *calcaret*, ut in aliis.

102. Meus, Parrh., ed. Lips., *nec* pro *non*. Elegantius est *non*, magisque metro congruit : quamquam hæc monosyllaba, quæ brevia censentur, vel revera sunt communia, vel facile producuntur.

104. Arntzenius etsi consentit, fere omnes habere *Attactu*, tamen præfert *A tactu*. Retinenda est scriptura vetus *Attactu*, pro quo nonnulli scribunt *Atactu ;* et inde, ut videtur, Vatic. 2, Alb., *A tactu*. Observandum tamen, litteras majusculas initio versuum a littera ejusdem verbi sequentis nonnihil esse interdum separatas. Meus, *Attactu*, pro d. s., *Ad tactum*. In prosa est *tactu*, quia *attactu* verbum magis proprium poetarum est. Confer lect. var. ad l. II, v. 156.

105. Parrh., schedæ Poelm., *loquentem*.

106. Meus, *Sanat cæcum*. — Parrhas., inverso ordine, *sensisti virtutis :* schedæ Poelm., pessime, *sensisti virentis*.

107. Codex Arntz., Fabricius et nonnulli alii vulgati, *in cujus ;* alii, *cujus in*, producta ultima in *cujus* ratione cæsuræ. Cant., Arntz., plerique nostri mss., Parrh., Ald., *lumine*, cum glossa in Reg. 2, *aspectu*. Favet prosa. Reg. 1 ac plures editi, *lumina*, quod grammaticorum regulis magis est consentaneum. Censet tamen Cannegetierus, quanto quisque elegantior sit, et vetustior scriptor, tanto frequentius *in* ab eo promiscue usurpari vel cum accusativi, vel cum ablativi casu. Editor Edimburgensis putaverat, Sedulium ita scripsisse *Procumbens*, etc., imitatione Lucani III, 713. At Burmannus recte animadvertit, alia de re apud Lucanum agi. Fortasse alium locum indicare voluit editor Edimburgensis.

108. Consentiunt plerique codices in *simulatæ ;* alibi tamen hoc verbum scribitur *simulo*, et *similatus :* nisi duo distincta esse verba malis. Etiam hoc loco Vat. 1, *similatæ*. Pro *mortis* Weitzius not. ad Prudentium pag. 567 citat *noctis*, fortasse casu. Interdum tamen *nox* a poetis pro morte adhibetur.

109. Rom. *Ubi Dominus sedens in puppi, docebat turbas*. Meus *Jubet, Petrum piscari*. Arntz. *Homines* pro *populos*, ex glossa fortasse.

110. Urb., Rom., *sequentes :* melius reliqui, *frequentes*.

112. Meliores nostri mss. cum multis editis *parvaque sedens Simonis in alno :* nempe *alnus* per synecdochen pro navi a poetis interdum ponitur. Rom. contra metrum, et nullo sensu *parvo sedens in Simonis alvo*. Mss. Lipsiensis, et Almel., Vat. 1, Ott. 2, Urb., Meus, Ang., *parvaque sedens in Simonis alno*. Sic Vat. 2, Alb., et Parrh., sed *alvo* pro *alno*. Reg. 5, *parva residensque Simonis in alno :* sic in Erratis Aldus, sed hac interpunctione *Stagna petit parva, residensque Simonis in alno :* prius ediderat *parvaque sedens in Simonis alno*, quod Fabricius, Cellarius, et Arntzenius sequuntur. Nebrissensis legerat *in Simonis alno*, sed corrigit, ut stet versus, *residens Simonis in alno*. De varia quantitate hujus vocis *Simonis* vide not. ad Dracont. l. III vers. 230, et ad Juvenc. l. I vers. 458 var. lect.

113. Cellarius tenuit *firmabat* cum mss., et Fabricio : et laudavit Poelmannum pro *formabat*. Wopkensius id accepit de ms. Poelmanni : ita etiam Arntzenius, qui addit, omnes editos, quos ipse inspexerat, præferre *firmabat*. Verum Cellarius, ut ego puto, ipsam editionem Poelmanni intelligit, in qua certe est *formabat*. Nostri omnes mss. cum Ang. *firmabat*, et glossa in Reg. *docebat :* eodem pertinet mendum in meo codice *firmabit*. Consentiunt Parrhasius, Ald., et præstantissimi editi. At Wopkensius, Burmannus, Barthius tenent *formabat*, quod Arntzenius in Observat. cap. 9 late confirmat. Facilis quidem, et frequens mutatio est inter hæc verba *firmabat*, et *formabat :* et verbum Lucæ *docebat* aptius exprimitur per *formabat :* sed nihilominus deserenda non est lectio codicum *firmabat*. In prosa est *imbuebat*.

115. Rom., *In pelago :* retine *In pelagus*. Plerique codices scribunt *ratem :* nonnulli *ratim*.

116. Ott. 1, a pr. m., Meus, Rom., Ang., Alb., Ott. 2, Vatt. 1, 2, Reg. 2, *dimitti ;* alii, *demitti*. Sæpissime occurrit hæc varietas in hoc verbo.

117. Nonnemo conjecerat *vano :* sed *vacuo* pro *vano* recte poni probat Wopkensius, cui adhæret Arntzenius, licet frequens occurrat in codicibus mss. hæc permutatio.

Simon paret ovans, et aquosis gentibus in- A [stans,
Linea claustra jacit, tantumque immanis apertos
Implevit captura sinus, ut præda redundans
Turbaret geminas cumulato pisce carinas :
Nam socia isthic puppis erat. Six maxima [sæpe
Gaudia non ferimus, propensaque vota timemus;
289 Quodque Deo facile est, homines optare [nec audent.
Talibus insignis virtutibus, ibat in urbem,
Quæ sit dicta Naim, populo vallatus opimo,
Et grege discipulum, miserum cum cominus [ecce
Conspicit efferri juvenem, gelidumque cadaver,
Pluribus exsequiis et inani funere passum
Triste ministerium, cujus sors invida matrem
Jamdudum viduam gemina viduaverat urna.
Nec remorata diu pietas, inimica doloris,
Auxilium vitale tulit, tactoque feretro,
290 Surge, ait, o juvenis ; parensque in tempore dicto
Mortuus assurgit, residensque, loquensque re- [vixit,
Atque comes genitricis abit : nam funere torpens,
Et licet amissæ passus discrimina vitæ,
Non poterat famulus, Domino clamante, tacere,
Nec, vita præsente, mori. Mox agmine verso,

OPUS PASCHALE.

aquosi marmoris gentes murali cinctas protectione captivat, tantumque piscium multitudo sinus cumulavit extensos, ut et Simonis, et quæ socia puppis astabat, squamosis molibus occupata, periculo erepta sit vix carina. Sic nos etiam plerumque perturbat maximi successus inopinata felicitas, et gaudium, quod votive suscipimus, si modum, mensuramque transcenderit, velut munus intolerabile jam timemus; quæ prompta divinitate conceduntur, metuunt homines optare.

Talibus insignis, clarusque virtutibus urbem, quæ Naim dicitur, properabat intrare discipulis Dominus, populisque vallatus, cum repente juvenis aspicit cadaver efferri vanis exsequiarum muneribus tristi ministerio sublimatum, cujus matrem secundo sors invida pridem marito, nunc filio geminæ viduaverat urnæ miseria, nihilque remorata pietas, doloris inimica, vitale protinus commodavit auxilium, feretroque manu [a] redemptionis attacto, dixit Dominus ad defunctum, *Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit, qui erat mortuus, et cœpit loqui, et dedit eum matri suæ*. Licet enim juvenis luce privatus, corpore fuerit pigræ mortis oppressus, et funus veheretur exstinctum, nec famulus, Domino se vocante, reticere, nec spiritus, præsente vita, poterat non redire. Mox igitur omnis erat lacrymando, qui nubila facie [b] red-

SCHOLIA.

118. Ald., *Simo paret ;* cæteri, *Simon*. Glossa codicis Alm., sive Burman. est : *De piscibus* GENTES *dicit, sicut Virgilius de apibus*. De piscibus etiam Virgilius dixit Georg. IV, 430, *Gens humida ponti*.

119. Mirum, inter tot conjectores neminem conjecisse *Linea clathra jacit* : nam etsi Caper negat, recte Latine dici *clathra* neutro genere, tamen Nic. Heinsius in melioribus Propertii libris invenit l. IV, el. 5, vers. 72. *Cum fallenda meo pollice clathra forent*. Alii, *claustra fovent*.

122. Vet. 1, male, *Nam socio istic quis erat*, neque melius Mon., *Nam socio istic pius erat*.

125. Ott. 1, *perpensaque ;* alii, vel *propensa* clare, vel *perpensa*, aut *propensa* in dubio nexu litterarum. In mss. schedis Poelm. ad *propensa* ascriptum erat *magna*, quæ est glossa in Rom., et Reg. 2; in Reg. autem 1, *copiosa*, sed Arntzenius hanc explicationem rejicit, nisi scribatur *impensa* : et *propensa* cum Wopkensio exponit prospera, ut *pronam fortunam*, apud Velleium p. II, c. 69. Sic dicitur *propensus favor, propensa munera, propensus animus* translata significatione a lancibus, quarum quæ ponderosior est, propendet, seu deprimitur. Plerique mss., et editi *timemus*, quod prosa et sententia exigunt : nonnulli *tenemus* cum Poelmanno, et Fabricio.

125. Reg. 1, *De filio viduæ suscitato*. Meus, *Resurgit puer*.

126. Parrh., Ang., Alb., *Quæ fit ;* alii, *Quæ sit* pro *quæ est*, vel *erat dicta*. Nonnulli, *Quæ sit dicta*. Parrh., schedæ Poelm., *Naum ;* alii, *Naym ;* plerique, *Naim*, vel *Nain*. Vulgata nostra *Naim*. Ott. 1, *velatus*, sed fortasse prius fuit *vallatus*, quod cum cæteris omnibus retinendum.

127. Reg. 1, *discipulo*, eadem manus fecit *discipulum* cum glossa *discipulorum*. Sed non male erat *discipulo* adjective, quod etiam in Ott. 1, videtur fuisse a pr. m. Dracontius Satisf. vers. 154 : *Cinctus apostolica discipulante manu*, ut habent mss. codices. Sirmondus edidit *Cinctus apostolica, discipulaque manu*. Omnes nostri mss., Arntz., Parrh., Ald., prosa *cum*. Poelm. et alii vulgati *tunc*, Arntzenius ex aliquo ms. allegat *dum*.

128. Plerique nostri mss., et optimæ quæque editiones *efferri*, quo spectat Meus *et ferri*. Ottobon. 1, *offerri*, rec. m., *efferri*. Poelm. et alii vulgati, *afferri*. Sed *efferri* funeris verbum proprium est.

129. In Reg. 1, ex *passum* factum *passim* cum glossa *late, vel ubique* : rursus ad marg. pro d. s. *passum* cum cæteris.

130. *Triste ministerium* desumptum ex Virgilio VI, 223.

131. Reg. 5, *una ;* corrige, *urna*.

132. Urb., Rom., Parrh., Arntzen., Cant., *dolori*, quod prætulit Cellarius. Plerique codd. mss., et editi *doloris*, quod æque bonum est, vel melius. Mox Rom., *dedit ;* reliqui, *tulit*. Bibl. Lugd., *tectoque ;* emenda, *tactoque*. Error etiam est in Reg. 1, *tactuque*.

135. Meus, *residens, loquensque ;* desideratur conjunctio *que* ad rationem metri.

136. Parrh., schedæ Poelm., *abit, non funere torpens. — Et licet*. Commodior est recepta lectio.

137. Plerique mss. et editi, *Et licet*, nonnulli vulgati *En licet*, alii cum Fabricio *Ilicet*, quod indicant etiam schedæ Poelmanni. *Amissæ vitæ* dixit etiam Juvencus II, 525. Wopkensius observat, *discrimina vitæ amissæ*, poni pro vita amissa, ut apud alios *discrimen*, sive *periculum mortis, sanguinis*, etc. Notat etiam *discrimen* ab Avito, et Aratore usurpari pro damno, ærumna, malo.

[a] Vetus codex *manus* pro *manu*. Observat præterea Juretus, *redemptionis* pro *redemptoris* a Sedulio more suo positum.

[b] Restituit Juretus *nubila facie*, cum in vet. cod. corrupte esset *nubila facile*.

Deponens trepidum recidivo tramite luctum,
Candida felicem revocavit pompa parentem.
291 Nec tibi parva salus, Domino medicante, [Maria,
Multiplici læsum curavit vulnere sensum,
Quam fera septenis rabies invaserat armis,
Dæmonico cuneata globo; sed squameus anguis
Imperiosa sacri fugiens miracula verbi,
Corde tuo depulsus abit, volucresque per auras
In chaos infernæ lapsus penetrale gehennæ,
Septem ingens gyros, septena volumina traxit.

Neve redundantem cumulato germine messem
Exiguis Dominus sineret languere colonis,
292 Discipulosque alios, quorum mens conscia [recti,
Puraque simplicitas, numero, meritoque refulgens,
Aurea libra fuit, velut agnos præcipit inter
Sanguineos properare lupos : Assumite, dicens,
Jura potestatis, nullum metuatis ut hostem;
Vipereasque minas, et scorpionum, atque inimicæ [micæ

OPUS PASCHALE.

ditur serenata, conventus, et in recidivum tramitem posito gressus mœrore convertens, suis sedibus matrem candida revocavit pompa gaudentem.

Nec tibi, Maria, salus exigua, Domino medicante, collata, multis vulnerum plagis læsum pectoris curavit arcanum, quam septena rabies, globo cuneata dæmonico, septenis armorum motibus possidebat. Sed squamei serpens maculosus erroris, tremenda fugiens Omnipotentis imperia, tuo expulsus ex corde, chaos tartarei petivit inferni, septem membrorum gyros torquens, septenisque voluminibus evanescens.

Tunc, ne copiosæ messis germen uberrimum rari cultoris opere deficiente langueret, alios quoque duos, et septuaginta discipulos, mente simplices, puritate fulgentes, qui numero, meritoque conspicui, libra digni in aurea nuncupari, velut insontes agnos, et mites, ad asperas hominum mentes quasi lupos inter jubet ire raptores. Talibus eos verbis hortatus, et alloquens : *Ite, ecce mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Rursusque reversis, alacribusque, eis etiam ut dæmones subjacerent, dixit, hæc admonens : *Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et supra omnem virtutem inimici, et nihil*

SCHOLIA.

140. Reg. 1, 2, 5, Vatt. 1, 2, Ott. 2, Urb., Rom., Ang., Alb., et Meus cum Parrh., Ald., sched. Poelm., ms. Lips., *recidivo*. Ott. 1, *redivivo*, posteriori manu *recidivo*. Mss. Arntz. et Burm., cum plerisque editis, *redivivo*. Nebrissensis videtur adoptare *recidivo* (in notis legitur *reidvo*) cum explicatione *remenso*. Nic. Heinsius in pluribus membranis invenit *recidivus* pro *redivivus* : cui in deliciis fuit *recidivus* pro redivivus substituere, ut notavit Burmannus ad Samonicum de Medic. cap. 50. Cellarius Joan. Frid. Gronovio male affingit, quod de Nic. Heinsio narratum est. De discrimine harum vocum vide not. ad Dracont. l. I vers. 558 et l. II vers. 655. Apud Sedulium Prosa tuetur *recidivo*. Magis quidem Latinum est *redivivus* : sed scriptores inferioris ævi sæpe usum sui temporis, non id, quod magis Latinum erat, sequebantur. Adisis Isidorum l. XVII Etym. cap. 6, n. 10.

141. Rom., *renovavit*, recte emendatum per *revocavit*, h. e., iterum, atque iterum vocavit, ut exponit Arntzenius, vel potius, ut ego arbitror, in domum, reduxit. Pro *pompa* Cellarius cum Gronovio, vel cum Heinsio potius, edidit *turba* satis inepte, ut Wopkensius, et Arntzenius demonstrant ; nam de multitudine, quæ funus comitatur, *pompa* dici solet. *Pompam candidam* interpretatur Barthius l. II, Advers. cap. 2, quod veteres mortuorum lectos solerent linteis contegere. Magis tamen puto, *candidam* dici pompam, quia læta erat, cum pompa funeris flebilis sit. Sic de festa pompa Ovidius l. IV Fast. vers. 906 eodem verbo usus : *Obstitit in media candida pompa via.*

142. Rom., *De Maria peccatrice*. Meus, *Liberat a septem spiritibus Mariam*. Reg. 1, *De Maria Madalenæ*. Re vera Maria Magdalena indicatur. Vide not. ad Juv. IV, 310.

143. Poelman., mendose, *Jesum curavit* pro *læsum*.

144. Schedæ Poelm. legi jubent *Quem* pro *Quam*, invito Arntzenio. Communis lectio est *Quam*, sed in Ottob. 1 fortasse prius fuit *Quem*.

145. Urb., Rom., Meus, *Dæmoniaco* : lege *Dæmonico*, ut stet versus. Reg. 1, *conjuncta*, pro d. s. *cuneata* cum plerisque. In Ott. 1, pro *cuneata*, quod recenti manu ascriptum est, aliud fuit a pr. m. Cellarius citat Lips. sive codicem, sive editionem pro *connexa*, et in Vat. 2 videtur esse *cunctata* loco verbi *cuneata*, quod retinendum omnino est, a *cuneo* militari, sive multitudine peditum in cunei formam redacta.

146. Ott. 1, Vat. 1, codex Burmanni *Imperio sacri*, quod fortasse fuit etiam in Reg. 2. Glossa Vat. 1 est *secundum imperium*. Plerique *Imperiosa sacri*. Pro *verbi* Parrh. *Christi*, ex glossa, ut videtur.

149. Versus Virgilii V, 85.

150. Reg. 1, *Ubi misit discipulos* LXXII *ad prædicandum*. Meus, *Mittit discipulos cum virtute*. Rom., *Ubi Dominus mittit suos discipulos in mundum*. Parrhas., schedæ Poelm., *gramine;* alii melius, *germine*.

152. Reg. 1, 2, 5, Ang., Alb., Vat. 1, Ott. 2, Urb., Meus, Rom., codd. Burmanni, et Arntzenii cum Aldo, Vet. 1, 2, Mon., *Discipulosque;* in Ott. 1 videtur ita fuisse, sed deletum est *que*. Mirari subit tantam codicum mss. consensionem in conjunctione *que* intrudenda, quæ certe necessaria non videtur, ac propterea in plerisque editionibus omittitur. Equidem censeo, Sedulium ita scripsisse, ut verba Lucæ referret c. X, vers. 1 : *Post hæc autem designavit Dominus* ET *alios septuaginta duos*. Sedulius *que* pro *et*, aut *etiam* posuit, ut jam notavi ad vers. 68 hujus libri, *Mens conscia recti* ex Virgilio I Æn. 608.

154. Cellario *libra* videtur esse non stater, aut examen, sed pondo, ut ad parabolam de talento respiciatur. Crediderim potius, metaphoram desumi a libra, seu libella, machina geometrica, qua altitudo maris, fontium, fluviorum, etc., exploratur. Vel alluditur ad 12 uncias libræ, quia sex 12 faciunt 72.

156. Reg. 2, *Jure*, sed correctum, *Jura*. Editio et schedæ Poelm. cum nonnullis aliis editis *timeatis*. Plerique mss. nostri, et alii, *metuatis*. Bis apud Dracontium II, 257, 750, occurrit hemistichium, *Jura potestatis*.

157. Reg. 1, 2, Vat. 2, Alb., Rom., Meus, *et scorpionum, atque inimica*. Sic etiam Ott. 1, sed prius fuit *scorpion*, ut videtur, et *inimice*. Vat. 1, *et scor-*

293 Omnia virtutis sensu calcate fideli.
Nulla meis famulis feritas adversa nocebit.
Nec tantum hoc gaudete, viri, quod spiritus ater
Subjaceat vobis, quantum quod nomina vestra
Scripsit in æterno cœlestis littera libro.
Jus est quippe Dei, vitam præponere factis.
Nam merito cessante bono, miracula nil sunt,
Quæ faciunt plerumque mali quibus arbiter orbis,
Nescio vos, dicturus erit, discedite, cuncti
Artifices scelerum, rebus qui semper iniquis
Divinum simulastis opus. Sic tempore Moysi
294 Carminibus quidam vanis Memphitis in oris
A 170 Signa dabant non sponte Dei, sed imagine falsa
Visibus humanis magicas tribuere figuras.
Post Pharisæorum cujusdam principis intrat
Clarificare domum, non escam sumere tantum,
Ad quam tunc facili convenerat ille precatu.
Hic homo perspicuo distentus ventre tumebat
Plenus aquæ, gravidamque cutem suspenderat [alvus
Inclusam paritura necem; jam membra fluebant,
Accrescente sinu, miserosque infusa per artus
Turgida perflatum macies tenuaverat ægrum,

OPUS PASCHALE.

vobis nocebunt. Verumtamen nolite gaudere, quod spiritus vobis subjecti sunt. Gaudete, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlo. Hæc est enim regula divini judicii, vitam factis anteferre, non facta vitæ præponere. Nam si meritum sancti cessaverit instituti, nihil habent [a] momenti miracula, quæ probantur et a malignis frequenter ostensa, quibus ille secretorum testis, et arbiter gestorum, seu retributor dictorum evangelistæ prædixit eloquiis, *Non novi vos, discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem.* Talis sub Ægyptia quondam Pharaonis aderant tyrannide duo sceleratæ societatis artifices, qui Mem- B phiticis vanitatibus confidentes, Moysi cœlestia nitebantur æmulari miracula, dolisque magnificis fabricatas humanis visibus nebularum opponebant imagines, et figuras.

Interea cujusdam Pharisæorum principis veniens obsecratus ad epulas, non magis vescendi gratia, quam ejus domum clarificare festinans, vidit hominem falso crassitudinis tumore distentum, cujus, aqua redundante, perspicuus utris putabatur esse, non uterus, prægnansque cutis immanitas necem parturibat inclusam, et tabescentium detrimento membrorum sinus augebatur immodicus. Ita macies ubi-

SCHOLIA.

pionum, atque inimice. Urb., *et scorpio atque inimica*, fortasse mendose pro *scorpion*. Ott. 2, Ang., Parrhasius, et plerique editi, *et scorpion atque inimica*. Reg. 5, *et scorpi inimica venena :* ita correxit Aldus in Erratis, cum in contextu edidisset, *et scorpionum inimica venena*. Nebrissensis correctioni Aldi adhæsit, quam etiam exhibent schedæ Poelm., Arntzenio non probante. Codex Alm., *et scorpion, atque inimicæ*. In tanta discrepantia veterum exemplarium existimo, a Sedulii manu esse, *Vipereasque minas, et scorpionum, atque inimicæ — Omnia virtutis*. Tertia in *scorpionum* produci solet, sed vocales *i* et *o* contrahi possunt in unam syllabam per synæresin. *Omnia virtutis inimicæ* ponitur pro *omnem virtutem inimicam :* quales locutiones non semel observavi in Juvenco, ut ex indice verborum verbo *omnia* colligitur. Verba Lucæ sunt c. x, vers. 19 : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici : et nihil vobis nocebit.* Ex quibus emendari debet interpunctio Arntzenii, quæ est hujusmodi : *Assumite, dicens, — Jura potestatis, nullum metuatis ut hostem — Vipereasque minas, et scorpion : atque inimica — Omnia virtutis sensu calcate fideli.* Nam *calcate* conjungendum est cum *minas*, etc.

158. Cant., Meus, *virtuti;* Rom., *virtute ;* legendum, *virtutis*, ut nuper dicebam. Rom., *fidei* pro *fideli :* sic producenda esset secunda in *fidei* cum Paulino ; præstat tamen retinere *fideli*.

159. Quidam editi, *feritas famulis*.

160. Nonnulli editi, *quid ;* retine *quod*. Confer not. ad Juvencum II, 45. *Spiritus ater*, scilicet dæmon.

161. Torn. 2, *Subjiciat vobis ;* corrige *Subjaceat*.

162. Ms. Burmanni, Reg. 1, a pr. m., *Scribat*. Urb., Rom., *Scribit*. Reg. 1, pro d. s. a manu posteriori, sed antiqua, *Scripsit*, quod plerique præferunt.

163. *Facta* res gestæ sunt memoratu dignæ, aut miraculosæ : uti *vita* simpliciter pro bona vita aliquando sumitur. Wopkensius profert locum Severi Sulpicii cap. 26 Vitæ S. Martini : *Nam etsi facta illius explicari verbis utcumque potuerunt, interiorem* C *vitam illius... nulla umquam... explicabit oratio.*

165. Meus, *plerique ;* melius reliqui, *plerumque*.

166. Vet. 1, *docturus ;* lege, *dicturus*.

168. Reg. 1, Ott. 1, *simulatis ;* rectius alii, *simulastis*. Vat. 1, a pr. m., *similastis*, a sec. rec. manu, *simulastis*. Plerique mss., *Moysi ;* editio Poelm., *Mosi*, schedæ ejusdem Poelm., *Mosis ;* Aldus, *Mosæ* quod tenuit Nebrissensis, scilicet *Moses, Mosæ*, ut *Anchises Anchisæ*. Arntzenius rejicit *Moysi*, quasi id metro repugnet. Sed potest per synæresin esse disyllabum.

169. *Memphitis* cum substantivo aliquo solet conjungi, ut *Memphitis ora, aula, terra :* casus vero secundus apud antiquiores Latinos est *Memphitidis*. Sedulius pro regione Ægyptia novo more simpliciter adhibet *Memphitis, Memphitis*. Memphis urbs erat Ægypti.

170. Parrh., schedæ Poelm., *falsi ;* alii, cum prosa *falsa*.

172. Rom., *Ubi Dominus sanavit hydropicum*. Meus, *Hydropicum sanat*.

174. Reg. 1, Rom., *facilis*, non male, pro *facili*.

176. Fere omnes nostri mss. cum ms. Arntz., Parrh., Ald., Fabr., et aliis, *aquæ :* in Ott. 1 est *a que*, sed fortasse fuit *aquis*. Meus, Alm., editio et schedæ Poelm., et multi vulgati, præsertim recen- D tiores, *aquis*. Cant., Ang., ms. et ed. Lipsiensis, Vet. 1, 2, Mon., *aqua*. Numero singulari favet prosa. Wopkensius conjicit *gravidaque*, ut *a* ante *que* producatur quod novum non est. Sed recte opponit, Arntzenius, in prosa, *prægnans* ad *cutis*, non ad *alvus* referri.

177. Vat. 2; Vet. 1, *Inclusa ;* retine, *Inclusam*. Nonnulli codices mss. scribunt, *Inclausam*.

178. Urb., Rom. *Arescente sinu*, nullo idoneo sensu. *Infusa per artus* Virgilianum est l. VI, vers. 726.

179 Plerique, *perflatum*, et in Reg. 2, et Ott. 1 glossa, *valde flatum*. In Reg. 1, etsi nonum videtur verbum, glossa tamen est *fetidum anhelitum ;* quod indicat *per flatum*. In meo codice est *per flatum*, et ad marg. pro d. s. *per flatu*. Urb., Angl. et ed. Edimb. *per flatum*.

180. *Spatium uteri*, magnitudinem, amplitudinem, et molem uteri, ut apud alios spatium corporis, lateris, plantæ, rhombi, et similia.

[a] Erat in vet. cod. *monumenti* pro *momenti*. Mox in nonnullis editis mendose *doctorum* pro *dictorum*.

Inque uteri spatium totus convenerat hydrops. A
295 Non tulit hanc speciem mundi Pater, et sua transit
Sabbata non curans, hominem curare paratus
Quem voluit magis esse suum : nam sabbata [propter
Condita sunt hominem, non est homo sabbata [propter.
Tunc pius humentem siccata corporis unda
Jussit abire luem : fluidus mox viscera morbus
Deserit, et vacuæ resident in pectore fibræ,
Carnalemque lacum pestis lymphata reliquit.
296 Cœperat interea Dominus, Galilæa per [arva
Transgrediens, sancto quoddam pede tangere [castrum. B
Hunc procul ut videre decem maculosa ge- [rentes
Leprosi portenta viri, quos corpore fœdo
Discolor obscenis turpabat pœna figuris,
Præceptor, miserere, potes namque omnia, [Jesu,
Clamantes dixere simul : tunc flexa potestas,
Quæ numquam pietate vacat, clementior infit :
Ite, sacerdotum conspectibus ora referte.
Cumque viam peterent, subito mundata vi- [cissim
Mirantur sua membra viri, variumque tuentes
Esse nihil, sese pariter speculantur, et omnes
Explorant proprias alterno lumine formas.
Ex quibus ut grates ageret pro munere tanto,
297 Vix unus reduci conversus tramite, pronus

OPUS PASCHALE.

que dominata totum hydropem in alvum turgidam congregarat. Non tulit mundi Pater hanc speciem, se præsente, consistere, suaque sabbata, quæ tunc aderant, non curavit, hominem festinans curare, quem suum magis esse desideraret. Nec enim hominem propter sabbatum Deus instituit, sicut in alio Evangelii sancti capitulo suis Dominus ipse verbis edocuit, sed sabbata propter hominem procreavit. Tunc opus salutis impertiens, humentem viscerum desiccari jussit illuviem. Cum repente morbosa paludis corporeæ unda discessit, lacusque vitreæ jam carnis exhaustus lymphatæ pestis subito vacuatus abscessit.

Cumque Dominus Hierosolymam petens, per Samariam, et Galilæam, Hiericumque transiret, quoddam castrum clementer ingressus est, quem procul ut decem miseri videre leprosi, maculosa corporis obscenitate fœdissimi, quos discolor sparsa vultibus pœna turpi fecerat deformitate portenta, simul una voce clamavere flebiliter : *Jesu magister, miserere nostri.* Tunc singularis illa potentia, quæ numquam pietate fit [a] vacua, respondit, ac miseranter dixit : *Ite, ostendite vos sacerdotibus.* Subitoque, dum properant, fugit omnis ex eorum membris iniquitas, et mutuis se visibus intuentes, alterna pariter mundatione gaudebant, quod in nullo quidquam ex horrenda varietate remanserat. Ex quibus unus tamquam decimas præ omnibus percepti muneris obla-

SCHOLIA.

181. *Non tulit hanc speciem*, hemistichium Virgilianum II Æn. vers. 407.

182. Arntz., *sanare;* alii, *curare*, quod venustius est, cum idem verbum præcedat *non curans*, etc.

184. Reg. 5, Ald., Fabr., et nonnulli alii vulgati, *sed non homo* pro *non est homo*. Ott. 2, *hominem, non homo sabbata* contra metrum. In Urb. et Vat. 2 desideratur hic versus.

185. Pro *pius* Arntzenius suspicatur *prius* ob sequens *mox :* sed retinet *pius* ex prosa, et quia hoc epitheton Sedulio in deliciis erat. Parrhasius ex aliquo codice jam ediderat *prius*.

186. Schedæ Poelm. monent, legendum *abire*, non *habere*, quia scilicet in ejus editione exstat *habere luem*. In Vat. 1 fuit *habere*, sed correctum est per *habire*, quo innuitur *abire*. Cellarius cum Alm., Lips., et quibusdam vulgatis edidit *fluvidus*. Ita etiam scribunt Reg. 1, 2, Vat. 2, Alb., sed in Reg. 1, 2, correctum est per *fluidus*, quod præferunt plerique nostri mss. cum cod. Cant., Parrh., Ald., et aliis editis. Sæpe hæc permutatio in mss., et editis etiam aliorum scriptorum occurrit : sed satius est amplecti *fluidus*, nam *fluvidus* a lucretio adhibetur, fortasse ut primam producat. Cum igitur corripitur, scribere præstat *fluidus*.

188. Meus, *locum;* alii, *lacum*, quod probum est. Meus, *lymphatica linquit :* cæteri, *lymphata reliquit*. Urb., Fabricius, et quædam aliæ editiones *relinquit*, ut v. sup., *resident :* sed hæc mutatio temporum, sæpe eleganter adhibetur. In Reg. 1 ex *relinquit* factum est *reliquit*. Arntzenius scripturam *lymphatica liquit* quam schedæ Poelm. indicant, non inconcinnam dicit esse. *Lymphatus* et *lymphaticus* eadem significatione gaudent : et quamvis pro furenti utrumque verbum soleat accipi, Sedulius a *lympha*, sive aqua sumit pro aquoso. Ser. Samonicus c. 27, vers. 507 : *Helleboro quoque purgatur lymphaticus error;* sic codices emendatiores; alii legunt *humor* pro error. Prosa Sedulii favet receptæ lectioni. Triplex distinguitur hydropis species : Ascites, cum aqua est in cavitatibus, vel inter peritonæum et musculos; Tympanites, cum membranas distendit non aqua, sed aer; et Anasarca, cum aqua inter musculorum interstitia, cutem, et glandulas per ambitum corporis diffunditur. Sedulius primam, et tertiam speciem describere videtur.

189. Rom., *De decem leprosis*. Meus, *decem leprosi mundantur*. Mon. corrupte, *Gallica per arva*. Nonnulli scribunt *Galilea*, alii *Galilæa*.

190. Ott. 2, *sanctum;* lege, *sancto*.

193. Arntz., Ang., Reg. 5, Urb., Rom., cum editionibus Parrh., Ald., Lips., *turbabat* minus bene. Ott. 1, *torpebat*, diversa scriptura, vel potius correctio *turpabat :* ita plerique; Meus, *turparat*.

196. Schedæ Poelm., Reg. 5 ad marg., *inquit* pro *infit*.

197. Editio Poelm., et nonnulli alii vulgati, *referre*, quod etiamsi defendi possit, tamen non est a manu Sedulii, ut ex prosa liquet. Schedæ etiam Poelm. damnant *referre*.

198. Arntz., *curata;* alii, cum prosa, *mundata*, quod verbum in re eadem adhibitum libr. 3, vers. 29.

202. Reg. 5, Ald., *agerent*.

205. Wopkensius ex conjectura præfert *mox unus*, quia leprosus ille non vix, aut ægre hoc officium præstabat. Lectionem receptam explicat *vix quia cæterorum exemplo hinc avocatum iri credidisses, vel*

[a] Fortasse, *fuit vacua*.

Sternitur ad terram, Dominum virtutis adorans, A
Atque sacerdoti vero sua protulit ora.
Denique pontificum princeps, summusque sacer-
[dos
Quis, nisi Christus, adest? gemini libaminis auctor
Ordine Melchisedech, cui dantur munera semper,
Quæ sua sunt, fructus segetis, et gaudia
[vitis.
Cum residens cæcus Timæi filius illud
Propter iter, Dominum per quod cognoverat ire,
298 Vociferans crebro lumen clamore pe-
[tisset,
Nec, populo prohibente, tacens, accedere jussus
Ad Dominum palpante manu, visumque rece-
[pit,
Et, nullo ducente, redit. Quam fortiter instat
Importuna fides! quidquid res dura negarit,
Sola frequens votis oratio præstat honestis.
Unanimum panem sic ille petebat amicum,
Qui foribus clausis per opaca silentia noctis,
Obnixeque diu, confidenterque neganti,
299 Vocibus assiduis, precibusque extorsit
[anhelis.
Præteriensque viæ Dominus loca Samaritanæ,

OPUS PASCHALE.

turus, grata festinatione regrediens, ante Dominum se prostravit in faciem. Magna viri fides, magnaque prudentia, qui sub unius qualitatis effectu gemina fuit devotione officium : fides, quod ob hoc se mundatum credidit, quia rogavit. Prudentia, quod sacerdotibus se jussus ostendere, Jesum maluit adorare. Quis enim, nisi Dominus Christus, pontifex pontificum, sacerdos sacerdotum, gemini libaminis B auctor, et conditor, cujus secundum ordinem Melchisedech munera, quæ pro nobis obtulit crucifixus, sui corporis consanguinitate offeruntur, triticeæ sementis cibus suavis, et amœnæ vitis potus amabilis?

Cum Thimæ filius juxta viam fraudatus lumine resideret, qua Christum cognoverat transmeare, crebroque vociferans cum clamore, nec populis ve-

tantibus conticescens, oculatæ sibi tribui copiam claritatis magis ac magis postularet, ad Christum venire jussus, aliena manu perrexit, et voti compos accepti, nullo fultus duce rediit. O confidentiæ virtus infractæ, quam violenter impetras, quæ optatis, et assiduis ex corde precibus congregatis tamquam debitum exigis, qua postulas [a], sic mereris! Quid- quid enim pro qualitate difficile res durior abnegarit, sola votis simplicibus, et honestis oratio frequens obtinet supplicantis, non quod aliquid Deo difficile, sed quod magnitudo causæ sit humanitus desperare, sicut ille nocturno silentio, qui panes sibi diutinus negante postulans ab amico, quæ jure charitatis merere non valuit, auxilio justus importunitatis extorsit [b].

Samaritana quoque Dominus loca præteriens, hu-

SCHOLIA.

ob vilitatem hujus alienigenæ cum cæteri essent Judæi. Arntzenius difficultatis nebulas removeri ait, si *vix* construatur cum *conversus tramite*, ut hic sensus sit, *Statim ut redux fuit, sternitur pronus ad terram.* Nodum in scirpo quærunt, *vix unus* valet *unus tantum.* Cicero l. XII, Famil. ep. 4, a med., *Dolabella valde vituperabatur, quod tibi tam cito succederet; cum vix dum triginta dies in Syria fuisses.* Terentius Phorm. IV, 2, 4 : *Vix dum dimidium dixeram, intellexerat.* De varia significatione verbi *redux* videri potest index Dracontii.

205. Vet. 1, 2, *vera ;* emenda *vero :* Christus enim est verus sacerdos, ut ex sequentibus patet.

207. *Gemini libaminis,* quia sicut Melchisedech panem et vinum obtulit, ita Jesus Christus corpus suum, et sanguinem sub specie panis, et vini obtulit, sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

209. Reg. 1, 2, Ott. 1, Vat. 2, Ang., Alb., schedæ Poelm., Parrh. *fructus segetis, et :* alii cum plerisque editis *segetis fructus, et,* quod fortasse ab imperitis D librariis factum, ut ultima in *segetis* positione producatur : frustra, nam in *fructus segetis, et* ratione cæsuræ postrema vocis *segetis* produci potest, et in alia lectione *fructus, et* eadem est difficultas, siquidem ultima in *fructus* etiam numeri pluralis a Sedulio corripi solet. Meliores codices habent *fructus segetis, et gaudia vitis,* quod et planius est. Cur vinum dicatur *gaudia vitis,* vide not. ad Dracont. I, 172, *Munera lætitiæ,* etc.

210. Rom. *De cæco filio Timæi.* — Arntz. *Dum*; alii *Cum.*

211. Male ed. Lips. *præter iter;* nam *præter* significat motum, *propter* statum in loco. Nec melius Aldus *prope iter ;* nam id metro repugnat.

212. Vat. 1 *petivit ;* cæteri *petisset.*

214. *Palpante manu*, scilicet accessit palpante manu, *a tientas,* dicunt Hispani.

215. Torn. 1, 2, *docente* contra prosam, ait Arntzenius ; contra metrum etiam, addere debuit. Ex Aldo hic error in alios permanavit ; sed Aldus in Erratis substituit *ducente.* Arntz., *o quam;* non patitur lex metri. Fabr., et quædam aliæ editiones, *quum* pro *quam* minus recte.

216. Urb., Rom., Meus, Ang., *negaret ;* ita fuit in Reg. 1, sed emendatum fuit per *negarit* cum glossa *vetaverit.* In Ot. 1 dubium, an *negavit*, an *negarit* exaratum fuerit. Communis, probique lectio est *negarit.* Verba *res dura* redolent Virgilium I Æn. 267 : *Res dura, et regni novitas me talia cogunt.*

218. Rom. *De illo, qui petiit panem ab amico.* Antiquiores nostri codices Reg. 1, 2, Ott. 1, Vat. 2, *Unanimum ;* alii *Unanimem.* Eodem modo editi variant.

219. Parrh., schedæ Poelm. inverso ordine *clausis foribus.* Nox a poetis dicitur *opaca*, hoc est, obscura : hinc *opaca silentia noctis.*

220. Reg. 1, *Obnexoque*, ex quo factum *Obnixoque* cum glossa, *resistente amico ;* rursus correctum *Obnixeque.* In Ott. 1, aliud videtur fuisse ; sed eadem prima manus apposuit *Obnixeque.* Reg. 3, *confidensque*, quod ex Aldo fortasse sumptum est ; sed in Aldo nexus litterarum indicat *confidenterque :* id sensus et metrum postulant. Pro *neganti* male Parh. *negavit.* In Rom. fuit etiam *negavit*, sed correctio addita est *neganti,*

222. Reg. 1, *De muliere Samaritana.* Rom. *Ubi Dominus venit ad puteum.* Meus, *Poscit aquam, ut det eam.*

[a] In Gallandio invenio *qua quod postulas, sic mereris ;* in antiquis Bibliothecis Patrum *qua postulas, sic mereris.* Malim *qua postulans, sic mereris.*

[b] Mendosus vetus codex *extorsi* pro *extorsit*, et paulo post *adorem* pro *ardorem*, quod a Jureto notatum.

Humanam flagrante sitim collegerat æstu,
Fonsque perennis aquæ, modicam desiderat [undam,
Ut biberet, qua corpus erat; tunc accola gentis
Stans mulier, parvum puteo quæ traxerat hau- [stum,
Cum dare cunctatur perituræ munera lymphæ,
Agnoscens propriam numeroso conjuge vitam,
Orat, inexhausti tribui sibi dona fluenti,
Æternam positura sitim, qua nemo carere
Dignus erit, Domini nisi mersus gurgite Christi,
300 Percipiat placidas animæ, non corporis, [undas.
Dumque sui media residens testudine templi,
Ore tonans patrio, directi ad pervia callis
A 235 Errantem populum monitis convertit amicis,
Ecce trahebatur, magna stipante caterva,
Turpis adulterii mulier lapidanda reatu,
Quam Pharisæa manus placido sub judice [sistens,
Cum damnare parat, plus liberat: omnibus illis
240 Nam simul e turbis proprio sine crimine nullus
Accusator erat, saxum qui missile primus
Sumeret, obscœnæ feriens contagia mœchæ.
301 Nec poterat quisquam festucam vellere [parvam
Ex oculo alterius, proprio qui lumine grandem
245 Sciret inesse trabem. Profugus sic ille reces- [sit
Impetus, et clemens donat sententia culpam,

OPUS PASCHALE.

manæ sitis ardorem die collegerat æstuante, fons- B que jugiter pervius, et perennis aquæ semper irriguus, undam desiderabat exiguam, qua materiem gerebat corporis epotandam. Hic mulier illius regionis indigena, quæ profundo latices hauriebat e puteo, modicæ cunctatur munus aquæ tribuere, cognoscens voce prophetica numeroso, vel alieno de conjuge sui criminis vitam, immortalia sibi Dominum fluenta largiri orat, quorum numquam deficiente substantia, sitis deficeret abolenda, ignorans prorsus, ac nesciens, nullum tanto munere potiturum, nisi qui gurgite Jesu Christi submersus, undis spiritalibus, anima fuerit, non corpore satiatus.

Dumque hujus tonans ore salvator sacri mœnibus resideret in templi, populum miseratus errantem, in rectum tramitem amica vitæ [a] monitione convertens, ecce ducebatur abstracta cœtu magnæ multitudinis præceps adultera ad eum deformis, legitimæ consuetudinis instituto lapidum jactibus obruenda. Quam pio judici sævus accusantium furor ingessit, damnare cupiens, liberavit. Nam conditione proposita ut puniendi sceleris auctor existeret, qui sceleris nihil haberet, nullus suo judicio purus inventus est, qui feriret impuram. Nec enim ex alterius oculo festucam quis audebat evellere, cum trabem sciret in proprio permanere. Mox igitur totum rapidæ se-

SCHOLIA.

223. Vat. 2, *Humana :* corrige *Humanam*. Arntz. C *conceperat*, quæ glossa est in Alm, ad *collegerat*. Heinsius ad Ovid., l. v, Met. vers. 446, citat *Immensam* pro *Humanam*, et Arist. sacr. cap. 20, *contraxerat* pro *collegerat*. Verum hæc sæpe scriptoribus excidunt, rem ipsam potius, quam verba attendentibus.

224. Vat. 2, *Fons perennis :* corrige ex lege Pedia, *Fonsque perennis*.

225. Fere omnes nostri mss. cum Lips., ed. Ald. *qua corpus erat*, quod prosa confirmat. Alm., Vet. 1, 2, Mon., Col. *quia corpus erat*. Ita fuit in Reg. 1, sed ex *quia* factum est *qua*. Parrh. *qui corpus erat*. In schedis Poelm. variæ hæ erant lectiones, *Al. quia, al. qui, al. qua corpus alat :* hanc ultimam Arntzenius non ineptam censet. Ea exstat in meo codice, ad cujus marg. diversa scriptura indicatur *qua corpus erat*. Glossa hujus in Reg. 1, est *qua - de qua parte*. Ad verbum *accola*, notat Nebrissensis, *Quid, si legas incola?* Revera *accola*, et *incola* in eo differunt, quod *accola* est, qui juxta, vel circa locum aliquem habitat, *incola*, qui in aliquo loco habitat. Sed cum Sedulius dicat *accola* non *urbis*, sed *gentis*, fortasse aptius vocabulum huic loco est *accola*, quam *incola*. D

226. Reg. 1 *haustus*, quod factum videtur ex *haustum:* sensus sic erit *parvum haustus, quasi parum haustus*. Communis scriptura *haustum* non male procedit.

228. Wopkensius mallet *parvam* (forte *pravam*) pro *propriam*, sive etiam *culpam*, vel *noxam* pro *vitam*, retento tunc *propriam*. *Vita* sic absolute intelligitur aliquando vitæ ratio, bona, vel mala, quod ex adjunctis determinatur.

232. Ott. 2, Meus *Præcipiat :* alii melius *Percipiat*. Ott. 2, *placidasque animæ :* abundat conjunctio *que*.

233. Reg. 1, *De muliere in adulterio deprehensa*. Meus, *Mulier absolvitur adulterii reatu*. Cant., Arntz., Urb., Rom., Meus, ed. Lips., Ald. *Cumque :* plerique *Dumque*. Reg. 2., Ott. 1, *media residens :* alii *residens media*. Vat. 1, *residens medii*. Virgilius vero, ex quo Sedulius proficit, l. I Æneid. vers. 509, *Media testudine templi*. Videndus ad h. l. Servius, quem Isidorus XV Orig. 8, describit, non ut suo nomine venditet, quæ Servio debet, ut ait Arntzenius, sed quia opus ipsum Isidori est centonarium.

236. *Ecce trahebatur*, ex Virgilio I Æn. 403. *Magna stipante caterva*, ex eodem IV Æn. 509.

238. Schedæ Poelm. *Quum* pro *Quam* bono aliquo sensu, si v. seq. legatur *Condemnare*.

239. Fabr. et quædam aliæ editiones *Dum damnare parat*, Reg. 1, *Cum damnare paret*, ex quo factum *Condemnare parat*, uti etiam exhibent Ott. 1, Urb., Ang., Rom., et alii mss. apud Arntzenium, et schedas Poelmanni cum editione Parrhasii. Rursus in Reg. 1 pro d. s. indicatur lectio communis, *Cum damnare parat*, ubi *cum* sumitur pro *dum*. In Vat. 1 fortasse fuit *Condemnare*, nunc est *Cum damnare parat*. In Reg. 1 ex *illis* factum est *ille* cum glossa *Judex Christus :* iterum pro d. s. *illis*, Parrhasius interpunxit *plus liberat omnibus illis.—Nam simul*. Ald. *plus liberat, omnibus illis.—Nam simul*. At *omnibus illis* conjungendum est cum *turbis*.

240. Meus, *ex :* alii, *e*.

242. Meus *fugiens :* retineo *feriens*, quod Prosa confirmat. *Contagia mœchæ*, h., e., mœcham contagiosam, ut similia multa Sedulius adhibet.

243. Fabr., et pauci alii editi cum prosa *evellere*, quod Meus innuit in *evelere*. Plerique, *vellere*, Alm., *pellere*.

244. Meus, Rom., Parrh. *qui in lumine*, ita etiam Urb., sed mendose *limine* pro *lumine*. Plerique omittunt *in*.

246. *Sententia* eleganter adhibetur pro judice eam ferente, quod multis exemplis potest confirmari.

[a] Perperam vetus codex *vita* pro *vitæ*, et mox *qui ferret in puram* pro *qui feriret impurum*.

Jam non peccandi sub conditione solutam.
Nam vomitum quicumque suum canis ore re-
[lambit,
Nec veterem studet hic veniam, nec habere fu-
[turam,
Hujus damna tenens, hujus compendia perdens.
Inde means, genitum cernit considere cæcum,
Qui male prægnantis delapsus ventre parentis,
302 In lucem sine luce ruit. Tunc sanguinis
[ille
Conditor humani, mundique orientis origo,
Imperfecta diu proprii non passus haberi
Membra operis, natale lutum per claustra ge-
[narum
Illiniens, hominem veteri de semine supplet.
Nec visum tamen ante capit, quam voce ju-
[bentis
Accepta Domini, Siloam venisset ad undam,
Et consanguinei fotus medicamine limi,
Pura oculos fovisset aqua; mox ergo gemellæ
303 Vultibus effulgent acies, tandemque me-
[rentur
Ignotum spectare diem. Cognoscite, cuncti,
Mystica quid doceant animos miracula nostros.

OPUS PASCHALE.

ditionis incendium conscientiæ fuit immunditie restinctum, omnisque tacite [a] confitendo reus inventus est accusator. Tunc clemens Domini, mitisque sententia manifesti criminis mœcham non judicans absolvit, sed miserans non punivit, reversuram scilicet ad pœnam, si reverteretur ad culpam. Nam quisquis canino ritu [b] illuvies, quas evomuit, appetit, et relambit, nec veterem studet habere veniam, nec futuram, hujus lucra deperdens, quam inaniter acquisivit, illius damna sentiens, ad quam pervenire non meruit.

Hac etiam Dominus e regione discedens, cæcum conspicit naturalem, qui miseræ matris ex utero lapsus ipse miserior, in lucem sine luce pervenit. Tunc humani sator ille principii, mundique conditor, atque perfector, oris sui fabricam non passus manere minus impletam, speculari deficiente materia, lutum [c], naturale scilicet instrumentum, genarum claustris illiniens, quod in homine minus esse conspexerat, de veteri bonus opifex cæmento supplevit. Nec prius tamen ille sumpsit aspectum, quam Domini præceptis admonitus, Siloæ salubrem venisset ad laticem, et tutus [d] consanguinei medicamento jam limi, unda oculos lavisset infusa. Mox itaque sanis ex vultibus acies gemellæ fulserunt tandem, dignæ conspicere, quem prorsus ignotum habuere primitus diem. Omnes igitur hæc spiritualiter legentes oportet advertere, quid mystica doceant hujus facti miracula. Cæca sumus enim proles fetibus Evæ creati miserrimæ, per tenebras genuinæ

SCHOLIA.

247. Meus *salutem*, quod aliquo pacto explicari potest : sed communis, et vera lectio est *solutam*.

248. *Relambo* auctorem Sedulio antiquiorem fortasse non habet. *Canis ore* est *ad morem canis*, ut explicat Nebrissensis.

250. Cant. *damna ferens* : alii *damna tenens*, sed in Reg. 1, pro *tenens* aliud fuit. Plerique *perdens*, aut ita clare, aut in compendio litterarum. Parrh., schedæ Poelm. *perdit*. Barthius cum suo ms. optimum judicat *pendens*, invita prosa. Urb. corrupte *compendia tenens*.

251. Meus, *Videt cæcus natus*. Parrh. *consistere* : verius est *considere* ex Joann. c. IX, v. 8, *Nonne hic est, qui sedebat, et mendicabat?*

252. Reg. 2, Ang., Ott. 1, Meus, Parrh., et multi editi *delapsus* : alii nostri mss., codd. Burm., Arntz., et plurimæ editiones *dilapsus*. Arntzenius tuetur *delapsus*. *Delabi de ventre parentis* eleganter dicitur, ut *cadere de matre*, pro egredi ex utero matris. *Male delapsus*, quia cæcus natus est.

253. *Sanguinis*, nempe generis. Virgilius ecl. VIII, vers. 45, *Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt*.

254. Rom. contra metrum, *mundi quoque orientis*.

255. Reg., 1, *habere*, supra melius *haberi* cum cæteris.

256. Meus corrupte *per clausta*, ex quo suspicari aliquis possit *per clausa genarum*, h. e., per clausas genas. Evangelista ait, *Linivit lutum super oculos ejus*, quod arguit receptam lectionem veram esse. *Natale lutum*, ut vers. 260, *consanguineus limus*.

258. Parrh., schedæ Poelm. *monentis* ; nervosius est *jubentis* cum prosa, et aliis.

259. Arntz., *Siloe*, cui favet prosa. Bona etiam est communis lectio, ut *terra Asia, humus Græcia*. Vox *accepta* est vox audita. Aliquando exprimitur *auribus accipere* pro audire.

260. Reg. 2, *Nam cum sanguinei* : sed glossa est pro *consanguinei*, scilicet *Namque homo ex limo formatus*, etc. Ott. 1, Meus *totus* pro *fotus*, fortasse quia illico v. seq. recurrit *fovisset*. Legi hic posset *lotus*, aut potius v. seq. *lavisset*, ut nunc dicam.

261. Arntz., Ang., *lavisset*, quod conjecerat Burmannus, ea probabili ratione ductus, quam modo indicabam ad v. præc. Codex Alm., *gemellis* : lege *gemellæ*.

262. Pro *merentur* Arntz. *videntur* : repugnant alii et prosa.

[a] In vet. cod. est *confitenda*, et, ut videbatur scriptum, *tacitecte* : ex quo Juretus reposuit *tacitate confitendo*, quia Sedulius hujusmodi vocibus delectatur. Teneo scripturam, quæ in nonnullis bibliothecis Patrum reperitur, *tacite*. Paulo ante in plerisque editis est *immunditie*, sed in bibliotheca Patrum Parisiensis 1589, *immunditia* ; ubi etiam est *fugit* pro *fuit*.

[b] In plerisque bibliothecis Patrum corrupte *camini ritus* pro *canino ritu*. Sententia est ex epist. II Petri, cap. II, v. 22.

[c] Alii *luto*, alii *lutu*, Gallandius *lutum* : quem tamen fugit annotatio Jureti, qui cum vet. cod. legit *lutu*, et monet ita legendum pro *luto*, more antiquo, ut *lauru* pro *lauro*, et pleraque alia. Retinendum tamen est cum Gallandio *lutum* : eodem enim modo in carmine loquitur Sedulius. Male passim distinguitur hæc periodus, nimirum *impletam speculari, deficiente materia*. Longe melius est *impletam, speculari deficiente materia*.

[d] Pro *lutus* Gallandius legendum putat *fotus*. Reposui *lavisset* pro *habuisset*.

Cæca sumus proles miseræ de fetibus Evæ,
Portantes longo natas errore tenebras.
Sed dignante Deo mortalem sumere formam
Tegminis humani, facta est ex virgine nobis
Terra salutaris, quæ fontibus abluta sacris,
Clara renascentis reserat spiramina lucis.
Bethaniæque solum repetens intrarat, ibique
304 Lazarus occidua tumulatus sorte jacebat
Jam quarto sine luce die, claususque sepulcri
Marmore, corruptum tabo exhalabat odorem.
Flebant germanæ, flebat populatio præsens,
Flebat et Omnipotens, sed corpore, non deitate,
Exanimesque artus illa pro parte dolebat,
Qua moriturus erat, lacrymisque implevit amicum,
Majestate Deum. Quid credere, Martha, moraris?
Quidve, Maria, gemis? Christum dubitatis, an unum
305 Possit ab infernis hominem revocare cavernis,
Qui dabit, innumeras post funera surgere turbas?

OPUS PASCHALE.

caliginis longis erroribus incedentes. Sed postquam Deus habere dignatus est humanæ [a] carnis effigiem, data nobis est terra salutaris ex virgine, quæ fontibus sacri lavata baptismatis, renascentibus aperuit lumina claritatis.

Bethàniam deinde solitis gressibus clementer advenerat. Ibi Lazarus humana finem conditione sortitus, sepulcrali sub lapide quartæ [b] jacebat lucis cursu jam fetidus. Cujus ad tumulum Domino veniente, collectæ flebant pio luctu germanæ. Flebat turba consistens, flevit et ipse simul Omnipotens, non deitate, sed corpore, qui frigentis artus exanimes, qua parte moriturus fuerat, addolebat. Impendit namque lacrymas, ut amicus, ostendit gloriam suæ majestatis, ut Deus. Quid adhuc, Martha, non credis? et tu, Maria, quid ingemis, quæ Christum dubia trepidatione cunctamini, an unum possit ab inferis hominem suscitare, qui totius mundi turbas innumeras rediviva faciet animatione resurgere. Igitur Dominus ut imperiosæ vocis jussu mirabili ex-

SCHOLIA.

265. Parrh. *de fœcibus*. Ott. 2 *de fletibus*. Urb., Meus *defectibus* : retine cum plerisque *de fetibus*.

266. *Portare tenebras*, ut *portare peccatum*, *salutem*, etc.

268. Plerique nostri mss. cum multis editis *ex virgine* : ita etiam Aldus, cui Arntzenius male affingit *de*. Meus cum Fabr., et aliis vulgatis *de virgine*. Ott. 2 *ex virgine vobis*.

269. Meus mendose *fetibus* pro *fontibus*. Reg. 1, 5, Vatt. 1, 2, Ott. 2, Urb., Rom., Alb., Meus, Lips., Alm. *abluta* : ita etiam Parrh., Ald., et alii editi. In Reg. 2 *oblita*, sed prius fuit *abluta* : in Ott. 1 *abluta*, et pro d. s. *luta sacratis* recentiori manu, quæ fortasse ad rationem metri corrigere voluit *sed fonte abluta sacrato*. Ang. *ablita*, Vet. 1, 2, Mon., et alii quidam vulgati *oblita*, quod huic loco parum convenit. Retineamus ergo *abluta*, correpta secunda contra morem antiquiorum. Sic apud Prudentium hymn. v Per. vers. 362, multi legunt *Mortis lavacris elutam*, quo tamen loco cum præstantissimis mss. retinui *erutam*. Auctor incertus de Bebiani baptismo : *Et nunc mortificis eluta sordibus*.

270. Wopkensius tentabat *Clausa renascenti reserat spiramina luci*. Sed lectionem vulgatam retinet, et prægnandi sensu explicat, *reserendo reddit*, *efficit clara*. Totus hic locus conferendus est cum alio simili Prudentii Apoth. v. 692 seqq.

271. Meus *Lazarum suscitat*. Fabr., Bibl. Lugd., *Bethaniæ inde solum*. Rom., Torn. 3, contra metrum *Bethaniæ solum*. In Rom. mendum est *ubique* pro *ibique*, quod alii mss., sensus et prosa exigunt.

274. Arntz. *exhalarat odorem* : reliqui *exhalabat*.

275. Parrhasius in Emendatis, sive Addendis observat, quibusdam placere *populus quoque præsens*. In cod. Arntz. glossator id pro d. script. posuit. In Reg. 2 nunc est *populatio* prima veteri manu : sed aliud prius scriptum videtur. Glossa in Cant. est *populatio — multitudo populi*, in Reg. 1 *turba civitatis*. Nebrissensis exponit *populus*. Ab hac significatione vocabuli *populatio* Hispanum nomen est *poblacion*. Pro cœtu populi, pro villa, et parochia ab scriptoribus infimi ævi *populatio* sumebatur, ut ex Glossario Ducangii liquet. Pro direptione, seu prædatione veteres Latini *populationem* usurpabant.

277. Reg. 1, Ott. 1, *Exanimosque* non male : in utroque tamen correctum est *Exanimesque*.

278. Plerique vulgati *lacrymisque*. Mss. nostri, Arntz., Parrh., Ald. *lacrymis* sine *que*. Cod. Burm., Reg. 5, Ott. 2, Ald., Parrh., schedæ Poelm. *implebat* : meliores nostri codd. *implevit*. Cant. *lacrymis complevit*. Alibi dictum de hac phrasi *implevit amicum* pro *implevit* partes amici.

280. Reg. 1, Meus obscure, Parrh., Edimb., et quædam aliæ editiones *Christus*, *dubitatis*, quod clariorem sensum efficit cum seq. *Possit*. Ott. 1, *Christo*, sed factum *Christum*, quæ magis recepta est scriptura : eamque cum seq. *Possit* similibus exemplis tuetur Wopkensius, ut Gellii l. VII, c. 12 : *Eamne quisquam dubitet, quin idem fecerit*. Affert etiam locum Juvenci ex l. IV, vers. 468 : *Respondit Petrus : Cunctos si credere fas est. — Quod tua labentes possunt præcepta negare, — Sed mea non unquam mutabit pectora casus*. Verum hic locus, ut tunc dixi, exponi ita potest, ut *cunctos* sit accusativus verbi *mutabit*. Prætuli tamen *Cuncti, si credere fas est*, etc. Ut autem Sedulius hoc loco scripsisse videatur *Christum dubitatis*, præter exemplarium veterum fidem, facit etiam prosa, quæ eamdem phrasim retinet.

281. Reg. 2, Urb., Alb., Rom. *Posse ab infernis* : non patitur metrum, nisi hiatum admittas, aut legas *Posse ex infernis*. Tunc syntaxis erit, an dubitatis, Christum posse etc. In Vat. 1 etiam erat *Posse*, sed correctum est per *Possit*. Cant. *inferni*, quod quamvis in Sedulio substantive ferri possit, tamen præferenda est lectio communis *infernis*. Pro *cavernis* Parrh. legit *catervis*, quod rejiciendum.

282. In Reg. 1 supra *dabit* videtur diversa scriptura *facit*. Wopkensius potuisse scribi ait *innumeris . . . turbis*, sed receptam lectionem bonam quoque esse confirmat. Ms. Arntz. *formas* pro *turbas*, pro d. s. *turmas*, quod exhibent schedæ Poelm., Reg. 5, Aldus.

[a] Vetus codex *humani* : Juretus restituit *humanæ* : qui etiam notat, solere auctorem, cum de Christi corpore loquitur, *effigiem corporis* dicere. Accipit autem Sedulius *effigiem* pro vero corpore, ut ex tota orationis serie et in hoc, et aliis in locis perspicitur.

[b] Male vetus codex *quarta* pro *quartæ*, et infra *frigentis cortus exanimes*. Conjiciebat Juretus *corpus exanime*, sed prætulit *artus exanimes* ex carmine : *Exanimesque artus*, etc.

Ergo ubi clamantis Domini sonuit tuba, dicens : A
Lazare, pergo foras ; magno concussa pavore
Tartara dissiliunt : erebi patuere recessus,
Extremuit lethale chaos, mortisque profundæ
Lex perit, atque anima proprias repetente me-
[dullas,
Cernitur ante oculos vivens astare cadaver.
306 Postque sepulcralem tamquam recreatus
[honorem,
Ipse sibi moriens et posthumus exstat, et hæres.
Utque, caduca vagi contemnens culmina sæcli,

Monstraret se rite Deum, non curribus altis,
Qui pompæ mortalis honor, rapidisque quadrigis
Pulvereum sulcavit iter, nec terga frementis
Ardua pressit equi, phaleris qui pictus, et ostro,
Ora cruentatum mandentia concutit aurum.
Sed lento potius gestamine vilis aselli
307 Rectori suffecit honos, levisque ungula
[cujus,
Ut tanto sessore decus mirabile portans,
Nobilior sub fasce foret, non illius impar,
Qui patulo Christum licet in præsepe jacentem

OPUS PASCHALE.

clamans [a], *Lazare, prodi foras*, magna repente formidine tartara patuere concussa, inferni penetrale contremuit, lethale chaos expavit, et lex profundo mortis abscessu, animaque sui corporis iterum membris infusa, rupto monumenti tutamine, vivum cernitur cadaver astare : postque justa solemnia, post impletam funeris sepulturam, tamquam fuerit denuo editus, et creatus, ipse sibi moriens et posthumus exstitit, et superstes abscessit.

Utque Dominus, sæcularis ambitus caduca [b] con- B temnens, Dominum sese celsissimum magis humilitate monstraret, non altis curribus, qui pompæ mortalis honor [c] ostenditur, quadrijuga celeritate subvectus, iter explicuit orbita sulcante pulvereum, nec ardua frementis equi terga compressit, qui phaleris, et ostro conspicuus ora concutit inquieta, spumosum cruenti pondus auri mandentia : sed vilissimi lento potius aselli gestamine Domino fuit honos ille sufficiens. Cujus ungula non pretio magna, sed merito tanti sessoris claruit sub fasce nobilior, non il-

SCHOLIA.

285. *Tartara* Cellarius, Grunerus, et Arntzenius de sepulcro accipiunt, ut tandem negent, Christum ad inferos descendisse. Quis tam violentam interpretationem æquo animo ferat? Iterum hac de re libr. seq. redibit sermo.

286. Burm., Arntz., Reg. 1, 2, 5, Ottob. 1, Meus, Ald. *Extremuit*. Rom., Urb., ed. Lips. *Extimuit*, quæ est glossa in Reg. 1. Alii cum Parrh., *Et tremuit*. In Vat. 2, deest initium hujus versus, et finis præcedentis. Pro verbo *extremisco* citatur etiam Minucius Felix cap. 28, sed apud hunc etiam alii variant, et legunt *contremiscunt*. Scriptores saltem infimi ævi verbum *extremisco* usurpasse, ex Hispano *estremecerse* satis clare arguitur.

287. Burmannus conjiciebat *primas* pro *proprias*. Verum scriptores Sedulii æquales, et aliquanto antiquiores passim adhibent *proprius* pro *suus*. Vide supra v. 201, h. l., et not. ad Juvenc. l. III, v. 305, ubi veteres poetas ita locutos indicavi. Vat. 2, *repente*, quod videtur fuisse in Vat. 1, ubi nunc est *repetente*, et glossa *subito* pro *repente*. In Reg. 1, et Ott. 1 ex *repente* factum fuit *repetente*. Urb. corrupte *repete*. Posset aliquo sensu explicari, et defendi *repente* a verbo *repo* activo cum accusativo : sed dubium non est, quin vera sit scriptura *repetente*.

289. Fabr., et nonnulli alii editi *tandem* : reliqui cum prosa *tamquam* : in Reg. 1, pro d. s. *tandem*.

291. Meus *Triumphabat Dominus*. Poelm. *Christus asinæ insidens Jerusalem ingreditur*. Arntz. *mundi* pro *sæcli* ex aliqua glossa. Scriptores christiani passim *sæclum* et *sæculum* pro mundo, rebusque mundanis usurpant. D

292. Arntzenius tribuit codici Cant., et edd. Ald., Bas., aliisque *Monstrare* pro *Monstraret*. Verum Aldus mihi exhibet *Monstraret* : neque alterum sustineri potest. Rom. *cursibus* : retine *curribus*.

293. Vat. 2, Reg. 5, Ald. *Qui pompæ est mortalis* : melius abest verbum substantivum, quod ex glossa, ut arbitror, in contextum irrepsit.

294. *Frementis* : sic Virgilius I Georg. v. 12, *Frementem — Fudit equum*.

296. Mss. Cant., Lips., Ang., Alb., Reg. 1, 2, Vat. 1, Ott. 1, Urb. *Ora cruentatum mandentia concutit aurum*, dissentiente primum Wopkensio, deinde consentiente in secundis curis. Rectissime enim dicitur, equum concutere ora mandentia aurum cruentatum. In ms. Arntz. secunda scriptura erat *Ori c. mandenti concutit a.*, quam Aldo quoque affingit Arntzenius : sed in Aldo clarum est *Ore*, neque stat versus cum *Ori*. Cum Aldo faciunt *Ore . . . mandenti* Vat. 2, Reg. 5, Parrhasius. Plures veteres editiones, ut Vet. 1, 2, Fabr., Mon., Lips. *Ore . . . mandendo*, quod Ott. 2 exhibet. Pro *concutit* perperam Bibl. Lugd. *concoquit*, ut vel ex Virgilio disces l. IV Æn. v. 134, *Ostroque insignis, et auro — Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit*. Scripturam receptam prosa quoque confirmat. C

298. Cur *levis* ungula, si tardus asellus? Respondet Nebrissensis, *levis* poni pro *vilis*. Ita etiam prosa.

300. Wopkensius mallet *Mobilior* : sed aptius est *Nobilior*, cujus glossa in Reg. 1, *Nobilior omnibus equis*. Hoc ipsum suadet prosa. Ed. Lips., schedæ Poelm., et ed. ejusdem Poelm. ad marg. *non vilior illo* : melius cæteri *non illius impar*. Ad verbum *fasce* Burmannus margini suæ editionis ascripserat ex Virgilio III Georg. 547, *Injusto sub fasce viam cum carpit*. Nimirum *fascis* pro quovis onere ponitur : quod notavit etiam Nebrissensis.

301. De voce *præsepe* in auferendi casu dixi ad l. II, v. 62. Nebrissensis volebat, hic legi *patula*, ut *præsepe* sit a *præsepis*. *præsepis* feminini generis. Cellarius notat, multos ex Patribus dictum de bove, et asino Isaiæ I, 3, ad præsepe Christi pio errore traxisse. Sed quis Cellarium docuit, errorem esse opinionem, quam ipse piam, et a multis Patribus traditam fatetur?

[a] Sensus videtur postulare *exclamat*. Vulgati omnes referunt *exclamans*. Paulo post Gallandius correxit *et lex profundæ mortis abscessit*, al. *ex profundo mortis abscessu*. Editi constanter *et lex profundo mortis abscessu*.

[b] Male vetus codex *caduce contemnens* pro *caduca*.

[c] Facile se mihi probat conjectura Gallandii, qui ex carmine reposuit *honor*, cum editi haberent *qui pompæ mortalis amor*. Paulo post in nonnullis vulgatis *hastamine*, et *hestamine* mendum est pro *gestamine*.

308 Agnovit tamen esse Deum. Plebs omnis [adorans
In solido molles subjecit tramite vestes.
309 Dicite, gentiles populi, cui gloria regi
Talis in orbe fuit? cui palmis compta, vel umquam
Frondibus arboreis laudem cœlestibus hymnis
Obvia turba dedit? Domino nisi cum Patre Christo.
Qui regit æthereum princeps in principe regnum.

OPUS PASCHALE.

lius impar, qui modico Christum quamvis cerneret in præsepi, Dominum esse cognovit, hujus gratia nituit subjugalis, cui mediam gradienti per semitam plebs omnis subdidit vestimenta. Dicite, cuncti nunc populi, qui gentilibus hactenus subjacetis erroribus, cui gloria fuerit similis aliquando regnanti? cui palmis, ac frondibus frequentis umquam turbæ plena festivitas occurrit modulans hymnis cœlestibus cantilenam? nisi Domino Jesu Christo, qui siderum cum Patre moderat imperium princeps in principe sempiterno.

SCHOLIA.

(Inter anaglupha vitrea Musæi Borgiani vetus exstat imago qua præsepe Salvatoris cum bove et asino repræsentatur. In sinistra parte, luna corniculata suspicitur, S. Josephi, inferius sedentis, *aureolæ* imminens; in dextra, stella e regione lunæ posita capiti pueri quasi per radium de centro prolatum jungitur, S. Virgine subtus sedente, cui caput *aureola*, pedes autem fasciis more puerperarum circumdantur. De hac ergo imagine quaminsua editione exprimi curavit doctissimus scholiastes quod sequitur edisserit. EDIT.)

In commentario ad hymn. 11 Cathemerin. Prudentii imaginem vetustam ex anaglyphis vitri in Museo Borgiano exhibui, qua præsepe Salvatoris cum bove, et asino repræsentatur : eam iterum si sto, ut sacrum hoc pietatis christianæ monumentum contra nonnullorum cavillos defendam, ac vindicem. Exstat Epistola P. D. Joannis Andreæ Paterno Castello Casinatis monachi, de veteri quadam gemma, post Lactantii librum De mort. Persec. Venetiis 1766. Gemma vetus ea est nostræ simillima ex antiquo vitro, Catanæ in museo cœnobii S. Nicolai de Arenis asservata. Paternous auctor epistolæ contra clarissimos viros Franciscum Gorium, et Franciscum Victorium contendit, istiusmodi gemmas ad superstitiosos usus adhibitas fuisse, a semichristianis, sive gnosticis hæreticis confictas, et inter famosas Abraxeas gemmas annumerandas. Quænam autem tam abnormis sententiæ argumenta profert? Frequentissime, inquit, in Abraxeis gemmis hinc sol instar cujusdam stellæ, illinc luna corniculata insculpebatur, uti in gemma nostra etiam cernitur. Sed in gemma, cujus imaginem exhibeo, quis solem insculptum agnoscere audeat, cum stella, quæ repræsentatur, nullum solis indicium præferat? Præterea cum Salvatoris præsepe exprimatur, consentaneum maxime est, ut luna collocetur ad indicandum noctis tempus, quo natus est Salvator, et stella, quæ Magos duxit ad præsepe. Renuit id credere Paternous : sed levi negotio revinci potest vel ex ipso radio stellæ ad caput pueri Jesu directo, qui in gemma a Paternoo æri incisa non apparet, sed in nostra clare conspicitur. Urget Paternous, virginem Deiparam in gemma ostendi in lecto decumbentem, et fasciis a lumbis usque obligatam, quod perpetuæ virginitati ejus oppenitur. Sed ut omittam, lectum non videri scamnum, in quo Deipara sedet, cur artifex christianus Deiparam sic fasciis involutam more aliarum puerperarum exprimere non potuerit, vel ob arcani disciplinam, quod Victorius putat, vel ut clarius pueri in præsepi jacentis matrem indicaret? Lepidus vero est Paternous, cum astruit, ejusmodi gemmam primis Ecclesiæ sæculis, quibus formata creditur, a Christianis non potuisse effingi, quia eo tempore nondum invaluerat inepta illa fabella, ut ait, de bove, et asino ad præsepe Salvatoris alligatis : adeoque e Basilidianorum schola per bovem in gemma Osirim, sive Apin, per asinum Deum Sabaoth repræsentari. Non autem explicat cur Osiris, et Deus Sabaoth a Basilidianis alligati fuerint ad præsepe. Quod vero constare ait, historiam de bove, et asino ad præsepe pueri Jesu non prius memoratam, quam ab auctore, quisquis ille fuerit, libri de Promissionibus, qui sæculo V floruit, id certe falsum est : nam ejus meminerunt non solum Sedulius, qui sæculo V ineunte scripsit, sed et Prudentius loc. cit., qui sæculo IV claruit, et Merobaudes, sive Claudianus sub idem tempus. Quod autem Sedulius nobilitatem quamdam, ac veluti arrogantiam asino, qui Christum gestavit, *tanto sessore* sese jactanti ascribere videtur, indicatum etiam id est a veteri artifice in cochleari, cujus memini in not. ad Juvencum l. III, v, 632.

302. Ottob. 2, Urb., *tantum esse*.

305. Alm., Aug, ed. Poelm. ad marg., *In solido* cum glossa in Alm. *in* duro. Eodem respiciunt Reg. 1, Alb. et Meus, qui conjunctim scribunt, *Insolido*. In Reg. 1, d. s. est *Insolito*, quæ communior est lectio, neque inepta : sed altera videtur præferenda, eamque recentiores præferunt.

305. Ott. 2, depravate *Talis morte fuit*. Pro *vel umquam*. Meus, *vel omnis*, Parrh., schedæ Poelm. *palmis compta juventus* nullo commodo sensu.

306. Ottob. 1, *laudes*, quod Arntzenius edidit. Plerique nostri cum Parrh., Ald., Poelm. *laudem*.

307. Aldus interpungit *dedit Domino? nisi cum Patre Christo :* non placet, neque id voluit Sedulius in prosa.

308. Ott. 2, Meus, cod. Arntz. extra contextum in ima pagina post vers. *Qui regit* exhibent hunc alium, *Cui sanctus semper conregnat Spiritus æque*. Eum ignorant nostri meliores codices Reg. 1, 2, 5, Aug., Alb., Vatt. 1, 2, Ott. 1, Rom., Urb., necnon mss. Lips., Alm., Barthii, prosa Sedulii, edd. Parrh., Ald., et aliæ. Sunt tamen nonnullæ veteres editiones, quæ eum repræsentant. Nonnulli vulgati pro *conregnat* habent *cum regnat*. In perveteri codice Taurinensi, a quo etiam abest versus *Cui sanctus*, clauditur liber his verbis : *Explicit liber* III. *Incipit liber quartus. Ego Abundantius hunc librum contuli*. Simili modo mss. Reg. 1, 2, Vat. 1, Ott. 2, *Explicit liber* III. *Incipit liber* IV. In Reg. 5, *Mirabilium divinorum liber Cellii Sedulii quartus incipit*. Meus, *Sedulii poetæ liber* III *finit. Incipit quartus*. Urb. *Egregii Sedulii episcopi de miraculis, atque mirabilibus signis Domini, et Salvatoris nostri Jesu Christi liber tertius explicit. Ejusdem de piissima passione Domini nostri Jesu Christi, atque ejus resurrectione, manifestationeque, seu apparitione facta coram discipulis liber quartus incipit : et primo de oratione facta a Christo ad Deum Patrem, ante quod cœnaret cum discipulis suis*. In Vat. 2, et Rom. nulla indicatur libri divisio.

LIBER QUINTUS.

310 Has inter virtutis opes jam proxima pa- A [schæ
Cœperat esse dies, Domini cum gloria vellet
Ponere mortalem, vivamque resumere carnem,
Non aliam, sed rursus eam, quam munere ple- [nam
Lucis, ab infernis relevans, ad sidera duxit.
Exclamansque palam; Pater, ista memet ab [hora
Salvifica: sed in hanc ideo veni tamen horam;
311 Clarifica, dixit, nomen tuum; magnaque [cœlo
Vox resonans venit per nubila: Clarificavi,
Clarificabo iterum. Quid apertius est Patre teste,

OPUS PASCHALE.

Inter has divitum copias sine fine virtutum pascha cœperat esse jam proximum, quo gloriosa Christi potentia mortalem [a] vellet ponere, resumptura carnem perpetuo jam vivacem, non alteram, sed eamdem, quam remuneratione lucis impletam ab infernis excitans levavit ad sidera. Turbatusque pauxillulum mortis vicinia, ut homo formidans, talibus ad B Patrem verbis fiducia piæ religionis exclamat; Dei Filium se demonstrans; *Pater, salva me de ista hora, sed propter hoc veni in istam horam. Pater, honorifica nomen tuum.* Nimium divine locutus est, et potenter, qui cum semet honorificari deposceret, et patris nomen honorificandum esse signavit. Deus est enim nomen illi, quod pater, et filius communi pariter majestate possident indivisum. Venit autem vox de cœlo: *Et honorificavi, et iterum honorificabo.* Quid apertius testimonio paternæ professionis impleto? quod clarius cœlestis est assertionis oraculo? Tamen

SCHOLIA.

1. Reg. 2, *Ubi Dominus petit Patrem se clarificare verbo.* Ott. 1, *Oratio Christi ad Patrem.* Pro miraculis *virtus*, et *virtutes* poetæ christiani passim usurpant. *Opem virtutis* dixit etiam Paulinus Vit. S. Mart. v, vers. 215, uti Dracontius *opem libertatis, sapientiæ.*

2. Petrus Burmannus secundus in Anthol. vet. Lat. epigr. l. 1, p. 87, conjicit *ire dies.* Prosa tamen exhibet *esse.* In meo codice mendum est *Dominus.*

3. *Vivam*, h. e., immortalem, quod ex sacris litteris petitum.

5. Barthius Advers. l. LIII, c. 3, citat *remeans* pro *relevans.* Codex Barthii *ducit*, ex quo Barthius conjicit *ducat.* Alm., Reg. 5, Ald., Arntz. *vexit*, quod recentiores probant: sed veterrimi nostri libri præferunt *duxit.* Nebrissensis noster non satis advertit ad metrum, et sensum, cum sic commentatus est: *A lucis infernis, non quod apud inferos sint arbores, sed allusit ad etymon nominis, quo dicitur lucus, quasi luce carens: Virgil.* VI, *Lucis habitamus opacis.* Sed, ut dixi, sensus et metrum postulant, ut *lucis* sit casus gignendi a *lux lucis.*

6. Cod. Burm., Reg. 1 supra, Reg. 2, Alb., Ang., Vat. 2 *istac:* alii *ista.* Ott. 1, *ab hora*, quod prosa, et Evangelii verba confirmant, et recentiores sequuntur: plerique tamen mss., et editi *in hora.*

7. Alm., Reg. 1, in contextu *Salvifica.* Reg. 1 ad marg. pro d. s., *Clarifica*, quæ est communis lectio, supra *Salvifica* est glossa *glorifica.* Ex Prosa, et Evangelio præferendum videtur *Salvifica.*

8. Mirum quantum mss., et editi variant in hoc versu. Reg. 5, Ald., *Clarifica, dixit, nomen tuum,* D *altaque cœlo*, cum hiatu *tuum.* Cappusotus, Parrh., *Clarifica nomenque tuum, inquit, magnaque cœlo.* Cant., Poelm. in contextu, Fabr. *Clarifica nomenque tuum, permagnaque cœlo.* Nonnullæ veteres editiones *Clarifica, dixit, nomenque tuum, permagnaque cœlo*, quo pacto versus uno pede longior evadit. Schedæ Poelm. *Clarifica nomenque, inquit, permagnaque cœlo.* Cod. Barthii, ed. Lips. *Clarifica, dixit, nomen: tunc magnaque cœlo*, qua in scriptura *que* est παρελκὸν ut sæpius in optimis etiam scriptoribus, quod notat Barthius. Hæc varietas orta est ex synæresi, quæ in vera lectione ignaris librariis difficultem creabat. Exstat ea vera lectio in plerisque nostris codicibus, Reg. 1, 2, Vat. 1, 2, Ott. 1, 2, Rom., Meo, Urb., Ang., et ex correctione, ut videtur, in Alb., necnon in codice omnium veterrimo Taurinensi, in Alm., Lips. *Clarifica, dixit, nomen tuum magnaque cœlo*, ubi *tuum* est monosyllabum ea licentia, quam in Prolegomenis ad Prudentium, et aliquando in notis ad Juvencum explicui. Cellarius, Vonckius, Wopkensius Bedæ affingunt, quod legerit *Clarifica, dixit, nomen, cujus magnaque cœlo:* sed in editione, qua ego utor, invenio *Clarifica, dixit, nomen tuum, magnaque cœlo*, atque ita legisse videtur anonymus commentator Bedæ in codice Vaticano a me visus, qui verba ipsa Redemptoris profert ex Joannis Evangelio c. XII, v. 28, *Pater, clarifica nomen tuum.* Dixerat enim Beda, Sedulium postposuisse ordinem disciplinæ sæcularis, ut verba Redemptoris retineret. Existimat enim Beda, quarta sede hujus versus a Sedulio intrusum fuisse pedem amphimacrum, sive creticum, tribus syllabis, longa, brevi, et longa constantem: quod mihi minime probatur, cum possit spondæus quarto loco admitti, contracto *tuum* per synæresin. Mendose ergo inter Grammaticos Putschii in opere Bedæ legitur *cujus* pro *tuum.* Recentiores in plures abeunt conjecturas, plerumque ineptas, et quas post veram lectionem ex codicibus assertam vix adducor, ut leviter indicem. Wonckius: *Clarifica, dixit, nomen pius, magnaque cœlo.* Wopkensius: *Clarifica, dixit, nomen; divinaque cœlo*, vel *Clarifica, dixit, nomen nunc; magnaque cœlo*, vel *Clarifica, dixit, nomen, permagnaque cœlo*, vel *Clarifica, dixit, nomen plus: magnaque cœlo.* Arntzenius, *Clarifica, dixit, nomen tu: magnaque cœlo.* In contextu tamen Arntzenius retinuit communiorem codicum scripturam, Cellarium secutus.

10. Reg. 1, Vatt. 1, 2, Arntz a prima m., Ottob., 1, *Clarificemque*, et glossa in Reg. 1, *futurum tempus conjunctivi sæpe ponitur pro futuro indicativi.* In Ott. 1, fortasse prius fuit *Clarificabo*, contra in Reg. 2 est *Clarificabo*, sed videtur fuisse *Clarificemque*; nam legitur etiam *clarificabo* pro glossa, quæ glossa est in Vat. 1, ad verbum *Clarificemque.* Secunda manus in Arntz. dedit *Clarificabo*, quod nonnulli mss. cum Aug., Alb., et fere omnes editi ample-

[a] Sic emendavit Juretus, qui in vet. cod. invenit *mortalem vel exponere sumptura carnem.* Paulo post ex *vicina* in vet cod. rescripsit *vicinia.*

312 Cœlo assertore? At nec sic agnoscere A [Christum
Gens voluit Judæa Deum; pars esse ferebat,
Hoc tonitrum: pars angelicam crepuisse lo- [quelam.
O gens cæca oculis, o gens durissima corde!
Non tonitrus potuit Christum, sive angelus ullus
Auctorem generasse suum, qui, nomine Patris
Audito, responsa daret, sed ab ore Tonantis,
313 Natum agnoscentis, populus quo crederet [astans,
Vox emissa suo respondit consona verbo.
Annua tunc sacræ celebrans per munera cœnæ
Paschales ex more dapes, humilemque mini- [strum
Se faciens, et grata suis exempla relinquens,
Assurgit, famulisque libens famulatur, et omnem
Linteolo accinctus tantum inclinavit honorem,
Discipulis ut sponte lavans vestigia cunctis,
Nec Judam exciperet, quem proditionis ini- [quæ
Noverat auctorem. Sed nil tibi gloria, sæve

OPUS PASCHALE.

Judæa gens perfida, quæ pondus tantæ veritatis audiverat, nequaquam signis ita manifestis impulsa, Domini Jesu Christi deitatem credidit approbatam. Quidam enim strepitum fuisse tonitrui astruebant, alii locutum ei angelum disputabant. O plebs vere cæca, corde durissima! de qua prophetans ita locu- B tus est Esaias [a]: *Obcæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, uti ne videant oculis, et intelligant corde, et convertantur, et sanem eos.* Neque enim tonitrus Christum, aut angelus, creatura, suum generavit auctorem, cui clamanti confidenter ad Patrem, illi respondisset, ut Pater, sed ab ore Dei [b] specialiter Patris, qui Filium vere cognovit, reloquens vox processit, ut hac saltem ratione comperuncta turba nimis incredula sero cœlitem deduceret ad fidem. Hoc est itaque, Patrem Filio respondere, suæ voci consimiliter consonare, quoniam verbo genitus verbum Patris est Christus, et parilis conjectura sermonis Patrem revelavit in Filio, Filium revelavit in Patre.

Tunc annui sacramento convivii cum paschales epulas celebraret ex more, ut humilitatem diligi suo potius edoceret exemplo, surrexit, ac linteo se præcinxit, doctorque discipulis Dominus sese, famulis pedes abluens, inclinavit, tantumque suæ deposuit fastigium potestatis, ut ab hujus obsequii dignitate nec Judam fecisset exsortem, quem nefandæ noverat proditionis auctorem. Sed nihil hunc gloriæ conse-

SCHOLIA.

cluntur. Tertia manus in eodem Arntz. *Clarificans*, quod Parrh., et schedæ Poelm. exhibent. Mihi verior videtur lectio *Clarificabo;* nam fortasse *Clarificemque* ab aliquo librario scriptum fuit, qui conjunctionem *que* necessariam existimaverit. Alius censebit, *Clarificemque* ab exscriptoribus in *Clarificabo* mutatum, quia hoc clarius est. In Vet. 1 mendum est C *Clarificemque iterum; apertius:* desideratur *quid.*

11. Plerique mss. *ac nec:* nonnulli vulgati *at nec.* Grunerus malebat *nec* pro *ne.* Nostri omnes mss. *agnoscere*, excepto recentissimo codice Reg. 5, in quo est *cognoscere*, quod cum Cant., Ald., et aliis editis Grunerus et Arntzenius præferunt. Grunerus Barthio affingit, quod in ejus codice invenerit *cælum* pro *Christum.* At Barthius l. LIII Advers., c. 3, e suo codice refert, et tuetur *nec sic agnoscere:* et subinde explicat, *cælum* in verbis superioribus *cælo assertore* sumi pro Deo, ut apud Petronium, *Nemo cælum putat.* Nebrissensis ait, poni masculinum pro neutro, ut *tempus repertor.*

12. Arntz. *suum:* alii cum prosa *Deum.* Vat. 1, pro d. s. *pars una ferebat,* non male.

13. Plerique *crepuisse:* Reg. 1, *increpuisse*, quod elegantius videtur. Quamvis in ablativo singulari dicatur *tonitru*, et in dativo, et ablativo plurali *tonitribus*, tamen *tonitrus*, *tonitri* masculino genere declinatur, D aut *tonitruum*, *tonitrui.*

15. Codd. Alm., Arntz., Barth., et plerique nostri cum Parrh., et aliis editis *Num. tonitrus.* Meus, Vat. 2, Cant., et quædam editiones *Non tonitrus*, quod Grunerus, et Arntzenius ediderunt, quia planior sic evadit sensus, et favet prosa. In Ott. 2 mendum est *Numen tonitrus.* Rom. *poterit:* retine *potuit.* Plerique mss., et editi *seu angelus* cum hiatu; alii *sive angelus.*

16. Vat. 1, Meus, Rom. pro d. s. *generare:* alii *generasse*, quod fortasse etiam fuit in Vat. 1.

17. In Reg. 1 erat *Auditore sponsa daret:* correctum *Audito responsa daret.* In meo cod. corruptus est etiam hic locus *Audito response dato.*

20. Reg. 1. *De eo, quando discipulorum pedes lavit.* Arntz., Ott. 2, *celebrans convivia cœnæ:* quod ex prosa pondus accipit. Sic *dapes* est accusativus appositionis. Meus *celebrans pro munere cœnæ:* cæteri *celebrans per munera cœnæ.*

21. Omnes mss., et editi *ministrum*, excepto perantiquo codice Taurinensi, in quo est *magistrum*, quod sustineri aliquo pacto potest ex Evangelio Joann. c. XIII, vers. 13 seqq., *Vos vocatis me, Magister et Domine: et bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et Magister: et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis*, etc. Sæpe in mss. confusa reperies *minister*, et *magister*, quamvis reipsa valde inter se discrepent. In Urb. error est *ministerium*, sed aliud fuit.

22. *Exempla* pro *exemplum:* vide not. ad Dracont. III, 314.

23. Reg. 1, Ott. 1, *famulatus:* sed in Reg. 1 correctio est *famulatur*, quamvis adhuc glossa *obediens ipse* alterum indicet. In Vatic. 1, est *famulatur*, sed aliud fuit, et glossa *deserviens* arguit *famulatus.* In nonnullis aliis mss. dubium est, an *famulatur*, an *famulatus* sit legendum. Sententia utrolibet modo D constat: in editis solum invenio *famulatur.* Wopkensius *libens* exponit per *benigne*, ac similia loca aliorum profert: in quibus tamen pariter *libens* pro *ultro*, *libenter* accipi potest.

24. Vat. 2, *inclinaret honorem:* corrigendum *inclinavit.*

25. *Vestigia* aliquando, ut hic, sunt ipsæ plantæ: alias signa pedum alicui loco impressa.

26. Ott. 2, *Nec Judam sprevit:* alii, *Nec Judam exciperet*, quod tempus particula *ut* præcedens exposcit; et simili modo procedit prosa.

[a] Cap. VI Isaiæ, vers. 10.

[b] Vetus codex *diei* pro *Dei.* Mendum emaculavit Juretus. Videtur etiam reponendum *ille responderet.*

314 Traditor, illa dabat pedibus consistere [mundis,
Qui sensu pollutus eras, velut omne sepulcrum
Exteriora gerens albæ velamina formæ,
Sordibus interius, fœdoque cadavere plenum.
Nec Dominum latuere doli, scelerisque futuri
Prodidit auctorem, panem cui tradidit ipse,
Qui panis tradendus erat : nam corporis, atque
Sanguinis ille sui postquam duo munera sanxit,
Atque cibum, potumque dedit, quo perpete num- [quam
Esuriant, sitiantque animæ sine labe fideles :
315 Protinus in Judam, sedes ubi livor habe- [bat,
Spiritus intravit teterrimus, armaque sumens
In Dominum, servile dedit consurgere bellum,
Pactus grande nefas quavis mercede : nec illi
Culpa datur pretio, sed inhærent crimina facto.
Tantumdem sceleris, terdena numismata su- [mens
Argenti, parvo cæcatus munere gessit,
Quantum, cuncta simul terrarum regna, maris- [que
Divitias, omnemque vagis cum nubibus æthram
Si caperet, gesturus erat : neque enim bona [mundi
Sufficerent magni fuso pro sanguine Christi,
316 Qui pater est mundi, qui fecerat, hunc [quoque nasci.
Atque utinam sterili damnatus matre nequisset

OPUS PASCHALE.

cutus es, traditor exsecrande, ut mundus videreris vestigiis, qui polluebaris in animis, tamquam sepulcrum exterius dealbatum, quod fœdis cadaverum sordibus intus horret impletum. Nec doli Dominum latuere dispositi, sed illum futuri caput esse sceleris designavit, cui panem traderet panis ipse tradendus ad necem. Tunc manifestatus est sermo Davidicus dicens [a] : *Qui edebat panes meos, ampliavit adversum me supplantationem.* Posteaquam corporis sui Dominus Jesus Christus, et sanguinis duo vitæ munera consecravit, propriisque discipulis spiritalem cibum, potumque porrexit, quo cœlestibus epulis saginatæ famem, sitimque sentire nequeant animæ jam fideles.

Mox in Judæ corda, nequissimam sedem ubi livor invenerat, tetri spiritus introivit immanitas, inque Dominum tela corripiens exsecranda, servilis belli concitavit insaniam, pactus scelus grande negotii sub qualibet mercede. Nec enim culpa manet in pretio, sed crimen convalescit in facto. Tantumdem sacrilegii, triginta cæcus argenteis, parvum sumens munus admisit, quantum, si cuncta simul regna terrarum, marisque divitias, et omnem vagis cum nubibus oram lucraret ætheream, flagitii perpetraret. Neque enim totius mundi bona sufficerent Christi

SCHOLIA.

28. Meus corrupte *vela* pro *illa*. Urb. *dabit:* retine *dabat*. Pro *mundis* error est in quibusdam editis *nudis*.

30. In Reg. 1, Ottobon. 1, et fortasse etiam in Reg. 2 fuit *velamine*, sed ubivis correctum *velamina*, quod verum est, quamvis alterum sustineri etiam possit. In Reg. 1 glossa *tegumenta*. De hujusmodi albis velaminibus sepulcrorum confer. not. ad Juvencum IV, 74.

31. Ott. 2 *internis*, atque ita hunc versum nonnemo allegat. Communis scriptura *interius* ex Prosa confirmatur. Ott. 2, *plenum est;* cæteri omittunt verbum substantivum, quod persæpe eleganter fit. In Reg. 2 ex *pleno* recte factum *plenum*.

32. Reg. 1 *De Juda, qui fur tradidit*. Barthius l. LIII Advers. c. 3, citat *nefandi* pro *futuri*, invita prosa. Urb. *futurum* non ita bene. Virgilius I Æn. 134, *Nec latuere doli fratrem* etc.

33. Parrh., schedæ Poelman. *Edidit*, quod ex suo cod. ms. Barthius loco citato prætulit. Grunerus tamen, et Arntzenius contendunt, longe melius esse *Prodidit*. Ang. *Protulit*. In mss. sæpius invicem commutantur *prodere*, et *edere*.

37. Plerique mss. *Esurient, sitientque:* alii *Esuriant, sitiantque*, quibus prosa favet. Editi simili modo variant. Sequi poteris, quod malueris. Vatic. 1, *fidelis* ex veteri more scribendi *fideles* per *fideleis*, et *fidelis*. Vides, a Sedulio quoque clare explicari dogma catholicum de Eucharistia; ut plane desipiant hæretici, qui illud in dubium revocant.

39. *Arma* pro consiliis, sive arte nocendi, ut alibi, et apud Virgilium, *Et quærere conscius arma*.

41. Cant., Ott. 1 in contextu, Reg. 1 pro d. s., *quavis*. Ott. 1 pro d. s., cum cæteris, *parva*. In Reg. 1 in contextu ipso, in quo est *parva*, aliud fuit. Grunerus cum prosa mavult *quavis :* dissentit Arntzenius, quia Judas non *quavis*, sed definita *parva* mercede hoc scelus peregit. Verum hæc ratio argueret, neque in prosa legendum esse *sub qualibet mercede*. Sequor igitur Grunerum, quia Sedulius exprimit verba Matthæi c. XXVI, v. 15, *Et ait illis : Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam?* Arntzenius ex grammaticorum regulis scribit *neque illi :* plerique nostri mss., et editi *nec illi*, neglectis istiusmodi regulis, ut sæpe alibi.

42. Reg. 2, *sed hærent*, non male ex more ævi Sedulii, quo *h* sæpe vim consonantis habebat. Supra tamen ascriptum est *sed inhærent*.

43. Meus, *Tantum idem sceleris :* lege *Tantumdem sceleris*. In ms. Reg. 1, ex *nomismata* correctum est *numismata*. Plerique nostri codices *numismata* exhibent. Dixi de hac scribendi varietate in not. ad Prudentium, et ad Juvencum.

44. Meus, *Argento :* retine *Argenti*.

46. Arntz. a pr. m., Meus, *æthrem*, Rom., Ott. 2, *ætherem* contra metrum, Vat. 1, Alb. *æthra*, quæ fortasse vera est lectio pro *æthera* per contractionem. Vide not. ad l. II Juvenci v. 552. Plerique exhibent *æthram*. Deest hic versus in Ang. codice.

47. Meus *neque jam bona* minus bene. Vat. 1 contra metrum, *neque bona*.

48. Cant., et nonnulli vulgati *magno :* reliqui melius *magni*. Meus, inverso ordine, *pro fuso*.

50. Reg. 2 pro d. s., Parrhas. *ventre :* alii cum prosa, *matre*. Urb. corrupte *morte*. Quomodo, inquit Nebrissensis, *damnatus*, si non fuisset? Respondet, quia hoc ipsum non fuisset malum, quod ille postea designavit. Sententia ipsa clarior est, his subtilitatibus semotis.

[a] Psalm. XL, vers. 10. Postea pro *Judæ corda* Gallandius suspicatur legendum *Judæ cor*. Sed in hoc auctore vetus scriptura suspicione falsi caret. In ms. libro erratum est *serviris belli* pro *servilis belli*, et infra *sor melior* pro *sors melior*.

Natalem sentire diem, nec luminis hujus
Hausisset placidas flabris vitalibus auras
Æterno torpore latens, miseroque fuisset
Sors melior nescire datam, quam perdere vi-
[tam,
Aut male fusus humo, confestim munera lucis
Perderet, ut pulvis, quem ventus projicit ingens
A facie terræ, rapidisque volatibus actus
Spargitur in vacuas nebulis obscurior umbras.
317 Tune cruente, ferox, audax, insane, re-
[bellis,
Perfide, crudelis, fallax, venalis, inique,
Traditor immitis, fere proditor, impie latro,
Prævius horribiles comitaris signifer enses?
Sacrilegamque aciem, gladiis, sudibusque mi-
[nacem
Cum moveas, ore ora premis, mellique vene-
[num
Inseris, et blanda Dominum sub imagine pro-
[dis?
Quid socium simulas, et amica fraude salutas?
318 Numquid terribiles aut pax conjurat in
[enses,
Aut truculenta pio lupus oscula porrigit agno?

OPUS PASCHALE.

fuso comparari cum sanguine, qui mundi pater est universi, qui hunc quoque nefandum nasci concessit. Atque utinam matris arida sterilitate damnatus, diem natalitium non vidisset, nec æthereæ lucis jucunda conspiceret, æterno torpore nil permanens, miseroque foret illa sors melior vitam nescire traditam, quam sentire subtractam, aut confestim ut meruit procreari, meruisset et mori, fieretque psalmi principalis exemplum, quatenus ita prorsus toto deperiret a sæculo *tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ*[a], nullamque memoriam sui nominis reliquisset infelix. Tune igitur audax, cruente, ferox, rebellis, tune fallax, crudelis, inique, venalis, et perfide, tune traditor, latro, fere proditor, immitis, et impie, prævius ductor, ac signifer, hostis comitaris horribilis aciem, quam sacrilegam, gladiis, et fustibus violenter armatam, cum minaciter moveas, mendacibus osculis[b] fœdus incommodas, mellaque venenis adjungis, et sæva Domino proditione blandiris? Cur socium fallaciter profiteris, et

SCHOLIA.

52. Ald., *Auxisset;* corrige *Hauxisset*. Barthius l. LIII Advers. c. 3, pro *flabris* citat *fibris*. Communis scriptura est *flabris*, quo respicit mendum in Urb. *fabris*.

53. Error est in Meo, et in Parrh. *torpere*, et in Rom. *corpore* pro *torpore*. Barthius nimium subtiliter de æterno hoc torpore philosophatur, quem concludit esse nescientiam mortalium, et nihilitatem, quæ nil omnino unquam fuit. Verum, ut de Nebrissensi dixi, qui versus, prosamque Sedulii non intelliget, minus istiusmodi interpretationes intelliget.

54. Arntz. a m. s., Parrhas., *nescisse* pro *nescire*. Plerique interponunt, *nescire datum, quam perdere vitam*. Nonnulli *nescire, datam quam perdere vitam*.

55. Ms. Lips., Meus, Vat. 2, *homo;* plerique *humo*, quod intelligitur ex veteri more, quo natus infans in terra collocabatur, ut a patre tolleretur in gremium. Sed fortasse verior est lectio *homo*, quæ in antiquo etiam ms. Taurinensi exstat : videtur enim Sedulius voluisse retinere verbum Matthæi c. XXVI, v. 24, *Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur : bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*. Obvium est apud poetas *fusus* pro *natus*. Prosa explicat *confestim ut meruit procreari*, quod utrique scripturæ potest congruere.

57. Ott. 1, *auctus*, recte correctum per *actus*. Sacræ Scripturæ phrasis est, *A facie terræ*. Consule not. ad Dracontium II, 457.

59. Poelm., *Invectio in Judam*. Meus, *Apostrophat*. Meus, *ferox Judas, insane :* cæteri *audax* pro *Judas*. Beda etiam, qui in lib. de Arte metr. laudat hunc versum, legit *audax*. In prosa nulla est distinctio capitis hoc loco, ut nonnunquam alibi et prosa ab exemplaribus mss. carminis, et hæc ipsa exemplaria inter se discrepant.

61. De voce *traditor* disputant viri critici, an a Tacito usurpata fuerit pro proditore : ab ea certe non abhorrent Tertullianus, aliique veteres scriptores Christiani.

62. Meus, *Primas et horribiles;* scilicet primus, et signifer comitaris. Alb., Reg. 1 *horribilis*. Ita etiam Ott. 1, sed in hoc correctum est *horribiles*.

63. Schedæ Poelm. *manum* pro *aciem*. Meus, *sudibusque minantem*.

64. Alm., Arntz., Parrhas., Ottob. 1, Alb., et multi editi *Commoveas*. Id fuit etiam in Reg. 2, sed correctum *Cum moveas*, vel *Cummoveas*, ut scribitur etiam in Reg. 1 cum glossa *cum sollicites*. Meus mendose *Commoves :* plerique *Cum moveas*, quod sententia postulat. Mss., et editi passim *ori ora :* Reg. 5, Ald. *ore ora*, quod exstat etiam in Arntz. ab altera manu, et in schedis Poelmanni. Id eligunt Grunerus, et Arntzenius, quia Latinum non est *ori ora premere*. Certe Latinius est *ore ora premere*, sed non facile damnaverim alterum. Vat. 1, *premes*, correcum *premis*. Parrh., *premens*, quia prius edidit *Commoveas*. In Rom. scriptum erat *mellisque*, in Poelm. error est *melleque* pro *mellique*.

65. Plerique nostri, *et blanda Dominum*, Arntzenius, inverso ordine, edidit *et Dominum blanda*, alios secutus.

66. Wopkensius sic sollicitabat hunc versum : *Quid socium simulans inimica fraude salutas*, scilicet *simulans te*, et *salutas illum*, vel *Quid socium simulas, et amica fronte salutas*, vel *Quid socium simulas, et cæca fraude salutas?* Verum ex Prosa agnovit idem Wopkensius, veram esse codicum scripturam. Arntz., Reg. 5, Ald. *amicum*, alii cum prosa *amica*, h. e., sub specie amicitiæ.

67. Barth. cod., Cant., Ald., *Numquam :* nonnulli codd. mss. obscure *Numquam*, aut *Namquid*. Barthius, Grunerus, et Arntzenius præferunt *Numquam* cum prosa. Plerique, et optimi mss. exhibent *Numquid*, quod cum interrogatione eamdem sententiam reddit, neque minus elegans est. Porro non ita prosæ inhærendum est, ut ejus lectio venustiori alteri, in quam præstantissima vetera exemplaria consentiunt, præferatur.

[a] Psalm. I, vers. 4. Postea mendum occurrit in nonnullis Bibliothecis Patrum : *Tunc igitur* pro *Tune igitur*, et *tunc fallax, tunc traditor* pro *tune fallax, tune traditor*. Supra rescripsi *æterno torpore* pro *tempore*.

[b] Error est in vet. cod. *oculis* pro *osculis*, et in quibusdam editis *veniens adjungis* pro *venenis adjungis*, et *fraudis salvatione* pro *fraudis salutatione :* neque intelligitur, quid sit *amicæ fraudis salutatione perstringeris*.

Traditus ergo viris operator sanctus iniquis, A
Consuetam non liquit opem, pueroque revulsam
Ense Petri, nequa pius a pietate vacaret,
Reddidit auriculam ; nec enim vindicta Tonanti
Conveniens humana fuit, qui millia Patrem
Angelicas sibimet legiones poscere posset
Plus duodena dari, si mallet sumere pœnas
De meritis, quam sponte suas ignoscere plagas.
Tunc parci mucrone jubet, quia venerat ipse
319 Ponere pro cunctis animam, non tollere [cuiquam.
Namque Petro, clara jamdudum voce fatenti,
Cum Domino se velle mori, Prius aliger, inquit,
Quam gallus cantet, hac me ter nocte negabis,
Non reprobando fidem, sed prædicendo ti- [morem.
Continuo ad tristes Caiphæ deducitur ædes.
Ille sacerdotum fuerat tunc denique princeps,
Et princeps scelerum, namque hoc residente [cathedra
Pestifera, falsis agitatum testibus ardet
Concilium, jam jamque volant mendacia mille
320 In Dominum, vanis hominum conflata [favillis,

OPUS PASCHALE.

amicæ fraudis salutatione perstringeris? Numquam noxios aut pax conjurat in gladios, aut lupus oscula porrigit agno truculenta.

Igitur operator sanctus viris traditus exsecrandis, opem solitam non reliquit, sed auriculam puero violenter abscisam, quam Petri gladius amputavit, nequo se [a] tempore pius a pietate suspenderet, protinus restituit, ac sanavit. Nec enim rationi convenerat, humanam Deo suffragari vindictam, qui sibi patris defensione transmitti plus duodecim millia legiones angelicas poterat postulare, si mallet de sceleratis pœnas exigere, quam suæ cædis injuriam relaxare. Jubet ergo, nudi mucronis aciem vagina condi custode, quoniam ipse videlicet suam pro B cunctis animam ponere, non venerat alicujus eripere.

Ipsi namque tunc Petro, confidenti voce pollicito, velle[1] sese cum Domino mori, Jesu [b] respondit, ac dixit: *Amen, amen, dico tibi, quoniam non cantabit hodie gallus, donec ter tu me abneges*, non infidelitatis tunc arguens, sed metum futuræ trepidationis aperiens. Mox ad Caiphæ deductus est ædes, qui religionis ritu Judaicæ princeps illa quidem tempestate fuerat sacerdotum, sed in cathedra pestilentiæ cum resideret, et in peccatorum via consisteret, principatum videbatur scelerum possidere. Concilium siquidem violenter accendi, et falsis cœperat testibus excitari. Volabant in Dominum mille

SCHOLIA.

69. Ald. *Jesum traditum reddidisse aurem Malcho.* Barthius accipit *operator* pro operario, numquam otioso; melius Wopkensius pro benefico, munifico, ut *operatio* eleemosynam etiam significat: de qua voce vide comment. ad Prudent. Psych. vers. 573. C

70. Nonnulli editi *linquit*. *Puero*, h. e., famulo, nota significatione.

71. Reg. 1, Meus, *vocaret*: sed in Reg. 1 recte emendatum per *vacaret*. Hæc phrasis occurrit etiam l. IV, vers. 196. Arator l. I, vers. 862, al. 807, *Ut numquam pietate vacet*. Ex prosa videtur colligi *nequa* sumi pro *nequo tempore*. Potest etiam accipi pro *nequa ratione*, aut *nequa via*, hoc est, nequo modo.

73. De hac locutione *millia legiones* videri potest judicium Parrhasii in Proleg. n. 189. Simili tamen modo Livius aliquando loquitur, ut l. XXXIV, c. 52, a med. *Philippei nummi aurei quatuordecim millia*, et l. XXXIX, c. 5, et Columella l. V, c. 1.

74. Ott. 2 *possit* pro *posset*.

77. *Parci mucrone*: sic Dracontius Satisf. vers. 157, *Mucrone pepercit*.

78. Parrh. *nec*: cæteri melius *non*. Meus in contextu *quemquam*, pro d. s. *cuiquam*. Vat. 2 in compendio litterarum *quemqaum*, vel *quidquam*: sed unice retinendum *cuiquam*. De phrasi *ponere animam* D vide not. ad Juvenc. I, 611.

79. Ald. *Jesum prædixisse Petro, quod se negaturus esset*. Arntzenius tribuit suo codici Arntz. a pr. m., et Torn. 1, *Jam Petro*, ms. Cantab., Arntz. a sec. m., et Prosæ *Namque Petro*: in contextu edidit *Jamque Petro*, nescio, an dedita opera, an *Jamque* exciderit typographo pro *Namque*. Plures et præstantiores nostri mss. *Namque*: alii cum Parrh., et Ald. *Jamque*.

80 Barthius verba glossarii Isidoriani *Alliger, gallus* accipit pro glossa hujus loci. Sed hoc loco *aliger* est epitheton appositum nominativo *gallus*, non glossa. Fortasse in glossa Isidori innuitur, gallo convenire epitheton *aliger*.

82. Reg. 2, Ott. 1. Meus contra metrum, et sensum *prædicando*: in Reg. 2, et Ottob. 1 recte correctio adhibita est per *prædicendo*.

83. Ald. *In domum Caiphæ deductum Jesum*. Meus, *Ducitur ad Caipham*. Ms. Barthii, schedæ Poelm., Parrh. *Protinus*, vel *Protenus*: reliqui *Continuo*. Prosa *mox*. Pro *ad tristes* Reg. 5, Ald., *ad vastas*, quod tenuit Nebrissensis, ut magnificentia domus Caiphææ denotetur. Sedulius aliud voluit, ut ex optimis quibusque exemplaribus patet.

85. Parrh., *hic*; Meus, *hac*; lege *hoc*.

86. *Pestifera* ex psalm. I, vers. 1, *In cathedra pestilentiæ non sedit*.

87. Parrh., Vet. 1, *Consilium*; retine *Concilium*.

88. Vatt. 2, Reg. 5, Cant., Ald., *labellis*. Alm. *fabellis*. Plerique nostri Ang., Alb., Reg. 1, 2, Ottob. 1, 2, Vatic. 1, Urb., Rom., Meus cum mss. Lipsiens., Arntz., Parrhasio, et vetustissimis aliis editionibus, *favillis*. Nic. Heinsius in not. ad Prudentium hymn. II Perist. vers. 318, correxit ex conjectura *conflata cavillis*, quam correctionem Cellarius, Grunerus, et Arntzenius amplexi sunt. Grunero non displicebat *fabellis*, nisi id contra metrum esset. Posset tamen aliquo modo sustineri simili exemplo epigrammatis, quod S. Damaso tribuitur in ms. quodam codice bibliothecæ Angelicæ: *Non falsas fabulas studio meditatus inani*. Cæterum nihil est causæ, cur a communi codicum scriptura *favillis* recedamus, cum eam Sedulius ipse in prosa clarissime confirmet.

80 Barthius verba glossarii Isidoriani *Alliger, gal-*

[a] Vetus codex *ne quæso tempore*. Restituit Juretus *ne quo se tempore*. In multis Patrum bibliothecis *suspenderet, et protinus*: superfluum est *et*, et repetitum videtur ex verbo præcedenti.

[b] In ms. exemplari pro *Jesus* scriptum erat *iecoys*, scilicet Græcis characteribus uti voluit librarius.

Et pereunt levitate sui, velut ignis oberrans
Arentes stipulas, vires cui summa cremandi
Materies infirma rapit, victoque furore
Labitur invalidæ deformis gloria flammæ.
Postquam nulla dolis patuit via, brachia tolli
Armat in insontem sævus furor : heu mihi ! [quantis
Impedior lacrymis rabidum memorare tu- [multum
321 Sacrilegas movisse manus ? non denique [passim
Vel colaphis pulsare caput, vel cædere palmis,
Aut spuere in faciem plebs exsecranda quievit.
Ille tamen patiens subjecto corpore totum
Sustinuit, nostræque dedit sua membra saluti.
Namque per hos colaphos caput est sanabile [nostrum,
Hæc sputa per Dominum nostram lavere figu- [ram,
His alapis nobis libertas maxima plausit.
At senior, cui cuncta potens prædixerat au- [ctor,
322 Quæ ventura forent, quoniam transire ne- [quibat

OPUS PASCHALE.

mendacia, vanis accusantium favillis emortua, non fidei calore viventia aperiebant[a]. Mox omnia motu propriæ levitatis exhausta, sicut ignis insaniens per stipulas aridæ siccitatis excurrens, cui vires alta cremandi cacumina materies non ministrat infirma, sed in cinerem protinus revoluta perdit inanem flamma victoriam.

Postquam nullum dolis iter arrisit, fraus viribus cedens vertit in furorem, atque in Dominum manus erigere plebs armatur impatiens. Heu mihi! quantis lacrymarum roribus impeditus, quantis animi motibus sauciatus erectas in Dominum rabidi tumultus insania manus horreo memorare sacrilegas! Denique nec caput colaphis propulsare, nec faciem sputis aspergere, nec palmarum ictibus verberare plebs exsecrabilis conquievit. Ille tamen omnia patienter excipiens, nostræ saluti se tradidit, ac pro nobis suum corpus suppliciis deputavit. Per illos enim colaphos habemus capitis sospitatem, illa sputa nostrorum vultuum sunt lavacra; his alapis libertatem sumus consecuti perpetuam.

At senior, cui veritatis auctor cuncta prædixerat, cuique manere nequibat infectum, quod Christus signaverat affuturum, usque in ædes principis

SCHOLIA.

89. Plerique, *Et ;* nonnulli vulgati, *Quæ ;* Barthius l. LIII, c. 3. substituebat *At ;* Arntzenius mallet *Sed*, sicui displiceat *Et*. Parrhasius, omisso *et*, edidit *Depereunt*. Cod. Barthii, Cantabr., Meus *sua*, quod Arntzenius affingit etiam Aldo : sed Aldus cum aliis retinet *sui*, quod probum est.

90. Codex Barthii, Arntz. a sec. m., schedæ Poelm., Parrh., Ott. 2, *vis est cui :* reliqui *vires cui*, quod probat, et explicat Prosa. Alteram lectionem frustra extricare conatur Barthius.

91. Vet. 1, Mon., *victæque furore :* lege *victoque*.

93. Ald. *Jesum colaphis, et palmis cæsum*. Wopkensius distinguendum ait *brachia tolli*, — *Armat in insontem*, scilicet brachia tolluntur, ex usu vulgatissimo infinitivi. Tum *armat* scilicet illos, vel homines. Arntzenius conjicit *brachia tollit*, — *Armaque in insontem*. In Bibl. Lugd. per errorem, ut puto, *brachia tollit*, — *Arma in insontem*. Vet. 1, Parrh., schedæ Poelm., *hei pro heu*.

94. Vet. 1, 2, Mon., contra metrum et sensum, *Armat insontem*.

95. Arntz., Vet. 1, Ottob. 1, Urb., Rom. *rapidum :* sed in Ottob. 1, bene correctum per *rabidum :* Wopkensius interpungit *rabidum memorare tumultum — Sacrilegas movisse manus?* videlicet memorare tumultum, h. e., turbam hominum movisse sacrilegas manus. Vel alio modo *memorare tumultum? — Sacrilegas movisse manus*. Nimirum *movisse* pro *moverunt*. Priorem interpunctionem Arntzenius unice probat. Nisi prosa hoc ipsum suaderet, existimarem, *movisse* conjungendum cum *quievit*, nempe plebs exsecranda non quievit movisse sacrilegas manus, non denique quievit caput pulsare passim, etc.

96. Meus *novisse*, ad marg. pro d. s. *meminisse*. Ita planior sensus evadit : sed obstant reliqua exemplaria. Glossa in Reg. 1 est *passim*, *leviter*, quod huic loco non congruit.

98. Nonnemo citat *Vel spuere*, fortasse casu, non dedita opera. *Quiesco* cum infinitivo usurpavit etiam Quadrigarius apud Gellium l. IX, c. 12, *Quiescerent pugnare ;* ubi tamen alii ex veteribus membranis legunt, *Quiescerent pugnarum*.

99. *Totum*, h. e., omnia, ut apud alios sequioris ævi scriptores, et apud Sedulium alibi a nobis explicatum est.

102. Nostri omnes mss., Parrh., Capp., Ald., vetustissimæ editiones, mss. Alm., Arntz., *Hæc sputa per*, quod, quia contra metrum est, schedæ Poelmanni improbarunt. Barthius ad Claudian. IV Consulat. Hon. vers. 617, citat *Sputa per hæc*. Recentiores editores facilius mutarunt *Sputa hæc per*. Verum cum veteres codices consentiant in hac scriptura *Hæc sputa per*, eam sequi debemus : non enim magis mirum est, Sedulium primam in *sputa* corripuisse, quam primam in *jugis*, et secundam in *elutus* simili modo brevem fecisse. Pro *lavere* nonnulli vulgati male *lavare*.

103. Parrh., *plaudit*. Rom., Urb., *crevit*, fortasse ex aliqua glossa. Lectio vera est *plausit* ex more veterum, quo per alapæ ictum, et plausum in malis libertas servis manumissis conferebatur, ut notum est. Adi-is Isidorum l. IX Etym. cap. 5. Nebrissensis alio fortasse respicit, cum exponit *plausit*, h. e., *arrisit*.

104. Reg. 1, *Negatio Petri*. Vat. 1, 2, *Et ;* in Vat. 1 correctum, *At*. Vonckius conjicit, *At Simon*, plaudentibus Wopkensio, et Arntzenio. At recepta scriptura *senior*, ita a Prosa, et omnibus exemplaribus confirmatur, ac praterea rei ipsi convenit, cum Petrus senior cæteris discipulis fuerit, ut nullus sit locus conjecturæ contrariæ. Qui futura prænonet, auctor solet vocari. Juvencus I, 233, *Monuit quod Spiritus auctor*. Prudentius hymn. 13 Perist. vers. 9 : *Spiritus ille Dei, qui fluxerat auctor in prophetas*.

105. Ms. Barthii, Cant., Parrh., schedæ Poelmanni, multæ veteres editiones, prosa, *nequibat*. Reg. 1, Ott. 1, *nequibit*, factum in Reg. 1, *nequibat;* in Ott. 1, *nequibit*. Arntz. cum plurimis nostris mss., Ald., et aliis editis, *nequivit*.

[a] Fortasse, *viventia apparebant ;* et infra, *protinus resoluta*.

Infectum, quod Christus ait, se prorsus adesse A
Ipsius ex sociis, semel, ac bis, terque negavit,
Et gallus cecinit; completa est sanctio Christi,
Et sensus rediere Petri : memor ille malorum
Immemoris damnavit opus, gemituque sequente,
Culpa fugit, cedunt lacrymis delicta profusis;
323 Et dulcem veniam, fletus, generastis, amari.

Jamque dies aderat, nocturna mœstior umbra,
Flagitium visura novum, tenebrisque remotis,
Pandebat populis Judææ crimina gentis.
Mox igitur Dominum Pilati ad mœnia duci.
Nexibus astrictum, Judas ut vidit iniquus,
324 Diriguit, scelerisque sui commercia red-
[dens

OPUS PASCHALE.

sacerdotum Domini vestigia subsecutus, quod ex ejus esset etiam ipse discipulis, ter est agnitus, ter negavit, et gallus, diei nuntius, cantavit, impletoque divinæ sanctionis oraculo, pristini quoque sensus reversi sunt Petro, qui memoriam culpæ recolligens, oblivionis in se castigavit errorem, gemituque continuo prosequente, peccata fugiunt, delicta discedunt et lacrymarum imbres effusi dulcem veniam fletibus amarissimis contulerunt. Apostolicis igitur B eruditi exemplis debemus vim pœnitentiæ, meritumque dignoscere vitalibus remediis adnitentes, ut ab animarum fatigatione nostrarum mortiferos mereamur morbos excludere. Si enim noxiis cogitationum venenis aut actu, vel etiam contagiis fuerimus turpium sauciati sermonum, ad saluberrimam pœnitentiæ mox nitamur confugere medicinam, quatenus dolentes ex culpa, non doleamus ex pœna; lacrymantes ex vulnere, non lacrymemus ex morte. Nec tamen pœnitentiam futuris paremus erroribus, sed præteritis adhibeamus admissis. Subindulgentiæ namque fiducia delinquentes difficile veniam consequuntur optabilem, quam sibi plerique præsumpta securitate pollicentur, ut peccent. Nam et David propheta mirabilis dum indulgentiam præteriti postu- C laret erroris, ut hanc facilius impetraret, per ignorantiam se deliquisse talibus præ se signavit [a]: *Delicta juventutis meæ, et ignorantiæ meæ ne memineris, Deus.* Quid ergo quæcumque flagitia juvenalis ætas admiserit, in senectutem debent relaxanda servari? Absit, in nobis ut ita maneat, consenescant. Sed cum divina clementia patienti longanimitate mitissimam judicii suspenderet ultionem, nulla non ex istis indutus [b] spes impunitatis obtundat. Sed tamquam famuli diu fugitivi sero saltem nostrum revertamur ad Dominum, ab ipso vel senes lubricæ juventutis veniam postulantes, quamvis conveniat unumquemque peccantem confestim, ne serpentis morbi primitiæ, velut radices amari germinis, altius negligentis agricolæ remissione submersæ, nullo valeant evelli penitus jam labore. Idem denique propheta, ne pro juvenalibus delictis ut negligens videretur, serius supplicare addidit ignorantiam, quo apud pium judicem facilius sibi relaxari meruisset errorem. Igitur et Petrus Apostolus Christum negare non studuit, sed in oblivionis casum simpliciter et ignoranter incurrit, Namque sese mori velle cum Domino plena devotione promiserat, alienus ab ejus videri consortio sub quolibet periculo non ferebat. Præmiserat enim inter cætera magnificum suæ credulitatis exemplum, quod eum a Christo nec exitus posset segregare formido, ad quem media festinando per maria, rapidos dudum præcipitavit in fluctus, nulla vicinæ mortis trepidatione deterritus.

Interea dies, novum visura flagitium, nocturnis mœstior umbris illuxit, quæ tenebrarum remota caligine Hebræi cœtus infanda reserabat vulgo consilia. Tunc Judas, draco novissimus, et priori similis homicida venefico (nam sicut ille, Adam vitæ subtracto, sic et iste, Christo morti contradito, generationis humanæ factus est persecutor), ad Pilati Dominum conspiciens deduci prætorium, eumque

SCHOLIA.

106. Vet. 1 mendose *agit* pro *ait*. Compositum *adesse* pro simplici *esse* ab aliis et jam poetis Christianis ponitur.

108. Parrh., *Tunc;* nonnulli editi *Ut:* plerique, *Et;* Meus *Et cecinit gallus*, inverso ordine.

109. In Reg. 1, Ottob. 1, Vatt. 1, 2, Rom., Meo, error est *redire*, recte emendatus in plerisque per D *rediere*. Fabr. et nonnullæ aliæ editiones, *Petro*, quod retineri posset, præsertim favente prosa. Sed omnes mss. habent *Petri;* eodemque respicit mendum in Meo *Patri*.

110. Ott. 1, *damnavit opes*, bene emendatum per *opus*.

111. Vat. 1, *Culpa fuit*, quod cum aliquo acumine sustineri posset, ut *Troja fuit*. Sed vera lectio est *fugit*.

112. Rom., *generastis amaris;* recte correctum, *amari*.

113. Ald., *Jesum ductum ad Pilatum : et Judam se suspendisse*. Ms. Barthii *nocturnis mœstior umbris*, quod præfert Barthius, et cum eo, ed. Lipsiensis et prosa, Arntzenius et Grunerus. Verum etiamsi concedere velimus, magis poeticum esse *nocturnis mœstior umbris*, tamen cum nostri omnes veteres libri, etiam Ang., Alb., et alii aliorum exhibeant *nocturna mœstior umbra*, id præstat retinere : a quo certe non abhorrent aures poeticæ, quidquid contra sentiat Barthius.

116. Vat. 1, *Pilati mœnia :* desideratur *ad. Mœnia*, ut innuatur magnificentia ædium Pilati. Putant etiam nonnulli, *mœnia* de omnibus tectis, sive ædibus publicis, privatisque urbis dici posse.

117. Grunerus et Arntzenius mallent, cum ed. Lips., *iniquis*, quod mihi minus placet, et alienum est a prosa.

118. Arntz. cod. pro *reddens* a pr. m. *linquens*, quod Arntzenio non displicebat.

[a] Vetus codex *præcisignavit* : Juretus reposuit *præ se signavit*. Locus est psalmi XXIV, vers. 7. Juretus advertit, in sequentibus verbis corruptum esse in vet. cod. *amiserit* pro *admiserit*, rectum vero *juvenalis ætas* more antiquo pro *juvenilis ætas*. Sæpe ita loquitur Sedulius.

[b] Juretus conjicit *indultæ* pro *indutus*, quæ est scriptura codicis ms. In nonnullis Bibliothecis Patrum legitur *indutos*. Melius putarem *inductos*, vel inducta. Paulo ante corrigendum videtur, *ut ita maneant, vel, ut ista maneant*.

Incassum, facti pretium, non facta reliquit.
Quidnam etenim prodest, illic trepidare timore,
Nullus ubi timor est? aut quæ confessio tetro
Lucet in inferno, cum jam demersa securis
Arboris infandæ radicibus, exitialem
Quæ peperit fructum, feralia germina vertat
Funditus, et dignis pereant mala robora flammis?
325 Continuoque trucis correptus mente furoris,
Se quoque morte petit; quamquam tunc sanior esset,
Cum scelus ulcisci præcurreret, ipsaque diræ
Guttura vocis iter, cuncti quæ vendere mundi
Ausa redemptorem, nodatis faucibus angens
Infelicem animam laqueo suspendit ab alto.
Lenior ira quidem tantæ pro crimine culpæ,
Cunctorum cui nulla foret par pœna malorum.
326 Exitus hic mortis tamen, et sublime cadaver
Ostendit populis, quanto de culmine lapsus

OPUS PASCHALE.

vinclis astrictum, qui resolvit vincula peccatorum, diriguit miser, et horruit, pecuniamque, funeream mercedem scilicet cruoris innoxii, restituens sævis dispensatoribus, ac refundens, pretio criminis sese vacuavit ille, non crimine. Quid enim poterit securitati conferre trepidatio mortis, ibi concepta, nullus ubi timor consequitur jam medelam, secundum psalmi continentiam proloquentis : *Illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor* (*Psal.* XIII, 5), hoc est, in ipso judicio, ubi correctionis tempus, et spatia non habet infructuosa formido, aut in inferni jam faucibus constituto, quæ potest opitulari confessio, cum legatur : *In inferno autem quis confitebitur tibi* (*Psal.* VI, 6)? Judas enim publicus homicida, qui, quod audire non meruit, non suum tantum parentem, sed totius mundi jugulavit auctorem, pœnitudinis frustra remedium vestigabat, quem post traditionis audaciam sententiæ supplicium jam tenebat, et securis ad arboris radices applicita, quæ fructum protulit exsecrandum, mali roboris germen inutile funditus amputando, sævis ignibus deputaret. Dementem subito correptus est in furorem, sibi mortiferum nihilominus molitur interitum, quamvis sanior ille tunc fuerit, cum nefandæ conjurationis in se flagitium vindicavit, [a] vitamque gutturis exsecrandi, qua vox processit immitis, vendens omnium redemptionem, faucibus nodatis astringens, animam trabalibus laqueis expulit infelicem. Parva siquidem pœna pro tanto videretur illa flagitio, cui nulla suppliciorum æquari valeat magnitudo, tamen ipsum funesti genus exitii, morsque pendentis ab alto cadaveris cœlum negat aspici, terram vetatque attingi, ut reus sceleris inauditi simul ab utrisque dignus elementis expelli, nec aere frueretur ad vitam, nec humo, generali compositus more hominis, animam dimitteret exhalantem. Habet aliud dedecoris istas

SCHOLIA.

119. Meus, corrupte, *In casum facti pretii*. Reg. 1, *Incasum*, recte factum *Incassum*. Reg. 1, *relinquit;* plerique, *reliquit*.

120. Fabr., *Nam quid enim;* mss. nostri, duo alii apud Barthium l. LIV Advers. c. 7, ac plerique alii, *Quidnam etenim*. Reg. 5, Ottob. 2, Ald., *timorem;* retine *timore*.

121. Alm., *tetra;* alii, recte, *tetro;* Meus, corrupte, *tretro*.

122. Mss. Lips., Alm., schedæ Foelm., Reg. 2 ex correctione, Ottob. 1 ex correctione, et multi editi, *jam demersa*. In Ottob. 1 videtur prius fuisse *demensa*. Reg. 1 pro d. s., Reg. 2 a pr. m., Reg. 1, Vatt. 1, 2, Urb., Rom., Meus, Cant., Arntz., Ang. obscure, *dimersa*. Alb., *dimissa*. Reg. 1 in contextu, *demissa :* ita, vel *dimissa* plerique editi. In ed. Lips., et Bibl. Lugd., fortasse error est *diversa*. Verbum *demergo* elegantiter adhibetur pro alte ac summa vi immittere : quod multis constat exemplis.

124. Parrh., *gramina*, non *gramine*, ut illi imputat Arntzenius. Meus, corrupte, *gemina;* vera lectio, *germina*. Alm., Parrh., *vertit*, quod recentes editores sequuntur; alii, *vertat*. In Reg. 2 ex *verat* correctum *vertat*. Huic scripturæ favet prosa.

125. Ms. Barthii, Lipsiens., et recentes editi *ut;* alii, *et;* nimirum, *vertat et pereant*. Juvenalis sat. 10, vers. 145, *Sterilis mala robora fici*.

126. Barthius videtur alicubi reperisse *conceptus* pro *correptus;* conjicit vero *trucis correptus monte furoris*. Wopkensius autem suspicatur *trucis completus mente furoris*, repugnante prosa. Nimirum *mens trucis furoris* ponitur pro furore ipso, aut mente furibunda.

127. Cantabr., Reg. 1 in contextu, et nonnulli editi, *quamquam*, quod Grunerus et Arntzenius cum prosa retinent. Reg. 1 pro d. s., cum plerisque aliis mss. et editis, *tamquam*. Alterum magis placet. Rom. male *esse*. Elegans, et usitata phrasis est *morte petere* pro interficere.

128. Meus, *percurreret;* reliqui *præcurreret*, sed nonnulli in compendio litterarum, ut legi etiam possit *percurreret*. Urb., *procurreret*. Barthius tentabat, *ulcisci nece curreret;* Grunerus, *ulcisci præsumeret*. Nihil mutes.

131. Meus, *in alto*. Wopkensius hariolabatur, *laqueis expelleret altis*, vel *laqueo disperderet alto*, vel *disperdidit*. Retinenda est recepta lectio, siquidem *anima* hoc loco adhibetur pro toto homine, ut alibi sæpe.

132. Urb., Vatic. 2, Ottob. 2, Rom., Meus, ms. Barthii, ed. Lips., *Levior ira*, ex quo Barthius conjiciebat, *Ira quidem levior*, ut cum *levior* constet versus. In Reg. 1 videtur etiam esse *Levior ira*, sed aliud fuit, et supra est glossa, vel d. s., *mitior*. Lectio communis *Lenior ira quidem* sollicitanda non est. Meus, Parrh., Arntz. a sec. m., multi editi, *tantæ;* plurimi nostri mss. cum Ald., et aliis vulgatis, *tanto*.

[a] Fortasse, *viamque gutturis*. Vulgati, *vitamque gutturis*. Pro *vendens* mendosum est *videns* in multis Bibliothecis Patrum. Vellem etiam *omnium redemptorem:* quamquam Sedulio hoc ipsum significat vox *redemptio*. In vet. cod. esse *travalibus laqueis* pro *trabalibus laqueis* notavit Juretus, qui plura exempla congessit, ut probaret, ab antiquis scriptoribus *trabale* appellari, quidquid ingens, et firmum est, ut *trabalis clavus*, *trabalis hasta*, *trabale telum*, *trabale sceptrum*, *trabalis vectis*, *trabalis jussio*. Addit Juretus, se in not. ad Aratorem l. I, num. 4 : *Cœlo, terræque perosus — Inter utrumque perit*, explicuisse, cur Judas inter cœlum, et terram perierit. Infra ad vers. 145 malim in prosa *renuerit*.

Pridem discipulus, qui nunc reus, alta relin- A [quens
Sidera, tartareum descendit ad usque profundum;
Tunc vir apostolicus, nunc vilis apostata factus.
At Dominus patiens cum præsidis ante tribunal
Staret, ut ad jugulum ductus mitissimus agnus,
Nil inimica cohors insontis sanguine dignum
Repperiens, regem quod se rex dixerat esse,
Objicit, et verum mendax pro crimine ducit.
Nec mirum, si jura Dei gens perfida vitet,
327 Imperiumque neget, lucos quæ semper [amavit,
Idola dilexit; simili nam more furentes,
Tunc coluere Baal, nunc elegere Barabbam,
Damnatoque pio, conservatoque protervo,
Mutavit per utrumque viam sententia justam.
Auctor mortis erat, jussus qui sumere lucem;
Auctor lucis erat, jussus qui sumere mortem.
Credite jam Christum, pro cunctis credite pas- [sum.
Quid dubitatis adhuc? en sectus terga flagellis,
328 Subditus opprobriis, pœnas amplectitur [omnes,
Ne dignus sentire necem vel latro periret.

OPUS PASCHALE.

in species propriæ dejectionis indicium. Quod enim in sublimi fastigio necem sortitus est perfidus, et desertor, patefecit, ex quanto culmine sit lapsus, nuper discipulus, modo jam reus; nuper apostolus, nunc apostata nominatus.

Cum vero Dominus ante tribunal præsidis staret intrepidus, ut agnus mitis productus ad jugulum, nihil dignum morte reperiens, quod ei populus accusator objiceret, regem sese dixisse, qui manifeste rex aderat, studio seditionis exclamant. Nec mirari quispiam debet, si plebs, amica fallaciæ, veritatem protraxerit in crimine, imperiumque sidereum, et divinam renuit potestatem, quæ Creatoris ingrata suf- B fragiis, lucos olim coluit, idolis obsecuta servivit. Una quippe dementia, parque videtur insania, Baal præposuisse tunc Domino, Barabbam præposuisse nunc Christo, dumque pius occiditur, impiusque servatur, justitiæ mutavit viam errans in utroque sententia; auctor mortis deputatus, ut viveret; auctor vitæ deputatus, ut obiret. Ex hoc igitur cuncti, qui hactenus manetis in fide, Christum pro mundi salute passum fuisse jam credite, qui flagris sulcatus, opprobriis lacessitus, pœnas omnes amplectitur, ne perire suis meritis dignus vel latro sustineret exitium.

SCHOLIA.

136. Nonnulli editi, *qui est nunc reus;* plerique mss. atque alii vulgati elegantius omittunt *est.* C

137. Ott. 1, *descenderat usque;* a rec. m. cum aliis, *descendit ad usque.*

138. Vat. 2, *nunc vir apostata;* lege *nunc vilis.*

139. Ald., *Jesu objecisse Judæos, quod regem se esse dixerit.* Arntzenius errasse ait Sedulium, quod *præsidem* vocaverit Pilatum. Verum Sedulius nomen exprimit Vulgatæ nostræ, et plurium Patrum Latinorum: quidquid sit, an ante Claudii tempus *præsidis* nomen præfectus Judææ habuerit. Vide Calmetum Diction. Biblic. verb. *Præses.*

140. Cellarius *jugulum* exponit in indice locum *jugulationis.* Sed plurima sunt exempla, quibus *jugulus* vel *jugulum* pro nece, cæde, jugulatione, accipitur, uti apud Prudentium, Paulinum Petrocorium, Saxonem Grammaticum, Abbonem, immo Manilium IV, 128, *In jugulumque dabit fructus.*

141. Vat. 1, *insonti sanguine;* melius reliqui, *insontis.*

142. Ms. Barthii, schedæ Poelman., Vet. 1, 2, Mon. et alii editi, *Comperiens;* nostri omnes mss., et alii aliorum cum Parrh., Ald., *Reperiens,* aut *Repperiens,* ut intelligatur, primam produci. Meus, Ott. 1 ex correctione, Vat. 1, Reg. 1, 2 in contextu, *dixerit:* mss. alii, cum editis, *dixerat.* D

143. Alm., Urb., *dicit,* quod fortasse fuit in Ott. 1, ubi nunc est, ut in plerisque, *ducit.* Alb., Rom., *duxit.* Glossa in Reg. 1, *ducit, compensat.*

144. Codd. Reg. 1, 2, 5, Vat. 1, 2, Parrh., Ald., *impia.* In Reg. 1 d. s., *perfida,* quod videtur esse glossa in Reg. 2; sed in aliis mss. et in plerisque editis in contextu *perfida* ponitur. Favet prosa.

145. Aldus, ne secunda in *idola* vers. seq. corriperetur, sic hunc locum reformavit *semper quæ idola adamavit,* — *Dilexit lucos.* Id etiam exstat in Reg. 5, sed, ut arbitror, ex Aldi editione. Nebrissensis etiam ex Aldo, ut puto, legit *idola* secunda producta, quam alio in loco a Sedulio correptam fatetur.

146. Schedæ Poelm. *Idola erexit,* scilicet ut metro consuleretur. Verum de secunda in *idola* correpta dixi ad Prudentium, et ad Dracontium. Auctor carminis inediti de Virtutibus et vitiis in Biblioth. Vat. n. 591, cap. de Crapula: *Grandia nam populis mordax quondam idola feci.* Fortasse auctor carminis est Bonifacius episcopus, de quo Sigebertus, et Fabricius Bibl. med.

147. In Parrh. error est *eligere.* Reg. 1, Ott. 2, *Bahal* pro *Baal.* Alii scribunt *Barabbam,* alii *Barabam,* nonnulli *Barrabam,* quod postremum hoc metrum non patitur.

149. In Ott. 1 dubium est, an sit scriptum *utrumque,* an *utramque.* Vera lectio est *utrumque,* quod in Reg. 2 factum est ex *utramque.*

150. Hic et sequens versus diverso ordine in codd. collocati sunt. Ms. Barthii, Alm., et Reg. 2, prius *Auctor lucis erat,* tum *Auctor mortis erat;* sed in Alm. versus *Auctor lucis* deest in contextu, et additus est margini; in Reg. 2, inverso ordine, *Auctor erat lucis,* pro *Auctor lucis erat.* In meo codice omnino deest hic versus *Auctor lucis;* in Ott. 1 versus *Auctor mortis* appositus est in principio paginæ, sed ita ut præcedat alterum *Auctor lucis.* Barthius ait, melius præcedere vitam, mortem sequi. Contra est prosa. Schedæ Poelm., *sumere lumen;* alii, *sumere lucem.*

153. Arntz., *Qui dubitatis;* h. e. cur, qua ratione? Ceteri, eodem sensu, *Quid.* Meus, *membra* pro *terga.* Sedulius æmulari videtur Horatium IV Epod. vers. 11, *Sectus flagellis hic triumviralibus:* sic fere Martialis et alii.

154. Parrh., schedæ Poelman., Urb., *Subditur;* plerique *Subditus,* quod melius est.

155. Ott. 2, male, *Sed dignus.* Reg. 1, *Ne;* supra, *Nec;* Ott. 1 et Reg. 2, *Nec,* correctum *Ne.* Urb., Fabr., Aug., Alb., Vat. 2, Reg. 5, Ald., *Nec;* melius plerique alii. *Ne.* Fabr., et quidam vulgati *ceu latro;* ceteri *vel latro,* in Reg. 1 supra est *ut,* in Ott. 1 est *vel,* sed aliud fuit. Vat. 2, Reg. 5, Ald., *perire;* reliqui, *periret;* Meus pro d. s., *perisset.*

Heu! falx torva patrum, segetem cæsura ne- A [potum,
Heu! facinus, Pilate, tuum! quot gesseris uno
Crimina judicio, vigili si mente notares,
Non solas lavisse manus, sed corpore toto
Debueras sacrum veniæ sperare lavacrum.
Corripis insontem, sistis sub præside regem,
329 Præponis humana Deo; qua morte te- [neris,
Qui Dominum numerosa cruci per vulnera figis?
Cumque datus sævis ad pœnam Sanctus abiret
Militibus, vilem rubri sub tegmine cocci
Vestitur chlamydem, species ut cuncta cruentæ
Mortis imago foret; spinis circumdedit amplum
Nexa corona caput, quoniam spineta benignus
Omnia nostrorum susceperat ille malorum;
330 Implet arundo manum, sceptrum quod [mobile semper,
Invalidum, fragile est, vacuum, leve: moxque [alienos

OPUS PASCHALE.

Heu! quam triste falcis acumen est, quæ messem Judaicæ posteritatis abscidit. Namque necem Domini postulantes, in se suosque filios, ejus sanguinem professi sunt permanere, dicentes furialiter, et clamantes: *Sanguis hujus super nos, et super filios nostros.* Omnem fructum sui germinis damnaverunt, donec ab eis hæc macula illius aqua spiritaliter abluatur, cujus in eis cruor lethaliter dominatur aspersus. Heu! nequitia tui, Pilate, facinoris, quam patrasti! qui tot in uno judicio, vel potius præjudicio crimina commisisti, quæ si provida sanandus mente cognosceres, non solas manus ablueres, sed totum jugiter corpus sacro debueras aquæ spiritalis lavacro perfundere. Justum injuste diverberas, regem præses examinas. Domino te præponere, mortalis homo, non trepidas. Quibus igitur luendi supplicii jam teneris in vinculis, quia numerosa per vulnera cruci Dominum creaturæ configis, Cæsaremque magis offendere, quam Cæsaris metuis conditorem? B

Cumque militari Christus exsecutioni contraditus, mortis sententiæ subjaceret, in ipso nihilominus cultu, quem regiæ sub imaginis illusione suscepit, magni gerebantur sacramenta mysterii. Quod enim coccineæ chlamydis velamen indutus est, cruentum futuræ mortis demonstrabat aspectum. Spinea caput ejus corona circumdedit, quoniam spinas omnium peccatorum, quæ humanum genus passim invaserant, pia solus humilitate portavit. Nam datam gestabat arundinem, mundano regno sceptrum vere consimile, quod pro motatione sæpissima fragile, vacuum, leve cernitur, et caducum. Moxque vestibus

SCHOLIA.

156. Ald., *Jesum ad pœnam ductum.* Meus corrupte *flax*, et Alb. *felix* pro *falx*: in Reg. 1 pro *falx* videtur fuisse *fallax;* vera scriptura est *falx.* Parrh. *falx curva*, quod conjecit etiam Nebrissensis. In Reg. 1 est *torva* cum plerisque, sed fortasse fuit *turba.* In Ottob. 1 clare, *turba*, sed aliud fuit, et ad marginem est, *torva*; prosa, *triste, falcis acumen.* C

157. Ott. 1, Urb., *quod*; lege *quot.*

158. Arntz., *Crimine;* corrige, *Crimina.*

159. Reg. 5, Ald., *Nec;* alii, melius, *Non:* Arntz., *solum*; in Rom., *solas*, sed correctum per *solum.* Præstat retinere, cum aliis et prosa, *solas.* Wopkensius concinnius putat, *sed corde reloto*, vel *sed pectore loto.* Obstant veteres libri et prosa; neque est, cur inconcinnum censeatur *sed corpore loto;* immo hoc poscunt præcedentia *Non solas lavisse manus.*

160. Reg. 1 pro d. s., Reg. 2, Alb., Vat. 2, Meus, Ottob. 1 ex correctione, mss. Lips., Cant., Alm., Arntz., *sperare*; alii mss. et plures editi, *spectare.* quod suffragio suo schedæ Poelm. probarunt. Wopkensius substituebat *spirare*, quod Grunero, et Arntzenio non displicebat. Sed vel *exspectare*, vel *sperare* potius, huic loco satis consentaneum est. D

161. Vat. 1, Mon., mendose, *Corporis* pro *Corripis.* Parrh., *et sistis*; alii cum prosa omittunt *et.*

162. Mss. nostri cum Aug., cod. Barthii, Alm., Arntz., Parrh., Ald., et aliis editionibus antiquis, *Præponis humana:* Alban., et vulgati multi, *Præponisque humana.* Id præfert Arntzenius; nescio, cur: Sedulius enim sæpe aspirationi *h* vim consonantis tribuit, ut brevis præcedentis dictionis produci possit. Arntzen. a sec. m., Parrh., *qui morte teneris;* lege, *qua morte.*

163. Ottob. 1, *crucis*, recte correctum per *cruci.* Reg. 5, Ald., Fabr., et quidam alii vulgati, *post vulnera;* plerique mss. cum aliis editis melius *per vulnera.*

164. Ald. *Jesum ad pœnam ductum.* Titulus repetitus. Urb., Rom., *ad pœnas.* Vat. 2 corrupte *sensus* pro *Sanctus.*

165. Arntz. cum Fabr., et quibusdam aliis editis, *rubri vilem;* mss. nostri cum Parrh., Ald., et plerisque editionibus, *vilem rubri:* sed in Ott. 1 fortasse fuit *chlamydem rubri sub tegmine cocci — Vestitur vilem*, quod in meo codice sic exstat. Wopkensius vult, conjunctim legi *subtegmine:* plerique scribunt *sub tegmine.*

166. Arntz. *Vestitus.* Vat. 1, Ott. 2, Ang., Alm. *speciesque:* alii *species* sine *que.* Alm., Ott. 1, 2, Fabr., et nonnulli alii editi, *cruenta:* id ita fuit in Reg. 1, sed correctum est per *cruentæ*, quod plerique exhibent, et schedæ Poelm. probant. De chlamyde, qua indutus fuit Jesus, sermonem habui ad Juvencum l. IV, vers. 645. Vilis dicitur a Sedulio, quasi alicujus vilis militis propria vestis. Concilium Toletanum I, anno 400, can. 8: *Si quis post baptismum militaverit, et chlamydem sumpserit, aut cingulum*, etc. Nebrissensis tamen censet, dici vilem, quia in vilipendium Christi adhibita, non quod parvi pretii esset. At verisimile est, chlamydem, in vilipendium adhibitam, vilem quoque fuisse, et parvi pretii.

167. Bibl. Lugd. *circumdabit*, quod depravatum est. Pro *amplum* conjiciat aliquis *almum:* sed Nebrissensis exponit *amplum*, h. e., honestum. Hinc *amplitudo.*

170. Ottob. 1, Meus, Reg. 5, Ang., Vat. 2, ut videtur; Ald. *quia*, quod fortasse etiam fuit in Reg. 1, in quo nunc est *quod*, ut in *plerisque.* Etiam in Ott. 1 prius fuit *quod.* Reg. 1 pro d. s., Vat. 1, et plurimi vulgati, *semper.* Mss. alii cum Ang., cod. Barthii, Parrh., Ald., *terræ*, quod cum mss. Cant., schedis Poelm., et Prosa, præferunt Grunerus, et Arntzenius. Barthius conjecerat *per se*, h. e., sua natura. In Ott. 1 est *terræ*, sed videtur fuisse *semper*, pro quo stat prosa.

171. In meo cod. desideratur *leve.* Reg. 5, Ald., *mox alienos* sine *que.*

Deponens habitus, proprium suscepit amictum,
Scilicet humanæ positurus tegmina carnis,
Et sumpturus item, nil jam ut mutabile ferret,
Post mortem propria cum majestate resurgens,
Humano ponens mortalem tegmine carnem.
Nec sine divino constat moderamine gestum,
Quod vinum cum felle datum, tristemque sa-
[porem
331 Suscipiens tetigit labiis, et ab ore re-
[movit.
Quippe necem parvo degustaturus amaram
Tempore, quam reduci contemnere carne pa-
[raret.
Protinus in patuli suspensus culmine ligni,
Relligione pia mutans discriminis iram,
Pax crucis ipse fuit, violentaque robora mem-
[bris
Illustrans propriis, pœnam vestivit honore,
Suppliciumque dedit signum magis esse salutis,
Ipsaque sanctificans in se tormenta beavit.
Neve quis ignoret, speciem crucis esse colen-
[dam,
332 Quæ Dominum portavit ovans, ratione
[potenti
Quattuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget Eous,

OPUS PASCHALE.

alienis exutus, suis protinus est amictus, tamquam positurus in obitu corporis indumentum, quod se post paululum noverat recepturum, nihil jam sumpturus mutabile [a], quippe post mortem plena cum majestate suæ carnis rediens, ac resurgens.

Nec illud a consortio divinitatis abscessit, quod datum sumit vinum felle permixtum, labiis tetigit, et ab ore projecit. Signum quippe fuit mirabile, amaram mortem Dominum degustare, confestimque virus ejus horribile reducis vultus aversione contemnere.

Igitur alto patibuli defixus in ligno, iram discrimi- nis exsecrandi pia religione mutavit, et abjecta crudelitate pax ascendit in crucem, violentaque sævi roboris instrumenta suis membris illustrans, pœnam honore vestivit, supplicium salute dicavit, ipsaque pius in se tormenta sanctificans, signum damnationi propositum fecit beatitudine consecratum. Ut hic nullus animo peregrinetur ignaro, crucis speciem causam venerationis ostendere, quæ Dominum meruit adoranda portare, per quatuor eam plagas orbis extendi, prudenti debet quisque ratione colligere. Caput enim Christi distentis in crucem membris expositi axis Orientis accepit. Occiduus autem limes

SCHOLIA.

172. *Habitus* pro cultu exteriori corporis, præcipue vestimento, a bonis scriptoribus usurpatum reperitur.

174. Ms. Lipsiens., *nil jam mutabile*. Parrh., schedæ Poelm., *nil ut mutabile*. Rom., Urb., *nil jam ut mobile;* minus male esset *jam nil ut mobile*. Communis lectio *nil jam ut mutabile*. Nebrissensis advertit, *item* pro iterum a Sedulio usurpari. Ex prosa *motatione sæpissimâ fragile* suspicari possis *motabile*.

175. In nonnullis veteribus libris *refulgens* pro *resurgens* recte damnant Barthius et Burmannus.

176. Deerat hic versus in Reg. 1, Ott. 1, sed ubique additus est in fine paginæ, ut hoc in loco ponatur. Abest a Cant., et a prosa. In meo prius collocatur *Humano*, tum *Post mortem*, inverso, et præpostero ordine. In Alm. sic corruptus est *Humano patiens mortalem sumere carnem*. In schedis Poelm. ascriptum erat : *scilicet resumens eamdem immortalem, quæ quidem est tegmen humanum, sub quo divinitas latet*.

177. Ald., *Fel Domino datum*. Arntz. *factum* pro *gestum*.

178. Reg. 2, *vino*, recte correctum *vinum*. Rom., Urb., *datur;* melius alii, *datum*. Pro amaro *tristis* usitatum est.

179. Vat. 2, Parrh., *labris* pro *labiis*.

182. Ald. *Jesum patulo affixum ligno*.

183. Nebrissensis nota ad verbum *Relligione* est : Nisi mendum est, significat, quod crux, olim pœna, nunc mutata est in honorificam religionem.

184. Rom., Meus, *violentiâque :* lege *violentaque*. Mon. *robore :* corrige *robora*. Dungalus in opere adversus Claudium Taurinensem de Cultu imagin. sacrar. tom. XIV Biblioth. Patrum Lugd. p. 206, et Jonas Aurelianensis l. II de eodem argumento, eod. tom. XIV, p. 182, hunc, et sequentes undecim versus proferunt, ut crucem colendam esse probent : sed Dungalus librum IV Carminis paschalis, Jonas librum III allegat pro diversa carminis dividendi ratione, de qua in Prolegom.

185. Meus corrupte *panem* pro *pœnam*. Urb. *honorem :* retine *honore*.

187. Apud Jonam loc. cit., *Ipseque sanctificans*, minus bene.

188. *Colendam*, non cultu religioso, ait Cellarius, qui soli affixo cruci Christo debetur. Quid ineptius? Quo ergo cultu colenda est crux? Doctrina catholica de adoratione crucis tam certa est, ac tam clare a doctoribus exposita, ut tandem hæreticos pudere debeat hac de re cavillari, et eamdem crambem centies recoquere. Quod enim dicimus, *veneramur, colimus, adoramus crucem*, cum Patribus, Conciliis, et Ecclesia in officiis liturgicis loquimur : ejusmodi autem adorationem esse respectivam, et secundariam, nemo non agnoscit. Apage ergo ineptias heterodoxorum, qui ex hujusmodi venerationis signis arguunt, nos adoratione absoluta, primaria, et latriæ, quæ soli Divinitati debetur, res inanimas colere. Exstat autem apud Orientium carm. de Trinitate simile crucis elogium : *Cur tamen hanc speciem teneat crucis edita forma, —Monstrat adorandum tota ratione character; —Quod divisa nota est in partes quattuor exstans, — Dat mundi Dominum cognosci et archangelos omnes. —Tot regis ipse plagas, cœli quot crux videt oras*, etc. Misere corrupta sunt omnia piissimi poetæ Orientii carmina. In quarto versu clarum mendum est, quod sic emendare placet : *Dat mundi Dominum cognoscier angulus omnis*. In primo legerem *cum tamen*, in ultimo *Tot regit*.

189. Lipsius l. I de Cruce, cap. 10, pro *potenti* maluit *patenti*. Nonnulli vulgati male interpungunt *portavit ovans ratione potenti, — Quattuor*.

190. Meus *colligat*, quæ est etiam conjectura Vonckii et favet prosa : plerique tamen *colligit*.

191. Reg. 2 *fulgit*, correctum *fulget*. Jonæ loc. cit.

[a] Erat in vet. cod. *motabile* pro *mutabile*, et *præ mortem plenam* pro *post mortem plena*. In nonnullis editis mendose *majestatis*, nisi reponas *plena cum majestatis suæ carne*, quod tamen carmini non congruit.

Occiduo sacræ lambuntur sidere plantæ,
Arcton dextra tenet, medium læva erigit axem,
Cunctaque de membris vivit natura creantis,
Et cruce complexum Christus regit undique mundum.

333 Scribitur et titulus, Hic est rex Judæorum,
Quo nihil a deitate vacet : nam cœlitus actum
334 Hoc Hebræa refert, hoc Græca, Latinaque lingua.

OPUS PASCHALE.

plantis arrisit. Arctous dextra claruit, medius læva refulsit. Cunctaque prorsus mundi substantia, Creatoris corpore jucundata, crucis in se lineam rectis obliquisque limitibus demonstravit impletam, quam primæ lucis ab origine cernitur consecuta. Cumque milites ejus sibi vestimenta dividerent, tunicam sortiti sunt, quis haberet, quoniam suta non fuerat, sed de superioribus texta per omnia, nefariumque duxerant speciem tanti violare miraculi; legant hæc schismatici profecto doctores, et sciant, quod impietates exerceant catholicam lacerando concordiam. Si enim militibus sacrilegis ac funestis durum visum est Christi carpere vestimentum, quale nefas admittunt, qui, ecclesiastica pace turbata, ipsum Dominum Christum schismatibus dividere non quiescunt!

Titulus quoque, trina linguarum significatione conscriptus, habens Hebraicis litteris, Græcis, ac Latinis: *Hic est Rex Judæorum*, supra Dominum legebatur appositus. Quæ sit etiam hujus ratio sacramenti, absurdum non videtur inquiri. Nec enim fugit a magno mysterio, quidquid gestum manifestatur in Christo. Cur ergo tribus linguis hic titulus legebatur ascriptus, cum plures, ac varias multitudinum nationes nequaquam Hierosolymæ defuisse, Apostolorum actuum magnitudo testetur, et possit aut una interpretis diversis lingua sufficere : aut si cunctorum voluit hoc oculis Pilatus exponere, plurimarum linguarum commerciis instructam vulgi [a] notiam reddidisset? Sed quod non est humana dispositione perfectum, spiritaliter illud sentiamus impletum. Vera siquidem fides, catholicaque confessio, quæ designabatur in Christo, unum populis Regem speciali verbo pronuntiat, qui supra creaturam dominatur universam, tam sæculari causæ, quam rationi conveniens est divinæ. Primum quoniam Pilatus vel propter Cæsaris metum, vel propter suæ credulitatis [b] admissum, qui se regem dixerit, quorum fuerit, definivit, ne puro regni nomine designato generaliter eum regem videretur exponere, atque adversus Cæsarem prædicare, et tamquam in suum quoque rectorem decreta morte sacrilegus exstitisse. Dehinc quia rex Judæorum Christus religiose nominatur, et omnis gentilitas idolorum cultibus occumendose *Eois*. Poetæ christiani Deum *auctorem*, hoc est, rerum omnium dominum, et conditorem passim vocant, ut Prudentius, Dracontius, Avitus, Fortunatus, Arator.

SCHOLIA.

192. Cellarius alicubi invenit *flaccæ* pro *sacræ:* sed *sacræ* probum est. Vat. 1, Meus, Jonas, Alb., Urb., *labuntur sidera* : corrige *lambuntur*.

193. Rom., *dextera* : metri lex exigit *dextra*. In Ott. 1, pro *erigit* aliud fuit. Reg. 1 *leva subrigit*, et pro d. s. *leva erigit :* hoc lex pedia poscit : scribendum enim est cum diphthongo *læva*.

194. Arntz., *Tonantis ;* alii cum prosa *creantis*, quod Arntzenio nervosius videtur.

195. Hoc loco inserit prosa ea, quæ pertinent ad versus 200, et 201 h. l. In Vatic. 2 videtur esse *complexus :* sic prius erat in Reg. 1, Ottobon. 1, Rom., sed correctum est in his tribus per *complexum*. Verum elegantius ego existimo *complexus :* ac solent poetæ christiani, quod in Juvenco sæpius notavi, unum accusativum duobus verbis apponere. Plerique retinent *complexum*. Cassiodorius ex Sedulio, ut puto, in psalm. XXII, v. 18 : *Crucis ipsa positio talis est, ut pars ejus superior cœlos petat, inferior terras non deserat, fixa infernorum ima contingat : et velut quibusdam brachiis extensis latitudo ejus totius partes appetat mundi*. Præcessit Lactantius l. IV Instit., c. 26, *Extendit Christus in passione sua manus, orbemque dimensus est*. Hieronymus in c. XV Marci : *Ipsa species crucis quid est, nisi forma quadrata mundi*, etc. Consule Gerdam Advers., cap. 100. Laudat etiam hos versus Amalarius de Eccles. offic. l. I, c. 14.

196. Ald., *Titulus in cruce Græce, Latine, Hebraice*. Plerique nostri mss., et alii, *Scribitur et titulus : Hic est rex Judæorum*. Aldo affingit Arntzenius *titulus : hic est nam rex Judæorum*. Ita quidem ediderat Aldus, sed correxit, ut in plerisque nostris. Meus, *titulus : quia rex est hic Judæorum*, quod non bene procedit : neque melius Alb., *Scribitur et titulus super : Hic est rex Judæorum ;* aut Parrh., *Scribitur in titulis super : Hic est rex Judæorum*. Observandum tamen, Parrhasium in annotationibus suis post Sedulium monuisse, ita quidem legi in omnibus exemplaribus, sed castigandum videri *Scribitur in titulis : Hic est rex Judæorum*, ut reciprocus versus sit, et spondaicus imitatione Maronis, et aliorum, ne unam et alteram syllabam novo exemplo corripiat in *Judæorum*. Id Cappusotus tenuit. Vet. 1, 2, Mon., *Scribitur et titulus : Jesus rex Judæorum*. Bibl. Lugd., Fabr., *titulus : Hic rex est Judæorum*. Col. *titulus : Hic rex Judæorum est*. Poelm. *titulus : Rex hic est Judæorum*. In scriptura codicum communiori, quam etiam tenet Beda de Metris, ultima in *titulus* producitur ratione aspirationis sequentis, aut etiam vi cæsuræ. Quinto loco spondæus pro dactylo ponitur. Verba tituli exprimit Sedulius, quæ exstant apud Lucam. Dominicus Maria Mannius edidit eruditum Commentarium de titulo Dominicæ crucis archetypo tom. IX Symbol. litter. Gorii. Vide etiam not ad Juvencum l. IV, vers. 666, et ad Eleg. vers. 110, ubi sententiam Bedæ de scansione hujus versus minime probandam referam, et Benedictum XIV de Beatif. l. IV, part. II, Append. 3.

197. Alm., et nonnulli nostri mss. cum multis editis, *Quod :* melius alii cum ms. Barthii, Parrh., schedis Poelm., *Quo* : Parrh. *nil :* alii *nihil*. Meus, *vacat :* plerique *vacet*; sed in Reg. 1, ex *vacet* factum *vacat*. Rectius est *vacet*, præsertim cum *Quo*.

[a] Notat Juretus erratum codicis veteris *fulgi* pro *vulgi*.

[b] Perperam vetus codex *amissum aquæ*. Juretus correxit *admissum, qui :* Gallandius rectius esse putabat *admissum, quod*. Idem in fine capitis conjiciebat *relinquentes honorem* pro *relinquentes horrorem*. Periodus *Vera siquidem* obscura est.

Hoc docet una fides, unum ter dicere regem.
Hujus in exuviis sors mittitur, ut sacra vestis.
Intemerata manens, a Christo schisma vetaret.
Quin etiam insontis latere ex utroque cruen-
[tos
Constituere viros, meritum licet omnibus unum
Non faciat similis quamvis sententia; namque
335 Inter carnifices sancto pendente latrones,
Par est pœna trium, sed dispar causa duorum.
Hi mundo sunt quippe rei pro crimine multo;
Huic reus est mundus, salvatus sanguine justo.
Suppliciisque tamen rerum dominator in ipsis
Jura potestatis non perdidit: æquus utrumque
Judex namque tuens, hunc eligit, hunc repro-
[bavit,
Amborum merita præcelso examine pensans.
Unus enim, quem vita ferox nec morte reliquit,
In Dominum scelerata movens convicia, dictis
Mordebat propriis, et tamquam setiger hircus
Ore venenoso vitem lacerabat amœnam:
Alter, adorato per verba precantia Christo,
336 Saucia dejectus flectebat lumina, tantum

OPUS PASCHALE.

pata, cum Christiani dogmatis meruerit sacramenta sortiri, inter Abraham filios incipit Dei populus nuncupari. Cui legitur promisisse, quod eum faceret, sicut et fecit, omnium gentium patrem. Jesus ergo dictus est Rex Judæorum, non tantum præsentium, sed etiam futurorum, qui naturalis germinis inutilem relinquentes horrorem, mox in oleam fecundæ suavitatis unguento sancti chrismatis inserendi perdent amaritudinem sterilis oleastri.

Quin etiam plebs feralis, et noxia, nullis animum satiata suppliciis, cruentos ex utroque latere circa Dominum viros eadem statuit damnatione confixos, ut injectas vulnerum plagas talium acerbaret injuria personarum, licet meriti similitudinem non habet similitudo sententiæ. Inter latrones namque justo pendente carnifices, trium videtur esse par pœna, sed duorum dispar est causa. Illi siquidem multo pro crimine rei sunt mundo: huic ipse reus est mundus, cujus sanguine liberatus est a peccato. In illo tamen Dominus patibulo constitutus, potestatis suæ jura non perdidit, qui de sublimis crucis examine, velut de regali throno, judex æquus utrumque prospiciens, et amborum merita divini cordis lance perpendens, hunc elegit, illum reliquit, non præterita, quæ luebant, facta discutiens, sed præsentes mentium diversitates intendens. Unus enim, a quo ferocis atrocitas instituti nec in discrimine declinavit, sævis Dominum lacerabat injuriis, dictis mordacibus exsecrandus, tamquam caper hirsutus venenosi dentis attactu palmiti suavissimæ vitis inimicus, ita loquebatur illudens: *Si tu es Christus, salvum te fac, et nos.* Alius vero spe meliore modestior, qui dum suæ parcit linguæ, pepercit et pœnæ supplicio, Dominum[a] verbis precantibus alloquitur, deflectens

SCHOLIA.

199. *Ter* designat SS. Trinitatem, non triplex regnum, ut Cellarius suspicatur.

200. Poelm. *Super tunicam sortiuntur*. Dempsterus ad Rosin. l. VIII, c. 8, p. 840, conjicit *in exuvias*, quod videtur prius fuisse in Vat. 1; sed bene est *in exuviis*.

201. Meus, *necaret*: lege *vetaret*. Hi versus supra in prosa explicati sunt.

202. Ald., *Duos latrones ad Domini latera crucifixos*. Parrh., *Cum simul*: alii *Quin etiam*. Ott. 1, Vat. 1, 2, Reg. 5. Ald., Cant., schedæ Poelm., *insonti*: plerique *insontis*, sed in Reg. 1 videtur correctum per *insonti*. Pro scelerato *cruentum* poni, novum non est.

203. In Rom. *meritum omnibus unum* deest aliquid. Similis error in Urb. *meritumque omnibus*. Barthius ex optimo codice allegat *meritum non omnibus unum*, quod edidit Parrhasius, et in suo cod. invenit a seq. manu Arntzenius. Plerique *licet omnibus*, quod displicebat Gruntero cum particula *quamvis* repetita v. seq. Idcirco ex ed. Lips. reposuit *meritum licet omnibus unum — Non faciat, similis tamen est sententia*. Ita omnino habet meus codex, et alter Barthii, et in aliis editionibus sic exstare, ascriptum erat in schedis Poelmanni. Nihilominus retinenda est lectio communis, et cum Wopkensio explicanda *meritum licet omnibus unum — Non faciat similis quamvis sententia*: h. e., licet sententia quantumvis similis non faciat omnibus unum, vel simile meritum. Præterea aliquando Latini particulas *licet quamvis* jungunt, ut Lucretius, et Cicero.

204. In Reg. 1 *similes* correctum per *similis*, et glossa *sententia, damnat*. Alb., mendose *Nec faciat quamvis simul sententia*. Barthius ex altero cod. optimo citat, *Hos faciat similes*; ex altero, *Non faciat, similis tamen est sententia*. Parrh., *Hos facit assimiles*. Vet. 1, Mon., *Hos faciat similes*. Confer var. lect. vers. præced.

206. Arntz. *tribus* non male pro *trium*: tunc legi posset *duobus*, ut legitur in Urb.

208. Rom. *salvandus*: reliqui *salvatus*.

209. Vat. 1, *Suppliciis tamen*; deest *que* ad rationem metri.

211. *Tuens*, h. e., intuens, ut apud Virgilium, et alios.

212. Cant., Ott. 1, Alb., Parrh., Fabr., *meritum*, atque ita scribi jubent schedæ Poelmanni. Verum scriptura communis *merita*, quæ etiam in Ott. 1 prius videtur fuisse, retinenda est, producto *a* postremo ob *pr* dictionis sequentis, ut nihil dicam de cæsura, quæ etiam id efficeret. Ald., *ex agmine*; emenda, *examine*.

213. Arntz. *Unus erat*: lege cum aliis et prosa, *Unus enim*. In Ott. 2, videtur *nec in morte*: sed repugnat metrum: Urb., Rom., *relinquit*: alii *reliquit*. Non male est *relinquit*; præsertim si imitatio sit Virgilii libr. VI, vers. 444: *Curæ non ipsa in morte relinquunt*.

214. Urb. *loquens* pro *movens*.

216. In Reg. 5, et Bibl. Lugd., mendum est *vitam* pro *vitem*. Meus, *mordebat*, quod jam vers. sup. præcessit: cæteri *lacerabat*: Barthius l. LIV Adv., cap. 7, citat *vitem populatur amœnam*. Hirci morsum vitem enecare a multis proditum est.

[a] Lacuna hic erat in veteri codice; nimirum sic habebat, *supplicio, ac Domini verbis alloquitur*. In plerisque vulgatis *supplicio, ac Dominum verbis precantibus alloquitur*. Gallandius omisit *ac*, quod obesse sensui videtur.

Lumina, nam geminas arcebant vincula palmas.
Quem Dominus, ceu pastor ovem deserta per [arva,
Colligit errantem, secumque adducere gaudet
In campos, paradise, tuos, ubi flore perenni
Gramineus blanditur ager, nemorumque voluptas,
Irriguis nutritur aquis, interque benigne
337 Conspicuos pomis non deficientibus hortos
Ingemit antiquum serpens habitare colonum.
Ambo igitur varium diverso calle latrones
Aggressi facinus violentum grande patrarunt.
Infernas adit ille fores, adit iste supernas ;
Ille profunda sequens penetravit claustra gehennæ,
Abstulit iste suis cœlorum regna rapinis.
Interea horrendæ subito venere tenebræ,
Et totum tenuere polum, mœstisque nigrantem
Exsequiis texere diem ; sol nube coruscos
338 Abscondens radios, tetro velatus amictu,
Delituit, tristemque infecit luctibus orbem.

OPUS PASCHALE.

lumina, tantum libera quæ gerebat, in terram, quoniam tensi vulnerum nexus ab humilitatis officio volentes inclinari palmas [a] arcebant. Nam postquam socium, qui jam desociari meruerat, justi sermonis increpatione redarguit, suæque culpam protervitatis agnovit, Dominum sic precabatur : *Memor esto mei, dum veneris in regnum tuum.* Quem pius illico Dominus, ut errantem per avia deserta pastor ovem, cum gratulatione recolligens, allocutus est dicens : *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* O mirabilis, et divina promissio! paradisum se dicit intrare, qui properabat ad inferna descendere, quatenus edoceret, nullum tempus existere, quo Dominus non sit ubique præsens. Ut enim latronis animum jam beati mortis formidine vacuaret, non tantum, [b] inquit, *Hodie mecum eris in paradiso*, ubi flore perpetuo blanda per agros ridet amœnitas, et irriguis voluptas fontibus enutrita, pulchrosque molliter per hortos infusa, totum grata suavitate lætificat, interque beatos frondibus ramos, ac nullis ultra pomorum decipientibus insidiis serpens ingemuit ille tartareus, antiquum sine lapsu degere jam colonum. Ambo igitur variis currentes motibus latrones, iter diversi callis invadunt, ac locis remotioribus imminentes, discretam factis violentiam perpetrarunt. Ille fores inferni intravit, iste supernas irrupit. Ille caligini profundæ submersus, claustra penetravit gehennæ. Iste lumen claræ lucis ingrediens, cœlorum regna diripuit.

Interea subito totus est obscuratus mundus, tenebris repentinæ cæcitatis oppressus, ac mœsta nebularum mole perfusus funereas dies celebravit exsequias. Sed sol radiis remotus absconditis, tetra velatus palla, delituit, orbemque luctibus alienæ no-

SCHOLIA.

219. Mss. quidam apud Barthium, Reg. 1, pro d. s., Rom., et nonnulli vulgati, *Libera :* plerique nostri cum Alm., Parrh., *Lumina*, ex Virgilio l. II, Æn. vers. 405, *Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra — Lumina : nam teneras arcebant vincula palmas.* Confer Prudentium Per. V, vers. 235. Cellarius sequitur *Libera*, et codici Cant. tribuit *Lumina*. Grunerus in cod. Cant. invenit *Libera*, et id prætulit, quia sic legitur in prosa. Verum repetitio elegans verbi Virgiliani, ut versui valde accommodata est, ita in prosa per explicationem *libera* opportune exposita est : nisi suspicari etiam velimus, in prosam mendum irrepsisse, ac legendum, ut in carmine, *lumina, tantum lumina, libera.* In *vincula* variant etiam mss., et editi : sed retinere præstat cum plerisque *vincula*, ratione ejusdem imitationis Virgilianæ. Quod enim Cellarius cum Alm. præfert *vulnera*, quod miseri crucibus clavis affixi essent, non funibus alligati, hoc nihili est : nam rursus Sedulius ait vers. 303, *Post vincla crucis.*

224. Wopkensius conjicit *interque beate — Conspicuos*, vel *interque malignus*, scilicet serpens. Refragantur vetera omnia exemplaria : neque male est *benigne*, sive intelligas *habitare benigne*, sive *hortos benigne conspicuos.*

225. Hic rursus Wopkensius conjicit *decipientibus* pro *deficientibus ;* quæ conjectura eleganti acumine valde se Arntzenio probabat : nimirum quia in cœli paradiso poma non decipient, ut in paradiso terrestri. Scriptura communis denotat perennem copiam fructuum. In Reg. 1 aliud prius fuit. Propterea veram crediderim conjecturam Wopkensii, cum prosa non pomorum jugem ubertatem indicet, sed insidias decipientes excludat.

226. Nebrissensis suspicatus fuerat *antiquus serpens* ex Apocalypsi cap. XII, vers. 9 : *Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus.* Revera in meo codice est *antiquus serpens ;* erat id etiam in Rom., sed in hoc correctum est per *antiquum.*

228. Tria epitheta uni substantivo accommodata, *varium violentum grande.* Est autem idem accusativus *facinus* pro utroque verbo *aggressi, patrarunt.* Alii interpungunt *facinus, violentum grande patrarunt*, nimirum patrarunt violentiam grandem, vel aliquid valde violentum. Alii, *Aggressi facinus violentum, grande patrarunt*, videlicet patrarunt aliquid grande, rem grandem. Planior est sententia, ut nos exposuimus : Ambo diverso calle aggressi sunt, et patrarunt facinus varium, violentum grande. Neque obstat prosa.

230. Cant., Ald. et quidam alii vulgati, *petens ;* alii, *sequens*, cujus glossa est in codice Burmanni *petens.*

231. Ms. Barthii scribit, *Austulit.*

232. Ald., *Solem obscuratum in plenilunio præter naturam.* Poelm., *Tenebræ.* Vet. 1, *horrendi ;* corrige, *horrendæ.*

234. Meus, *tenuere diem ;* Rom., *traxere diem ;* lege, *texere diem*, quod pulchre dictum.

235. Juvencus l. IV, vers. 149 : *Abscondet furvis rutilos umbris radios sol.*

236. Variant mss. et editi : nonnulli *Dilituit*, plerique melius *Delituit.* Pro *infecit* schedæ Poelm. *insum* posuit.

[a] Depravatus sic erat vetus codex, *inclinari palmescebant. Nam postquam otium quæ jam desociare meruerant.* Medicinam attulit Jurelius. Infra Gallandius conjiciebat *paradisum secum dicit* pro *paradisum se dicit.* Sed fortasse auctor *se* pro *eum* aut pro *seip-*

[b] Videtur aliquid deesse, ut *Non tantum, inquit, Meminero tui, sed hodie*, etc. Ita Gallandius suspicatur.

Hunc elementa sibi meruerunt cernere vultum, A
Auxiliis orbata patris, lætata per ortum,
Mœsta per occasum. Nam lux ut tempore fulsit
Nascentis Domini, sic, hoc moriente, recessit,
339 Non absens mansura diu, sed mystica si-
[gnans
Per spatium secreta suum; quippe ut tribus
[horis
Cæca tenebrosi latuerunt sidera cœli,
Sic Dominus clausi triduo tulit antra sepulcri.
Nec tellus sine clade fuit, quæ talia cernens
Funditus intremuit, dubioque in fine supremum
Expavit natura modum, ne cogeret omnem
Summus apex inferna petens succumbere mo-
[lem,
Auctoremque sequens per tartara mundus abiret.
Sed pietas immensa vagas properabat ad um-
[bras,
Perdita restituens, non consistentia perdens.
340 Nulla tamen tanti metuerunt signa pe-
[ricli,
Qui Dominum fixere cruci, quin insuper haustum

ctis infecit. Talem siquidem vultum patris orbata so-
latiis meruerunt elementa sortiri, ut cujus ortu læ-
tata sunt, tristarentur occasu. Sicut enim, Domino
nascente, lux claruit, ita, moriente, discessit. Tunc B
stella per diem fulsit, modo nec in nocte comparuit.
Sed quamquam cœlo, terraque fugitivum lumen abs-
cessit, non tamen diutius in hac remotione perman-
sit per ipsa temporis intervalla suspensi, magno vi-
sum convenire mysterio. Nam sicut tribus horis
mundi facies tenebris oppressa subjacuit, ita Domi-
num triduo clausum tumuli sepultura contexit. Nec
tellus sine clade tunc astitit, omnibus contremens
fundamentis, quæ talia sentiebat admitti, mundique
rata venisse jam finem, dubio pependit natura sub
termino, ne summus scilicet apex ad inferna descen-
dens, omnem protinus molem secum jugiter inclina-
ret in mortem, atque proprium comitatus auctorem,
præceps in chaos mundus afflueret. Sed illa pietas
divinitatis immensa properabat clementer ad tar-
tara, quo perdita restitueret, non instituta deperde-
ret. Cumque talia cernerent evenire pericula, qui
Dominum ligno crucis affixerant, nequaquam expa-

OPUS PASCHALE.

SCHOLIA.

plevit. Ald., Reg. 5, *replevit.* Prosa tuetur *infecit.* Post hunc versum Reg. 5, Ald., Fabr., addunt hos tres : *Tota sibi oppositum fratrem quod Delia haberet, —Cum suberat terris, super ille in culmine cœli,—Impia perpetuam timuerunt sæcula noctem.* Nonnulli pro *super ille* exhibent *supera ille.* Plerique editi omit- C tunt hos versus, etiam Parrhasius, cui falso eos imputat Arntzenius. Mss. nostri omnes, aut fere omnes eos ignorant : nam codex Reg. 5, ut alibi dixi, descriptus ex editione Aldi videtur. Desunt etiam in Ang. codice, et in Albanio. In ms. Barthii deerant duo primi versus, aderat tertius, qui ex Virgilio depromptus est Georg. l. I, vers. 468 : *Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.* Barthius l. LIV Advers., c. 7, duos primos versus non esse Sedulii ait, immo contra sententiam esse, non enim naturalibus causis hanc eclipsin tribuit Sedulius. Verum hi versus, cujuscumque tandem sint, naturales causas ab eclipsi excludunt: non enim sol deficit in plenilunio, et cum luna subest terris, ac solem sibi oppositum habet, sed cum inter solem et terram ponitur. Eo igitur magis sæcula impia perpetuam noctem timuerunt, quia eclipsis solis in plenilunio contigit. Nebrissensis, qui eos versus legit, ad verba *suberat terris* sic exponit : Quia si tunc plena erat luna, videlicet die 14 mensis, necesse quoque fuit, solem hora diei sexta D esse in culmine cœli, et lunam in angulo noctis mediæ. Minime vero puto, eos versus Sedulii esse, non solum quia a mss. et prosa absunt, sed etiam quia Sedulius non solet fabulosa nomina usurpare. De tertio versu *Impia* dubitat Arntzenius in Miscellan. cap. 16, et suspicatur, inserendum esse post hunc versum 256, *Delituit.*

257. Cod. Barthii, schedæ Poelm., *metuerunt*, quam scripturam defendit Barthius. In prosa est *meruerunt* : ita etiam in plerisque mss., sed in Ott. 1 et in Reg. 1 aliud prius fuerat scriptum. In Reg. 2, et Ott. 2, *merebant*, vel *mœrebant*, sed in Reg. 2 aliud fuit. Fortasse Sedulius voluit *mœruerunt*, quod sit trisyllabum per synæresin : hoc exprimit supra verbum *tristemque*, et mox *Mœsta per occasum.* Priscianus l. VIII ait, in usu non esse præteritum *mœrui* a *mœreo*, *mœres* : sed non valde id morari nos deberet in Sedulio. Interea sequamur codicem Barthii *metuerunt*, non tamen ejus interpretationem, *metuerunt cernere vultum Christi morientis*, sed potius vultum, seu faciem orbis, eclipsi, et luctibus tristis.

238. Vet. 1, *lætaque*, corrige *lætata.* In Reg. 1 ex *læta* factum *lætata.*

244. Urb., *atra sepulcri*, quod ferri potest.

245. Aldus, *Terræ motum horrendum fuisse in morte Domini.* Meus, *Terra tremuit.* Schedæ Poelm., *Non tellus ;* melius, *Nec tellus.* Varius usus hujus phrasis *sine clade* observari potest in indice verborum Dracontii.

247. Barthius malebat *obitum* pro *modum :* obstant veteres libri. Modus supremus est finis ultimus, seu terminus mensuræ. In prosa est *termino dubio.*

250. Vat. 1 male trajicit, prius *Perdita*, tum *Sed pietas.* Phrasi poetica *umbras vagas* vocat defunctorum animas. Non ergo dubitari potest, quin Sedulius Christi descensum ad inferos clare astruat. Nebrissensis ait, umbras vocari *vagas*, quia poetæ fingebant, animas per inferos vagari. Rectius puto, animas dici *vagas*, quasi vagantes, et errantes a patria cœlesti : quod innuit vers. seq., *Perdita restituens.*

251. Reg. 5, Urb., Meus, Rom., Alb., Ald., *nec* pro *non.* Arntzenius Parrhasio tribuere videtur *restituens, sed non consistentia*, quod pessimum dicit : et revera obstat lex metri. At Parrhasius levi discrimine a cæteris exhibet *restituens, sed non constantia perdens*, h. e., non perdens constantia, sive consistentia. Cellarius, et Wopkensius hallucinati sunt, putantes, Sedulii mentem esse, *perdens non consistentia*, h. e., crimina, ea, quæ a Deo non instituta, aut creata sunt. Aliud hic agit Sedulius : Expavit natura, ne mundus periret. Reponit Sedulius : Christus ad tartara properabat, non ut mundum, et ea, quæ consistebant, perderet, sed ut restitueret perdita.

252. Meus, *Aceto potatur.* Ald., *Acetum porrectum sitienti Domino.* Vat. 1, *timuerunt;* alii, *metuerunt*, quo spectant menda in Rom. *meruerunt*, et in meo codice *mutuerunt.*

253. Reg. 1, *qui;* recte factum *quin.*

Cum peteret sitiens, unus de plebe nefanda
Peniculo infusum calamo porrexit acetum.
Manzeribus populis in deteriora volutis
Conveniens liquor ille fuit : nam dulcia vina
Sicut in horrendum dum convertuntur acetum,
A mensis projecta jacent : ita tempore prisco
Gens accepta Deo, nunc est odiosa propago.
Ergo ubi cuncta boni completa est passio [Christi,
341 Ipse animam proprio dimisit corpore [sanctam,
Ipse iterum sumpturus eam, quia mortuus [idem,
Idem vivus erat, membris obeuntibus in se,
Non obeunte Deo, cujus virtute retrorsum
Infernæ patuere viæ, ruptæque fatiscunt
Divisa compage petræ, rediviva jacentum
Corpora sanctorum fractis abiere sepulcris,
In cineres animata suos ; subitoque fragore
Illud ovans templum, majoris culmina templi
Procubuisse videns, ritu plangentis alumni,
Saucia discisso nudavit pectora velo,
Interiora sui populis arcana futuris
342 Jam reseranda docens, quia lex velamine [Moysi
Tecta diu, Christo nobis veniente, patescit.

OPUS PASCHALE.

verunt. O signa tot præsentis metus inaudita prodigia ! Quin insuper cum potum sitiens postularet, unus de plebe sævissima spongiam calamo nexuit, et acetum ejus ori porrexit. O quam Judæorum menti nequissimæ liquor fuit ille conveniens ! qui deteriora secuti, vel infirma pro culpa scilicet infidelitatis, Manzeres [a] sunt vocati : sicut vina suavia, cum fuerint in acetum triste conversa, cunctis a mensarum populis repulsa jactantur, ita gens ista feralis, et impia, quæ priscis temporibus Deo placuerat, nunc odibilis, ac nimis est exsecranda.

Ut ergo beatæ Dominus omnia passionis implevit, animam protinus suam sancto de corpore volens ipse deposuit, eam voluntarie ipse rursus sumpturus, ut fecit, quoniam mortuus quidem fuerat, sed vivebat, membris obeuntibus, non divinitate defunctus. Audiamus ex ejus persona, Joannes Evangelista quid referat : ait enim Dominus ad discipulos suos : *Propter hoc me Pater diligit, quod ego pono animam* B *meam. Iterum accipiam eam, et potestatem habeo iterum accipiendi eam. Hoc mandatum accepi a patre.* Quis itaque possit dubitare, vel non audiat eum, cui suam ponere licuit animam, cum liberet, potuisse quoque resumere, cum placeret, et hanc in sese magis operari virtutem, quam dignatus est in plurimis demonstrare ? Reserantur fores ecce tartareæ, Christo veniente, dejectæ, patet inferna retro jam semita, rumpuntur saxa, finditur terra, vacuantur sepulcra corporibus, reviviscit turba ; et ne fides defecisset in credulis, agnoscitur resurgentium multitudo. Tunc illud quoque templum mirabile, plenum religionis antiquæ, majoris templi culmina [b] cecidisse conspiciens, velut alumnus tristis, et ingemens, proprium deflerat auctorem. Discisso protinus C velo nudum cunctis pectus ostendit, interiora scilicet evidenter arcana gentibus reseranda significans, et populis fideliter affuturis : quoniam lex, quæ sub Moysi velamine diu tecta permansit, Christo nobis

SCHOLIA.

255. Nonnulli scribunt *Penniculo* ; alii, *Peniculo*.

256. Plerique nostri mss. scribunt *Manzeribus*. Nonnulli, *Mansseribus*, aut *Manceribus*, aut *Manseribus*, aut *Mameribus*, aut *Mamseribus*. In Vulgata Deuter. XXIII, 2, scribitur *Mamzer*, retenta voce Hebræa, quæ nothum significat : *Non ingredietur Mamzer, hoc est, de scorto natus, in Ecclesiam Domini*. Venantius Fortunatus l. V, carm. 4, vers. 75, usurpavit *agmina manzera*. Canonistæ feminæ prostitutæ filios *manzeres* vocant : *Manzeribus scortum, sed mœcha nothis dedit ortum. — Ut seges ab spica, sic spurius est ab amica. — Dant naturales, quæ nobis sunt speciales.*

258. Plerique mss. atque editi, *cum* ; Reg. 1 et alii, *dum*. Ott. 1, *convertantur*, sed correctum *convertuntur*.

259. Arntz., *mensa*, pro *mensis*. Parrh., *sic* pro *ita*. Reg. 1 *sic*, d. s. *ita*.

260. Rom., Urb., Ott. 1, Parr., *exosa* ; cæteri *odiosa* ; etiam in Ott. 1 forte prius fuit *odiosa*.

261. Meus, *Exspiravit* ; Ald., *Jesum exspirasse, et multa sanctorum corpora resuscitasse*. De epitheto *boni*, quo Christus per excellentiam insignitur, videri potest Theophilus Raynaudus t. II, sect. 1, cap. 5, quod novo titulo inscripsit, *Christus bonus, bona, bonum*.

262. Urb., Rom. a pr. m., nonnulli editi *demisit* ; cæteri melius *dimisit*.

265. Fabr., *abeunte*, minus bene, pro *obeunte*.

266. Arntz., *patescunt* ; rectius alii, *fatiscunt*, vel *fatescunt* ; Parrh., *fathiscunt*. In Ott. 1 videtur prius fuisse *dehiscunt*.

267. In Vat. 1 ex *Divisa* videtur correctum *Divisæ*. Conjiciat aliquis *Divulsa compage*, ut apud Minucium Felicem cap. 9, *Cœlesti compage divisa*, vel, ut alii reponere tentant, *divulsa*.

268. Vet. 1, *abire* ; sic fuit in Rom., sed recte D emendatum est per *abiere*.

272. Ms. Lips. et nonnulli editi, *discusso* ; lege, cum ceteris, *discisso*, vel, ut nonnulli habent, *disciso*. Sic *abscissus*, et *abscisus* frequenter inter se permutantur. Hoc autem loco melius est *discisso* a *discindo*. Pulchra translatio ab iis, qui in funere suorum nudant pectora, scindunt vestimenta, etc.

274. Arntz a pr. m., *monstrata* ; alii, *reseranda* ; sed in Ott. 1 aliud fuit, et in Reg. 1 scribitur *reserenda*, quod videtur mendum : nam verbum est *resero*, *reseras* ; non *resero*, *reseris*. Ut alibi, ita hic etiam variant mss. et editi : plerique, *Moysi* ; nonnulli, *Mosi* ; Ald., *Mosæ*. Nebrissensis id explicat vel de lege Moysis, vel de lege tecta velamine Moysis, de quo Apostolus, II ad Cor. III. Glossator in Reg. 1 hanc secundam interpretationem tenet. In prosa erat *sub Moyse velamine*.

[a] Vetus codex referebat *Mazires* pro *Manzeres*, et *tangens ista* pro *ita gens ista*. Supra forte legendum *expaverunt ob signa*, etc., et *a mensarum poculis* pro *populis*.

[b] Mendose vetus liber, *templi cum mina cecidisse*.

Dic, ubi nunc, tristis, victoria, dic, ubi nunc [sit,
Mors, stimulus, horrenda, tuus? quæ semper [opimis
Insaturata malis, cunctas invadere gentes
Pœnali ditione soles; en pessima, non tu
Pervenis ad Christum, sed Christus pervenit ad [te,
Cui licuit sine morte mori, quique omnia gi- [gnens,
343 Omnia constituens, te non formavit; ut [esses,
Semine vipereo, culpa genitrice crearis,
Et, venia regnante, peris. Jam spiritus artus
Liquerat ad tempus, patulo jam frigida ligno
Viscera pendebant, et adhuc furor, arma mi- [nistrans,
Cuspide perfossum violat latus: eque patenti
Vulnere purpureus cruor, et simul unda cu- [currit.
Hæc sunt quippe sacræ pro relligionis honore,
Corpus, sanguis, aqua, tria vitæ munera no- [stræ.
Fonte renascentes, membris, et sanguine [Christi
344 Vescimur, atque ideo templum deitatis [habemur:
Quod servare Deus nos annuat immaculatum,

OPUS PASCHALE.

adveniente, præclaruit. Dic age, mors tristis, et impia, nunc ubi tua sit feralis illa victoria, nunc ubi stimulus, exsecranda, tibi serviens ad sepulcra, quæ a primo generationis interitu nullis umquam saturata funeribus humanum genus invadens, miseræ soles fragilitati pœnali semper ditione dominari? Ecce nunc ad Christum pessima non venisti, sed ad te Christus ultro descendit, cui sine morte licuit mori, qui cuncta gignens, cuncta constituens, te solam lividam non creavit. Scriptura quippe venerabilis dicit: *Dominus mortem non fecit* (*Sap.* I, 13). Originis igitur tuæ si materiem cupis agnoscere, serpente patre conciperis, et culpa genitrice procrearis. Sed, indulgentia nunc regnante, consumeris.

Interea Domini spiritus jam de corpore migrarat ad tempus, frigidaque crucis in robore Christi membra pendebant, et adhuc furor, arma non deserens, inimicæ manus lanceam subministrat, ictuque nefario latus Domini plaga violavit infixa, altum vulnus aperiens, ac defossum, per quod sanguis pariter et aquæ fluxerunt. O quam catholico dogmati sociatur hæc causa! O quantum Trinitatis fidei conveniunt hæc sacrata! Corpus namque, sanguis, et aqua, tria vitæ nostræ sunt munera. Omnes enim, qui, Christo duce nostro, in aquarum fonte renascimur, ejus corpus, et sanguinem sumentes edimus, ac potamus, ut sancti Spiritus templum esse mereamur. Nam et Apostolus Paulus ita loquitur, dicens: *An nescitis, quoniam templum Dei estis, et Spiritus sanctus habitat in vobis* (I *Cor.* III, 16)? Quod ut Dominus jubeat templum nos immaculatum gerere, supplicemus, quatenus angustos, et tenues tantus mansor sibi faciat idoneos, et capaces.

SCHOLIA.

276. Mens, *Apostrophat ad mortem triumphantem.* Ald., *Perfosso Christi latere sanguinem cum unda manasse.* Arntz. a sec. m., et quidam codex, in schedis Poelm. laudatus, cum Fabr., et nonnullis editis, *sis*, quod sus meri potest, si vers. seq. legatur *Mors stimulis horrenda tuis.* Sed altera lectio verior est ex Ep. I ad Cor. XV, 55, *Ubi est, mors, stimulus tuus?* Vide not. ad Juvencum l. IV, vers. 22.

277. Ott. 1, 2, Urb., Vat. 2, Reg. 5, Aug., Alb., Ald., *Mors stimulis horrenda tuis* cum aliis, quos vers. super. dixi habere *ubi sis.* Si legatur *ubi sit — Mors stimulis horrenda tuis*, intelligitur, ubi sit victoria. Sed, ut jam monui, altera scriptura, quæ communior est, et videtur prius fuisse in Ott. 1, retineri debet.

278. Plerique mss. et omnes editi, *Instaurata*; sed Reg. 1 et Ott. 2 exhibent aliud, merito præferendum, *Insaturata.* Avienus in Phænom. Arat. vers. 183: *Noverca insaturata odiis.* Venantius in eleg. de Resurrect.: *Inferus insaturabiliter cava guttura pandens, — Qui rapuit semper, fit tua præda, Deus.* Vide Dracontium l. II, vers. 531. Clara etiam est prosa.

279 Alm., *Venali*; lege, *Pœnali.*

280. Ultima in *pervenis* contra regulam corripitur, ut ab Aratore in *advenis* in præfat. ad Vigilium. Orientius pariter l. II, cap. de vana Laude: *Luminibusque tuis nescis inesse trabem.* Antiquiores semper ultimam in secunda persona præsentis indicativi quartæ conjugationis producebant. Ad Sedulii morem l. II Carminum Eugenii Toletani num. 59 corrigi potest, *Hinc et apostolicos percurrens invenis actus*, pro *invenies* in editione, et *invenire* in mss.

281. Poelm., *cum licuit*, ad marg. cum nostris omnibus et aliis, *Cui licuit*, quod retinendum ejusdem Poelmanni schedæ monent. In his etiam ascriptum erat, pro *mori* alios exhibere *esse.*

282. Rom., *constituit*; melius reliqui, *constituens.*

283. In Rom. ex *creavit* recte emendatum *crearis.* Deus enim non formavit mortem, quæ est semine vipereo, et culpa genitrice creata. *Semine vipereo*, nempe serpentis, diaboli, ut Nebrissensis commentatur.

285. Urb., *paulo jam*; lege *patulo jam*; supra, vers. 182, *Protinus in patuli suspensus culmine ligni.*

286. Reg. 1, Mon., *pandebant*: sed in Reg. 1, rec. m. rite correctum *pendebant*, quod prosa confirmat. In Urb. error est *pendebat.* Ott. 1, *ministrat*: — *Cuspide per fossum*, etc., non male, et ex plena imitatione Virgilii l. I Æn. vers. 150, *Jamque faces, et saxa volant, furor arma ministrat.* Pro toto corpore *viscera* aliquando accipi notatum jam ab aliis est.

287. Vat. 2 mendose *Lapide* pro *Cuspide.* Cant., ed. Lips. cum Vat. 2, Ott. 2, Meo, *atque patenti*, quo respicit Arntz. a sec. m. *adque.* Parrh. et nonnulli editi, *ecce patenti.* Plerique mss. et editi, *eque patenti.* Urb., corrupte, *latusque patenti.*

288. Lampeus ad Joann. tom. III, p. 627 et 629, illustrat hunc locum, et citat *unda recurrit*, ut Arntzenius advertit.

289. Bibl. Lugd., *sacro* pro *sacræ.*

290. Arntzenius transponit *vitæ tria*: quod etsi defendi potest, producta ultima in *aqua* ratione cæsuræ, tamen verior est altera lectio, in qua producitur ob duas consonantes dictionis sequentis.

292. Urb., et, ut videtur, Vatican. 2, *habemus*; retine *habemur* pro *sumus.*

Et faciat tenues tanto mansore capaces.
Ergo ubi depositi thesaurum corporis am-
[plum
Nobilis accepit Domino locus ille jacente,
Nobilior surgente tamen, generatio fallax
Augebat sub corde nefas, quod nocte silenti
Discipuli Christum raperent, et abisse refer-
[rent,
Ter redeunte die, sicut prædixerat ipse.
Quo stimulante metu, vigilum munimina poscunt
Plura dari, sævaque locum obsidione teneri.
Si nondum post vincla crucis, post vulnera
[ferri,

345 Post obitum mortis, numerosa cæde
[cruentum,
Carnifices, implestis opus, nec creditis illum,
Qui toties imis animas produxit ab umbris,
Posse suam revocare magis, pejoribus aptos
Consiliis armate dolos, signate sepulcrum,
Ponite custodes, monumento advolvite saxum.
Quis poterit servare Deum, cui cardine rerum
Cuncta patent? undis habitat, per tartara re-
[gnat,
Et cœli de nube tonat. Quid, sæve tumultus,
346 Excubiis deperdis opus? quid niteris illam
Explorare fidem, cui non vis credulus esse?

OPUS PASCHALE.

Postquam igitur thesaurum corporis pretiosi depositum sacer locus ille suscepit, qui, Domino jacente, nobilis claruit, resurgente nobilior triumphavit, generatio fallaciæ devota consuetum sub impio corde nefas excogitans, Christum nocturno silentio discipulis jactitat auferendum, ut sicut ipse prædixerat, diem vulgaretur surrexisse post tertium. [a] Hæc itaque Judæi furtiva suspicione perterriti, plurimam petunt custodiam solertius adhiberi, tumulique fores, et januam fida nimis obsidione vallari. Si nondum post crucis acerba supplicia, post ferri plagas, et vulnera, post mortalem corporis sepulturam, cruentum, carnifices, implestis officium, nec odium post innocentis exitum [b] saturastis injustum, Dominum qui potentiæ singularis quoties animas eduxit ab inferis, suam potius revocaturum non probatis, in pejorem partem concilia vobis apta peragite, fovete sensibus dolos perfidiæ nutrimentis armatos, sepulcri claustra signate, vigilias militares apponite, monumentum saxo præcludite, cunctaque malignis, ut facitis, dispositionibus instruentes, dicite, quis Dominum poterit custodire, cui cuncta reserantur, nihil obstruitur? regnat in cœlis, imperat fretis, dominatur inferis. Quid itaque perfidis opus excubiis, et labore? quid finem niteris explorare, quam [c] non vis, etiam cum probaris, admittere?

SCHOLIA.

294. Alm., *faciet;* sententia exigit *faciat*. Meus pro *tenues* exhibet *mentes* : non placet. *Mansor*, verbum novum.

295. Ald., *Corpus Domini conditum sepulcro.*

297. Arntz., Ald. et nonnulli alii interpungunt, *Nobilior surgente, tamen generatio fallax* ; cæteri alio modo expresso longe melius. Wopkensius conjiciebat *tamen, trepidatio fallax — Angebat sub corde (nefas!) quod nocte silenti*, vel accommodatius ad sententiam prosæ *tamen, generatio fallax — Fingebat sub corde nefas, quod nocte silenti.* Nihil mutandum censeo.

298. Ms., Lips., Parrh., *Angebat*. Fabr. et nonnulli editi *Audebat*. Recepta scriptura *Augebat* bene procedit. Ott. 2, *nefas, ne nocte;* reliqui, *nefas, quod nocte;* sed in Rom. videtur d. s. *quia* pro *quod*.

299. Parrh., schedæ Poelm., *Dominum;* alii et prosa, *Christum.*

303. Meus, *Apostrophat ad Judæos.* Parrh., *Sed nondum;* sententia postulat *Si nondum.*

305. Nebrissensis legebat *Carnificis implestis opus* cum explicatione, *carnificis*, qui solet damnatos plectere. In editione Westhemeri legitur *Carnifices.*

306. Parrh., *revocavit ab umbris*, quod schedæ Poelm. non probant; cæteri *produxit*, sed multi in compendio litterarum, ut *perduxit* legi possit. Alb., *producit.*

307. Urb., *actos;* corrige, *aptos.*

308. Forte, *Conciliis*, ex prosa.

310. Hermannus Cannegieterus conjiciebat, *Quis poterit servare Deum? quo cardine? rerum—Cuncta patent.* Laudat conjecturam Arntzenius, sed melius facit, quod non sequitur.

311. Arntz., *terris habitat;* alii, *undis habitat*, favente prosa; nonnulli, *in aquis.*

312. Imitatio Lucani l. I, *Tarpeia de nube tonans.* Nonnulli distinguunt *quid, sæve, tumultus—Excubiis deperdis opus*, et Nebrissensis explicat *opus tumultus*, h. e., opus tumultuosorum. Alii, *quid, sæve tumultus,—Excubiis*, et in Reg. 1 est glossa *o sæve tumultus.* Pluribus conjecturis hic locus sollicitatur. Crusius Probab. Critic. pag. 170, *quid, sæve, tumultu, —Excubiis quid densis opus?* Quæ conjectura tam non metro convenit, quam alia ejusdem Crusii in Val. Flaccum libr. I, vers. 94 : *Moliri hinc puppim jubet, et demetere ferro—Robora* pro *demittere ferro.* Legit etiam Crusius *scæve* pro *sæve*, quod parum interest. Burmannus secundus, qui Crusium castigavit, tentabat *quid, sæve tumultu,—Excubiis distendis opus*, h. e., variis locis tumultum moves, et excubias ponis. Cellarius ex Alm. et Cant. mss., *quid, sæve tumultus,—Excubiis dependis opus*, h. e., operam, ex Columella libr. IV, c. 22, *Incassum dependitur opera.* Eadem est scriptura in Vat. 1, Ott. 2, et fuit in Ott. 1, in quo corrigitur *dependis* per *deperdis.* In Reg. 2, *deperdis;* d. s. *dependis.* Alii nostri, Arntz., Parrh. cum multis editis *deperdis opus.* Meus, *dependis opes.* Ang., *dependis opus.* O. Arntzenius, patruus Henrici, divinabat *quid, sæve, tremendæ—Excubiis est gentis opus?* vel *trementis*, quia milites præ timore aufugerunt. Herm. Cannegieterus alio modo *quid, sedule, multis—Excubiis defendis opus.* Arntzenius, editor Sedulii, sic hariolabatur, *quid, sæve, tumultus,—Excubiis dementis opus.* Per *sævum* Pilatum intelligit, per *tumultum dementem* custodes. Verum hæ omnes conjecturæ multo obscuriores sunt ipsa scriptura veterum exemplarium *quid, sæve tumultus,—Excubiis deperdis opus*, vel *quid, sæve tumultus*, *Excubiis dependis opus*, vel, ut est in meo codice, *dependis opes*, vel ut in aliis codd. legitur, *disperdis opus.* In prosa nihil de tumultu dicitur : nam *perfidæ* excubiæ vocantur, quia fefellerunt, ut vers. 366 explicatur.

314. Virg. ecl. 9, v. 34, *Sed non ego credulus illi.*

[a] Editi omnes, *Hæc;* sed reponendum videtur, *Hac.*

[b] Plerique vulgati *saturatis :* Gallandius *saturastis*, quod magis est consentaneum. Quæ sequuntur, satis obscura sunt, et, ut videtur, corrupta.

[c] Ita hunc locum sanavit Juretus, cum in exemplari ms. legeretur, *quam nobilis etiam comprobaris ammittere. Interea. . . irradiare festis quæ Domino.*

315 Cœperat interea post tristia sabbata felix
Irradiare dies, culmen qui nominis alti
A Domino dominante trahit, primusque videre
Promeruit nasci mundum, atque resurgere [Christum.
Septima nam Genesis cum dicit sabbata, claret,
320 Hunc orbis caput esse diem, quem gloria regis,
347 Nunc etiam proprii donans fulgore tro- [pæi,
Primatum retinere dedit; hoc luminis ortu
Virgo parens, aliæque simul cum munere ma- [tres
Messis aromaticæ, notum venere gementes
A 325 Ad tumulum, vacuumque vident jam corpore factum,
Sed plenum virtute locum. Nam missus ab astris
Angelus amoti residebat vertice saxi,
Flammeus aspectu, niveo præclarus amictu.
Qui gemina specie terrorem, et gaudia portans,
330 Cunctaque dispensans, custodibus igne mina- [cem
348 Venerat in formam, Christum quærenti- [bus albam.
Illæ igitur Dominum calcata vivere morte
Angelica didicere fide; perterritus autem
Miles in ancipiti retinet discrimine vitam,

OPUS PASCHALE.

Interea cœperat illud triste post sabbatum dies irradiare felix, qui Domino dominanti gratissimus B nomen ab ejus majestate sortitur, dictus hoc honore Dominicus, quippe qui tantum consecutus est dignitatis, ut primus meruerit intueri mundi nascentis originem, et resurgentis Christi virtutem. Hic enim liber Geneseos, rerum manifestus assertor, die septimo sabbatorum a suis requievisse Deum dicit operibus. Apparet ergo perspicue, quod caput orbis iste sit dies, a quo primario per ordinem definitus numeratur septimus sabbatorum, quem gloria regis æterni, tropæo quoque suæ resurrectionis illustrans, primatum cum religione concessum dierum censuit retinere cunctorum. Hujus lucis ortu conspicuo mater virgo cum cæteris mulieribus fideliter congregatis, quia munus pariter ferentes aromatum, dum venerunt ad sepulcrum, lacrymis ora sulcabat, pectus gemitibus commovebat. Moxque locum conspiciunt sepulturæ vacuum corpore jam patere, sed mira plenum redundare virtute. De cœlis namque angelus descenderat, et a tumuli foribus evoluto mirabilis residebat in saxo, vultu flammeus, vestimentis albatus, ut gemina videlicet diversitate resplendens, terrorem pariter, lætitiamque monstraret: terrorem profecto custodibus ignea facie comminatus, lætitiam quærentibus Christum nivea vestis jucunditate blanditus. Ergo mulieres angelica revelatione firmatæ, Dominum gaudent revixisse post mortem. Milites tali visione perterriti, vitam nequeunt retinere in ancipiti discrimine constituti, desertaque continuo statione præcipites urbem repetunt, miracula perferentes [a] gratisque manifesta

SCHOLIA.

315. Meus, *Dignitas diei Dominicæ*. Ald., *Christum die tertia resurrexisse a mortuis*. Ald., *in terra*; cæteri, cum prosa, *interea*. Nebrissensis suspicatur *post tertia sabbata*, h. e., post tres dies; interpretatur vero *post tristia sabbata*, h. e., post tristes dies. Sed planior est explicatio *post tristia sabbata*, h. e., post tristem illum diem sabbati.

316. Statius et Claudianus *irradiare* usurpant pro, radiis illustrare; Sedulius cum Ambrosio, Prudentio, Rustico Helpidio, pro, radios emittere.

319. Meus, *ostendit*; ad marg., *cum dicat*; sic editio et schedæ Poelm; reliqui, *cum dicit*. Parrh., schedæ Poelm., *clarat*; melius alii, *claret*.

320. Vet. 1, Mon., *Nunc orbis*; lege, *Hunc orbis*. Diem sanctum Dominicum impii, ac nefarii homines nuper abolere tentarunt, qui eo tandem spectabant, ut, perturbato rerum omnium ordine, religionem Christianam, si possent, everterent: de quibus psalm. LXXIII, 8: *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*. Verum, ut præmissum est psalm. II, 4: *Qui habitat in cœlis, irridebit eos*.

321. Plerique codd. mss., Parrh., Ald., et alii editi, *Nunc etiam*, quod Wopkensio etiam placuit. Arntzenius cum nonnullis vulgatis maluit *Hunc etiam*, qui advertit, post *regis* distinctionem poni debere, ut commodior sit sensus. Melius tamen est *Nunc*, quod opponitur *Genesi*, et respicit resurrectionem Domini. Pro *trophæi*, vel *tropæi*, Meus exhibet, *triumphi*.

325. Odilo in sermone, qui S. Ildefonso a nonnullis ascribitur, ut dixi Proleg. n. 168, ex Sedulii aliorumque sententia tradit, Deiparam multo magis, quam alias mulieres, sollicitam fuisse, ut ad sepulcrum iret: quæ sententia, quia narrationi evangelicæ parum congruit, a plerisque doctoribus rejicitur. Vide not. ad vers, 362. C

324. Reg. 1, *notum* cum cæteris, sed videtur fuisse *noctu*: quod non cohæret cum *hoc luminis ortu*. Hac ratione Arntzenius rejecit *noctu* in ms. Cant., et nonnullis editionibus. Ott. 1, 2, *venere dolentes*; sed in Ott. 1 fortasse prius fuit, *gementes*.

325. Meus *virtute vident*: corrige *vacuumque vident*.

327. *Amoti* ab Angelo, non quod, resurgente Christo, fuerit revolutus, ut contra pictores observat Nebrissensis: qua de re legi potest elegans. doctusque scriptor Joannes Interian de Ayala Ord. Merc. in celebri opere, *Pictor christianus eruditus*, l. III, c. 20.

328. Parrh., schedæ Poelm., *vestitus*: Reg. 1, *vestitus*; pro d. s. *præclarus*, quæ ubique recepta est lectio.

330. Arntzenius cum multis editis *igne minaci — Venerat, in forma Christum quærentibus alba*, neque ullam varietatem advertit: plerique tamen nostri mss. *igne minacem — Venerat in formam, Christum quærentibus, albam*: nonnulli retinent *minaci*; sed cætera, ut modo posui. Aldus etiam ita, sed *minace*, et ex correctione *minaci*. In Reg. 1, ex *minaci* videtur factum *minacem*, quod indicat glossa *terribilem*. Meus distinguit, *igne minaci — Venerat, in formam Christum quærentibus albam*. Communis nostrorum codicum scriptura innuit: Venerat custodibus in formam igne minacem, venerat Christum quærentibus in formam albam. D

334. Meus, *retinens*.

[a] In vet. cod. Juretus invenit *miracula perserentes*, atque ita legendum contendit, ut apud Paulinum Petrocorium l. I, de Vita S. Martini *Sevit et in nostris miracula plurima terris*, pro quo alii habent *Suevit*. Carmen Sedulii magis facit pro *perferentes*.

Deserta statione fugax, testisque timoris
Vera refert gratis; postquam data munera, fallit
Discipulumque globum placidi sub tempore [summi
Clam sibi nocturna Christum abstraxisse rapina
Compositus simulator ait. Fare, improbe cus- [tos,
Responde, scelerata cohors, si Christus, ut [audes
Dicere, concluso furtim productus ab antro,
Sopitos latuit, cujus jacet intus amictus,
349 Cujus ad exuvias sedet Angelus? anne [beati
Corporis ablator velocius esse putavit
Solvere contectum, quam devectare ligatum?
Cum mora sit furtis contraria, cautius ergo

Cum Domino potuere magis sua linlea tolli.
Mentita est vox vana sibi; tamen ista figuram
Res habet egregiam : Judæis constat adem- [ptum,
Quem nos devoto portamus pectore Christum.
Plange sacerdotes perituros, plange ministros,
Et populum, Judæa, tuum pro talibus ausis.
Non tuba, non Unctus, non jam tua victima [grata est.
350 Quænam bella tibi clanget tuba, rege per- [empto?
Quis tuus Unctus erit, quæ verum amiseris [Unctum?
Victima quæ dabitur, cum victima pastor ha- [betur?
Discedat synagoga, suo fuscata colore,
Ecclesiam Christus pulchro sibi junxit amore,

OPUS PASCHALE.

renuntiant; postquam fidem pretio vendiderunt, in fallaciam permutantur ignavam, moxque Christi discipulos nocturnæ quietis insidiis aucupatos eum diripuisse confingunt. Dic, nefande custos, et improbe, fare, scelerata legio, quid mediteris astruere, quæ studio pecuniæ conquirendæ foveam cui casus non vides[a] et pericli, quantum supplicii merearis ignoras, cum mavis negligens videri, quam verax. Constat enim, te fuisse pervigilem, sollicitum, perspicacem, numquam lumina somno flexisse, nisi labori vicibus perfovendo, proximus rite collega succederet, ita locum excubiis communisse, ut nullis adiri posse fraudibus appareret. Nam si Christus, ut audes falsa voce componere, nocturnis operis, tempore quieto suorum manibus raptus est e sepulcro, cujus ibi lintea, cujus adjacent velamenta, circa cujus re- C sidet Angelica virtus ad exuvias? an beatum corpus ille, qui rapuit, prius exuit, et nudavit, celerius arbitratus detectum posse subduci, quam ligatum, sicut manebat, auferri? *Mentita est iniquitas sibi* (*Ps.* xxvi, 12). Habet tamen ista res gratiam figurati sensus egregiam. Judæis etenim Christum spiritaliter constat ablatum, quem nos tota mentis, et pectoris devotione portamus. Plange, Judæa, tuos itaque sacerdotes, plange ministros, et populum, quæ pro tantis deserta flagitiis, non jam tuba gaudebis, non Uncto firmaberis, non sacrificiis perfrueris. Cujus spe namque virtutis tibi tuba perflabitur, cum regem videas interemptum? Quis Unctus jam ultra dabitur, cum ipsius Uncti amiseris principatum? Quæ victima ferietur, cum victima fuerit pastor ipse matatus? Discedat synagoga, proprio jam colore fus-

SCHOLIA.

335. Rom., Urb., *fuga*; melius alii, *fugax*. Ott. 2, *testique*; lege, *testisque*.

336. Multi editi *gratis*; *sed post data*. Parrh., Ald. cum nostris omnibus mss., et aliis aliorum, *gratis*; *postquam data munera, fallit*.

343. In Ott. 1, ex *exuvias* correctum *excubias*. In Reg. 2, *exuvias*, sed glossa *vigilias* indicat *excubias*. Reg. 1, cum plerisque, *exuvias*, ad marg. pro d. s. *excubias*, quod a pr. m. fuisse videtur in contextu: nam glossa *vigilias* hoc arguit. Urb. mendose, *ad eximias*.

346. Multi interpungunt *devectare ligatum? — Cum mora sit furtis contraria, cautius ergo*: nonnulli post *contraria* ponunt interrogationis notam, ut ad præcedentia referatur. Validissimo argumento Sedulius mendacium custodum refellit, et, ut ait Maldonatus, ad cap. xxviii Matth., *subtiliter*, D *et eleganter coarguit*.

348. Rom. *Mentita vox*: rectius cæteri *Mentita est vox*. In Reg. 1 fuit, *sibi*, correctum per *tibi*, rursus ad marginem d. s. *sibi*, quod probum est. Ibidem pro *vana* aliud prius fuit. *Magis* videtur abundare; ac sæpe quidem abundat eleganti hellenismo. Cum mora sit, inquit Sedulius, furtis contraria, cautius fuisset, lintea cum Domino tollere, quam in solvendis eis immorari.

350. Reg. 1 in contextu, Ang., Alb., Vatt. 1, 2, schedæ Poelm., et quædam editiones, *corpore*: Reg. 1, pro d. s. cum plerisque, et optimis mss., et editis, *pectore*, suffragante prosa.

351. Ald. *Judæam miseram fore, quæ Christum occiderit*. Meus, *Apostrophat ad gentem Judæam, quod amiserit dignitatem suam suorum superbia*.

352. *Pro talibus ausis*, ex Virgilio II Æn. 535.

353. Urb., Rom., *vel jam*: alii *non jam*. G. Fabricius comm. pag. 142, *unctus* in quarta declinatione pro unctione sumit. Melius Cellarius pro rege, et summo sacerdote: quod ex vers. 355 clare patet.

354. Ab hoc versu rursus incipit codex Reg. 3.

355. Reg. 5, Ald., Westhemerus ad marg., *occideris*: reliqui, *amiseris*.

358. Editi vulgo *pulchro Christus*: mss. omnes nostri cum Alm., Arntz., Parrh., Ald., *Christus pulchro*. Reg. 2, Urb., schedæ Poelm., Parrh., *vinxit*: plerique, *junxit*: nonnulli dubie *junxit*, vel *vinxit*; simili enim modo hæc duo verba in mss. exarantur, præcipue ubi apices litteræ *i* non affiguntur. In *Ecclesiam* secunda corripitur ex more aliorum poetarum christianorum, qui clarius in versu pentametro dactylum ex tribus primis syllabis efficiunt, ut Rabanus carm. 100, *Hoc altare tenens ecclesiam dedicat*. In quibusdam versibus in honorem SS. Jacobi, Matthæi, Simonis, Thomæ, quos descriptos habeo ex veteri codice Vatican. Reginæ Suec. n. 500, *Pastores ovibus, ecclesiisque patres*.

[a] Sic omnes editi: quo sensu, non video.

Hæc est conspicuo radians in honore Mariæ :
Quæ cum clarifico semper sit nomine mater,
Semper virgo manet ; hujus se visibus astans
Luce palam Dominus prius obtulit, ut bona [mater,
351 Grandia divulgans miracula, quæ fuit [olim
Advenientis iter, hæc sit redeuntis et index.
Mox aliis conviva potens in fragmine panis
Agnitus enituit, qui verus panis apertis
Semper adest oculis, fidei quos gratia claros
Efficit, ut Dominum viventem cernere possint.
Sæpe dehinc proprios diversi temporis horis
352 Discipulos manifestus adit, vescentibus [illis,
Extemplo nunc ora ferens, nunc piscis obusti,
Atque favi mandens epulas, quo rite doceret,
Corporeas res esse dapes, seseque videri
In membris, quibus ante fuit. Formidine rur- [sus

OPUS PASCHALE.

cata, Christus sibi pulchram niveo decore sociavit Ecclesiam. Hæc honorem Mariæ præstat ad gloriam, quæ cum claritate conspicua semper mater esse cernatur, semper tamen virgo conspicitur. Huic sese Dominus illico post triumphum resurrectionis ostendit, ut pia genitrix, et benigna talis miraculi testimonium vulgatura, quæ fuit nascentis janua, dum venisset in mundum, hæc esset ejus et nuntia, deserentis inferna.

Mox deinde convivio cum quibusdam, velut præteriens viator, interfuit, atque in fractione panis eorum se sensibus, et oculis publicavit, quia quod verus ipse sit panis, luminibus innotescit, quos fides interior inserens, ac detegens, ad agnitionem Domini gratiæ claritate perducit; frequenter etiam diversis temporibus, et momentis manifestum sese discipulis demonstravit. Nunc vescentibus inopinus apparens, nunc adusti piscis et favi cibos accipiens, quatenus edoceret evidentius, res esse corporis dapes, quas edendo videntibus approbavit, illa se membra nunc gerere, quæ nuper gesserat ante mortem.

Rursus idem, cum metuentes apostoli plebis,

SCHOLIA.

359. Meus, *perspicuo* pro *conspicuo*.

361. Arntz., *cujus* pro *hujus*. Cant. *manet : Mariæ se quippe resurgens*, quod ineptum non est, et verbis prosæ *post triumphum resurrectionis* accommodatum.

362. Arntz., *pius obtulit :* fortasse librarius *prius* mutavit in *pius*, ne dicatur Jesus se Virgini Matri prius obtulisse ; ait enim Marcus, XVI, 9 ; *Surgens autem mane prima Sabbati apparuit primo Mariæ Magdalenæ.* Verum dubium non est, quin Sedulius in hac fuerit sententia, quod Dominus primum B. Virgini apparuerit, ut ex toto contextu evincitur. Engelbertus, qui obiit 1331, de Grat. et Virt. Deiparæ, p. 2, c. 2, apud Pezium t. I Anecd. *Et hoc Sedulius etiam in suo paschali opere scribit, quod Matri ante omnes primo apparuit, sicut dignum erat.* Quod Deipara ad sepulcrum simul cum aliis feminis venerit, opinio fertur esse Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nysseni, Theophylacti, Nicephori, et aliorum. Multo vero magis recepta traditio est, Christum matri suæ sanctissimæ primæ omnium apparuisse. In cod. Vat. Rec. chartac. 349 Miscellaneorum reperitur opusculum *de tribus Apparitionibus D. N. Jesu Christi, quæ in Evangelio non habentur.* Prima fuit Mariæ Matri suæ sanctissimæ. Secunda Jacobo Alphei. Tertia Josepho, qui Dominum sepelivit. Auctor probat, primo ante omnes Dominum matri suæ apparuisse ex Ambrosio l. III de Virg., ex Augustino serm. in Sabbato post pascha, et ex Rationali Divinor. officior. : *Et sic*, inquit, *Romana sentire videtur Ecclesia, quæ prima die resurrectionis, scilicet in Pascha apud Sanctam Mariam Majorem celebrat stationem.* Hæc communis opinio est catholicorum scriptorum, ut probat Suarius in III part., disp. 49, sect. 2, qui tamen merito negat, Deiparam cum aliis mulieribus ivisse ad sepulcrum.

364. In Litaniis Lauretanis Deipara prædicatur *regina apostolorum* : ac revera prima omnium Christum annuntiavit. Regnum beatissimæ Virginis supra Apostolos ad vivum exprimitur in veteri vitro cujus delineatam imaginem mecum perhumaniter communicavit eminentissimus D. cardinalis Borgia, ut solet ille omnium litteratorum studia cupidissime promovere. Exstat vitrum in museo ejusdem Borgiano Velitris : neque aliud antiquum vitrum reperiri scio, in quo sanctissima Virgo clare expressa conspiciatur. A dextro ejus latere est S. Petrus, a sinistro S. Paulus, ut apostolorum reginam eam esse intelligamus. De hoc eodem regio titulo Deiparæ doctissima est homilia Alexandri Borgia, archiepiscopi Firmani, inter ejus opera, et in libello anno 1792 Neapoli excuso : *Del Regno di Maria Omelie di Monsignor Alessandro Borgia*, etc. De veteri frequenti usu pingendi simul Petrum et Paulum testis locupletissimus est Augustinus, qui hæreticos, sive gentiles, qui librum Christi de Magia ad Petrum et Paulum confinxerant, sic refellit de consens. evang. l. I, c. 10 : *Occurrit eis Petrus, et Paulus ; credo, quod pluribus locis simul eos cum illo* (Christo) *pictos viderunt. . . Sic omnino errare meruerunt, qui Christum et apostolos ejus, non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quæsierunt. Nec mirum, si a pingentibus fingentes decepti sunt*, etc.

365. Meus, *Cognitus est a duobus discipulis.* Ald., *Christum discipulis agnitum in fractione panis.* Schedæ Poelm., Parrh. *callemque potens :* reliqui, *conviva potens*, in meo cod. error est, *convivia potens.*

366. Reg. 2, Alb., Vatic. I, Reg. 5, Ald., *quia :* sic fuit in Reg. 1, sed emendatum est per *qui*, quæ communior, et verior est scriptura.

369. Meus, *Aliis apparuit.* Ald., *Sæpe Christum apparuisse discipulis.* Ante hunc versum nonnulli ponunt versum 376, *Cum foribus clausis*, ut testatur Cellarius. Nostri omnes vulgatum ordinem servant. Pro *proprios* frustra Bibl. Lugd. *proprior.* Alibi etiam Sedulius adhibet *proprius* pro *suus*, et l. III, vers. 158 seq., dixit *discipulos proprios.* Rom., Meus, *diversis :* retine *diversi.* Reg. 5, Ald., *hora* pro *horis.*

371. Ott. 2, *Exemplo :* corrige *Extemplo.* Reg. 1, a m. pr., Reg. 2, 4, Urb., Ott. 1. 2, Vatt. 1, 2, Ald. *abusti.* Reg. 1, rec. m., Ang., Meus, Alb., Reg. 5, plerique editi, *obusti.* In Rom. ex *abusti* videtur factum *ambusti :* sed id lex metri respuit. Arntzen. a sec. m., Parrh., schedæ Poelm. *adusti.* Magis in usu est *adustus*, et *obustus*, quam *abustus :* sed defendi hoc etiam potest ab *aburo :* quo verbo ex probatorum codicum fide utitur Prudentius Hamart. vers. 785, ubi alii legunt *amburitur*, alii *oburitur*, alii *exuritur.* In prosa etiam Sedulii editiones variant : nam in aliis est *adusti*, in aliis *abusti.*

Plebis apostaticæ, Dominum quæ cæca negasset,
Cum foribus clausis resideret turba fidelis,
Pace salutantis sese intulit, atque foratas
353 Expediens palmas, nudat latus : ast ibi Thomas,
Cui Didymus cognomen erat, cum fratribus una
Non fuerat, dubiamque fidem sub corde gerebat.
Donec rursus, eo pariter residente, veniret,
Qui numquam subtractus erat. Tunc limine clauso
Constitit in medio, non dedignatus apertum
Discipulo monstrare latus, tactuque probari
Vulneris, et mentem patienter ferre labantis.
Agnitus hinc potius, quod sit dubitantis amicus.
Quisquis enim artifices cæca sub imagine fraudes
354 Instruit, et vanas cupit exercere figuras,
Non vult agnosci, non vult, sua facta requiri,
Ut lateant sub nube doli, nebulaque recludens
Omnia, sollicitos odit simulator amicos.

OPUS PASCHALE.

quæ Dominum sæpe negaverat, violentam [a] sustinere sævitiam, clausis domus januis permanerent obstrusis, astans foribus improvisus, pacem cunctis dedit salutatione sermonis, ut afflictis lætitiam tribuens repentinam, quod prophetica voce signaverat, approbaret, quia *cor contritum et humiliatum Dominus non relinquet.* Moxque manus aperuit perforatas, plagam lateri nudavit infixam, ne phantasma crederent, si vulnerum indicia non viderent. Quoniam vero Thomas æque venerandus apostolus, quem Didymum vocabulo nuncupant, ibi non aderat, et talia sociis referentibus non credebat : ecce Dominus, eodem postmodum residente cum fratribus, immotis se denuo foribus præsentat, qui numquam spiritaliter ab ipsis abscesserat, coramque cunctis visus in medio, non dedignatur morem gerere trepidanti discipulo : palmisque rursus, et latere demonstratis, tactu vulnerum patitur se probari, magis hinc agnitus, quod ipse sit Christus, qui dubitantis animam placida fovit lenitate susceptam Quisquis enim dolos artificis cæca sub imagine fraudis exercet, vanasque nebulas, et figuras ad decipiendas instruit mentes incautas, non vult, sua facta cognosci, quod lateat sub nubis velamento fallacis, oculosque compositis miseros simulacris illudens, odit sollicitos, si deprehendi cœperit, et amicos [b]. Do-

SCHOLIA.

375. In Reg. 1, et Ott. 1, pro *apostaticæ* prius fuit *apostolicæ*, quod videtur etiam esse in meo codice. Sed vera lectio est *apostaticæ*, ut ex sequentibus liquet. Parrh. schedæ Poelm. non male *necasset* pro *negasset*. Ex prosa vero *sæpe negaverat* colligitur, veram esse scripturam, *negasset*.

377. Mss. omnes nostri, Ang. Alb., Parrh., Ald., et alii editi, *Pace salutantis sese intulit*, quod Grunerus, et Arntzenius amplectuntur. Ms. Lisps., et a sec. m. non recenti Alm. *salutatis*, quod tenui Cellarius. Arntz., *Pace salutaris*, a sec. m. *Pax salutaris* contra metrum. Arntzen., Cant. *obtulit* pro *intulit*, satis commode. Arntzenio non displicebat, neque mihi displicet *Pace salutatis sese obtulit*. In nonnullis editis ordo ita invertitur, ut prius ponatur v. *Pace*, tum v. *Cum foribus*.

378. Reg. 1, 3, 5, Vatt. 1, 2, Urb., Ang., Alb., Rom., Ald., Ott. 1 ex correctione, *Expediens*, quod interpretatur Nebrissensis *expeditas ostendens*. Alii mss. cum Parrh., et plerisque editis, *Expandens*, quod pro glossa videtur esse in Reg. 1, et in Ott. 1 deletum est. Arntz., *atque ibi :* plerique mss. et editi, *ast ibi ;* nonnulli vulgati, *ast ubi*.

380. Reg. 5, Ald., *dubioque*, scilicet corde : alii, *dubiamque*.

382. Arntz. a sec. m., *erit :* bene est *erat* pro *fuerat :* nam imperfectum pro plusquam perfecto aliquando adhibetur. Hic vers., et seqq. usque ad v. *Facta redemptoris* fere in fine libri desunt in meo codice, avulso uno folio.

384. Reg. 5, Ald., *Discipulis ;* minus bene.

385. Rom., *patientem ;* lege, *patienter*. Ott. 2, Lips., Alm., Arntz. a pr. m., quædam editiones cum Reg. 1, 3, Ott. 1, Ang., Alb., *labentis*, quod videtur etiam scriptum fuisse in Reg. 2. Correctio in Reg. 5 et Ott. 1 est, *labantis*. Lex pedia exigit, *labantis ;* sed apud alios etiam poetas christianos interdum in mss., *labans* in *labens* commutatur. Hoc loco sententiæ magis congruit *labantis*. Vet. 1, 2, Mon., *labantem*, Colon. edit., errore nuper exposito, *labentem*.

386. Rom., *fit ;* retine, *sit*.

387. Ordo horum versuum præposterе in Bibl. Lugd. invertitur. Urb., Rom. *Quisquis artificis :* desideratur *enim*. Ott. 1. Reg. 3, Alb. *Quisquis enim artificis*, sed in Ott. emendatum per *artifices* quod rectum est adjective, scilicet *artifices fraudes*. Corrigendæ ergo sunt editiones Vet. 1, 2, in quibus legitur *fraudis ;* neque audiendus Wopkensius, qui malebat *artifici cæcas sub imagine fraudes*, refragantibus libris antiquis, et prosa. Retineri poterit *artificis fraudis*, si accusativus verbi *instruit* sit *figuras*.

388. Rom. *Instituit et :* resistit metrum, et aptius verbum est, *Instruit*.

389. Cant. *cognosci*, quod idem verbum exstat in prosa, et placebat Grunero : cæteri omnes constanter, *agnosci*.

390. Rom., Urb. *redundens :* idem fuit mendum in aliis mss., in quibus correctum apparet *recludens*. Cellarius suspicatur *recondens :* facilius ex errore *redundens* conjici posset *refundens :* sed *recludo* non solum significat aperio, sed etiam contrarium recondo, claudo : et in Arntz. glossa est *recludens — claudens*. Plura esse hujusmodi verba præpositione *re* composita quæ duabus contrariis significationibus gaudent, exploratum est.

391. In Ott. 1, ex *simulatus* correctum est *simulator :* quæ genuina est lectio, quamvis altera non esset contemnenda.

[a] Gallandius cum aliis editis *violentiam*. Bibliotheca Patrum Parisiensis 1589, *violentam*, quod sensus exposcit. Malim etiam *clausi*, non *clausis*, quod postremum tamen omnes vulgati præferunt. Postea laudatur sententia ex psalm. L, vers. 19.

[b] In omnibus editis scriptum est *et amictos*. Vox mihi suspecta, inquit Gallandius. Quidni ? Atqui clara, et certa est correctio ex carmine *sollicitos odit simulator amicos*. Prosa addit *et*, scilicet odit etiam amicos sollicitos. Paulo post mendum erat in vet. cod. *dubitandi* pro *dubitanti*, et *abigenti* pro *ambigenti*. Medicas manus Juretus adhibuit.

Gnarus item Dominus, Petro piscante per A [æquor
Cum sociis, captum esse nihil, dimittere lina
In dextras hortatur aquas, mox gurgite clauso
Pendula fluctivagam traxerunt retia prædam,
355 Per typicam noscenda viam : nam retia [dignis
Lucida sunt præcepta Dei, quibus omnis in [illa
Dextra parte manens concluditur, ac simul [ulnis
Fertur apostolicis Domini ad vestigia Christi.
Nec piscis, prunæque vacant, et panis, in uno

Discipulis inventa loco; quisnam ambigat; [unam
Hic rebus constare fidem, quippe est aqua [piscis,
Christus adest panis, sanctusque Spiritus ignis.
Hinc etenim abluimur, hoc pascimur, inde sa- [cramur.
Tunc epulis præceptor eos invitat edendis,
356 Alloquiis de more piis, mensamque pe- [tentes
Unanimes nota Domini bonitate fruuntur,
Et Christum sensere suum, modicoque paratu
Postquam victa fames, et surrexere relictis

OPUS PASCHALE.

minus autem verax in omnibus Christus etiam credere dubitanti mitissimus, non irascitur ambigenti, sed ut digitos quoque mergat in vulnera, facilitate concedit, sciens, hujus probationis exemplum non ad Thomæ tantum, qui fuerat tam beatus, sed ad fidem deinceps pertinere multorum.

Post paucos item Dominus dies Petro piscanti cum sociis ad marinum sese littus ostendit, totæque noctis labore perpili [a] nullam cernens fessos habuisse capturam, dextrum retia dimitti jubet in pelagus confestimque clauso gurgitis salo piscosæ congregationis immersa, crepitantes sinus eduxere cum præda, quam ante Domini gaudentes projecere vestigia. Tale genus ergo miraculi non vulgari facto sentiri, sed typica debet intelligentia ponderari. Retia siquidem credamus præcepta dilucida nimis, at- B que perspicua, quibus omnes dextra sectantes, et sæculi fluctibus cruentis clauduntur vestigiis inclinati. Nam et piscis supra prunas appositus, eodemque panis in loco simul ab ipsis inventus, Catholica religione cernitur non carere. Nam piscis aqua videtur intelligi, qua nos ablui certum est, ac renasci, panis Christum significat salvatorem, cujus eodem corpore vescimur ad salutem. Ignis Spiritus sancti gerit imaginem, quo devoti consecramur ad fidem. In eadem namque specie demonstratus effulsit, cum beatos apostolos, sicut liber eorum Actuum protestatur, clara sui divinitate perfudit. Tunc ad epulas eos sumendas invitat placida solemnium præceptione verborum, qui mensæ Domini voce unanimes congregati, cibos sanctæ benedictionis accipiunt, et Christum plena fidei veritate cognoscunt.

SCHOLIA.

392. Ald. *Christum piscanti Petro in dextram retia* C *jacere jussisse.*

393. In Reg. 1, ex *dimittere* correctum est *demittere.* Ut alibi, sic hic etiam mss. variant : plerique *dimittere.* Parum id refert. Wopkensio magis placet *demittere.*

395. Alb. *traxere* contra metrum. *Fluctivagam*, vox Statii.

396. Parrh., schedæ Poelm., *quia* ; alii, *nam.* Reg. 5, et Ald. *non*, quod videtur fuisse in Reg. 2 et Ott. 1, sed contrarius est sensus. In Urb. versus præcedens conjungitur cum hoc *traxerunt retia dignis :* reliqua desiderantur.

397. Ott. 1, *in illo* ; correctum *in illa.* Psalm. XVIII, vers. 9 : *Præceptum Domini lucidum.*

398. Rom., Ald. contra metrum *dextera parte.*

399. Parr., schedæ Poelm. *apostolicis alma ad vestigia.*

400. Poelm., *Cum discipulis manducat.* — Reg. 5, Ald. *Nec pisces :* sic videtur etiam in Vat. 2, cæteri *Nec piscis*, quod ex Evangelio petitum est. D

401. Arntzenius cum nonnullis vulgatis prætulit *ambiget :* nostri omnes mss., etiam Aug., Alb. cum Alm., Arntz., Parrh. *ambigat :* ita correxit Aldus, cum in contextu edidisset, *ambiat.*

403. Editi *sanctus quoque Spiritus :* plerique nostri mss., Reg. 1, 3, Vatic. 1, Ottob. 1, Urb., *sanctusque Spiritus*, quod Rom., Alb., et Ott. 2 in compendio litterarum innuere videntur. Vat. 2 *panis, et sanctusque Spiritus*, ubi abundat *que*, vel potius *et :* nam a Seduli manu est *panis, sanctusque Spiritus*, producto *que* ob *sp* dictionis sequentis, ut a Sedulio, et aliis fieri solet. Vat. 2, et Reg. 5, qui cum Aldo facere solent, et recentes codices sunt, exhibent *sanctus quoque Spiritus.* Sic Ang. in nexu litterarum.

404. Ott. 1, *Hinc etiam abluimur.* Parrh., schedæ Poelm., Vat. 2, Reg. 5, Ald., *hinc pascimur :* alii, *hoc pascimur.*

405. Nonnulli editi transponunt, *Tunc præceptor eos epulis :* Arntzenius hoc tribuit quoque Parrhasio; sed Parrhasius receptam lectionem servat. Ms. Arntz. *salvator* pro *præceptor* fortasse ex glossa.

406. Reg. 1, *Alloquis :* lege *Alloquiis.*

407. Grunerus, et Arntzenius cum. ms. Arntz., et multis editis *pietate :* nostri omnes mss. cum Parrh., Ald., et aliis *bonitate*, quod deserendum non est. In Ott. 1, scriptum erat, *notaque Dei bonitate*, correctum, *nota Domini bonitate.*

409. Ott. 2, corrupte *aucta* pro *victa.* Urb. *Postquam victa fames est, surrexere.* Rom. contra metrum, *Postquam victa fames surrexere.* Alm., Ottob. 2, Aug. *exsurrexere*, Reg. 3, *adsurrexere*, Alb. *esurrexere* pro *et surrexere.* In Ott. 1, fuit *exsurrexere :* communis lectio, *et surrexere.* Imitatio Virgilii I Æn. 384 : *Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ.* Lucanus, et Val. Flaccus pariter usurparunt *vincere famem.*

[a] In voce *perpili*, quæ est scriptura vetus, mendum Juretus suspicatur ; ac conjicit *pervigili*, aut *perpeti.* Gallandius in notis corrupte editis Jureti invenit *perti*, et putabat, id fortasse positum pro *pertinaci.* Sed in bibliotheca Patrum Parisiensi 1589, clare est *perpeti.* Gallandio magis placebat *labore perpero*, hoc est, fallaci, irrito. Ampliandum censeo. Infra *seculi fluctibus*, etc., corruptum videtur. Mox forte *catholica ratione.*

Rite toris, an corde Petrus se diligat alto,
Explorat Dominus : Petrus annuit : ergo nitentes
Pastor amans augere greges, operario in omni
Parte bono commendat oves, commendat et agnos.
Hoc terno sermone monens, ut terna negantis
357 Culpa recens parili numero purgata maneret.
Inde sequenda docens, Pacem omnes, inquit, habete,
Pacem ferte meam, pacem portate quietam,
Pacem per populos monitis dispergite sanctis,
Et mundum vacuate malis : gentesque vocari
Finibus e cunctis, latus qua tenditur orbis,
Jussis mando meis, omnesque in fonte lavari.
Hæc ubi dicta pio Dominus sermone peregit,
Bethaniæ mox arva petit : coramque beatis
Qui tantum meruere viris spectare triumphum,
Ætbereas evectus abit sublimis in auras.
358 Ad dextram sedet ipse Patris totumque gubernat

OPUS PASCHALE.

Cum vero modicis insurrexissent dapibus competenter impleti, Petrum Dominus, an eum diligat clementer interrogat. Cui protinus annuenti, cupiens greges, ut pastor bonus, augere, tamquam fidelissimo nimis operario, vel probato suas oves, agnosque commendat. Et hæc tertio repetit, ac revolvit, ut recentiori culpæ trina negatio pari dilectionis purgaretur ex numero. Quod autem Petro [a] specialiter alendi greges tribuit dignitatem, cum probetur omnes æque diligere, non aliorum pertinet ad detrimentum, sed rationi videtur esse conjunctum ; hoc animal namque mitissimum pro simplicitate naturæ, justis comparatum, quos, cum venerit in majestate sua rex omnium, taliter a dextris astantes, sicut ipse docuit, alloquitur : *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*, etc. Ingressuros igitur justos in regnum consequenter illi commendat, cui claves se daturum ejusdem regni promiserat.

Inde monitis eos beatis erudiens, et pacificæ roborans traditione doctrinæ, per omnes imperans terras religosæ fidei præcepta dispergere, sacrique baptismatis unicam trinitatem cunctis gentibus prorogare, sic inquiens, ac decernens : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra. Euntes nunc, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos observare omnia, quæcumque mandavi vobis*, etc.

Cumque Divinitas [b] omnia mandasset impleri, mox in Bethaniam iisdem pariter eductis egressus, coram beatis protinus viris, qui tanti visionem triumphi meruere sortiri, per oras evectus æthereas, arcem sidereæ dominationis ascendit, et ad dextram patriæ residet majestatis, totumque proprio regit,

SCHOLIA.

410. Ald. *choris* : emendo *toris*. Reg. 5, inverso ordine, ac contra metrum, *corde se Petrus*.

411. *Nitentes*, pingues, bene habitos : quo sensu *nitere* usurpant Virgilius, Horatius, Phædrus, uterque Plinius.

412. Reg. 2, *operario omni*, sed forte fuit *operari in omni*, aut *operarier omni* : in Ott. 1, etiam videtur fuisse *operari*. Vera lectio est, *operario in omni*.

413. Ottob. 1, *bono*, correctum *bona*. Inepta sane est correctio.

414. Vatt. 1, 2, Reg. 3, 5, Rom., Ottob. 2, Ang., Alb., Parrh., Ald., et alii *Hæc* pro *Hoc*. Ed. Lips. *trino*, et *trina* pro *terno*, et *terna*. Urb. corrupte *Æterno* pro *Hæc terno*, aut *Hoc terno*. Vat. 1, Ott. 2, *movens*, quod erat etiam in Ott. 1, sed in hoc rite correctum est per *movens*. Vat. 2, mendose *terga* pro *terna*, vel *trina*.

416. Ald., *Quid præceperit Christus apostolis, cum ultimo eis apparuit*. Poelm. *Pacem servandam commendat*. Vat. 2, Reg. 3, 5, inverso ordine contra metrum, *Pacem, inquit, omnes habete*.

417. Reg. 3 prius inserit, *Pacem per populos*, tum, *Pacem ferte*.

418. Ott. 1 cum cæteris, *sanctis*, pro d. s. *sacris*, nisi malis id pro glossa accipere.

419. Ald., Fabr., et quidam alii editi, *vocate*. Sensus exigit *vocari*, ut mox occurrit *lavari*.

420. Vat. 1, *et cunctis* : sic fuit in Ott. 1, sed probe correctum est, *e cunctis*.

421. Virgilius eclog. 3, vers. 97, *Omnes in fonte lavabo*.

422. Ald., *Christum coram omnibus ascendisse in cœlum*. Rom. male trajicit hos versus, primum *Bethaniæ*, tum *Hæc ubi*.

425. In Reg. 1 fuit, *Ætherius evectas*, rite correctum *Ætherias evectus* : alii scribunt *Æthereas*. Fabr., et nonnulli alii editi, *subvectus* : plerique melius, *evectus*. Vet. 1, Mon., *sublimus*, quod antiquorum genium magis sapere ait Arntzenius. Sic Accius, Sallustius, Lucretius locuti. Nostri mss. tuentur *sublimis*. Reg. 1, et 2, pro d. s. *in oras*, quod videtur fuisse in Ottob. 1, in quo nunc apparet scriptura communis *in auras*. Prosa, *per oras*.

426. Reg. 2, 3, Vatican. 2, Rom., ed. Lips., *Et dextra sedet ipse Patris*, quod in Reg. 1 videtur fuisse, in quo nunc est, *Et dextram sedet ipse Patris*, sine opportuna syntaxi. Ott. 1, *Et dextra sedit*, recte correctum, *sedet*. Huc respicit mendum in Urb., *Et dextra sed ipse*. Ang., Vat. Ott, 2, Reg. 5, Ald., plures editi, *Ad dextram sedet*. Vet. 1, 2, Mon., Bas., Col., *In dextra sedet*. Schedæ Poelm., Torn. 1, 2. 3, aliæ editiones, *Et dextram subit*. Editio Poelm. ad marg., *Ad dextram subit*. Alb. sine sensu et metro, *Et dexteram sedet*. Probabilis scriptura, *Et dextra sedet*, clarior cum prosa, *Ad dextram sedet*. Vat. 2, Reg. 5, Ald., schedæ Poelm., *mundumque gubernat* : meliores nostri libri cum Alm., ms. Heinsii, et prosa, *totumque*, h. e., omnia, ut in Sedulio jam notatum. In prosa alii, *totumque orbem*.

[a] Male vetus codex *Petrus*.

[b] Suspicatur Gallandius in veteri codice scriptum fuisse per compendium *dns*, hoc est, *Dominus*, non *divinitas* nam postea occurrit *egressus*. Retineri tamen potest *divinitas* quæ vox posita pro *Deus* admittit *egressus* per mutationem generis, quam sæpe in istiusmodi scriptoribus animadverti. Nonnulli habent *divinitatis*. Juretus observat, in vet. cod. exaratum esse *per horas*, non *per oras*. Frequens est hæc scribendi ratio in mss. codicibus.

Jure suo, qui cuncta tenens excelsa, vel ima, A
Tartara post cœlum penetrat, post tartara
[cœlum.
Illi autem lætis cernentes vultibus, altas
Ire super nubes Dominum, tractusque coruscos
Vestigiis calcare suis, veneranter adorant,
359 Sidereasque vias alacri sub corde reportant,

Quas cunctos doceant : testes nam jure fideles
Divinæ virtutis erant, qui plura videntes,
Innumerabilium scripserunt pauca bonorum.
Nam si cuncta sacris voluissent tradere chartis
Facta redemptoris, nec totus cingere mundus
360 Sufficeret densos per tanta volumina li-
[bros.

OPUS PASCHALE.

et gubernat arbitrio. Qui cuncta jugiter excelsa possidens, ac profunda post cœlum descendit ad tartarum, post tartarum remeavit in cœlum. Ob hoc igitur voluit hisdem præsentibus ad astra migrare (quantum parvitatis meæ dignatur sensibus aperire), ut iter eisdem, qua sequerentur, ostenderet, quibus B ante passionem sibi dicentibus : *Domine, nescimus quo vadis, quomodo possumus viam nosse?* respondit evidenter, et dixit : *Ego sum via, et veritas, et vita. Via*, quoniam per eum Patris pervenitur ad gratiam. *Veritas*, quia credentibus tribuet, quæ promittit. *Vita*, quoniam et morti non subjacent, quos adoptat. Lætis vultibus intuentes ergo discipuli Dominum supra nubes excelsum, corruscos siderum tractus propriis devicto mundo, calcare vestigiis, venerantur supplices et adorant, redituque gratissimo familiæ ejus, gressibus ærei tramitis plagas, quas oculis viderunt, revolvunt cordibus, et reportant cuncti generis viris, ut gentes credant. Testes namque fideles, et magni divinæ probantur esse virtutis, qui facta Domini Jesu Christi videntes, innumerabilium scripserunt pauca gestorum. Nam si religiosis omnia potuissent chartis annecti nostri miracula Salvatoris, nec ipse forsitan mundus, sicut Joannes Evangelista testatur, qui scriberentur, volumina, caperet universa librorum.

SCHOLIA.

427. Vat. 1 non male, *tenet*, producta ultima ratione cæsuræ. Cant., Ald., et nonnullæ aliæ editiones, *excelsaque, et ima* : retine, *excelsa, vel ima;* nam *vel* pro *et* interdum ponitur, præsertim a sequioris ætatis scriptoribus.

428. Schedæ Poelm., Parrh. *Conservando regit, penetrat*. Vera codicum lectio longe venustior est, *Tartara post cœlum penetrat, post tartara cœlum*. C Rursus Sedulius Christi ad inferos descensum profitetur : neque enim *tartara* interpretari licet sepulcrum. Vide not. ad v. 222. l. I, et Dissertationem Liberati Fassonii, elegantis scriptoris, qua probat, Jesum Christum ante descendisse ad inferos, quam excitaretur a mortuis.

429. Reg. 5, Ald., *læti* : cæteri melius *lætis*. Vat. 1 parum eleganter transponit, *cernentes, lætis*.

431. Parrhasius edidit *Vestigis*, atque ita contracte legendum suspicatur Cellarius, ut metro consulatur. Wopkensius retinet *Vestigiis*, sed ita ut secunda corripiatur, ut alibi Sedulius contra prosodiam peccat. Mss., et pleræque editiones exhibent *Vestigiis* : quo in verbo ita scripto peccatum metri nullum erit, si duæ vocales extremæ per synæresin contrahantur, ut duæ primæ in disyllabis *deerat, deinde*. Præstantissimi nostri mss. Reg. 1, 2, Ott. 1, Ang., *veneranter*, et glossa in Reg. 1, *reverenter*, in Reg. 2, D *cum reverentia, cum veneratione*. Reg. 3 et Rom., *venerantur*, sed correctum per *veneranter*. Vatt. 1, 2, Alb. in compendio litterarum magis innuunt *veneranter* quam *venerantur*. Recentissimi codices Reg. 5, Urb., Ottob. 2, *venerantur*. Ex aliorum codicibus Alm., Cant., *veneranter*, cod. ms, Barthii *venerantur*. Editiones pariter variant, sed antiquiores exhibent *venerantur*. Huic scripturæ favet prosa, et adhærent recentes editores. Apud Corippum l. II, v. 35, occurrit *famulantur, adorant*. Apud Dracontium lib. I, v. 4, edidi, *Auctorem confessa suum veneranter adorent*, secutus auctoritatem Tertulliani et Sedulii hoc loco. Poterat quidem versus Dracontii in re dubia sic refingi *venerentur, adorent*. Sed adverbium *veneranter* a Dracontio et Sedulio usurpatum, mihi etiamnum videtur.

433. Aldus interpungit, *doceant testes. Nam jure fideles* : non probo.

436. Mon., *voluisse* : emenda voluissent. Pro *chartis* Arntzen. *libris*, fortasse ex glossa, Parrh. *scriptis*. Hæc hyperbole ex Evangelio S. Joannis similis est aliis hebraismis, sive judæorum locutionibus. Barthius l. XLI Advers., cap. 24 : *Ego iis accedo*, inquit, *qui non numero librorum, sed pondere, mysteriorum externandum orbem interpretari malunt, quam* HYPERBOLEM *audire. At aiunt, talia etiam esse, quæ scripta sunt. Fateor : sed quid vetat, altiora etiam residua relicta?... Sic de omnibus mysteriis Christi scribens fundamentum nobis est hujus opinionis eruditissimus theologus Prudentius Apotheosi : Millibus ex multis paucissima quæque retexam—Summatim relegens, totus quæ non capit orbis. Nonnus paraphrastes secutus litteram capacitatem mundi spatio immensæ machinæ metitur*. Prudentii quidem locus non satis clarus est pro Barthii opinione : Sedulius certe contrarius est. Theophilactus tres diversas interpretationes in cap. ultim. Joannis sic complectitur : *Ne admireris autem, quod libros, si qui de operibus Jesu scribantur, mundum dixit non capere, sed intellecta ineffabili vi Dei verbi, dictum fideliter accipe. Nam sicut nobis loqui, ita illi multo facilius est facere ea, quæ voluit. Quidam autem per hyperbolem more Scripturæ putant dictum. Mos enim Scripturæ est hyperbole uti.... Quidam autem per* MUNDUM *intelligunt eos, qui mundana sapiunt : opera autem, quæ facta sunt a Jesu, divina, et mysteriis plena, tam in visibili, quam in invisibili creatura, et quæ futura sunt, et mysteriis sunt referta, mundanum hominem non posse intelligere*.

438. In Ott. 1 hic versus recenti manu exaratus erat, deleto alio. Deinde sequitur epigramma in laudem Sedulii, *Sedulius Christi*, etc., non alterum, *Sedulius Domini*, tum Elegia, *Cantemus*. In Reg. 1, *Explicit liber* IV. *Incipit liber Aratoris. Finitum est.* Alia manu antiqua : *Explicit*, et ad marginem, *Require in hoc volumine, Cantemus, socii, Domino, post Aratorem*. Sed Aratoris in hoc codice solum id est : *Domino sacrosancto, beatissimoque Patri, atque apostolico, et in toto orbe primo omnium sacerdoti Pape Vigilio Arator subdiaconus*. Restat unum tantum folium, in quo est nota jam in Prolegomenis num. 156 descripta. *Hoc opus Sedulius*, etc., et epigrammata Asterii, Liberii, et Belisarii. In Reg. 2, *Explicit liber* IV *Paschalis carminis heroici. Incipit carmen elegiacum, quod vocatur Paracterium, i., repercussum eo*

quod reperculiatur unus versus ab altero, hoc est, initium primi fit ultimum secundi. Paractera Græce Latine repercussio dicitur. In Vat. 1, *Explicit liber Sedulii. Incipit carmen ipsius : Cantemus*, etc. Vat. 2, *Finis.* Tum nota, *Hoc opus*, etc., de qua in Prolegomenis num. 136 et seq. Illico elegia, *Cantemus* etc. Reg. 5, *Carmen finem habet, nec lauri serta requiro, — Tu studii merces esto, Maria, mei.* Legendum *Finem carmen habet.* Succedit nota, *Turtius Ruffus Asterius quintus sequentia carmina inter scripta Celtii Sedulii invenit, Cantemus* etc. Sequuntur hymnus *A solis ortus cardine*, et epigramma ipsius Sedulii infra referendum. Reg. 3, Ang., *Explicit liber Sedulii ;* et sine alia inscriptione elegia, *Cantemus.* Urb. *Egregii Sedulii episcopi de passione, resurrectioneque, ac* A *ascensione unigeniti Filii Dei, et Domini nostri Jesu Christi liber quartus, et ultimus explicit feliciter. Incipit paracterum carmen ejusdem, i., repercussorium, eo quod pars media primi versus sit finis secundi versus. In quibus*, etc., ut nunc exponam. Ott., et Rom. post finem carminis paschalis sine ullo titulo, *Cantemus.* Meus codex *Finit liber quartus, et ultimus Sedulii poetæ ; incipit epigramma distichon ejusdem, quod a nostris repercussivum dicitur, a Græcis* παράντερον : *Cantemus*, etc. Parrhasius, *Explicit Sedulii Carmen Paschale.* Nihil aliud Sedulii additur, sed carmina quædam Prudentii. Ms. Heinsii, *Explicit Paschale Carmen Sedulii ; incipit hymnus ejusdem.* Juretus in fine prosæ : *Explicit prosa Sedulii.*

CŒLII SEDULII

ELEGIA.

361 Cantemus, socii, Domino cantemus hono- B
[rem,
Dulcis amor Christi personet ore pio.
Primus ad ima ruit magna de luce superbus,
Sic homo, cum tumuit, primus ad ima ruit.
Unius ob meritum cuncti perire minores,
Salvantur cuncti unius ob meritum.
Sola fuit mulier, patuit qua janua letho :
362 Et qua vita redit, sola fuit mulier.
Frater iniquus erat justum qui perculit olim,
Damnator Christi frater iniquus erat.
Transitus ille monet, quid prima amisit origo,
Quid ventura parent, transitus ille monet.
Arca levatur aquis, homines ne perderet
[æquor,
Ne pereant homines, arca levatur aquis.
Sume, pater, populos pro nati vulnere cunctos
Cum tradis Christum, sume, pater, populos.

SCHOLIA.

Præter modo dicta confer proleg. num 46, ubi titulus ex Trithemio hic refertur *Exhortatorium ad fideles*, sive *Exhortatorius liber ad fideles*, et n. 162. Beda de Art. metr. non semel ex hac elegia exempla profert, laudato etiam Sedulii nomine. Quosdam C versus ex ea desumit Osbernus, scriptor saeculi XI, in Vita S. Dunstani apud Bollandianos die 19 maii. Reg. 2 argumentum sic exponit : *Descriptis jam miraculis, hortatur poeta secum omnes cantare Christo, et gratias referre.* Urb. *In quibus paracteriis carminibus auctor Sedulius descripta* (forte *post descripta*) *facta. atque dicta Salvatoris nostri Christi heroicis carminibus, convocat omnes fideles ad laudem omnipotentis Dei, ejusque Filii Domini nostri Jesu Christi.* In ms. Almel. titulus est, *Hymnus Sedulii.* In editione Arntzenii *Cœlii Sedulii hymnus.* 1. *Collatio veteris. et novi Testamenti per schema* ἐπαναλήψεως *alternis versibus repetitæ.* Hoc eodem artificio alii elegias composuerunt, ut in Veter. Analect. Mabillon. t. I, Theodulphus Aurelianensis, Paulus Diaconus Aquileiensis, Eugenius Toletanus, Petrus Damiani, Godfridus Vindocinensis, in Distichis moralibus mss., quæ pro libro XIV Martialis in codice membranaceo Collegii Romani inserta sunt.

1. Vat. 2. Ottob. 2, inverso ordine *Cantemus Do-* D *mino, socii.* Taurinensis cod. *Cantemus, socii, Dominum.* Vide Proleg. num. 180. Reg. 5 et Ald., *honores*, quod exponit Nebrissensis *laudes ;* reliqui, *cantemus honorem.*

2. Cappusotus, *Christo ;* alii, *Christi.* In cod. Taurin. græce pro *Christi*, et videtur esse *præsonet* pro *personet.*

3. Vat. 2 *de magna luce;* alii, *magna de luce.* Sermo est de Luciferi casu.

4. Arntz. a pr. m., Alb., Meus, Vet. 1, Torn. 3, *cum timuit ;* alii, *cum tumuit :* quo spectant Ottob. 1, Rom., *contumuit* pro *cum tumuit* : et hæc est genuina lectio, cum sermo sit de superbia, quæ per tumorem solet explicari, ut jam dixi ad alios poetas Christianos. Ita etiam scripsit Osbernus in Vita S. Dunstani.

5. Vet. 1, mendose, *perire minoris ;* in Rom. *priores* emendatum est per *minores*, h. e., posteri Adami.

6. Osbernus, inverso ordine, fortasse ut hiatum, fugiat, *Cuncti salvantur.*

7. Alm., Reg. 3 et nonnulli editi, *quæ ;* cæteri, *qua ;* in Ottobon. 1 ambigue, *quæ*, vel *qua.* Eva intelligitur.

8. Almel., Reg. 2, 5, Vatt. 1, 2, Ott. 1, Ald., Cellarius, Meus, Ang., Alb., Osbernus, *ex qua.* Sic Reg. 3 et pro d. s., *Per quam.* Vet. 1, mendose, *Et quia.* Urb., Ott., 2, Rom., Goldatus in Manuali biblico *Et qua*, quod cum plerisque vulgatis prætulit Grunerus, quia præcessit *patuit qua* sine *ex;* hac facile quidem *et* in *ex* mutari potuit. Deipara laudatur.

11. Meus, *quod prima*, et v. seq., *Quod ventura*, alii melius utrobique *quid.* Urb. *admisit ;* retineo *amisit.*

12. Meus Reg., 5, Ald., *paret*, quæ est etiam conjectura Wopkensii, scilicet quid acquirat origo, sive gens, et stirps ventura. Alii *parent :* quod ita exponit glossa in Arntz., et in Reg. 2, ut priorem transitum intelligat de Enocho in cœlum translato posteriorem de transitu Christi in cœlum. Cellarius priorem transitum interpretabatur egressum Abelis et Caini in agrum. Wopkensius melius obitum Abelis. Sed mallem aliquid clarius.

13. Reg. 3, *homines ut perderet* ; sensus postulat *ne.*

14. Arca est Ecclesia per baptismum salva, vel etiam Christus sacramenti baptismi institutor.

15. Vatic. 1, *per nati vulnera;* cæteri, *pro nati vulnere ;* Petrus Bermannus conjiciebat *funere* pro *vulnere.* In Rom. mendum puto *cunctos* pro *cuncto.* Pater hic est Abrahamus.

16. Vet. 1, Mon., Poelm., inverso ordine, *Cum Christum tradis ;* nostri omnes mss. cum plerisque

Hostia summa Patris, tacitis signata figuris ; A
Quam referat Christus, hostia summa Patris.
Claudicat ecce videns Dominum, dum prævalet, [heros,
363 Aspera gens Christum claudicat ecce vi- [dens.
Reppulit ille famem, venitus crimine fratrum :
Venditus est Christus, reppulit ille famem.
Perfide, corde peris, dum vastant omnia plagæ,
Dum cessant plagæ, perfide, corde peris.
Agnus ab hoste sacer revocavit sanguine patres,
Sanguine nosque refert agnus ab hoste sacer.
364 Obruit unda nefas, populo gradiente per [æquor,
Nunc mundi populis obruit unda nefas.
Murmurat impietas, manna veniente refecta,
Panis adest Christus, murmurat impietas.
Plebs sibi dura caput terræ cultoris adoptat,
Abstulit, heu! Christum plebs sibi dura caput.
Lex dedit indicium veteris de crimine pœnæ,
Quodque salus veniat, lex dedit indicium.
En lapis irriguus, satiare, incredule, fonte :

SCHOLIA.

editis, *Cum tradis Christum*, in Reg. 1 scriptum erat *Contradis* pro *Cum tradis*. Cant. et nonnulli editi exhibent, *Cum sumis Christum*, quod minus bene est.

17. Urb., Rom., *sanctis signata;* Alm., Ott. 1, B *dudum signata ;* alii, *tacitis signata*. Hic rursus de Isaac.

18. Vet. 1, Mon., *reserat*, quod vitium typographicum esse suspicatur Arntzenius : sed in Rom., Ald., et ut videtur, in meo codice est etiam *reserat*. Vera tamen lectio est *referat :* placeret tamen magis *refert :* produci enim solet prima in *refert*.

19. Cellarius et Arntzenius ediderunt *heros ;* nostri omnes mss. cum Ang. et antiquis editionibus *heres* nullo commodo sensu. Putet aliquis *dum prævalet Israel*, contractis duabus ultimis in *Israel*, ut sit spondæus. Ipsum nomen *Israel* significat *prævalens Deo*. Sed proba videtur vulgata lectio *heros :* sic a Prudentio *heros* dicitur. S. Joannes Evangelista hymn. 6 Cath. 114, et Tobias hymn. 10 Cath. vers. 70. In ms. Alb. videtur fuisse *heros*, quod emendatum est per *heres*.

20. In Ott. 1 videntur ita divisa verba *Asper agens;* sed legi debet *Aspera gens*.

21. Docta manus in Arntz. notaverat, pro *Reppulit* alios habere *Pepulit* aperto errore. Nonnulli scribunt *repulit*, quia putant, *re* posse produci, etiamsi consonans sequens non duplicetur. Adhæreo usui communiori, quo *reppulit*, et *relligio*, et quædam alia similia scribuntur, cum *re* producitur. In *refert* aliud tenet consuetudo : quod tamen verbum, cum est impersonale, semper primam producit, cum est a *refero*, corripit, sed aliquando producit. Multæ editiones exhibent *distractus crimine fratrum*, quod defendi potest. Hoc verbo in re simili utitur Dracontius lib. II, vers. 510 : *Sanguine distracti maculatur venditor, emptor ;* et Juvencus l. IV, vers. 635. Nostri mss. ignorant hanc lectionem, et in Alm. *distractus* est glossa ad verbum *venitus*. Cant. cum Alm., Ang., *venitus* a *veneo*, a quo supinum est *venum*, et *venitum*, penultima correpta secundum analogiam apud Priscianum l. x. In usu est *venum*. Recentes editores tuentur *venitus*, cujus secundam licenter produxerit Sedulius. Favet supinum D *ambitum*, cujus secunda producitur, quamvis in *itum* prima corripiatur. In Vat. 2 videtur esse *venitus*, quod apparet etiam in Reg. 3, sed in hoc correctum est per *venditus* cum glossa *venumdatus*. Ott. 1, Arntz. a pr. m. cum Reg. 3, *venditus cimine fratrum*, quod metri lex respuit : multo vero magis metro adversatur Ott. 2, *famem qui venditus crimine fratrum*. Reg. 2, Vat. 1, Rom., Alb., Meus, *famem venatus crimine fratrum* cum glossa in Reg. 2, *venditus :* huc pertinet Urb., *famem, qui venatus crimine fratrum*. Verum *venatus* pro *venditus* latinum non est, ac præterea in Urb. contra metrum esset *qui*. Arntz. a m. s., Reg. 5, Ald., alio modo, *famem, frater quem vendidit auro*. Et metro, et Latinitati consuli potest, si ex vestigiis codicum rescribatur *Reppulit ille famem venum actus crimine fratrum*. Sermonem esse de Joseph vendito a fratribus, nemo non videt.

22. Reg. 5, Ald., *Venditus ab Juda*. Grunerus cum suis mss., et editis *Venditus a Juda*, qui se nescire ait, unde hauserit Fabricius *Venditus est* B *Christus*. Verum nostri fere omnes mss. cum editione Poelm. in contextu, Ang. cum ms. Arntz., edd. Vet. 1, 2, Mon. exhibent *Venditus est Christus*, pro quo Alm. *Venditus est Dominus*. In Arntz. a m. rec. et in schedis Poelm., *Venditus a Juda*.

24. Arntz., *pœnæ* pro *plagæ* minus eleganter; scribitur autem *pene*. Perfidus hic est Pharao.

25. Arntz. a m. sec., Reg. 5, Ald., *conduxit* pro *revocavit*. In Reg. 2 est *revocavit*, sed videtur fuisse *reduxit*, quod non damnarem, et sic scriptum invenio in Ang. Sermo est de agno paschali.

26. Ald., *nos revocat*, quod cum lectione recepta v. superiori *revocavit* venustum est. Alii *nosque refert*, ubi conjunctio *que* omitti potest.

27. *Nefas*, h. e., nefarios Ægyptios cum Pharaone.

28. Meus, Ang., *Cum mundi populis*. Cellarius cum Alm., *Cum populis mundi*, admisso hiatu. Sic etiam Reg. 2 et Ott. 1, sed in hoc factum, *Nunc populos mundi*. In Alb., mendum, *Nec populis mundi*. Reg. 3, 5, Vatt. 1, 2, Ott. 2, Rom., Urb., Ald., C Fabr., *Nunc mundi populis*. Multi vulgati, *Nunc populis mundis*. Ms. Arntz., *Nunc mundi populi ;* Cantabr., *Nunc populi mundi*, h. e., populi Christiani, quam scripturam, et interpretationem Grunerus, et Arntzenius sequuntur. Wopkensius conjiciebat, *Nunc populos mundans*.

29. Alm., Meus, *referta*, quo respicit mendum in Ott. 2, *referto*, alii codices, *refecta*, melius.

31. Nonnulli editi mendose in utroque versu *Plebs si* pro *Plebs sibi*. Ott. 1, Rom. in utroque versu *capit ;* sed in Ott. 1 recte correctum est per *caput*. Editio Poelm. ad marg. *adorat*, idque præferunt schedæ ejusdem Poelmanni. Cæteri *adopta* cum glossa in Reg. 2, *eligit*, quod huic loco magis convenit : ut enim plebs dura Israelis caput vituli sibi adoptavit, ita plebs dura Judæorum Christum caput sibi abstulit. Alioquin facile hæc inter se permutantur in mss. *adorat, adoptat, adornat, adaptat*, ut jam alibi ostensum est.

32. Ott. 1, *hunc ;* bene correctum *heu*.

33. Reg. 2, in hoc et seq. v., *initium*, utrobique correctum *indicium*, quod retinendum est. In Ott. 1 fuit *discrimine*, quod exstat in Vat. 1, sed in Ott. 1 factum est *de crimine*, quæ est vera lectio. Meus, *de culmine*.

34. Editio Poelm., *Quoque* pro *Quodque*. Rom., Ott. 2, Urb. *venit*, quod in Meo etiam videtur esse ; sed ratio metri postulat *veniat*, Joan. L, 39 : *Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*.

35. Vet. 2, *En lapsus ;* ed. Col., hoc et seq. v., *irriguis ;* Arntz., *fronte*. Corrige, *En lapis irriguus*, et *fonte*. Petra percussa, quæ aquam fudit, est lapis irriguus, ut recte exponit Cellarius : qui tamen inepte accipit *satiare* pro *satiaris* indicativo passivo, cum sit modi imperativi.

Qui Christum reprobas, en lapis irriguus.
Carpitur igne sacro munus, votumque piorum,
365 Seditiosa tribus carpitur igne sacro.
Regna beata Patris legis non contigit hæres,
Jesus dispensat regna beata Patris.
Destruit arca Dei, muros dum circuit, hostem,
Sic hostem mundi destruit arca Dei.
Area vellus habet, madido sed vellere sicca est,
Siccum tota madens area vellus habet.
Vincis honore Dei promisso in munere gentes,
Affectum natæ vincis honore Dei.
Tu decus omne tuis, qui sternis cæde Goliam;
Qui vincis mundum, tu decus omne tuis.
Maxima dona Dei cuncti cecinere prophetæ,
Implevit Christus maxima dona Dei.
Pondera dura tulit mandatum legis, et iram, B
Gratia mandati pondera dura tulit.
366 Virgo Maria nitet, nullo temerante pudore,
Post partum pueri virgo Maria nitet.
A Filius hic hominis fit maxima quæstio mundi,
Nobiscum Deus est filius hic hominis.
Gaudia magna Dei mundus percepit, et ambit,
Respuit, heu! mundus gaudia magna Dei.
Signa movent populos, cernunt magnalia cæci,
Nulla tamen duros signa movent populos.
Aspera mors populis ligno deducta cucurrit,
Aufertur ligno aspera mors populis.
Ipse tulit Dominus pro pœnis munera servis,
Pro servis pœnas ipse tulit Dominus.
Vita beata necem miseris avertere venit,
Pertulit a miseris vita beata necem.
Lumen adesse Dei, persensit tartarus ingens.
367 Nec cernunt homines, lumen adesse Dei.
Mors fera per hominem miserum sibi subdidit orbem,
Subdita congemuit mors fera per hominem.
Suscitat ecce genus morti pater ille profanus,

SCHOLIA.

36. Meus, Ang., non male, *Quid Christum reprobas?* Alii, *Qui Christum reprobas*, pro quo in Ott. 1 fuit prius *reprobis* nullo sensu. Alb., *Quod Christum reprobas*.

37. Reg. 5, Alb., Ald., *priorum;* in Reg. 2, *piorum;* supra, *priorum;* glossa, *Moysi, et Aaron;* in Vat. 1, *et vota priora*, correctum *priorum*. Verior, communiorque scriptura *votumque piorum*, cui opponitur *seditiosa tribus*. Cellarius in seditiosa tribu agnoscit Core, Dathan et Abiron; sed hos non ignis consumpsit, sed terra absorbuit. Intelliguntur ergo 250 viri, qui offerebant incensum, et ab igne consumpti sunt, et alii similiter 14700 murmurantes, C qui incendio perierunt, ut refertur Numer. c. XVI. Nadab et Abiu, filii Aaron, consumpti etiam fuerunt igne cœlesti. Sed non videtur congruenter de his solum duobus dici *seditiosa tribus*.

39. *Hæres* legis, nisi ex conjectura malis *heros*, videtur esse Moyses, qui terram promissionis ingressus non fuit. Glossa in Reg. 2: *Nullus ex illis, qui egressi sunt de Ægypto, intravit in terram repromissionis præter Caleph. et Josue.*

40. Ald., *Christus;* alii, *Jesus*.

41. Nonnulli vulgati *hostis*, scilicet destruit muros hostis, dum circuit eos. Mss., cum plerisque editis, *hostem*. Arntzenius interpungit, *Destruit arca Dei muros, dum circuit hostem*, sed ex pentametro alia distinctio est præferenda: ac revera arca circuivit muros Jerico, ut constat ex Josue cap. VI.

42. Cant., *mundi et destruit;* abundat conjunctio *et*.

43. Signum Gedeoni datum, primum vellus madidum in area sicca, tum vellus siccum in area ma- D dida. Judic. VI.

45. Docta manus in marg. ed. Mon. volebat *amore Dei*, ut in pentametro alicubi legitur. Wopkensius videtur utrobique voluisse *amore Dei;* certe vel utrobique ita legendum, vel utrobique *honore Dei*. Mss. et plerique editi præferunt *honore Dei*. In nonnullis editis, *promisso munere*, sine *in*, quod deest etiam in Vatic. 1, 2, Alb., Urb., Rom., et deerat in Reg. 3, ubi recenti manu additum est. Nonnulli pro *promisso* referunt *præmisso*.

46. Reg. 5, Ald., *Effectum;* reliqui, recte, *Affectum*, quod ex conjectura rescribi jussit Nebrissensis, quia Jephthe filiæ amorem religioni postposuit. De Jephthe enim sermo nunc habetur.

47. Rom., *sternes;* corrige, *sternis*.

51. Vatic. 2, *regis;* emendandum, *legis*. In hoc versu *tulit* est pro *attulit*, in sequenti pro *abstulit*, ut explicat glossa Alm.

53. Vat. 2, Rom., Reg. 5, Urb., Ald., *nullo temerata pudore*. Ottob. 2, Meus, Reg. 3, Ang., Alb., Vat. 1, *nullo temerante pudore*. Reg. 2, Ott. 1, cum plerisque editis, *nullo temerante pudorem*.

55. *Quæstio*, quia positus in signum, cui contradicetur. Consule hac de quæstione not. ad Juvenc. l. I, vers. 245, *Dicta in contraria signum*.

57. Cod. Cant., Arntz., Alm., Ott. 1, Reg. 5, *percepit:* hoc ipsum exstat in cæteris nostris mss., sed per compendium litterarum; et in nonnullis, ut in Meo, potius videtur legendum *præcepit:* quæ fuit conjectura Petri Burmanni, hoc est, *spe præcepit*. In Reg. 2 est *accepit* tamquam glossa, vel potius tamquam diversa scriptura. Plerique editi, etiam recentes, *mundus hæc sentit, et ambit*. Vat. 2, mendose, *mundus percipit, et ambit*. Repugnat enim metrum, etsi *ambit* potius cohæret cum *percipit*, quam cum *percepit*. Putat autem idem Burmannus, *ambit* poni pro *ambiit*, vel *ambivit*.

59. Reg. 5, male, *magnalia cœli*. Rom. pejus *magnalia Dei;* sed in hoc correctio adhibita est *cæci*.

61. Vet. 1, 2, *reducta;* lege, *deducta*, ut est in reliquis. In Reg. 1, 2, aliud prius fuit: in eodem supra *cucurrit* videtur glossa *manavit*, quod alibi apud Sedulium in nonnullis mss. pro *cucurrit* intra contextum receptum est. Repugnat metrum. Ang., mendose, *succurrit*. In hoc versu innuitur lignum arboris vetitæ, in seq. lignum crucis.

63. Glossa Alm. in hoc v. pro verbo *tulit* est *attulit martyribus*, in versu seq. *sustinuit pro martyribus*. Planius tamen est, ut in verbo *servis* omnes homines intelligantur.

66. Reg. 5, Ald., *Depulit;* alii, *Pertulit*, h. e., sustinuit; neque dubium, quin legendum sit *Pertulit*. In hoc disticho *miseri* sunt peccatores: de qua significatione egi ad Dracont. l. I, vers. 11. Iterum eodem sensu occurrit *miseri* v. 106.

67. Hoc etiam loco repetit Sedulius, Christum Dominum ad inferorum loca descendisse.

68. Arntz., Rom., *Nec credunt;* alii mss. cum editis, melius, *Nec cernunt*.

69. Hic versus profertur a Beda de Arte metr., et ab ejus commentatore. Apostolus ad Rom. V, 12: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors.*

70. Alm., in quo hic versus margini ascriptus erat, Arntz., Reg. 2, 5, Vat. 1, 2, Ot. 2, Urb., Rom., Ang., Meus, *congemuit*. Ot. 1, Reg. 3, Alb., cum plerisque editis, *contremuit*, quod verbum rei ac-

Ad vitam Christus suscitat ecce genus.
Hic populus Dominum dura cervice negavit,
Suscepit primus hic populus Dominum.
Sanguine læta redit fuso gens impia Christi,
Gustato Christi sanguine læta redit.
Crimina cuncta suis terrenus contulit auctor,
Dissolvit Christus crimina cuncta suis.
Libera corda sibi facinus devinxerat olim,
Nunc reficit Christus libera corda sibi.
Fortia vincla dedit peccati sæva potestas,
Dulcis amor Christi fortia vincla dedit.
Jam super astra sedet, cuncti exsultate fideles :
Perfide, quid sævis ? jam super astra sedet.
368 Mortuus ille tonat, cœlum, terramque subegit :
Quid facient hostes ? mortuus ille tonat.
Pellitur umbra die, Christo veniente figura,
Christus adit gentes, pellitur umbra die.
Te properare docent et signa, et sæcula prima,
Nos sacra quæ gerimus, te properare docent.
Unicus adveniens firmavit vota primorum,
Vota dedit nobis unicus adveniens.
Passio, Christe, tui complevit munera legis,
Munera nostra replet passio, Christe, tui.
Hic homo, qui Deus est, spes est antiqua piorum,
Spes in fine piis hic homo, qui Deus est.
369 Munus erit fidei toto credentibus ævo,
Qui dedit, ut credant, munus erit fidei.
Te veniente, Deus, mundanus concidit error,
Occidit hic mundus, te veniente, Deus.
Gratia plena Dei est, quæ totis gentibus exstat,
Abscedant sectæ, gratia plena Dei est.
Sola columba redit, quæ totum circuit orbem,
Discedant corvi, sola columba redit.

SCHOLIA.

commodatius Arntzenio videtur. Non minus accommodatum est *congemuit*.

74. Cant., Alm., *suscepit primum hic* cum hiatu, quod Cellarius, et Arntzenius secuti sunt, et glossæ indicant, *primum* esse Dominum. In Ott. 1 fuit etiam *primum*, sed correctum est per *primus*, quæ est nostrorum codicum communis scriptura, producta ultima in *primus* ratione cæsuræ. Rom., parum eleganter, *Et suscepit primum hic*. Cellarius ait in hoc disticho Judæos, et Christianos commitii. Sed potest etiam intelligi e Judæis primos fuisse, qui Christum susceperunt. Quoniam vero pauci Judæi Christum susceperunt, atque eorum populus potius contrarius est, interpretationem Cellarii retinendam censeo.

75. Vat. 1, Reg. 2, pro d. s., Arntz. a pr. m., *ridet*, quod neque sententia, neque lex metri patitur. Vera lectio est *redit*. Idem dictum puta in pentametro.

79. Rom., *devicerat*; Meus, *disjunxerat*, melius cæteri *devinxerat*. In notis Nebrissensis *definxerat* forte est mendum; in editione Westhemeri, cui hæ notæ additæ sunt, legitur *devinxerat*.

83. Goldastus, *Jam supra astra*, et versu seq., *Jam super astra*, quod utrobique retinendum.

85. Meus, *ille sedet*, quod male repetitum est ex disticho præcedenti; lege *tonat*, quod in v. seq. idem codex exhibet.

86. Meus, Reg. 5, Ald., *faciant*, Reg. 2, 3, Urb., Ott. 2, Alb., Vat. 1, 2, Rom., Arntz., Ang., *faciunt*, quod negligunt editi, sed certe non est contemnendum ; in Reg. 3 correctum est *facient*. Ot. 1, cum plerique editis, *facient*. Burmannus ad Ovidium Heroid. ep. 21, v. 26, ex melioribus, ut ait, libris malebat *faciant*. Utroque modo dici potest ; et apud Virgilium ecl. 3, v. 16, legitur, *Quid domini facient?*

87. Reg. 2, 3, 5, Ot. 1, Arntz., Ang., Alm., Fabr., et alii editi recentiores, *Christo veniente figura*, puto, pellitur a die umbra, a Christo veniente figura. Cant. et alii mss. nostri, cum plerisque editis, *Christi veniente figura*. Glossa in Reg. 2, *umbra — figura* ; et mox, *Christo veniente figura—præsentia*.

89. Reg. 2, 3, Vat. 1, *docent signa et sæcula* ; desideratur unum *et* ante *signa*, quod a sec. m. additum est in Reg. 3.

90. Vet. 1, Mon., *Non sacra;* corrige, *Nos sacra*. Indicatur Testamentum novum, et secundus Christi adventus.

91. Cant., Reg. 2, 3, 5, Urb., Rom., Ang., Alb., Meus, Ald., *vota priorum*. Vat. 1, *vota priora*, correctum *vota priorum*. Ot. 1, 2, Vat. 2, Alm. plerique editi antiqui, *piorum* ; recentiores præferunt *priorum*, quia id opponitur *nobis* v. seq. ; Nebrissensis etiam ex Aldo sumpsit *priorum*, et hoc explicat, quia Christus desideratus est a sanctis Patribus.

93. Cant., Alm., Arntz., Reg. 2, 3, Ang., Urb., Alb., Ot. 1, 2, Vat. 1, *tui* in utroque versu. Vat. 2, Reg. 5, Meus, Rom., plerique editi, *tua*, quod in Reg. 2 apponitur vel tamquam diu. script., vel tamquam glossa. Reg. 3, *implevit*, correctum *complevit*.

95. Rursus variant codices. Almel., Cant., Alb., Reg. 2. 3, 5, Urb., Ald., Ang., *priorum*, quod tenet Nebrissensis, et explicat *prophetarum*. Vat. 1, *priorum*, correctum *piorum*. In Rom. dubium *piorum*, an *priorum* sit. Ot. 1, 2, Vat. 2, *piorum*, quod recentiores sequuntur ; quia pii veteris Testamenti opponuntur piis novi Testamenti.

96. Ald., Reg. 5, *Spes cum fine* ; alii, *in fine*. Meus ita hic corruptus est, *Sæpe in fine suis hic quidem Deus est*.

97. Nostri omnes codices cum Almel., Arntz., *erit* in utroque versu. Plerique editi *erat*, quod amplectuntur recentiores, quia *toto ævo*, ait Cellarius, significat tempus veteris Testamenti. Non video causam, et in pentametro mentio expressa non fit novi Testamenti. Ait ergo Sedulius, omnes, qui aliquando crediturі sunt, munere fidei id habituros : atque id futurum munus ejus, qui dedit, ut credant. Vat. 2, *in toto :* alii sine *in*.

98. Reg. 2, *ut credent*, recte emendatum *ut credant*. Hinc suaderi posset lectio *munus erat :* sed sensus videtur esse, *Qui dedit, ut credere possint*.

100. Cellarius cum Fabr. *Occidet hic mundus*. Grunerus cum Ald., Reg. 2, 5, *Concidit hic mundus*, quia eleganter repetitur ex v. præcedenti *concidit*. Arntzenius cum suo ms., Alm., et nostris Reg. 3, Rom., Meo, Vat. 1, 2, Urb., Alb. *Occidit hic mundus*. Ott. 1, 2, Reg. 3, pro d. s., plerique editi antiqui *Occubuit mundus :* sic etiam Ang. Sed, ut observat Grunerus, præsenti pro futuro utuntur scriptores, si rei certitudinem indicare volunt. Ovidius Heroid. 2, v. 20, *Ipsa mihi dixi: Si valet ille, venit*.

101. Ott. 1, *Gloria*, correctum per *Gratia*, uti legitur in pentametro. Rom. in utroque versu hujus distichi, repugnante metro, *Dei plena est*.

102. Poelm., et quædam aliæ editiones *Ascendant*. Ald. cum mss. *Abscedant*, quod retinendum : nisi malis cum Alb. *Discedant*, quod verbum mox recurrit. In Rom. *Abscedat*, et in Meo *Abscendant* mendose scriptum est. Reg. 2 omittit *est* in hoc versu.

104. Cant. cum nonnullis vulgatis, *Descendant :* sensus exigit *Discedant*. Christum *columbam* hic vocari, videtur certum. Glossa in Reg. 1 Sedulium

370 Adveniet Dominus dare digna piis, mala A [pravis,
Credite jam, miseri, adveniet Dominus.
Visio, Christe, tui tormentum, et pœna malo- [rum est,
Gloria cuncta bonis visio, Christe, tui.
Gloria magna Patri, semper tibi gloria, [nate,
371 Cum sancto Spiritu gloria magna Patri.

SCHOLIA.

exponit de Ecclesia. At, ut ego puto, Sedulius Prudentii sententiam expressit hymn. III Cathem. v. 166, *Tu mihi, Christe, columba potens, — Sanguine pasta cui cedit avis.* Dixi ad eum locum, indicari a Laureto in Silva allegoriarum Patres qui in columba, ramum olivæ portante, Christi typum agnoverunt, ac plura alia addidi de symbolo columbæ. Sacra vascula, quibus eucharistia asservatur, aliquando *columbas* vocatas fuisse ex exteriori columbæ argenteæ figura, animadvertit Joannes Baptista Passerius Exposit. in monum. sacr. eburn. post Diptych. Gorii pag. 70. Quamvis autem dubitandum non sit quin Spiritus sanctus, qui specie columbæ B apparuit, hoc potissimum symbolo significetur, tamen constat etiam, columbæ nomen inter alia Salvatoris nomina a Patribus nonnullis referri. Ennodius l. I. carm. 9. vers. 17, *Hostia, virgultum, pastor, mons, rete, columba.* Silvius in Manuali biblico Goldasti: *Virgo, columba, manus, petra, filius, Emmanuel, lux.* Posset aliquis suspicari, legendum *columna* pro *columba:* sed quid dicemus de Orientio? *Sæpe columba, dolum quia nescit, ac sine felle est.* Forte *vel sine* pro *ac sine.* Quod attinet ad Silvium, ejus memini in Prolegom. num. 91., ubi monui, versus Damasi de cognominibus Salvatoris in nonnullis mss. codicibus Silvio adjudicari. Versus Silvii auctiores exstant, vel potius quodammodo latent in Manuali biblico Goldasti, opere non passim obvio, sic inscripti: *B. Silvii versus de cognomentis Salvatoris:* quos hic libens exhibeo, ut cum versibus Damasi conferam: *Omnipotens, vis trina, Deus, pater optime rerum, — Quo generante natus sine semine, tempore, matre, — Ortu, fine, loco, vel membris, post* C *caro natus, — Permittens cerni, multo quoque nomine dictus. — Spes, ratio, via, vita, salus, sapientia, mens, mons, — Judex, porta, gigas, rex, gemma, propheta, sacerdos, — Messias, Sabaoth, Rabbi, sponsus, mediator, — Virgo, columba, manus, petra, filius, Emmanuel, lux, — Vinea, pastor, ovis, pax, radix, vitis, oliva, — Fons, panis, ethos, agnus, vitulus, leo, Jesus, — Verbum, homo, rete, lapis, Dominus, Deus, omnia Christus.* Versus Damasi sunt solum septem: neque in ullo ms. Vaticano a me reperti sunt. Ita autem eos edidit Sarazanius. 1. *Spes, vita, salus, ratio, sapientia, lumen.* Deficit ratio metri. 2. *Judex,* ut apud Silvium. 3. *Messias,* ut apud Silvium. 4. *Virga, columna, manus, petra, filius Emmanuelque.* 5. *Vinea,* ut apud Silvium. 6. *Fons, paries, agnus, vitulus, leo, propitiator.* 7. *Verbum, homo, rete, lapis, domus, omnia Christus Jesus.* In versu 2 Silvii fortasse legendum *datus* pro *natus*, et v. penultimo videtur mendum *ethos.* Orientius in explanatione D nominum Christi exponit nomen *virginis*, et *virgæ*, et *columbæ*, non tamen *columnæ.* In Concilio Romano sub Damaso celebrato, quod inter Appendices reponam, recensentur nomina Christi, uti etiam apud Isidorum l. VII Etym. capit. 2., sed utrobique tam *columbæ*, quam *columnæ* nomen prætermittitur, quod utrumque nomen pariter deest in hymno veteri cognominum Christi, quem ex codice Veliterno descripsi not. a. n. 212 Proleg. Prudentii: qui hymnus et a me, et ab aliis tunc habebatur pro inedito; sed postea comperi eum exstare inter sequentias Notkeri Balbuli tom. 1 Thesaur. Anecdot. Pezii, et longe ante editum fuisse in Elucid. Clictovei l. 1, *Alma chorus Domini*, etc.

105. Arntz. *signa:* lege *digna.*

106. Rom. *miseris adveniet:* correctum *miseri adveniet*, quod reliqui exhibent cum hiatu. Rursus *miseros* pro pravis accipit. In hoc disticho, et in sequenti sermo est de extremo judicio, et comparatio fit inter præmia justorum, et supplicia peccatorum; inter visionem judicis, ex qua impii pœnam, et tormentum sustinebunt, et eamdem Christi visionem, ex qua boni gloriam consequentur. Non igitur elegiæ hujus inscriptio plane convenit, a nonnullis apposita: *Collatio veteris, et novi Testamenti.*

107. In Reg. 3 deerat, *est*, post *malorum*, et recenti manu additum est.

108. Meus, *magna*, ex v. seq., corrige *cuncta.* Reg. 2, *tui est:* sed in præcedenti v. deest *est.*

109. Ott. 1 *Gloria*, correctum *Gratia*, sed retinendum est *Gloria*, ut in v. seq. Reg. 2, *semper tibi sit gloria:* omittendum est *sit*, ut versus constet. In nonnullis editionibus pro *semper* invenio *compar*, quod recentiorum temporum videtur.

110. Plerique mss., et editi *Cum sancto Spiritu;* atque ita legit Beda de Metris, cujus peculiarem opinionem in quibusdam Sedulii versibus scandendis hoc loco exponam: *Auctoritate autem contemnitur regula grammaticorum, ut Sedulius in clausula carminis, cujus supra meminimus, cum dixisset; Gloria magna Patri, semper tibi gloria, nate, subdit: Cum sancto Spiritu gloria magna Patri. Unde vera scansio versus istius hæc est:* CUM SAN *spondæus*, CTO SPIRI *antibachius, et non dactylus: sed poeta, ut gloriam sanctæ, et individuæ Trinitatis clara voce decantaret, neglexit regulam grammaticæ dispositionis. Idem ipse in carmine paschali: Sic ait ipse docens: Ego in Patre, et Pater in me. Sic enim scanditur,* SIC AIT *dactylus,* IPSE DO *dactylus,* CENS E *trochæus,* GIN PA *spondæus ablato* O *per synalœpham. Aut si scandere vis* CENS EGO, *et facere dactylum, contra morem ipsius Sedulii, quem per omnia servavit, agis, ut immunis stet vocalis altera superveniente vocali. Idem in eodem opere: Clarifica, dixit, nomen tuum, magnaque cœlo. In quo ut veritatem Dominici sermonis apertius commendaret, postposuit ordinem disciplinæ sæcularis. Idem iterum: Scribitur et titulus: Hic est rex Judeorum: quod quomodo scandendum judicaverit, videat, qui potest, utrum* JUDÆORUM *duos spondæos quinta, et sexta regione contra morem, an solutis syllabis juxta quod supra monstravimus, dactylum fieri voluerit, et spondæum.* Non facile totam hanc Bedæ doctrinam critici probabunt. Quod attinet ad versum præsentem, Beda sæpe nactus est codices depravatos, ut in notis ad Juvencum observavi. Propterea in not. ad Dracontium l. II, vers. 54, suspicatus sum, Sedulium scripsisse *Cum sancto Spirtu*, aut *Spritu* per syncopen, ut multa similia a poetis usurpata sunt, de quibus Salmasius ad Trebellium p. 303. Sedulius quidem sæpissime usus est voce *Spiritus*, ac semper primam produxit: et poterat quidem gloriam sanctæ, et individuæ Trinitatis clara voce decantare, versu aliter disposito, quin regulam grammaticæ dispositionis negligeret. Perlectis nunc mss. codicibus, has invenio scripturæ varietates. In Reg. 2, 3, Ott. 1, scripta ea vox est per compendium litterarum, ex quo magis legi debet *Spirtu*, aut, *Spritu* quam *Spiritu.* Hinc puto natum, quod librarii ex simili aliquo nexu expresserint *Spiritu* contra metrum, et mentem Sedulii. In Vat. 1, idem est compendium litterarum, supra clare *Spirtu*, ad marg. manu veteris glossatoris: Al. *spiritui sancto.* Reg. 5, *Spiritui et sancto.* Cappusotus, et Ald., *Spiritui, et Nato.* Poelman. *Cum sancto Flatu.* In nostris mss. soli septem recentissimi, scilicet Meus, Ang.,

Alb. Rom., Urb., Ott. 2, Vat. 2, exhibent clare *Cum sancto Spiritu.* Petrus Damiani, quamvis Sedulium imitatus, hanc tamen vocem mutavit: *Gloria summa Patri, genitæ sit gloria Proli, — Flamine cum sancto gloria summa Patri.* Finita elegia, Reg. 2 sic habet: *Explicit. Incipit Ambrosianum ipsius Sedulii.* Ott. 1, *Finit amen. Incipit ars Sedulii poetæ*, ut dictum est in Prolegom. num 9. Rom. *Explicit.* Desunt alia Sedulii. Meus, *Finit epigramma distichon ejusdem Sedulii poetæ in fide catholica. Incipit ejusdem poetæ hymnus.* Vat. 1, *Explicit liber Sedulii.* Illico sequitur epigramma Sedulii. Vat. 2, *Finis.* Nihil aliud est Sedulii. Reg. 5, *Finem carmen habet, nec lauri serta requiro. — Tu studii merces esto, Maria, mei. Amen. Cellii Sedulii presbyteri hymnus succincte ab incarnatione usque ad ascensionem sequitur.* Urb., *Finis, Paracterium, elegiacumque carmen egregii Sedulii episcopi explicit feliciter, Deo gratias. Per librum scriptum nomen Domini sit benedictum. Explevi hoc opus.* Sequitur Martyrologium Bedæ. In Ott. 2, post elegiam sequitur hymnus.

CŒLII SEDULII

HYMNUS.

372 A solis ortus cardine
Ad usque terræ limitem
Christum canamus principem,
Natum Maria virgine.
Beatus auctor sæculi
Servile corpus induit,
Ut, carne carnem liberans,
Ne perderet, quos condidit.
Clausæ parentis viscera
373 Cœlestis intrat gratia,
Venter puellæ bajulat
Secreta, quæ non noverat.

Domus pudici pectoris
Templum repente fit Dei,
Intacta nesciens virum
Virgo creavit filium.
Enixa est puerpera,
Quem Gabriel prædixerat,
Quem matris alvo gestiens
Clausus Joannes senserat.
Feno jacere pertulit,
Præsepe non abhorruit,
Parvoque lacte pastus est,
374 Per quem nec ales esurit.

SCHOLIA.

Nonnulli etiam docti viri hunc hymnum vocant *acrostichum* : sed inscite; nullum enim verbum ex primis versuum litteris conflatur. Debet ergo dici Alphabeticus, sive Abecedarius. Alm. sic titulum præscribit *Incipit hymnus Sedulii.* Ott. 1, *Versus Sedulii de Christo.* Vat. 1, post epigramma Sedulii, *Hæc tua*, illico sine titulo, *A solis ortus cardine.* In Reg. 3, post elegiacum carmen *Cantemus* leguntur versus Liberii, et Belisarii in laudem Sedulii, tum *Carmen Alphabeticum Sedulii.* In Reg. 2, hic hymnus dicitur *Ambrosianum Sedulii*, ut modo dicebam ad finem Elegiæ, quia cum S. Ambrosius præcipuus, et nobilissimus auctor hymnorum habeatur, et sit, omnes hymni ecclesiastici Ambrosiani dici cœperunt, ut notavi in Dissert. de Hymn. eccles. num. 67. Prima stropha hujus hymni est initium hymni in Hypapanti, sive in purificatione S. Mariæ, et omnibus ejus festivitatibus, quem Ven. Thomasius in Hymnario suo refert ex breviario Mozarabico die 18 decembr. in Laudibus. Eadem stropha exstat in eodem breviario, eodem die *ad vesperum*, ubi quædam aliæ strophæ ex hoc hymno producuntur, et cum hymno S. Ambrosii *Fit porta Christi pervia*, integrum hymnum componunt. Vezzosius in notis ad Thomasium putavit, totum hymnum ad Laudes a S. Ildefonso adjudicari S. Ambrosio. At S. Ildefonsus solum laudat sub Ambrosii nomine stropham desumptam ex ejus hymno.

2. Beda de Metris legit *Et usque.* Ita etiam in breviario Mozarabico ad Laudes die 18 Decembris.

4. Alm. *Mariæ Virginis.*

6. Prudentius Cath. XI, 45. *Mortale corpus induit:* vide notam.

7. Reg. 3. male transponit *Ut carnem carne liberans.*

8. Reg. 2, 3, Ottob. 1, Meus, Alb. *quod condidit:* alii cum editis *quos condidit.* In Vat. 1 fractum est, *quos ex quod.* Elegantius videtur *quod* præsertim in carmine, Alioquin S. Gregorius Magnus hom. 19 in Evangelia dixit: *Conditor noster, qui regit, quos condidit*, et Alcuinus in Sedulio legit *quos.*

9. Reg. 2 Ottob. 1, Alcuinus, Fabr. et aliæ editiones *Clausæ.* Schedæ Poelm., Reg. 5, Ott. 2, Ald., et alii editi, *Castæ.* Alm., Alb., Cant. ex correctione *Clausa :* sic etiam Reg. 5, in quo prius fuit *Clausæ.* Vat. 1, *Casta;* sed neque cum *Casta*, neque cum *Clausa* ratio stat metri. In Breviario Romano remansit *Castæ.* Ven. Thomasius in Hymn. partem hujus hymni profert ex quodam breviario monastico ad Laudes, in quo est *Clausa*; sic etiam habet breviarium Mozarabicum die XVIII Decembris ad Vesperum.

15. Ott. 1 *corporis*, correctum *pectoris.*

16. Editi cum Alcuino *Verbo concepit filium :* sed ita versus minime constat. In Reg. 2 nunc est *concepit*, sed videtur fuisse *creavit*, quod bonum est pro *genuit*, *concepit.* In Ott. 1, Alb., Reg. 3 clarum est *creavit*, quamvis in Ott. 1 recens manus supra appinxerit *concepit.* Correctores hymnorum breviarii romani cum reperissent in veteri hymno *Verbo concepit filium*, ut metro consulerent, mutarunt in *Concepit alvo filium :* sed æque consulitur metro, ac melius sententiæ a Sedulio expressæ, si legamus cum tribus his mss. *Verbo creavit filium.* Librariis, ut puto, displicuit verbum *creavit*, quod bene latinum est pro *genuit.* In breviario Mozarabico die XVIII dec. servatur vetus lectio *creavit.*

17. Editiones plurimæ, etiam recentiores *Enixa jam puerpera.* Breviarium Mozarabicum die XVIII Decembr. ad Vesperum cum nostris omnibus mss., Alcuino, Ald., et aliis editis, *Enixa est puerpera* cum hiatu, qui a Sedulio alibi etiam usurpatur, Correctores hymnorum breviarii romani, ut eum effugerent, subrogarunt *Enititur puerpera.*

23. Mss. omnes et editi, *Parvoque lacte pastus est.* Ita etiam legitur apud Alcuinum. Correctoribus hymnorum breviarii Romani displicebat lac vocari *parvum :* ideirco substituerunt, *Et lacte modico pastus est :* sed quamvis cum metro, et latinitate recte id

Gaudet chorus cœlestium,
Et angeli canunt Deo,
Palamque fit pastoribus
Pastor, creator omnium.
Hostis Herodes impie,
Christum venire quid times?
375 Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.
Ibant Magi, quam viderant,
Stellam sequentes prævíam;
Lumen requirunt lumine;
Deum fatentur munere.
Katerva matrum personat,
Collisa deflens pignora,
Quorum tyrannus millia
Christo sacravit victimam.
Lavacra puri gurgitis
Cœlestis agnus attigit,
Peccata, quæ non detulit,
Nos abluendo, sustulit.
Miraculis dedit fidem,
376 Habere se Deum patrem,
Infirma sanans corpora,
Et suscitans cadavera.
Novum genus potentiæ!

SCHOLIA.

procedat, minus tamen opportunum est ad cantum ecclesiasticum, ut ostendi in dissertatione de Hymn. eccles. præmissa ad Hymnodiam Hispanicam. Parisienses maluerunt, in suo breviario legi, *Et indiget lactis cibo.* Potuit tamen retineri versus ipsius Sedulii, *Parvoque lacte pastus est:* nam *parvum* lac est modicum lac, parum lactis. Lucanus lib. IV, vers. 239 simili phrasi, *Si torrida parvus — Venit in ora cruor.*

26. Nostri fere omnes mss. cum Alcuino et Aldo, *canunt Deo:* sed in Reg. 2, fuit *Deum*, quod est in meo, in schedis Poelm., et Alm., quamvis in hoc secunda manus voluisse videatur *Dominum.* Id autem metri lex respuit. Editi plures *canunt Deo*, quæ est phrasis ecclesiastica ex Vulgata petita, et apud Optatum Afrum, et alios occurrens. Quædam editiones, præsertim recentiores, *canunt Deum*, quod magis Latinum est.

29. Nostri omnes mss., Alcuinus et antiquæ editiones, *Hostis Herodes*, sed in Ott. 1, *Hostis Herodis.* In Breviariis antiquis pariter legitur *Hostis Herodes.* Erasmus primus, quod sciam, aliter reformandum hunc versum censuit, nimirum *Herodes hostis impie.* Ejus verba ex Colloquio convivii poetici retuli in Dissert. de hymn. num. 178, in nota. Summa eorum est: In versu *Hostis Herodes impie* bis peccari, quia primo loco *Hostis* trochæus ponitur, qui in carmine iambico non admittitur: secundo loco *Hero* est spondæus, cum debeat esse iambus. Hanc conjecturam Fabricius, et alii editi secuti sunt. Sequuntur etiam recentiores Munckerus ad Hygin. fab. 233, pag. 289, substitui volebat *Herodis hostis*, quia alias ultima syllaba corripitur contra legem pediam. Reponit Arntzenius, in Sedulio talia aliquando esse admittenda. Verum his ita occurrerat Erasmus: cum *Herodes* dictio Græca sit, ultima in vocandi casu corripi poterit. Addit Erasmus, mollius cohærere epitheton *impie* cum *hostis*, quam cum *Herodes.* Correctores hymnorum breviarii Romani sub Urbano VIII sic reformarunt, *Crudelis Herodes, Deum— Regem venire quid times?* In prima vero editione an. 1629, *Crudelis Herodes, Deum—Terris venire quid times?* Equidem existimo, a Sedulii manu esse *Hostis Herodes impie.* Quod enim primum objicit Erasmus, *Hostis* esse trochæum, qui in iambico carmine locum non habet, facile diluitur: nam aspiratio in voce *Herodes* vim consonantis habere potest ut habet sæpe apud Sedulium, et alios ejus æquales. Ita *Hostis* est spondæus. Immo hac ratione posset reponi, ut sententia cum sequentibus melius cohæreat, *Hostem Herodes impie, — Christum venire quid times?* Ait deinde Erasmus, *Hero* esse spondæum: verum id quidem, si prima in *Herodes* necessario producatur; sed cum in nominibus propriis poetæ sequioris ævi hanc sibi licentiam arrogarent, ut pro libitu syllabas producerent, aut corriperent, merito possumus in *Hero* iambum agnoscere. Sæpe etiam accidit, ut poetæ Christiani in eodem nomine proprio eamdem syllabam modo corripiant, modo producant. Sedulius v. 20, et l. II, vers. 143. corripuit *o* in *Ioannes*, quamvis per omega scribatur. Idem l. II, vers. 49, corripuit secundam in *Mariæ*, et eamdem syllabam produxit l. II, v. 30, et alibi. In nomine ipso *Sedulii* variat Fortunatus in Proleg. nostris n. 166, et priores duas syllabas modo breves, modo longas facit.

30. Alb., *venisse;* corrige, *venire.*

31. Reg. 3, *diripit*, Vat. 1 cum plerisque editionibus, *arripit.* Fabr., Biblioth. Lugd. *abripit.* Plerique nostri codices cum Cant., Alm., Arntz., Alcuino, Aldo, *eripit*, quod in breviariis quoque exstat.

33. Reg. 2, Ott. 1, Alm., Reg. 3, Alcuinus *qua venerant:* in Ott. 1 prius fuit, *qui venerant;* in Reg. 3 diversa scriptura, *quam viderant.* Edimb. fortasse ex typographi errore, *qua viderant.* Communis scriptura est etiam in breviariis, *quam viderant*, quod videtur petitum ex Matthæo II, 9: *Qui cum audissent regem, abierunt: et ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos.* Cellarius tamen praetulit *qua venerant*, h. e., qua via ex oriente venerant. Non placet.

35. Alcuin. male, *requirunt munere.*

36 Meus, *Diem;* corrige *Deum.* In Reg. 3. desunt reliqua.

37. Vat. 1, *personant*, factum deinde *personat.* Non male tamen esset *personant.* Advertendum est, passim in editionibus, etiam recentioribus scribi *Caterva*, Aldus edidit *Katerva*, quæ est scriptura Sedulii: siquidem hæc stropha, ut ordo alphabeticus servetur, a *K* initium debet sumere. Atque ita scribunt *Karus*, et *Kastris* alii, qui similes hymnos abecedarios concinnarunt, ut Beda, et Amœnus, de quibus postmodum dicam. Isidorus l. I Etym. c. 27, *K litteram antiqui præponebant quoties A sequebatur;* quod Diomedes restringit ad *a* breve, ut *caterva.*

38. Vat. 1, *Concisa;* alii melius, *Collisa.*

40. Meus, Reg. 2, Alcuinus *victima*, sed in Reg. 2 videtur factum, *victimam.* Petrus Burmannus conjiciebat, *victimas.* Arntzenius ait, Sedulium forte singularem pro plurali posuisse. Bene alioquin est *victimam* in singulari per appositionem, *Quorum millia, victimam, sive sacrificium, Christo tyrannus sacravit.* Conjectura Burmanni confirmatur ex Carm. Pasch. l. V, vers. 73. seq. *Millia angelicas legiones.*

41. Poelm. mendose, *Lavacro.*

44. Apud Alcuinum *obluendo*, qui fortasse error est.

46. Alcuinus sic corrupte exhibet *Habere secundum Patrem.*

48. Reg. 5, Cant., Ald., et nonnulli editi *Resuscitans.* Plerique nostri mss. cum Alm., Alcuino, et multis editis, *Et suscitans.* Arntzenius advertit, servari posse *Resuscitans*, quia in compositis a consona incipientibus *re* est anceps: quæ ratio inepta est; nam cum primus pes in carmine hoc iambico possit esse vel iambus, vel spondæus, etiamsi in *resusci-*

Aquæ rubescunt hydriæ,
Vinumque jussa fundere
Mutavit unda originem.
Orat salutem servulo
Nixus genu centurio,
Credentis ardor plurimus
Exstinxit ignes febrium.
Petrus per undas ambulat
Christi levatus dextera :
Natura quam negaverat,
Fides paravit semitam.
Quarta die jam fetidus
Vitam recepit Lazarus,
377 Mortisque liber vinculis
Factus superstes est sibi.
Rivos cruoris torridi
A Contacta vestis obstruit,
Fletu rigantis supplicis
Arent fluenta sanguinis.
Solutus omni corpore,
Jussus repente surgere,
Suis vicissim gressibus
Æger vehebat lectulum.
Tunc ille Judas carnifex
Ausus magistrum tradere,
Pacem ferebat osculo,
Quam non habebat pectore.
Verax datur fallacibus,
Pium flagellat impius,
Crucique fixus innocens
378 Conjungitur latronibus.
Xristo myron post sabbatum

SCHOLIA.

tans prima necessario esset brevis, versus staret ; B immo cum pede sibi magis proprio, qualis est iambus.

50. Alcuinus, *Aqua;* corrige, *Aquæ.*

54. Reg. 2, Ott. 1, 2, Meus, Alcuinus, Alb., Cant., *Nixus genu,* quod secutus est Grunerus : sic alii solent dicere, *nixi genu, nixi genibus.* Vat. 1, Reg. 5, Ald. et plerique editi, *Flexus genu :* ita etiam locutus Tacitus Annal. l. xvi, cap. 4. Vet. 1, , Mon., Col. *Flexo genu,* quæ usitatior est phrasis.

55. Vet. 1, 2, Mon. *Credenti ardor,* quod etsi per hiatum aliquo pacto potest defendi, tamen vera lectio codicum est *Credentis ardor.*

56. Vatic. 1, Edimb. *Exstinguit,* et in Vat. 1, prius erat *Exstinguat :* plerique *Exstinxit.* Passim in hoc hymno tempora mutat Sedulius; mutant etiam alii poetæ.

57. Vet. 1, Mon., Fabr., et nonnulli alii editi *ambulans,* et v. seq. *levatur.* Quidam alii editi *ambulat,* et v. seq. *levatur :* nostri mss., Alcuinus *ambulat,* et v. seq. *levatus,* quod tenuit Arntzenius.

58. De voce *levatus* confer modo dicta. Meus cod. contra metrum, *dextra.*

61. Reg. 2, cum multis editis, *Quarto.* Meus cum aliis, *Quarta.* Similis varietas occurrit l. iii, vers. 131. Utrumque æque bonum est; *Ut postero die, postera die.*

63. Cant., Alm., et nostri mss. Reg. 2, Ott. 1, 2, Meus, *Mortisque liber :* quod recentes editiones amplexæ sunt; et est id elegantius, cum præcesserit mentio vitæ. Vat. 1, Reg. 5, Ald., et veteres vulgati, *Cunctisque liber :* quod bonum aliquem sensum habet; nimirum Lazarum a vinculis etiam, quibus involutus erat, mirabiliter liberatum fuisse.

64. Vet. 1, 2, Mon., *Factus sibi superstes :* nihil aliud addit Arntzenius, sed legi puto *Factus sibi superstes est,* quod non est ineptum, et exstat in editione Coloniensi 1537. Alcuinus transposuit contra metrum, *Factus est superstes sibi.* quod in ms. Alb. etiam invenio. In Vat. 1, *Superstes est sibi,* desideratur *Factus* post *est.* D

65. Arntzenius ex ms., puto, suo citat *Rivum* pro *Rivos.* Ott. 1, Alb., Vat. 1, Meus, Alcuinus, duo mss. Cellarii, *torridi,* quod recentes editores sequuntur. Reg. 2, Ott. 2, Reg. 5, et veteres editiones *horridi.* Malo *torridi* pro adusti. Apud Livium l. iv, c. 30, *torridi fontes* sunt deficientes; sed hæc significatio huic loco parum convenit, et in Livii verbis similis est lectionis varietas.

66. Ott. 2, *abluit;* corrige, *obstruit.*

67. Ott. 1, 2, Alcuinus, Alb., Meus, *Fletus rigantis.* Vet. 1, 2, Mon., *Fletus rogantis.* Ald., Reg. 2, 5, Poelm., *Fletu rigante.* Arntzenius, et alii vulgo editi, *Fletu rigant*

68. Ubi v. super. legitur *Fletus,* hoc v. respondet *Clausit,* quod in ms. exhiberi notat Burmannus, ut revera exhibetur in nostris. Qui retinent *Fletu,* legunt *Arent.* Venustius est *Fletu rigantis supplicis — Arent fluenta sanguinis.*

69. Vet. 1, Mon. mendose, *solutos :* Alcuini editio pariter contra metrum *omni languore.*

80. Reg. 2, Ott. 1, *Conjunctus est latronibus,* quod tenuit etiam Alcuinus. Editi cum aliis mss., *Conjungitur.*

81. Plerique mss., atque editi *Xeromyrrham,* Arntzenius in suo cod. ms. invenit *Xyro myrrham,* quod in nonnullis editis, et apud Alcuinum legitur. Ott. 2, Alb. corrupte, *Sero myrrham.* In Reg. 2, *Xero mirram,* sed aliud fuit pro *mirram :* ibidem glossa hæc est : *Xerum dicunt Græci siccum : inde sirofagia (Xerophagia) dicitur. Mirra est species aromatica, unde condiuntur corpora mortuorum.* Littera *X* initium hujus versus esse debet, ut ordo alphabeticus servetur. In Thesauro latinitatis Basilii Fabri, ab alio aucta, traditur, legendum *Christo myrrham,* et errorem in mss. ortum fuisse ex compendio scripturæ C χρὸ pro Christo. Advertas, velim, doctissimum virum Franciscum Perez Bayer, quem ad plures abiisse nunc audio, in nota ad Bibliothecam veterem Hispanam Nic. Antonii tom. I, l. vi, c. 9, num. 231, inter alia argumenta suppositionis quorumdam monumentorum Granatensium afferre vocum compendia plane Hispanica, ut *Xpo* pro *Christo.* At de Christi nomine sic Isidorus l. i Etym. c. 27 : *Xristus,* quia Græcum est, per X scribendum : ita et *Xrisma.* Annotator observat, ita olim a Christianis usitatum, ut crucis figura in X retineretur: nam in quibusdam exemplaribus gothicis Isidori cap. 4, l. i additum erat, inventam fuisse litteram X tempore Augusti, *quo Christi nomen innotuit, quod per eam, quæ crucis figuram figurat, scriptitatur.* Erat tamen in usu X ante Augustum. Adde Bedam de Arte metrica initio. Gisbertus Cuperus tuetur vocem *Xeromyrrham* e duobus verbis Græcis compositam, ut componitur *Xerolibya.* Nebrissensis simili modo interpretatur *Xeromyrrham,* h. e., myrrham siccam ex ligno myrrhæ factam. Exemplum similis compositionis verborum ponit in *Xylobalsamum.* Parum autem solliciti sunt interpretes in metrica hujus versus mensura explicanda. Nam in *Xeromyrrham* primus pes *xero* est trochæus, quem carmen iambicum non admittit : alter *myrrham* spondæus, qui secundo loco carminis iambici non recipitur. Restituendum ergo existimo *Xristo myron post sabbatum — Quædam vehebant compares,* vel per compendium scripturæ olim usitatum *χρό myron,* etc., quod in antiquissimis etiam codicibus sic apparet exaratum *Xp̃o :* nam *rho* Græcum similis est formæ, ac *p* Latinum. Latine non potest scribi *Christo :* tunc enim ordo alphabeticus

379 Quædam vehebant compares;
Quas allocutus Angelus,
Vivum sepulcro non tegi.
Ymnis venite dulcibus
380 Omnes canamus subditum
Christi triumpho tartarum,
Qui nos redemit venditus.
Zelum draconis invidi,
Et os leonis pessimi
Calcavit unicus Dei,
Seseque cœlis reddidit.

SCHOLIA.

non servaretur. Scribitur ergo Græco more, ut sæpe a Christianis fieri solebat, ex quo natum est monogramma Christi , ex duabus primis litteris Græcis nominis Christi constans. Forma litteræ Græcæ primæ nominis Christi eadem est, ac forma litteræ latinæ X. Sedulius ergo abecedario ordini consuluit, nomine Christi primo charactere Græco exarato, ut v. 2 elegiæ in codice Taurinensi simili fere modo scribitur. Duos video esse alios hymnos abecedarios imitatione Sedulii conscriptos, alterum Bedæ *Apostolorum gloriam*, alterum sub nomine Amœni poetæ in Biblioth. Patrum Colon. 1618, tom. V, part. II, pag. 982 : *Agnoscat omne sæculum.* In utroque stropha, quæ a littera X incipere debet, inchoatur a nomine Christi. Beda : *Christe, precamur, ut quibus*, Amœnus : *Christus sereno lumine.* Hinc sane nostra lectio mirifice comprobatur. Amœnus autem ille poeta non est diversus a Venantio Fortunato, inter cujus opera idem hymnus legitur. In rhythmo Isidori de lamento pœnitentiæ, et in aliis duobus apud Bedam de judicio extremo, qui abecedarii etiam sunt simili modo pro X stropha incipit a nomine *Christi.* Exstant hi duo rhythmi in Collectaneis Bedæ. Sequitur *myron* pes iambus : Græce scilicet *myron* est unguentum, quod exprimere voluit Sedulius, cum evangelista Luca.XXIII, 55 seq. : *Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus. Et revertentes paraverunt aromata, et unguenta : et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum*; et illico XXIV, 1 : *Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant, aromata.* Hæc aromata, et unguenta, non video, qua ratione myrrha arida, sive sicca dici valeant. Adhibebatur quidem myrrha in unguentis, sed odoris, et pinguedinis gratia, et loco olei. Nullo igitur modo unguentum *myrrha sicca* poterit vocari. Utitur autem voce *myrum*, vel *myron* Hieronymus præfat. in lib. vet. Testam. : *Quæ Domini discumbentis pretiosissimo fidei myro unguitis caput.* Sæpe accidebat, ut antiquarii pro *y* usurparent *i*; adeoque facilius fuit ex *miron*, vel *mirum*, scriptores non intelligebant, subrogare *mirrham*, vel *myrrham*, quod clariorem sensum ipsis reddebat. Vide not. Galeardi ad Gaudent. serm. 13, qui voce *myron* usos Hilarium, Cassianum, et Vulgatam probat. Non nemo putat apud Sedulium legendum *Xeromyrum*, quod significat unguentum siccum, sive ad desiccanda corpora aptum.

82. Reg. 2, Ott. 1, ms. Arntz., editio Edinb., Alcuinus, *compares*; plerique editi, cum aliis mss., *corpori*, Ott. 2; *corpora* mendose, ut videtur. Restituendum est *compares* : nam *vehebant corpori* minus placet. Quædam *compares* sunt quædam sociæ, sive comites : ita enim *compar* aliquando accipitur.

83. Cellarius, et Arntzenius cum ms. Alm., et quibusdam editis, *Quibus definit*, repugnante metro, nam prima in *definit* est longa, et corripi deberet, ut pes iambus fieret. Cant. *Quibus cecinit* : id etiam lex metri respuit. Alcuinus. Reg. 2, 5, Ott. 1, 2, Ald., plerique editi, *Quas allocutus Angelus*, quod bonum est : subintelligitur enim *est*. Meus, Alb., Vat. 1, *Quas alloquuntur angeli.*

84. Apud Alcuinum *Vivum sepulcrum non tegit.*

85. Sic scribendum est *Ymnis*, non *Hymnis*, ut plures editiones habent : nam lex abecedarii carminis hoc loco poscit *y*. Frequenter autem a veteribus scriptoribus aspiratio *h* omittebatur cum in aliis vocibus, tum præsertim in hac *hymnus*. Antiquiores tamen Latini aspirationem litteræ *y* semper præmittebant, ex quo factum, ut in alphabeto exponendo litteram *y* præterirent, quod a me observatum est in quodam inedito opere S. Isidori *Glossemata, et distantia verborum* inscriptio, ubi prætermisso *y*, de littera *z* ait, eam propter peregrina nomina admissam fuisse, ut in *zona*, *zelus*, etc. Exstat Isidori opus in cod. Vaticano 6018, sæculix circiter, ubi post alia opuscula cernitur depicta crux magna versicolor, et hæc ex utroque latere decurrens inscriptio : *In nomini Dei summi incipit liber glossemata Sancti Isidori episcopi de distantia verborum. Hoc vexillum crucis in cœlo fulget : nunc autem nos salvat per stipitem erectum.* Incipit liber : *Acrocius per C, et O, non per Y, ut quidam putant.* Existimo, legendum *Agroicus*, quod erat nomen cujusdam comœdiæ Plauti. Ex hoc Isidori opere natum est aliud simile, quod sub *Agroetii* nomine inter Grammaticos Latinos editum circumfertur. Ita ego quidem suspicor.

86. Meus contra metrum *Omnes cantemus*, nisi trajicias *Cantemus omnes.* Vet. 1. 2. Mon., Col., *Omnes canentes.* Ms. Burmanni, *Omnes cantemus subditi*, quod neque metro, neque sententiæ congruit.

88. Cellarius, et Arntzenius cum Alcuino, Alm., *Qui nos redemit venditos* : nostri omnes mss. cum plerisque editis, *Qui nos redemit venditus*, quod longe elegantius est. Christum *venditum* a Juda dixit Sedulius v. 22 elegiæ. Ms. Burmanni mendose, *Qui redimit venditos.*

90. In Alm. male repetitur *os draconis* ex v. superiori.

91. Meus contra legem carminis transponit *Dei calcavit unicus.*

92. Alcuini editio exhibet *Sese qui cœlis* : emenda *Seseque* ad metri rationem. In edit Colon., Vet. 1, Monast. post hunc versum additur stropha doxologiæ, ab imperito librario, quem, nescio, cur Arntzenius monachum, eumque stupido ingenio affirmet esse, in hæc verba concepta, vel ex alio hymno desumpta : *Gloria Patri ingenito, — Gloria unigenito, — Una cum sancto Spiritu — In sempiterna sæcula.* Exstat eadem stropha in Alcuino Offic. per ferias post hymnum Sedulii, et in Reg. 2, ubi v. 1, supra *Patri* additur *sit*, versus 3 solum habet, *Sanctoque Spiritu*, post v. 4, adjungitur *Amen. Explicit.* In codice bibliothecæ Laurentianæ Florentinæ in Prolegom. num. 86, recensito pro clausula hymni est hoc distichum : *Qui nos in recto faciat persistere calle, — Ut sibi servitium valeamus reddere dignum.* In Ott. 1 post versum, *Seseque cœlis reddidit*, notatur *Explicit versus. Incipit prologus Sedulii, Paschales*, etc. In Vat. 1 post hunc hymnum inchoatur epistola ad Macedonium. In Reg. 5 sequitur Sedulii epigramma, *Hæc tua.* In Ott. 2, finito hymno alphabetico, exarantur epigrammata in laudem Sedulii, *Sedulius Christi*, et *Sedulius Domini* sub titulo, *Nomen Sedulii antistitis in principio, et fine metri*; quæ inter appendices a nobis collocantur post aliud epigramma Asterii.

CŒLII SEDULII

EPIGRAMMA.

381 Hæc tua perpetuæ quæ scripsi dogmata vitæ,
Corde, rogo, facias, Christe, manere meo :
382 Ut, tibi quæ placeant, tete faciente, requirens,
Gaudia cœlorum, te duce, Christe, metam.

SCHOLIA.

Hoc epigramma exstat in Vatic. 1, et Aldo statim post elegiam, et ante hymnum *A solis*, in Reg. 5, post hunc hymnum, ubi inscribitur *Sedulii epigramma*. In editione Ascensiana collocatum est inter carmen paschale, et hymnum. Productum etiam est a Barthio e suo codice lib. x. Advers. c. 9, et Usserio Antiquit. Britann. cap. 16 ; in quodam vetusto ms. inventum fuit a Poelmanno, descriptum a Fabricio in poetarum christianorum corpore p. 662, excusum etiam ab editore Scoto. Heinsius idem epigramma reperit in codice Nansii. Barthius loc. cit., *Non vero*, ait, *indignum est Sedulio hoc epigrammation, Cum maxime vel ex eo ejus indoles eluceat, quod acumen in voculis paribus* TE TUA, TETE, TIBI, *quærit : quod genus cum honestate quadam amat hic Christi olor*. Goldastus in Manuali Biblico vocat *orationem Sedulii*, et post elegiam describit. Quatuor tantum sunt versus epigrammatis, ut apud alios exstat : sed in Reg. 5 alii plures adduntur, quos censeo esse exscriptoris Matthiæ filii Adæ Sculteri, Mansionarii in ecclesia Cracoviensi. Ita igitur continenter procedit epigramma : *Finem carmen habet, nec lauri serta requiro.—Tu studii merces esto, Maria, mei.—Tardus ego laudum pelagus lustrare tuarum—Exigua cœpi, Virgo serena, manu.—Exemplum præbens aliis imitabile doctis, — Ut cœptis studeant addere plura meis : — Et Jove cum falso sæva Junone relicta, — Incipiant veram te celebrare deam.—Nunc ubi magna sedes hominum regina beatrix,—A dextris nati plena decore tui. —Qui cum Patre Deo vivens per sæcula cuncta, — Una cum sancto flamine regnat : amen*. In versu *Nunc, ubi* obscure scriptum est *Nunc*, et in v. *Qui cum*, etc. non satis clare *cuncta*. Primum distichum *Finem carmen habet*, etc.; aliis in locis ejusdem codicis reperitur. In pentametro, *Incipient veram te celebrare deam*, merito displicebit, quod Virgo Deipara vocetur *vera dea*. Lamindus Pritanius, sive nomine vero Ludovicus Muratorius in opere *Della regolata divozione* monendos docet fideles, Mariam non esse deum : contra quem Benedictus Plazza part. 2 Vindicat. devotion. cap. 1, disserit, *supervacanee*, aut etiam *contumeliose* hoc monitum exhiberi, cum nemo sit fidelium qui Mariam *deum* esse credat, aut dicat. Certum tamen est, nonnullos minus caute beatissimam Virginem Mariam *deam* appellasse : nam ut omittam auctorem anonymum hujus epigrammatis, et Apollinarem hæreticum, qui in carmine etiam *ut deam* vocavit, satis notus est versus Justi Lipsii : *Si vota concepisset Hallensi deæ :* quod Lipsius, ut ait Raynaudus observat. II ad Marian. Nomenclat. tom. XVII : *necessitate metri adactus scripsit, nec ejus auctoritas, in politiori litteratura summa, ejusdem momenti est in re theologica*. Negat idem Raynaudus, Petrum Damiani in elogiis Deiparæ hoc vocabulo *deæ* usum fuisse, quod alii asseruerant : dubitat autem, an Leo X, vel potius Joannes Medices in epistolis ejus nomine scriptis Mariam *deam* nuncupaverit : nihil enim tale reperit, quamvis aliqui rem ita se habere affirmaverint. Jacobus Balde Epod. 15, eodem fere modo, ac Lipsius, peccat : *Virgo, serenati circumdata solis amictu, —Solem premebat calcibus, — Os, humerosque deæ similis ; quantamque referre — Augusta majestas potest.*

5. Codex Nansii *cum placeant :* alii *quæ placeant ;* etiam Aldus, cui Arntzenius affingit *placeat*. Nostri mss. cum Aldo *tete favente*, resistente metro. In Vat. 1 prius erat *tete fatente*, quod pejus est : correctum deinde per *favente* cum glossa *concedente*. Cappusotus in editione Ascensiana, et Barthius e suo mss. *tete fautore*. Fabricius ex conjectura, ut opinor, *tete formante*. Scotus Editor emendabat *tete faciente*, quod ad marginem veluti pro diversa scriptura Usserius notavit, et probat Burmannus, Secundi patruus, ex Heinsio ad Ovidium I ep. 39, et l. VIII Met. v. 251. Hæc lectio elegans est : præcedit enim *facias ;* et videtur esse vera, cum facile *faciente* in *favente* a librariis mutari potuerit. Goldastus edidit *tete manente*, quod neque metro neque sensui congruit.

Sequitur, ut descriptis jam veris carminibus Sedulii appendices addam : in quarum prima versus, qui a nonnullis falso Sedulio imputati sunt, ascribam : in reliquis ea colligam, quæ ad laudes ejus, aut opera illustranda pertinere posse arbitratus sum. Centoni Virgiliano in prima appendice subjiciam versus Virgilii a Martenio collectos, et a me iterum collatos, ex quibus Cento coalescit. Cur autem istiusmodi Cento inter Sedulii carmina reponi non debeat, disserui in Proleg. num. 54 seq. contra Martenium qui in eo carmine centonario eumdem stylum atque in Carmine Paschali Sedulii sibi visus est deprehendisse.

APPENDIX.

CARMEN DE INCARNATIONE,

CENTO VIRGILIANUS.

DEDICATIO AD THEODOSIUM AUGUSTUM.

Romulidum ductor, clari lux altera solis,
Eoum qui regna tenes moderamine justo;
Spes orbis, fratrisque decus, dignare Maronem,
Mutatum in melius, divino agnoscere sensu.
Scribendum famulo quem jussisti; hic tibi mundi
Principium, formamque poli, hominemque creatum
Expediet limo: hic Christi proferet ortum,
Insidias Regis, Magorum præmia, doctos
Discipulos, pelagique minas, gressumque per [æquor:
Hic fluctum famulare jugum, vitamque reductam
Unius crucis auxilio: reditumque sepultæ
Mortis, et ascensum pariter sua regna petentis.
Hæc relegas, servesque diu, tradasque minori
Arcadio; hæc ille suo generi; hæc tua semper
Accipiat, doceatque suos augusta propago.

INCIPIT CARMEN.

Omnipotens genitor tandem miseratus ab alto, [1]
Postquam cuncta dedit cœlo constare sereno, [2]
Omnibus in terris divinum aspirat amorem, [3]
Semper honore pio nomen Natique, Patrisque [4]

SCHOLIA.

Hanc dedicationem non esse Sedulii, sed videri opus alicujus exscriptoris, qui centonem Virgilianum Probæ Falconiæ jussu imperatoris descripserit, ostendi in Prolegomenis num. 42. Exstant hi versus apud Fabricium in comment. poet. Christ. pag. 25, descripti sunt in nonnullis editionibus Sedulii post primum prologum metricum, et ab Arntzenio in præfatione sua ad Sedulii editionem.

1. Bandinius tom. I Biblioth. Florent: p. 723, ex ms. legit, *Romulei doctor*, quod minus placet.

2. Legendum videtur, *Eoi qui regna tenes*, nempe *Eoi* pro *Orientis*. Ovidius IV Trist. el. 9, vers. 22: *Ibit ad occasum, quidquid dicemus ab ortu: — Testis et Hesperiæ vocis Eous erit.* Possis etiam *Eoa qui*, producta ultima in *Eoa* ratione cæsuræ. Si retineatur *Eoum*, erit casus appositus *regna*, vel scribendum potius est cum Labbeo de Script. Eccles. t. II, p. 332, *Eoum* pro *Eorum*, ut *Romulidum* pro pro *Romulidarum*. Beda de Arte metrica advertit, primam in *Eous* communem esse exemplo Sedulii lib. II vers. 74: *Eoi venere Magi*; et l. V vers. 191: *Splendidus auctoris de vertice fulget Eous.* Plura similia sunt exempla. Cæterum in membrana antiquissima bibliothecæ Angelicæ, de qua sermonem habui Prolegom. num. 37, legitur *Eoa*, quæ mea fuerat conjectura. Roscius edi curavit, *Eoi qui regna regis*. Arntzenius, *quia;* melius editio Pisaurensis Collectionis poetarum, *qui*.

3. Julius Roscius, *dignare, Marone-Mutato in melius, divinum agnoscere sensum.* Alii etiam exemplar vetus bibliothecæ Angelicæ, uti editum est.

5. Cod. Aug., *jusseras*, quod etsi aperte est contra metrum, tamen recipi potest, si dicamus, auctorem horum versuum longe post Sedulium vixisse: quod fortasse a vero non abludit. Nonnulli enim interdum antiquiorum personam sibi sumebant, ut eorum nomine versus effunderent. In editione Romana Centonis Probæ ex recensione Julii Roscii *scribendum famulæ quem jusserat*, quod videtur factum, ut nomine feminæ compositum carmen id appareat. Verbo *jusserat* forte intelligitur a Roscio frater Honorii: nam Honorio dedicatum hoc poematium existimat.

6. Roscius e sua correctione, ut ego puto, *polos* pro *poli*.

7. Roscius eadem ratione immutavit *Expediet limo Christi hic tibi proferet*, ne scilicet hiatum admittat, aut vim consonantis aspirationi tribuat. Idem substituit *ortus* pro *ortum*.

9. Roscius, *pelagique vias*.

10. Editio Pisaur., *Hic fluctum:* Arntzenius, *Hic fluctuum*. Scribendum potius *Hic fluctum;* in hujusmodi enim casibus syncope adhiberi solet a poetis, cujus rei exemplum vide in Prolegom. ad Prudentium n. 215. Est autem *fluctuum*, sive *fluctum* genitivus nominis *jugum*, cui appositum est epitheton *famulare*, h. e., *servile*. Codex Aug., *Hic fructum* nullo sensu; nec melius Roscius, *Hic fractum*.

11. Roscius, *ducis;* alii, *crucis*.

14. Dempsterus in Hist. ecclesiast. Scotor. initio libri III ita corrigendum putat hunc versum *Arcadio ille suo generi, sic hæc tua semper*, fortasse ut effugiat hiatum in *Arcadio, hæc*. Sed usus poetarum ejus temporis erat, ut aspirationi vim consonantis, cum vellent, tribuerent, ut accidit supra vers. 6 et 7. In Bibliotheca Fabriciana medi et infimi ævi verbo *Sedulius* alio modo legitur idem versus sine hiatu *Arcadio: hæc legat ille tuo generi, hæc tua semper*, ubi etiam intruditur *tuo* pro *suo*. Genuina, et communior lectio ea est, quæ a nobis editur. Aliam conjecturam Norisii *Arcadiæ: hæc illa suo generi*, etc., neque ab auctore ipso probari dixi in Proleg. n. 36. In cod. bibliothecæ Angelicæ *semini* contra metrum pro *generi*. In editione Romana Centonis Probæ ex ingenio Roscii, ut arbitror, *hæc legat ille suo generi, hæc tua semper*.

[1] Æneid. V, 726:
Imperio Jovis huc venio, qui classibus ignem
Depulit, et cœlo tandem miseratus ab alto est.

[2] Æneid. III, 518:
Postquam cuncta videt cœlo constare sereno.

[3] Æneid, VIII, 373:
Incipit et dictis divinum aspirat amorem.

[4] Æneid. VI, 116:
Natique patrisque, Alma, —precor, miserere.

Ornare, et canere, paribusque in regna vocari[5]
Auspiciis, hinc progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quæ legibus occupet orbem.
Ne tamen in terris mortalia pectora turbet,
Ignotum numen, Deus æthere missus ab alto,
Mortalis visus potuit quantusque videri.
Virgo matura fuit jam plenis nubilis annis,[6]
Cui genus a proavis[7] *ingens, nomenque, de-*
[cusque:
Intemerata toris talem se læta ferebat,[8]
Casta pudicitiam miro servabat amore.[9]
Huic se forma dei, cœlo demissus ab alto[10]
Spiritus, intus alit, casto se corpore miscet.[11]
Ante tamen dubiam dictis solatur amicis:[12]
Alma parens, mundi Dominum paritura potentem,
Nam te digna manent generis cunabula[13] *sancti,* B
Vade, ait, o felix nati pietate, quocumque voca-
[ris,[14]
Auspiciis manifesta novis, hic vertitur ordo,[15]
Hujus in adventu fides, et fama perennis.[16]
Dixerat: illa pavens oculos suffusa nitentes,[17]
Suspirans, imoque trahens a pectore vocem,[18]
Virgo refert: Haud equidem tali me dignor ho-
[nore:[19]
Non opis est nostræ,[20] *nec fas, nec conjugis um-*
[quam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni:[21]
Sed post jussa Deum nihil est, quod dicta recusem.
A *Accipio, agnoscoque libens: sequor omina tan-*
[ta,[22]
Promissisque Patris[23] *exsequar cœlestia dona,*
Admiranda Dei tantarum munera laudum.
Panditur interea domus omnipotentis olympi[24]
Sideream in sedem, terras unde arduus omnes
Aspicit, et natum verbis compellat amicis:[25]
Nate, meæ vires, mea magna potentia solus,[26]
Nate, mihi quem nulla dies ab origine rerum
Dissimilem arguerit,[27] *comitem complector in*
[omnes.
Te sine nil altum mens inchoat: omnia mecum
Æternis regis imperiis,[28] *et quidquid ubique est.*
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus:[29]
Omnia sub pedibus, qua sol utrumque recur-
[rens[30]
Aspicit oceanum, vertique, regique videbunt.
Quæ tibi polliceor, neque est te fallere quid-
[quam,
Hæc tibi semper erunt vatum prædicta prio-
[rum:[31]
Nec mea jam mutata loco sententia cedit.[32]
Nascere, præque diem veniens age, lucifer, al-
[mum;[33]
Nascere, quo toto surgat gens aurea mundo.[34]
Unde etiam magnus cœlorum nascitur ordo;[35]
Nascere, ut incipiant magni procedere menses,[36]
Ne maneant nobis priscæ vestigia fraudis;[37]

SCHOLIA.

[5] Æneid. VII, 256:
Paribusque in regna vocari
Auspiciis, hinc progeniem virtute futuram
Egregiam, et totum quæ viribus occupet orbem.

[6] Æneid. VII, 53:
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.

[7] Æneid. XII, 225:
Cui genus a proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis.

[8] Æneid. I, 507:
Talis erat Dido, talem se læta ferebat.
Georg. II, 524:
Casta pudicitiam servat domus.

[10] Eclog. IV, 7:
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

[11] Æneid. VI, 726:
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

[12] Æneid. V, 770:
Excipit, ac fessos dictis solatur amicis.

[13] Æneid. III, 105:
. . . . *Gentis cunabula nostræ.*

[14] Eclog. III, 49:
. . . . *Veniam quocumque vocaris.*

[15] Æneid. III, 375:
Auspiciis manifesta fides, sic fata deum rex
Sortitur, volvitque vices, is vertitur ordo.

[16] Æneid. IX. 79:
Dicite: prisca fides facto, sed fama perennis.

[17] Æneid. I, 232:
. . . . *Oculos suffusa nitentes.*

[18] Æneid. I, 375:
Suspirans, imoque trahens a pectore vocem.

[19] Æneid. I, 339:
Tunc Venus: Haud equidem tali me dignor ho-
[nore.

[20] Æneid. I, 605:
Non opis est nostræ, Dido . . .

C [21] Æneid. IV, 339:
. . . *Aut hæc in fœdera veni.*

[22] Æneid. IX, 21:
. . . . *Sequar omina tanta.*

[23] Æneid. V, 863:
Promissisque patris Neptuni.

[24] Æneid. X, 1 seqq.:
Panditur interea domus omnipotentis olympi,
Conciliumque vocat divum pater atque hominum
[rex
Sideream in sedem, terras unde arduus omnes
Aspicit.

[25] Æneid. II, 372:
Inscius, atque ultro verbis compellat amicis.

[26] Æneid. I, 668:
Nate, meæ vires, mea magna potentia solus.

[27] Æneid. IX, 281:
. . . *Me nulla dies tam fortibus ausis*
Dissimilem arguerit.

D [28] Æneid. I, 234:
Æternis regis imperiis.

[29] Æneid. IX, 278:
Nulla meis sine te quæretur gloria rebus.

[30] Æneid. VII, 100 et 101:
Omnia sub pedibus, qua sol utrumque recurrens
Aspicit oceanum.

[31] Æneid. IV, 464:
Multaque præterea vatum prædicta priorum.

[32] Æneid. IX, 219.

[33] Ecloga VIII, 17.

[34] Ecloga IV, 9:
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.

[35] Eclog. IV, 5:
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.

[36] Eclog. IV, 12:
. . *Incipient magni procedere menses.*

[37] Eclog. IV, 31:
Pauca tamen suberunt priscæ vestigia fraudis.

Prospera venturo lætentur ut omnia sæclo. [38]
Aggredere o magnos, aderit jam tempus, hono-
[res : [39]
Aspera tum positis mitescent sæcula bellis, [40]
Pacatumque reges patriis virtutibus orbem. [41]
Haud mora, continuo Patris præcepta facessit: [42]
Æthere se mittit, [43] *figitque in Virgine vultus,* [44]
Nec mortale tuens, afflata est numine quando
Jam propiore Dei. [45] *Nam tempore eodem*
Matri longa decem tulerunt fastidia menses; [46]
Et nova progenies [47] *mox clara in luce refulsit.* [48]
Mox etiam magni processit numinis astrum, [49]
Stella facem ducens multa cum luce cucurrit. [50]
Ille dies primus lethi, primusque salutis [51]
Monstrat iter vobis ad eum, quem semper acer-
[bum [52]
Semper honoratum cuncti celebrate faventes.
Annua vota tamen [53] *noctem non amplius unam* [54]
Haud|segnes vigilate, viri, [55] *dapibusque futuris* [56]
Luce palam cumulate piis altaria donis. [57]
Hac vestri maneant in relligione nepotes; [58]
Jamque egomet venio, sedes arcemque reviso. [59]
Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta, [60]
Ore favete omnes, [61] *et huc advertite mentem.* [62]

A *E diverso sedem quotiens venietis* [63] *in unam,*
Undique collecti pacem laudate [64] *frequentes.*
Cogite consilium, coeant in fœdera dextræ, [65]
Qua datur pacis solum inviolabile pignus. [66]
Discite justitiam, æterna in pace futuræ
Concordes animæ, si non irrita dicta putatis. [67]
Nulla dies usquam memori vos eximet ævo: [68]
Mortalem eripiam formam, [69] *et præmia reddam*
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas. [70]
Non eritis regno indecores, nec vestra feretur
Fama levis, [71] *mecum pariter considite regnis.*
Urbem quam statuo, vestra est, [72] *intrare licebit.*
Nusquam abero, et tutos patrio vos limine sis-
[tam : [73]
Iidem venturos tollemus in astra nepotes. [74]

B *Quæ vero nunc quoque vobis, dum vita manebit,*
Præmia digna feram? non vobis numine nostro
Divitis uber agri, rerumque opulentia deerit. [75]
Fundit humo facilem victum justissima tellus, [76]
Proventuque onerat sulcos, atque horrea vincit: [77]
Floret ager, spumat plenis vindemia labris. [78]
Exuberat fetus ramos frondentis olivæ:
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbor
Induerit, totidem autumno matura tenebit. [79]

SCHOLIA.

[38] Eclog. IV, 52 :
Aspice, venturo lætentur ut omnia sæclo.
[39] Eclog. IV, 48 :
Aggredere o magnos, etc.
[40] Æneid. I, 295 :
Aspera tum positis mitescent sæcula bellis.
[41] Eclog. IV, 17 : C
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
[42] Georg. IV, 548 :
Haud mora, continuo matris præcepta facessit.
[43] Æneid. IX, 645 :
Æthere se mittit.
[44] Æneid. XII, 70 :
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus.
[45] Æneid. VI, 50 :
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Jam propiore Dei.
[46] Eclog. IV, 61.
[47] Eclog. IV, 7 :
Jam nova progenies.
[48] Æneid. II, 590 :
. . . *et pura per noctem in luce refulsit.*
[49] Eclog. IX, 47 :
Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.
[50] Æneid. II, 694.
[51] Æneid. IV, 169 : D
Ille dies primus lethi, primusque malorum
Monstrat iter vobis, etc.
[52] Æneid. V, 49 :
Jamque dies, ni fallor, adest, quem semper acer-
[bum,
Semper honoratum, sic dii voluistis, habebo.
[53] Æneid. V, 53 :
Annua vota tamen, solemnesque ordine pompas.
[54] Æneid. I, 687 :
Tu faciem illius, noctem non amplius unam
Falle dolo.
[55] Æneid. IV, 573 :
Præcipites vigilate, viri.
[56] Æneid. I, 214 :
Illi se prædæ accingunt, dapibusque futuris.
[57] Æneid. XI, 50 :
. . . . *vota facit, cumulatque altaria donis.*
[58] Æneid. III, 409 :
Hac casti maneant in relligione nepotes.
[59] Æneid. II, 760 :
Procedo ad Priami sedes, arcemque reviso.
[60] Æneid. III, 250.
[61] Æneid. V, 71 :
Ore favete, omnes . . .
[62] Æneid. VIII, 440 :
. . . . *et huc advertite mentem.*
[63] Æneid. XII, 446 :
Vidit ab adverso venientes.
[64] Æneid. XI, 460 :
Cogite concilium, et pacem laudate sedentes.
[65] Æneid. XI, 292 :
. . . . *Coeant in fœdera dextræ.*
[66] Æneid. XI, 363 :
Turne, simul pacis solum inviolabile pignus.
[67] Æneid. XII, 504 :
. . . *æterna gentes in pace futuras*
Concordes animæ, si non irrita dicta putatis.
[68] Æneid. IX, 446 :
Nulla dies umquam, etc.
[69] Æneid. IX, 101 :
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo
Æquoris esse deas.
[70] Æneid. VI, 639.
[71] Æneid. VIII, 231 :
Non erimus regno indecores, nec vestra feretur
Fama levis.
[72] Æneid. I, 576 :
Vultis et his mecum pariter considere regnis?
Urbem quam statuo, vestra est.
[73] Æneid. II, 620.
[74] Æneid. III, 158.
[75] Æneid. VII, 261 :
. . . . *Non vobis, rege Latino,*
Divitis uber agri, Trojæque opulentia deerit.
[76] Georg. II, 460.
[77] Georg. II, 518 :
Proventuque oneret sulcos, atque horrea vincat.
[78] Georg. II, 6.
[79] Georg. IV, 142 et 143 :
Quotque in flore novo pomis se fertilis arbor
Induerat, ... *tenebat.*

Non liquidi gregibus fontes, non gramina deerunt :
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet. [80]
Hæc sunt, quæ nostra deceat vos voce moneri. [81]
Vivite felices, et condita mente tenete. [82]
Hæc ubi dicta dedit, mox sese attollit in auras,
Suspiciens cœlum, caput inter nubila condit. [83]
Atque ita discedens terris, animisque suorum
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem. [84]
Ex illo celebratus honos, lætique minores [85]
Servavere diem, atque hæc pia sacra quotannis [86]
Matres, atque viri, pueri, innuptæque puellæ [87]
Carminibus celebrant, paterisque altaria libant. [88]
Ast ego, qui cecini magnum et mirabile numen,
Hæc eadem gentique meæ generique manebunt.

SCHOLIA.

[80] Georg. II, 200 :
Non liquidi . . . . . desunt.
Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.

[81] Æneid. III, 461 :
Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri.

[82] Æneid. III, 388 et 492 :
. . . . tu condita mente teneto.
Vivite felices, quibus est fortuna peracta.

[83] Æneid. IV, 176 et 177 :
. . . . mox sese attollit in auras,
Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.

[84] Æneid. VI, 746, 747.

[85] Æneid. VIII, 268, 269.

[86] Æneid. V, 59 :
. . . . Atque hæc mea sacra quotannis.

[87] Æneid. VI, 306, 307 :
Matres, atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri, innuptæque puellæ.

[88] Æneid. XII, 174:
. . . . paterisque altaria libant.

In hoc centonario carmine alicubi aut auctor, aut librarius peccavit: v. 11, *Virgo matura* male corripitur prima in *matura;* v. 20, plures abundant syllabæ; v. 22, producitur prima in *fides;* v. 25, fortasse legendum, *haud tali equidem*, et v. 28, *post jussa Dei*, et v. 30, *patris sequar hæc;* v. 50, in Bibliotheca Fabriciana med. ævi legitur *præstigia fraudis* pro *vestigia*, et v. 54, *regent* pro *reges*. Versus 58, *Jam propiore Dei. Nam tempore eodem* brevior est unô pede. Versu 73 corripitur ultima in *diverso*, et prima in *sedem;* v. 76, producitur prima in *datur*. Versus 78 abundat una syllaba; et falso Virgilio in nota ascribitur; duo prima verba, *Concordes animæ*, sunt ex lib. VI, vers. 827. Error etiam metri est in *quoque* v. 87, nisi legas *quæ;* in *exuberat* v. 93. Ad v. 17, in not. 12, versus Virgilii habere debet, *Quos bonus Æneas dictis solatur amicis;* ad v. 32, in not. 24, pro *Aspicit*, Virgilius habet *Castraque Dardanidum aspectat*. Ad v. 52, erat in not. 39, *Eclog.* VI, restitui *Eclog.* IV, et ad v. 53, in not. 40, notabatur versus 195, pro 295, atque ita alios numerorum errores sustuli. Ad v. 63, in not. 51, non sunt verba Virgilii *Monstrat iter vobis*, sed *Causa fuit*. In editione Martenii v. 30 est *patri exsequar* pro *patris exsequar*.

B Leges Centonis, quas alii statuunt, auctor hujus carminis aut ignoravit, aut neglexit : conjungit enim aliquando duos Virgilii versus, ut apud hunc exstant uniti. Vide not. 84. Docet autem Ausonius in epistola ad Paulinum, id non licere; qui Centonem sic definit: *Variis de locis, sensibusque diversis quædam carminis structura solidatur in unum versum, ut coeant aut cæsi duo, aut unus, et sequens cum medio. Nam duos junctim locare ineptum est, et tres una serie, meræ nugæ.* Alia addit Ausonius, quæ Julius Roscius illustrat in tractatione, quam carminibus Lælii et Julii Capilluporum attexuit. Consuli etiam potest Possevinus Biblioth. select. tom. II, lib. XVII, cap. 24, qui observat centones Lælii Capilupi, propter verba quædam a nostræ religionis more aliena, et alia quædam licentiora illorum temporum prohibitos fuisse; ac rursus purgatos prodiisse, quibus suos adjunxit Julius Capilupus, patruo Lælio nihilo inferior. In exemplum Possevinus profert centonem Julii ad B. Virginem Lauretanam: in quo tamen nonnullum verbum excidit a
C religionis nostræ more alienum, ut v. 4, *Quæ nunc ætherios inter dea candida nimbos*. Dixi de hoc epitheto *deæ* in not. ad epigramma Sedulii, quod ne in centone quidem Deiparæ attribui velim. His, opinor, de causis Gelasius Centonem de Christo Virgilianis compaginatum versibus inter apocrypha retulit, secutus fortasse S. Hieronymum, qui in epist. ad Paulinum ait: *Quasi grande sit, et non vitiosissimum dicendi genus depravare sententias, et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem. Quasi non legerimus Homerocentonas, et Virgiliocentonas, ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum ; quia scripserit : Jam redit et Virgo*, etc .. *Puerilia sunt hæc, et circulatorum ludo similia, docere, quod ignores.*

CARMINA EPIGRAMMATICA.

Epigramma Turcii-Rufii Asterii, qui Sedulii carmina collegit, sive dedicatio carminum.

Sume, sacer meritis, veracis dicta poetæ,
Quæ sine figmenti condita sunt vitio.
Quo caret alma fides, quo sancti gratia Christi,
Per quam justus ait talia Sedulius.

SCHOLIA.

1. De Asterio auctore hujus epigrammatis disputatum fuit in Prolegom. n. 136 seqq. In 1 versu recentes editores ex cod. Cant. legunt *pater meritis*. Barthius, Sirmondus, Labbeus e suis mss., codices nostri, et alii, *sacer meritis*, et accipi potest *sacer* substantive pro *sacerdos*, de qua significatione dixi in Prolegom. n. 156, ubi alias meas conjecturas de hoc versu exposui. Arntzenius tenuit *pater*, quamvis ejus quoque codex referat *sacer*; ait enim, jam hoc titulo *patris* ornatum a Sedulio fuisse Macedonium in epistola dedicatoria, *Priusquam me, venerabilis pater,*
D etc. Levis tamen est hæc conjectura. Cellarius cum Sirmondo edidit *veracia :* reliqui omnes habent *veracis*, quod aptius cohæret cum vers. seq.

2. *Figmenti;* respicit Asterius versum Sedulii 17 l. I, *Cum sua gentiles studeant figmenta poetæ*. Paulinus carm. 10 ad Ausonium, *Figmenta vatum nubilant*.

3. In not. ad Gyrald. de Poet. legitur *Quo calet ;* corrige, *Quo caret*. Arntz., *sancti quo;* alii, *quo sancti*.

4. Reg. 2, *justus tot talia;* alii, melius, *justus ait talia*.

Asteriique tui semper meminisse jubeto,
Cujus ope et cura edita sunt populis;
Quem quamvis summi celebrent per sæcula fastus,
Plus tamen ad meritum est, si viget ore tuo.

Belisarii Scholastici Acrostichis de Sedulio.

Sedulius Christi miracula versibus eden
Micat, invitans parvæ ad solemnia mensa
Dignum convivam: non hunc, qui carperet illu

SCHOLIA.

5. Wilhof. Præmet. cap. 8, p. 108, satis acute reponebat *juvet te* pro *jubeto*. Frequentissima est hæc phrasis *juvat, juvet, juvabit meminisse*. Obstant veteres omnes libri, quorum scriptura explicari ita potest: *Jubeto alios semper meminisse Asterii tui*. Similis est sententia ejusdem Asterii, qui in epigrammate, quo emendationem suam Virgili refert, sic ait: *Asteriumque suum vivax transmittit in ævum*.

6. Cod. Arntz., *cura hæc edita*, ut legendum conjecerat in margine editionis suæ Burmannus. Barthius malebat *cura didita*. Sed proba est scriptura communis *cura edita;* nam Sedulius, ut alii passim, hiatum interdum admittit, præsertim in pentametro post duos primos pedes.

7. Arntz., *Quæ*, ut legitur etiam in not. ad Gyraldum. Vera lectio est *Quem*, nempe Asterium. Codex B. minus bene *celebrant*. Reg. 2, *factos*, corrupte. Cellarius, cum nonnullis, *fasti;* plerique, *fastus;* est enim *fastus* secundæ et quartæ declinationis: ex quo accidit, ut sæpius unum pro altero in mss. ponatur. Labbeus de Script. eccles. tom. II, pag. 325, edidit *fasti*, sed ex ms. S. Albini profert *fastus*. Mendum in cod. Thorneyensi, et in cod. B. *factus* arguit *fastus*.

8. Cod. B. omittit *est:* Barthius alibi omittit, alibi recipit. Inter inscriptiones Gruteri pag. 1172, n. 6, epigramma exstat similis sententiæ: *Quamquam patricio clarus de germine consul — Illustres trabeas nobilitate tuas, — Plus tamen ad meritum crescit, quod morte beata — Martyris effuso sanguine nomen habes*. Suspicari possis *nobilitate tua:* sed in codice Vatic. Palat. 833, ex quo Gruterus hanc, et plerasque inscriptiones christianas deprompsit, eodem modo legitur. Gallandius in dissert. de Sedulio ad tom. IX Biblioth. Patrum, putat Asterium loqui hoc disticho de Sedulio; sed manifestum est loqui de seipso, scilicet *Quem Asterium*, etc. Nam *fastus*, sive *fasti summi*, qui per sæcula nomen alicujus celebrant, sunt certe fasti consulares. Illud potius quærendum videtur, idemne Asterius credendus sit auctor epigrammatis inter Gruteri inscriptiones relati, et quisnam sit martyr consul, qui illis versibus laudatur. Sensa quidem eadem, idem stylus, et idem pietatis gustus in utroque epigrammate percipiuntur. In epigrammate etiam, quo Asterius suam Virgilii correctionem exposuit, simile aliquid cernitur: nam pariter *trabeas* vocat consulatum: *Asteriumque suum vivax transmittit in ævum*, — *Qui partas trabeis tam bene donat opes*. Hoc autem verbum simili significatu Claudianus, et alii adhibent. Censeo tamen, utriusque epigrammatis, *Sume, sacer*, et *Quamquam patricio*, eumdem fuisse auctorem Asterium, vel, si duo auctores diversi fuerint, alterum ex altero profecisse. Martyr vero consul epigrammate, *Quamquam patricio*, celebratus, videtur esse dictus Florus ex duobus distichis sequentibus: *Adjunctusque Deo, tota quem mente petisti, — Assertor Christi sidera jure coles. — Sit, precor, acceptum, quod post dispendia belli — In melius famulus restituere Florus*. Obscura tamen sententia est ultimi distichi, quod fortasse in mendo cubat. In Martyrologio Romano nomen Flori notatum invenio ad diem 22 decembris: *Apud Ostia Tiberina Sanctorum martyrum Demetrii, Honorati, et Flori*. An autem alicubi constet de aliquo consule Floro, sive alio nomine, cui descriptum epigramma possit convenire, incertum mihi est. Ex ultimo versu epigrammatis de Sedulio confirmatur conjectura mea, exposita n. 156 Prolegom., carmina Sedulii Gelasio ab Asterio hoc epigrammate dedicata fuisse: siquidem in neminem alium melius cadit elogium Asterii, qui plus ad meritum, quam consulatus honorem, sibi esse dicit, quod vigeret ore ejus sacerdotis, cui versus Sedulii offerebat.

1. Quisnam videatur esse Belisarius hujus epigrammatis acrostichi auctor, dictum est in Prolegom. num. 163. Hoc, et sequens epigramma alii alio ordine referunt. In Reg. I, pag. ult., charactere minutiori post Asterii versus, *Sume sacer*, sunt epigrammata hæc sine ullo titulo, sed prius epigramma Belisarii, tum Liberii. In Reg. 2, et 3, similiter sine auctorum nomine, et eodem ordine describuntur. In Reg. 6, sub epigraphe *Versus Belesarii scholastici*, utrumque epigramma comprehenditur, eodem ordine retento. Idem quoque accidit apud Mabillonium Veterum Analect. p. 386, edit. Parisiens. 1723, et pag. 361 primæ edit. in 8. tom. I ex veteri ms. codice Corbeiensi, sed apud hunc titulus est *Bellesarii Scholastici versus acrostichi de Sedulio poeta*. Ott. 1 solum exhibet epigramma Belisarii, *Sedulius Christi*, sed tacito auctoris nomine. Ott. 2 præmittit versus Liberii, et addit versus Belisarii: sed sub unico titulo, *Nomen Sedulii Antistitis in principio, et fine metri*. Plerique editi hunc ordinem servant. In duobus mss. Barthii idem videtur esse ordo: et in eorum mss. altero titulus huic epigrammati est: *Belisarii Anacrostichis de Sedulio:* quod glossæ sic interpretantur: *Acrostichis est, cum ex primis versuum litteris aliquid connectitur. Anacrostichis est cum ex primis et ultimis versuum litteris aliquid connectitur*. Vide Advers. l. LIII, c. 5, ubi Barthius varias lectiones ex duobus mss. et duabus antiquis editionibus profert. Ea vero parte, qua aliquando ex postremis litteris versuum aliquod nomen efficitur, carmen solet telestichis vocari. Hoc autem carminis genus, etsi majestate Latinæ poeseos parum est dignum, tamen aliquando ab Ennio usitatum fuisse, et in Sibyllinis versibus consimilem formam reperiri colligitur ex Cicerone l. II de Divin. cap. 5. Sibyllæ versus de judicio, *Judicii signum*, etc., qui frequenter apud Patres, veteresque scriptores occurrunt, cum Græce, tum Latine exarati, acrostichidam formam referunt. Usus quoque hoc genere est S. Eugenius Toletanus, S. Damasus De Jesu nomine, S. Columbanus, Ademarus monachus in Veter. Analect. Mabillonii tom. I, Aldhelmus, Optatianus Porphyrius in Panegyrico Constantini, Rabanus Maurus in laudem crucis, Abbo, Arnolfus Emmeramensis, et Sidonius, cui plerique tribuunt argumenta præfixa Plauti comœdiis. Inscriptio apud Fabrettum, c. 9, n. 290, eodem artificio composita est. Plures similes inscriptiones indicat Sarazanius in not. ad carm. VII Damasi. Confer etiam Browerum in not. ad Rabanum, pag. 111. Cellarius contulit hoc epigramma cum ms. Alm., in quo scribitur *Bellesarius*.

2. Duo mss. Barthii, *parva:* plerique mss., *parvæ*, quod melius est, ut in præf. metrica v. 5 dicitur *modica mensa*. Plerique editi, *parva*. Sedulius loc. cit., *Sed modicæ contentus adi solemnia mensæ*.

3. Ott. 2, *convivium:* emenda *convivam*. Reg. 2, *caperet:* corrige *carperet*. Codex Barthii, *cappit et*, unde fortassis aliud quid exsculpserit quispiam, ait Barthius. In Ott. 2, simile quid exstat *non hunc, qui carpis et illud*. Suspicor Belisarium scripsisse *non hunc, qui carpserit illud*.

V ix quod nobilium triplici fert aula parat V A
L ætum quod ponit sub aurea tecta tribuna L
I n quo gemmiferi, totque aurea vasa, canistr I
V vida pro modico portant sibi prandia vict V
S ed quod olus vile producit pauperis hortu S
A t post delicias properant qui sumere magn A
N ituntur parvum miserorum spernere germe N
T antum quod nihil est, dum convescendo tumesci T
I nsidias membrisque movens, animæque luent I
S i tamen his dapibus vesci dignantur egeni S
T emnat divitias animus, paucisque quiesca T
E xemplo assumptus Domini, qui millia quinqu E
S emotis cunctis, modicis saturavit ab esci S

* Liberii Acrostichis de Sedulio.

S edulius Domini per culta novalia pergen S
E n loca prospexit multo radiantia flor E
D iscurrit per prata libens : quo gramine Davi D

SCHOLIA.

4. Alm. *Vix ad ;* sic etiam Reg. 6, sed deest sensus. Reg. 2, *Vix quam :* vera lectio est *Vix quod.* Duo mss. Barthii, et plerique nostri *triplici fert.* Reg. 2, *præfert triplici.* Reg. 1 corrupte, *Vix quod nobilium triplici profert aulæa paratu :* uno pede longior sic versus evadit. Biblioth. Lugd., *nobilium proferet triplici aula* contra metrum. Plerique editi *nobilium profert triplici aula.* Auctor præ oculis habuit præfationem Sedulii, adeoque triplicem paratum videtur agnoscere in mensis nobilium, quia Sedulius ait : *Illic invenies, quidquid mare nutrit edendum, — Quidquid terra creat, quidquid ad astra volat.* Gallandius merito damnat, *profert triplici aura,* quod verbum *aura* nescio ubinam invenerit.

5. Reg. 1 mendose, *spondit* pro *ponit.* Reg. 2, 5, Alm., codex Mabillonii, Ott. 2, *quod ponet sub.* Codex Barthii, *ponit subque.* Plerique editi, *quod ponitque sub.* Ott. 2 cum Poelm., *quod ponit sub aurea.* Hæc scriptura retinenda est : nam *ponitque sub*, aut *ponit subque* ab illis intrusum est, qui noluissent *sub* produci. Verum in not. ad Dracontium et Juvencum sæpe ostendi, monosyllaba omnia, quæ brevia vulgo censentur, produci posse.

6. Reg. 3, *tot quæ aurea :* alii *totque aurea.* Hic etiam fortasse abundabit *que* in *totque :* sed retineri potest, nam in prologo metrico Sedulii etiam distinguuntur *gemmiferi canistri*, et *vasa aurea.*

7. Reg. 1, 3, 6, Ottob. 1, duo mss. Barthii, *Uvida.* Ott. 2 cum editis, *Vivida.* Alm., *Vita*, male : nec melius Mabillonius *Vivi.* Reg. 2, *pro modica*, vel *permodica :* Reg. 3 obscure etiam in compendio litterarum, *permodico* vel *præmodico ;* alii, *pro modico.* Duo mss. Barthii, *pro modica*, et postea, *vita* pro *victu.* Duo mss. Barthii, Alm., Mabillonii codex, omnes nostri, *prandia :* editi, *gaudia.* Sunt autem *uvida prandia* mensæ secundæ, de quibus Sedulius in prologo metrico. Eædem mensæ secundæ vocantur modicus victus, scilicet comparatæ ad triplicem paratum.

8. Reg. 2, *Sed quod olus ille*, codex unus Barthii, *Sed quod illud vile :* utrumque mendosum : editi nonnulli, *Sed quod olus vilis,* quod tenuit Arntzenius : alii cum plerisque mss., *Sed quod olus vile*, producta ultima in *vile* vel ratione cæsuræ, vel ob duas consonantes dictionis sequentis. Hanc esse veram lectionem confirmat prologus metricus Sedulii v. 15 seq., ubi *olus exiguum* dicitur in eadem metaphora. In Alm. sic corruptus est hic versus, *Sed olus vile producit pauperes ortus.*

9. Barthii codex unus, *Aut post;* alter cum Mabill., Reg. 1, 3, 6, *At post :* eodem spectat Reg. 2, *Ad post.* Editi, *Ac post.* Ott. 2 mendose, *Apud dilicias.*

10. In Ott. 2, *Nitimur*, ut videtur : sed error est. Edimb. et quædam aliæ editiones, *gramen :* Poelm. cum mss., *germen.* Arntzenius edidit *germen*, sed in notis ait, magis sibi placere *gramen.*

11. Barthii codex unus, *Tutum qui nihil est, dum nil est ventre tumescit*, alter cum Ott. 1 et Fabricio, *Tutum quod nihil est dum nil cum ventre tumescit.* Sic Alm., sed *quod nil est*, et Reg. 2, sed *nil in ventre :* sic etiam plures editi, sed *Tantum quod nihil est.* Mabillonii codex cum Reg. 1, *Tantum quod nihil est, dum cum nil ventre tumescit.* Reg. 3, 6, *Tutum quo nihil est, dum nil cum ventre tumescit.* Ott. 2, *Tutum quod nihil est, dum convescendo tumescit.* Nulla ex his lectionibus satis placet : neque tamen invenio, quid placere possit. Fortasse melius videbitur, *Totum quod nihil est, dum nil cum ventre tumescit*, vel, *Totum quod nihil est, nihilum dum ventre tumescit*, quia scilicet sine cibo venter aliquando tumescit. Ex Reg. 2, cod. Mabillonii, et Ott. 2, hæc probabilior scriptura colligitur, *Tantum quod nihil est, dum convescendo tumescit :* scilicet quod germen, sive olus, pauperum cibus, propemodum nihil est, et solum inflat, insidias movens membris, animæque *luenti*, vel ex conjectura *fluenti.* Depravatus enim est etiam versus sequens. *Tantum quod* pro vix, propemodum, usitatum est. Cicero Verr. 3, cap. 45 : *Tantum quod hominem non nominat, causam quidem totam perscribit.* Suetonius in Neron. cap. 6, *Natus est* XVII *Kal. Januar. tantum quod oriente sole.* Vide alia in Partic. Tursellini c. 192.

12. Reg. 2, *Insidiis :* alii, *Insidias.* Alm., Reg. 1, 3, 6, Mabill., Ott. 1, 2, *membris movens*, quod est contra metrum. Codex unus Barthii, *ventrisque movens.* Editio Edimb., *membris implens*, Ottob. 2, *membris moveat :* plerique editi *membrisque movens.* Reg. 2, *membris, animæ ;* deest *movens*, aut aliud verbum. Alm., Mabillon., Reg. 1, 2, 3, Ott. 2, *animæque ludenti*, quod ratio metri non patitur. Reg. 6 mendose, *animæ qui ludenti.* Ott. 1, *animæ ludenti*, quod versum spondaicum faceret. Edim., *animæque vaganti.* Fabr., *animæque ruenti :* neque Barthius lectiones ab hac Fabricii discrepantes animadvertit. Plerique editi, *animæque luenti.*

13. Mabill., Edimb., *dignatur*, Alm., *dignatus ;* alii, *dignantur.* Arntzenius Mabillonio et editioni Edimb. tribuit *egeni :* sed Mabillonius exhibet *egenis*, quod telestichis exigit. Sæpe ita labi Arntzenium in iis quæ contulit, notandum est.

14. Alm., *Temptat :* corrige, *Temnat.* Poelm. mendose, *divitas* pro *divitias.*

15. Mss. Barthii et nostri cum Alm., Poelm., Fabr., *assumptus :* Ott. 1 perperam, *assumpsit.* Nonnulli vulgati, *assumpto.* Reg. 3, *quo :* alii, *qui.*

16. Poelm., Fabric., *satiavit :* alii editi cum omnibus mss., *saturavit.*

* In uno Barthii codice non Liberius, sed Libertus dicitur auctor : inscriptio enim hæc est, *Liberti anacrostichis de Cœlio Sédulio*, cum glossa initio versuum Belisarii descripta.

1. In optimo libro Barthii et Mabill., *per cuncta*, quod exponit Barthius, quia Sedulius miracula undique allecta descripsit. Reliqui omnes, *per culta novalia*, quod poeta sumpsisse videtur ex Virgilio ecl. I, vers. 71 : *Hæc tam culta novalia.* Reg. 6, *gaudens :* alii melius, *pergens.*

2. Duo mss. Barthii, Mabill., *prospexit.* Reg. 1, *perspexit :* alii mss. in nexu litterarum, vel *perspexit*, vel *prospexit.* Editi variant : alii, *prospexit* cum Poelm.; alii, *conspexit* cum Fabricio. Reg. 2 et 6, *radientia :* corrigendum *radiantia.*

3. In Reg. 2, *per prata*, obscurum est in compendio litterarum. Ott. 2 mendose, *per petra.* Reg. 2, et codex Mabillonii, *quod :* alii mss. cum editis, *quo.* Ex hoc loco corrigi potest carmen 61 Eugenii To-

V idit divino modulantem carmina cant V A *T unc sua Davidicus delectus plectra poposci* T
L audes hoc psallente viro, refluit cythara me L *I rrita polluti contemnens numina mund* I
I lle ubi grandisoni captus dulcedine plectr I *S igna crucis fronti ponit, breviterque triumpho* S
V ritur, et celeri graditur per lilia pass V *T angit, Christe, tuos, numerosaque præmia liba* T
S acratosque iterum late conspexit amœno S *E rgo dum vario decorat sua rura color* E
A eterna Christi fluvios quos abluit und A *S tabunt hi gracili ducti testudine versu* S.
N ec passus torpere diu doctoris acume N

SCHOLIA.

letani l. I. *Ut timeas Dominum legis præcepta secutus, — Maxime Daniticos debes percurrere campos, — In quibus æterno latices de fonte manantes — Invenies.* Legendum *Davidicos*, vel *Daviticos*, pro *Daniticos*. Barthius *per prata* interpretatur de paupere horto Sedulii, cujus is meminit in prologo metrico. Melius intelligens de sacris litteris. Alludit enim Liberius ad verba Sedulii in epistola ad Macedonium: *In herbam florei cespitis revolvi vestigia.* Nam ex ea epistola, et ex l. I Carm. Pasch. multa huc deducta B sunt.

4. Duo mss. Barthii, *moderantem*. Huc pertinet mendum in Ott. 2, *moderantia*. Communis scriptura *modulantem* multis similibus exemplis comprobatur. Poelm. perperam, *carmine* pro *carmina*.

5. Reg. 2, 3, 6, codex Mabillonii, unus ms. Barthii, Poelm. cum aliis editionibus antiquis, *Laudabili psallente viro*, quod lex metri respuit: nam secunda in *Laudabili* est longa. Fabricius et plerique editi, *Laudato psallente viro*, quod ex conjectura ab aliquo correctum videtur, ut versus constet. Arntzenius conjiciebat *Laudando*. Barthius in uno suo codice invenit, *Laudis hoc psallente viro*, ac locum ex his varietatibus suspicatus est vitiatum esse. In Reg. 1 sic legitur, *Laudis ceu psallente viri;* in Ott. 2, *Laudis et psallente viri*. Neque in reliquis verbis consentiunt codices. Nonnulli mss., et plerique editi, *refluit citharæ mel:* Reg. 1, Ott. 2 cum Poelm. et aliis editis, *refluit cithara mel*. Mabillonii codex et C Reg. 6, *refluunt citharæ mel*. Reg. 2 vitiose, *refluunt cicerea mel:* corrupte etiam Reg. 3, *refluantque cere mel*. Puto legendum, *Laudes hoc psallente viro, refluit cithara mel:* nam antiqui *laudis* scribebant pro *laudes*. Accipio autem *cithara* in auferendi casu. Pro *hoc* non male est *et*, nempe et viro David psallente laudes, refluit mel cithara.

6. Fabric. et quædam aliæ editiones, *grandisono*: sensus cum mss., et plerisque editis exigit *grandisoni*. Ott. 2, *cantus*: corrige *captus*. Reg. 2, *pulchri:* legendum *plectri*. Liberius verbum *grandisonus* a Sedulio, lib. 1, v. 18, mutuatur: quod apud antiquiores non reperitur.

7. Multi editi, præsertim recentiores, *Utitur*. Duo mss. Barthii, et omnes nostri cum Poelm. et aliis veteribus editionibus, *Uritur*, quod probat Burmannus Secundus. In Ott. 2 pro, *et celeri*, mendum est, *excellere*.

8. Tres libri Barthii, Poelman., *lacte;* Reg. 3, *lite;* plerique mss., et editi, *late*. Reg. 1, 2, 3, Ott. 2, Ma- D bill., *conspexit;* alii, *prospexit*. Tres libri Barthii, Poelm., *amomos:* cæteri *amœnos;* neque facile invenietur *amomus* masculini generis. Conjicere libet, *Sacratosque iterum lucus prospexit amœnos,— Æterna Christi fluvius quos abluit unda.*

9. Reg. 3, *Æterno;* Reg. 6, *Æternam:* corrige *Æterna*. Pro *fluvios* modo dixi ex conjectura legi posse *fluvius:* in mss. sæpe *us* in *os* mutatur, ac veteres aliquando nominativum secundæ declinationis in *os* terminabant. Pro *abluit*, Reg. 6 exhibet, *adluit:* ac fortasse melius est *alluit*, quam *abluit*. Ex diphthongo *æ* sumitur ad legem acrostichi carminis prima vocalis *a* in *æterna*. Sic etiam in inscriptione acrosticha, quam referunt Muratorius 1903, et Bonada class. 10, num. 27, in versu *Æterno regi*. Ita autem concludit ea inscriptio: *Nomina Sanctarum, lector, si forte requiris, — Ex omni versu te littera prima docebit.— Hunc posuit titulum neptis Taurina sacratum*. Nomina sunt *Licinia, Leontia, Flavia, Ampelia*. In versibus Belisarii contrario modo ex diphthongo *æ* v. 2, *solemnia mensæ*, sumitur *e*, ut telestichis servetur.

10. Reg. 2, 3, codex Mabillonii, *Nam:* melius *Nec*, vel, ut Reg., 6 profert, *Non*. Libri Barthii, *torpore* pro *torpere*. Poelm., *ductoris:* sic etiam libri Barthii, quibus male Arntzenius affingit *doctoris*. Nostri cum B plerisque editis, *doctoris*, quod longe melius est. Conferri hæc possunt cum verbis epistolæ ad Macedonium: *Sed torpor cordis obtusi*, etc.

11. Libri Barthii, *Non sua:* acrostichis et sententia exigunt *Tunc sua*. Reg. 1, 2, 3, 6, codex Mabillonii, *Davticus dilectus:* libri Barthii, *Davidicus delectus*. Ott. 2 mendose, *Davitico dilectra*, correctum *dilectu*. Editi plerique, *Davidico delectu*. In mss. sæpe scribitur, *Daviticus* pro *Davidicus*. Similiter in mss. sæpe reperitur *dilectus* pro *delectus*, et utroque modo recte scribitur. Ac fortasse hoc loco *dilectus* non est nomen substantivum, sed adjectivum, ut *dilectus Davidicus* sit amatus Davidicus, quod tamen vix bono sensu explicari potest. Utrolibet modo sententia eadem constat: sed verior videtur scriptura *Davidicus delectus*. Hæc liberius exprimere videtur ex l. I, v. 23 seqq., *Cur ego Davidicis*, etc.

12. Reg. 2, 3, 6, codex Mabillonii, *contemnens:* C alii cum editis, *contempsit*. Contra idolorum cultores disserit Sedulius lib. I, v. 242 seqq.

13. Sedulius l. I, vers. 343: *Et fixum est in fronte decus, decus, armaque porto*, etc.

14. Ott. 2, *numero qui præmia*. Reg, 1, 2, codex Mabillonii, *numerosaque præmia*. Reg. 3 male, *numeros atque præmia*. Reg. 6 pejus, *numeros sacri præmia*. Editi, *numerosaque prælia*, neque Barthius ullam varietatem in suis mss. notat. Sed restituendum est *præmia:* est enim præmium quodcumque commodum, seu utilitas. Lucretius l. v, vers. 4: *Qui talia nobis — Pectore parta suo, quæsitaque præmia liquit*. Miracula Christi, quæ a Sedulio sæpe *munera* dicuntur, his verbis indicantur.

15. Ott. 2, cum editis, *Ergo his dum;* plerique nostri mss., *Ergo dum* sine *his*. Multæ editiones veteres, *decorat sua membra;* duo mss. Barthii, Ott. 2, cum aliis editis, *decorat sua rura:* quo pertinet mendum in Reg. 1, *decorat sua sura*. In Reg. 6 sic vitiatus est hic locus, *decoratu erarva*, ubi lego *decorat* D *vera arva*, quod non est contemnendum. Corrupti etiam sunt codex Mabillonii, *decorat vera colore;* Reg. 2. 3, *decorat vera sua colore*.

16. Reg. 1, *in;* lege *hi*. Codices omnes mss., etiam Barthii et veteres editi, *garrula:* Poelmannus cum Reg. 3, 6, ms. Mabillonii, scribit *garula*, ut prima corripi possit. Fabricius et pleræque aliæ editiones, *gracili*. Barthius et Burmannus secundus censent, *garrula*, a glossemate descendere. Mabillon., *dicti;* Reg. 2, *dicta:* corrige *ducti*. Barthius, cum duo hæc carmina Belisarii et Liberii ad duos mss. codices aliosque duos editos contulisset, verba quædam addidit, quæ potiori jure usurpare ego possum: *Et spinoso hoc labore gratulor me defunctum. Sunt qui grata talia habent, sunt qui ingrata. Ego annotata in medio relinquo. Omnino autem melius puto, tales quisquilias etiam exstare: cum auctorum priscorum etiam*

Epigramma de tabula orbis terrarum jussu Theodosii Junioris imp. facta.

(Ex antholog. H. Meyeri Lipsiæ cusa.)

Hoc opus egregium, quo mundi summa tenetur,
Æquora quo, montes, fluvii, freta, portus et urbes
Signatur, cunctis ut sit cognoscere promptum,
Quidquid ubique latet, clemens genus, inclyta proles,
Ac per sæcla, pius, totus quem vix capit orbis,
Theodosius princeps veneran'o jussit ab ore
Confici, ter quinis aperit cum fastibus annum.
Supplices hoc famuli, dum scribit, pingit et alter,
Mensibus exiguis, veterum monumenta secuti,
In melius reparamus opus culpamque pricrem
Tollimus ac totum breviter comprendimus orbem :
Sed tamen hoc tua nos docuit sapientia, princeps.

SCHOLIA.

minima quæque emendatissima legi debeant : ut a quibus descendat fons omnium doctrinarum. Nec sit fere ullum eorum tam tenue monumentum, quin aliquid tamen ex eo discere possis. Quoniam propositum est nihil antiquitatis, ut ait ille, ignorare.

DECRETUM DE LIBRIS RECIPIENDIS, ET NON RECIPIENDIS,

Ex monumentis ineditis illustratum.

MONITUM.

Ex Prolegomenis num. 150 seqq. constat, in quot ac quales difficultates historici, aliique viri critici incurrerint ob Sedulii elogium, quod in decreto de libris recipiendis et non recipiendis legitur. Dignum sane est venerandum hoc antiquitatis ecclesiasticæ monumentum, quod a docto aliquo viro commentario peculiari illustretur. Quantum quidem in me est, curabo ut illud hic exhibeam ad plura exemplaria mss. recognitum et emendatum. Chiffletius illud edidit in notis ad opusculum 3 Vigilii Tapsensis, Fontaninus in Append. Antiquit. Hortæ pag. 317, Blanchinus in Prolegomenis ad tom. IV Anastasii opusc. 3, et Mansius in Supplem. Conciliorum. Majoribus copiis ego instructus, nec minus opportuno loco plura in eamdem rem conferam, eo etiam consilio ductus, ut aliqua ex parte, si possim, amicorum meorum conatus adjuvem, qui Bononiæ operam historiæ ecclesiasticæ concinnandæ non perfunctorie navant. Tres autem partes statuam : in hac prima Concilium Romanum, Damaso pontifice celebratum, ex codice ms. Vaticano describo ; in altera Decretum Gelasianum (a quibusdam S. Damaso attributum) *ad vetera exemplaria recensebo ; in ultima ex antiquis membranis Vaticanæ bibliothecæ periphrasin quamdam ejusdem Decreti nondum vulgatam expromam.*

PARS PRIMA.

* *Concilium urbis Romæ sub Damaso papa celebratum. De explanatione fidei catholicæ* [a].

Dictum est, prius agendum de Spiritu septiformi, qui in Christo requiescit, Spiritus sapientiæ [b] :

SCHOLIA.

* Quamvis hoc Concilium inter opera S. Damasi in tomo XIII Patrologiæ nostræ jam antea editum sit, eamdem tamen relationem media fere parte amplificatam, notisque doctissimi Arevali illustratam hic loci rescribere non dubitavimus. EDIT.

[a] In codice Vaticano chartaceo in 4, num. 349, inter alia miscellanea exstat hoc Concilium descriptum, ut initio notatur, *ex bibliotheca Vaticana*. Holstenius primam ejusdem Concilii partem vulgavit usque ad verba, *et annuntiabit vobis*, ex codice Vaticano 5845. Exstat idem Concilium in codice ms. bibliothecæ Casanatensis D. IV, 23, pag. 46, sæculi XI, cujus Ballerinii meminerunt tract. de antiq. collect. canon. part. II, cap. 11, § 5. Baronius ad ann. 69, num. 4, in suo codice collectionis Canonum Crescon ianæ pag. 236 reperiri affirmat Concilium Romanum sub Damaso de libris apocryphis (intelligo de scripturis canonicis), ex quo verba quædam profert, *Post has omnes propheticas*, etc., usque ad *Domino consecrarunt*, quæ in decreto Gelasiano repetita esse animadvertit. In codice capituli Veronensis sæculi IX vel X, sub titulo, *De Concilio in urbe Romana sub Damaso papa edito* describuntur verba, *Post has omnes propheticas*, etc. *Explicit Concilium sub Damaso papa.* Constantius tom. I Epist. Roman. Pontif. col. 503 commemorat codicem bibliothecæ Regiæ Parisiensis, in quo idem Concilium sub Damaso celebratum reperitur. Codex Florentinus S. Marci sæculi X primam partem usque ad verba *et annuntiabit vobis* Damaso ascribit, et deinceps sub Gelasii nomine decretum Gelasianum profert. Primus, quod ego sciam, integrum Concilium sub Damasi nomine ex collectione canonum Diessensi, confecta circiter medium sæculum VII, et descripta circiter medium sæculum VIII, Eusebius Amortius tom. II, pag. 476, edit. August. Vindel. element. jur. canon., et tom. I, p. 421, edit. Venet. 1763, vulgavit, ex quo illud recudit doctissimus vir Franc. Antonius Zacharias de Prohib. libr. ad annum 379, quo celebratum fuisse Concilium creditur. Magna est scripturæ varietas in mss. codd., ut patebit ex collatione. Vatic. 1, sive num. 349, *Incipit Concilium*, etc., ut in titulo. Vat. 2, sive num. 5845 : *Incipit..... sub Damaso. De explanatione fidei.* Codex Casanat. et Parisien., *Incipit... sub Damaso papa. De explicatione fidei.* Cod. Diess. : *Incipit... sub Damaso papa, De explanatione fidei.* Cod. Florent., *Concilium urbis Romæ sub Damaso papa, De exemplaribus fidei, et de recipiendis, et non recipiendis libris.*

[b] Sic Vat. 1, quem sequor, ubi discrepantiam ejus non adverto. Vat. 2, *Dictum est : Prius agendum est de Spiritu*, etc. Diess. : *Dictum est, prius agendum esse de Spiritu septiformi, qui in Christo requiescit, Spiritus sapientiæ.*

Christus Dei virtus, et Dei [a] *sapientia* (1 *Cor.* I, 24). Spiritus intellectus [b] : *Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris* (*Psal.* XXXI, 8). Spiritus consilii : [c] *Et vocabitur magni consilii angelus* (*Isai.* IX, 6). Spiritus virtutis, [d] ut supra dictum est : *Christus Dei virtus, et Dei sapientia.* Spiritus scientiæ [e] propter eminentiam scientiæ Jesu Christi, ut ait Apostolus. Spiritus veritatis : *Et* [f] *ego vita, et veritas* (*Joan.* XIV, 6). Spiritus timoris : *Initium sapientiæ timor* [g] *Domini* (*Psal.* 110, 6).

Multiformis autem nominum Christi [h] *dispensatio est.*

[i] *Dominus*, quia Christus. *Verbum*, quia Filius Dei, quia unigenitus a Patre. [j] *Caro*, quia natus ex Virgine. *Pastor* [k], quia custos [l] ovium. *Mons*, quia fortis. *Via*, quia rectus per ipsum ingressus [m] ad vitam. *Agnus*, quia [n] passus. *Lapis angularis*, quia A constructio. *Magister*, quia ostensor vitæ. *Sol*, [o] quia illuminator. *Verus*, quia a Patre. *Vita*, [p] quia rector. *Panis*, quia caro. *Samaritanus*, quia custos, et misericors. *Christus*, quia unctus. *Jesus*, quia salvator. *Deus*, quia ex Deo [q] est. *Angelus*, [r] quia nuntius. *Sponsus*, quia mediator. *Vitis*, quia sanguine [s] ipsius redempti sumus. *Leo*, quia rex. *Petra*, [t] quia firmamentum. *Fundamentum*, quia firmamentum. *Flos*, quia electus. *Propheta*, quia futura [u] revelat. Spiritus [v] enim sanctus non est Patris tantummodo [x] Spiritus, sed Patris, et Filii. Scriptum est enim : [y] *Si quis dilexerit mundum, non est Spiritus Patris in illo.* Item scriptum est : *Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Nominato itaque Patre, et Filio, [z] intelligitur Spiritus, de quo B ipse Filius in Evangelio dicit : *Spiritus, qui a Patre procedit :* et *ille de meo accipiet, et annuntiabit vobis.*

Item dictum est : [aa] Nunc vero de Scripturis divinis

SCHOLIA.

[a] Diess. addit *erit* post *sapientia.*

[b] Diess. addit *juxta illud* post *intellectus.* Locus est psalmi XXXI, vers. 8, quem Vat. 1, legit, ut Vulgata nostra. Vatic. 2, *in via, qua ingredieris.* Diess., *Intellectum dabo tibi, et instruam te in via, in qua ingredieris.*

[c] Vat. 2, Diess., *Et vocabitur nomen ejus magni*, etc.

[d] Diess., *ut supra : Dei virtus*, etc.

[e] Diess., corrupte, *propter imminentia Christo scientia Jesu Apostoli.* Apostolus ad Ephes. III, 19, ait, *supereminentem scientiæ claritatem Christi.*

[f] Vat. 2, *Ego vita, et veritas.* Diess., *Ego via, et* C *vita, et veritas.*

[g] Diess. addit *Dei* post *timoris.*

[h] Vat. 1, *disertatio est ;* fortasse genuina est lectio *dissertatio est.* Vatic. 2, *dispensatio est.* Diess., *dispensatio* sine *est.* Casan., *Item de multiformi dispensatione nominum Christi.* De nominibus Christi quædam notata sunt in schol. ad elegiam v. 104.

[i] Vat. 2. *Dominus... Verbum, quia Dei filius, quia unigenitus ex Patre.* Diess., *Dominus, qui et spiritus; Verbum, quia Deus; Filius, quia unigenitus ex Patre.*

[j] Vat. 2, Diess., *Homo ;* Vat. 1, *Caro.*

[k] Vatic. 2, Diess. addunt, *Sacerdos, quia se obtulit holocaustum. Pastor ;* quod Vat. 1 prætermittit.

[l] Vat. 2, Diess. omittunt *ovium* post *custos.* Uterque hic codex post *custos* illico *Vermis, quia resurrexit*, quod deest in Vatic. 1.

[m] Vat. 2, *in vitam.* Diess., *Via, quia rectus : quia per ipsum ingressus in vitam est.*

[n] Diess., *passus est. Lapis, quia instructio angularis.* Vat. 2, *passus. Lapis angularis, quia instructio.*

[o] Diess., *quia illuminat.*

[p] Diess., Vat. 2, *quia creator.*

[q] Diess., Vat. 2 omittunt *est* post *Deo*, quod alii exhibent.

[r] Diess., *quia missus.*

[s] Vat. 2, *ejus* pro *ipsius.*

[t] Diess., *quia fundamentum firmamenti est. Flos*, etc.

[u] Dies., *revelavit.*

[v] Diess. omittit *enim.* Fortasse legendum est *etiam :* nam in mss. hæc duo sæpe confusa reperi. Labbeus tom. II col. 895, ad marg. sic notat : *Hæc ab Holstenio, aut alio assuta fuisse superioribus, multa docent : neque enim cohærent cum superioribus ista, quæ Baronius ad annum* 447, num. 21, *recitat ex collectione Cresconiana.* Verum dubium non est, quin in antiquissimis codicibus hæc superioribus adjuncta reperiantur : et Baronius loc. cit. hæc ipsa sub Damasi nomine ex concilio Romano profert, scilicet ex hoc, quod præ manibus habemus, et alio loco laudat ipse Baronius, ut supra dixi.

[x] Diess., *Spiritus sanctus non est Patris tantummodo spiritus, sed Patris, et Filii spiritus.* Vat. 2, cum Baronio, *non est Patris tantummodo, aut Filii tantummodo spiritus : scriptum est*, etc.

[y] Ex epist. I Joann. II, 15 : ubi tamen Vulgata nostra exhibet, *Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* Sequitur ex epist. Pauli ad Romanos VIII, vers. 9 : *Qui autem ;* etc., ubi Diess. refert, *Quisquis autem*, Vulgata, *Si quis autem.*

[z] Vat. 2, cum Baronio, *intelligitur Spiritus sanctus.* Baronius omittit *ipse* ante *Filius.* Diess., *Nominatus autem a Patre et Filio, intelligitur Spiritus sanctus, de quo ipse*, etc. Locus Evangelii est Joann. XV, 26 : *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.* Baronius cum Diess., Vat. 2, *Quia Spiritus sanctus a Patre procedit.* Alter locus est Joann. XVI, 15. In Vat. 1 est *illi* mendose pro *ille.* In reliquis deest *ille*, ut in Vulgata.

[aa] Hæc, et quæ sequuntur cum multis aliis codex Casanatensis, et alius regius Parisiensis Gelasio ascribunt, quibus adhæret codex Florentinus S. Marci, qui post verba *et annuntiabit vobis* titulum hunc apponit : *Incipit Decretum de abjiciendis et recipiendis libris, quod scriptum est a Gelasio papa cum LXX eruditissimis viris episcopis in sede apostolica in urbe Roma.* Ballerinii existimant, primam partem hactenus expositam concilii Romani ad Damasum spectare, non item reliqua. Nam hæc præfatio innuit, agen- D dum esse de libris apocryphis : hoc enim significant verba *quid vitari debeat.* Cl. Zacharias, qui Damaso sequentem canonem Scripturarum adjudicat, reponit, hanc secundam partem connexam esse cum prima, et indicari illis verbis initio positis, *Dictum est agendum* PRIUS, quibus hæc respondent, *Nunc vero de Scripturis divinis agendum est*, etc. Observat deinde, sermonem tantum esse *de Scripturis divinis*, quænam in canonem recipi debeant. Denique conjicit, post canonem Scripturarum in concilio Damasi fuisse indiculum, quo alii libri sub apostolorum nomine conficti damnantur, qui legitur in epistola Innocentii I anno 405 ad Exuperium episcopum Tolosanum. *Cætera autem, quæ sub nomine Matthiæ, sive Jacobi minoris, vel sub nomine Petri, et Joannis, quæ a quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Thomæ, et si qua sunt talia, non solum repudianda, verum etiam noveris esse damnanda.* Hic autem indiculus facile omitti potuit a librariis, quod Decretum Gelasianum

agendum est, quid [a] universalis catholica Ecclesia teneat, et quid vitari debeat.

Incipit ordo Veteris Testamenti.

Genesis liber unus.
Exodus liber unus.
Leviticus liber unus.
Numeri liber unus.
[b] Deuteronomium liber unus.
Jesu Nave liber unus.
Judicum liber unus.
Ruth liber unus.
Regum libri quatuor.
Paralipomenon libri duo.
[c] Psalterium liber unus.
Salomonis libri tres.
[d] Proverbiorum liber unus.
Ecclesiastes liber unus.
Cantica canticorum liber unus.
Item Sapientiæ liber unus.
Ecclesiasticus liber unus.

Incipit ordo prophetarum.

Esaiæ liber unus.
Hieremiæ liber unus [e] cum uno Baruch ; item cum Lamentationibus suis.
Ezechielis liber unus.
Danielis liber unus.
Joel liber unus.
Abdiæ liber unus.
Oseæ liber unus.
Amos liber unus.
Michæas liber unus.
Jonæ liber unus.
Nahum liber unus.
Abbacuc liber unus.
Sophoniæ liber unus.
Aggæi liber unus.
Zachariæ liber unus.
Malachiæ liber unus.

Item ordo historiarum.

Job liber unus.
Tobiæ liber unus.
Judith liber unus [f].
Hester liber unus.
Esdræ liber unus.
Machabæorum libri duo.

Item ordo Scripturarum Novi Testamenti, quas sancta et catholica suscipit Ecclesia.

Evangelium secundum Matthæum liber unus.
Secundum Marcum liber unus.
Secundum Lucam liber unus.
Secundum Joannem liber unus.

Epistolæ Pauli numero XIV.

Ad Romanos una.
Ad Corinthios duæ.
Ad Ephesios una.
Ad Thessalonicenses duæ.
Ad Galatas una.
Ad Philippenses una.
Ad Collossenses una.
Ad Timotheum duæ.
Ad Titum una.
Ad Philemonem una.
Ad Hebræos una [g].
Item [h] Apocalypsis Joannis Apostoli liber unus.
Actus Apostolorum liber unus.
Item Epistolæ Canonicæ numero septem.
Petri Apostoli Epistolæ duæ.
Jacobi Apostoli Epistola una.

SCHOLIA.

magis ubique obvium hæc, aliaque plura de libris apocryphis præscriberet. Probabilia quidem hæc censeo : sed non ita illis verbis *quid vitari debeat* inhærendum est, ut credamus ea necessario arguere catalogum aliquem librorum nominatim prohibitorum. Semel enim constituto canone Scripturarum divinarum, consequens est ut cætera scripta, quæ ab eo canone absunt, quamvis nomen apostolorum aut prophetarum præferant, inter divinas Scripturas minime referantur, sed vitentur potius, tamquam apocrypha.

[a] Vat. 2, *universalis Ecclesia recipit, et quid vitari debeat.* Diess., *universalis catholica recipiat Ecclesia, et quid vitare debeat.*

[b] Diess., *Deuteronomii liber* I.

[c] Diess. *Psalmi* CL *liber* I.

[d] Diess., *Proverbia liber* I, et paulo post *Sapientia* pro *Sapientiæ.*

[e] Diess., *cum Cinoth, id est, Lamentationibus suis.* Vatic. I, *cum uno Baruch : item cum Lamentationibus suis.* Sic Athanasius epist. 39, apud Labbeum tom. II Concil. col. 1710 : *Hieremias, et cum ipso Baruch Threni, et Lamentationes.* Deinceps Diess., *Ezechiel... Daniel... Micheæ... Ambacum* pro *Abbacuc*, vel *Habacuc... Soffoniæ*, etc. Post *Ambacum* apud Amortium parenthesi includitur *Amos.*

[f] Diess., post Tobiæ librum *Esdræ libri* II. *Hester liber* I. *Judith liber* I. *Machabæorum libri* II.

[g] Zacharias loc. cit. hinc sibi objicit, non videri hunc canonem scripturarum esse Damasi, quando-quidem S. Hieronymus anno 414 ad Dardanum scribebat, epistolam Pauli ad Hebræos Latinorum consuetudine non recipi inter scripturas canonicas. Recte autem respondet, intelligi id de nonnullarum Ecclesiarum consuetudine, quæ etiam post canonem Damasi, et Innocentii I consuetudinem suam non recipiendi tamquam canonicam epistolam ad Hebræos retinuerunt, donec anno 419 in concilio Carthaginensi III decretum fuit ut omnes integrum canonem divinarum Scripturarum, in quo est Epistola ad Hebræos, reciperent, implorata etiam auctoritate Bonifacii papæ, et concilii Italici *pro confirmando isto canone.* Vide Labbeum tom. II, col. 1177. Decreta ergo Damasi et Innocentii aut non ita fuerunt lata, ut pro lege ab omnibus Ecclesiis haberentur, aut ad quarumdam Ecclesiarum notitiam non pervenerant.

[h] In Diess. deest mentio Apocalypsis, ut conjicere licet, ex negligentia librarii : nam in nostro codice exstat. Inter Latinos receptam suo tempore fuisse Apocalypsin testatur Hieronymus loc. cit. Zacharias, qui in codice Diessensi omitti Apocalypsin vidit, existimat, potuisse a Damaso omitti, quia plures Ecclesiæ Græcorum eam tunc non recipiebant, ut eod. loc. affirmat Hieronymus. In canone laudato concilii III Carthaginensis, uti etiam in canone Innocentii I anno 405 Apocalypsis comprehenditur. In cod. Diess. mentio Actuum apostolorum fit post Evangelium Joannis.

Joannis Apostoli [a] Epist. una.
Alterius Joannis presbyteri Epistolæ duæ.
Judæ Zelotes [b] Epistola una.

Post has [c] omnes propheticas, et evangelicas, atque apostolicas, quas superius deprompsimus, Scripturas, quibus Ecclesia catholica per terrarum orbem a Deo fundata est, etiam intimandum putavimus, quod quamvis universæ per orbem catholicæ diffusæ Ecclesiæ quasi unus Christi thalamus sit, sancta tamen Romana [d] Ecclesia a nonnullis synodicis constitutionibus cæteris ecclesiis prælata est : sed et evangelica voce Domini Salvatoris nostri primatum obtinuit : *Tu es*, inquit, *Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Addita est etiam sanctæ tamen beatissimi Pauli apostoli, vasis electionis, qui non diverso, sicut hæretici garriunt [e], sed uno tempore, uno eodemque die, gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans, coronatus est : et pariter supradictam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, aliisque omnibus in universo mundo sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt. Est ergo prima Petri apostoli sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, nec aliquid hujusmodi. Secunda autem sedes apud Alexandriam [f] Petri a Marco nomine ejus discipulo atque evangelista consecrata est; ipseque in Ægyptum directus a Petro apostolo, verbum veritatis prædicavit, et gloriosum martyrium consummavit. Tertia vero sedes apud Antiochiam beatissimi apostoli Petri habetur honorabilis, et quod illam primitus quam Romam veniret, habitavit, et illic primum nomen Christianorum novellæ gentis exortum est. [g] Finis.

PARS SECUNDA ET TERTIA.

Decretum Gelasianum, ex mss. Vaticanis, necnon Paraphrasis ejusdem decreti.

(Hæc inter opera Gelasii melius collocanda reservamus, ubi, si placet, legesis.)

SCHOLIA.

[a] In canone Innocentii I, et in aliis hæ tres Epistolæ unius Joannis apostoli esse dicuntur. In canone Damasi una Joanni apostolo, duæ Joanni presbytero ascribuntur ex sententia, quam Hieronymus innuit de Vir. illustr. c. 9 : *Scripsit autem* (Joannes apostolus) *et unam epistolam... Reliquæ autem duæ... Joannis presbyteri asseruntur.* Antiquitas canonis Damasi ex hac parte comprobatur.

[b] Diess. scribit *Zelotis* ; Vat. 1, *Zelotes.* In Diess. additur, *Explicit canon Novi Testamenti.*

[c] Inserta hæc etiam sunt in Decreto Gelasii : sed scripturam exhibemus Vat. 1, quæ in non paucis differt a vulgata lectione, ut decretum ipsum Gelasii mox describendum conferenti patebit. Cresconiana collectio apud Baronium anno 69, num. 4, nonnihil etiam differt a Vat. 1, ut *et apostolicas* pro *atque apostolicas*, et mox *Ecclesia catholica per gratiam Dei fundata est*, et *unus thalamus Christi sit.* Amortius ad marginem notat : *Continuatio per Gelasium papam anno 494*, nescio, an ex codice. Verba, *Item dictum est*, innuunt, idem concilium sub Damaso continuari.

[d] Cresconiana collectio *Romana ecclesia nonnullis synodicis constitutis cæteris*, etc. Postea *inquiens* pro *inquit.* Infra, *et quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcumque solveris super terram, erunt soluta et in cœlo.*

[e] Notatur in marg. Vat. 1, *Anacletus in epist. 3, et Gelasius papa in epistola decretali.* Gelasii epistola decretalis est decretum postea proferendum. Epistolæ Anacleti censentur suppositæ : in ea 3 epistola, quamvis plura ex verbis et sententiis hujus synodi producantur, desunt tamen hæc verba, *sicut hæretici garriunt :* ac fortasse huic loco ab aliquo assuta sunt. Nonnulli enim sunt ex antiquis Patribus, qui Petrum, et Paulum Romæ quidem, et eodem die, sed non eodem anno martyrium subiisse affirment, ut ostendi in comment. ad Prudentium hymn. 12 Perist. vers. 5. Addo nunc Sacramentarium, quod S. Leoni Blanchinus affinxit, alii ad Gelasium referunt, nonnulli ad privatum aliquem veterem scriptorem, in præfat. Natal. apostol. Petri et Pauli : *Sic dispensatione diversa unam Christi familiam congregantes, tempore licet discreto, recurrens una dies in æternum, et una corona sociavit.* Fortasse hæretici in hoc concilio illa potissimum de causa perstringuntur, quod Paulum a Petri societate in martyrii loco sejungerent : ac libenter legerem *qui non diverso, sicut hæretici garriunt, loco, sed uno tempore*, vel *qui non diverso, sicut hæretici garriunt, sed uno loco, uno eodemque die*, etc. In Actis apocryphis Lini refertur, Petrum et Paulum diverso loco et tempore passos fuisse : quo imbecilli testimonio nonnulli recentes hæretici adhuc utuntur, ut Petrum Romæ exstitisse, aut martyrio coronatum fuisse negent. Verba, quæ in concilio sequuntur, meam conjecturam confirmant : *Sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt.* Cresconiana collectio apud Baronium refert *qui non diverso, sicut falso hæretici garriunt, sed uno, eodemque die*, etc. Paulo post *supra dictam S. Romanam Ecclesiam consecrarunt ;* neque plura ex ea collectione profert Baronius.

[f] Tres has sedes Petri esse dicit. In decreto vero Gelasii legitur, *Petri nomine a Marco ejus discipulo.*

[g] In codice Veronensi, in quo, ut dixi, concilium est mutilum, et incipit a verbis *Post has omnes propheticas*, etc., notatur, hoc loco, *Explicit Concilium sub Damaso papa.* Sic absolutum concilium Romanum sub Damaso nihil præ se fert, cur Damaso abjudicari debeat. Argumenta enim, quæ ex ratione temporum multi proferunt, solum probant, non esse Damasi ea omnia, quæ in Decreto Gelasiano continentur, ut per se clarum est. Quod si aliqui codices non solum hoc concilium suis limitibus conclusum, sed totum etiam decretum Gelasii sub Damasi nomine exhibent, is error inde natus est, quod vel Gelasius primam partem sui decreti ex hoc concilio sumpsit, ut pontifices Romani ex prædecessoribus plura sumebant, vel aliunde concilium Damasi ab aliquo adjectum fuit decreto Gelasii de libris (non divinis) recipiendis, vel non recipiendis. Facile autem fuit, ut ex prima parte decreti Gelasiani, quam Damasi esse constabat, in multis codicibus toti decreto nomen Damasi præscriberetur. Probabilius autem credo, Gelasium ipsum in decreto de scripturis recipiendis, et non recipiendis concinnando ex Damasi concilio primam partem, nonnullis leviter mutatis, aliis omissis, aliis additis, accepisse : quod ex ipso decreto, quod nunc sistam, facilius, ut ego quidem arbitror, percipietur.

SEVERUS RHETOR.

(Ex Galland. Biblioth. Vett. Patr. tom. IX.)

PROLEGOMENA.

1. Scriptoris hujus nomen in Carminis editionibus A cujus est auctor, ita circumfertur : SEVERUS SANCTUS, *id est* ENDELECHIUS *Rhetor*. Hinc orta de eodem scriptore varia virorum eruditorum sententia. Ex vulgata namque editione censet Tillemontius (*a*), auctorem esse *Endelechium* qui sub *Severi Sancti* nomine latere voluerit. Alii contra existimant (*b*), has inscriptionis voces, *id est Endelechius*, ab aliena manu manifeste additas fuisse, adeoque proprium auctoris nomen esse *Severum Sanctum*. Ex epistolis sancti Paulini Nolani erudimur, amicitiæ necessitudines ipsi duobus cum viris fuisse, quorum alter *Endelechius*, alter *Sanctus* appellabatur. Et de priore quidem hæc habet (*c*) : *Alius libellus ex his est, quos ad benedictum, id est Christianum virum, amicum meum*, ENDELECHIUM, *scripsisse videor, non tamen* B *edidisse convincar*. Posterioris vero mentionem injicit in duabus epistolis, quas SANCTO et *Amando* fratribus inscripsit (*d*) : ex quarum altera constat, *Sanctum* poeticen excoluisse. Sic enim loquitur : *Hymnos quos desiderabam, accepisse gratulor : quo munere*, SANCTE *frater*, *admonuisti me*, etc. De Endelechio autem id unum docet sanctus Pater (*e*), ejus nimirum monitu panegyricum Theodosii ab se fuisse conscriptum, cujus meminere Hieronymus (*f*), Gennadius (*g*) et Cassiodorus (*h*). Ex quibus ergo illud colligas, Sanctum distinguendum esse ab Endelechio, secus atque censuere viri docti, Baronius (*i*), Sirmondus (*j*), Rosweydus (*k*) et Fabricius (*l*) : qui amicum quidem sancti Paulini scripsisse Carmen de quo sermonem habemus, constituunt ; quem tamen C unum exstitisse, eumdemque nominatum *Severum Sanctum Endelechium* existimant, minus recte, ut videtur : cum ex locis modo allatis sanctus præsul Nolanus duos fuisse, Sanctumque ab Endelechio distinxisse aperte satis comprobetur.

2. Quæ cum ita sint, Carmen sub *Severi Sancti* nomine vulgo circumlatum, Sancto potius quam Endelechio ascribendum existimaverim equidem ; qui fortasse binominis fuerit : ille namque, non hic, versa facundia clarus celebratur Paulino : quæ est eruditorum Historiæ litterariæ Gallicæ scriptorum sententia (*m*). Aquitanicum autem fuisse Carminis auctorem censuit Petrus Pithœus, qui illud ex ms. codice Eliæ Vineti cum veterum Galliæ theologorum opusculis, sub finem sæculi XVI, Parisiis primus evulgavit ; et quidem ex eadem fortasse urbe Burdigalensi, qua ortus perhibetur sanctus Paulinus ejus familiaris. Carminis vero conscribendi occasionem præbuit dira lues, quæ (*n*) Pannonios, Illyricos, Belgas aliosque populos graviter stravit. Ejus meminit, ut observatum Baronio (*o*), sanctus Ambrosius (*p*) : « Verborum cœlestium, inquit, nulli magis quam nos testes sumus. Quanta enim prælia, et quas opiniones accepimus prœliorum... Quæ omnium fames, *lues pariter boum atque hominum, cæterique pecoris ;* ut etiam qui bellum non pertulimus, debellatis tamen nos pares fecerit *pestilentia?* Ergo quia in occasu sæculi sumus, præcedunt quædam ægritudines mundi. Ægritudo mundi est fames, ægritudo mundi est *pestilentia*, ægritudo mundi est persecutio. » Hæc sanctus Pater. Quomodo autem ejusmodi lues per signum sanctæ crucis facillime curaretur, enarrat in sua eleganti ecloga Rhetor noster his verbis (*q*) :

BUCULUS. . . . . Dic age, Tityre,
Quis te subripuit cladibus his Deus,
Ut pestis pecudum quæ populata sit
Vicinos, tibi nulla sit?
TITYRUS. Signum quod perhibent esse crucis Dei,
. . . . . .
Hoc signum mediis frontibus additum,
Cunctarum pecudum certa salus fuit.

(*a*) *Tillem.* Hist. des Emper. tom. V, pag. 148.
(*b*) Hist. littér. de la Franc. tom. II, pagg. 56, 57.
(*c*) *Paulin.* epist. 28, num. 6.
(*d*) *Id.* epist. 40 et 41.
(*e*) *Id.* epist. 28, l. c.
(*f*) *Hieron.* epist. 58, al. 13, num. 1.
(*g*) *Gennad.* de Vir. illustr. cap. 48.
(*h*) *Cassiod.* de Instit. div. litt. cap. 21.
(*i*) *Baron.* ad ann. 376, § 8.
(*j*) *Sirmond.* ad lib. IV, epist. 8, Sidon. opp. tom. 1, pag. 490.
(*k*) *Rosw.* ad epist. 9. Paulin.
(*l*) *Fabric.* Bibl. Lat. tom. III, pag. 278.
(*m*) Hist. littér. de la Franc. tom. cit. pag. 57.
(*n*) *Sev.* Carm. Bucol. verss. 22, 23.
(*o*) *Baron.* l. c.
(*p*) *Ambr.* Comment. in Luc. lib. X, num. 10, opp. tom. 1, pag. 1506.
(*q*) *Sev.* l. cit. vv. 101 seqq.

3. Ex eodem item carmine qua ætate floruerit auctor, expiscari licet. Subdit enim Tityrus (*a*) :

Magnis qui colitur solus in urbibus,
Christus, perpetui gloria Numinis,
Cujus filius unicus.

Ea itaque tempestate, Christiana religione invalescente, idolorum cultus in pagis tantum et viculis adhuc vigebat : quæ quidem notatio sæculum IV desinens innuit. His adde, sanctum Ambrosium suam Expositionem in Lucam, ubi testis oculatus memoratam luem grassatam fuisse tradit, conscripsisse non ante annum 386, ut post Hermantium (*b*) pluribus argumentis evicerunt doctissimi Ambrosianorum operum editores BB. (*c*). Cæterum non est hic prætereundum, carmen auctoris nostri hactenus fuisse inscriptum *de mortibus boum*. Inepte enim vero : ut jure statuit Reinesius apud Schoettgenium (*d*). Id enim unum poetæ christiano propositum fuit, ut crucis Christi quem Deum ubique prædicat (*e*), virtutem extolleret ; cujus nimirum præpotenti signo sæva lues illa sedata fuerit : illud præterea simul addens, eo prodigio permotam ethnicorum turbam militiæ Christianæ nomen dedisse. Sic enim in sua ecloga poeta noster Ægonem, unum ex pastoribus idololatris, loquentem inducit (*f*) :

Tityre, nil moror,
Quin veris famuler relligionibus.
Errorem veterem diffugiam libens :
Nam fallax et inanis est.
Atque jam properat mens mea visere,
Summi templa Dei.....

Quibus proinde positis, deleta insulsa epigraphe quæ huc usque obtinuit, Carmen inscripsimus, *De virtute signi Crucis Domini*. Porro ab eo tempore quo illud primo editum fuit a Pithœo, ut superius diximus, anno scilicet 1586 veterum Patrum Bibliothecis fuisse intextum novimus : separatim vero vulgatum Francofurti anno 1612, cura et studio Joannis Weitzii et Wolfgangi Seberi : atque hæc eadem editio cum nova præfatione rursus prodiit Lugduni Batavorum anno 1715. Denique ipsam repetiit Groningæ anno 1725 Gerhardus Outhovius ad calcem libri *de judiciis Jehovæ*, ut ex Fabricio comperimus (*g*).

(*a*) *Sev.* Carm. bucol. vv. 102 seq.
(*b*) *Hermant.* Vit. S. Ambr. lib. IV, cap. 20.
(*c*) *Ambr.* opp. tom. II, pag. 1258 seq.
(*d*) *Schoett.* tom. VI Bibl. med. Lat. Fabric. pag. 461.
(*e*) *Sev.* l. c. vv. 105, 111, 114, 126.
(*f*) *Id.* Ibid. v. 121.
(*g*) *Fabric.* Bibl. Lat. tom. III, pag. 278.

SEVERI RHETORIS ET POETÆ CARMEN BUCOLICUM

DE VIRTUTE SIGNI CRUCIS DOMINI.

ÆGON, BUCULUS, TITYRUS.

ÆGON.

Quidnam, solivagus, Bucule, tristia
Demissis graviter luminibus, gemis?
Cur manant lacrymis largifluis genæ?
Fac, ut norit amans tui.

BUCULUS.

Ægon, quæso, sinas alta silentia
Ægris me penitus condere sensibus.
Nam vulnus reserat, qui mala publicat :
Claudit, qui tacitum premit.

ÆGON.

Contra est, quam loqueris : recta nec autumas :
Nam divisa, minus sarcina fit gravis :
Et quidqu'd tegitur, sævius incoquit.
Prodest sermo doloribus.

BUCULUS.

Scis, Ægon, gregibus quam fuerim potens :
Ut totis pecudes fluminibus vagæ
Complerent etiam concava vallium,
Campos et juga montium :
Nunc lapsæ penitus spes opis est meæ :
Et longus peperit quæ labor omnibus
Vitæ temporibus, perdita biduo.
Cursus tam citus est malis.
Hæc jam dira lues serpere dicitur.
Pridem Pannonios, Illyricos quoque,
Et Belgas graviter stravit : et impio
Cursu nos quoque nunc petit.

ÆGON.

Sed tu qui solitus nosse salubribus
Succis, perniciem pellere noxiam :
Cur non, anticipans quæ metuenda sunt,
Admosti medicas manus?

BUCULUS.

Tanti nulla metus pervia signa sunt,
Sed quod corripit, id morbus et opprimit :
Nec languere sinit, nec patitur moras.
Sic mors ante luem venit.
Plaustris subdideram fortia corpora
Lectorum studio quo potui, boum,

Queis montis geminæ consona tinnulo
Concentu crepitacula,
Ætas consimilis, setaque concolor :
Mansuetudo eadem, robur idem fuit,
Et fatum, medio nam ruit aggere
Par victum parili nece.
Mollito penitus farra dabam solo.
Largis putris erat gleba liquoribus.
Sulcos perfacilis stiva tetenderat;
Nusquam vomer inhæserat :
Lævus bos subito labitur impetu,
Æstas quem domitum viderat altera.
Tristem continuo desero conjugem,
Nil jam plus metuens mali,
Dicto sed citius consequitur necem
Semper qui fuerat [a] et integer,
Tunc longis quatiens ilia pulsibus,
Victum deposuit caput.

ÆGON.

Angor, discrucior, mœreo, lugeo.
Damnis quippe tuis, non secus ac meis,
Pectus conficitur; sed tamen arbitror,
Salvos esse greges tibi.

BUCULUS.

Illuc tendo miser, quo gravor acrius.
Nam solamen erat vel minimum mali,
Si fetura daret posterior mihi,
Quod præsens rapuit lues.
Sed quis vera putet? progeniem quoque
Exstinctam pariter, vidi ego cernuam
Invicem gravidam, vidi animas duas
Uno in corpore perditas.
Hic fontis renuens, graminis immemor,
Errat succiduo bucula poplite,
Nec longum refugit : sed graviter ruit
Leti compede claudicans.
At parte ex alia, qui vitulus modo
Lascivas saliens texuerat vias,
Ut matrem subiit : mox ibi morbido
Pestem traxit ab ubere.
Mater tristifico vulnere saucia,
Ut vidit vituli condita lumina :
Mugitus iterans, ac misere gemens,
Lapsa est : et voluit mori.
Tunc tamquam metuens, ne sitis aridas
Fauces opprimeret : sic quoque dum jacet
Admovit [b] ubera mortuo.
Post mortem pietas viget.
Hinc taurus solidi vir gregis, et pater,
Cervicis valida frontis et arduæ,
Lætus dum sibimet plus nimio placet,
A Prato concidit herbido.
Quam multis foliis silva cadentibus
Nudatur gelidis tacta aquilonibus,
Quam densis fluitant velleribus nives
Tam crebræ pecudum neces.
Nunc totum tegitur funeribus solum,
Inflantur tumidis corpora ventribus,
Albent lividulis lumina nubibus,
Tenso crura rigent pede.
Jam circum volitant agmina tristium,
Dirarumque avium, jamque canum greges
Insistunt laceris visceribus frui.
Heu, cur non etiam meis!
Quidnam, quæso, quid est, quod vario modo
Fatum triste necis transilit alteros,
B Affligitque alios? en tibi Tityrus
Salvo lætus agit grege.
Ipsum contueor. Dic age, Tityre,
Quis te subripuit cladibus his Deus,
Ut pestes pecudum, quæ populata sit
Vicinos, tibi nulla sit?

TITYRUS.

Signum quod perhibent esse Crucis Dei :
Magnis qui colitur solus in urbibus
Christus, perpetui gloria Numinis,
Cujus filius unicus.
Hoc signum mediis frontibus additum,
Cunctarum pecudum certa salus fuit.
Sic vero Deus hoc nomine præpotens
Salvator vocitatus est.
C Fugit continuo sæva lues greges :
Morbis nil licuit. Si tamen hunc Deum
Exorare velis : credere sufficit.
Votum [c] sola fides juvat.
Non ullis madida est ara cruoribus,
Nec morbus pecudum cæde repellitur,
Sed simplex animi purificatio
Optatis fruitur bonis.

ÆGON.

Hæc si certa probas, Tityre, nil moror,
Quin veris famuler religionibus.
Errorem veterem diffugiam libens :
Nam fallax, et inanis est.
Atque jam properat mens mea visere
D Summi templa Dei : quin age, Bucule,
Non longam pariter congredimur viam,
Christi et [d] numen agnoscimus.
Et me consiliis jungite prosperis :
Nam cur addubitem, quin homini quoque
Signum prosit idem perpete sæculo,
Quo vis morbida vincitur?

[a] Al. add. *sanus.*
[b] Al. add. *moriens.*
[c] An *votum?*
[d] Al. *Numina noscimus.*

VAL. FALTONIA PROBA,

CENTONUM POETRIA.

(Ex collectione omnium poetarum, etc., Pisauri cusa 1766.)

PROLEGOMENA.

Valeria Faltonia Proba, uxor Adelfii procos. (quam ab Anicia Faltonia trium consulum matre Proba pulchre distinguit (*a*) Tho. de Simeonibus V. C.), circa A. C. 400 centonem ex Virgilio de fabrica mundi et Evangeliis plenissime expressit. *Centonum Virgilianorum* poetriam, *Faltoniam Probam*, civem Hortanam, non *Falconiam* appellandam esse, et nec cum Anicia Faltonia Proba (de qua Baltellus (*b*) in diss. de sarcophago marmoreo Probi Anicii et Probæ Faltoniæ in templo Vaticano Rom. 1705, 8), nec cum Valeria Proba uxore Adelfii procos. quidquam habere commune docet Vir eruditissimus Justus Fontanini libro II de Antiquitatibus Hortæ Coloniæ, (*c*) Rom. 1708, in 4°, oppugnans virum itidem præstantissimum Thomam de Simeonibus, qui Valeriam Faltoniam Probam, Adelfii (*d*) uxorem, centones illos composuisse contendit. Scripti sunt post A. C. 393, cum Honorius jam Augustus atque imperator esset: editique, post Venetam editionem (*e*) 1472, in fol. et Romanam 1481, in 4°, in Bibl. Barberina obviam ab Aldo, una cum Sulpicio Severo, Homerocentonibus, Juvenco, etc., Venet. 1501, in 4°, a qua ἐκδόσει plurimum differt altera itidem in quarto circa idem, ut videtur, tempus sine loci et anni annotatione vulgata. Præterea prodierunt Paris. 1509, in 4°, apud Joannem Petitum, et Lugd. 1516, cum Mantuano et aliis: Oppenheimii anno 1517; Francof. 1541, in 8°, curante A Petro Brubachio, una cum Homerocentonibus et Nonno. Tum Paris. apud Franciscum Stephanum 1543, in 8°; et apud Henricum Stephanum 1578, in 12; et, curante Julio Roscio, Rom. 1588, in 12, nec non cum aliis Virgiliocentonibus ab Henr. Meibomio recensitis Helmstad. 1597, in 4°. Omitto editiones alias, ut Coloniensem 1601, in 8°, et quæ in Bibliothecis Patrum occurrunt. Sed præ cæteris laudandum studium *Jo. Henrici Kromayeri*, qui Centones hos notis et indice ornatos vulgavit Halæ 1719, in 8°, signatis ad singulos versus locis Virgilii, quibus centones illi constant. Novam editionem exspectare nuper a se jussit in Ephemeridibus litterariis Germanice editis Lipsiæ A. 1710, pag. 1010, atque iterato in novis litterariis A. 1719, pag. 33, præclarus Vir B *Jo. Gottlieb Krause*. Jampridem Probæ Centones una cum Tancredo Philippi Beroaldi Gallice convertit Richardus le Blanc Paris., 1553, apud Robertum Messalinum, teste Crucimanio pag. 440 Bibl. Gallicæ. Sic quoque et quidam *Pomponius* ex eodem poeta inter cætera styli sui otia Tityrum (carmen bucolicum) in honorem CHRISTI composuit, ut refert Isidorus lib. I Originum c. 38. Pomponii carmen non tulit ætatem, at Probæ Centones Honorio imp. dicati sæpius lucem viderunt, editi primum sunt ab Aldo 1501, in 4°.

(*a*) Confer Ephemerides Paris. A. 1694, pag. 249 seq. et Pagium ac Sam. Basnagium ad A. C. 395.

(*b*) Mémoires de Trévoux, 1608, p. 876.

(*c*) Acta Erud. 1709, pag. 6. Mémoir. de Trévoux. 1708, pag. 1904. Giornale de' Letterati d'Italia, tom. XXIV, p. 140 seq.

(*d*) Isidorus Hisp. de scriptoribus Eccles. cap. 5: *Proba uxor Adelphii procos. femina inter viros ecclesiasticos idcirco posita sola, pro eo quod in laude Christi versata est, componens centonem de Christo Virgilianis coaptatum versiculis. Cujus quidem non miramur studium, sed laudamus ingenium. Quod tamen opusculum legitur inter apocryphas Scripturas insertum.* Gelas. dist. 15, c. 3: *Centimetrum de Christo Virgilianis compaginatum versibus, apocryphum.* His adde quod ad calcem codicis ms. Centonum sæculo X exarati, qui exstat in Bibl. monasterii S. Benedicti Padolironensis non procul a Mutina, hæc leguntur teste Bernardo de Montfaucon Diarii Italici pag. 36: *Proba uxor Adelphi mater Olibrii et Aliepii* (Alypii) *cum Constantii* (Constantini) *bellum adversus Magnentium conscripsisset, conscripsit et hunc librum.* C

(*e*) Illius primæ editionis titulus ita refertur a C. V. Michaele Maittaire in Annalibus typograph. pag. 98: *Ausonii Peonii poetæ disertissimi Epigrammaton libri;* Probæ Centonæ clarissimæ feminæ excerptum e Maronis carminibus ad testimonium Veteris Novique Test. *Ovidii Consolatio ad Liviam: Calphurnii Bucolicum carmen: Publ. Greg. Tiferni hymni et alia Poemata,* Venet. 1472 in-fol.

VAL. FALTONIÆ PROBÆ,

FEMINÆ CLARISSIMÆ,

CENTONES VIRGILIANI,

AD TESTIMONIUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

Proœmium.

Jamdudum temerasse duces pia fœdera pacis,
Regnandi miseros tenuit quos dira cupido :
Diversasque neces, regum crudelia bella,
Cognatasque acies pollutas cæde parentum :
Insignes clypeos, multoque ex hoste tropæa :
Sanguine conspersos tulerat quos fama triumphos
Innumeris totiens viduatas civibus urbes,
Confiteor, scripsi, satis est meminisse malorum.

Invocatio Dei.

Nunc, Deus omnipotens, sacrum, precor, accipe car-
Æternumque tui septemplicis ora resolve [men,
Spiritus, atque mei resera penetralia cordis :
Arcana ut possim vatis proba cuncta referre.
Non nunc Ambrosium cura est mihi quærere nectar,
Nec libet Aonio de vertice ducere musas.
Non mihi saxa loqui vanus persuadeat horror,
Laurigerosque sequi tripodas, et inania vota,
Jurgantesque deas procerum, victosque penates :
Nullus enim labor est verbis extendere famam,
Atque hominum studiis parvam disquirere laudem.

Tractandorum propositio.

Castalio sed fonte madens imitata beatos,
Quæ sitiens hausi sanctæ libamina pacis,
Hinc canere incipiam : præsens Deus, erige mentem.
Virgilium cecinisse loquar pia munera Christi :
Rem nulli obscuram repetens ab origine pandam,
Si qua fides animo, si veros fusa per artus
Mens agitat molem, et toto se corpore miscet
Spiritus, et quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

PARS PRIMA.

DE VETERE TESTAMENTO.

Deprecatio ad Deum.

O Pater, o hominum, rerumque æterna potestas,
Da facilem cursum, atque animis illabere nostris :
Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
Nate Patris summi, vigor et cœlestis origo :
Quem primum colimus, meritosque novamus honores,
Jam nova progenies, omnis quem credidit ætas.
Munera vera cano, satis est potuisse videri.
Jampridem memini veterum monumenta virorum
Moscum ante omnes totum cecinisse per orbem
Quæ sint, quæ fuerint, et quæ ventura trahantur
Omnia, ut ipse tener mundi concreverit orbis.
Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
A Unde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus,
Et si quid simul ignis habet, vel mobilis humor.
Haud aliter prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim; major rerum mihi nascitur ordo,
Si qua fidem tanto est operi latura vetustas.
Namque (fatebor enim) levium spectacula rerum
Semper equos, atque arma virum, pugnasque canebam,
Et studio incassum volui exercere laborem;
Omnia tentanti potior sententia visa est
Pandere res alta terra et caligine mersas.
Inque dies aliquid jamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.
Ore favete omnes, lætasque advertite mentes,
B Matres, atque viri, pueri, innuptæque puellæ.

De creatione Mundi.

Principio cœlum, ac terras, camposque liquentes
Lucentemque globum lunæ, solisque labores
Ipse Pater statuit : vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus æther,
Sed nox atra polum bigis subvecta tenebat,
Et chaos in præceps tantum tendebat ad umbras,
Quantus ad æthereum cœli suspectus Olympum.

De divisione lucis a tenebris.

Tunc Pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Aera dimovit tenebrosum, et dispulit umbras,
Et medium luci atque umbris jam dividit orbem.
C Sidera cuncta notat, tacito labentia cœlo,
Intentos volvens oculos, qua parte calores
Austrinos tulerit, quæ terga obverterit axi,
Obliquus qua se signorum verterit ordo.

De quatuor temporibus anni.

Postquam cuncta videt cœlo constare sereno
Omnipotens, stellis numeros et nomina fecit,
Temporibusque parem diversis quattuor annum,
Æstusque, et pluvias, et agentes frigora ventos.
Atque hæc ut certis possemus discere signis.
Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt :
Ac medio tostas æstu terit area fruges,
Et varios ponit fetus autumnus, et atra
Venit hiems, teritur Sicyonia bacca trapetis,
D Atque in se sua per vestigia volvitur annus.
Tempore jam ex illo fecundis imbribus æther
Magnus alit magno commixtus corpore fetus.

Dies primus.

Et jam prima novo spargebat lumine terras,
Ducebatque diem stellis aurora fugatis.
Tunc durare solum, et discludere Nerea ponto
Incipit, et rerum paulatim sumere formas,
Et variæ pelagi facies, immania cete
Æquora verrebant caudis, æstumque secabant,
Nec non et vasti circuibant æquora ponti.
Jam sole infuso, jam rebus luce retectis
Exsultans, roremque simul dispargit amarum.

Dies secundus.

Postera jamque dies primo surgebat Eoo,
Fudit humus flores, et frondes explicát omnes,
Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis,
Non rastris hominum, non ulli obnoxia curæ.

Dies tertius.

Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram,
Avia tunc resonant avibus virgulta sonoris,
Et liquidas corvi presso dant gutture voces,
Nec gemere aeria cessabat turtur ab ulmo.

Dies quartus.

Quarto terra die variarum monstra ferarum,
Omnigenumque pecus, nullo custode per herbam,
Educit silvis : subito (mirabile visu!)
Tunc demum movet arma leo, tunc pessima tigris
Squamosusque draco, et fulva cervice leæna
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum.
Cætera pascuntur virides armenta per herbas,
Nec gregibus liquidi fontes nec gramina desunt.

Dies quintus et sextus.

Jamque dies, alterque dies processit, et omne
Hoc virtutis opus divinæ mentis et artis
Prospiciens Genitor, perfectis ordine rebus,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Terrarum, tractusque maris, cœlumque profundum,
Alituum, pecudumque genus, secumque volutat
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Neu segnes jaceant terræ, juvat usque morari.

De formatione primi hominis.

Talia versanti subito sententia sedit,
Felicemque trahit limum fingitque premendo
Pingue solum primis extemplo a mensibus anni.
Jamque improviso tantæ pietatis imago
Processit, nova forma viri pulcherrima rerum,
Os humerosque Deo similis, cui mentem, animumque
Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.

De formatione Evæ.

Quæritur hinc alius, nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, sociusque in regna vocari.
Haud mora, continuo placidam per membra quietem
Dat juveni, et dulci declinat lumina somno.
Atque illi medio in spatio jam noctis opacæ
Omnipotens Genitor costas et viscera nudat.
Harum unam juveni, laterum compagibus actis,
Eripuit, subitoque oritur mirabile donum,
Argumentum ingens clara cum luce refulsit

A Insignis facies, et pulchro pectore virgo
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Olli somnum ingens rupit pavor, ossaque et artus
Conjugium vocat, et stupefactus numine pressit,
Excepitque manu, dextramque amplexus adhæsit.

Deum protoplastum et Evam benedixisse.

His demum exactis, torquet qui sidera mundi
Jussit : eo dicente premit placida æquora pontus,
Et tremefacta solo est tellus, silet arduus æther.
Vivite felices, interque virentia culta
Fortunatorum nemorum sedesque beatas.
Hæc domus, hæc patria est, requies ea certa laborum.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono.
Imperium sine fine dedi, multosque per annos
Non rastrum patietur humus, nec vinea falcem.
B At genus immortale manet, nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.

Quid prohibitum primis parentibus.

Vos contra quæ dicam animis advertite vestris;
In medio ramos, annosaque brachia tendens
Est in conspectu ramis felicibus arbor,
Quam neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro,
Relligione sacra numquam concessa moveri.
Hac quicumque sacros decerpserit arbore fetus,
Morte luet merita : nec me sententia vertit :
Nec tibi jam prudens quisquam persuadeat auctor
Commaculare manus, liceat te voce moveri
Feminea, nec te ullius violentia vincat,
Si te digna manet divini gloria juris.

C *De deliciis Paradisi.*

Postquam cuncta pater, cœli cui sidera parent,
Composuit, legesque dedit, camposque nitentes
Desuper ostentat, tantarum gloria rerum :
Ecce autem primi sub limine solis et ortus
Devenere locos, ubi mollis amaracus illos
Floribus, et dulci aspirans complectitur umbra.
Hic ver purpureum, atque alienis mensibus æstas,
Hic liquidi fontes, hic cœli tempore certo
Dulcia mella premunt, hic candida populus antro
Imminet, et lentæ texunt umbracula vites :
Invitant croceis halantes floribus horti
Inter odoratum lauri nemus, ipsaque tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.
Fortunati ambo, si mens non læva fuisset
D Conjugis infandæ, docuit post exitus ingens.

Tentatio per Serpentem.

Jamque dies infanda aderat per florea rura :
Ecce inimicus atrox immensis orbibus anguis
Septem ingens gyros, septena volumina versat,
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli,
Obliqua invidia ramo frondente pependit,
Viperam inspirans animam, cui tristia bella
Iræque invidiæque, et noxia crimina cordi.
Odit et ipse pater, tot sese vertit in ora,
Arrectisque horret squamis, et ne quid inausum,
Aut intentatum scelerisve dolive relinquat,
Sic prior aggreditur dictis, seque obtulit ultro :
Dic, ait, o virgo (lucis habitamus opacis,

Riparumque toros, et prata recentia rivis
Incolimus), quæ tanta animis ignavia venit ?
Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma,
Pocula sunt liquidi fontes, cœlestia dona.
Attrectare nefas, id rebus defuit unum.
Quis prohibet causas penitus tentare latentes ?
Vana superstitio, rerum pars altera adempta est,
Conditio; mea si non irrita dicta putares,
Auctor ero audendi sacrata resolvere jura.
Tu conjunx, tibi fas animum tentare precando.
Dux ego vester ero, tua si mihi certa voluntas,
Exstruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.

Eva seducta seducit virum.

Sic ait, et dicto citius, quod lege tenetur
Subjiciunt epulis oculi venerabile lignum,
Instituuntque dapes, contactuque omnia fœdant.
Præcipue insistit pesti devota futuræ,
Miraturque novas frondes, et non sua poma.
Causa mali tanti, summo tenus attigit ore,
Majus adorsa nefas, majoremque orsa furorem.
Heu misero conjunx aliena ex arbore germen
Objicit, atque animum subita dulcedine movit.

Vident se nudos, et faciunt sibi perizomata.

Continuo nova lux oculis effulsit; at illi
Terrentur visu subito, nec plura morati,
Corpora sub ramis objectu frondis inumbrant,
Consertum tegmen, nec spes opis ulla dabatur.
At non hæc nullis hominum Sator, atque deorum
Observans oculis, cædes et facta tyranni
Præsensit, notumque furens quid femina possit.
Continuo invadit : Procul, o procul este, profani,
Conclamat, cœlum ac terras qui numine firmat.

Adam abscondit se.

Atque illi longe gradientem et dira frementem
Ut videre, metu versi retroque ruentes
Diffugiunt, silvasque et sicubi concava furtim
Saxa petunt, piget incepti, lucemque nec auras
Respiciunt, tædet cœli convexa tueri.

Increpat Adam Dominus.

Nec longum in medio tempus, cum creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus, Genitorque per umbram
Talibus affatur dictis, atque increpat ultro :
Infelix, quæ tanta animum dementia cepit ?
Quis furor ille novus? quo nunc, quo tenditis?, inquit.
Regnorum immemores, quæ mentem insania mutat?
Dicite, quæ lucis miseris tam dira cupido ?
Maturate fugam, totoque absistite luco,
Nec revocare gradum, si quando adversa vocarint,
Est licitum : flammis ambit torrentibus amnis
Per medium stridens, torquetque sonantia saxa.
Attollitque globos flammarum, et sidera lambit.

Adam se excusat.

Ille sub hæc : Tua me, genitor, tua tristis imago
His posuere locis, merui, nec deprecor, inquit,
Omnipotens, sonitumque pedum, vocemque tremisco
Conscius audacis facti, monitique sinistri.
Femina fert tristes succos, tardumque saporem;
A Illa dolos dirumque nefas sub pectore versans,
Insontem infando indicio, moritura puella
Dum furit, incautum crudeli morte peremit.
Suasit enim, scis ipse, nec est te fallere cuiquam,
Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error,
Contigimusque manu quod non sua seminat arbos.

Maledictum Serpenti.

Tunc Pater omnipotens solio sic infit ab alto :
Accipite ergo, animis atque hæc mea figite dicta ;
Tuque prior, scelere ante alios immanior omnes,
Quem nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
Hortator scelerum coluber, mala gramina pasces
Desidia, latamque trahens inglorius alvum.
Cede locis, nullis hominum cogentibus, ipse
B Tenvis ubi argilla, et dumosis calculus arvis.

Maledictum Adam.

At tibi pro scelere (exclamat), pro talibus ausis,
Omne ævum ferro teritur, primusque per artem
(Heu, miserande puer !) terram insectabere rastris,
Et sonitu terrebis aves : horrebit in arvis
Carduus, et spinis surget paliurus acutis,
Lappæque, tribulique, et fallax herba veneni;
At si triticeam in messem, robustaque farra
Exercebis humum, frustra exspectabis acervum,
Concussaque famem in silvis solabere quercu.
Insuper his subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, et diræ rapit inclementia mortis.

Maledictam Evam.

C Hæc tibi semper erunt, tuque, o sævissima conjunx,
Non ignara mali, caput horum et causa malorum,
Magna lues commissa tibi : heu perdita nescis,
Nec quæ circumstant te deinde pericula cernis.
Nunc morere, ut merita es, quod tota mente petisti.
Nec mea jam mutata loco sententia cedit.

Expulsos Adam et Evam e paradiso.

At juvenem primum sævus circumstetit horror,
Diriguere oculi, nec se celare tenebris
Amplius, aut notas audire et reddere voces.
Haud mora, festinant, rapidis jussique feruntur
Passibus, et pariter gressi per opaca viarum
Corripiunt spatium medium limenque relinquunt
Flentes, et paribus curis vestigia figunt.
Tum victum in silvis baccas, lapidosaque corna
D Dant rami, et vulsis pascunt radicibus herbæ.

Evam peperisse duos filios.

Interea magnum sol circumvolvitur annum,
Matri longa decem tulerant fastidia menses,
Unde homines nati, durum genus, inde per artem
Haud herbæ campo apparent, haud arbore frondes,
Inque novos soles audent se gramina tuto
Credere, et in lentis uvam demittere ramis
Instituunt, udoque docent inolescere succo.

Abel a fratre occiditur.

Tunc gemini fratres adolent dum altaria tædis,
Alter et alterius prælato invidit honori,
(Horresco referens) consanguinitate propinquum

Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras
Sanguine fœdantem quos ipse sacraverat ignes.

Post occisum Abel Deus irascitur humano generi.

Tunc Genitor virus serpentibus addidit atris,
Mellaque decussit foliis, ignemque removit,
Prædarique lupos jussit, pontumque moveri.
Et passim rivis currentia vina repressit.
Mox et frumentis labor additus, ut mala culmos
Esset rubigo, et victum seges ægra negaret.
Tunc laqueis captare feras, et fallere visco
Inventum, et duris urgens in rebus egestas
Movit agros, curis acuens mortalia corda.
Deterior donec paulatim decolor ætas,
Ferrea progenies durum caput extulit arvis,
Et belli rabies, et amor successit habendi.
Justitia excedens terris vestigia fecit.
Nec longum in medio tempus : furor iraque mentem
Præcipitant, gaudent perfusi sanguine fratrum.
Condit opes alius, defossoque incubat auro,
Nec doluit miseraus inopem, dextramque tetendit.

De Diluvio.

Tunc Pater omnipotens graviter commotus ab alto
Æthere se mittit, tellurem effundit in undas
Diluvio miscens, cœlumque in tartara solvit.
Sternit agros, sternit sata læta', boumque labores
Diluit, implentur fossæ, et cava flumina crescunt.
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum.

Noe servatur.

Tum pietate gravem, ac meritis, mirabile dictu!
Qui fuit in terris et servantissimus æqui,
Eripuit letho, tantis surgentibus undis,
Ut genus unde novæ stirpis revocaret, haberet.

Post diluvium Deus legem dat hominibus : Judæi bello agitantur.

Diluvio ex illo, patribus dat jura vocatis
Omnipotens, magnisque agitat sub legibus ævum.
Quid memorem infandas cædes? quid facta tyranni?
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda?
Ægyptum, viresque Orientis, et ultima bella,
Magnanimosque duces, totasque ex ordine gentes,
Quo cursu deserta petiverit et tribus et gens
Magna virum meriti tanti non immemor umquam.
Quique sacerdotes adsint altaria juxta,
Quique pii vates pro libertate ruebant.
Qui bello exciti reges, quæ littore Rubro
Complerint campos acies, quibus arserit armis
Rex genus egregium magno inflammante furore
Agmen agens equitum, et florentes ære catervas.
Cætera facta patrum, pugnataque in ordine bella
Prætereo, atque aliis post me memoranda relinquo.

PARS SECUNDA.

DE NOVO TESTAMENTO.

Invocatio ad Deum.

Nunc ad te, et tua, magne Pater, consulta revertor.
Majus opus moveo, vatum prædicta priorum
Aggredior, quamvis angusti terminus ævi
Accipiet, tentanda via est, qua me quoque possim
A Tollere humo, et nomen fama tot ferre per annos,
Quod tua progenies cœlo descendit ab alto,
Attulit et nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium adventumque Dei : cum femina primum
Virginis os habitumque gerens, mirabile dictu!
Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edit.
Sed quia terrifico cecinerunt omine vates
Adventare virum populis terrisque superbum
Semine ab æthereo, qui viribus occupet orbem,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris.

De Nativitate Jesu Christi.

Jamque aderat promissa dies, quo tempore pri-[mum
Extulit os sacrum divinæ stirpis origo
Missa sub imperio, venitque in corpore virtus
B Mista Deo, subiit chari Genitoris imago.

De Stella et Magis.

Haud mora, continuo cœli regione serena
Stella facem ducens magna cum luce refulsit.
Agnovere Deum proceres, cunctique repente
Muneribus cumulant, et sanctum sidus adorant.
Tum vero manifesta fides, clarumque paternæ
Nomen virtutis, Christique agnoscere vultum
Flagrant, et quæ det divini signa Decoris.

Metuisse Herodem nato Christo.

Protinus ad regem magno clamore furentem
Fama volat, magnasque acuit rumoribus iras,
Incenditque animum, matrisque allabitur aures.
Illa dolos, dirumque nefas haud inscia rerum
C Præsensit, motusque excepit prima futuros
Præscia venturi, furtim mandavit alendum,
Dum curæ ambiguæ, dum mens exæstuat ira.

Herodes jubet occidi infantes.

At rex sollicitus stirpem et genus omne futurum
Præcipitare jubet, subjectisque urere flammis,
Multa movens, mittitque viros qui certa reportent.
Haud secus ac jussi faciunt, rapidisque feruntur
Passibus, et magnis urbem terroribus implent.
Continuo auditæ voces, vagitus et ingens,
Infantumque animæ flentes, ante ora parentum
Corpora natorum sternuntur limine primo.

Fugit Virgo cum filio in Ægyptum.

At mater gemitu non frustra exterrita tanto,
D Ipsa manu præ se portans, turbante tumultu,
Infantem, fugiens plena ad præsepia tendit.
Hic natum angusti subter fastigia tecti
Nutribat, teneris immulgens ubera labris.
Hæc tibi prima, puer, fundent cunabula flores,
Mixtaque ridenti passim cum baccare tellus
Molli paulatim colocasia fundet acantho.

Christus disputat in templo in medio seniorum.

Et jam finis erat, perfecto temporis orbe,
Ut primum cessit furor, et rabida ora quierunt,
Ante annos animum gestans cœlestis origo.

Mirantur omnes Christum.

Per medias urbes graditur, populosque propin-[quos.

Illum omnis tectis, agrisque effusa juventus
Attonitis inhians animis prospectat euntem,
Turbaque miratur matrum, quis spiritus illi,
Quis vultus, vocisve sonus, vel gressus eunti est.

Testimonium Joannis de Christo.

Continuo vates, namque hic certissimus auctor,
Ut procul a gelido secretum flumine vidit,
Tempus, ait, Deus, ecce Deus, cui maxima rerum
Verborumque fides : tu non eris alter ab illo,
Fortunate puer, cœli cui sidera parent.
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
Exspectate venis, spes et solatia nostri.

Christus baptizatur a Joanne, et Spiritus sanctus descendit de cœlo.

Hæc ubi dicta dedit, fluvio mersare salubri
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis,
Exsultantque vada, et subito commota columba
Devolat, atque super caput astitit, inde repente
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.

Multos baptizatos cum Christo.

Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Certatim largos humeris infundere rores.

Vox de cœlo audita est, hic est, etc.

Tunc Genitor natum dictis compellat amicis :
Nate, meæ vires, mea magna potentia solus,
Et prædulce decus magnum redituræ parenti,
A te principium, tibi desinit. Accipe, testor,
O mea progenies : qua sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, perfecto lætus honore
Omnia sub pedibus vertique regique videbis.
Tu regere imperio populos, matresque virosque.
Jampridem resides animos, desuetaque corda,
Ignarosque viæ mecum miseratus inertes
Aggredere, et votis jam nunc assuesce vocari.
Dixerat, ille patris magni parere parabat
Imperiis, instans operi, regnisque futuris.
Heu pietas, heu prisca fides, quas dicere grates
Incipiam? si parva licet componere magnis.
Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec spes libertatis erat, nec cura salutis.

Omnia rident, adveniente Domino.

Hic mihi responsum primus dedit ille petenti,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum sensum, meque in mea regna remisit.
Illum ego per flammas, agerem si syrtibus exsul,
Per varios casus, per mille sequentia tela,
Quo res cumque cadant, unum pro munere tanto
Exsequerer, strueremque suis altaria donis.
Hujus in adventu tantarum munera laudum
Ipsi lætitia voces ad sidera jactant
Intonsi montes. Respondent omnia valles.

Tentatur Christus.

Tempore non alio magnum et memorabile nomen
Serpentis furiale malum meminisse necesse est.
Ausus quin etiam, fama est obscurior annis,
Compellare virum, et veniendi poscere causas.
Hunc ubi tendentem adversum per gramina vidit,
A Substitit, infremuitque ferox, dictuque potentem
Saucius ac serpens affatur voce superba :
Verane te facies? verus mihi nuntius affers?
Qui genus? unde domo? qui nostra ad limina tendis?
Fare, age, quid venias, nam te dare jura loquuntur.
Aut quis te juvenum, confidentissime, nostras
Jussit adire domos? pacique imponere morem?
Non equidem invideo, miror magis, accipe porro,
Quid dubitem, et quæ nunc animo sententia surgat.
Est domus alta, voca zephyros, et labere pennis
Ardua tecta petens ausus te credere cœlo,
Si modo, quem memoras, pater est, cui sidera parent.

Christus diabolum alloquitur.

Olli subridens sedato pectore fatur,
B Haud vatum ignarus, venturique inscius ævi :
Dissimulare etiam sperasti, perfide serpens?
Nec dubites, nam vera vides : opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cava te condere terra.
Quo, periture, ruis? majoraque viribus audes?
Cede Deo, toto projectus corpore terræ.

Diabolus fugit audito Christo.

Nec plura his : ille admirans venerabile donum
Fronte premit terram, et spumas agit ore cruento,
Contentusque fuga cæcis se condidit umbris.

Dominum elegisse discipulos, et statim secutos populos.

Interea magnas volitans it fama per urbes,
Convenere viri, mens omnibus una sequendi
In quascumque velit pelago deducere terras.
C Multi præterea, quos fama obscura recondit,
Concurrunt fremitu denso, stipantque frequentes,
Exsultantque animis : medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exstantem suscipit altis.
Quos ubi consertos audere in prælia vidit,
Incipit, et dictis divinum inspirat amorem :
Discite justitiam moniti, et succurrite fessis
Pro se quisque, viri, quæ cuique est copia, læti,
Communemque vocate Deum, meliora sequamur,
Quoque vocat, vertamus iter, via prima salutis
Intemerata fides, et mens sibi conscia recti :
Vobis parta quies perfecto temporis orbe.
Nam qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis, dum vita maneret,
Pulsatusve parens, et fraus innexa clienti,
D Tunc cum frigida mors anima seduxerit artus,
Inclusi pœnam exspectant, quæ maxima turba est,
Infernisque ciet tenebris, veterumque malorum
Supplicia expendunt, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Turbidus hic cœno, vastaque voragine gurges
Æstuat, atque omnem cocyto eructat arenam.
Hinc exaudiri gemitus, et sæva sonare
Verbera, tum stridor ferri, tractæque catenæ
Semper, et obtenta densantur nocte tenebræ.

Præcipitur, ne colantur idola.

Præterea quæ dicam animis advertite vestris :
Non ego vos posthac cæsis de more juvencis
Relligione patrum, truncis et robore natas,

Mortalive manu effigies, nec templa deorum
Audire, et repetens iterumque iterumque monebo :
Sed periisse semel satis est, natumque patremque
Profuerit meminisse magis, si credere dignum est.
Sed fugit interea, fugit irrevocabile tempus,
Flammarumque dies, et vis inimica propinquat.

De Judicio venturo.

Attonitis hæsere animis : nec plura moratus
Hic aliud majus miseris mortalibus ægris
Judicium canit, et tristes denuntiat iras,
Venturum excidium, vasta convulsa ruina
Omnia tunc pariter rutilo miscerier igni,
Palantesque polo stellas, cœlique ruinam.
Tunc vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor, et taciti ventura videbant.

Quid sibi faciendum foret, ut vitam æternam possideret, petiit quidam a Domino.

Hæc super adventu cum dicta horrenda moneret,
Ora puer prima signans intonsa juventa,
Dives opum, studiis florens ignobilis oti ;
Quinque greges illi balantum, et bina redibant
Armenta et dapibus mensas onerabat opimis.
Continuo palmas alacres utrasque tetendit,
Et genua amplectens, sic ore affatus amico est :
O Deus, o famæ merito pars maxima nostræ,
Ad te confugio, et supplex tua numina posco :
Omnia perfeci atque animo mecum ante peregi.
Eripe me his, invicte, malis; quid denique restat,
Quidve sequens tantos possim superare labores ?
Accipe daque fidem, mihi jussa capessere fas est.

Respondit ei Dominus.

Atque huic responsum paucis ita reddidit heros :
O præstans animi juvenis, absiste precando,
Nec te pœniteat, nihil o tibi, amice, relictum est.
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas,
Disce, puer, contemnere opes, et te quoque dignum
Finge Deo, et quæ sit poteris cognoscere virtus.
Da dextram misero, et fratrem ne desere frater;
Si jungi hospitio properat, conjunge volentem,
Casta pudicitiam servet domus ; en age segnes
Rumpe moras, rebusque veni non asper egenis.
Dixerat hæc, ille in verbo vestigia torsit
Tristior, ora modis attollens pallida miris,
Multa gemens, seseque oculis avertit, et aufert.

Christus insedit asello.

Tunc etiam tardi costis agitatus aselli
Insedit nimbo effulgens; tum plurima circum
Matres atque viri, pueri velamina nota
Subjiciunt, funemque manu contingere gaudent.
Jamque propinquabat portis, templumque vetustis
Antiqua ex cedro centum sublime columnis
Ingreditur, magna medius comitante caterva.

Christum ementes et vendentes flagello e templo expulisse.

Horrendum silvis, hoc illis curia templum,
Hæ sacræ sedes, miro quod honore colebant.
Namque sub ingenti lustrat dum singula templo,
A Horrescit visu subito : insonuitque flagello,
Significatque manu, et magno simul intonat ore :
Quæ scelerum facies, quæve æra micantia cerno,
Cæsaris et nomen ? quæ mentem insania mutat ?
Hæ nobis propriæ sedes, hic tempore certo
Perpetuis soliti patrum considere mensis.
Obstupuere animis, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor, mensasque metu liquere priores.

Discipuli periclitantur in mari.

Inde ubi prima fides pelago, tranquilla per alta
Deducunt socii naves, atque arte magistra,
Hic alius funda latum transverberat amnem
Alta petens, pelagoque alius trahit humida lina.
Postquam altum tenuere rates, nec jam amplius ullæ
Occurrunt terræ, crebris micat ignibus æther,
B Eripiunt subito nubes cœlumque diemque :
Consurgunt venti, et fluctus ad sidera tollunt.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Diriguit, cecidere animi, cunctique repente
Portum aspectabant flentes, vox omnibus una,
Spemque metumque inter dubii, seu vivere credant,
Sive extrema pati, lethi discrimine parvo,
Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto.

Christum ambulasse super aquas.

Ecce Deus magno misceri murmure pontum,
Emissamque hiemem sensit, cui summa potestas
Par levibus ventis, et fluminis ocior undis.
Prona petit maria, et pelago decurrit aperto,
Nec longo distat cursu præeunte carina.
C Agnoscunt longe regem, dextramque potentem
Nudati socii, et magno clamore salutant
Postquam altos tetigit fluctus, et ad æquora venit,
Hic vero horrendum, ac visu mirabile, forte
Subsidunt undæ, remo ut luctamen abesset,
Collectasque fugat nubes, graditurque per æquor
Jam medium, nec dum fluctus latera ardua tingit.
At media socios incedens nave per ipsos,
Ecce gubernaclo rector subit ipse magister,
Intremuit malus, gemuit sub pondere cymba.
Vela cadunt, puppique Deus consedit in alta,
Et tandem læti notæ advertuntur arenæ.

De Cœna Domini.

Devexo interea propior fit vesper olympo.
D Tunc victu revocant vires, fusique per herbam,
Et dapibus mensas onerant, et pocula ponunt.

Docet Sacramentum.

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ,
Ipse inter primos genitori instaurat honores
Suspicions cœlum, tunc facta silentia linguis.
Dat manibus fruges, dulcesque a fontibus undas ;
Implevitque mero pateram, ritusque sacrorum
Edocet, immiscetque preces, ac talia fatur :

Prædicit ab uno se traditum iri.

Audite, o proceres, ait, et spes discite vestras :
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit,
Promissisque patris, vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri, et palmam movet ordine nemo :

Et lux cum primum terris se crastina reddet,
Unus erit tantum in meque, exitiumque meorum,
Dum medium paci se offert de corpore nostro.
Namque dies (ni fallor) adest, secludite curas:
Mecum erit iste labor, nec me sententia fallit,
Unum pro multis dabitur caput. Hæc ita fatus,
Conticuit, seramque dedit per membra quietem.

Apostolos fugisse.

Diffugiunt comites, et nocte teguntur opaca;
Multaque dura suo tristi cum corde volutant.
Quid faciant? hærent infixi pectore vultus,
Verbaque, nec placidam membris dat cura quietem.

Conquestio Petri ad condiscipulos.

Tunc senior tales referebat pectore voces,
Multa putans: ubi nunc nobis Deus ille magister?
Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedem?
O dolor, atque decus tantarum gloria rerum!
Jamjam nulla mora est, et nos rape in omnia tecum,
Oramus, teque aspectu ne subtrahe nostro.

Sacerdotes cum populo contra Christum.

Oceanum interea surgens aurora reliquit,
Jamque sacerdotes late loca questibus implent,
Cum populo et patribus, ferturque per agmina mur-
[mur:
Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara
[morem
Permittit patria? pœnas cum sanguine poscunt
Undique collecti, et magno clamore sequuntur
Insontem, sævitque animis ignobile vulgus.

Christus hora sexta deducitur, ut crucifigatur.

Sol medium cœli conscenderat igneus orbem,
Tunc subito hunc acciri omnes populusque patresque
Exposcunt, farique jubent, quo sanguine cretus,
Quidve petat, quidve ipse ferat: prædamque tuentes
Facta viri, mistus dolor et stupor urget inertes.
Nescia mens hominum! certant illudere capto.
Tum vero captis concurrunt undique telis:
Tollitur in cœlum clamor, cunctique repente
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituunt, spinisque ligant ingentibus illum.
Tendebatque manus, pedibus per mutua nexis,
Triste ministerium! sequitur quos cætera pubes,
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.
Ille autem impavidus, Quo vincula nectitis? inquit.
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Post mihi non simili pœna commissa luetis.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.

Fit terræmotus, et sol osbcuratur.

Interea magno misceri murmure cœlum
Incipit, et rebus nox abstulit atra colorem,
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem.
Terra tremit, fugere feræ, et mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor: inde repente
Dat tellus gemitum, et cœlum tonat omne fragore.

Christum descendisse ad inferos.

Extemplo comites Erebi de sedibus imis
A Umbræ ibant tenues: tellus quoque et æquora ponti
Signa dabant, sistunt amnes, terræque debiscunt.
Quin ipsæ stupuere domus, atque intima lethi
Tartara, et umbrosæ penitus patuere cavernæ.
Sol quoque et exoriens (cuncti se scire fatentur)
Tunc caput obscura nitidum ferrugine texit.

Christum tertia die resurrexisse.

Hosque inter motus, media inter talia verba
Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram.
Jamque pedem referens superas veniebat ad auras,
Cum subito ante oculos ingenti mole sepulcrum,
Corpus ubi exanimum positum, nec claustra, nec ipsi
Custodes sufferre valent, avulsaque saxis
Saxa vident, laxis laterum compagibus arctis.
Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus,
B Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Foribus clausis apparuisse Christum discipulis.

Ecce autem primi volucrum sub culmine cantus:
Ingreditur, linquens antrum, spoliisque superbus
Ibat ovans, pulsuque pedum tremit excita tellus,
Vulneraque illa gerens foribus sese ingerit arctis.
Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum
Invenit admirans numerum, cunctisque repente
Improvisus ait: Coram quem quæritis adsum:
Vicit iter durum pietas, et vivida virtus.
Præcipites vigilate, viri, timor omnis abesto.

Instruit apostolos.

Hi nostri reditus, exspectatique triumphi,
C Hæc mea magna fides; o terque quaterque beati,
Quæ vobis, quæ digna, viri, pro laudibus istis
Præmia posse reor solvi? quæ dona parari?
Accipite ergo animis: quæ vos a stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet, revocate animum mœstumque timorem
Mittite, jam vosmet rebus servate secundis.

Christum apostolis pacem reliquisse.

Quod superest, læti bene gestis ordine rebus,
Pacem optate manu, pacem laudate sedentes
Magnanimi: pacis solum inviolabile pignus.
Et simul his dictis faciem ostendebat et ora,
Ora manusque ambas, populataque pectora ferro:
Immiscentque manus manibus, gaudentque tuentes,
D Nec vidisse semel satis est, juvat usque morari,
Et conferre gradum, et dextræ conjungere dextram.

De Ascensione Christi.

His demum exactis, spirantes dimovet auras
Aera per tenerum, cœloque invectus aperto
Mortales visus medio in sermone reliquit.
Infert se septus nebula, mirabile dictu!
Ast illum solio stellantis gloria cœli
Accipit, æternumque tenet per sæcula nomen.
Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavere diem, tot jam labentibus annis.
I, decus, i, nostrum, tantarum gloria rerum,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.
Et nos et tua, dexter, adi pede sacra secundo,

Annua quæ differre nefas : celebrate faventes
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto,
A O dulcis conjux : et si pietate merentur,
Hac casti maneant in religione nepotes.

APPENDIX
AD
POETAS CHRISTIANOS
QUARTI SÆCULI.

ADMONITIO.

In hac appendice continentur Ausonii opera. Illum vero cur a poetis Christianis qui eadem ætate floruerunt, cum ipse Christo nomen dederit, absciderimus, satis ex carminum ejus lectione compertum erit, quorum pleraque a Christiana indole, nonnulla etiam ab ipso pudore longius aberrant, pauca tantum veri Dei notiones inducunt. Quidquid igitur nobis obscenitate aliqua laborare visum est, eo libentius reticuimus, quod nihil inde nisi nauseam lector pudicus simul et litteratus percipere potuisset. Cæterum quod ad recensionem nostram generatim pertinet, hanc esse quam maxime completam et omnibus numeris absolutam de more curavimus, variis inter se collatis editionibus, aliaque ab alia opem mutuatis. Harum præcipue duas memorabimus : unam quæ prodiit Lugduni anno 1540, *in-8°, apud Seb. Gryphium; alteram exstantem in Collectione ditissima Pesauri cusa* 1766, *in-4°.*

IN AUSONIUM PROLEGOMENA.

1. *Ausonii ætas et religio.*

Decimus Magnus Ausonius (*a*) Burdegalensis, grammaticus et rhetor doctissimus, poeta vero suavis atque ingeniosus, Christi (*b*) etiam sacris addictus, etsi ejus rei rara (certe tamen) in scriptis suis reliquit vestigia. Ab imp. Gratiano, quem non minus ac Valentinianum fratrem in litteris instituerat, promotus ad quæsturam, præfecturam prætorii et, A. C. 379, ad consulatum, obiit imperante Honorio post A. C. 392. De Ausonio consulenda Vita Fl. Mallii Theodori scripta ab Alberto Paulo Rubenio, quam vulgavit Grævius Ultraj. 1699, in-12. Vicarium

(*a*) Ausonii hujus pater Julius Ausonius, Vasatensis, Medicus Valentini senioris. Ejus libros de medicina memorat Marcellus Empiricus. Fertur et illius dictum, *beatum esse non qui habet quæ cupit, sed qui non cupit quæ non habet.* Adde Joseph. Scaligerum in Ausonii vita, et Vossium libro de Philosophia pag. 103. Quam bonus vir fuerit Ausonius ille pater, docet filius Epicedio in eum scripto, quo inter alia testatur nonagenarium obiisse. Genealogiam integram vide parentalibus subjectam pag. 143 edit. Jac. Tollii. Alius fuit Ausonius Sophista, de quo Suidas.

(*b*) Olaus Borrichius vir clariss. in libro de Poetis p. 73, et doctissimus Caveus parte II Hist. litterariæ scriptor. Eccles. pag. 100, Christophorus item Hendreich in pandectis Brandenburgicis tom. I p. 360, non dubitant Ausonium religione ethnicum pronuntiare : quin vir insignis doctrinæ Ludovicus Antonius Muratorius tom. I Anecdoton Bibl. Ambrosianæ p. 114, ait neminem dubitare, quod a religione Christiana alienus Ausonius fuerit. Addidit Borrichius, etiam propterea a Pontio Paulino amico identidem objurgatum. Et pag. 74 : *Paulinus discipulus Ausonii quem colebat ut præceptorem, sed ut aversum a Christiana religione subinde increpabat.* At enim dubio procul fallitur vir doctus una cum Vossio, qui p. 55 Poet. latin. de Ausonio : *Poeta*, inquit, *fuit gentilis, quemadmodum ex Paulino liquet.* Videtur etiam pro ethnico habere Bailletus in Judiciis de Poetis, tum Philippus Brietius syntagmate de Poetis Latinis, quæ sententia non minus a veritate est repulsa, quam quod Gaddio persuasum propemodum a Trithemio esse video, poetam hunc eumdem episcopum quoque exstitisse Burdegalensem, tom. I, de Scriptoribus non Ecclesiast., p. 57; Christianum vero fuisse Ausonium, ut ad alia argumenta ex ipsius scriptis recurrere non sit necesse, idem Paulinus luculenter testatur ad eum scribens in hæc verba,

Inque tuo tantus nobis consensus amore est,
Quantus et in Christo connexa mente colendo.

Rectius itaque Gyraldus dialogo 10, de Poetis : *Christianus quidem Ausonius fuit, ut ex ejus versibus et item Paulini ejus discipuli facile colligimus, sed petulantior tamen et lascivior* (respicit Gyraldus tum epigrammata quædam lasciva et flammis judice Cæsare Scaligero expianda, tum obscenum centonem nuptialem Valentiniano imp. rogante, qui nuptias simili lusu descripserat, ab Ausonio compositum) *quam ut inter Christianos numerari dignus.* Josephus quoque Scaliger Ausonium *serio Christianum fuisse* scribit lib. II, c. 52, Auson. lect. Adde his Theophilum Raynaudum in Hoplotheca contra ictum calumniæ tom. XII, p. 420, et Bælii dictionarium edit. 2. Objurgavit vero Ausonium Paulinus non ut aversum a Christiana religione, sed quod ille religiosum Paulini secessum palam improbaret. Fortassis male quoque ferebat Paulinus in Ausonii carminibus legere se quædam ἐθνικώτερον scripta, quale est illud cap. I in Professoribus Burdegalensibus :

Et nunc, sive aliquid post fata extrema supersit,
Vivis adhuc, ævi quod periit meminens.
Sive nihil superest, nec habent longa otia sensus,
Tu tibi vixisti, nos tua fama juvat.

Africæ fuisse notat Josephus Scaliger lib. II Lect. Ausonianar., cap. 17, ubi et alia. Consulatum suum incidere in annum Urbis conditæ 1118, qui ex supputatione Ausonii epocham Varronianam tredecim annis intervertentis (*a*) respondet anno Christi 379, testatur ipse epigrammate 3 pag. 93 edit. Tollianæ :

Mille annos centumque et bis fluxisse novenos
Consulis Ausonii nomen ad usque leges.

Et Epigrammate 2 :

Annis undecies centum conjunge quaternos,
Undecies unumque (*b*) super trieterida necte;
Hæc erit æternæ series ab origine Romæ.

Fastos digessit Ausonius usque ad A. U. C. 1122, Christi 382. Hinc Epigrammate 4 :

Hactenus ascripsi fastos : si sors volet, ultra
Adjiciam; si non, qui legis adjicies.
Scire cupis qui sim? titulum qui quartus ab imo est
Quære, leges nomen consulis Ausonii.

Sed jam pridem isti Ausoniani fasti interciderunt. Vir illustris Ez. Spanhemius tom. II, de usu numism., pag. 414, ait a sanioribus criticis Ausonium religione gentilem credi, non Christianum. Verius tamen est Christi sacris addictum fuisse, ut argumentis non inficiandis constat, licet carmen Paschale et versus rophalicos alterius scriptoris esse ponamus. Nolim tamen assentiri Trithemio Ausonium episcopum Burdegalensem concilio Treverensi (A. C. 386) interfuisse affirmanti cap. 114 de Scriptoribus Ecclesiasticis. Alius fuit Ausonius Martyr, Sec. VIII, episcopus Engolismensis in Aquitania, de quo Acta Sanctor. tom. V, Maii 22, pag. 131 seq.

2. *Ausonii scripta.* — Exstat 1° *liber Epigrammatum*, quibus præmittitur Theodosii (*c*) epistola, qua Ausonium parentem vocat, eumque rogat, ut scripta sua audacter ad se perferat, non minus patrocinii et amoris reperturus, quam docti poetæ et scriptores quondam apud Augustum. Hanc epistolam sequitur triplex præfatio versu scripta, una ad Theodosium imp., altera ad Syagrium, tertia ad Latinum Pacatum Drepanium, quem filium, i. e. discipulum appellat. — 2° *Ephemeris* (*d*) sive *totius diei negotium*, vario carminis genere. — 3° *Parentalia* quibus charorum suorum, ut ipse loquitur, obitus commemorat. — 4° *Commemoratio Professorum Burdegalensium.* — 5° *Epitaphia Heroum qui bello Trojano interfuerunt*, adjecta a Guil. Cantero et aliis peplo Græcorum epigrammatum in eosdem heroas, auctore A Aristotele, sed ut Jo. Tzetzes ad Hesiodum monet, non Stagirita. Addidit Ausonius alia *quædam Epitaphia* ut Niobes, Didonis, Diogenis Cynici, etc. — 6° *De XII Cæsaribus per Suetonium Tranquillum scriptis Monosticha* dicata Hesperio filio, et de iisdem *Cæsaribus a Julio Cæsare usque ad Heliogabalum* (*e*) *tetrasticha.* Hæc sæpius ad calcem Suetonii vulgata sunt. *Tetrasticha* Ausonii *de Cæsaribus* occurrunt etiam P. I. elogiorum Jo. Papirii Massoni pag. 147 seq. — 7° *Claræ urbes* sive *Ordo nobilium urbium* seorsim prodiit cum Hippolyti a Collibus de urbium incrementis. Etiam Pictav. 1565, una cum commentario Eliæ Vineti. — 8° *Ludus sive sententiæ Septem Sapientum* ad Latinium Drepanium Pacatum procos. — 9° *Idyllia XX*, quorum primum est *Carmen Pas-*
B *chale* Proco (*f*) dictum, quod incipit :

Sancta salutiferi redeunt solemnia Christi.

Neque confundi debet cum hypobolimæa, Ausoniique nomine falso edita *oratione Paschali versibus* (*g*) *Rophalicis*, qui incipiunt p. 326 :

Spes Deus æternæ stationis conciliator.

Idyllii septimi in Bissulam major pars et lascivior periit. Decimum sive Mosella elegantissimum est, et commentariis Marqv. Freheri illustratum separatim prodiit Heidelbergæ 1619, in-fol. Vide etiam clariss. viri Conradi Sam. Schurtzfleischii diss. Historico-politicas p. 520 seq. Tertium decimum est *cento Virgilianus nuptialis et fescenninus. Cupido Cruci affixus* ibidem mihi dictus idyllii sexti locum occupat. Cum
C variorum notis recusus est Hagæ Comitis Anno 1712, in-8° (*h*), ad calcem Pervigilii Veneris. Carmine Germanico reddidit Martinus Opitius libro silvarum quinto. Hujus idyllii sexti de Cupidine crucifixo locum insignem v. 16 seq. *Fulmineos Semele*, etc., illustrant viri clariss. Oudinus S. I. et Ravionus de Varennes; Journal des savants 1718, pag. 197, 205; Mémoires de Trévoux 1717, pag. 1181, 1189. *Gryphum ternarium*, sive idyllion undecimum illustravit Scaliger epist. 199. Claudius item Minos Divionensis, et Franciscus Sylvius Ambianas A. 1516, ac Franciscus Sanctius Brocensis una cum Ovidio in Ibin, Salmanticæ 1506, in-8°. At idyllium decimum quintum de ambiguitate vitæ seorsim excusum cum commentario Henr. Vagetii Hamb. 1637, in-8°. Idem cum distichis Catonis, aliisque prodiit 1500, in-4°. Idem Idyllium Græca metaphrasi donavit *Federi-*

(*a*) Vide Antonii Pagi Criticam Baronianam ad A. C. 302, et Petri Relandi Fastos Consulares pag. 464.

(*b*) Undecies unum, i. e. undecim, quibus quatuor cum trieteride additi conficiunt duodeviginti.

(*c*) Hæc epistola præter causam suspecta videtur Mariangelo Accursio, Caspari Barthio XII 12 et LVIII 3 Adversar. absurde auctorem suspicato Ascensium.

(*d*) Hanc qui legerit, Christianum fuisse auctorem minime dubitabit. Vide edit. Tollii p. 96, 98 seq.

(*e*) Scripserat in cæteros quoque imperatores usque ad Theodosium, sed reliqua tetrasticha perierunt.

(*f*) Forte *a proconsule* dictum, uti Idyllium 8 est recatio Ausonii consulis.

(*g*) Versus Rophalici dicuntur quod clavæ more voces gradatim surgunt et augentur numero syllabarum, sive per singula vocabula singulis syllabis increscunt, ut Homeri ille Iliad. libro tertio vers. 182, de quo Gellius XIV, 6. Calix ῥοπαλωτός apud Dionem in Commodo, *in clavæ figuram formatus.* Pro *Rophalicis* versibus alii legunt *Euryphallicos.* Vide Bernhardi Monetæ notas ad Menagiana tom. IV, pag. 180. Rophalici versus exemplum ex Homero hoc affert Eustathius in Iliad. γ, 182, edit. Basil. :

Ὦ μάκαρ Ἀτρεΐδη, μοιρηγενές, ὀλβιόδαιμον.

(*h*) Journal des Savants 1713, pag. 193.

cus Jamotius pag. 57 poematum. Elegiam ejusdem argumenti scriptoris recentioris edidit Barthius XLV 16 Advers. Ad *Idyllion de Viro bono*, sive Πυθαγορικὸν ἀκρόασιν dissertatio Magni Danielis Omeisii lucem vidit Altdorfii 1706, in-4°, in qua et plura de Ausonio. — 10° *Eclogarium variorum poematiorum et epigrammatum*, quorum pars ut in aliis quoque Ausonii carminibus expressa e Græcis quæ in Scaligeri editione et aliis quibusdam adjuncta leguntur. Epigramma Græcum *Posidippi* sive *Cratetis* Cynici, quod expressit Ausonius et amplificavit, una cum contrario *Metrodori* legitur in Anthologia epigrammatum Græcorum lib. I, p. 27 seq. In ms. codice Antonii Eparchi, qui hodie servatur in Bibl. Regis Christianissimi, prius illud exstat sub *Heraclidi* nomine, alterum *Democrito* tribuitur. Vide Bandurium ad Antiquitates Constantinopolitanas pag. 882. *Apophthegmata Græciæ Sapientum* cum scholiis Erasmi, distichis Catonis et aliis quibusdam, Francofurti ad Oderam in-8°; *Carmen Paschale* cum notis *Speltini*, in collectione poematum Speltini, Erfurti 1501, in-4°.— 11° *Liber Epistolarum XXV*, uti omnia hactenus enarrata, vario carminis genere. Idylliis et epistolis nonnullis subinde epistola prosa scripta præmittitur. — 12° *Oratio Panegyrica ad Gratianum imp.* qua illi pro consulatu gratias agit, sæpe numero edita cum XII Panegyricis, uti dictum est supra. — 13° *Periocha in Homeri Iliadem et Odysseam.* — 14° In editione Vineti leguntur etiam *tetrasticha in singulos menses*, quæ Scaliger in sua omisit, at in Catalectis veterum poetarum edidit sine auctoris nomine, quod et in sua veterum epigrammatum Latinorum editione fecit P. Pithœus. In vetustissimo Calendario Romano quod e codice ms. bibliothecæ Cæsareæ vulgavit Petrus Lambecius ad calcem libri quarti commentariorum, et Grævius inseruit tomo octavo thesauri Antiquitatum Romanarum, tetrasticha ista quæ Grævius Ausonio haud indigna judicat, imaginibus mensium singula sunt subjecta, illasque pulchre referunt. Confer Eustathium de Ismenis et Ismeniæ amoribus libro quarto, ubi duodecim mensium imagines prisco more depictas describit.

3. *Operum Ausonii editiones.* — Ausonium Gesnerus primum editum narrat ab Aldo, sed Laurentius Pignorius, epist. 16, auctor est Ausonium nos debere Matthæo Bosso, Angelo Politiano ac Taddæo Ugoleto : et in Beughemii Incunabulis typographiæ memorari video ἔκδοσιν Mediolanensem anni 1490, quam editionem Ausonii 1490 principem vocat Rosweidus ad Paulini carmen 4, pag. 856, deinde Venetam A. 1496, in-fol., cum præfat. Georgi Merulæ. Exstat etiam Ausonius excusus Mediolani A. 1497, cum Terentiano Mauro. Vide Diarium Venetum, Giornale de' letterati d' Italia tom. XVII, pag. 303. Possideo editionem cum Thaddæi Ugoleti Parmensis præfatione vulgatam Venetiis 1501, in-4°, passimque notatam manu viri summi Andreæ Alciati. Epigrammata quædam accesserunt primum Ausonio ex Bibliotheca Georgii Merulæ Alexandrini. Exstat quoque editio Parisiensis a Milh-Humelbergio emendata, ap. Jodocum Badium Ascensium A. 1517, in-4°. Eodem anno Aldus Ausonium vulgavit in-8°. Omitto editiones Basileensem Valentini Curionis anno 1523; Lugdunenses ap. Gryphium 1540, in-8°, et 1549; Parisiensem a Vineto castigatam, curante Vineti amico Jacobo Goupylo, A. 1551; Lugdunensem Lud. Miræi 1557, in-8°; Antwerpiensem Theodori Pulmanni, minore forma A. 1567. Præ reliquis vero laudanda luculenta Ausonii editio, cura viri docti *Æliæ Vineti* vulgata, Burdegalæ A. 1575, in-4°, una cum commentariis ejusdem A. 1580, eadem forma excusis, et post ejus (*a*) obitum An. 1590, in-4°. Huic Vineto, antequam commentarii ejus in lucem emitterentur, *Josephus Scaliger* suos Ausonianarum lectionum libros II inscripsit A. 1573, in quorum postremi capite ultimo, Poetæ vitam succincte narratam tradidit. Idem deinde frequenter editi sunt cum Ausonio non tantum Lugd. 1575, sed et ap. Commelinum 1588, in-8°, et eodem anno, minore forma Genevæ, alibique ab eo tempore sæpius, additis selectis Vineti notis et excerptis ex opere Adversariorum Adr. Turnebi et scriptis Philologicis Adr. Junii, Guil. Canteri et Justi Lipsii. Ante Vinetum et Scaligerum diatribas in Auson., Ovidium et Solinum vulgaverat *Mariangelus Accursius* Rom. 1524, in fol., qui plagii postulatus quod labores Fabricii Varani episcopi Camerini sibi tribuisset, crimen illud a se removit hoc concepto jurejurando : *Quod dii hominesque fas fidesque audiat, sacramenti religione et si quid est jurejurando sanctius affirmo, idque rite pariter ac sine dolo malo dici, cæterisque accipi volo, me nec ullius unquam scripta perlegisse ac ne conspexisse quidem, unde vel tantillum lucubrationes nostras redimiri juvarique datum fuerit. Quin immo laborasse quoad ejus fieri licuerit, ut si quippiam alterius post observationem quoque meam editam occurrerit, e nostris protinus abolerimus. Quod si pejerem, tum pontifex perjurio, malus autem genius diatribis contingat, usque adeo ut si qua bona aut saltem mediocria in ipsis fuerint, imperitorum turba pessima, bonis leviuscula tricisque viliora censeantur : famæ si qua manent munera, vento evolent, proque vulgi levitate ferantur.* Ausonius cum

(*a*) Obiit Vinetus A. 1587. Ejus secundæ editionis commentarii meminit Jos. Scaliger p. 403 Epist., gryphum ternarii Ausoniani expositurus ad Nic. Michælium : *Scis quam non vulgaris eruditio sit in poematis Ausonii. In quibus gryphus ternarii melioribus ævi nostri grammaticis crucem fixit, quamquam conatus omnium elusit recondita et velo ænigmatum summota doctrina : nam Sylvius Ambianus nihil nisi triviali moneta percussit. Bonus Vinetus non solum sibi, sed et eruditioribus, etiam in iis quæ plana sunt, diffidit. Et quamvis in commentario secundo quod nuper post ejus mortem recoctum est, multa de nostris lectionibus Ausonianis in suas diatribas transcripserit, nihil tamen quo doctioribus Ausonius familiarior fieret exprompsit.* Confer etiam si placet Tho. Crenii part. IV Animadvers. pag. 11 seq., ubi et alia quædam ad notitiam editionum Ausonii facientia.

Josephi Scaligeri lectionibus Ausonianis Genev. 1608, in 12. *Conradus Rittershusius*, pag. 113, ad Guntheri Ligurinum, memorat exercitationes suas ad Ausonium, in quibus plura loca Nazarii et aliorum Panegyricorum emendaverit. Sed nec illæ, nec *Casparis Barthii* animadversiones ad Ausonium, aut *Henrici Ernstii* notæ atquæ variæ lectiones umquam viderunt lucem quod sciam : licet exstent Rittershusii ad Panegyricos observationes quædam, ut supra lib. II, cap. 22, dicere me memini.

Denique elegantissime hunc scriptorem Lugduni Bat. 1671, in-8°, in lucem emisit *Jacobus Tollius* cum notis integris Scaligeri, et cujus in Mosellam Ausonianam commentarius Heidelb. 1619, in-fol., prodierat, Marquardi Freheri, selectisque animadversionibus Accursii (quamquam integras titulus, sed falso promittit), Vineti, Barthii, Acidalii, J. F. Gronovii et Jo. Georgii Grævii. Constat Mosellam Ausonii cum selectis Tibulli Propertiique elegiis illustratam quoque a Paulo Duizio, Mussiponti 1615 in-8.

DECII AUSONII

GALLI BURDIGALENSIS

OPERA QUÆ EXSTANT.

PRÆFATIUNCULÆ.

Theodosius Augustus Ausonio parenti salutem.

Amor meus in te est, et admiratio ingenii atque eruditionis tuæ, quæ multo maxima sunt, fecit, parens jucundissime, ut morem principibus aliis solitum sequestrarem ; familiaremque sermonem autographum ad te transmitterem, postulans pro jure, non quidem regio, sed illius privatæ inter nos charitatis, ne fraudari me scriptorum tuorum lectione patiaris, quæ olim mihi cognita et jam per tempus oblita, rursum desidero : non solum ut quæ sunt nota recolantur, sed ut ea quæ fama celebri adjecta memorantur, accipiam. Quæ tu de promptuario scriniorum tuorum, qui me amas, libens impartiare, secutus exempla auctorum optimorum (quibus par esse meruisti) qui Octaviano Augusto rerum potienti certatim sua opera tradebant, nullo fine in ejus honorem multa condentes. Qui illos haud sciam, an æqualiter, ac ego te, admiratus sit, certe non amplius diligebat. Vale, parens.

Theodosio Augusto Ausonius.

Agricolam si flava Ceres dare semina terræ,
  Gradivus jubeat si capere arma ducem,
Solvere de portu classem Neptunus inermem,
  Fidere tam fas est, quam dubitare nefas :
Insanum quamvis hiemet mare, crudaque tellus
  Seminibus, bello nec satis apta manus.
Nil dubites auctore bono. Mortalia quærunt
  Consilium. Certus jussa capesse Dei.
Scribere me Augustus jubet, et mea carmina poscit,
  Pene rogans. Blando vis latet imperio.
Non habeo ingenium ; Cæsar sed jussit : habebo.
  Cur me posse negem, posse quod ille putat ?
Invalidas vires ipse excitat : et juvat idem,
  Qui jubet : obsequium sufficit esse meum.
Non tutum renuisse deo. Laudata pudoris
  Sæpe mora est : quotiens contra parem dubites.
Quin etiam non jussa parant erumpere dudum
  Carmina. Quis nolit Cæsaris esse liber ?
Ne ferat indignum vatem, centumque lituras,
  Mutandas semper deteriore nota.
Tu modo te jussisse, pater Romane, memento :
  Inque meis culpis da tibi tu veniam.

Ausonius Syagrio suo S.

Ausonius genitor nobis. Ego nomine eodem
  Qui sim, qua secta, stirpe, lare, et patria,
Ascripsi, ut nosses, bone vir, quicumque fuissem,
  Et notum memori me coleres animo.
Vasates patria est patri : gens Ædua matri
  De patre : Tarbellis sed genitrix ab Aquis.
Ipse ego Burdigalæ genitus : divisa per urbes
  Quatuor antiquas stirpis origo meæ.
Hinc late fusa est cognatio, nomina multis
  Ex nostra, ut placitum, ducta domo veniant.
Derivata aliis : nobis ab stemmate primo
  Et non cognati, sed genitiva placent.
Sed redeo ad seriem : genitor studuit medicinæ,
  Disciplinarum quæ dedit una Deum.
Nos ad grammaticen studium convertimus, et mox,
  Rhetorices etiam quod satis attigimus.
Nec fora non celebrata mihi : sed cura docendi
  Cultior, et nomen Grammatici merui.
Non tam grande quidem, quo gloria nostra subiret
  Æmilium aut Scaurum, Berytiumque Probum :
Sed quo nostrates, Aquitanica nomina, multos
  Collatus, non et subditus, aspicerem.
Exactisque dehinc per trina decennia fastis
  Asserui doctor municipalem operam.
Aurea et Augusti palatia jussus adire,
  Augustam sobolem grammaticus docui :
Mox etiam rhetor ; nec enim fiducia nobis
  Vana, aut non solidi gloria judicii.
Cedo tamen fuerint fama potiore magistri,
  Dum nulli fuerit discipulus melior.
Alcides Atlantis, et Æacides Chironis,

Pene Jove iste satus, filius ille Jovis,
Thessaliam, Thebasque suos habuere penates:
At meus hic toto regnat in orbe suo.
Cujus ego comes, et quæstor, et culmen honorum,
Præfectus Gallis, et Libyæ, et Latio:
Et prior indeptus fasces, Latiamque curulem,
Consul, collega posteriore, fui.
Hic ego Ausonius: sed tu ne temne, quod ultro
Patronum nostris te paro carminibus.
Pectoris ut nostri sedem colis, alme Syagri,
Communemque habitas, alter ego, Ausonium:
Sic etiam nostro præfatus habebere libro,
Differat ut nihilo, sit tuus, anne meus.

Ausonius Latino Pacato Drepanio, Filio.

Cui dono lepidum novum libellum?
A Veronensis ait poeta quondam:
Inventoque dedit statim Nepoti.
At nos illepidum, rudem libellum,
Burras, quisquilias, ineptiasque,
Credemus gremio cui fovendum?
Inveni, trepide silete nactæ,
Nec doctum minus, et magis benignum,
Quam quem Gallia præbuit Catullo.
Hoc nullus mihi charior meorum;
Quem pluris faciunt novem Sorores,
Quam cunctos alios, Marone dempto.
Pacatum haud dubie, Poeta, dicis.
Ipse est, intrepide volate versus:
Et nidum in gremio fovete tuto.
Hic vos diligere, hic volet tueri.
B Ignoscenda teget, probata tradet,
Post hunc judicium timete nullum.

EPIGRAMMATA.

I. *De Augusto.*

Phœbe potens numeris, præses Tritonia bellis,
Tu quoque ab aerio præpes Victoria lapsu,
Come serenatam duplici diademate frontem,
Serta ferens, quæ dona togæ, quæ præmia pugnæ.
Bellandi fandique potens Augustus, honorem
Bis meret: ut geminet titulos, qui prælia Musis
Temperat, et Geticum moderatur Apolline Martem.
Arma inter Chunosque truces, furtoque nocentes
Sauromatas, quantum cessat de tempore belli,
Indulget Clariis tantum inter castra Camœnis.
Vix posuit volucres stridentia tela sagittas,
Musarum ad calamos fertur manus, otia nescit,
Et commutata meditatur arundine carmen.
Sed carmen non molle modis, bella horrida Martis
C Odrysii, Thressæque viraginis arma retractat.
Exsulta, Æacide, celebraris vate superbo
Rursum: Romanusque tibi contingit Homerus.

II. *De fera a Cæsare interfecta.*

Cedere quæ lato nescit fera saucia ferro,
Armatique urget tela cruenta viri,
Quam grandes parvo patitur sub vulnere mortes,
Et solam lethi vim probat esse manum!
Mirantur casusque novos, subitasque ruinas:
Quæritur, et fallit lumina plaga recens.
Nec contenta ictos lethaliter ire per artus,
Conjungit mortes una sagitta duas.
Plurima communi pereunt si fulminis ictu,
Hæc quoque de cœlo vulnera missa putes.

III. *Danubius Nilum alloquitur.*

Illyricis regnator aquis, tibi, Nile, secundus,
Danubius lætum profero fonte caput.
Salvere Augustos jubeo, natumque, patremque,
Armiferis alui quos ego Pannoniis.
Nuntius Euxino jam nunc volo currere ponto,
Ut sciat hoc Superum cura secunda Valens;
Cæde, fuga, flammis stratos periisse Suevos:
Nec Rhenum Gallis limitis esse loco.
Quod si lege maris refluus mihi curreret amnis,
Huc possem victos inde referre Gothos.

IV. *Idem eumdem alloquitur.*

Danubius penitis caput occultatus in oris,
Totus sub vestra jam ditione fluo.
Qua gelidum fontem mediis effundo Suevis,
Imperiis gravidas qua seco Pannonias.
Et qua dives aquis Scythico solvo ostia ponto:
Omnia sub vestrum flumina mitto jugum.
Augusto dabitur, sed proxima palma, Valenti.
Inveniet fontes hic quoque, Nile, tuos.

V. *Sub Valentiniani Junioris signo marmoreo.*

Nunc te marmoreum pro sumptu fecimus; at cum
Augustus frater remeaverit, aureus esto.

C

VI. *Picturæ subditi, ubi Leo una a Gratiano sagitta occisus est.*

Quod leo tam tenui patitur sub arundine lethum,
Non vires ferri, sed ferientis agunt.

VII. *De matre Augusti.*

Ante omnes alias felix tamen hoc ego dicar:
Sive deum peperi femina, sive virum.

VIII. *Exhortatio ad modestiam.*

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto,
Fercula gemmatis cum poneret horrida vasis;
Et misceret opes pauperiemque simul.
Quærenti causam respondit: Rex ego qui sum
D Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicumque repente
Dives ab exsilii progrediere loco.

IX. *De suis poematis.*

Est jocus in nostris, sunt seria multa, libellis;
Stoicus has partes, has Epicurus agit.
Salva mihi veterum maneat dum regula morum;
Ludat permistis sobria Musa jocis.

X. *In Eumpinam adulteram.*

Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito;

Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miscuit argenti lethalia pondera vivi;
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc si quis, faciunt discreta venenum.
Antidotum sumet qui sociata bibet.
Ergo inter sese dum noxia pocula certant,
Cessit lethalis noxa salutiferæ.
Protinus et vacuos alvi petiere recessus,
Lubrica dejectis qua via nota cibis.
Quam pia cura deum! prodest crudelior uxor.
Et cum fata volunt, bina venena juvant.

XI. *Echo ad pictorem.*

Vane, quid affectas faciem mihi ponere, pictor,
Ignotamque oculis sollicitare deam?
Aeris et linguæ sum filia, mater inanis
Indicii, vocem quæ sine mente gero.
Extremos percunte modos a fine reducens,
Ludificata sequor verba aliena meis.
Auribus in vestris habito penetrabilis Echo:
Et si vis similem pingere, pinge sonum.

XII. *In simulacrum Occasionis et Pœnitentiæ.*

Cujus opus? Phidiæ, qui signum Pallados, ejus
Quique Jovem fecit, tertia palma ego sum.
Sum dea quæ rara, et paucis OCCASIO nota.
Quid rotulæ insistis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris sum. Mercurius quæ
Fortunare solet, tardo ego, cum volui.
Crine tegis faciem. Cognosci nolo; sed heus tu
Occipiti calvo es. Ne tenear fugiens.
Quæ tibi juncta comes? Dicat tibi. Dic rogo quæ sis. C
Sum dea cui nomen nec Cicero ipse dedit.
Sum dea quæ facti non factique exigo pœnas.
Nempe ut pœniteat, sic METANŒA vocor.
Tu modo dic quid agat tecum? Si quando volavi,
Hæc manet, hanc retinent quos ego præterii.
Tu quoque, dum rogitas, dum percontando moraris,
Elapsam dices me tibi de manibus.

XIII. *De lepore capto a cane marino.*

Trinacrii quondam currentem in litoris ora
Ante canes leporem cæruleus rapuit.
At lepus: In me omnis terræ pelagique rapina est,
Forsitan et cœli, si canis astra tenet.

XIV. *De Pergamo scriptore fugitivo, qui captus fuerat.*

Tam segnis scriptor quam lentus, Pergame, cursor, D
Fugisti, et primo captus es in stadio.
Ergo notas scripto tolerasti, Pergame, vultu,
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

XV. *In eumdem Pergamum.*

Pergame, non recte punitus: fronte subisti
Supplicium lentæ quod meruere manus.
At tu, qui dominus, peccantia membra coerce.
Injustum falsos excruciare reos.
Aut inscribe istam, quæ non vult scribere, dextram,
Aut profugos ferri pondere necte pedes.

XVI. *De se et uxore.*

Laidas et Glyceras, lascivæ nomina famæ,
A Conjux in nostro carmine cum legeret,
Ludere me dixit, falsoque in amore jocari:
Tanta illi nostra est de probitate fides.

XVII. *Ad uxorem suam.*

Uxor, vivamus, quod vixímus, et teneamus
Nomina quæ primo sumpsimus in thalamo;
Nec ferat ulla dies, ut commutemur in ævo;
Quin tibi sim juvenis, tuque puella mihi.
Nestore sim quamvis provectior, æmulaque annis
Vincas Cumanam tu quoque Deiphoben;
Nos ignoremus quid sit matura senectus.
Scire ævi incertum, non numerare decet.

XVIII. *In Meroen anum ebriosam.*

Qui primus, MEROE, nomen tibi condidit, ille
B Thesidæ nomen condidit Hippolyto.
Nam divinare est, nomen componere, quod sit
Fortunæ, morum, vel necis indicium.
Protesilae, tibi nomen sic fata dederunt:
Victima quod Trojæ prima futurus eras.
Idmona quod vatem, medicum quod lapida dicunt,
Discendas artes nomina præveniunt.
Et tu sic, Meroe: non quod sis atra colore,
Ut quæ Niliaca nascitur in Meroe;
Infusum sed quod vinum non diluis undis,
Potare immixtum sueta merumque merum.

XIX. *Nemesis e Græco.*

Me lapidem quondam Persæ advexere, tropæum
Ut fierem bello; nunc ego sum NEMESIS.
At sicut Græcis victoribus adsto tropæum,
Punio sic Persas vaniloquos Nemesis.

XX. *De varietate fortunæ, e Græco.*

Thesauro invento, qui limina mortis inibat,
Liquit ovans laqueum quo periturus erat.
At qui, quod terræ abdiderat, non repperit aurum,
Quem laqueum invenit, nexuit, et periit.

XXI. *Idem aliter.*

Qui laqueum collo nectebat, repperit aurum,
Thesaurique loco deposuit laqueum.
At qui condiderat, postquam non repperit aurum,
Aptavit collo quem reperit laqueum.

XXII. *De Thrasybulo Lacedæmonio.*

Excipis adverso quod pectore vulnera septem;
Arma superveheris quod, Thrasybule, tua:
Non dolor hic patris, Pisanæ sed gloria major.
Rarum tam pulchro funere posse frui.
Quem postquam mœsto socii posuere feretro,
Talia magnanimus edidit ora pater:
Flete alios, natus lacrymis non indiget ullis,
Et meus, et talis, et Lacedæmonius.

XXIII. *De Lacæna matre.*

Mater Lacæna clypeo obarmans filium,
Cum hoc, inquit, aut in hoc redi.

XXIV. *In divitem quemdam.*

Quidam superbus opibus et fastu tumens,
Tantumque verbis nobilis,

Spernit vigentis clara sæcli nomina,
Antiqua captans stemmata,
Martem, Remumque, et conditorem Romulum,
Primos parentes nuncupans.
Hos ille Serum veste contexi jubet;
Hos cælat argento gravi,
Ceris inurens januarum limina,
Et atriorum pegmata.
Credo quod illi nec pater certus fuit,
Et mater est vere lupa.

XXV. *Antisthenes, Cynicus philosophus.*

Inventor primus Cynices ego. Quæ ratio isthæc?
Alcides multo dicitur esse prior;
Alcida quondam fueram doctore secundus,
Nunc ego sum Cynices primus, et ille deus.

XXVI. *Idem.*

Discipulus nulli melior, meliorve magister,
Εἰς ἀρετὴν συνέβη, καὶ κυνικὴν σοφίην.
Dicere me verum novit, qui novit utrumque,
Καὶ θεὸν Ἀλκείδην, καὶ κύνα Διογένην.

XXVII. *Libero patri.*

Αἰγύπτου μὲν Ὄσιρις ἐγώ, Μυσῶν δὲ Φανάκης,
Βάκχος ἐνὶ ζωοῖσιν, ἐνὶ φθιμένοις Ἀϊδωνεύς,
Πυρογενής, δίκερως, Τιτανολέτης Διόνυσσος.

XXVIII. *Myobarbum Liberi patris signo marmoreo in villa nostra omnium deorum argumenta habentis.*

Ogygia me Bacchum vocat;
Osirin Ægyptus putat;
Mysi Phanacen nominant;
Dionyson Indi existimant;
Romana sacra Liberum;
Arabica gens Adoneum;
Lucaniacus Pantheum.

XXIX. *In Corydonem marmoreum.*

Λίξ, χίμαρος, πήρη, ποιμήν, ῥαβδοῦχος, ἐλαίη,
Εἷς λίθος ἐκ πάντων λιτὸς ἐγὼ Κορύδων.

XXX. *In simulacrum Sapphus.*

Lesbia Pieriis Sappho soror addita Musis,
Εἰμ' ἐνάτη Λυρικῶν, Ἀονίδων δεκάτη.

XXXI. *Deæ Veneris.*

Orta salo, suscepta solo, patre edita cœlo,
Æneadum genitrix, hic habito alma Venus.

XXXII. *Ad libellum suum de Proculo.*

Si tineas, cariemque pati te, charta, necesse est,
Incipe versiculis anteperire meis.
Malo, inquis, tineis. Sapis, ærumnose Libelle,
Perfungi mavis qui leviore malo.
Ast ego damnosæ nolo otia perdere Musæ,
Jacturam somni quæ parit, atque olei.
Utilius dormire fuit, quam perdere somnum,
Atque oleum. Bene ais. Causa sed ista mihi est;
Iracor Proculo: cujus facundia tanta est,
Quantus honor. Scripsit plurima, quæ cohibet.
Hunc studeo ulcisci: et prompta est hæc ultio vati:
Qui sua non edit carmina, nostra legat.

A Hujus in arbitrio est, seu te juvenescere cedro,
Seu jubeat duris vermibus esse cibum.
Huic ego, quod nobis superest ignobilis oti,
Deputo: sive legat, quæ dabo, sive tegat.

XXXIII. *De nomine cujusdam Lucii, sculpto in marmore.*

Lucios una quidem, geminis sed dissita punctis
Littera: prænomen sic L nota sola facit.
Post M incisum est: puto sic M non tota videtur.
Dissiluit saxi fragmine læsus apex.
Nec quisquam, Marius, seu Marcius, anne Metellus
Hic jaceat, certis noverit indiciis.
Truncatis convulsa jacent elementa figuris,
Omnia confusis interiere notis.
Miremur periisse homines? monumenta fatiscunt,
B Mors etiam saxis, nominibusque venit.

XXXIV. *De Sabina uxore.*

Sive probas Tyrio textam subtegmine vestem:
Seu placet inscripti commoditas tituli:
Ipsius hoc dominæ concinnat utrumque venustas,
Has geminas artes una Sabina colit.

XXXV. *De eadem Sabina.*

Laudet Achæmenias Orientis gloria telas:
Molle aurum pallis, Græcia, texe tuis.
Non minus Ausoniam celebret dum fama Sabinam,
Parcentem magnis sumptibus, arte parem.

XXXVI. *De eadem Sabina.*

Licia qui texunt et carmina; carmina Musis,
C Licia contribuunt, casta Minerva, tibi.
Ast ego rem sociam non dissociabo, Sabina:
Versibus inscripsi quæ mea texta meis.

XXXVII. *De Chresto et Acindyno fratribus.*

Χρηστὸς, Ἀκίνδυνος, εἰσὶν ἀδελφεοί, οἰκτρὰ δὲ τέκνα,
Moribus ambo malis, nomina falsa gerunt.
Οὐδ' οὗτος χρηστὸς, οὐδ' οὗτος ἀκίνδυνός ἐστιν.
Una potest ambos littera corrigere.
Αἶκεν Χρηστὸς ἔλῃ, Ἀκίνδυνος ἅλφ' ἀπολέσσῃ:
Κίνδυνος hic fiet; frater Ἄχρηστος erit.

XXXVIII. *De iisdem.*

Germani fratres sunt, Chrestos, Acindynos alter,
Falsum nomen utrique; sed ut verum sit utrique,
Alpha suum Chresto det Acindynos, ipse sine alpha
D Permaneat, verum nomen uterque geret.

XXXIX. *Ad Philomusum Grammaticum.*

Emptis quod libris tibi bibliotheca referta est;
Doctum, et grammaticum te, Philomuse, putas?
Hoc genere et chordas, et plectra et barbita conde.
Omnia mercatus, cras citharœdus eris.

XL. *In statuam Rufi, rhetoris semiviri, et elinguis.*

Rhetoris hæc Rufi statua est. Nil verius. Ipsa est.
Ipsa adeo linguam non habet, et cerebrum.
Et riget, et surda est, et non videt. Omnia Rufi.
Unum dissimile est. Mollior ille fuit.

XLI. *In tabulam, ubi erat picta imago Rufi rhetoris.*

Elinguem quis te dicentis imagine pinxit?

Dic mihi, Rufe. Taces. Nil tibi tam simile est.

XLII. *De eadem tabula.*

HÆC Rufi tabula est. Nil verius. Ipse ubi Rufus?
In cathedra. Quid agit? Hoc, quod et in tabula.

XLIII. *De eodem Rufo.*

REMINISCO Rufus dixit in versu suo:
COR ergo versus, imo Rufus non habet.

XLIV. *Idem.*

Qui REMINISCO putat se dicere posse Latine:
Hic, ubi CO scriptum est, legeret COR, si cor [haberet.

XLV. *De eodem Rufo.*

Rufus vocatus rhetor olim ad nuptias,
Celebri (ut fit) convivio,
Grammaticæ ut artis se peritum ostenderet,
Hæc vota dixit nuptiis:
Et masculini, et feminini gignite,
Generisque neutri filios.

XLVI. *Imago Rufi rhetoris.*

ORE pulchro, et ore muto. Scire vis quæ sim? Volo.
Imago Rufi rhetoris Pictavici.
Diceret sed ipse, vellem, Rhetor hoc mi. Non potest.
Cur? Ipse rhetor est imago imaginis.

XLVII. *De eadem Rufi statua.*

Rhetoris hæc Rufi statua est. Si saxea, Rufi.
Cur id ais? semper saxeus ipse fuit.

XLVIII. *De Diogene Cynico philosopho.*

Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta su- [pellex
Ista fuit Cynici: sed putat hanc nimiam.
Namque cavis manibus cernens potare bubulcum,
Cur, scyphe, te, dixit, gesto supervacuum?

XLIX. *De Cræso, et eodem Diogene.*

Effigiem, rex Crœse, tuam, ditissime regum,
Vidit apud manes Diogenes Cynicus.
Constitit utque procul, solito majore cachinno
Concussus, dixit: Quid tibi divitiæ
Nunc prosunt, regum rex o ditissime, cum sis
Sicut ego solus, me quoque pauperior?
Nam quæcumque habui, mecum fero: cum nihil ipse
Ex tantis tecum, Crœse, feras opibus.

L. *Ad Dædalum de bucula Myronis.*

Dædale, cur vana consumis in arte laborem?
Me potius clausæ subjice Pasiphaæ.
Illecebras veræ si vis dare, Dædale, vaccæ,
Viva tibi species vacca Myronis erit.

LI. *Eadem de se.*

Errasti, attendens hæc ilia nostra, juvence.
Non manus artificis lac dedit uberibus.

LII. *Eadem.*

Pasce greges procul hinc, ne, quæso, bubulce, Myronis
Æs, veluti spirans, cum bubus exagites.

LIII. *Eadem.*

Me vitulus cernens, immugiet. Irruet in me
A Taurus amans. Pastor cum grege mittet agens.

LIV. *De eadem Myronis bucula.*

Ærea mugitum poterat dare vacca Myronis:
Sed timet artificis deterere ingenium.
Fingere nam similem vivæ, quam vivere, plus est;
Nec sunt facta dei mira, sed artificis.

LV. *Eadem bucula de se.*

Ærea bos steteram, mactata est vacca Minervæ,
Sed dea proflatam transtulit huc animam.
Et modo sum duplex: pars ærea, pars animata.
Hæc manus artificis dicitur, illa Deæ.

LVI. *De eadem Myronis bucula.*

Necdum caduco sole, jam sub vespere,
B Ageret juvencas cum demum pastor suas,
Suam relinquens, me minabat, ut suam.

LVII. *De eadem bucula.*

Unam juvencam pastor forte amiserat,
Numerumque jussus reddere,
Me defuisse conquerebatur, sequi
Quæ noluissem cæteras.

LVIII. *Quæ sexum mutarint.*

Vallebanæ (nova res, et vix credenda poetis:
Sed quæ de vera promitur historia)
Femineam in speciem convertit masculus ales:
Pavaque de pavo constitit ante oculos.
Cuncti admirantur monstrum: sed mollior agna
Adstitit in tenerum de grege versa marem.
C Quid stolidi ad speciem notæ novitatis hebetis?
An vos Nasonis carmina non legitis?
Cænida convertit proles Saturnia Consus:
Ambiguoque fuit corpore Tiresias.
Vidit semivirum fons Salmacis Hermaphroditum.
Vidit nubentem Plinius Androgynum.
Nec satis antiquum, quod Campana in Benevento
Unus epheborum virgo repente fuit.
Nolo tamen veteris documenta arcessere famæ.
Ecce ego sum factus femina de puero.

LIX. *De Achilla, qui dissecuit calvariam.*

Abjecta in triviis inhumati glabra jacebat
Testa hominis, nudum jam cute calvitium.
Fleverunt alii: fletu non motus Achillas,
Insuper et silicis verbere dissecuit.
D Eminus ergo icto rediit lapis ultor ab osse:
Auctorisque sui frontem oculosque petit.
Sic utinam certos manus impia dirigat ictus,
Auctorem ut feriant tela retorta suum.

LX. *De Alcone medico, et Diodoro haruspice.*

Languenti Marco dixit Diodorus haruspex,
Ad vitam non plus sex superesse dies.
Sed medicus divis fatisque potentior Alcon:
Falsum convicit illico haruspicium,
Tractavitque manum victuri, ni tetigisset.
Illico nam Marco sex periere dies.

LXI. *De signo Jovis, et Alcone medico.*

Alcon hesterno signum Jovis attigit. Ille,

Quamvis marmoreus, vim patitur medici.
Ecce hodie jussus transferri ex æde vetusta
Effertur : quamvis sit Deus, atque lapis.

LXII. *In Eunomum medicum.*

Languentem Caium moriturum dixerat olim
Eunomus : evasit fati ope, non medici.
Paulo post ipsum videt, aut vidisse putavit
Pallentem, et multa mortis in effigie.
Quis tu ? Caius, ait. Vivisne ? Hic abnuit. At quid
Nunc agis hic ? Missu Ditis, ait, venio.
Ut, quia notitiam rerumque hominumque tenerem,
Accirem medicos. Eunomus obriguit.
Tum Caius : Metuas nihil, Eunome ; dico ego et [omnes,
Nullum qui saperet, dicere te medicum.

LXIII. *In hominem vocis absonæ.*

Latratus catulorum, hinnitus fingis equorum,
Caprigenumque pecus, lanigerosque greges
Balatu adsimilas : asinos quoque rudere dicas,
Cum vis Arcadicum fingere, Marce, pecus.
Gallorum cantus, et ovantes gutture corvos,
Et quidquid vocum bellua et ales habet.
Omnia cum simules ita vere, ut ficta negentur :
Non potes humanæ vocis habere sonum.

LXIV. *Ex Græco, ἀρχὴ τὸ ἥμισυ παντός.*

Incipe. Dimidium facti est, cœpisse. Supersit
Dimidium. Rursum hoc incipe : et efficies.

LXV. *Ex Græco.*

Ἃ χάρις ἀ βραδύπους ἄχαρις χάρις.
Gratia, quæ tarda est, ingrata est. Gratia namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

LXVI. *Idem.*

Si bene quid facias, facias cito ; nam cito factum
Gratum erit : ingratum gratia tarda facit.

LXVII. *In Saltatorem ineptum.*

Deceptæ felix casus se miscuit arti.
Histrio, saltavit qui Capanea, ruit.
Idem, qui Nioben saltavit saxeus, ut tum
Spectator veram crediderit Nioben.
In Canace, visus multo felicior ipsa :
Quod non hic gladio viscera dissecuit.

LXVIII. *De eodem.*

Daphnen et Nioben saltavit simius idem,
Ligneus ut Daphne, saxeus ut Niobe.

LXIX. *Dodralis potio.*

Dodra ex dodrante est. Sic collige : jus, aqua, vinum,
Sal, oleum, panis, mel, piper, herba, novem.

LXX. *De eadem.*

Dodra vocor. Quæ causa ? Novem species gero.
[Quæ sunt ?
Jus, aqua, mel, vinum, panis, piper, herba, oleum, sal.

LXXI. *De eadem dodra potione.*

Δόδρα πότος καὶ ἀριθμὸς ἔχω, μέλι, οἶνον, ἔλαιον,
Ἄρτον, ἅλας, βοτάνην, ζωμὸν, ὕδωρ, πέπερι.

A LXXII. *Pulchrum dei responsum.*

Doctus Hylas cæstu, Phegeus catus arte palæstræ,
Clarus Olympiacis et Lycus in stadiis,
An possent omnes venturo vincere agone,
Hammonem Libyæ consuluere deum.
Sed deus, ut sapiens : dabitur victoria vobis
Indubitata quidem, si caveatis, ait,
Ne quis Hylam cæstu, ne quis certamine luctæ
Phegea, ne cursu te, Lyce, prætereat.

LXXIII. *De Narcisso, qui sui ipsius amore captus erat.*

Si cuperes alium, posses, Narcisse, potiri.
Nunc tibi amoris adest copia : fructus abest.

LXXIV. *De eodem.*

Quid non ex hujus forma pateretur amator,
B Ipse suam qui sic deperit effigiem ?

LXXV. *In Echo dolentem propter mortem Narcissi.*

Commoritur, Narcisse, tibi resonabilis Echo,
Vocis ad extremos exanimata modos.
Et pereuntis adhuc gemitum resecuta querelis,
Ultima nec etiam verba loquentis amat.

LXXVI. *Ad Apollinem de Daphne puella fugiente.*

Pone arcum, Pæan, celeresque reconde sagittas :
Non te virgo fugit, sed tua tela timet.

LXXVII. *Ad corticem, quo Daphne tegebatur.*

Invide, cur properas, cortex, operire puellam ?
Laurea debetur Phœbo, si virgo negatur.

C LXXVIII. *In duas sorores diversorum morum.*

Delia, vos miramur : et est mirabile, quod tam
Dissimiles estis, tuque sororque tua.
Hæc habitu casto, cum non sit, casta videtur ;
Tu præter cultum nil meretricis habes.
Cum casti mores tibi sint, huic cultus honestus ;
Te tamen et cultus damnat, et actus eam.

LXXIX. *In Venerem anadyomenen.*

Emersam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin Apellei cerne laboris opus :
Ut complexa manu madidos salis æquore crines
Humidulis spumas stringit utraque comis.
Jam tibi nos, Cypri, Juno inquit et innuba Pallas,
Cedimus, et formæ præmia deferimus.

D LXXX. *In puerum formosum.*

Dum dubitat natura, marem, faceretne puellam :
Factus es, o pulcher, pene puella, puer.

LXXXI. *De quodam Silvio Bono, qui erat Brito.*

Silvius ille Bonus, qui carmina nostra lacessit,
Nostra magis meruit disticha Brito Bonus.

LXXXII. *De eodem.*

Silvius hic Bonus est. Quis Silvius ? Iste Britannus.
Aut Brito hic non est Silvius, aut malus est.

LXXXIII. *De eodem.*

Silvius iste Bonus fertur, ferturque Britannus :
Quis credat civem degenerasse bonum ?

LXXXIV. *De eodem.*

Nemo bonus Brito est : si simplex Silvius esse
Incipiat, simplex desinat esse Bonus.

LXXXV. *De eodem.*

Silvius hic Bonus est. Sed Brito est Silvius idem.
Simplicior res est, credite, Brito malus.

LXXXVI. *De eodem.*

Silvi, Brito, Bonus ; quamvis homo non bonus esse
Ferris : nec se quit jungere Brito Bono.

LXXXVII. *In Furippum.*

Pars te Furippum vocitat, pars vero Furippum,
Altera producens, altera corripiens.
Elige utrum malis : aut tende, aut corripe nomen.
Conveniet quodvis, fur furiose, tibi.

LXXXVIII. *Epicuri opinio.*

Quod est beatum, morte et æternum carens,
Nec sibi parit negotium, nec alteri.

LXXXIX. *De homine pigro.*

Sanus piger febriente multo est nequior.
Potat duplum, dapesque duplices devorat.

XC. *In Didus imaginem.*

Illo ego sum Dido vultu, quem conspicis, hospes,
Assimilata modis pulchraque mirificis,
Talis eram : sed non, Maro quam mihi finxit, erat [mens :
Vita nec incestis læta cupidinibus.
Namque nec Æneas vidit me Troius umquam,
Nec Libyam advenit classibus Iliacis.
Sed furias fugiens atque arma procacis Iarbæ,
Servavi, fateor, morte pudicitiam,
Pectore transfixo : castus quod perculit ensis,
Non furor, aut læso crudus amore dolor.
Sic cecidisse juvat : vixi sine vulnere famæ.
Ulta virum, positis mœnibus, oppetii.
Invida, cur in me stimulasti, Musa, Maronem,
Fingeret ut nostræ damna pudicitiæ ?
Vos magis historicis, lectores, credite de me,
Quam qui furta deum concubitusque canunt
Falsidici vates : temerant qui carmine verum :
Humanisque deos assimilant vitiis.

XCI. *In Faustulum staturæ brevis Anicii Probini.*

Faustulus insidens formicæ, ut magno elephanto,
Decidit, et terræ terga supina dedit.
Moxque idem ad mortem est mucltatus calcibus ejus,
Perditus ut posset vix retinere animam.
Vix tamen est fatus : Quid rides, improbe Livor,
Quod cecidi ? cecidit non aliter Phaeton.

XCII. *In Medææ imaginem.*

Medæam vellet cum pingere Timomachi mens,
Volventem in natos crudum animo facinus,
Immanem exhausit rerum in diversa laborem,
Fingeret affectum matris ut ambiguum.
Ira subest lacrymis, miseratio non caret ira.
Alterutrum videas, ut sit in alterutro.
Cunctantem satis est ; nam digna est sanguine mater
Natorum ; tua non dextera, Timomache.

XCIII. *In eamdem.*

Quis te pictorum simulavit, pessima Colchis,
In natos crudum volvere mente nefas ?
Usque adeone sitis puerorum haurire cruorem,
Ut ne picta quidem parcere cædc velis ?
Numnam te pellex stimulat ? numne alter Iason,
Altera vel Glauce, sunt tibi causa necis ?
Quin ne picta quidem sis barbara ? namque tui vim
Cera tenax zeli concipit immodicam.
Laudo Timomachum, matrem quod pinxit in ense
Cunctantem, prolis sanguine ne maculet.

XCIV. *In cæcum et claudum.*

Insidens cæco graditur pede claudus utroque.
Quo caret alteruter, sumit ab alterutro.
Cæcus namque pedes claudo gressumque ministrat :
At claudus cæco lumina pro pedibus.

XCV. *Idem.*

Ambulat insidens cæco, pede captus utroque :
Atque alterna subit munia debilitas.
Nam cæcus claudo pede commodat : ille vicissim
Mutua dat cæco lumina pro pedibus.

XCVI. *De divite et paupere.*

Non est dives opum dives : nec pauper inopsque
Infelix : alio nec magis alter eget.
Dives eget gemmis, cereali munere pauper.
Sed cum egeant ambo, pauper egens minus est.

XCVII. *De Penelope.*

Intemerata procis, et tot servata per annos,
Oscula vix ipsi cognita Telemacho.
Hinc mea virginitas facibus tibi luxit adultis :
Arsit et invidia principe verus amor.
Sæpe ego mentitis tremui nova femina somnis :
Lapsaque non merito sunt mihi verba sono :
Et tamen ignotos sensi experrecta dolores,
Strataque tentavi sicca pavente manu.
Nam tibi anhelanti, supremaque bella moventi,
Paruit indulgens et sine voce dolor,
Dente nihil violare fero, nihil unguibus ausæ :
Fœdera nam tacita pace peregit amor.
Denique non aviam tremulo clamore vocavi :
Nec prior obsequio serva cucurrit anus.
Ipsa verecundo tetigi pallore puellas,
Impositum teneri fassa pudoris opus.

XCVIII. *In Grammaticum.*

Felix grammaticus non est : sed nec fuit umquam :
Nec quisquam est felix nomine grammaticus.
At si quis felix præter fatum exstitit umquam :
Is demum excessit grammaticos canonas.

XCIX. *De infausto matrimonio Grammatici.*

Arma virumque docens, atque arma virumque peri- [tus
Non duxi uxorem, sed magis arma domum.
Namque dies totos; totasque ex ordine noctes

Litibus oppugnat meque, meumque larem :
Atque ut perpetuis dotata a Marte duellis,
Arma in me tollit, nec datur ulla quies.
Jamque repugnanti dedam me; ut denique victum
Jurget ob hoc solum, jurgia quod fugiam.

C. *De Auxilio Grammatico.*

Emendata potest quænam vox esse magistri,
Nomen qui proprium cum vitio loquitur?
Auxilium te nempe vocas, inscite magister,
Da rectum casum : jam Solicismus eris.

CI. *De fratribus Thebanis.*

Nec Stygiis lucis ineunt sua fœdera fratres
Œdipodionidæ, de misero ah miseri.
Namque etiam ex uno surgentes aggere flammæ
In diversa sui dissiliunt cineris.
Infandos juvenes! quos nec discordia cassos
Luce, nec in semet linquit atrox animus.
Atque utinam et Thebas quissent partirier ipsas,
Regnorum et metas, ut cinerum nebulas!

CII. *De ingratis ex Menandro.*

Nil homine terra pejus ingrato creat.
Vicinus, hospes, notus, ignotus, cliens,
Et si qua genera civium sunt id genus,
Si quid petenti promptus opis impertias,
Ut misereare, gratia actutum perit.

CIII. *De Demosthene.*

Discere si cupis, a doctis quam multa licebit.
Quæ nosti, meditando velis inolescere menti.
Quæ didicisti hauddum, discendo assumere tendas.

CIV. *De fortunæ varietate.*

Fortuna numquam sistit in eodem statu.
Semper movetur : variat, et mutat vices,
Et summa in imum vertit, ac versa erigit.

CV. *In Stellam.*

Stella prius superis fulgebas, lucifer : at nunc
Exstinctus, cassis lumine vesper eris.

CVI. *Ex Menandro.*

Re fruere, ut natus mortalis; dilige sed rem,
Tamquam immortalis, sors est in utroque verenda.

CVII. *Ad notarium velocissime excipientem.*

Puer, notarum præpetum
Solers minister, advola.
Bipatens pugillar expedi,
Cui multa fandi copia,
Punctis peracta singulis,
Ut una vox absolvitur.
Evolvo libros uberes,
Instarque densæ grandinis
Torrente lingua perstrepo.
Tibi nec aures ambigunt,
Nec occupatur pagina.
Et mota parce dextera
Volat per æquor cereum.
Cum maxime nunc proloquor
Circumloquentis ambitu,
Tu sensa nostri pectoris
Ut dicta jam ceris tenes.
Sentire tam velox mihi
Vellem dedisset mens mea,
Quam præpetis dextræ fuga
Tu me loquentem prævenis.
Quis, quæso, quis me prodidit?
Quis ista jam dixit tibi,
Quæ cogitabam dicere?
Quæ furta corde in intimo
Exercet ales dextera?
Qui ordo rerum tam novus,
Veniat in aures ut tuas,
Quod lingua nondum absolverit?
Doctrina non hæc præstitit:
Nec ulla tam velox manus
Celeripedis compendii.
Natura munus hoc tibi,
Deusque donum tradidit:
Quæ loquerer, ut scires prius:
Idemque velles, quod volo.

CVIII. *Ausonius Hesperio filio salutem.*

Ignota æternæ ne sint tibi tempora Romæ,
Regibus, et patrum ducta sub imperiis,
Digessi Fastos, et nomina perpetis ævi :
Sparsa jacent Latiam si qua per historiam.
Sit tuus hic fructus, vigilatas accipe noctes.
Obsequitur studio nostra lucerna tuo.
Tu quoque venturos per longum consere Janos.
Ut mea congessit pagina præteritos.
Exemplum jam patris habes: ut protinus et te
Aggreget Ausoniis purpura consulibus.

CIX. *Supputatio ab urbe condita in consulatum nostrum.*

Annis undecies centum conjunge quaternos,
Undecies unumque super trieterida necte :
Hæc erit æternæ series ab origine Romæ.

CX. *De eodem ad Proculum.*

Urbis ab æternæ deductam rege Quirino
Annorum seriem cum, Procule, accipies :
Mille annos centumque, et bis fluxisse novenos
Consulis Ausonii nomen adusque leges.
Fors erit, ut lustrum cum se cumulaverit istis,
Confectam Proculus signet Olympiadem.

CXI. *In fine ejusdem libri additi.*

Hactenus ascripsi Fastos. Si sors volet, ultra
Adjiciam. Si non, qui legis, adjicies.
Scire cupis, qui sim? titulum qui quartus ab imo est
Quære; leges nomen Consulis Ausonii.

Nota. *In hisce postremis quatuor epigrammatibus animadverti potest auctorem fastorum a se digestorum meminisse. Quod autem opusculum deperditum est.*

EPHEMERIS,

ID EST

TOTIUS DIEI NEGOTIUM.

Mane jam clarum reserat fenestras;
Jam strepit nidis vigilax hirundo.
Tu velut primam, mediamque noctem,
Parmeno, dormis.
Dormiunt glires hiemem perennem,
Sed cibo parcunt. Tibi causa somni,
Multa quod potas, nimiaque tendis
Mole saginam.
Inde nec flexas sonus intrat aures:
Et locum mentis sopor altus urget,
Nec coruscantis oculos lacessunt
Fulgura lucis.
Annuam quondam juveni quietem,
Noctis et lucis vicibus manentem,
Fabulæ fingunt, cui Luna somnos
Continuarit.
Surge, nugator, lacerande virgis.
Surge: ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur. Rape membra molli,
Parmeno, lecto.
Fors et hæc somnum tibi cantilena
Sapphico suadet modulata versu.
Lesbiæ depelle modum quietis,
Acer Iambe.

Item Parecbasis.

Puer, eia, surge: et calceos,
Et linteam da sindonem.
Da, quidquid est, amictui,
Quod jam parasti, ut prodeam.
Da rore fontano abluam
Manus, et os, et lumina.
Patealque, fac, sacrarium,
Nullo paratu extrinsecus.
Pia verba, vota innoxia,
Rei divinæ copia est.
Nec thus cremandum postulo,
Nec liba crusti mellei:
Foculumque vivi cespitis
Vanis relinquo altaribus.
Deus precandus est mihi,
Ac Filius summi Dei
Majestas uniusmodi,
Sociata sacro Spiritu.
Et ecce jam vota ordior:
Et cogitatio Numinis
Præsentiam sentit pavens.
Pavetne quidquam spes, fides?

Oratio.

Omnipotens, solo mentis mihi cognite cultu,
Ignorate malis, et nulli ignote piorum,
Principio, extremoque carens: antiquior ævo,
Quod fuit, aut veniet: cujus formamque modumque
A Nec mens complecti poterit, nec lingua profari:
Cernere quem solus coramque audire jubentem,
Fas habet, et patriam propter considere dextram:
Ipse opifex rerum, rebus causa ipsa creandis,
Ipse Dei Verbum, Verbum Deus, anticipator
Mundi, quem facturus erat: generatus in illo
Tempore, quo tempus nondum fuit: editus ante,
Quam jubar, et rutilus cœlum illustraret Eous:
Quo sine nil actum: per quem facta omnia: cujus
In cœlo solium: cui subdita terra sedenti,
Et mare, et obscuræ chaos insuperabile noctis:
Irrequies, cuncta ipse movens, vegetator inertum:
Non genito genitore Deus, qui fraude superbi
Offensus populi, gentes in regna vocavit,
Stirpis adoptivæ meliore propage colendus:
B Cernere quem licuit proavis: quo numine viso,
Et patrem vidisse datum: contagia nostra
Qui tulit: et diri passus ludibria lethi,
Esse iter æternæ docuit remeabile vitæ:
Nec solam remeare animam, sed corpore toto
Cœlestes intrare plagas, et inane sepulcri
Arcanum vacuis adopertum linquere terris.
Nate patris summi, nostroque salutifer ævo,
Virtutes patrias genitor cui tradidit omnes,
Nil ex invidia retinens, plenusque datorum,
Pande viam precibus, patriasque hæc perfer ad aures.
Da, Pater, invictam contra omnia crimina mentem,
Vipereumque nefas nocituri averte veneni.
Sit satis, antiquam serpens quod perdidit Evam,
Deceptumque adjunxit Adam: nos sera nepotum
C Semina, veridicis ætas prædicta prophetis,
Vitemus laqueos, quos lethifer implicat anguis.
Pande viam, quæ me post vincula corporis ægri
In sublime ferat: puri qua lactea cœli
Semita ventosæ superat vaga nubila Lunæ.
Qua proceres abiere pii, quaque integer olim
Raptus quadrijugo penetrat super æthera curru
Helias, et solido cum corpore prævius Enoch.
Da, Pater, æterni speratam luminis auram:
Si lapides non juro deos, unumque verendi
Suspiciens altare sacri, libamina vitæ
Intemerata fero: si te Dominique, Deique,
Unigenæ cognosco Patrem, missumque Duobus,
Qui super æquoreas volitabat Spiritus undas.
Da, Genitor, veniam, cruciataque pectora purga:
D Si te non pecudum fibris, non sanguine fuso
Quæro: nec arcanis numen conjecto sub extis:
Si scelere abstineo, errori obnoxius: et si
Opto magis, quam fido, bonus purusque probari.
Confessam dignare animam: si membra caduca
Exsecror, et tacitum si pœnitet: altaque sensus
Formido excruciat, tormentaque sera gehennæ
Anticipat, patiturque suos mens saucia manes.

Da, Pater, hæc nostro fieri rata vota precatu.
Nil metuam, cupiamque nihil, satis hoc rear esse,
Quod satis est. Nil turpe velim, nec causa pudoris
Sim mihi. Non faciam cuiquam, quæ tempore eodem
Nollem facta mihi. Nec vero crimine lædar,
Nec maculer dubio. Paulum distare videtur
Suspectus, vereque reus. Male posse facultas
Nulla sit : at bene posse adsit tranquilla potestas.
Sim tenui victu, atque habitu. Sim charus amicis.
Et semper genitor, sine vulnere nominis hujus,
Non animo doleam, non corpore : cuncta quietis
Fungantur membra officiis : nec saucius ullis
Partibus amissum quidquam desideret usus.
Pace fruar. Securus agam. Miracula terræ
Nulla putem. Suprema mihi cum venerit hora,
Nec timeat mortem bene conscia vita, nec optet.
Purus ab occultis cum te indulgente videbor,
Omnia despiciam, fuerit cum sola voluptas
Judicium sperare tuum. Quod dum sua differt
Tempora, cunctaturque dies, procul exige sævum
Insidiatorem blandis erroribus anguem.
Hæc pia, sed mœsto trepidantia vota reatu,
Christe, apud æternum placabilis assere Patrem.
Salvator, Deus, ac Dominus, mens, gloria, verbum,
Filius, ex vero verus, de lumine lumen,
Æterno cum Patre manens, in sæcula regnans.
Consona quem celebrant modulati carmina David :
Et responsuris ferit aera vocibus, Amen.

Egressio.

Satis precum datum Deo,
Quamvis satis numquam reis
Fiat precatu numinis.
Habitum forensem da, puer :
Dicendum amicis est Ave,
Valeque quod fit mutuum.
Quod cum per horas quatuor.....
Inclinet ad meridiem,
Monendus est jam Sosias.

Locus invitationis.

Tempus vocandis namque amicis appetit;
Ne nos, vel illi, demoremur prandium :
Propere per ædes curre vicinas, puer.
Scis ipse, qui sint. Jamque, dum loquor, redi.
Quinque advocavi. Sex enim convivium
Cum rege justum : si super, convicium est.
Abiit, relicti nos sumus cum Sosia.

Locus ordinandi coqui.

Sosia, prandendum est. Quartam jam totus in horam
A Sol calet : ad quintam flectitur umbra notam.
An vegeto madeant condita obsonia gustu,
(Fallere namque solent), experiundo proba.
Concute ferventes palmis volventibus ollas,
Tinge celer digitos jure calente tuos :
Vibranti lambat quos humida lingua recursu.

(*Desunt multa.*)

Quadrupedum, et volucrum, vel cum terrena marinis
Monstra admiscentur : donec purgantibus Euris
Difflatæ liquidum tenuentur in aera nubes.
Nunc fora, nunc lites, læti modo pompa theatri
Visitur. Et turmas equitum, cædesque latronum
Perpetior : lacerat nostros fera bellua vultus :
Aut in sanguinea gladio grassamur arena.
Per mare navifragum gradior pedes : et freta cursu
B Transilio, et subitis volito super aera pinnis.
Infandas etiam veneres, incestaque noctis
Dedecora, et tragicos patimur per somnia cœtus.
Perfugium tamen est, quotiens portenta soporum
Solvit rupta pudore quies, et imagine fœda
Libera mens vigilat : totum bene conscia lectum
Pertractat secura manus. Probrosa recedit
Culpa tori, et profugi minuiscunt crimina somni :
Cerno, triumphantes inter, me plaudere : rursum
Inter captivos trahor exarmatus Alanos.
Templa deum, sanctasque fores, palatiaque aurea
Specto, et Sarrano videor discumbere in ostro :
Et mox fumosis conviva accumbo popinis.
Divinum perhibent vatem, sub frondibus ulmi
Vana ignavorum simulacra locasse soporum,
C Et geminas numero portas : quæ fornice eburno
Semper fallaces glomerat super aera formas :
Altera, quæ veros emittit cornea visus.
Quod si de dubiis conceditur optio nobis :
Deesse fidem lætis melius, quam vana timeri.
Ecce ego jam malim falli : nam, dummodo semper
Tristia vanescant, potius caruisse fruendis,
Quam trepidare malis. Satis est bene, si metus absit.
Sunt et qui fletus, et gaudia controversa
Conjectent : varioque trahant eventa relatu.
Ite per obliquos cœli, mala somnia, mundos,
Irrequieta vagi qua difflant nubila nimbi.
Lunares habitate polos. Quid nostra subitis
Limina, et angusti tenebrosa cubilia tecti?
Me sinite ignavas placidum traducere noctes,
D Dum redeat roseo mihi Lucifer aureus ortu.
Quod si me nullis vexatum nocte figuris
Mollis tranquillo permulserit aere somnus;
Hunc lucum, nostro viridis qui frondet in agro
Ulmeus, excubiis habitandum dedico vestris.

PARENTALIA.

Præfatio versibus annotata.

Nomina charorum jam condita funere justo,
Fleta prius lacrymis, nunc memorabo modis,
Nuda, sine ornatu, fandique carentia cultu.
Sufficit inferiis exsequialis honos.
Nænia funereis satis officiosa querelis,
Annua ne tacitus munera prætereas :
Quæ Numa cognatis solemnia dedicat umbris :
Ut gradus aut mortis postulat, aut generis.
Hoc satis et tumulis, satis et telluris egenis.
Voce ciere animas funeris instar habet.
Gaudent compositi cineres sua nomina dici.

Frontibus hoc scriptis et monumenta jubent.
Ille etiam mœsti cui defuit urna sepulcri,
Nomine ter dicto pene sepultus erit.
At tu quicumque es lector, qui fata meorum
Dignaris mœstis commemorare elegis,
Inconcussa tuæ percurras tempora vitæ :
Et præter justum funera nulla fleas.

I. *Junius Ausonius, pater.*

Primus in his pater Ausonius. Quem ponere primum,
Etsi cunctetur filius, ordo jubet.
Cura dei, placidæ functus quod honore senectæ,
Undecies binas vixit olympiadas.
Omnia quæ voluit, qui prospera vidit : et idem
Optavit quidquid, contigit, ut voluit.
Non quia fatorum nimia indulgentia : sed quod
Tam moderata illi vota fuere viro.
Quem sua contendit septem sapientibus ætas :
Quorum doctrinam moribus excoluit :
Viveret ut potius, quam diceret arte sophorum,
Quamquam et facundo non rudis ingenio.
Præditus et vitas hominum ratione medendi
Porrigere, et fatis amplificare moras.
Inde et perfunctæ manet hæc reverentia vitæ,
Ætas nostra illi quod dedit hunc titulum :
Ut nullum Ausonius, quem sectaretur, habebat :
Sic nullum, qui se nunc imitetur, habet.

II. *Æmilia Æonia, mater.*

Proxima tu genitrix, Æonia, sanguine mixto
Tarbellæ matris, patris et Æduici.
Morigeræ uxoris virtus cui contigit omnis ;
Fama pudicitiæ, lanificæque manus,
Conjugiique fides, et natos cura regendi,
Et gravitas comis, lætaque serietas.
Æternum placidos Manes complexa mariti,
Viva thorum quondam, functa fove tumulum.

III. *Æmilius Magnus Arborius, avunculus.*

Culta mihi est pietas, patre primum, et matre vocatis.
Dicere sed rea fit, tertius Arborius.
Quem primum memorare nefas mihi, patre secundo.
Rursum non primum ponere, pene nefas.
Temperies adhibenda.....
Ante alios. Quamquam patre secundus erit.
Tu frater genitricis, et unanimis genitoris :
Et mihi qui fueris, quod pater, et genitrix.
Qui me lactantem, puerum, juvenemque, virumque
Artibus ornasti, quas didicisse juvat.
Te sibi Palladiæ antetulit toga docta Tolosæ :
Te Narbonensis Gallia præposuit,
Ornasti cujus Latio sermone tribunal :
Et fora Hiberorum, quæque Novempopulis.
Hinc tenus Europam, fama crescente, perito
Constantinopolis rhetore te viguit.
Tu per mille modos, per mille oracula fandi
Doctus, facundus, tum celer, atque memor.
Tu, postquam primis placui tibi traditus annis,
Dixisti, nato me, satis esse tibi.
Me tibi, me patribus, clarum decus esse professus,
Dictasti fatis verba notanda meis.
A Ergo vale, Elysiam sortitus avuncule sedem.
Hæc tibi de Musis carmina libo tuis.

IV. *Cæcilius Argicius Arborius, avus.*

Officiosa pium ne desere, pagina, munus.
Maternum post hos commemoremus avum
Arborium, Æduico ductum de stemmate nomen,
Complexum multas nobilitate domus :
Qua Lugdunensis provincia, quaque potentes
Ædues, Alpino quaque Vienna jugo.
Invida sed nimium generique opibusque superbis
Ærumna incubuit. Namque avus et genitor
Proscripti, regnum cum Victorinus haberet
Victor : et in Tetricos recidit imperium.
Tum profugum in terris, per quas erumpit Aturrus,
Tarbellique furor perstrepit Oceani ;
B Grassantis dudum fortunæ tela paventem
Pauperis Æmiliæ conditio implicuit.
Mox tenuis multo quæsita pecunia nisu,
Solamen fesso, non et opes tribuit.
Tu cœli numeros, et conscia sidera fati
Callebas, studium dissimulanter agens.
Non ignota tibi nostræ quoque formula vitæ :
Signatis quam tu condideras tabulis ;
Prodita non umquam. Sed matris cura retexit
Sedula, quam timidi cura tegebat avi.
Tu novies denos vitam cum duxeris annos,
Expertus Fortis tela cavenda Deæ,
Amissum flesti post trina decennia natum,
Saucius, atque uno lumine cassus eras.
Dicebas sed te solatia longa fovere ;
C Quod mea præcipuus fata maneret honos.
Et modo conciliis animarum mixte piorum
Fata tui certe nota nepotis habes.
Sentis quod quæstor, quod te præfectus, et idem
Consul, honorifico munere commemoro.

V. *Æmilia Corinthia Maura, avia.*

Æmiliam nunc fare aviam, pia cura nepotis :
Conjux prædicto quæ fuit Arborio.
Nomen huic joculare datum : cute fusca quod olim,
Æquales inter Maura vocata fuit.
Sed non atra animo qui clarior esset olore,
Et non calcata qui nive candidior.
Hæc non deliciis ignoscere prompta pudendis,
Ad perpendiculum seque suosque habuit.
Hæc me præreptum cunis, et ab ubere matris,
D Blanda sub austeris imbuit imperiis.
Tranquillos aviæ cineres præstate quieti
Æternum Manes, si pia verba loquor.

VI. *Æmilia Hilaria, matertera, virgo devota.*

Tuque gradu generis matertera, sed vice matris,
Affectu nati commemoranda pio,
Æmilia in cunis Hilari cognomen adepta,
Quod læta, et pueri comis ad effigiem,
Reddebas verum non dissimulanter ephebum,
More virum medicis artibus experiens.
Feminei sexus odium tibi semper : et inde
Crevit devotæ virginitatis amor ;
Quæ tibi septenos novies est culta per annos.
Quique ævi finis, ipse pudicitiæ.

Hæc, quia uti mater monitis et amore fovebas,
Supremis reddo filius exsequiis.

VII. *Cl. Contentus, et Julius Calippio, patrui.*

Et patruos Elegea meos reminiscere cántu;
Contentum, tellus quem Rutupina tegit.
Magna cui et variæ quæsita pecunia sortis,
Hæredis nullo nomine tuta perit.
Raptus enim lætis, et adhuc florentibus annis,
Trans mare, et ignaris fratribus oppetiit.
Julius in longam produxit fata senectam,
Affectus damnis innumerabilibus.
Qui comis, blandusque, et mensa commodus uncta,
Hæredes solo nomine nos habuit.
Ambo pii, vultu similes, joca seria mixti,
Ævi fortunam non habuere parem.
Discreti quamquam tumulis, et honore jacetis:
Commune hoc verbi munus habete, Vale.

VIII. *Attusius Lucanus Talisius, socer.*

Qui proceres, veteremque volet celebrare Senatum,
Claraque ab exortu stemmata Burdigalæ,
Teque, tuumque genus memoret, Lucane Talisi:
Moribus ornasti qui veteres proavos.
Pulcher honore oris, tranquillo pectore, comis,
Facundo civis major ab ingenio.
Venatu, et ruris cultu, victusque nitore,
Omne ævum peragens; publica despiciens.
Nosci inter primos cupiens, prior esse recusans.
Ipse tuo vivens segregus arbitrio.
Optabas tu me generum florente juventa,
Optare hoc tantum, non et habere datum.
Vota probant superi: meritisque faventia sanctis
Implent fata, viri quod voluere boni.
Et nunc perpetui sentis sub honore sepulcri,
Quam reverens natæ, quamque tui maneam:
Cælebs namque gener nunc hæc pia munera solvo,
Nam et cælebs numquam desinet esse gener.

IX. *Attusia Lucana Sabina, uxor.*

Hactenus ut charos, ita justo funere fletos
Functa piis cecinit nænia nostra modis.
Nunc dolor, atque cruces, nec contrectabile fulmen,
Conjugis ereptæ mors memoranda mihi.
Nobilis a proavis, et origine clara senatus,
Moribus usque bonis clara Sabina magis.
Te juvenis primus luxi deceptus in annis,
Perque novem cælebs te fleo olympiadas.
Nec licet obductum senio sopire dolorem.
Semper crudescit nam mihi pœna recens.
Admittunt alii solatia temporis ægri.
Hæc graviora facit vulnera longa dies.
Torqueo deceptos ego vita cælibe canos:
Quoque magis solus, hoc mage mœstus ago.
Vulnus alit, quod muta domus silet, et thorus alget:
Quod mala non cuiquam, non bona participo.
Mœreo, si conjux alii bona: mœreo contra,
Si mala: ad exemplum tu mihi semper ades.
Tu mihi crux ab utraque venis: sive est mala, quod tu
Dissimilis fueris: seu bona, quod similis.
Non ego opes cassas, et inania gaudia plango:
A Sed juvenis juveni quod mihi rapta viro.
Læta, pudica, gravis, genus inclyta et inclyta forma,
Et dolor, atque decus conjugis Ausonii.
Quæ modo septenos quater impletura Decembres,
Liquisti natos, pignora nostra, duos.
Illa favore Dei, sicut tua vota fuerunt,
Florent, optatis accumulata bonis.
Et precor ut vigeant: tandemque superstite utroque
Nuntiet hoc cineri nostra favilla tuo.

X. *Ausonius Parvulus, filius.*

Non ego te infletum memori fraudabo querela,
Primus nate meo nomine dicte, puer.
Murmura quem primis meditantem absolvere verbis,
Indolis ut plenæ, planximus exsequiis.
Tu gremio in proavi funus commune locatus,
B Invidiam tumuli ne paterere tui.

XI. *Pastor, nepos ex filio.*

Tu quoque maturos, puer immature, dolores
Irrumpis mœsti luctus acerbus avi,
Pastor, chare nepos, spes cujus certa fuit res,
Hesperii patris tertia progenies.
Nomine, quod casus dederat: quia fistula primum
Pastorale melos concinuit genito.
Sero intellectum vitæ brevis argumentum:
Spiritus afflatis quod fugit e calamis.
Occidis emissæ percussus pondere testæ:
Abjecit tecto quam manus artificis.
Non fuit artificis manus hæc; manus illa cruenti
Certa fuit fati, suppositura reum.
C Heu! quæ vota mihi! quæ rumpis gaudia, Pastor!
Illa meum petiit tegula missa caput.
Dignior o, nostræ gemeres qui fata senectæ:
Et quererere meas mœstus ad exsequias.

XII. *Julia Dryadia, soror.*

Si qua fuit virtus, cuperet quam femina prudens
Esse suam, soror hac Dryadia enituit.
Quin etiam multas habuit, quas sexus habere
Fortior optaret, nobilitasque virum.
Docta satis vitamque colo, famamque tueri:
Docta bonos mores ipsa, suosque docens.
Et verum vita cui charius: unaque cura,
Nosse Deum, et fratrem diligere ante alios.
Conjuge adhuc juvenis caruit: sed seria vitam
Moribus austeras æquiparavit anus.
D Produxit celerem per sena decennia vitam,
Inque domo, ac tecto, quo pater, oppetiit.

XIII. *Avitianus, frater.*

Avitianum, Musa, germanum meum
Dona querela funebri:
Minor iste natu me, sed ingenio prior
Artes paternas imbibit.
Verum juventæ flore læto perfrui,
Ævique supra puberis
Exire metas, vetuit infesta Atropos.
Heu! quanta vitæ decora!
Quem cultum spei, quem dolorem sauciis
Germane pubes deseris!

Germane carnis lege et ortu sanguinis,
Amore pene filius.

XIV. *Val. Latinus Euronius, gener.*

O generis clari decus, o mihi funus acerbum,
Euroni, e juvenum lecte cohorte gener,
Occidis in primæ raptus mihi flore juventæ,
Lactantis nati vix bene note pater.
Tu procerum de stirpe satus, prægressus et ipsos,
Unde genus claræ nobilitatis erat.
Ore decens, bonus ingenio, facundus, et omni
Dexteritate vigens, præcipuusque fide.
Hoc præfecturæ sedes, hoc Illyris ora
Præside te experta est, fiscus et ipse cliens.
Nil ævi brevitate tamen tibi laudis ademptum.
Indole maturus, funere acerbus obis.

XV. *Pomponius Maximus, affinis.*

Et te germanum, non sanguine, sed vice fratris,
Maxime, devinctum mœnia nostra canet.
Conjux namque meæ tu consociate sorori
Ævi fruge tui destituis viduam.
Non domus hoc tantum sensit tua; sensit acerbum
Saucia! proh, casum curia Burdigalæ,
Te primore vigens, te deficiente relabens:
Inque Valentinum te moriente cadens.
Heu! quare nato, cur fruge et flore nepotum
Ereptus nobis, Maxime, non frueris?
Sed frueris: divina habitat si portio Manes:
Quæque futura olim gaudia, nosse datur.
Longior hic etiam lætorum fructus habetur,
Anticipasse diu, quæ modo participas.

XVI. *Veria Liceria, uxor Arborii sororis filii.*

Tu quoque vel nuruis mihi nomine, vel vice natæ
Veria supremi carmen honoris habe.
Cujus si probitas, si forma et fama, fidesque
Morigeræ uxoris, lanificæque manus,
Nunc laudanda forent: procul et de manibus imis
Arcessenda esset vox proavi Eusebii.
Qui quoniam functo jam pridem conditus ævo,
Transcripsit partes in mea verba suas:
Accipe funereas neptis defleta querelas;
Conjux Arborii commemoranda mei.
Cui parva ingentis luctus solatia linquens
Destituis natum: quo magis excrucias.
At tibi dilecti ne desit cura mariti,
Juncta colis thalamo nunc monumenta tuo.
Hic, ubi primus hymen, sedes ibi mœsta sepulcri.
Nupta magis dici, quam tumulata potes.

XVII. *Pomponius Maximus Herculanus, sororis filius.*

Nec Herculanum genitum germana mea
Modulamine nænia tristi
Tacitum sine honore relinquat;
Super indole cujus adulti
Magnæ bona copia laudis.
Verum memorare magis, quam
Functum laudare decebit.
Decus hoc matrisque, meumque,
A In tempore puberis ævi
Vis perculit invida fati.
Hebe quem, Maxime, fructum?
Facunde, et musice, et acer,
Mentem bonus, ingenio ingens,
Volucer pede, corpore pulcher,
Lingua catus, ore canorus,
Cape munus triste parentum,
Lacrymabilis orsa querelæ,
Quæ funereum modulatus
Tibi mœstus avunculus offert.

XVIII. *Fl. Sanctus, Maritus Pudentillæ, quæ soror Sabinæ meæ.*

Qui joca lætitiamque colis, qui tristia damnas,
Nec metuis quemquam, nec metuendus agis:
B Qui nullum insidiis captas, nec lite lacessis,
Sed justam et clemens vitam agis, et sapiens:
Tranquillos Manes, supremaque mitia Sancti
Ore pio, et verbis advenerare bonis:
Militiam nullo qui turbine sedulus egit:
Præside lætatus quo Rutupinus ager.
Octoginta annos cujus tranquilla senectus
Nullo mutavit deteriore die.
Ergo precare favens: ut, qualia tempora vitæ,
Talia et ad manes otia Sanctus agat.

XIX. *Namia Pudentilla, affinis.*

Tuque Pudentillam verbis affare supremis,
Quæ famæ curam, quæ probitatis habes.
Nobilis hæc, frugi, proba, læta, pudica, decora,
C Conjugium Sancti jugiter hæc habuit.
Inviolata tuens castæ præconia vitæ,
Rexit opes proprias, otia agente viro.
Non ideo exprobrans, aut fronte obducta, marito,
Quod gereret totam femina sola domum.
Heu! nimium juvenis, sed læta superstite nato,
Atque viro, patiens fata suprema obiit.
Unanimis nostræ et quondam germana Sabinæ,
Et mihi inoffenso nomine dicta soror.
Nunc etiam Manes placidos pia cura retractat:
Atque Pudentillam fantis honore colit.

XX. *Lucanus Talisius .... Curam filii.*

Nec tantum matris spes unica, ephebe Talisi,
Consobrine, meis immemoratus eris.
D Ereptus primis ævi florentis in annis;
Jam tamen et conjunx, jam properate, pater.
Festinasse putes fatum: ne funus acerbum
Duceret hoc genitor, tam cito factus avus.

XXI. *Attusia Lucana Talisia. Erminiscius Regulus, affinis.*

Notitia exilis nobis, Attusia, tecum,
Cumque tuo plane conjuge nulla fuit.
Verum tu nostræ soror es germana Sabinæ.
Affinis quoque tu, Regule, nomen habes.
Sortitos igitur tam chara vocabula nobis,
Stringamus mœsti carminis obsequio.
Quamvis Santonica procul in tellure jacentes
Pervenit ad Manes exsequialis honos.

XXII. *Severus Censor Julianus, consocer.*

Desinite, o veteres, Calpurnia nomina, Frugi,
Ut proprium hoc vestræ gentis habere decus.
Nec solus semper Censor Cato, nec sibi solus
Justus Aristides his placeant titulis.
Nam sapiens quicumque fuit, verumque fidemque
Qui coluit, comitem se tibi, Censor, agat.
Tu gravis et comis, cum justitiaque remissus,
Austeris doctus jungere temperiem.
Tu non adscito tibi me, nec sanguine juncto,
Optasti nostras consociare domos.
Nempe aliqua in nobis morum simulacra tuorum
Effigies nostri præbuit ingenii.
Aut jam fortunæ sic se vertigo rotabat,
Ut pondus fatis tam bona vota darent.
Si quid apud Manes sentis, fovet hoc tibi mentem; B
Quod fieri optaras, id voluisse Deum.

XXIII. *Paulinus et Dryadia, filii Paulini, et Megentiræ sororis filiæ.*

Qui nomen vultumque patris, Pauline, gerebas,
Amissi specimen qui genitoris eras :
Propter quem luctus miseræ decedere matris
Cœperat, offerret cum tua forma patrem :
Redderet et mores, et moribus adderet illud,
Paulinus caruit quo pater, eloquium.
Eriperis lætis, et pubescentibus annis :
Crudaque adhuc matris pectora sollicitas.
Flemus enim raptam thalami de sede sororem,
Heu ! non maturo funere, Dryadiam.
Flemus : ego in primis, qui matris avunculus, et vos C
Natorum tamquam diligo progeniem.
Illa manus inter genitricis, et oscula patris
Occidit, Hispana tum regione procul.
Quam tener, et primo, nove flos, decerperis ævo,
Nondum purpureas cinctus ephebe genas !
Quatuor ediderat nunc facta puerpera partus :
Funera sed tumulis jam geminata dedit.
Sit satis hoc, Pauline pater, divisio facta est.
Debetur matri cætera progenies.

XXIV. *Paulinus, sororis gener.*

Qui lætum ingenium, mores qui diligit æquos,
Quique fidem sancta cum pietate colit :
Paulini manes mecum veneratus, amicis
Inroret lacrymis, annua liba ferens.
Æquævus, Pauline, mihi, natamque sororis D
Indeptus thalamo : sic mihi pene gener.
Stirpis Aquitanæ mater tibi, nam genitori
Cossio Vasatum, municipale genus.
Scrinia præfecti meritus, rationibus inde
Præpositus Libycis, præmia opima capis.
Nam Correcturæ tibi Tarraco Hibera tribunal
Præbuit, affectans esse clienta tibi.
Tu socrum pro matre colens, affinis haberi
Non poteras, nati cum fruerere loco.
Inter concordes vixisti fidus amicos,
Duodeviginti functus Olympiadas.

XXV. *Æmilia Dryadia, matertera.*

Te quoque Dryadiam materteram, A
Flebilibus modulis,
Germana genitus, prope filius,
Ore pio veneror.
Quam thalamo, tædisque jugalibus
Invida mors rapuit :
Mutavitque thorum feretri vice
Exsequialis honor.
Discebas in me, matertera,
Mater uti fieres.
Unde modo hoc mœstum tibi defero
Filius officium.

XXVI. *Julia Cataphronia, amita.*

Quin et funereis amitam impartire querelis
Musa Cataphroniam.
Innuba devotæ quæ virginitatis amorem,
Parcaque anus coluit.
Et mihi quod potuit, quamvis de paupere summa,
Mater uti, attribuit.
Ergo commemorata, Ave : mœstumque vocata,
Pro genitrice, Vale.

XXVII. *Julia Veneria, amita.*

At amita Veneria properiter obiit.
Cui brevia mela modifica recino.
Cinis uti placidula supera vigeat,
Celeripes et adeat loca tacita Erebi.

XXVIII. *Julia Idalia, consobrina.*

Parva etiam fuit Idalia,
Nomine prædita quæ Paphiæ,
Et speciem meruit Veneris.
Quæ genita est mihi pene soror.
Filia nam fuit hæc amitæ,
Quam celebrat sub honore pio
Nænia, carmine funereo.

XXIX. *Æmilia Melania, soror.*

Æmilia, hos, vix nota mihi soror, accipe questus,
Debent quos cineri mœsta Elegea tuo.
Conjunxit nostras æquæva infantia cunas :
Uno quamvis tu consule major eras.
Invida sed nimium Lachesis properata peregit
Tempora : et ad Manes funera acerba dedit.
Præmissa ergo vale : Manesque verere parentum,
Qui majore ævo, quique minore venit.

XXX. *Pomponia Urbica, consocrus, uxor Juliani Censoris.*

Ut generis clari, veterum sic femina morum
Urbica, Censoris nobilitata thoro,
Ingenitis pollens virtutibus, auctaque et illis,
Quas docuit conjux, quas pater, et genitrix :
Quas habuit Tanaquil, quas Pythagorea Theano,
Quæque sine exemplo est in nece functa viri.
Et tibi si fatum sic permutare dedisset,
Viveret hoc nostro tempore Censor adhuc.
Sed neque tu viduo longum cruciata sub ævo,
Protinus optato fine secuta virum.
Annua nunc mœstis ferimus tibi justa querelis,
Cum genero et natis consocer Ausonius.

COMMEMORATIO PROFESSORUM BURDIGALENSIUM.

PRÆFATIO.

Vos etiam, quos nulla mihi cognatio junxit,
  Sed fama, et charæ religio patriæ,
Et studium in libris, et sedula cura docendi,
  Commemorabo viros morte obita celebres.
Fors erit, ut nostros Manes sic asserat olim,
  Exemplo cupiet qui pius esse meo.

I. *Tiberius Victor Minervius, orator.*

Primus Burdigalæ columen dicere, Minervi,
  Alter Rhetoricæ Quintiliane togæ.
Illustres quondam quo præceptore fuerunt
  Constantinopolis, Roma, dehinc patria,
Non equidem certans cum majestate duarum;
  Solo sed potior nomine, quod patria.
Asserat usque licet Fabium Calagurris alumnum :
  Non sit Burdigalæ dum cathedra inferior.
Mille foro dedit hæc juvenes; bis mille senatus
  Adjecit numero, purpureisque togis :
Me quoque, sed quoniam multa est prætexta, silebo :
  Teque canam de te, non ab honore meo.
Sive Panegyricos placeat contendere libros,
  In Panathenaicis tu numerandus eris.
Seu libeat fictas ludorum evolvere lites,
  Ancipitem palmam Quintilianus habet.
Dicendi torrens tibi copia : quæ tamen atrum,
  Non etiam luteam volveret illuviem.
Et Demosthenicum, quod ter primum ille vocavit,
  In te sic viguit, cedat ut ipse tibi.
Anne et divini bona naturalia doni
  Adjiciam, memori quam fueris animo?
Audita ut, vel lecta semel, ceu fixa teneres :
  Auribus et libris esset ut una fides?
Vidimus et quondam tabulæ certamine longo,
  Omnes, qui fuerant, enumerasse bolos,
Alternis vicibus quos præcipitante rotatu
  Fundunt excisi per cava buxa gradus :
Narrantem fido per singula puncta recursu,
  Quæ data, per longas quæ revocata moras.
Nullo felle tibi mens livida, tum sale multo
  Lingua dicax, blandis, et sine lite jocis.
Mensa nitens : quam non censoria regula culpet :
  Nec nolit Frugi Piso vocare suam.
Nonnumquam pollens natalibus, et dape festa :
  Non tamen angustas ut tenuaret opes.
Quamquam hæredis egens, bis sex quinquennia fun-
  [ctus,
  Fletus es a nobis, ut pater, et juvenis.
Et nunc, sive aliquid post fata extrema supersit,
  Vivis adhuc, ævi quod periit meminens :
Sive nihil superest, nec habent longa otia sensus;
  Tu tibi vixisti : nos tua fama juvat.

II. *Latinus Alcimus Alethius, rhetor.*

Nec me nepotes impii silentii
A Reum ciebunt, Alcime.
Minusque dignum, non et oblitum ferent
  Tuæ ministrum memoriæ.
Opponit unum quem viris prioribus
  Ætas recentis temporis.
Palmæ forensis, et Camenarum decus,
  Exemplar unum in litteris :
Quas aut Athenis docta coluit Græcia,
  Aut Roma per Latium colit.
Moresne fabor, et tenorem regulæ,
  Adusque vitæ terminum?
Quod laude clarus, quod paratus litteris,
  Omnem refugisti ambitum?
Te nemo gravior, vel fuit comis magis,
  Aut liberalis indigis;
Danda salute, si forum res posceret;
B Studio docendi, si scholam.
Vivent per omnem posterorum memoriam,
  Quos tu sacræ famæ dabas.
Et Julianum tu magis famæ dabis,
  Quam sceptra, quæ tenuit brevi.
Sallustio plus conferent libri tui,
  Quam consulatus addidit.
Morum tuorum, decoris, et facundiæ
  Formam dedisti filiis.
Ignosce, nostri læsus obsequio styli.
  Amoris hoc crimen tui est,
Quod digna nequiens promere, officium colo,
  Injuriose sedulus.
Quiesce placidus, et caduci corporis
C Damnum repende gloria.

III. *Luciolus, rhetor.*

Rhetora Luciolum condiscipulum, atque magistrum,
  Collegamque dehinc, nænia mœsta refer :
Facundum, doctumque virum, seu lege metrorum
  Condita, seu prosis solveret orsa modis.
Eripuit patri Lachesis quem funere acerbo,
  Linquentem natos sexui utroque duos.
Nequaquam meritis cujus responderit hæres,
  Obscuros quamvis nunc tua fama juvet.
Mitis amice, bonus frater, fidissime conjux,
  Nate pius : genitor, pœnitet, ut fueris.
Comis convivis, numquam inclamare clientes,
  Ad famulos numquam tristia verba loqui.
D Ut placidos mores, tranquillos sic cole Manes,
Et cape ab Ausonio munus, amice, Vale.

IV. *Attius Patera Pater, rhetor.*

Ætate quamquam viceris doctos prius,
  Patera fandi nobilis :
Tamen quod ævo floruisti proximo,
  Juvenisque te vidi senem,
Honore mœstæ non carebis næniæ,
  Doctor potentum Rhetorum.

Tu Bajocassis stirpe Druidarum satus,
Si fama non fallit fidem,
Beleni sacratum ducis e templo genus :
Et inde vobis nomina :
Tibi Pateræ : sic ministros nuncupant
Apollinaris mystici.
Fratri, patrique nomen a Phœbo datum :
Natoque de Delphis tuo.
Doctrina nulli tanta in illo tempore,
Cursusque tot fandi et rotæ.
Memor, disertus, lucida facundia,
Canore, cultu prædítus,
Salibus modestus felle nullo perlitis,
Vini, cibique abstemius,
Lætus, pudicus, pulcher; in senio quoque, ut
Aquilæ senectus, aut equi.

V. *Attius Tiro Delphidius, rhetor.*

Facunde, docte, lingua et ingenio celer,
Jocis amœne, Delphidi,
Subtextus esto flebili threno patris,
Laudi ut subibas æmulus.
Tu pene ab ipsis orsus incunabulis
Dei poeta nobilis,
Sertum coronæ præferens Olympiæ,
Puer celebrasti Jovem.
Mox inde cursim more torrentis freti,
Epos ligasti metricum :
Ut nullus æque lege liber carminum
Orationem texeret.
Celebrata varie cujus eloquentia
Domi forisque claruit :
Seu tu cohortis Præsulem prætoriæ,
Provinciarum aut judices
Coleres, tuendis addictus clientiis,
Famæ, et salutis sauciis.
Felix, quietis si maneres litteris,
Opus Camenarum colens :
Nec odia magnis concitata litibus
Armaret ultor impetus :
Nec inquieto temporis tyrannici
Palatio te attolleres.
Dum spem remotam semper arcessis tibi,
Fastidiosius obviæ,
Tuumque mavis esse, quam fati bonum,
Desiderasti plurima;
Vagus per omnes dignitatum formulas,
Meritusque plura, quam gerens.
Unde insecuto criminum motu gravi,
Donatus ærumnis patris :
Mox inde Rhetor, nec docendi pertinax,
Curam fefellisti patrum,
Minus malorum munere expertus Dei,
Medio quod ævi raptus es.
Errore quod non deviantis filiæ,
Pœnaque læsus conjugis.

VI. *Alethio Minervio, filio, rhetori.*

O flos juvenum,
Spes læta patris :
Nec certa tuæ
Data res patriæ;
Non mansuris
Ornate bonis :
Ostentatus,
Raptusque simul,
Solstitialis
Velut herba solet,
Rhetor Alethi.
Tu Burdigalæ
Lætus patriæ
Clara cohortis
Vexilla regens
Pubere in ævo.
. . . . . .
Postque Pateræ,
Major utroque :
Tu primævis
Doctor in annis,
Et præceptor,
Tempore quo te
Discere adultum
Non turpe foret,
Cuncta habuisti
Commoda fati.
Prætextate
Jam genitori
Conlatus eras.
Ille superbæ
Mœnia Romæ,
Fama et meritis,
Non sine morsu
Gravis invidiæ,
Inclytus auxit.
Floris adulti
Vota tuorum,
Et Rhetoricam
Fruge carentem,
Et connubium
Nobile soceri,
Sine pace patris :
Et divitias
Utriusque, sine
Hærede suo
Deseruisti.
Omnia præcox
Fortuna tibi
Dedit, et rapuit.
Quam fatiloquo
Dicte profatu
Versus Horatii :
NIHIL EST AB OMNI
PARTE BEATUM.

VII. *Leontius grammaticus, cognomento Lascivus.*

Qui colis lætos, hilarosque mores,
Qui dies festos, joca, vota, ludum,
Annuum functi memora Leontii
Nomine threnum.

Iste LASCIVUS patiens vocari,
Nomen indignum probitate vitæ
Abnuit numquam : quia gratum ad aures
Esset amicas.
Litteris tantum titulum assecutus,
Quantus exili satis est cathedræ :
Posset insertus numero ut videri
Grammaticorum.
Tu meæ semper socius juventæ,
Pluribus quamvis cumulatus annis,
Nunc quoque in nostris recales medullis,
Blande Leonti :
Et juvat tristi celebrare cura
Flebilem cantum memoris querelæ :
Munus ingratum, tibi debitumque
Carmine nostro.

VIII. *Grammáticis Græcis Burdigalensibus.*

Romulum post hos, prius, an Corinthi,
An ne Sperchei, pariterque nati
Atticas Musas memorem Menesthei
Grammaticorum ?
Sedulum cunctis studium docendi ;
Fructus exilis, tenuisque sermo :
Sed, quia nostro docuere in ævo,
Commemorandi.
Tertius horum mihi non magister ;
Cæteri primis docuere in annis,
Ne forem vocum rudis, aut loquendi :
Sed sine cultu.
Obstitit nostræ quia, credo, mentis
Tardior sensus : neque disciplinis
Appulit Græcis puerilis ævi
Noxius error.
Vos levis cespes tegat, et sepulcri
Tecta defendant cineres opertos :
At meæ vocis titulus supremum
Reddat honorem.

IX. *Jucundo, grammatico Burdigalensi, fratri Leontii.*

Et te, quem cathedram temere usurpasse loquuntur,
Nomen Grammatici nec meruisse putant :
Voce ciebo tamen, simplex, bone, amice, sodalis ;
Jucunde, hoc ipso chare magis studio,
Quod quamvis impar nomen tam nobile amasti,
Es meritos inter commemorande viros.

X. *Grammaticis Latinis Burdigalensibus philologis, Macrino. Phœbitio, Concordio, Sucuroni, Ammonio Anastasio grammatico Pictaviorum.*

Nunc ut quemque mihi
Flebilis officii
Religiosus honor
Suggeret, expediam.
Qui, quamvis humili
Stirpe, loco, ac merito,
Introtulere tamen
Grammatices studium
Ingeniis hominum
Burdigalæ rudibus.
Permaneat series.

A

Sit Macrinus in his,
Sobrius in pueris,
Et puerorum *
Utilis ingeniis.
Huic mea principio
Credita puerities.
Nec reticebo senem
Nomine Phœbicium :
Qui Beleni ædituus
Nil opis inde tulit.
Sed tamen, ut placitum,
Stirpe satus Druidum,
Gentis Aremoricæ
Burdigalæ cathedram
Nati opera obtinuit.

B

Et tu Concordi
Qui profugus patria,
Mutasti sterilem
Urbe alia cathedram,
Et libertina
Sucuro progenies,
Qui rudibus pueris
Prima elementa dabas,
Pange et Anastasio
Flebile, Musa, melum :
Et memora tenuem
Nænia Grammaticum.
Burdigalæ hunc genitum,
Transtulit ambitio,
Pictonicæque dedit.

C

Pauper ubi, et tenuem
Victum habitumque colens,
Gloriolam exilem
Et patriæ, et cathedræ
Perdidit in senio :
Doctrina exiguus,
Moribus implacidis,
Proinde, ut erat meritum,
Famam habuit tenuem.
Sed tamen hunc noster
Commemoravit honos.
Religiosum etenim
Commemorare meæ
Grammaticum patriæ,
Ne pariter tumulus
Nomen et ossa tegat.

D

XI. *Herculano, Sororis filio, grammatico Burdigalensi.*

Herculane, qui profectus gremio de nostro et schola
Spem magis quam rem fruendam præbuisti avunculo,
Particeps scholæ, et cathedræ pene successor meæ,
Lubricæ nisi te juventæ præcipitem flexus daret,
Pythagorei non tenentem tramitis rectam viam :
Esto placidus, et quietis Manibus sedem fove ;
Jam mihi cognata dudum inter memoratus nomina.

XII. *Thalasso, grammatico Latino, Burdigalensi.*

Officium, nomenque tuum, primæve Thalasse,
Parvulus audivi : vix etiam memini,
Qua forma, aut merito fueris, qua stirpe parentum.

Ætas nil de te posterior celebrat.
Grammaticum juvenem tantum te fama ferebat,
Tum quoque tam tenuis, quam modo nulla manet.
Sed quicumque tamen, nostro quia doctor in ævo
Vixisti, hoc nostrum munus habeto, Vale.

XIII. *Citario Sicalo Syracusano, grammatico Burdigalensi Græco.*

Et Citari, dilecte mihi, memorabere, dignus
Grammaticos inter qui celebrere bonos.
Esset Aristarchi tibi gloria, Zenodotique
Graiorum, antiquus si sequeretur honos.
Carminibus, quæ prima tuis sunt condita in annis,
Concedit Cei Musa Simonidei.
Urbe satus Sicula, nostram peregrinus adisti :
Excultam studiis quam prope reddideras.
Conjugium nactus cito nobilis, et locupletis,
Invidia fati non genitor moreris.
At nos defunctum memori celebramus honore :
Fovimus ut vivum munere amicitiæ.

XIV. *Censorio Attico Agricio, Rhetori.*

Eloquii merito primis æquande, fuisti
Agrici hic positus posteriore loco :
Ævo qui quoniam genitus functusque recenti,
Dilatus nobis, non et omissus eras.
Quocumque in numero, tristi memorabere threno.
Unus honos tumuli serus, et ante datus.
Tam generis tibi celsus apex, quam gloria fandi.
Gloria Athenæi cognita sede loci;
Nazario, et claro quondam delata Pateræ,
Egregie multos excoluit juvenes.
Conjuge nunc, natisque superstitibus, generoque,
Majorum Manes et monumenta foves.

XV. *Nepotiano, grammatico, eidem Rhetori.*

Facete, comis, animo juvenili senex,
Cui felle nullo, melle multo mens madens,
Ævum per omne nil amarum miscuit :
Nostri medela, Nepotiane, pectoris,
Tam seriorum quam jocorum particeps,
Taciturne, Amyclas qui silendo viceris.
Te fabulantem non Ulixes linqueret,
Linquit canentes qui melodas virgines.
Probe, et pudice, parce, frugi, abstemie,
Facunde, nulli Rhetorum cedens stylo,
Et disputator ad Cleanthen Stoicon :
Scaurum Probumque corde callens intimo :
Et Epirote Cinea memor magis.
Sodalis, et convictor, hospes jugiter :
Parum quod hospes; mentis agitator meæ.
Consilia nullus mente tam pura dedit,
Vel altiore conditu texit data.
Honore gesti præsidatus inclytus,
Decies novenas functus annorum vices,
Duos relinquens liberos, mortem oppetis,
Dolore multo, tam tuorum, quam meo.

XVI. *Æmilius Magnus Arborius, rhetor Tolosæ.*

Inter cognatos jam fletus, avuncule, Manes,
Inter Rhetorices nunc memorandus eris.
A Illud opus pietas, istud reverenda virorum
Nomina pro patriæ relligione habeant.
Bis meritum duplici celebremus honore parentem
Arborium, Arborio patre, et avo Argicio.
Stemma tibi patris Æduici : Tarbellica Mauræ
Matris origo fuit, ambo genus procerum.
Nobilis et dotata uxor, domus, et schola, cultæ
Principum amicitiæ contigerunt juveni.
Dum Constantini fratres opulenta Tolosa
Exsilii specie sepositos cohibet :
Byzanti inde arcem, Thressæque Propontidis urbem
Constantinopolim fama tui pepulit.
Illic dives opum, doctoque ibi Cæsare honorus
Occumbis, patribus Magne superstitibus.
In patriam sed te sedem, ac monumenta tuorum,
B Principis Augusti restituit pietas.
Hinc renovat causam lacrymis, et flebile munus,
Annuus ingrata relligione dies.

XVII. *Exuperius, rhetor Tolosæ.*

Exuperi memorande mihi, facunde sine arte,
Incessu gravis et verbis ingentibus, ore
Pulcher, et ad summam, motuque habituque venusto,
Copia cui fandi longe pulcherrima; quam si
Auditu tenus acciperes, deflata placeret :
Discussam scires solidi nihil edere sensus.
Palladiæ primum toga te venerata Tolosæ,
Mox pepulit levitate pari. Narbo inde recepit.
Illic Dalmatio genitos, fatalia regum
Nomina, tum pueros grandi mercede docendi
C Formasti, Rhetor, metam prope puberis ævi.
Cæsareum qui mox indepti nomen, honorem
Præsidis, Hispanumque tibi tribuere tribunal.
Decedens, placidos mores, tranquillaque vitæ
Tempora prædives finisti sede Cadurca.
Sed patriæ te jura vocant, et origo parentum,
Burdigalæ ut rursum nomen de Rhetore reddas.

XVIII. *Marcello Marcelli filio grammatico Narbonensi.*

Nec te Marcello genitum, Marcelle, silebo :
Aspera quem genitrix urbe, domo pepulit.
Sed fortuna potens cito reddidit omnia, et auxit.
Amissam primum Narbo dedit patriam.
Nobilis hic hospes Clarentius indole motus,
Egregiam natam conjugio attribuit.
D Mox schola, et auditor multus, prætextaque pubes,
Grammatici nomen, divitiasque dedit.
Sed numquam jugem cursum fortuna secundat,
Præsertim pravi nacta virum ingenii.
Verum oneranda mihi non sunt : memoranda recepi
Fata; sat est dictum, cuncta perisse simul.
Non tamen et nomen, quo te non fraudo, receptum
Inter Grammaticos prætenuis meriti.

XIX. *Sedatus, rhetor Tolosanus.*

Relligio est, tacitum si te, Sedate, relinquam,
Quamvis docendi munus indepte es foris.
Communis patria est tecum mihi : forte potentis
Fati Tolosam nactus es sedem scholæ.
Illic conjugium, natique, opulentusque senectus,

Et fama, magno qualis est par Rhetori.
Quamvis externa tamen a regione reducit
Te patria, et civem morte obita repetit.
Cumque vagantem operam divisæ impenderis urbi,
Arbitrium de te sumit origo suum.
Est tua nunc suboles, moremque secuta parentis,
Narbonem, ac Romam nobilitat studiis.
. . . . . .
Fama velit nolit, Burdigalam referet.

XX. *Staphylius, rhetor, civis Auscius.*

Hactenus observata mihi lex commemorandi
Cives, sive domi, seu docuere foris.
Externum sed fas conjungere civibus unum
Te, Staphyli, genitum stirpe Novempopulis.
Tu mihi quod genitor, quod avunculus: unus utrum-
Alter ut Ausonius, alter ut Arborius. [que.
Grammatice ad Scaurum, atque Probum, promptis-
[sime Rhetor,
Historiam callens Livii et Herodoti.
Omnis doctrinæ ratio tibi cognita : quantam
Condit sexcentis Varro voluminibus.
Aurea mens, vox suada tibi, tum sermo quietus.
Nec cunctator eras, nec properante sono.
Pulchra senecta, nitens habitus, procul ira, dolusque,
At placidæ vitæ congrua meta fuit.

XXI. *Crispus et Urbicus, grammat. Latini et Græci.*

Tu quoque in ævum, Crispe, futurum
Mœsti venies commemoratus
Munere threni.
Qui primævos, fandique rudes,
Elementorum prima docebas
Signa novorum.
Creditus olim fervere mero,
Ut Virgilii Flaccique locis
Æmula ferres.
Et tibi, Latiis posthabite orsis
Urbice, Graiis celebris, carmen
Sic ἐλελίσω.
Nam tu Crispo conjuncte tuo
Prosa solebas, et versu loqui
Impete eodem ;
Priscos ut et Heroes olim
Carmine Homeri commemoratos
Fando referres :
Dulcem in paucis ut Plistheniden,
Et torrentis ceu Dulichii
Ninguida dicta,
Et mellitæ nectare vocis
Dulcia fatu verba canentem
Nestora regem.
Ambo loqui faciles, ambo omnia carmina docti,
Callentes mythων plasmata, et historiam.
Liberi et ambo genus : sed quos meruisse deceret
Nancisci, ut cluerent patribus ingenuis.

XXII. *Victorio, Subdoctori, sive Proscholo.*

Victori studiose, memor, celer, ignoratis
Assidue in libris, nec nisi operta legens ;
Exesas tineis, opicasque evolvere chartas,
Major quam promptis cura tibi in studiis.
Quod jus Pontificum, quæ fœdera, stemma quod olim
Ante Numam fuerat sacrificis Curibus :
Quod Castor cunctis de regibus ambiguis, quod
Conjugis e libris ediderat Rhodope :
Quod jus Pontificum, veterum quæ scita Quiritum,
Quæ consulta patrum; quid Draco, quidve Solon
Sanxerit; et Locris dederit quæ jura Zaleucus ;
Sub Jove quæ Minos, quid Themis ante Jovem ;
Nota tibi potius, quam Tullius et Maro nostri,
Et quidquid Latia conditur historia.
Fors istos etiam tibi lectio longa dedisset :
Supremum Lachesis ni celerasset iter.
Exili nostræ fucatus honore cathedræ,
Libato tenuis nomine Grammatici.
Longinquis posthac Romæ defunctus in oris :
Ad quas de Siculo littore transieras,
Sed modo nobilium memoratus in agmine, gaude :
Pervenit ad Manes si pia cura tuos.

XXIII. *Dynamio, Burdigalensi, qui in Hispania docuit, et obiit.*

Sed neque te mœsta, Dynami, fraudabo querela.
Municipem patriæ causidicumque meæ.
Crimine adulterii quem saucia fama fugavit;
Parvula quem latebris fovit Ilerda suis.
Quem locupletavit conjux Hispana latentem;
Namque ibi mutato nomine, Rhetor eras.
Rhetor Flavinii cognomine dissimulatus,
Ne posset profugum prodere culpa suum.
Reddiderat quamvis patriæ te sera voluptas,
Mox residem rursum traxit Ilerda domus.
Qualiscumque tuæ fuerit fuga, famaque vitæ,
Jungeris antiqua tu mihi amicitia.
Officiumque meum, sensus si manibus ullus,
Accipe jam verus morte obita Dynami.
Diversis quamvis jaceas defunctus in oris :
Commemorat mœstis te pia cura elegis.

XXIV. *Acilio Glabrioni, grammatico Jun. Burdig.*

Doctrinæ, vitæque pari brevitate caducum,
Glabro, te mœstis commemorabo elegis.
Stemmate nobilium deductum nomen avorum,
Glabrio Aquilini Dardana progenies.
Tu quondam puero compar mihi discipulo : mox
Me dehinc facto Rhetore, Grammaticus.
Inque foro tutela reis, et cultor in agris,
Digne, diu partis qui fruerere bonis.
Commode, læte, benigne, abstemie, tam bone dandis
Semper consiliis, quam taciturne datis.
Tam decus omne tuis, quam mox dolor, omnia acerbo
Funere præreptus, Glabrio, destituis :
Uxore et natis, genitore et matre relictis,
Eheu ! quam multis perdite nominibus !
Flete diu nobis, numquam satis, accipe acerbum
Glabrio in æternum commemorate, VALE.

Coronis.

Quos legis a prima deductos menide libri,
Doctores patriæ scito fuisse meæ.

Grammatici in studio, vel Rhetoris, aut in utroque,
  Quos memorasse mihi, morte obita, satis est.
Viventum illecebra est laudatio ; nomina tantum
  Voce ciere, suis sufficiet tumulis.
Ergo qui nostræ legis otia tristia chartæ,
  Eloquium tu ne quære, sed officium,
Quo claris doctisque viris pia cura parentat:
  Dum decora egregiæ commeminit patriæ.

POETA.

Valete, manes inclytorum Rhetorum:
  Valete, doctores probi.
Historia si quos, vel poeticus stilus,
  Forumve fecit nobiles :
Medicæ vel artis, dogma vel Platonicum
  Dedit perenni gloriæ :
Et si qua cunctis cura viventum placet:
  Juvatque honor superstitum :
Accipite mœstum carminis cultum mei,
  Textum querela flebili,
Sedem sepulcris servet immotus cinis.
  Memoria vivat nominum :
Dum remeat illud, judicis dono Dei,
  Commune cum dis sæculum.

EPITAPHIA HEROUM.

EPITAPHIA HEROUM QUI BELLO TROICO INTERFUERUNT.

I. *Agamemnoni.*

Rex regum, Atrides, fraternæ conjugis ultor,
  Oppetii manibus conjugis ipse meæ.
Quid prodest Helenes raptum punisse dolentem,
  Vindicem adulterii cum Clytemnestra necet?

II. *Ménelao.*

Felix o Menelae, deum cui debita sedes,
  Decretumque piis Manibus Elysium.
Tyndareo dilecte gener, dilecte Tonanti:
  Conjugii vindex, ultor adulterii :
Æterno pollens ævo, æternaque juventa,
  Nec leti passus tempora, nec senii.

III. *Ajaci.*

Ajacis tumulo pariter tegor obruta Virtus,
  Illacrymans bustis funeris ipsa mei :
Incomptas lacerata comas, quod pravus Atrides
  Cedere me structis compulit insidiis.
Jam dabo purpureum claro de sanguine florem,
  Testantem gemitu crimina judicii.

IV. *Achilli.*

Non una Æacidem tellus habet, ossa teguntur
Littore Sigeo, crinem Larissa cremavit.
Pars tumuli. . . . . .
Orbe sed in toto. . . . . Homer. . . .

V. *Ulixi.*

Conditur hoc tumulo Laërta natus Ulixes.
  Perlege Odyssean, omnia nosse volens.

VI. *Diomedi.*

Conditur hic genitore bono melior Diomedes:
Crimen ob uxoris pulsus dotalibus agris.
Argyripam, clarosque viris qui condidit Arpos :
Clarior urbe nova, patriæ quam sede vetusta.

VII. *Antilocho.*

Consiliis, belloque bonus, quæ copula rara est,
  Charus et Atridis, charus et Æacidis :
Præmia virtutis simul et pietatis adeptus,
  Servato Antilochus Nestore patre, obii.
Non hic ordo fuit : sed justius ille superstes,
  Troja capi sine quo perfida non poterat.

VIII. *Nestori.*

Hoc tegor in tumulo quarti jam prodigus ævi
  Nestor, consilio clarus, et eloquio,
Objecit sese cujus pro morte peremptus
  Filius, et nati vulnere vivo pater.
Eheu! cur fatis disponere sic placet ævum,
  Tam longum ut nobis : tam breve ut Antilocho?

IX. *Pyrrho.*

Orbe tegor medio, major virtute paterna,
  Quod puer, et regis Pyrrhus opima tuli.
Impius ante aras quem fraude peremit Orestes.
  Quid mirum? cæsa jam genitrice furens.

X. *Euryalo.*

Nec me non dignum titulo Pleuronia credit :
  Cui communis erat cum Diomede domus,
Euryalo, et Sthenelo. Nam tertius hoc ego regnum
  Possedi : de quo nunc satis est tumulus.

XI. *Gunee.*

Gunea pontus habet, tumulus sine corpore nomen.
  Fama homines inter ; cœlum animus repetit.
Cuncta elementa duci tanto commune sepulcrum.
  Quæ? cœlum, et tellus, et mare, et ora virum.

XII. *Protesilao.*

Fatale ascriptum nomen mihi Protesilao.
  Nam primus Danaum bello obii Phrygio,
Audaci ingressus Sigeia littora saltu,
  Captus pellacis Laertiadæ insidiis.
Qui ne Trojanæ premeret pede littora terræ,
  Ipse super proprium desiliit clypeum.
Quid queror? hoc letum jam tum mea fata canebant,
  Tale mihi nomen cum pater imposuit.

XIII. *Deiphobo.*

Proditus ad pœnam, sceleratæ fraude Lacænæ,
  Et deformato corpore Deiphobus,
Non habeo tumulum, nisi quem mihi voce vocantis
  Et pius Æneas, et Maro composuit.

XIV. *Hectori.*

Hectoris hic tumulus : cum quo sua Troja sepulta est.
  Conduntur pariter qui periere simul

XV. *Astyanacti.*

Flos Asiæ, tanta unus de gente superstes,
Parvulus, Argivis sed jam de patre timendus,
Hic jaceo Astyanax, Scæis dejectus ab altis.

Proh dolor! Iliaci Neptunia mœnia muri
Viderunt aliquid crudelius Hectore tracto.

XVI. *Sarpedoni.*

Sarpedon Lycius, genitus Jove, numine patris
Sperabam cœlum; sed tegor hoc tumulo,
Sanguineis fletus lacrymis. Proh ferrea fata!
Et patitur luctum, qui prohibere potest?

XVII. *Nasti et Amphimacho.*

Nastes, Amphimachusque, Nomionis inclyta proles,
Ductores quondam, pulvis et umbra sumus.

XVIII. *Troilo.*

Hectore prostrato, nec dis, nec viribus æquis
Congressus sævo Troilus Æacidæ,
Raptatus bigis fratris conjungor honori:
Cujus ob exemplum nec mihi pœna gravis.

XIX. *Polydoro.*

Cede procul, myrtumque istam fuge nescius, hospes,
Telorum seges est sanguine adulta meo.
Confixus jaculis, et ab ipsa cæde sepultus,
Condor in hoc tumulo bis Polydorus ego.
Scit pius Æneas, et tu, rex impie, quod me
Thracia pœna premit, Troia cura tegit.

XX. *Euphemo.*

Euphemum Ciconum ductorem Troia tellus
Condidit hastati Martis ad effigiem.
Nec satis est titulum saxo incidisse sepulcri:
Insuper et frontem mole onerant statuæ.
Ocyus ista ruunt, quæ sic cumulata locantur.
Major ubi est cultus, magna ruina subest.

XXI. *Hippothoo, et Pylæo, in horto sepultis.*

Hippothoum, Pyleumque tenet gremio infima tellus.
Caulibus et malvis terga superna virent.
Nec vexat cineres horti cultura quietos:
Dum parcente manu molle olus excolitur.

XXII. *Ennomo, et Chromio.*

Ennomus hic, Chromiusque jacent, queis Mysia regnum,
Queis pater Alcinus, Oceanusque atavus.
Nobilitas quid tanta juvat? quo clarius istis
Est genus, hoc mortis conditio gravior.

XXIII. *Priamo.*

Hic Priami non est tumulus, nec condor in ista
Sede: caput Danai diripuere meum.
Ast ego cum lacerum sine nomine funus haberem,
Confugi ad cineres Hectoreos genitor.
Hic et natos, Trojamque, Asiamque sepultam
Inveni, et nostrum quidquid ubique jacet.

XXIV. *Item Priamo.*

Qui tumulum Priami quærit, legat Hectoris ante.
Ille meus, nato quem prius ipse dedi.
Hectoris, et patris simul est commune sepulcrum,
Amborum quoniam juncta ruina fuit.

XXV. *Hecubæ.*

Quæ regina fui, quæ claro nata Dymante,
A Quæ Priami conjunx, Hectora quæ genui,
Hic Hecuba injectis perii superobruta saxis.
Sed rabie linguæ me tamen ulta prius.
Fidite ne regnis, et prole, et stirpe parentum:
Quicumque hoc nostrum σῆμα κυνὸς legitis.

XXVI. *Polyxenæ.*

Troas Achilleo conjuncta Polyxena busto
Malueram nullo cespite functa tegi.
Non bene discordes tumulos miscetis, Achivi:
Hoc violare magis, quam sepelire fuit.

ALIQUOT ALIORUM EPITAPHIA.

XXVII. *Niobæ, in Sipylo monte juxta fontem sepultæ.*

Thebarum regina fui, Sipyleia cautes
Quæ modo sum: læsi numina Latoidum.
B Bis septem natis genitrix læta atque superba,
Tot duxi mater funera, quot genui.
Nec satis hoc divis. Duro circumdata saxo
Amisi humani corporis effigiem.
Sed dolor, obstructis quamquam vitalibus, hæret:
Perpetuasque rigat fonte pio lacrymas.
Proh facinus! tantæne animis cœlestibus iræ?
Durat adhuc luctus, matris imago perit.

XXVIII. *Eidem.*

Vivebam. Sum facta silex, quæ deinde polita
Praxitelis manibus, vivo iterum Niobe.
Reddidit artificis manus omnia, sed sine sensu.
Hunc ego, cum læsi numina, non habui.

XXIX. *Eidem.*

C Habet sepulcrum non id intus mortuum.
Habet nec ipse mortuus bustum super.
Sibi sed est ipse hic sepulcrum, et mortuus.

XXX. *Didoni.*

Infelix Dido, nulli bene nupta marito:
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

XXXI. *Diogeni Cynico, in cujus sepulcro, pro titulo, canis signum est.*

Dic, canis, hic cujus tumulus? Canis. At canis hic quis?
Diogenes. Obiit? Non obiit, sed abiit.
Diogenes, cui pera penus, cui dolia sedes,
Ad manes abiit? Cerberus ire vetat.
Quonam igitur? Clari flagrat qua stella Leonis,
Additus est justæ nunc canis Erigonæ.

D XXXII. *In tumulum sedecennis matronæ.*

Omnia quæ longo vitæ cupiuntur in ævo,
Ante quater plenum consumpsit Anicia lustrum.
Infans lactavit, pubes et virgo adolevit.
Nupsit, concepit, peperit. Jam mater obivit.
Quis mortem accuset? quis non accuset in isto
Ætatis? meritis annus est, ætate puella.

XXXIII. *Glauciæ, immatura morte prævento.*

Læta bis octono tibi jam sub consule pubes
Cingebat teneras, Glaucia adulte, genas.
Et jam desieras puer, anne puella, videri:
Cum properata dies abstulit omne decus.
Sed neque functorum socius miscebere vulgo:

Nec metues Stygios flebilis umbra lacus.
Verum aut Persephonæ Cinyreius ibis Adonis :
Aut Jovis Elysii tu catamitus eris.

XXXIV. *Callicrateæ.*

Viginti atque novem genitrici Callicrateæ
Nullius sexus mors mihi visa fuit.
Sed centum et quinque explevi bene messibus annos,
Intremulam baculo non subeunte manum.

XXXV. *Equo Admirabili, jussu Augusti.*

Phosphore, clamosi spatiosa per æquora Circi
Septenas solitus victor obire vias :
Improperanter agens primos a carcere cursus,
Fortis prægressis ut potereris equis.
Promptum et veloces erat anticipare quadrigas :
Victores etiam vincere, laus potior.
Hunc titulum vani solatia sume sepulcri,
Et gradere Elysios præpes ad alipedes.
Pegasus hinc dexter currat tibi ; lævus Arion
Funis eat ; quartum det tibi Castor equum.

A

XXXVI. *In tumulo hominis felicis.*

Sparge mero cineres, bene olenti et unguine nardi,
Hospes, et adde rosis balsama puniccis.
Perpetuum mihi ver agit illacrymabilis urna.
Et comminutavi sæcula, non obii.
Nulla mihi veteris perierunt gaudia vitæ :
Seu meminisse putes omnia, sive nihil.

XXXVII. *Sepulcrum Cari vacuum.*

Me sibi, et uxori, et natis commune sepulcrum
Constituit seras Carus ad exsequias.
Jamque diu monumenta vacant, sitque ista querela
Longior : et veniat ordine quisque suo,
Nascendi qui lege datus : placidumque per ævum
Condatur, natu qui prior, ille prior.

B

XXXVIII. *Ex sepulcro Latinæ viæ.*

Non nomen, non quo genitus, non unde, quid egi.
Mutus in æternum sum, cinis, ossa, nihil.
Non sum, nec fueram : genitus tamen e nihilo sum,
Mitte, nec exprobres singula, talis eris.

DE DUODECIM CÆSARIBUS

Per Suetonium Tranquillum scriptis.

Ausonius Hesperio filio. S. D.

CÆSAREOS proceres, in quorum regna secundis
Consulibus dudum Romana potentia cessit,
Accipe bis senos, sua quemque monosticha signant,
Quorum per plenam seriem Suetonius olim
Nomina, res gestas, vitamque obitumque peregit.

Monosticha de ordine XII imperatorum.

Primus regalem patefecit JULIUS aulam
Cæsar, et AUGUSTO nomen transcripsit, et arcem.
Privignus post hunc regnat NERO CLAUDIUS, a quo
CÆSAR, cognomen Caligæ cui castra dederunt.
CLAUDIUS hinc potitur regno, post quem NERO sævus
Ultimus Æneadum. Post hunc tres, nec tribus annis;
GALBA senex, frustra socio confisus inerti :
Mollis OTHO, infami per luxum degener ævo :
Nec regno dignus, nec morte VITELLIUS ut vir.
His decimus, fatoque accitus VESPASIANUS.
Et TITUS imperii felix brevitate, secutus
Frater, quem CALVUM dixit sua Roma NERONEM.

Tempus imperii XII Cæsarum.

JULIUS, ut perhibent, divus trieteride regnat.
AUGUSTUS post lustra decem sex prorogat annos,
Et ter septenis geminos NERO CLAUDIUS addit.
Tertia finit hiems grassantia tempora CAII.
CLAUDIUS hebdomadem duplicem trahit : et NERO [dirus
Tantumdem : summæ consul sed defuit unus.
GALBA senex, OTHO lascive, et famose VITELLI,
C Tertia vos Latio regnantes nesciit æstas,
Interitus dignos vita properante probrosa.
Implet fatalem decadem sibi VESPASIANUS.
Ter, dominante TITO, cingit nova laurea Janum :
Quindecies, sævis potitur dum FRATER habenis.

De mortibus eorum.

JULIUS interiit CÆSAR grassante senatu.
Addidit AUGUSTUM divis matura senectus.
Sera senex Capreis exsul NERO fata peregit.
Expetiit pœnas de CÆSARE Chærea mollis.
CLAUDIUS ambiguo conclusit fata veneno.
Matricida NERO proprii vim pertulit ensis.
GALBA senex periit sævo prostratus OTHONE.
Mox Otho famosus, clara sed morte potitus.
D Prodiga succedunt perimendi sceptra VITELLI.
Laudatum imperium, mors lenis VESPASIANO.
At TITUS, orbis amor, rapitur florentibus annis.
Sera gravem perimunt, sed justa piacula, FRATREM.

TETRASTICHA.

A Julio Cæsare usque ad tempora sua.

Nunc et prædictos, et regni sorte sequentes
Expediam, series quos tenet imperii.
Incipiam ab Divo, percurramque ordine cunctos,
Novi Romanæ quos memor historiæ.

I. *Julius Cæsar.*

Imperium, binis fuerat solemne quod olim
Consulibus, Cæsar Julius obtinuit.
Sed breve jus regni, sola trieteride gestum,
Perculit armatæ factio sæva togæ.

II. *Octavianus Augustus.*

Ultor, successorque dehinc Octavius, idem
Cæsar : at Augusti nomine nobilior ;
Longæva, et numquam dubiis violata potestas,

In terris positum credidit esse deum.

III. *Tiberius Nero.*

Prænomen Tiberi nactus Nero prima juventæ
Tempora laudato gessit in imperio.
Frustra dehinc solo Caprearum clausus in antro,
Quæ prodit vitiis, credit operta locis.

IV. *Cæsar Caligula.*

Post hunc castrensis caligæ cognomine Cæsar
Successit sævo sævior ingenio :
Cædibus, incestisque dehinc maculosus, et omni
Crimine pollutum qui superavit avum.

V. *Claudius Cæsar.*

Claudius irrisæ privato in tempore vitæ,
In regno specimen prodidit ingenii.
Libertina tamen, nuptarum et crimina passus,
Non faciendo nocens, sed patiendo fuit.

VI. *Nero.*

Æneadum generis qui sextus et ultimus hæres,
Polluit, et clausit Julia sacra Nero.
Nomina quot pietas, tot habet quoque crimina vitæ.
Disce ex Tranquillo : me meminisse piget.

VII. *Sergius Galba.*

Spem frustrate, senex, privatus sceptra mereri
Visus ; at imperio proditus inferior :
Fama tibi melior juveni : sed justior ordo est,
Complacuisse dehinc, displicuisse prius.

VIII. *Marcus Otho.*

Æmula polluto gesturus sceptra Neroni,
Obruitur celeri raptus Otho exitio.
Fine tamen laudandus erit : qui morte decora
Hoc solum fecit nobile, quod periit.

IX. *Aulus Vitellius.*

Vitæ sors fœda tibi, nec digna, Vitelli,
Qui fieres Cæsar. Sic sibi fata placent.
Umbra tamen brevis imperii : quia præmia regni
Sæpe indignus adit, non nisi dignus habet.

X. *Divus Vespasianus.*

Quærendi attentus, moderato commodus usu,
Auget nec reprimit Vespasianus opes.
Olim qui dubiam privato in tempore famam,
Rarum aliis, princeps transtulit in melius.

XI. *Titus Vespasianus.*

Felix imperio, felix brevitate regendi,
Exspers civilis sanguinis, orbis amor ;
Unum dixisti moriens te crimen habere,
Sed nulli de te, nos tibi credidimus.

XII. *Domitianus.*

Hactenus edideras dominos gens Flavia justos.
Cur duo quæ dederant, tertius eripuit ?
Vix tanti est habuisse illos, quia dona bonorum
Sunt brevia. Æternum, quæ nocuere, dolent.

XIII. *Nerva Tetrarcha.*

Proximus exstincto moderatur sceptra tyranno
Nerva senex, princeps nomine, mente parens.
Nulla viro suboles. Imitatur adoptio prolem,
A Quam legisse juvet, quam genuisse velit.

XIV. *Trajanus.*

Aggreditur regimen viridi Trajanus in ævo,
Belli laude prior, cætera patris habens.
Hic quoque prole carens, sociat sibi sorte legendi,
Quem fateare bonum, diffiteare parem.

XV. *Ælius Hadrianus.*

Ælius hinc subiit mediis præsignis in actis :
Principia et finem fama notat gravior.
Orbus et hic : sociatque virum documenta daturum,
Adsciti quantum præmineant genitis.

XVI. *Antoninus Pius.*

Antoninus abhinc regimen capit : ille vocatu
Consultisque PIUS, nomen habens meriti.
B Filius huic fato nullus : sed lege suorum
A patria sumpsit, qui regeret patriam.

XVII. *Marcus Antoninus.*

Post Marco tutela datur ; qui scita Platonis
Flexit ad imperium, patre PIO melior.
Successore suo moriens, sed principe pravo,
Hoc solo patriæ, quod genuit, nocuit.

XVIII. *Commodus.*

Commodus insequitur, pugnis maculosus arenæ,
Threcidico princeps bella movens gladio.
Eliso tandem persolvens gutture pœnas ;
Criminibus fassus matris adulterium.

XIX. *Helvius Pertinax.*

C Helvi, judicio et consulto lecte senatus,
Princeps decretis prodite, non studiis.
Quod doluit malefida cohors ; errore probato,
Curia quod castris cesserat imperio.

XX. *Didius Julianus.*

Dii bene, quod spoliis Didius non gaudet opimis :
Et cito perjuro præmia adempta seni.
Tuque, Severe pater, titulum ne horresce novantis.
Non rapit imperium vis tua, sed recipit.

XXI. *Severus Pertinax.*

Impiger egelido movet arma Severus ab Histro,
Ut parricidæ regna adimat Didio.
Punica origo illi : sed qui virtute probaret
Non obstare locum, cum valet ingenium.

XXII. *Bassianus Antoninus Caracalla.*

D Dissimilis virtute patri, et multo magis illi,
Cujus adoptivo nomine te perhibes.
Fratris morte nocens, punitus fine cruento,
Invisu populi tu, Caracalla, magis.

XXIII. *Opilius Macrinus.*

Principis hic custos, sumptum pro Cæsare ferrum
Vertit in auctorem cæde Macrinus iners.
Mox cum prole ruit. Gravibus pulsare querelis
Cesset perfidiam. Quæ patitur, meruit.

XXIV. *Antoninus Heliogabalus.*

Tunc etiam Augustæ sedis penetralia fœdas
Antoninorum nomina falsa gerens ?
. . . . . .

(*Reliqua desiderantur.*)

ORDO NOBILIUM URBIUM.

I. *Roma.*

Prima urbes inter, divum domus, aurea Roma.

II. *Constantinopolis, et Carthago.*

Constantinopoli assurgit Carthago priori,
Non toto cessura gradu : quia tertia dici
Fastidit, non ausa locum sperare secundum,
Qui fuit ambarum. Vetus hanc opulentia præfert,
Hanc fortuna recens. Fuit hæc, subit ista, novisque
Excellens meritis, veterem præstringit honorem ;
Et Constantino concedere cogit Elissam.
Accusat Carthago deos jam plena pudoris,
Nunc quoque si cedat, Romam vix passa priorem.
Componat vestros fortuna antiqua tumores.
Ite pares, tandem memores, quod numine divum
Angustas mutastis opes et nomina : tu cum
Byzantina Lygos, tu Punica Byrsa fuisti.

III. *Antiochia, et Alexandria.*

Tertia Phœbeæ lauri domus Antiochia,
Vellet Alexandri si quarta Colonia poni.
Ambarum locus unus : et has furor ambitionis
In certamen agit. Vitiorum turbida vulgo
Utraque, et amentis populi male sana tumultu.
Hæc Nilo munita quod est, penitusque repostis
Insinuata locis, fecunda et tuta, superbit.
Illa quod infidis opponitur æmula Persis.
Et vos, ite pares : Macetumque attollite nomen.
Magnus Alexander te condidit ; illa Seleucum
Nuncupat, ingenuum cujus fuit anchora signum,
(Qualis inusta solet) generis nota certa. Per omnem
Nam subolis seriem nativa cucurrit imago.

IV. *Treveri.*

Armipotens ducum celebrari Gallia gestit :
Trevericæque urbis solium, quæ proxima Rheno,
Pacis ut in diæ gremio secura quiescit :
Imperii vires quod alit, quod vestit et armat.
Lata per extentum procurrunt mœnia collem.
Largus tranquillo prælabitur amne Mosella,
Longinqua omnigenæ vectans commercia terræ.

V. *Mediolanum.*

Et Mediolani mira omnia : copia rerum ;
Innumeræ cultæque domus, facunda virorum
Ingenia et mores læti; tum duplice muro
Amplificata loci species, populique voluptas
Circus, et inclusi moles cuneata theatri :
Templa, Palatinæque arces, opulensque Moneta,
Et regio Herculei celebris sub honore lavacri,
Cunctaque marmoreis ornata peristyla signis,
Mœniaque in valli formam circumdata labro,
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt : nec juncta premit vicinia Romæ.

VI. *Capua.*

Nec Capuam pelago, cultuque, penuque potentem,
Deliciis, opibus, famaque priore silebo,
Fortuna variante vices : quæ freta secundis,
A Nescivit servare modum. Nunc subdita Romæ,
Æmula tunc. Fidei memor, anne infida, senatum
Sperneret, an coleret, dubitans, sperare curules
Campanis ausa auspiciis, unoque suorum
Consule : ut imperium divisi attolleret orbis.
Quin etiam rerum dominam, Latiique parentem
Appetiit bello, ducibus non freta togatis,
Annibalis jurata armis : deceptaque in hostis
Servitium demens specie transivit herili.
Mox ut in occasum vitiis communibus acti
Corruerunt, Pœni luxu, Campania fastu,
(Heu numquam stabilem sortita superbia sedem !)
Illa potens, opibusque valens, Roma altera quondam,
Comere quæ paribus potuit fastigia conis,
Octavum rejecta locum vix pone tuetur.

B VII. *Aquileia.*

Non erat iste locus : merito tamen aucta recenti,
Nona inter claras Aquileia cieberis urbes,
Itala ad Illyricos objecta colonia montes,
Mœnibus et portu celeberrima : sed magis illud
Eminet, extremo quod te sub tempore legit,
Solveret exacto cui sera piacula lustro
Maximus, armigeri quondam sub nomine lixæ.
Felix, quæ tanti spectatrix læta triumphi
Punisti Ausonio Rutupinum marte latronem.

VIII. *Arelas.*

Pande, duplex Arelate, tuos blanda hospita portus,
Gallula Roma Arelas : quam Narbo Martius, et quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis.
C Præcipitis Rhodani sic intercisa fluentis,
Ut mediam facias navali ponte plateam.
Per quem Romani commercia suscipis orbis,
Nec cohibes : populosque alios, et mœnia ditas :
Gallia queis fruitur, gremioque Aquitania lato.

IX. *Emerita.*

Clara mihi post has memorabere nomen Iberum
Emerita, æquoreus quam præterlabitur amnis,
Submittit cui tota suos Hispania fasces.
Corduba non, non arce potens tibi Tarraco certant,
Quæque sinu pelagi jactat se Bracara dives.

X. *Athenæ.*

Nunc et terrigenis patribus memoremus Athenas,
Pallados et Consi quondam certaminis arcem.
D Paciferæ primum cui contigit arbor olivæ.
Attica facundæ cujus mera gloria linguæ.
Unde per Ioniæ populos, et nomen Achæum,
Versa Graia manus, centum se effudit in urbes.

XI. *Catina, et Syracusæ.*

Quis Catinam sileat? quis quadruplices Syracusas
Hanc ambustorum fratrum pietate celebrem,
Illam complexam miracula fontis et amnis.
Quam maris Ionii subter vada salsa meantes
Consociant dulces placita sibi sede liquores,
Incorruptarum miscentes oscula aquarum.

XII. *Tolosa.*

Non umquam altricem nostri reticebo Tolosam,
Coctilibus muris quam circuit ambitus ingens,
Perque latus pulchro prælabitur amne Garumna:
Innumeris cultam populis, confinia propter
Ninguida Pyrenes, et pinea Cebennarum,
Inter Aquitanas gentes et nomen Iberum.
Quæ modo quadruplices ex se cum effuderit urbes,
Non ulla exhaustæ sentit dispendia plebis:
Quos genuit cunctos gremio complexa colonos.

XIII. *Narbo.*

Nec tu, Martie Narbo, silebere: nomine cujus
Fusa per immensum quondam provincia regnum,
Obtinuit multos dominandi jure colonos.
Insinuant qua se Sequanis Allobroges oris;
Excluduntque Italos Alpina cacumina fines:
Qua Pyrenaicis nivibus dirimuntur Iberi:
Qua rapitur præceps Rhodanus genitore Lemanno,
Interiusque premunt Aquitanica rura Cebennæ,
Usque in Tectosagos paganica nomina Volcas,
Totum Narbo fuit. Tu Gallia prima togati
Nominis attollis Latio proconsule fasces.
Quis memoret portusque tuos, montesque lacusque?
Quis populos vario discrimine vestis, et oris?
Quodque tibi quondam Pario de marmore templum
Tantæ molis erat, quantam non sperneret olim
Tarquinius, Catulusque iterum, postremus et ille,
Aurea qui statuit Capitoli culmina Cæsar?
Te maris Eoi merces, et Iberica ditant
Æquora: te classes Libyci, Siculique profundi:
Et quidquid vario per flumina, per freta cursu
Advehitur, toto tibi navigat orbe *κατάπλους*.

XIV. *Burdigala.*

Impia jamdudum condemno silentia, quod te,
O patria, insignem Baccho, fluviisque, virisque,
Moribus, ingeniisque hominum, procerumque senatu,
A Non inter primas memorem. Quasi conscius urbis
Exiguæ immeritas dubitem contingere laudes.
Non pudor hinc nobis. Nec enim mihi barbara Rheni
Ora, nec Arctoo domus est glacialis in Hæmo.
Burdigala est natale solum: clementia cœli
Mitis ubi, et riguæ larga indulgentia terræ;
Ver longum, bruma que breves, juga frondea subsunt;
Fervent æquoreos imitata fluenta meatus.
Quadrua murorum species, sic turribus altis
Ardua, ut aerias intrent fastigia nubes.
Distinctas interne vias mirere, domorum
Dispositum, et latas nomen servare plateas:
Tum respondentes directa in compita portas,
Per mediumque urbis fontani fluminis alveum.
Quem pater Oceanus refluo cum impleverit æstu,
B Allabi totum spectabis classibus æquor.
Quid memorem Pario contectum marmore fontem
Euripi fervere freto; quanta umbra profundi!
Quantus in amne tumor! quanto ruit agmine præceps
Margine contenti bissena per ostia cursus,
Innumeros populi non umquam exhaustus ad usus!
Hunc cuperes, rex Mede, tuis contingere castris,
Flumina consumpto cum defecere meatu:
Hujus fontis aquas peregrinas ferre per urbes,
Unum per cunctas solitus portare Choaspem.
Salve, fons ignote ortu, sacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, sonore, illimis, opace.
Salve, urbis genius, medico potabilis haustu,
DIVONA Celtarum lingua, fons addite divis.
Non Aponus potu, vitrea non luce Nemausus
C Purior; æquoreo non plenior amne Timavus.
Hic labor extremus celebres collegerit urbes.
Utque caput numeri Roma inclyta, sic capite isto
Burdigala ancipiti confirmet vertice sedem.
Hæc patria est: patrias sed Roma supervenit omnes
Diligo Burdigalam: Romam colo. Civis in hac sum,
Consul in ambabus. Cunæ hic, ibi sella curulis.

LUDUS SEPTEM SAPIENTUM.

Ausonius consul Latino Drepanio Pacato proconsuli.

Ignoscenda isthæc, an cognoscenda rearis;
Attento, Drepani, perlege judicio.
Æquanimus fiam te judice: sive legenda,
Sive tegenda putes carmina, quæ dedimus.
Nam primum est meruisse tuum, Pacate, favorem:
Proxima defensi cura pudoris erit.
Possum ego censuram lectoris ferre severi:
Et possum modica laude placere mihi.
Novit equus plausæ sonitum cervicis amare:
Novit et intrepidus verbera lenta pati.
Mæonio qualem cultum quæsivit Homero
Censor Aristarchus, normaque Zenodoti.
Pone obelos igitur spuriorum stigmata vatum.
Palmas, non culpas esse putabo meas.
Et correcta magis, quam condemnata vocabo,
Apponet docti quæ mihi lima viri.
Interea arbitrii subiturus pondera tanti,
Optabo, ut placeam: sin minus, ut lateam.

Prologus.

Septem sapientes, nomen quibus istud dedit
Superior ætas, nec secuta sustulit,
D Hodie in orchestram palliati prodeunt.
Quid erubescis tu, togate Romule,
Scenam quod introibunt tam clari viri?
Nobis pudendum hoc, non et Atticis quoque,
Quibus theatrum curiæ præbet vicem.
Nostris negotiis sua loca sortito data:
Campus comitiis, ut Conscriptis curia:
Forum, atque Rostra separatis civium.
Una est Athenis, atque in omni Græcia,
Ad consulendum publici sedes loci:
Quam in urbe nostra sero luxus condidit.
Ædilis olim scenam tabulata imdabat
Subito excitatam nulla mole saxea.
Muræna sic, et Gallius. Nota eloquar.
Postquam potentes, nec verentes sumptuum,

Nomen perenne crediderunt, si semel
Constructa moles saxeo fundamine
In omne tempus conderet ludis locum :
Cuneata crevit hæc theatri immanitas.
Pompeius hanc, et Balbus, et Cæsar dedit
Octavianus, concertantes sumptibus.
Sed ego quid isthæc ? non hac causa huc prodii,
Ut expedirem, quis theatra, quis forum,
Quis condidisset privas partes mœnium :
Sed ut verendos, disque laudatos viros
Prægrederer, ac referrem, quid vellent sibi.
Pronuntiare suas solent sententias,
Quas quisque providentium anteverterit.
Scitis profecto quæ sint : sed si memoria
Rebus vetustis cludit, veniet Ludius
Edissertator harum, quas teneo minus.

Ludius.

Delphis Solonem scripse fama est Atticum,
Γνῶθι σεαυτὸν, quod Latinum est, Nosce te.
Multi hoc Laconis esse Chilonis putant.
Spartane Chilon sit tuum, necne, ambigunt,
Quod introfertur, ὅρα τέλος μακροῦ βίου,
Finem intueri longæ vitæ quo jubes.
Multi hoc Solonem dixe Crœso existimant.
Et Pittacum dixisse fama est Lesbium,
Γίγνωσκε καιρόν : tempus ut noris, jubet.
Sed καιρὸς iste, tempestivum tempus est.
Bias Prieneus dixit, οἱ πλεῖστοι κακοί :
Quod est Latinum, Plures hominum sunt mali :
Sed imperitos scito, quos dixit malos.
Μελέτη τὸ πᾶν, Periandri est Corinthii,
Esse Meditationem totum qui putat.
Ἄριστον μέτρον esse dixit Lindius
Cleobulus, hoc est, Optimus cunctis modus.
Thales, Ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη, protulit.
Spondere qui nos, noxa quod præs est vetat.
Hoc nos monere, feneratis non placet.
Dixi. Recedam. Legifer venit Solon.

Solon.

De more Græco prodeo in scenam Solon,
Septem Sapientum fama cui palmam dedit.
Sed fama non est judicii severitas.
Neque me esse primum, vestrum aut imum existimo,
Æqualitas quod ordinem nescit pati.
Recte olim ineptum Delphicus jussit Deus
Quærentem, quisnam primus sapientum foret,
Ut in orbe tereti nomina eorum incideret :
Ne primus esset, ne vel imus quispiam.
Eorum e medio prodeo gyro Solon.
Ut quid dixisse Crœso regi existimor,
Id omnis hominum secta sibi dictum putet.
Græce coactum ὅρα τέλος μακροῦ βίου :
Quod longius fit, si Latine edisseras :
Spectare vitæ jubeo cunctos terminum.
Proinde miseros, aut beatos dicere
Evita : quod sunt semper ancipiti statu.
Id adeo sic est. Si queam, paucis loquar.
Rex, an tyrannus, Lydiæ Crœsus fuit
A His in beatis, dives insanum in modum,
Lateribus aureis templa qui divis dabat.
Is me evocavit. Venio dicto obediens,
Meliore ut uti rege possint Lydii.
Rogat, beatum prodam, si quem noverim ;
Telana dico civem non ignobilem.
Pro patria pugnans iste vitam objecerat.
Despexit. Alium quærit. Inveni Aglaum ;
Fines qui agelli proprii numquam excesserat.
At ille ridens, Quo dein me ponis loco,
Beatus orbe toto qui solus vocor?
Spectandum dico terminum vitæ prius :
Tum judicandum, si manet felicitas.
Dictum moleste Crœsus accepit. At ego
Relinquo regem. Bellum ille in Persas parat.
B Profectus, victus, vinctus, regi deditus.
. . . . . .
At ille captus, funeris ipse instar sui.
. . . . . .
Qua flamma totum se per ambitum dabat,
Volvens in altum fumidos æstu globos.
At pene sero Crœsus ingenti sono,
O vere vates, inquit, o Solon, Solon !
Clamore magno ter Solonem nuncupat.
Qua voce Cyrus motus, exstingui jubet
Gyrum per omnem, et destrui ardentem pyram.
Et commodum profusus imber nubibus
Repressit ignem. Crœsus ad regem illico
Deductus lectam per ministrorum manum
Interrogatus, quem Solonem diceret :
C Et quam ciendi causam haberet nominis,
Seriem per omnem cuncta regi edisserit.
Miseratur ille : vimque fortunæ videns,
Laudat Solonem : Crœsum in amicis habet.
Vinctumque pedicis aureis secum jubet
Reliquum, quod esset vitæ, totum degere.
Ego duorum regum testimonio
Laudatus, et probatus ambobus fui.
Quodque uni dictum est, quisque sibi dictum [putet.
Ego jam peregi, qua de causa huc prodii.
Venit ecce Chilon. Vos valete, et plaudite.

Chilon.

Lumbi sedendo, oculique spectando dolent,
Manendo Solonem quoad sese recipiat.
D Hui, quam pauca quam diu loquuntur Attici.
Unam trecentis versibus sententiam
Tandem peregit ; meque respectans abiit.
Spartanus ego sum Chilo, qui nunc prodeo.
Brevitate nota, qua Lacones utimur,
Commendo nostrum γνῶθι σεαυτὸν, *Nosce te*,
Quod in columna jam tenetur Delphica.
Labor molestus iste, fructi est optimi,
Quid ferre possis, quidve non, dignoscere :
Noctu, diuque quæ geras, quæ gesseris,
Adusque puncti tenuis instar quærere.
Officia cuncta, pudor, honor, constantia,
In hoc : et illa spreta nobis gloria.
Dixi. Valete memores. Plausum non moror.

Cleobulus.

Cleobulus ego sum, parvæ civis insulæ,
Magnæ sed auctor, qua clueo, sententiæ :
Ἄριστον μέτρον quem dixisse existimant.
Interpretare tu, qui orchestræ proximus,
Gradibus propinquis in quatuordecim sedes :
Ἄριστον μέτρον an sit *optimus modus.*
Dic, annuisti, gratiam habeo, persequar
Per ordinem, poeta dixe isthoc loco
Afer videtur vester, UT NE QUID NIMIS.
Et noster quidam, μηδὲν ἄγαν, huc pertinet
Uterque sensus, Italus, seu Dorius :
Fandi, tacendi, somni, vigiliæ est modus,
Beneficiorum, gratiarum, injuriæ,
Studii, laborum. Vita in omni quidquid est,
Istum requirit optimæ pausæ modum.
Dixi, recedam, ut sit modus. Venit Thales.

Thales.

Milesius Thales sum ; AQUAM qui principem
Rebus creandis dixi, ut vates Pindarus.
. . . . . .
Dedere piscatores extractum mari.
Namque hi jubente Delio me legerant :
Quod ille munus hoc sapienti miserat.
Ego recusans non recepi : at reddidi
Ferendum ad alios, quos priores crederem.
Dein per omnes septem sapientes viros
Missum, ac remissum rursus ad me referunt.
Ego receptum consecravi Apollini.
Nam, si sapientem deligi Phœbus jubet,
Non hominem quemquam, sed deum credi decet.
Is igitur ego sum. Causa sed in scenam fuit
Mihi prodeundi, quæ duobus ante me :
Assertor ut sententiæ fierem meæ.
Ea displicebit ; non tamen prudentibus,
Quos docuit usus, et peritos reddidit.
Nos ἐγγύα, πάρεστι δ' ἄτη, dicimus :
Latinum est, *Sponde : noxia est præsto tibi.*
Per mille possum currere exempla, ut probem
Prædes vadesque pœnitudinis reos.
Sed nolo quemquam nominatim dicere.
Sibi quisque vestrum dicat, et secum putet,
Spondere quantis damno fuerit et malo.
Gratum hoc officium maneat ambobus tamen.
Pars plaudite ergo : pars offensi explaudite.

Bias.

Bias Prieneus dixi, οἱ πλεῖστοι κακοί.
Latine dictum suspicor, *Plures mali.*
Dixisse nollem, VERITAS ODIUM PARIT.
Malos sed imperitos dixi, et barbaros :
Qui jus, et æquum et sacros mores negligunt.
Nam populus iste, quo theatrum cingitur,
Totus bonorum est : hostium tellus habet,
Dixisse quos me creditis, Plures malos.
Sed nemo quisquam tam malus judex fuat,
Qui non bonorum partibus se copulet.
Sive ille vere bonus est, seu dici studet,
Jam fugit illud nomen invisum mali.
Abeo, valete, et plaudite, plures boni.

Pittacus.

Mitylena oriundus Pittacus sum Lesbius,
Γίγνωσκε καιρὸν, qui dixi sententiam.
Sed iste καιρὸς, tempus ut noris, monet :
Et esse καιρὸν, tempestivum quod vocant.
Romana sic est vox, *Venito in tempore :*
Vester quoque ille comicus Terentius,
Rerum omnium primum esse tempus autumat,
Ad Antiphilam quo venerat servus Dromo
Nullo impeditam, temporis servans vicem.
Reputate cuncti, quotiens offensam incidat,
Spectata cui non fuerit opportunitas.
Tempus me abire, ne molestus : plaudite.

Periander.

Ephyra creatus huc Periander prodeo,
Μελέτη τὸ πᾶν qui dixi : et qui dictum probo,
Meditationem id esse totum, quod geras.
Is quippe solus rei gerendæ est efficax,
Meditatur omne qui prius negotium.
Adversa rerum, vel secunda prædicat
Meditanda cunctis comicus Terentius.
Locare sedes, bellum gerere, aut ponere :
Magnas, modicasque res etiam, parvas quoque
Agere volentem, semper meditari decet.
Nam segniores omnes in cœptis novis,
Meditatio si rei gerendæ defuit.
Nihil est, quod ampliorem curam postulet,
Quam cogitare, quid gerendum sit : dehinc
Incogitantes fors, non consilium regit.
Sed ego me ad patres jam recipio : plaudite,
Meditati, ut vestram rem curetis publicam.

SEPTEM SAPIENTUM SENTENTIÆ,

Septenis versibus ab eodem Ausonio explicatæ.

Bias Prieneus.

Quænam summa boni? Mens, quæ sibi conscia recti.
Pernicies homini quæ maxima? Solus homo alter.
Quis dives? Qui nil cupiat. Quis pauper? Avarus.
Quæ dos matronæ pulcherrima? Vita pudica.
Quæ casta est? De qua mentiri fama veretur.
Quod prudentis opus? Cum possit, nolle nocere.
Quid stulti proprium? Non posse, et velle nocere.

Pittacus Mitylenæus.

Loqui ignorabit, qui tacere nesciet.
Bono probari malo, quam multis malis.
Demens superbis invidet felicibus.
Demens dolorem ridet infelicium.
Pareto legi, quisque legem sanxeris.
Plures amicos re secunda compara.
Paucos amicos rebus adversis proba.

Cleobulus Lindius.

Quanto plus liceat, tam libeat minus.
Fortunæ invidiæ est immeritus miser.
Felix criminibus nullus erit diu.
Ignoscas aliis multa : nihil tibi.
Parcit quisque malis, perdere vult bonos.
Majorum meritis gloria non datur.
Turpis sæpe datur fama minoribus.

Periander Corinthius.

Numquam discrepat utile a decoro.
Plus est sollicitus, magis beatus.
Mortem optare malum, timere pejus.
Faxis ut libeat, quod est necesse.
Multis terribilis, caveto multos.
Si fortuna juvat, caveto tolli.
Si fortuna tonat, caveto mergi.

Solon Atheniensis.

Dico tunc beatam vitam cum peracta fata sint.
Par pari jugator conjux. Quidquid impar, dissidet.
Non erunt honores umquam fortuiti muneris.
Clam coarguas propinquum, propalam laudaveris.
Pulchrius multo parari, quam creari nobilem.
Certa si decreta sors est, quid cavere proderit?
Sive sint incerta cuncta, quid timere convenit?

Chilo Lacedæmonius.

A Nolo minor me timeat, dispiciatque major.
Vive memor mortis, uti sis memor et salutis ;
Tristia cuncta exsuperans aut animo, aut amico.
Tu bene si quid facias, non meminisse fas est.
Quæ bene facta accipias, perpetuo memento.
Grata senectus homini, quæ parilis juventæ,
Illa juventa est gravior, quæ similis senectæ.

Thales Milesius.

Turpe quid ausurus, te sine teste time :
Vita perit, mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris, dicere sustuleris.
Crux est, si metuas, vincere quod nequeas.
Cum vere objurgas, sic inimice juvas.
Cum falso laudas, sic et amice noces.
B Nil nimium satis est, ne sit et hoc nimium.

De iisdem septem Sapientibus, e Græco.

Septenis patriam sapientum, nomina, voces,
Versibus expediam : sua quemque monosticha dicent :
Chilo cui patria est Lacedæmon, Nosce teipsum.
Periander, Trepidam moderare, Corinthius, iram.
Ex Mitylenæis, Nimium nil, Pittacus oris.
Mensuram optimum, ait Cleobulus Lindius, in re.
Exspectare Solon finem docet, ortus Athenis.
Plures esse Bias pravos, quem clara Priene.
Mileti, Fugisse, Thales, vadimonia, alumnus.

IDYLLIA.

IDYLLIUM I.

Versus Paschales Proco dicti.

Sancta salutiferi redeunt solemnia CHRISTI :
Et devota pii celebrant jejunia mystæ.
At nos æternum cohibentes pectore cultum,
Intemeratorum vim continuamus honorum.
Annua cura sacris, jugis reverentia nobis.
Magne Pater rerum, cui terra, et pontus, et aer,
Tartaraque et picti servit plaga lactea cœli :
Noxia quem scelerum plebes tremit, almaque rursum
Concelebrat votis animarum turba piarum :
Tu brevis hunc ævi cursum, celeremque caducæ
Finem animæ donas æternæ munere vitæ.
Tu mites legum monitus, sacrosque prophetas
Humano impertis generi, servasque nepotes,
Deceptum miseratus Adam : quem capta venenis
Implicuit socium blandis erroribus Eva.
Tu verbum, Pater alme, tuum, natumque, deumque,
Concedis terris totum, simílemque, pareinque,
Ex vero verum, vivaque ab origine vivum.
Ille tuis doctus monitis hoc addidit unum :
Ut super æquoreas nabat qui Spiritus undas,
Pigra immortali vegetaret membra lavacro.
Trina fides, auctore uno; spes certa salutis
Hunc numerum junctis virtutibus amplectenti.
Tale et terrenis specimen spectatur in oris
Augustus genitor, geminum sator Augustorum.
Qui fratrem, natumque, pio complexus utrumque
Numine, partitur regnum, neque dividit unum,
Omnia solus habens, atque omnia dilargitus.
C Hos igitur nobis trina pietate vigentes,
Rectores terræ placidos, cœlique ministros,
Christe apud æternum placabilis assere patrem.

IDYLLIUM II.

Epicedion in patrem suum Julium Ausonium.

Nomine ego Ausonius, non ultimus arte medendi :
Et mea si nosses tempora, primus eram.
Vicinas urbes colui patriaque domoque,
Vasates patria, sed lare Burdigalam.
Curia me duplex, et uterque senatus habebat
Muneris exsortem, nomine participem.
Non opulens, nec egens, parcus sine sordibus egi.
Victum, habitum, mores semper eadem habui.
Sermone impromptus Latio : verum Attica lingua
Suffecit culti vocibus eloquii.
D Obtuli opem cunctis poscentibus artis inemptæ :
Officiumque meum cum pietate fuit.
Judicium de me studui præstare bonorum :
Ipse mihi numquam, judice me, placui.
Officia in multos diverso debita cultu,
Personis, meritis, tempore distribui.
Litibus abstinui : non auxi, non minui rem.
Indice me nullus, sed neque teste perit.
Invidi numquam. Cupere atque ambire refugi.
Jurare, aut falsum dicere, par habui.
Factio me sibi non, non conjuratio junxit.
Sincero colui fœdere amicitias.
Felicem scivi, non qui, quod vellet, haberet :
Sed qui per fatum non data non cuperet.
Non occursator, non garrulus, obvia cernens,

Valvis et velo condita non adii.
Famam, quæ posset vitam lacerare bonorum,
Non finxi : et veram si scierim, tacui.
Ira procul : spes vana procul : procul anxia cura;
Inque bonis hominum gaudia falsa procul.
Vitati cœtus, ejuratique tumultus,
Et semper fictæ principum amicitiæ.
Deliquisse nihil numquam laudem esse putavi,
Atque bonos mores legibus antetuli.
Irasci promptus, properavi condere motum:
Atque mihi pœnas pro levitate dedi.
Conjugium per lustra novem, sine crimine, concors
Unum habui : gnatos quattuor edidimus.
Prima obiit lactans; at qui fuit ultimus ævi,
Pubertate rudi non rudis interiit.
Maximus ad summum culmen pervenit honorum,
Præfectus Gallis, et Libyæ, et Latio,
Tranquillus, clemens, oculis, voce, ore serenus,
In genitore suo mente animoque pater.
Hujus ego et natum, et generum pro consule vidi.
Consul ut ipse foret, spes mihi certa fuit.
Matronale decus possedit filia. Cujus
Egregia et nuptæ laus erat, et viduæ;
Quæ nati, generisque et progeneri. Simul omnium
Multiplici illustres vidit honore domos.
Ipse nec affectans, nec detrectator honorum,
Præfectus magni nuncupor Illyrici.
Hæc me fortunæ larga indulgentia suasit,
Numine adorato, vitæ abitum petere.
Ne fortunatæ spatium inviolabile vitæ
Fatali admorsu stringeret ulla dies.
Obtinui : auditæque preces ; spem, vota, timorem,
Sopitus placido fine, relinquo aliis.
Inter mœrentes, sed non ego mœstus, amicos
Dispositis jacui funeris arbitriis.
Nonaginta annos baculo sine, corpore toto
Exegi, cunctis integer officiis.
Hæc quicumque leges, non aspernabere fari :
Talis vita tibi, qualia vota mihi.

IDYLLIUM III.

Ausonii villula.

Salve hæredіolum majorum regna meorum,
Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.
Quod mihi jam senior, properata morte, relinquit.
Eheu ! nolueram tam cito posse frui.
Justa quidem series patri succedere : verum
Esse simul dominos, gratior ordo piis.
Nunc labor et curæ mea sunt. Sola ante voluptas
Partibus in nostris. Cætera patris erant.
Parvum hærediolum, fateor , sed nulla fuit res
Parva umquam æquanimis : adde etiam unanimis.
Ex animo rem stare æquum puto, non animum ex re.
Cuncta cupit Crœsus, Diogenes nihilum ;
Spargit Aristippus mediis in Syrtibus aurum;
Aurea non satis est Lydia tota Midæ.
Cui nullus finis cupiendi, est nullus habendi.
Ille opibus modus est, quem statuas animo.
Verum ager iste meus quantus sit, nosce: etiam me
A Noveris, et noris te quoque, si potis es :
Quamquam difficile est se noscere. Γνῶθι σεαυτὸν.
Quam propere legimus, tam cito negligimus.
Agri bis centum colo jugera ; vinea centum
Jugeribus colitur, prataque dimidium.
Silva supra duplum quam prata, et vinea, et arvum.
Cultor agri nobis nec superest, nec abest.
Fons propter puteusque brevis, tum purus et amnis.
Naviger hic refluus me vehit, ac revehit.
Conduntur fructus geminum mihi semper in annum.
Cui non longa penus, huic quoque prompta fames.
Hæc mihi nec procul urbe sita est, nec prorsus ad urbem :
Ne patiar turba, utque bonis potiar.
Et quotiens mutare locum fastidia cogunt,
B Transeo : et alternis rure, vel urbe fruor.

IDYLLIUM IV.

Ad nepotem Ausonium protrepticon de studio puerili.

AUSONIUS HESPERIO *filio suo salutem.*

Libellum, quem ad nepotulum meum sororis tuæ filium instar protreptici luseram, venturus ipsi præmisi legendum. Hoc enim malui quam ipse recitare, esset ut tibi censura liberior, quæ duabus causis impediri solet : Quod aurcis nostras audita velocius quam lecta prætereunt, et quod sinceritas judicandi præsentia recitantis oneratur. Nunc tibi utrumque integrum (non obstat nostri verecundia). Sed heus tu, fili dulcissime, habeo quod admoneam, si qua tibi multo sint fucatius concinnata, quam verius, et plus coloris, quam succi
C *habere videantur, ipse sciens fluere permisi, venustula ut essent magis, quam forticula, instar virginum, quas matres student demissis humeris, junceo pectore esse, ut graciles sint. Nosti cætera. Superest, ut dicas, Quid moraris judicationem meam de eo, quod ipse pronuntias esse mendosum? Dicam scilicet, me hujusmodi versibus foris erubescere , hæc annis illius magis quam meis scripsi, aut fortasse et meis,* δὶς παῖδες οἱ γέροντες. *Ad summam, valeat austeritas tua, mihi cum infante ratio est. Vale, fili dulcissime.*

Sunt etiam Musis sua ludicra ; mista Camœnis
Otia sunt, mellite nepos ; nec semper acerbi
Exercet pueros vox imperiosa magistri.
Sed requie studiique vices rata tempora servant.
Et satis est puero memori legisse libenter.
D Et cessare licet. Graio Schola nomine dicta est,
Justa laboriferis tribuantur ut otia Musis.
Quo magis alternum certus succedere ludum,
Disce libens. Longum delenitura laborem
Intervalla damus. Studium puerile fatiscit,
Læta nisi austeris varientur festa profestis.
Disce libens, tetrici nec præceptoris habenas
Detestare, nepos. Numquam horrida forma magistri.
Ille licet tristis senio, nec voce serenus,
Aspera contractæ minitetur jurgia frontis,
Numquam immanis erit placita assuetudine vultus,
Qui semel imbuerit. Rugas nutricis amabit,
Qui refugit matrem. Pappos, aviasque trementes
Anteferunt patribus seri nova cura nepotes.

Sic neque Peliden terrebat Achillea Chiron
Thessalico permixtus equo : nec pinifer Atlas
Amphitryoniadem puerum : sed blandus uterque
Mitibus alloquiis teneros mulcebat alumnos.
Tu quoque ne metuas : quamvis schola verbere multo
Increpet, et truculenta senex gerat ora magister.
Degeneres animos timor arguit : at tibi consta
Intrepidus, nec te clamor, plagæque sonantes,
Nec matutinis agitet formido sub horis :
Quod sceptrum vibrat ferulæ, quod multa supellex
Virgea, quod fallax scuticam prætexit aluta :
Quod fervent trepido subsellia vestra tumultu.
Pompa loci, et vani fugiatur scena timoris.
Hæc olim genitorque tuus, genitrixque secuti
Securam placido mihi permulsere senectam.
Tu senium, quodcumque super labentibus annis
Fata dabunt, qui nomen avi geris indole prima,
Prime nepos, vel re vel spe mihi porge fruendum.
Nunc ego te puerum : mox in juvenilibus annis,
Jamque virum cernam, si fors ita jusserit ; aut si
Invidia est, sperabo tamen, nec vota fatiscent,
Ut patris, utque mei non immemor, ardua semper
Præmia Musarum cupias : facundus et olim
Hac gradiare via, qua nos præcessimus : et cui
Proconsul genitor, præfectus avunculus instant.
Perlege quodcumque est memorabile. Priva monebo.
Conditor Iliados, et amabilis orsa Menandri
Evolvenda tibi. Tu flexu et acumine vocis
Innumeros numeros doctis accentibus effer.
Affectusque impone legens. Distinctio sensum
Auget, et ignavis dant intervalla vigorem.
Ecquando ista meæ contingent dona senectæ?
Quando oblita mihi tot carmina, totque per ævum
Connexa historiæ, soccos aulæaque regum,
Et melicos, lyricosque modos præfando, novabis,
Obductosque seni facies puerascere sensus?
Te præeunte, nepos, modulata poemata Flacci,
Altisonumque iterum fas est didicisse Maronem.
Tu quoque, qui Latium lecto sermone Terenti
Comis, et astricto percurris pulpita socco,
Ad nova vix memorem diverbia coge senectam.
Jam facinus, Catilina, tuum, Lepidique tumultum,
Ab Lepido et Catulo jam res et tempora Romæ
Orsus, bis senos seriem connecto per annos.
Jam lego civili mistum mavorte duellum.
Movit quod socio Sertorius exsul Ibero.
Nec rudis hæc avus admoneo, sed mille docendo
Ingenia expertus. Multos lactantibus annis
Ipse alui : gremioque fovens, et murmura solvens,
Eripui tenerum blandis nutricibus ævum.
Mox pueros molli monitu et formidine leni
Pellexi, ut mites peterent per acerba profectus,
Carpturi dulcem fructum radicis amaræ.
Idem vesticipes motu jam puberis ævi,
Ad mores, artesque bonas, fandique vigorem
Produxi : quamquam imperium cervice negarent
Ferre, nec insertis præberent ora lupatis.
Ardua temperies, dura experientia, rarus
Eventus, longo rerum spectatus ab usu,
A Ut regat indocilem mitis censura juventam.
Quæ tolerata mihi, donec jam ærumna juvaret,
Leniretque usu bona consuetudo laborem.
Donec ad Augustæ pia munera disciplinæ
Accirer, varioque accingerer auctus honore :
Aurea cum parere mihi palatia jussum.
Absistat Nemesis : ferat et fortuna jocantem.
Præsedi imperio, dum prætextatus in ostro,
Et sceptro, et solio, sibi præfert jura magistri,
Majoresque putat nostros Augustus honores.
Quos mox sublimi maturus protulit auctu :
Quæstor ut Augustis, patri, natoque crearer :
Ut præfecturam duplicem, sellamque curulem,
Ut trabeam, pictamque togam, mea præmia, consul
Induerer : fastisque meis prælatus haberer.
B His ego quæsivi meritum quamgrande nepoti
Consul avus : lumenque tuæ præluceo vitæ.
Quamvis et patrio jamdudum nomine clarus,
Posses ornatus, posses honoratus haberi :
Accessit tamen ex nobis honor inclytus. Hunc tu
Effice, ne sit onus : per te ut connixus in altum
Conscendas : speresque tuos, te consule, fasces.

IDYLLIUM V.

Genethliacon ad eumdem Ausonium nepotem.

Carmina prima tibi cum jam puerilibus annis
Traderet assidui permulcens cura magistri,
Imbueretque novas aures, sensusque sequaces,
Ut respondendas docili quoque murmure voces
Emendata rudi proferret lingua palato,
C Addidimus nil triste senes : ne cura monendi
Læderet, aut dulces gustus vitiaret amaris.
At modo, cum motu vigeas jam puberis ævi,
Fortiaque a teneris possis secernere ; et ipse
Admonitor morumque tibi, fandique videri :
Accipe non præcepta quidem, sed vota precantis
Et gratantis avi, festum ad solemne nepotis.
. . . . . .
Adnuito, ut reducem fatorum a fine senectam
Sospes agam : festumque diem, dubitataque cernam
Sidera, deposito prope conclamatus in ævo.
Hoc, mellite nepos, duplicato fenore partum
Natali accedente tuo : munusque salutis
Plenius hoc nostræ, quod jam tibi puberis ævi
Crescit honos, juvenemque senex jam cerno nepotem.
D Sexta tibi hæc primo remeat trieteris ab anno,
Septembris notis referens natalibus idus,
Idus alma dies, geniis quoque culta deorum.
Sextiles Hecate Latonia vindicat idus ;
Mercurius Maias superorum adjunctus honori.
Octobres olim genitus Maro dedicat idus.
Idus sæpe colas bissenis mensibus omnes,
Ausonii quicumque mei celebraveris Idus.
Vale, nepos dulcissime.

IDYLLIUM VI.

Cupido cruci affixus.

AUSONIUS GREGORIO *filio salutem.*

An umquam vidisti nebulam pictam in pariete? Vid-

isti utique et meministi. Treviri quippe in triclinio Æoli fucata est pictura hæc : Cupidinem cruci affigunt mulieres amatrices, non istæ de nostro sæculo, quæ sponte peccant, sed illæ heroicæ, quæ sibi ignoscunt, et plectunt deum, quarum partem in lugentibus campis Maro noster enumerat. Hanc ego imaginem specie et argumento miratus sum. Denique mirandi stuporem transtuli ad ineptiam poetandi. Mihi præter lemma nihil placet. Sed commendo tibi errorem meum : nævos nostros, et cicatrices amamus; nec soli nostro vitio peccasse contenti, affectamus ut amentur. Verum quid ego huic eclogæ studiose patrocinor? Certus sum, quodcumque meum scieris, amabis, quod magis spero, quam ut laudes. Vale, ac dilige parentem.

Aeris in campis, memorat quos Musa Maronis,
Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes,
Orgia ducebant Heroides, et sua quæque,
Ut quondam occiderant, lethi argumenta gerebant,
Errantes silva in magna, et sub luce maligna
Inter arundineasque comas, gravidumque papaver,
Et tacitos sine labe lacus, sine murmure rivos :
Quorum per ripas nebuloso lumine marcent
Fleti olim regum et puerorum nomina flores,
Mirator Narcissus, et Œbalides Hyacinthus,
Et Crocus auricomans, et murice pictus Adonis,
Et tragico scriptus gemitu Salaminius Æas.
Omnia quæ lacrymis et amoribus anxia mœstis
Exercent memores obita jam morte dolores,
Rursus in amissum revocant Heroidas ævum.
Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Deflet, et ambustas lacerans per inania cunas
Ventilat ignavum simulati fulminis ignem.
Irrita dona querens, sexu gavisa virili,
Mœret in antiquam Cænis revocata figuram.
Vulnera siccat adhuc Procris : Cephalique cruentam
Diligit et percussa manum. Fert fumida testa
Lumina Sestiaca præceps de turre puella.
Et de nimboso saltum Leucate minatur
Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis.
Harmoniæ cultus Eriphyle mœsta recusat,
Infelix nato, nec fortunata marito.
Tota quoque aeriæ Minoia fabula Cretæ,
Picturarum instar tenui sub imagine vibrat.
Pasiphae nivei sequitur vestigia tauri.
Licia fert glomerata manu deserta Ariadne.
Respicit abjectas desperans Phædra tabellas.
Hæc laqueum gerit : hæc vanæ simulacra coronæ :
Dædaliæ pudet hanc latebras subiisse juvencæ.
Præreptas queritur per inania gaudia noctes
Laodamia duas vivi functique mariti.
Parte truces alia strictis mucronibus omnes
Et Thisbe, et Canace, et Sidonis horret Elissa.
Conjugis hæc, hæc patris, et hæc gerit hospitis ensem.
Errat et ipsa olim, qualis per Latmia saxa
Endymioneos solita affectare sopores,
Cum face, et astrigero diademate Luna bicornis.
Centum aliæ veterum recolentes vulnera amorum,
Dulcibus et mœstis refovent tormenta querelis.
A Quas inter medias furvæ caliginis umbram
Dispulit inconsultus Amor stridentibus alis.
Agnovere omnes puerum : memorique recursu
Communem sensere reum, quamquam humida circum
Nubila et auratis fulgentia cingula bullis,
Et pharetram, et rutilæ fuscarent lampados ignem :
Agnoscunt tamen : et vanum vibrare vigorem
Occipiunt : hostemque unum loca non sua nactum,
Cum pigros ageret densa sub nocte volatus,
Facta nube premunt; trepidantem et cassa parantem
Suffugia, in cœtum mediæ traxere catervæ.
Eligitur mœsto myrtus notissima luco,
Invidiosa deum pœnis. Cruciaverat illic
Spreta olim memorem Veneris Proserpina Adonin.
Hujus in excelso suspensum stipite Amorem,
B Devinctum post terga manus, substrictaque plantis
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
Affigunt : reus est sine crimine, judice nullo
Accusatus Amor. Se quisque absolvere gestit,
Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.
Cunctæ exprobrantes tolerati insignia lethi
Expediunt. Hæc arma putant, hæc ultio dulcis,
Ut quo quæque periit, studeat punire dolore.
Hæc laqueum tenet, hæc speciem mucronis inanem
Ingerit : illa cavos amnes, rupemque fragosam,
Insanique metum pelagi, et sine fluctibus æquor.
Nonnullæ flammas quatiunt, trepidoque minantur
Stridentes nullo igne faces. Rescindit adultum
Myrrha uterum lacrymis lugentibus : inque paventem
C Gemmea fletiferi jaculatur succina trunci.
Quædam ignoscentum specie ludibria tantum
Sola volunt : stylus ut tenuis sub acumine puncti
Eliciat tenerum, de quo Rosa nata, cruorem.
Aut pubi admoveant petulantia lumina lychni.
Ipsa etiam simili genitrix obnoxia culpæ
Alma Venus tantos penetrat secura tumultus.
Nec circumvento properans suffragia nato
Terrorem ingeminat, stimulisque accendit amaris
Ancipites furias : natique in crimina confert
Dedecus ipsa suum : quod vincula cæca mariti
Deprenso Mavorte tulit : quod pube pudenda
Hellespontiaci ridetur forma Priapi.
Quod crudelis Eryx; quod semivir Hermaphroditus.
Nec satis in verbis. Roseo Venus aurea serto
D Mœrentem pulsat puerum, et graviora paventem.
Olli purpureum mulcato corpore rorem
Sutilis expressit crebro rosa verbere : quæ, jam
Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucum.
Inde truces cecidere minæ : vindictaque major
Crimine visa suo, Venerem factura nocentem.
Ipsæ intercedunt Heroides, et sua quæque
Funera crudeli malunt ascribere fato.
Tum grates pia mater agit cessisse dolentes,
Et condonatas puero dimittere culpas.
Talia nocturnis olim simulacra figuris
Exercent trepidam casso terrore quietem,
Quæ postquam multa perpessus nocte Cupido
Effugit; pulsa tandem caligine somni
Evolat ad superos, portaque evadit eburna.

IDYLLIUM VII.

Bissula.

AUSONIUS PAULO *suo salutem.*

Pervincis tamen, et operta Musarum mearum, quæ initiorum velabat obscuritas, quamquam non profanus irrumpis, Paule charissime. Quamvis enim te non ejus vulgi existimem, quod Horatius arcet ingressu, tamen sua cuique sacra. Nec idem Cereri quod Libero, etiam sub iisdem cultoribus. Poemata quæ in alumnam meam luseram, rudia et inchoata ad domesticæ solatium cantilenæ, cum sine metu et arcana securitate fruerentur, proferre ad lucem caligantia coegisti : verecundiæ meæ scilicet spolium concupisti, aut quantum tibi in me juris esset ab invito indicari. Næ tu Alexandri Macedonis pervicaciam supergressus, qui fatalis jugi lora, cum solvere non posset, abscidit, et Pythiæ specum, quod nefas erat petere, penetravit. Utere igitur ut tuis pari jure, sed fiducia dispari. Quippe tua possunt populum non timere, meis etiam intra me erubesco.

Ut voluisti, Paule, cunctos Bissulæ versus habes :
Lusimus quos in Suevæ gratiam virgunculæ,
Otium magis foventes, quam studentes gloriæ.]
Tu molestus flagitator lege molesta carmina.
Tibi, quod intristi, exedendum est; sic vetus ver-
[bum jubet;
Compedes, quas ipse fecit, ipsus ut gestet faber.

Ad lectorem hujus libelli.

Carminis incompti tenuem lecture libellum,
Pone supercilium.
Seria contractis expende poemata rugis.
Nos Thymelen sequimur.
Bissula in hoc schedio cantabitur, aut Erasinus.
Admoneo, ante bibas.
Jejunis nil scribo, meum post pocula si quis
Legerit, hic sapiat.
Sed magis hic sapiet, si dormiet : et putet ista
Somnia missa sibi.

Ubi nata sit Bissula, et quomodo in manus domini venerit.

Bissula trans gelidum stirpe et lare prosata Rhenum,
Conscia nascentis Bissula Danubii,
Capta manu, sed missa manu, dominatur in ejus
Deliciis, cujus bellica præda fuit.
Matre carens, nutricis egens, nescivit herai
Imperium . . . . . .
Fortunæ ac patriæ quæ nulla opprobria sensit,
Illico inexperto libera servitio.
Sic Latiis mutata bonis, Germana maneret
Ut facies, oculos cærula, flava comas.
Ambiguam modo lingua facit, modo forma puellam,
Hæc Rheno genitam prædicat, hæc Latio.

De eadem Bissula.

Delicium, blanditiæ, ludus, amor, voluptas,
Barbara, sed quæ Latias vincis alumna pupas,
Bissula nomen teneræ rusticulum puellæ,
Horridulum non solitis, sed domino venustum.

Ad pictorem, de Bissulæ imagine.

Bissula nec ceris, nec fuco imitabilis ullo,
Naturale decus fictæ non commodat arti.
Sandyx, et cerussa, alias simulate puellas,
Temperiem hanc vultus nescit manus, ergo age, pictor,
Puniceas confunde rosas, et lilia misce.
Quique erit ex illis color aeris, ipse sit oris.

Ad eumdem.

Pingere si nostram pictor meditaris alumnam,
Æmula Cecropias ars imitetur apes.

IDYLLIUM VIII.

Precatio Ausonii consulis designati, pridie kalendas Januarii fascibus sumptis.

Jane, veni : novus anne, veni : renovate veni, Sol,
Consulis Ausonii Latiam visure curulem.
Ecquid ab Augusta nunc majestate secundum,
Quod mireris, habes? Roma illa, domusque Quirini,
Et toga purpurei rutilans prætexta senati,
Hoc capite æternis signat sua tempora Fastis.
Anne, bonis cœpte auspiciis, da vere salubri
Apricas ventorum animas, da roscida Cancro
Solstitia, et gelidum Boream Septembribus horis.
Mordeat Autumnas frigus subtile pruinas;
Et tenuata modis cesset mediocribus Æstas.
Sementem notus humificet. Sit Bruma nivalis,
Dum pater antiqui renovatur Martius anni.
Spiret odorato florum nova gratia Maio,
Julius et segetes coquat, et mare temperet Euris.
Sirius ardentem non augeat igne Leonem.
Discolor arboreos variet Pomona sapores.
Mitiget autumnus, quod maturaverit æstas,
Et genialis hiems parta sibi dote fruatur.
Pacem mundus agat : nec turbida sidera regnent.
Nulla tuos, Gradive, offendat stella penates,
Quæ non æqua tibi : non Cynthia; non celer Arcas
Finitimus terris : non tu, Saturne, supremo
Ultime circuitu. Procul a Pyroente remotus
Tranquillum properabis iter. Vos cominus ite,
Stella salutigeri Jovis, et Cythereie Vesper.
Nonnumquam hospitibus facilis Cyllenius adsit.
Jane, veni : novus anne, veni : renovate veni, Sol.
Hostibus edomitis qua Francia mixta Suevis
Certat ad obsequium, Latiis ut militet armis :
Qua vaga Sauromates sibi junxerat agmina Chuni,
Quaque Getes sociis Histrum assultabat Alanis.
Hoc mihi præpetibus victoria nuntiat alis.
Jam venit Augustus, nostros ut comat honores,
Officio exornans, quos participare cupisset.
Jane, veni : novus anne, veni : renovate veni, Sol.
Aurea venturo, Sol, porrige gaudia Jano :
Fascibus Ausonii succedet Cæsar in annum,
Quintam Romulei prætextam habiturus honoris.
Ecce ubi se cumulat mea purpura (mitibus audi
Auribus hoc, Nemesis), post me dignatur oriri
Augustus consul. Plus quam conferre videtur
Me sibi : qui jussit nostros præcedere fasces.
Jane, veni : novus anne, veni : renovate veni, Sol;
Coge secuturos bis sena per ostia menses,

Tu tropicum soli da cedere; rursus et illum
Terga dare, ut duplex tropicus varietur ab astro,
Et quater a ternis properet mutatio signis.
Æstivos impelle dies, brumamque morantem
Noctibus acceleret promissus Cæsaris annus.
Illum ego si cernam, tum terque quaterque beatus,
Tunc ero bis consul, tunc tangam vertice cœlum.

IDYLLIUM IX.

Item precatio kalendis Januariis.

Anne, bonis cœpte auspiciis, felicia cernis
Consulis Ausonii primordia, prome coruscum,
Sol æterne, caput : solitoque illustrior, almo
Lumine purpureum jubar exsere lucis Eoæ.
Anne, pater rerum, quas Jani mense bifrontis
Volvis in hibernum glaciali fine Decembrem,
Anne, veni, et festum veteris novus aspice Jani.
Solemnes pervade vias, bissenaque mundo
Curricula æquatis varians per tempora signis,
Præcipitem æterna perfer vertigine cursum;
Sic prono raptate polo contraria Phœbus
Ut momenta ferat servata parte dierum,
Et novus hiberno reparet sua lumina pulsu.
Menstrua ter decies redeunt dum cornua Lunæ,
Exortus, obitusque manu volvente rotabis,
Legitimum Phœbi cohibens per signa meatum.

IDYLLIUM X.

Mosella.

Transieram celerem nebuloso lumine Navam,
Addita miratus veteri nova mœnia vico :
Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas :
Infletæque jacent inopes super arva catervæ.
Unde iter ingrediens nemorosa per avia solum,
Et nulla humani spectans vestigia cultus,
Prætereo arentem sitientibus undique terris
Dumnissum, riguasque perenni fonte Tabernas,
Arvaque Sauromatum nuper metata colonis :
Et tandem primis Belgarum conspicor oris
Nivomagum, divi castra inclyta Constantini.
Purior hic campis aer : Phœbusque sereno
Lumine purpureum reserat jam sudus Olympum.
Nec jam consertis per mutua vincula ramis
Quæritur exclusum viridi caligine cœlum :
Sed liquidum jubar, et rutilam visentibus æthram
Libera perspicui non invidet aura diei.
In speciem cum me patriæ, cultumque nitentis
Burdigalæ blando pepulerunt omnia visu,
Culmina villarum, pendentibus edita ripis,
Et virides Baccho colles, et amœna fluenta
Subterlabentis tacito rumore Mosellæ.
Salve, amnis laudate agris, laudate colonis,
Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ :
Amnis odorifero juga vitea consite Baccho,
Consite gramineas amnis viridissime ripas :
Naviger, ut pelagus; devexas pronus in undas,
Ut fluvius; vitreoque lacus imitate profundo;
Et rivos trepido potis æquiparare meatu,
Et liquido gelidos fontes præcellere potu,
A Omnia solus habes, quæ fons, quæ rivus, et amnis,
Et lacus, et bivio refluus manamine pontus.
Tu placidis prolapsus aquis, nec murmura venti
Ulla, nec occulti pateris luctamina saxi.
Non superante vado rapidos reparare meatus
Cogeris, exstantes medio non æquore terras
Interceptus habes : justi ne demat honorem
Nominis, exclusum si dividat insula flumen.
Tu duplices sortite vias, et cum amne secundo
Defluis, ut celeres feriant vada concita remi :
Et cum per ripas, nusquam cessante remulco,
Intendunt collo malorum vincula nautæ.
Ipse tuos quotiens miraris in amne recursus,
Legitimosque putas prope segnius ire meatus?
Tu neque limigenis ripam prætexeris ulvis,
B Nec piger immundo perfundis littora cœno,
Sicca sed in prima aspergis vestigia lympha.
I nunc, et Phrygiis sola levia consere crustis,
Tendens marmoreum laqueata per atria campum.
Ast ego despectis, quæ census opesque dederunt,
Naturæ mirabor opus, non, cura nepotum,
Lætaque jacturis ubi luxuriatur egestas.
Hic solidæ sternunt humentia littora arenæ,
Nec retinent memores vestigia pressa figuras.
Spectaris vitreo per levia terga profundo,
Secreti nihil amnis habens. Utque almus aperto
Panditur intuitu liquidis obtutibus aer,
Nec placidi prohibent oculos per inania venti :
Sic demersa procul durante per intima visu
Cernimus, arcanique patet penetrale fluenti :
C Cum vada lene meant, liquidarum et lapsus aquarum
Prodit cærulea dispersas luce figuras :
Quod sulcata levi crispatur arena meatu :
Inclinata tremunt viridi quod gramina fundo.
Utque sub ingenuis agitatæ fontibus herbæ
Vibrantes patiuntur aquas : lucetque, latetque
Calculus : et viridem distinguit glarea muscum.
Nota Caledoniis talis pictura Britannis,
Cum virides algas, et rubra corallia nudat
Æstus, et albentes concharum germina baccas,
Deliciasque hominum locupletes, quæque sub undis
Assimulant nostros imitata monilia cultus.
Haud aliter placidæ subter vada læta Mosellæ,
Detegit admixtos non concolor herba lapillos.
Intentos tamen usque oculos errore fatigant
D Interludentes examina lubrica pisces.
Sed neque tot species, obliquatosque natatus,
Quæque per adversum succedunt agmina flumen,
Nominaque, et cunctos numerosæ stirpis alumnos,
Edere fas. Haud ille sinit, cui cura secundæ
Sortis, et æquorei cessit tutela tridentis.
Tu mihi flumineis habitatrix Nais in oris,
Squamigeri gregis ede choros, liquidoque sub alveo
Dissere cæruleo fluitantes amne catervas.
Squameus herbosas Capito interlucet arenas,
Viscere præ tenero fartim congestus, aristis,
Nec duraturus post bina trihoria mensis.
Purpureisque Salar stellatus tergora guttis,
Et nullo spinæ nociturus acumine Redo,

Effugiensque oculos celeri levis Umbra natatu.
Tuque per obliqui fauces vexate Saravi,
Qua bis terna fremunt scopulosis ostia pilis,
Cum defluxisti famæ majoris in amnem,
Liberior laxos exerces, Barbe, natatus.
Tu melior pejore ævo, tibi contigit omni
Spirantum ex numero non inlaudata senectus.
Nec te Puniceo rutilantem viscere, Salmo,
Transierim, latæ cujus vaga verbera caudæ
Gurgite de medio summas referuntur in undas,
Occultus placido cum proditur æquore pulsus.
Tu loricato squamosus pectore, frontem
Lubricus, et dubiæ facturus fercula cœnæ,
Tempora longarum fers incorrupte morarum,
Præsignis maculis capitis : cui prodiga nutat
Alvus, opimatoque fluens abdomine venter.
Quæque per Illyricum, per stagna binominis Istri,
Spumarum indiciis caperis, Mustela, natantum,
In nostrum subvecta fretum, ne lata Mosellæ
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te naturæ pinxit color? atra superne
Puncta notant tergum, quæ lutea circuit Iris.
Lubrica cæruleus perducit tergora fucus.
Corporis ad medium fartim pinguescis; at illinc
Usque sub extremam squallet cutis arida caudam.
Nec te delicias mensarum, Perca, silebo,
Amnigenos inter pisces dignande marinis,
Solus puniceis facilis contendere mullis :
Nam neque gustus iners, solidoque in corpore partes
Segmentis coeunt, sed dissociantur aristis.
Hic etiam Latio risus prænomine, cultor
Stagnorum, querulis vis infestissima ranis,
Lucius, obscuras ulva cœnoque lacunas
Obsidet. Hic nullos mensarum lectus ad usus,
Fervet fumosis olido nidore popinis.
Quis non et virides vulgi solatia Tincas
Norit, et Alburnos prædam puerilibus hamis,
Stridentesque focis opsonia plebis Alausas?
Teque inter species geminas, neutrumque et utrum-
[que,
Qui necdum Salmo, nec jam Salar, ambiguusque
Amborum medio Fario intercepte sub ævo?
Tu quoque flumineas inter memorande cohortes,
Gobio, non major geminis sine pollice palmis,
Præpinguis, teres, ovipara congestior alvo;
Propexique jubas imitatus Gobio Barbi.
Nunc pecus æquoreum celebrabere, magne Silure :
Quem velut Actæo perductum tergora olivo
Amnicolam Delphina reor. Sic per freta magnum
Laberis, et longi vix corporis agmina solvis,
Aut brevibus defensa vadis, aut fluminis ulvis.
At cum tranquillos moliris in amne meatus,
Te virides ripæ, te cærula turba natantum,
Te liquidæ mirantur aquæ; diffunditur alveo
Æstus, et extremi procurrunt margine fluctus.
Talis Atlantiaco quondam balæna profundo,
Cum vento motuve suo telluris ad oras
Pellitur, exclusum fundit mare, magnaque surgunt
Æquora, vicinique timent decrescere montes.

A Hic tamen, hic nostræ mitis Balæna Mosellæ,
Exitio procul est, magnoque honor additus amni.
Jam liquidas spectasse vias, et lubrica pisces
Agmina, multiplicesque satis numerasse catervas.
Inducant aliam spectacula vitea pompam :
Sollicitentque vagos baccheia munera visus :
Qua sublimis apex longo super ardua tractu
Et rupes, et aprica jugi, flexusque, sinusque
Vitibus assurgunt, naturalique theatro.
Gauranum sic alma jugum vindemia vestit,
Et Rhodopen, proprioque nitent Pangæa Lyæo.
Sic viret Ismarius super æquora Thracia collis.
Sic mea flaventem pingunt vineta Garumnam.
Summis quippe jugis tendentis in ultima clivi,
Conseritur viridi fluvialis margo Lyæo.
B Læta operum plebes, festinantesque colони
Vertice nunc summo properant, nunc dejuge dorso,
Certantes stolidis clamoribus. Inde viator
Riparum subjecta terens, hinc navita labens,
Probra canunt seris cultoribus; astrepit ollis
Et rupes, et silva tremens, et concavus amnis.
Nec solos hominum delectat scena locorum.
Hic ego et agrestes Satyros, et glauca tuentes
Naidas, extremis credam concurrere ripis,
Capripedes agitat cum læta protervia Panas,
Insultantque vadis, trepidasque sub amne sorores
Terrent, indocili pulsantes verbere fluctum.
Sæpe etiam mediis furata e collibus uvas
Inter Oreiadas Panope fluvialis amicas,
Fugit lascivos paganica numina Faunos.
C Dicitur et medio cum sol stetit igneus orbe,
Ad commune fretum, Satyros vitreasque sorores,
Consortes celebrare choros; cum præbuit horas
Secretas hominum cœtu flagrantior æstus.
Tunc insultantes sua per freta ludere Nymphas,
Et Satyros mersare vadis, rudibusque natandi
Per medias exire manus; dum lubrica salsi
Membra petunt, liquidosque fovent pro corpore flu-
[ctus.
Sed non hæc spectata ulli, nec cognita visu,
Fas mihi sit pro parte loqui; secreta tegatur,
Et commissa suis lateat reverentia rivis.
Illa fruenda palam species, cum glaucus opaco
Respondet colli fluvius; frondere videntur
Fluminei latices, et palmite consitus amnis.
D Quis color ille vadis, seras cum protulit umbras
Hesperus, et viridi profundit monte Mosellam?
Tota natant crispis juga motibus, et tremit absens
Pampinus, et vitreis vindemia turget in undis;
Annumerat virides derisus navita vites,
Navita caudiceo fluitans super æquora lembo,
Per medium qua sese amni confundit imago
Collis, et umbrarum confinia conserit amnis.
Hæc quoque quam dulces celebrant spectacula
[pompas,
Remipedes medio certant cum flumine lembi,
Et varios ineunt flexus, viridesque per oras
Stringunt attonsis pubentia germina pratis!
Puppibus et proris alacres gestire magistros,

Impubemque manum super amnica terga vagantem
Dum spectat transire, dein sua seria ludo
Posthabet : excludit veteres nova gratia curas.
Tales Cumano despectat in æquore ludos
Liber, sulphurei cum per juga consita Gauri,
Perque vaporiferi graditur vineta Vesevi;
Cum Venus, Actiacis Augusti læta triumphis,
Ludere lascivos fera prælia jussit Amores,
Qualia Niliacæ classes Latiæque triremes
Subter Apollineæ gesserunt Leucados arces;
Aut Pompeiani Mylasena pericula belli
Euboicæ referunt per Averna sonantia cymbæ,
Innocuos ratium pulsus, pugnasque jocantes
Naumachiæ, Siculo quales spectante Peloro,
Cæruleus viridi reparat sub imagine pontus.
Non aliam speciem petulantibus addit ephebis
Pubertasque, amnisque, et picti rostra phaseli.
Hos Hyperionio cum sol perfuderit æstu,
Reddit nautales vitreo sub gurgite formas,
Et redigit pandas inversi corporis umbras.
Utque agiles motus dextra lævaque frequentant,
Et commutatis alternant pondera remis,
Unda refert alios simulacra humentia nautas.
Ipsa suo gaudet simulamine nautica pubes,
Fallaces fluvio mirata redire figuras.
Sic ubi compositos ostentatura capillos,
Candentem late speculi explorantis honorem
Cum primum charæ nutrix admovit alumnæ,
Læta ignorato fruitur virguncula ludo,
Germanæque putat formam spectare puellæ:
Oscula fulgenti dat non referenda metallo,
Aut fixas prætentat acus, aut frontis ad oram
Vibratis cœptat digitis extendere crines :
Talis ad umbrarum ludibria nautica pubes
Ambiguis fruitur veri falsique figuris.

Jam vero accessus faciles qua ripa ministrat,
Scrutatur toto populatrix turba profundo
Heu ! male defensos penetrali flumine pisces !
Hic medio procul amne trahens humentia lina,
Nodosis decepta plagis examina vertit;
Ast hic tranquillo qua labitur agmine flumen,
Ducit corticeis fluitantia retia signis.
Ille autem scopulis subjectas pronus in undas,
Inclinat lentæ convexa cacumina virgæ,
Indutos escis jaciens lethalibus hamos.
Quos ignara doli postquam vaga turba natantum
Rictibus invasit, patulæque per intima fauces
Sera occultati senserunt vulnera ferri,
Dum trepidant, subit indicium, crispoque tremori
Vibrantis setæ nutans consentit harundo.
Nec mora : et excussam stridenti verbere prædam
Dextera in obliquum raptat puer. Excipit ictum
Spiritus, ut fractis quondam per inane flagellis
Aura crepat, motoque assibilat aere ventus.
Exsultant udæ super arida saxa rapinæ,
Luciferique pavent lethalia tela diei.
Quique sub amne suo mansit vigor, aere nostro
Segnis anhelatis vitam consumit in auris.
Jam piger invalido vibratur corpore plausus;
A Torpida supremos patitur jam cauda tremores,
Nec coeunt rictus; haustas sed hiatibus auras
Reddit mortiferos exspirans branchia flatus.
Sic ubi fabriles exercet spiritus ignes,
Accipit alterno cohibetque foramine ventos
Lanea sagineis alludens parma cavernis.
Vidi egomet quosdam lethi sub fine trementes
Collegisse animas : mox in sublime citatos,
Cernua subjectum præceps dare corpora in amnem,
Desperatarum potientes rursus aquarum.
Quos impos damni puer inconsultus ab alto
Impetit, et stolido captat prensare natatu.
Sic Anthedonius Bœotia per freta Glaucus
Gramina gustatu postquam exitialia Circes
Expertus, carptas moribundis piscibus herbas
B Sumpsit, Carpathium subiit novus accola pontum.
Ille hamis et rete potens, scrutator operti
Nereos, æquoream solitus convertere Tethyn,
Inter captivas fluitavit prædo catervas.
Talia despectant longo per cærula tractu
Pendentes saxis instanti culmine villæ.
Quas medius dirimit sinuosis flexibus errans
Amnis, et alternas comunt prætoria ripas.
Quis modo Sestiacum pelagus, Nepheleidos Helles
Æquor : Abydeni freta quis miretur ephebi ?
Quis Chalcedonio constratum ab littore pontum,
Regis opus Magni, mediis Euripus ubi undis
Europæque Asiæque vetat concurrere terras ?
Non hic dira freti rabies, non sæva furentum
Prælia Caurorum. Licet hic commercia linguæ
C Jungere, et alterno sermonem texere pulsu.
Blanda salutiferas permiscent littora voces,
Et voces, et pene manus. Resonantia utrimque
Verba refert, mediis concurrit fluctibus Echo.
Qui potis, innumeros cultusque, habitusque retexens,
Pandere tectonicas per singula prædia formas !
Non hoc spernat opus Gortynius aliger, ædis
Conditor Euboicæ, casus quem fingere in auro
Conantem Icarios, patrii pepulere dolores.
Non Philo Cecropius; non qui laudatus ab hoste
Clara Syracosii traxit certamina belli.
Forsan et insignes hominumque operumque labores
Hic habuit decimo celebrata volumine Marci
Hebdomas; hic clari viguere Menecratis artes,
D Atque Ephesi spectata manus, vel in arce Minervæ
Ictinus, magico cui noctua perlita fuco
Allicit omne genus volucres, perimitque tuendo.
Conditor hic forsan fuerit Ptolemaidos aulæ
Dinochares, quadro cui in fastigia cono
Surgit, et ipsa suas consumit Pyramis umbras,
Jussus ob incesti qui quondam fœdus amoris
Arsinoen Pharii suspendit in aere templi.
Spirat enim tecti testudine vera Magnetis,
Afflictamque trahit ferrato crine puellam.
Hos ergo aut horum similes est credere dignum
Belgarum in terris scenas posuisse domorum,
Molitos celsas fluvii decoramina villas.
Hæc est nativi sublimis in aggere saxi;

Hæc procurrentis fundata crepidine ripæ;
Hæc refugit, captumque sinu sibi vindicat amnem.
Illa tenens collem, qui plurimus imminet amni,
Usurpat faciles per culta, per aspera visus;
Utque suis fruitur dives speculatio terris.
Quin etiam riguis humili pede condita pratis
Compensat celsi bona naturalia montis,
Sublimique minans irrumpit in æthera tecto,
Ostentans altam, Pharos ut Memphitica, turrim.
Huic proprium est clausos consepto gurgite pisces
Apricas scopulorum inter captare novales.
Hæc summis innixa jugis labentia subter
Flumina despectu jam caligante tuetur.
Atria quid memorem viridantibus assita pratis?
Innumerisque super nutantia tecta columnis?
Quid quæ sulphurea substructa crepidine fumant
Balnea, fervenli cum Mulciber haustus operto,
Volvit anhelatas tectoria per cava flammas,
Inclusum glomeraus æstu exspirante vaporem?
Vidi ego defessos multo sudore lavacri
Fastidisse lacus et frigora piscinarum,
Ut vivis fruerentur aquis; mox amne refotos
Plaudenti gelidum flumen pepulisse natatu.
Quod si Cumanis huc afforet hospes ab oris,
Crederet Euboicas simulacra exsilia Baias
His donasse locis: tantus cultusque nitorque
Allicit, et nullum parit oblectatio luxum.
Sed mihi qui tandem finis tua glauca fluenta
Dicere, dignandumque mari memorare Mosellam?
Innumeri quod te diversa per ostia late
Incurrunt amnes? quamquam differre meatus
Possent; sed celerant in te consumere nomen.
Namque et Pronææ Nemesæque adjuta meatu
Sura tuas properat non degenerare sub undas,
Sura interceptis tibi gratificata fluentis:
Nobilius permixta tuo sub nomine, quam si
Ignoranda patri confunderet ostia ponto:
Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus
Festinant famulis quamprimum allambere lymphis,
Nobilibus Gelbis celebratus piscibus: ille
Præcipiti torquens cerealia saxa rotatu,
Stridentesque trahens per levia marmora serras
Audit perpetuos ripa ex utraque tumultus.
Prætereo exilem Lesuram, tenuemque Drachonum,
Nec fastiditos Salmonæ usurpo fluores.
Naviger undisona dudum me mole Saravus
Torta veste vocat: longum qui distulit amnem,
Fessa sub Augustis ut volveret ostia muris.
Nec minor hoc, tacitum qui per sola pinguia labens
Stringit frugiferas felix Alisontia ripas,
Mille alii, prout quemque suus magis impetus urget,
Esse tui cupiunt. Tantus properantibus undis
Ambitus, aut moles. Quod si tibi, dia Mosella,
Smyrna suum vatem, vel Mantua clara dedisset:
Cederet Iliacis Simois memoratus in oris,
Nec præferre suos auderet Tibris honores.
Da veniam mihi, Roma potens. Pulsa, oro, facessat
Invidia, et Latiæ Nemesis non cognita linguæ,
Imperii sedem, Romæque tuere parentes.

A Salve, magne parens frugumque virumque Mosella.
Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.
Quin etiam mores, et lætum fronte severa
Ingenium, natura tuis concessit alumnis.
Nec sola antiquos ostentat Roma Catones:
Aut unus tantum justi spectator et æqui
Pollet Aristides, veteresque illustrat Athenas.
Verum ego quid laxis nimium spatiatus habenis
Victus amore tui præconia detero? conde,
Musa chelyn, pulsis extremo carmine nervis.
Tempus erit, cum me studiis ignobilis oti
Mulcentem curas, seniique aprica foventem,
Materiæ commendet honos: cum facta viritim
Belgarum, patriosque canam decora inclyta mores.
B Mollia subtili nebunt mihi carmina filo
Pierides, tenuique aptas subtegmine telas
Percurrent: dabitur nostris quoque purpura fusis.
Quis mihi tum non dictus erit? memorabo quietos
Agricolas: legumque catos, fandique potentes,
Præsidium sublime reis; quos curia summos
Municipum vidit proceres, propriumque senatum:
Quos prætextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris præconia Quintiliani.
Quique suas rexere urbes, purumque tribunal
Sanguine, et innocuas illustravere secures;
Aut Italum populos, aquilonigenasque Britannos
Præfecturarum titulo tenuere secundo.
Quique caput rerum Romam, populumque patresque
Tantum non primo rexit sub nomine: quamvis
C Præfuerit primis. Festinat solvere tandem
Errorem fortuna suum: libataque supplens
Præmia, jam veri fastigia reddet honoris
Nobilibus repetenda nepotibus. At modo cœptum
Detexatur opus: dilata et laude virorum,
Dicamus læto per rura virentia tractu
Felicem fluvium, Rhenique sacremus in undis.
Cæruleos nunc, Rhene, sinus, hyaloque virentem
Pande peplum, spatiumque novi metare fluenti,
Fraternis cumulandus aquis. Nec præmia in undis
Sola, sed Augustæ veniens quod mœnibus urbis
Spectavit junctos Natique Patrisque triumphos,
Hostibus exactis Nicrum super, et Lupodunum,
Et fontem Latiis ignotum annalibus Histri.
Hæc profligati venit modo laurea belli:
D Mox alias aliasque feret. Vos pergite juncti,
Et mare purpureum gemino propellite tractu.
Neu vereare minor, pulcherrime Rhene, videri:
Invidiæ nil hospes habet. Potiere perenni
Nomine: tu fratrem, famæ securus, adopta.
Dives aquis, dives nymphis, largitor utrique
Alveus extendet geminis divortia ripis,
Communesque vias diversa per ostia fundet.
Accedent vires, quas Francia, quasque Chamaves,
Germanique tremant: tunc verus habebere limes.
Accedet tanto geminum tibi nomen ab amni.
Cumque unus de fonte fluas, dicere bicornis.
Hæc ego, VIVISCA ducens ab origine gentem,
Belgarum hospitiis nunc per nova fœdera notus,

Ausonius, nomen Latium, patriaque, domoque
Gallorum extremos inter, celsamque Pyrænen,
Temperat ingenuos qua læta Aquitania mores,
Audax exigua fide concino. Fas mihi sacrum
Perstrinxisse amnem tenui libamine Musæ.
Nec laudem affecto; veniam peto. Sunt tibi multi,
Alme amnis, sacros qui sollicitare fluores
Aonidum, totamque solent haurire Aganippen.
Ast ego, quanta mei dederit se vena liquoris,
Burdigalam cum me in patriam, nidumque senectæ
Augustus pater, et natus, mea maxima cura,
Fascibus Ausoniis decoratum et honore curuli
Mittent, emeritæ post tempora disciplinæ,
Latius Arctoi præconia persequar amnis.
Addam urbes, tacito quas subterlaberis alveo :
Mœniaque antiquis te prospectantia muris :
Addam, præsidiis dubiarum condita rerum,
Sed modo securis non castra, sed horrea Belgis.
Addam felices ripa ex utraque colonos,
Teque inter medios hominumque boumque labores,
Stringentem ripas, et pinguia culta secantem.
Non tibi se Liger anteferet, non Axona præceps ;
Matrona non, Gallos Belgasque intersita fines ;
Santonico refluus non ipse Carantonus æstu.
Concedes gelido Durani de monte volutus
Amnis : et auriferum postponet Gallia Tarnem.
Insanumque ruens per saxa rotantia late
In mare purpureum, dominæ tamen ante Mosellæ
Numine adorato, Tarbellicus ibit Aturrus.

Corniger externas celebranda Mosella per oras,
Nec solis celebranda locis, ubi fonte supremo
Exseris auratum taurinæ frontis honorem :
Quaque trahis placidos sinuosa per arva meatus :
Vel qua Germanis sub portubus ostia solvis :
Si quis honos tenui volet adspirare camenæ,
Perdere si quis in his dignabitur otia musis,
Ibis in ora hominum, lætoque fovebere cantu.
Te fontes, vivique lacus, te cærula noscent
Flumina : te veteres pagorum gloria luci ;
Te Druna, te sparsis incerta Druentia ripis,
Alpinique colent fluvii, duplicemque per urbem
Qui meat, et dextræ Rhodanus dat nomina ripæ.
Te stagnis ego cæruleis, magnumque sonoris
Amnibus, æquoreæ te commendabo Garumnæ.

IDYLLIUM XI.

Griphus ternarii numeri.

AUSONIUS SYMMACHO *salutem.*

Latebat inter nugas meas libellus ignobilis, utinamque latuisset, neque indicio suo tamquam sorex periret. Hunc ego cum velut gallinaceus Euclionis situ chartei pulveris eruissem, excussum relegi, atque ut avidus fenerator, improbum nummum malui occupare, quam condere. Dein cogitans mecum non illud Catullianum, Cui dono lepidum novum libellum? *sed* ἀμαλαχώτερον *et verius, Cui dono illepidum rudem libellum? non diu quæsivi. Tu enim occurristi, quem ego si mihi potestas sit ex omnibus deligendi, unum semper elegerim. Misi itaque ad te frivola gerris Siculis avaniora, ut cum agis nihil, hæc legas, et ne nihil agas, defendas. Igitur iste nugator libellus jam diu secreta quidem, sed vulgi lectione laceratus perveniet tandem in manus tuas. Quem tu aut ut Æsculapius redintegrabis ad vitam, aut ut Plato, juvante Vulcano, liberabis infamia, si pervenire non debet ad famam. Fuit autem ineptiolæ hujus ista materia in expeditione, quod tempus, ut scis, licentiæ militaris est : super mensam meam facta est invitatio, non illa de ludibrii convivio, ut Græco more biberetur, sed illa de Flacci ecloga, in qua propter mediam noctem, et novam lunam, et Murænæ auguratum, ternos ter cyathos attonitus petit vates. Hunc locum de ternario numero illico nostra illa poetica scabies cœpit exsculpere : cujus morbi quoniam facile contagium est, utinam ad te quoque prurigo commigret, et fuco tuæ emendationis adjecto impingas spongiam, quæ imperfectum opus equi male spumantis absolvat. Ac ne me gloriosum neges, cœptos inter prandendum versiculos ante cœnæ tempus absolvi, hoc est, dum bibo, et paulo ante, quam biberem. Sit ergo examen pro materia et tempore. Sed tu quoque hoc ipsum paulo hilarior et dulcior lege : namque injurium est de poeta male sobrio lectorem abstemium judicare. Neque me fallit fore aliquem, qui hunc jocum nostrum acutis naribus et caperata fronte condemnet, negetque me omnia, quæ ad ternarium, et novenarium numeros pertinent attigisse : quem ego verum dicere fatebor, juste negabo. Quippe si bonus est, quæ omisi, non oblita mihi, sed præterita existimet. Dehinc quaeliscumque est, cogitet secum, quam multa de his non reperisset, si ipse quæsisset. Sciat etiam me nec omnibus erutis usum, et quibusdam oblatis abusum. Quam multa enim de ternario sciens neglexi tempora, et personas, genera, et gradus, novem naturalia metra cum trimetris, totam grammaticam et musicam, librosque medicininos, ter maximum Hermem, et amatorem primum philosophiæ, Varronisque numeros, et quidquid profanum vulgus ignorat. Postremo, quod facile est, cum ipse multa invenerit, comparet se, atque me : occupatum, cum otioso : pransum, cum abstemio : jocum et ludum meum, diligentiam et calumniam suam. Alius enim alio plura invenire potest, nemo omnia. Quod si alicui et obscurus videbor, apud eum me sic tuebere : Primum ejusmodi idyllia nisi vel obscura sint, nihil futura : deinde numerorum naturam non esse scirpum, ut sine nodo sint. Postremo si etiam tibi obscurus fuero, cui nihil neque neglectum est, neque non intellectum : tum vero ego beatus, quod affectavi, assequar, me ut requiras, me desideres, de me cogites. Vale.*

Ter bibe, vel totiens ternos ; sic mystica lex est,
Vel tria potanti, vel ter tria multiplicanti,
Imparibus novies ternis contexere cœbum.
Juris idem tribus est, quod ter tribus. Omnia in [istis :
Forma hominis cœpti, plenique exactio partus,
Quique novem novies fati tenet ultima finis.
Tres Ope progeniti fratres, tres ordine partæ (*Al.* [Parcæ).

Vesta, Ceres, et Juno, secus muliebre sorores.
Inde trisulca Jovis sunt fulmina. Cerberus inde.
Inde Tridens : triplexque Helenes cum fratribus [ovum.
Ter nova Nestoreos implevit purpura fusos.
Et toties terno cornix vivacior ævo.
Quam novies terni glomerantem sæcula tractus
Vincunt æripedes ter terno Nestore cervi,
Tres quorum ætates superat Phœbeius oscen.
Quem novies senior Gangeticus anteit ales,
Ales cinnameo radiatus tempora nido.
Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianæ.
Tres Charites, tria Fata, triplex vox, trina ele- [menta,
Tres in Trinacria Siredones. Omnia terna.
Tres volucres, tres semideæ, tres semipuellæ.
Ter tribus ad palmam jussæ certare Camenis,
Ore, manu, flatu, buxo, fide, voce canentes.
Tres sophiæ partes, tria Punica bella, trimestres
Annorum cœlique vices, noctisque per umbram
Tergemini vigiles. Ter clara instantis Eoi
Signa canit serus deprenso Marte satelles.
Et qui conceptus triplicatæ vespere noctis,
Jussa quater ternis affixit opima tropæis.
Et lyrici vates numero sunt Mnemonidarum,
Tres solas quondam tenuit quas dextera Phœbi :
Sed Citheron totiens ternas ex ære sacravit
Religione patrum, qui sex sprevisse timebant.
Trina Terentino celebrata trinoctia ludo :
Qualia bis genito Thebis Trieterica Baccho.
Tres primas Thracum pugnas tribus ordine bellis,
Juniadæ patrio inferias misere sepulcro.
Illa etiam thalamos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes, et quadrupes foret, et tripes omnia solus,
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx, volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.
Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.
Humana efficiunt habitacula ter genus artes,
Parietibus quæ saxa locat, quæ culmine tigna,
Et quæ supremo comit tectoria cultu.
Hinc Bromii quadrantal, et hinc Sicana medimna.
Hoc tribus, hæc geminis tribus explicat usus agendi.
In Physicis tria prima, Deus, mundus, data forma.
Ter genus omnigenum, genitor, genitrix, genera- [tum.
Per trinas species trigonorum regula currit,
Æquilatus, vel crure pari, vel in omnibus impar.
Tres coit in partes numerus perfectus : ut idem
Congrege ter trino per ter tria dissolvatur.
Tres primus, par, impar habet, mediumque : sed ipse
Ut tres, sic quinque, et septem quoque dividit unus.
Et numero in toto positus sub acumine centri,
Distinguit solidos cœbo pergente trientes,
Æquipares dirimens partes ex impare terno,
Et paribus triplex medium : cum quattuor et sex
Bisque quaternorum secernitur omphalos idem.
Jus triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ,
Sacrum, privatum, et populi commune quod usquam [est.
A Interdictorum trinum genus : unde repulsus
Vi fuero, aut Utrobi fuerit, Quorumve bonorum.
Triplex libertas, capitisque minutio triplex.
Trinum dicendi genus est, sublime, modestum,
Et tenui filo. Triplex quoque forma medendi,
Quoi logos, aut methodos, cuique experientia no- [men.
Et medicina triplex, servare, cavere, mederi.
Tres oratorum cultus, regnata Colosso
Quem Rhodos, Actææ quem dilexistis, Athenæ,
Et quem de scenis tetrica ad subsellia traxit
Prosa Asiæ, in causis numeros imitata chororum.
Orpheos hinc tripodes, quia sunt tria, terra, aqua, [flamma.
Triplex sideribus positus, distantia, forma.
B Et modus, et genitrix modulorum musica triplex,
Mixta libris, secreta astris, vulgata theatris.
Martia Roma triplex, equitatu, plebe, senatu.
Hoc numero tribus, et sacro de monte Tribuni.
Tres equitum turmæ : tria nomina nobiliorum.
Nomina sunt chordis tria : sunt tria nomina mensi.
Geryones triplex : triplex compago Chimæræ.
Scylla triplex commissa tribus, cane, virgine, pisce.
Gorgones, Harpyiæque, et Erynnies agmine terno.
Et tres fatidicæ nomen commune Sibyllæ :
Quarum tergemini fatalia carmina libri :
Quos ter quinorum servat cultura virorum.
Ter bibe. Tres numerus super omnia, tres Deus unus.
Hic quoque ne ludus numero transcurrat inerti,
C Ter decies ternos habeat, deciesque novenos.

IDYLLIUM XII.

Technopægnion.

AUSONIUS PAULO *suo salutem.*

Misi ad te technopægnion inertis otii mei inutile opusculum. Versiculi sunt monosyllabis cœpti, et monosyllabis terminati. Nec hic modo stetit scrupea difficultas, sed accessit ad miseriam cogitandi, ut idem monosyllabum quod esset finis extremi versus, principium fieret insequentis. Dic ergo, O mora, et o pœna, rem vanam quippe curavi. Exigua est, et fastiditur inconnexa, et implicatur, cum sit aliquid nihili, vel deprehenditur. Laboravi tamen, ut haberet aut historicon quippiam, aut dialecticon. Nam poeticam, vel
D *sophisticam levitatem necessitas observationis exclusit. Ad summam, non est quod mireris, sed paucis litteris additis, est cujus miserearis, neque æmulari velis : et si huc quoque descenderis, majorem molestiam capias ingenii, et facundiæ detrimento, quam oblectationem imitationis affectu.*

Versus monosyllabis cœpti, et finiti, ita ut a fine versus ad principium recurrant.

Res hominum fragiles alit, et regit, et perimit fors.
Fors dubia, æternumque labans : quam blanda fovet [spes.
Spes nullo finita ævo : cui terminus est mors.
Mors avida, inferna mergit caligine quam nox.
Nox obitura vicem : remeaverit aurea cum lux,

Lux dono concessa deum ; cui prævius est sol.
Sol, cui nec furto Veneris latet armipotens Mars.
Mars nullo de patre satus : quem Thressa colit gens.
Gens infrena virum : quibus in scelus omne ruit fas.
Fas hominem mactare sacris : ferus iste loci mos.
Mos ferus audacis populi : quem nulla tenet lex.
Lex naturali quam condidit imperio jus.
Jus genitum pietate hominum, jus certa Dei mens.
Mens, quæ cœlesti sensu rigat emeritum cor.
Cor vegetum mundi instar habens, animæ vigor, ac [vis.
Vis tamen hic nulla est : verum est jocus et nihili [res.

Ut in vetere verbo est, sequitur ver hyemem, ubi jam similium nugarum subtexo nequitiam, et hi versiculi monosyllabis terminantur, exordio tamen libero, quamquam fine legitimo. Sed laboravi, ut quantum posset videri apud aures indulgentissimas absurda concinerent, insulsa reciperent, hiulca congruerent : denique haberent et amara dulcedinem, et inamœna venerem, et aspera lenitatem. Quæ quidem omnia quoniam insuavis materia devenustat, lectio benigna conciliet. Tu quoque mihi tua crede securior, quippe meliora. Sed, ut quod per adagionem cœpimus, proverbio finiamus, mutuum muli scabunt.

Monosyllabi tantum in fine positi.

Æmula dis, naturæ imitatrix, omniparens ars.
Pacato ut studeat ludus meus, esto operi dux.
Arcta, inamœna licet, nec congrua carminibus lex.
Judice sub tanto fandi tamen accipiet jus.
Quippe et ridiculis data gloria, ni prohibet fors.

De membris.

Indicat in pueris septennia prima novus dens.
Pubentes annos robustior anticipat vox.
Invicta et ventis, et solibus, est hominum frons.
Edurum nervi cum viscere consociant os.
Palpitat irrequies, vegetum, teres, acre, calens cor.
Unde vigent sensus, dominatrix quos vege- [tat mens.
Atque in verba refert modulata lege loquax os.
Quam validum est, hominis quota portio, cæru- [leum fel !
Quam tenue, et molem quantam fert corpo- [ream crus !
Pondere sub quanto nostrum moderatur iter pes !

Inconnexa.

Sæpe in conjugiis fit noxia, si nimia est dos.
Sexus uterque potens, sed prævalet imperio mas.
Qui recte faciet, non qui dominatur, erit rex.
Vexat amicitias, et fœdera dissociat lis.
Incipe, quidquid agas : pro toto est prima ope- [ris pars.
Insinuat cœlo, disque inserit emeritos laus.
Et disciplinis conferta est, et vitiis urbs.
Urbibus in tutis munitior urbibus est arx.
Auro magnus honos. Auri pretium tamen est æs.
Longa dies operosa viro, sed temperies nox.

A Qua caret Æthiopum plaga, pervigil, irre- [quies gens.
Semper ubi æterna vertigine clara nitet lux.

De Deis.

Sunt et cœlicolum monosyllaba. Prima deum Fas,
Quæ Themis est Graiis. Post hanc Rhea, quæ [Latiis Ops.
Tum Jovis et Consi germanus, Tartareus Dis.
Et soror et conjux fratris, regina deum, Vis.
Et qui quadrijugo curru pater invehitur Sol.
Quique truces belli motus ciet armipotens Mars :
Quem numquam pietas, numquam bona sollici- [tat Pax,
Nec cultor nemorum reticebere, Mænalide Pan,
B Nec Genius domuum, Larunda progenitus Lar.
Fluminibusque Italis præpollens sulfureus Nar.
Quæque piat divum perjuria, nocticolor Styx.
Velivolique maris constrator Leuconotos Libs.
Et numquam in dubiis hominum bona desti- [tuens Spes.

De Cibis.

Nec nostros reticebo cibos, quos priscus ha- [bet mos,
Irritamenta quibus additur æquoreum sal.
Olim communis pecori cibus, atque homini glans.
Ante equidem campis quam spicea suppeteret frux.
Mox ador, atque adoris de polline pultificum far.
Instruxit mensas quo quondam Romulidum plebs.
Hinc cibus, hinc potus, cum diluueretur aqua puls.
C Est inter fruges morsu piper æquiparans git.
Et Pelusiaco de semine plana, teres lens.
Et duplici defensa putamine quinquegenus nux.
Quodque cibo et potu placitum, labor acer [apum, mel.
Naturæ liquor iste novæ : cui summa natat fex.

De Historiis.

Solamen tibi, Phœbe, novum dedit OEbalius flos.
Flore alio reus est Narcissi morte sacer fons.
Cædis Adoneæ mala gloria fulmineus sus.
Perjurum Lapitham Junonia ludificat nubs.
Ludit et Æacidem Parnassia Delphicolæ fors.
Treicium Libycum freta Cimmeriumque secat bos.
Non sine Hamadryadis fato cadit arborea trabs.
D Quo generata Venus Saturnia desecuit falx.
Sicca inter rupes Scythicas stetit alitibus crux.
Unde Prometheo de corpore sanguineus ros.
Adspergit cautes, et dira aconita creat cos.
Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.
Æacidæ ad tumulum mactata est Andromachæ glos.
Carcere in Argivo Philopœmena lenta adiit mors.
Tertia opima dedit spoliatus Aremoricus Lars.
Sera venenato potu abstulit Annibalem nex.
Res Asiæ quantas letho dedit immeritas fraus !
Ultrix flagravit de rupibus Euboicis fax.
Stat Jovis ad cyathum, generat quem Darda- [nius Tros.
Præpetibus pennis super aera vectus homo Cres.

Intulit Incestam tibi vim Philomela ferus Thrax.
Barbarus est Lydus, servus Geta, femineus Phryx.
Fallaces Ligures : nullo situs in pretio Car.
Vellera depectit nemoralia vestifluus Ser.
Nota in portentis Thebana tricorporibus Sphinx.
Nota et parvorum cunis muliebre secus Strix.

De vere primo.

Annus ab exortu cum floriparum reserat ver,
Cuncta vigent : nemus omne viret : nitet auri-
[comum rus.
Et fusura umbras radicitus exigitur stirps.
Non denso ad terram lapsu glomerata fluit nix.
Florum spirat odor, Libani ceu montis honor thus.

Per interrogationem et responsionem.

Quis subit in pœnam capitali judicio ? vas.
Quid si lis fuerit nummaria, quis dabitur? præs.
Quis Mirmilloni contenditur? æquimanus Thrax.
Inter virtutes quod nomen Mercurio? fur.
Thuribula, et pateræ, quæ tertia vasa deum? lanx.
Cincta mari quænam tellus creat Hippocratem? Cos.
Grex magis, an regnum Minoida sollicitat? grex.
Quid præter nubem Phæacibus impositum? mons.
Dic, cessante cibo, somno quis opimior est? glis.
Tergora dic clypeis accommoda quæ faciat? glus.
Sponte ablativi casus quis rectus erit? spons.
Quadrupes oscinibus quis jungitur auspiciis? mus.
Quid fluitat pelago, quod non natat in fluvio? pix.
Bissenas partes quis continet æquipares? as.
Tertia defuerit si portio, quod reliquum ? bes.

De litteris monosyllabis Græcis ac Latinis.

Dux elementorum studiis viget in Latiis A.
Et suprema notis adscribitur Argolicis Ω.
Ita quod Æolidum, quodque ε, valeo hoc Latiare E.
Præsto, quod E Latium semper breve, Dorica
[vox E.
Hoc tereti argutoque sono negat Attica gens O.
Ω quod et o Græcum compensat Romula vox O.
Littera sum Iotæ similis, vox plena jubens, I.
Cecropiis ignota notis ferale sonans U.
Pythagoræ bivium ramis pateo ambiguis Y.
Vocibus in Graiis numquam ultima conspicior M.
Zeta jacens, si surgat, erit nota, quæ legitur N.
Mæandrum, flexusque vagos imitata vagor Ξ.
Dividuum Betæ monosyllabon Italicum B.
Non formam, at vocem Deltæ gero Romuleum D. D
Hostilis quæ forma jugi est, hanc efficiet Π.
Ausonium si P scribas, ero Cecropium P.
Et Rho quod Græcum, mutabitur in Latium P.
Malus ut antemnam fert vertice, sic ego sum T.
Spiritus hic, flatu tenuissima vivificans H.
Hæc tribus in Latio tantum addita nominibus K,
Prævaluit postquam Gammæ vice functa prius C,
Atque aliam pro se titulo replicata dedit, Q.
Ansis cincta duabus erit cum Iota, leges Θ.
In Latio numerus denarius, Argolicum X.
Hæc gruis effigies Palamedica porrigitur Φ.
Cappa fui quondam Bœotia, nunc Latium K.
Furca, tricornigera specie, pene ultima sum Ψ.

Grammaticomastix.

Elogodædalia strides modo qui nimium trux,
Frivola condemnas? nequaquam : cum pretio
[est merx,
Ennius ut memorat, replet te lætificum gau.
Livida mens hominum concretum felle coquat pus.
Dic, quid significent catalecta Maronis? in his al
Celtarum posuit, sequitur non lucidius tau.
Et quod germano mixtum male lethiferum min?
Imperium, litem, Venerem, cur una notet res?
Sitne peregrini vox nominis, an Latii fil?
Lintribus in geminis constratus ponto sit, an pons?
Bucolico sepes dixit Maro, cur Cicero seps?
Vox solita, et cunctis notissima, si memores, lac,
Cur condemnetur ratio, magis ut faciat lact?
B An Libyæ ferale malum, sit Romula vox seps?
Si bonus est insons, contrarius, et reus est sons.
Dives opum cur nomen habet Jove de Stygio Dis?
Unde Rudinus ait, Divum domus altisonum cœl?
Et cujus de more, quod adstruit, endo suam do?
Aut de fronde loquens, cur dicit populea frus?
Sed quo progredior? quæ finis, quis modus et calx?
Indulge, Pacate, bonus, doctus, facilis vir.
Totum opus hoc sparsum, crinis velut Antiphi-
[læ ; pax.

IDYLLIUM XIII.

Cento nuptialis.

AUSONIUS PAULINO *salutem.*

Perlege hoc etiam, si operæ est, frivolum, et nullius
C *pretii opusculum : quod nec labor excudit, nec cura limavit : sine ingenii acumine, et moræ maturitate. Centonem vocant qui primi hac concinnatione luserunt. Solæ memoriæ negotium sparsa colligere, et integrare lacerata : quod ridere magis, quam laudare possis. Pro quo, si per sigillaria in auctione veniret, neque Afranius nauci daret, nec Stichum suum Plautus offerret. Piget enim Virgiliani carminis dignitatem tam joculari dehonestasse materia. Sed quid facerem ? Jussum erat : quodque est potentissimum imperandi genus, rogabat, qui jubere poterat, scilicet imperator Valentinianus, vir meo judicio eruditus, qui nuptias quondam ejusmodi ludo descripserat, aptis equidem versibus, et compositione festiva. Experiri deinde volens quantum nostra contentione præcelleret, simile nos de eodem concinnare præcepit. Quam scrupulosum hoc mihi fuerit, intellige. Neque anteferri volebam, neque postha-*
D. D *beri : cum aliorum quoque judicio detegenda esset adulatio inepta, si cederem : insolentia, si ut æmulus eminerem. Suscepi igitur similis recusanti, feliciterque et obnoxius gratiam tenui, nec victor offendi. Hoc die uno et addita lucubratione properatum, modo inter liturarios meos cum reperissem, tanta mihi candoris tui et amoris fiducia est, ut severitati tuæ nec ridenda subtraherem. Accipe igitur opusculum de inconnexis continuum, de diversis unum, de seriis ludicrum, de alieno nostrum : ne in sacris et fabulis, aut Thyonianum mireris, aut Virbium, illum de Dionysio, hunc de Hippolyto reformatum : et si pateris, ut doceam,*

docendus ipse, Cento quid sit, absolvam. Variis de locis, sensibusque diversis quædam carminis structura solidatur, in unum versum ut coeant aut cæsi duo, aut unus et sequens cum medio. Nam duos junctim locare ineptum est, et tres una serie, meræ nugæ. Diffunditur autem per cæsuras omnes, quas recipit versus heroicus: convenire ut possit aut penthemimeris cum reliquo anapæsto, aut trochaice cum posteriore segmento : aut septem semipedes cum anapæstico chorico : aut post dactylum atque semipedem quidquid restat hexametro : simile ut dicas ludicro, quod Græci ὀστομαχίαν vocavere. Ossicula ea sane ad summam XIV *figuras geometricas habent. Sunt enim æquilatera vel triquetra extentis lineis, aut rectis angulis, vel obliquis.* Ἰσοσκελῆ *ipsi, vel,* ἰσόπλουρα *vocant,* ὀρθογώνια *quoque et* σκαληνά. *Harum verticularum variis coagmentis simulantur species mille formarum, elephantus bellua, aut aper bestia, anser volans, et Mirmillo in armis subsidens, venator et latrans canis, quin et turris et cantharus, et alia hujusmodi innumerabilium figurarum, quæ alius alio scientius variegant. Sed peritorum concinnatio miraculum est, imperitorum junctura ridiculum. Quo prædicto scies, quod ego posteriorem imitatus sum. Hoc ergo Centonis opusculum, ut ille ludus tractatur, pari modo sensus diversi, ut congruant, adoptiva quæ sunt, ut cognata videantur, aliena ne interluceant, arcessita ne vim redarguant, densa ne supra modum protuberent, hiulca ne pateant. Quæ si omnia ita tibi videbuntur, ut præceptum est, dices me composuisse centonem, et quia sub imperatore meo tum merui, procedere mihi inter frequentes stipendium jubebis. Sin aliter, cære dirutum facies, ut cumulo carminis in fiscum suum redacto, redeant versus unde venerunt. Vale.*

Accipite hæc animis : lætasque advertite mentes,
Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis :
Ambo florentes, genus insuperabile bello.
Tuque, prior : nam te majoribus ire per altum
Auspiciis manifesta fides. Quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major et armis.
Tuque puerque tuus, magnæ spes altera Romæ,
Flos veterum, virtusque virum, mea maxima cura,
Nomine avum referens, animo, manibusque parentem.
Non injussa cano. Sua cuique exorsa laborem,
Fortunamque ferent : mihi jussa capessere fas est.

Cœna nuptialis.

Exspectata dies aderat; dignisque hymenæis
Matres atque viri, juvenesque ante ora parentum
Conveniunt; stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, onerantque canistris
Dona laboratæ Cereris; pinguisque ferinæ
Viscera tosta ferunt series longissima rerum :
Alituum, pecudumque genus, capreæque sequaces
Non absunt illis, nec oves, hædique petulci,
Et genus æquoreum, damæ, cervique fugaces.
Ante oculos, interque manus sunt mitia poma.
Postquam exempta fames, et amor compressus edendi :
Crateras magnos statuunt, Bacchumque ministrant.
Sacra canunt. Plaudunt choreas : et carmina dicunt.
Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.
At parte ex alia, biforem dat tibia cantum,
Omnibus una quies operum : cunctique relictis
Consurgunt mensis. Per limina læta frequentes
Discurrunt, variantque vices populusque patresque,
Matronæ, pueri, vocemque per ampla volutant
Atria, dependent lychni laquearibus aureis.

Descriptio egredientis sponsæ.

Tandem progreditur Veneris justissima cura,
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis :
Virginis os, habitumque gerens. Cui plurimus ignem
Subjecit rubor; et calefacta per ora cucurrit,
Intentos volvens oculos : uritque videndo.
Illam omnis tectis, agrisque effusa juventus,
Turbaque miratur matrum, vestigia primi
Alba pedis, dederatque comam diffundere ventis.
Fert picturatas auri subtegmine vestes,
Ornatus Argivæ Helenæ : qualisque videri
Cœlicolis, et quanta solet Venus aurea contra :
Talis erat species. Talem se læta ferebat
Ad soceros; solioque alte subnixa resedit.

Descriptio egredientis sponsi.

At parte ex alia foribus sese intulit altis
Ora puer prima signans intonsa juventa,
Pictus acu chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Meliboea cucurrit,
Et tunicam molli mater quam neverat auro :
Os, humerosque deo similis, lumenque juventæ.
Qualis ubi Oceani perfusus Lucifer unda
Extulit os sacrum cœlo, sic ora ferebat,
Sic oculos, cursuque amens ad limina tendit.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus.
Oscula libavit, dextramque amplexus inhæsit.

Oblatio munerum.

Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Dona ferunt, pallam signis, auroque rigentem,
Munera portantes, aurique eborisque talenta,
Et sellam, et pictum croceo velamen acantho.
Ingens argentum mensis, colloque monile
Baccatum, et duplicem gemmis auroque coronam.
Olli serva datur, geminique sub ubere nati.
Quattuor huic juvenes, totidem innuptæque puellæ:
Omnibus in morem tonsa coma, pectore summo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.

Epithalamium utrique.

Tum studio effusæ matres ad limina ducunt.
At chorus æqualis, pueri innuptæque puellæ.
Versibus incomptis ludunt et carmina dicunt.
O digno conjuncta viro, gratissima conjunx,
Sis felix, primos Lucinæ experta labores.
Et mater, Cape Mæonii carchesia Bacchi.
Sparge, marite, nuces; cinge hæc altaria vitta,
Flos veterum, virtusque virum. Tibi ducitur uxor,

Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat : et pulchra faciat te prole parentem.
Fortunati ambo : si quid pia numina possunt.
Vivite felices, dixerunt, currite, fusis,
Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

IDYLLIUM XIV.

Rosæ quas perperam Maroni ascriptas Hieronymus Alexander ex fide vetusti codicis Auctori asseruit.

Ver erat : et blando mordentia frigora sensu
  Spirabat croceo mane revecta dies.
Strictior Eoos præcesserat aura jugales,
  Æstiferum suadens anticipare diem.
Errabam riguis per quadrua compita in hortis,
  Maturo cupiens me vegetare die.
Vidi concretas per gramina flexa pruinas
  Pendere, aut olerum stare cacuminibus :
Caulibus et patulis teretes colludere guttas,
  Et cœlestis aquæ pondere tunc gravidas.
Vidi Pæstano gaudere rosaria cultu,
  Exoriente novo roscida lucifero.
Rara pruinosis canebat gemma frutetis,
  Ad primi radios interitura die.
Ambigeres, raperet ne rosis aurora ruborem,
  An daret, et flores tingeret orta dies.
Ros unus, color unus, et unum mane duorum.
  Sideris, et floris nam domina una Venus.
Forsan et unus odor : sed celsior ille per auras
  Diffluit : exspirat proximus iste magis.
Communis Paphie dea sideris, et dea floris,
  Præcipit unius muricis esse habitum.
Momentum intererat : quo se nascentia florum
  Germina comparibus dividerent spatiis.
Hæc viret angusto foliorum tecta galero :
  Hanc tenui folio purpura rubra notat.
Hæc aperit primi fastigia celsa obelisci,
  Mucronem absolvens purpurei capitis.
Vertice collectos illa exsinuabat amictus,
  Jam meditans foliis se numerare suis.
Nec mora : ridentis calathi patefecit honorem,
  Prodens inclusi semina densa croci.
Hæc modo, quæ toto rutilaverat igne comarum,
  Pallida collapsis deseritur foliis.
Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
  Et dum nascuntur, consenuisse rosas.
Ecce et defluxit rutili coma punica floris,
  Dum loquor : et tellus tecta rubore micat.
Tot species, tantosque ortus, variosque novatus
  Una dies aperit : conficit una dies.
Conquerimur, Natura, brevis quod gratia florum est,
  Ostentata oculis illico dona rapis.
Quam longa una dies, ætas tam longa rosarum,
  Quas pubescentes juncta senecta premit.
Quam modo nascentem rutilus conspexit Eous,
  Hanc rediens sero vespere vidit anum.
Sed bene, quod paucis licet interitura diebus,
  Succedens ævum prorogat ipsa suum.
Collige, virgo, rosas, dum flos novus, et nova pubes,
  Et memor esto ævum sic properare tuum.

IDYLLIUM XV.

Ex Græco, Pythagoricon de Ambiguitate eligendæ vitæ.

A Quod vitæ sectabor iter? si plena tumultu
Sunt fora : si curis domus anxia : si peregrinos
Cura domus sequitur : mercantem si nova semper
Damna manent : cessare vetat si turpis egestas :
Si vexat labor agricolam, mare naufragus horror
Infamat : pœnæque graves in cœlibe vita,
Et gravior cautis custodia vana maritis.
Sanguineum si Martis opus : si turpia lucra
Fenoris, et velox inopes usura trucidat?
Omne ævum curæ : cunctis sua displicet ætas.
Sensus abest parvis lactantibus : et puerorum
Dura rudimenta, et juvenum temeraria pubes.
Afflictat fortuna viros per bella, per æquor,
B Irasque, insidiasque, catenatosque labores
Mutandos semper gravioribus. Ipsa senectus
Exspectata diu, votisque optata malignis,
Objicit innumeris corpus lacerabile morbis.
Spernimus in commune omnes præsentia, quosdam
Constat nolle deos fieri. Juturna reclamat,
Quo vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? sic Caucasea sub rupe Prometheus
Testatur Saturnigenam, nec nomine cessat
Incusare Jovem, data sit quod vita perennis.
Respice et ad cultus animi, sic nempe pudicum
C Perdidit Hippolytum noa felix cura pudoris.
At contra illecebris maculosam ducere vitam
Quem juvat, aspice et ad pœnas, et crimina regum.
Tereos incesti, vel mollis Sardanapali.
C Perfidiam vitare monent tria Punica bella :
Sed prohibet servare fidem deleta Saguntos.
Vive, et amicitias semper cole. Crimen ob istud
Pythagoreorum periit schola docta sophorum.
Hoc metuens igitur, nullas cole. Crimen ob istud
Timon Palladiis olim lapidatus Athenis.
Dissidet ambiguis semper mens obvia votis,
Nec voluisse homini satis est. Optata recusat.
Esse in honore placet, mox pœnitet, et dominari
Ut possit, servire volet. Idem auctus honore,
Invidiæ objicitur : pernox est cura disertis ;
Sed rudis ornatu vitæ caret. Esto patronus,
Et defende reos : sed gratia rara clientis.
Esto cliens : gravis imperii persona patroni.
Exercent hunc vota patrum. Mox aspera curis
D Sollicitudo subit. Contemnitur orba senectus,
Et captatoris præda est hæredis egenus.
Vitam parcus agas : avidi lacerabere fama.
At largitorem gravius censura notabit.
Cuncta sibi adversis contraria casibus. Ergo
Optima Graiorum sententia : quippe homini aiunt
Non nasci esse bonum, natum aut cito morte potiri.

IDYLLIUM XVI.

De viro bono. Πυθαγορικὴ ἀκρόασις.

Vir bonus, et sapiens, qualem vix repperit unum
Millibus e multis hominum consultus Apollo,
Judex ipse sui, totum se explorat ad unguem.
Quid proceres, vanique ferat quid opinio vulgi,
Securus, mundi instar habens, teres, atque rotundus :

Externæ ne quid labis per levia sidat.
Ille, dies quam longus erit sub sidere Cancri,
Quantaque nox tropico se porrigit in Capricorno,
Cogitat, et justo trutinæ se examine pendit,
Ne quid hiet, ne quid protuberet, angulus æquis
Partibus ut coeat, nil ut deliret amussis.
Sit solidum quodcumque subest ; nec inania subter
Indicet admotus digitis pellentibus ictus.
Non prius in dulcem declinat lumina somnum,
Omnia quam longi reputaverit acta diei.
Quæ prætergressus? quid gestum in tempore? quid [non?
Cur isti facto decus adfuit; aut ratio illi?
Quid mihi præteritum? cur hæc sententia sedit,
Quam melius mutare fuit? miseratus egentem,
Cur aliquem fracta persensi mente dolorem?
Quid volui, quod nolle bonum foret? utile honesto
Cur malus antetuli? num dicto, aut denique vultu
Perstrictus quisquam? cur me natura magis, quam
Disciplina trahit? Sic dicta et facta per omnia
Ingrediens, ortoque a vespere cuncta revolvens,
Offensus pravis, dat palmam et præmia rectis.

IDYLLIUM XVII.

ΝΑΙ᾽ *καὶ* Ο᾽Υ. *Πυθαγορικόν.*

Est et Non; cuncti monosyllaba nota frequentant.
His demptis, nihil est, hominum quod sermo volutet,
Omnia in his, et ab his sunt omnia, sive negoti
Sive oti quidquam est, seu turbæ, sive quietis.
Alterutro pariter nonnumquam, sæpe seorsis
Obsistunt studiis : ut mores, ingeniumque
Vel faciles, vel difficiles contentio nacta est.
Sin consentitur, mora nulla, intervenit, Est, Est.
Sin controversum, dissensio subjiciet, Non.
Hinc fora dissultant clamoribus : hinc furiosi
Jurgia sunt Circi : cuneati hinc læta theatri
Seditio; et tales agitat quoque curia lites.
Conjugia, et nati cum patribus, ista quietis
Verba serunt studiis, salva pietate loquentes.
Hinc etiam placitis schola consona disciplinis
Dogmaticas agitat placido certamine lites.
Hinc omnis certat dialectica turba sophorum,
Est lux, estne dies ergo? non convenit isthuc.
Nam facibus multis, aut fulguribus quotiens lux
Est nocturna homini, non est lux ista diei.
Est et Non igitur, quotiens lucem esse fatendum est,
Sed non esse diem. Mille hinc certamina surgunt :
Hinc pauci, multi quoque talia commeditantes
Murmure concluso rabiosa silentia rodunt.

A Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba versant!

IDYLLIUM XVIII.

De ætatibus animalium Hesiodion.

Ter binos deciesque novem super exit in annos,
Justa senescentum quos implet vita virorum.
Hos novies superat vivendo garrula cornix :
Et quater egreditur cornicis sæcula cervus.
Alipedem cervum ter vincit corvus : et illum
Multiplicat novies Phœnix, reparabilis ales.
Quam vos perpetuo decies prævertitis ævo
Nymphæ Hamadryades : quarum longissima vita est.
Hi cohibent fines vivacia fata animantum.
Cætera secreti novit deus arbiter ævi
Tempora : quæ Stilbon volvat, quæ sæcula Phænon,
B Quos Pyrois habeat, quos Jupiter igne benigno
Circuitus : quali properet Venus alma recursu :
Qui Phœben, quanti maneant Titana labores.
Donec consumpto, Magnus qui dicitur, anno
Rursus in antiquum veniant vaga sidera cursum :
Qualia dispositi steterant ab origine mundi.

IDYLLIUM XIX.

Monosticha de ærumnis Herculis.

Prima Cleonæi tolerata ærumna Leonis.
Proxima Lernæam ferro et face contudit hydram,
Mox Erymantheum vis tertia perculit aprum.
Æripedis quarto tulit aurea cornua cervi.
Stymphalidas pepulit volucres discrimine quinto.
Threiciam sexto spoliavit Amazona baltheo.
Septima in Augeæ stabulis impensa laboris.
C Octava expulso numeratur adorea tauro.
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone exstincto decimam dat Hiberia palmam.
Undecimo mala Hesperidum destricta triumpho.
Cerberus extremi suprema est meta laboris.

IDYLLIUM XX.

Musarum inventa et munera.

CLIO gesta canens, transactis tempora reddit.
MELPOMENE tragico proclamat mœsta boatu.
Comica lascivo gaudet sermone THALIA.
Dulciloquos calamos EUTERPE flatibus urget. [get.
TERPSICHORE affectus citharis movet imperat, au-
Plectra gerens ERATO, saltat pede, carmine, vultu.
Carmina CALLIOPE libris heroica mandat.
D URANIE cœli motus scrutatur, et astra.
Signat cuncta manu, loquitur POLYHYMNIA gestu.
Mentis Apollineæ vis has movet undique Musas.
In medio residens complectitur omnia Phœbus.

ECLOGARIUM.

De ratione Libræ.

Miraris quicumque manere ingentia mundi
Corpora, sublimi cœli circumdata gyro,
Et tantæ nullam moli intercedere labem :
Accipe quod mirere magis. Tenuissima tantis
Principia, et nostros non admittentia visus,
Parvarum serie constat connexa atomorum.
Sed solidum in parvis, nullique secabile segmen,
Unde vigor viresque manent, æternaque rerum
Mobilitas : nulloque umquam superabilis ævo.
Divinis humana licet componere. Sic est
As solidus, quoniam bis sex de partibus æquis
Constat : et in minimis paribus tamen una manet vis.
Nam si quid numero minuatur, summa vacillat,

Convulsæque ruunt labefacto corpore partes :
Ut medium si quis vellat de fornice saxum,
Incumbunt cui cuncta, simul devexa sequentur
Cætera, communemque trahent a vertice lapsum.
Non aliter libra est. Si defuit uncia, totus
Non erit as : nomenque deunx jam cassus habebit.
Nec dextans retinet nomen, sextante remoto.
Et dodrans, quadrante satus, auctore carebit.
Divulsusque triens prohibet persistere bessem.
Jam quincunx tibi nullus erit, si prima revellas.
Et semis, cui semis erit pereuntibus assis
Partibus, et cujus libræ pars septima, septunx?
Libra igitur, totum si nulla in parte vacillet. [rum
Ponderis, et numeri, morumque, operumque, et aqua-
Libra : nec est modulus, quem non hoc nomine signes.
Telluris, medio quæ pendet in aere, libra est.
Et Solis Lunæque vias sua libra coercet.
Libra dii, somnique pares determinat horas.
Libra Caledonios sine littore continet æstus.
Tu quoque certa mane morum mihi libra meorum.

De ratione puerperii maturi.

Omnia, quæ vario rerum metimur in actu,
Astrorum dominatus agit, terrenaque tantum
Membra homini, e superis fortuna, et spiritus auris,
Septeno moderanda choro : sed præsidet ollis
Sortitus regimen nitidæ sol aureus æthræ.
Nec sola in nobis moderatur tempora vitæ,
Dum breve sollicitii spatium producimus ævi :
Creditur occultosque satus, et tempora vitæ
Materno ducenda utero, formare videndo,
Et nondum exortæ leges componere vitæ.
Namque ubi conceptus genitali insederit alvo,
Haud dubium solem cuicumque insistere signo.
Qui cum vicini stationem ceperit astri,
Contiguos nullum transfundit lumen in ortus.
Ast ubi conversis post menstrua tempora habenis,
Scandit purpureo jam tertia sidera curru :
Obliqua exilem dimittit linea lucem,
Aspirans tenues per inertia pondera motus.
Quarta in sede viget primi indulgentia solis.
Suadet et infusus teneros coalescere fœtus.
Fulgor tetragono aspectu vitale coruscat,
Clarum et lene micans : quinti qui cardine signi
Incutit attonitam vegetato infante parentem.
Nam sexto vis nulla loco : quia nulla tuendi
Æquati lateris signatur regula Phœbo.
Ast ubi signiferæ media in regione cohortis
Septimus accepit limes rutilantia flammis
Recto castra situ : turgentis fœdera partus
Jam plena sub luce videt : nec fulgura parci
Luminis intendens, toto favet igne coronæ.
Hinc illud, quod legitimos Lucina labores
Prævenit; et gravidos sentit subrepere nixus
Ante exspectatum festina puerpera votum.
Quod nisi, septeno cum lumina fudit ab astro,
Impulerit tardi claustra obluctantia partus ;
Posterior nequeat, possit prior : an quia sexto
Æmulus octavi conspectus inutilis astri
A Nescit compariles laterum formare figuras?
Sed nono incumbens signo, cunctantia matrum
Vota levat, trigono vires sociante sequenti.
At si difficilis trahit Ilythyia
Tetragono absolvet dubiarum vincla morarum.

Signa cœlestia.

Ad Boreæ partes Arcti junguntur, et Anguis.
Post has Arctophylax, pariterque Corona, Genuque
Prolapsus, Lyra, Avis, Cepheus, et Cassiopea,
Auriga, et Perseus, Deltoton, et Andromedæ astrum,
Pegasus, et Delphinus, Telum, Aquila, Anguitenens-
Signifer inde subest : bis sex et sidera complent. [que.
Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
B Libra, Scorpius, Arcitenens, Capricornus, et Urnam
Qui tenet, et Pisces. Post hos in partibus Austri
Orion, Procyon, Lepus, ardens Sirius, Argo,
Hydrus, Chiron, Turibulum quoque, Piscis et ingens.
Hunc sequitur Pistrix, simul Eridanique fluenta.
Sed vaga præterea dicuntur lumina septem,
Luna et Mercurius, Venus, ac Sol, Mars quoque ful-
Hic Jovis et sidus super omnia sidera lucens. [gens.
Celsior his Saturnus, tardior omnibus astris.

Ratio dierum anni vertentis.

Nonaginta dies et quatuor, ac medium Sol
Conficit, a tropico in tropicum dum permeat astrum,
Octipedem in Cancrum Phryxeo ab Ariete pergens.
Hoc spatio æstivi pulsusque, et meta diei.
C Semidiemque, duosque dies, deciesque novenos,
A Cancro in Chelas, æquatæ tempora noctis
Atque dii, cursu peragit Sol aureus altero,
Autumni æstatisque simul confinia miscens.
Unde autumnales transcurrens ordine menses,
Ad tropicum pergit signum gelidi Capricorni,
Octo dies decies octonis insuper addens,
Quadrantemque dii : quinto qui protinus anno
Mense Numæ extremo nomen capit embolimæi.
Inde ad Agenorei festinans cornua tauri,
Scandit Lanigeri tropicum Sol aureus astrum,
Nonaginta dies decreto fine coercens.
Hic tibi circus erit semper vertentibus annis,
Tercentum, ac senis decies et quinque diebus.

D *De nominibus septem dierum.*

Nomina, quæ septem vertentibus apta diebus
Annus habet, totidem errantes fecere planetæ.
Quos indefessa volvens vertigine Mundus
Signorum obliqua jubet in statione vagari.
Primum, supremumque diem radiatus habet Sol.
Proxima fraternæ succedit Luna coronæ.
Tertius assequitur Titania lumina Mavors.
Mercurius quarti sibi vendicat astra diei.
Illustrant quintam Jovis aurea sidera zonam.
Sexta salutigerum sequitur Venus alma parentem.
Cuncta supergrediens Saturni septima lux est.
Octavum instaurat revolubilis orbita Solem.

Hic versus sine auctore est. Quid quoque die demi de corpore oporteat.

Ungues Mercurio, barbam Jove, Cypride crines.

Hoc sic refellendum.

Mercurius furti probat ungues semper acutos,
Articulisque aciem non sinit imminui.
Barba Jovi, crines Veneri decor : ergo necesse est,
Ut nolint demi, quo sibi uterque placet.
Mavors imberbes, et calvos Luna adamasti.
Non prohibent comi tum caput atque genas.
Sol et Saturnus nihil obstant unguibus, ergo
Non placitum Divis tolle monostichium.

De mensibus, et quatuor anni temporibus.

Æternos menses, et tempora quattuor anni,
Quattuor ista tibi subjecta monosticha dicent.
Martius, Aprilis, Maius sunt tempora veris.
Julius, Augustus, nec non et Junius, æstas.
Septembri, Octobri autumnus, totoque Novembri.
Brumales, Janus; Februarius, atque December.

De mensibus monostichā.

Primus Romanas ordiris Jane Kalendas.
Februa vicino mense Numa instituit.
Martius antiqui primordia protulit anni.
Fœtiferum Aprilem vindicat alma Venus.
Majorum dictus patrum de nomine Maius.
Junius ætatis proximus est titulo.
Nomine Cæsareo Quinctilem Julius auget.
Augustus nomen Cæsareum sequitur.
Autumnum Pomona tuum, September, opimat.
Triticeo October fenore ditat agros.
Sidera præcipitas pelago, intempeste November.
Tu genialem hiemem, feste December agis.

Disticha de iisdem mensibus.

Jane nove, primo qui das tua nomina mensi,
Jane bifrons, spectas tempora bina simul.
Post superum cultus, vicino Februa mense
Dat Numa cognatis Manibus inferias.
Martius et generis Romani præsul, et anni,
Prima dabas Latiis tempora consulibus.
Æneadum genetrix vicino nomen Aprili
Dat Venus, est Marti namque Aphrodita comes.
Maia dea, an major, Mai, te fecerit ætas,
Ambigo : sed mensi est auctor uterque bonus.
Junius hunc sequitur duplici celebrandus honore,
Seu nomen Juno, sive Juventa dedit.
Inde Dionæo præfulgens Julius astro,
Æstatis mediæ tempora certa tenet.
Augustus sequitur cognatum a Cæsare nomen :
Ordine sic anni proximus, ut generis.
Nectuntur post hos, numerumque ex ordine signant:
September, Bacchi munere præla rigans :
Et qui sementis per tempora, fenore lætus,
October, cupidi spem fovet agricolæ :
Quique salo mergens solemnia signa November
Præcipitat, cœlo mox reditura suo.
A Concludens numerum genialia festa December
Finit, ut a bruma mox novus annus eat.

Quoteni dies sint mensium singulorum.

Implent tricenas per singula menstrua luces
Junius, Aprilisque, et cum Septembre November.
Unum ter denis cumulatius adde diebus
Per septem menses, Jani Martisque Kalendis,
Et quas Maius agit, quas Julius, Augustusque,
Et quas October, positusque in fine December.
Unus erit tantum duodetriginta dierum,
Quem Numa præposito voluit succedere Jano.
Sic tercentenis decies accedere senos,
Quadrantemque, et quinque dies sibi computat annus.

B *De tribus menstruis mensium.*

Bis senas anno reparat Lucina Kalendas:
Et totidem medias dat currere Jupiter Idus.
Nonarumque diem faciunt infra octo secundi.
Hæc sunt Romano tantum tria nomina mensi,
Cætera per numeros sunt cognomenta dierum.

Quo mense quotæ Nonæ, vel Idus sint.

At Nonas modo quarta aperit, modo sexta refert lux.
Sexta refert Maii, Octobris, Martisque recursu,
Et qui solstitio sua tempora Julius infert.
Cætera pars mensium quartis est prædita Nonis.
Omnes vero Idus octava luce recurrunt.

C *Quotæ Kalendæ sint mensium singulorum.*

Post Idus, quas quisque suas habet ordine mensis,
Diversæ numero redeunt variante Kalendæ,
. . . . . Dum rursumque iterumque vocantur,
Ut tandem optati procedant temporis ortu.
Ter senis, unoque die genialia festa
Porrigit, ut Janum arcessat nova bruma morantem.
Hoc numero mensisque Numæ redit, autumnique
Principium referens Bacchi September alumnus.
Julius, et Maius, positusque in fine December,
Octoberque die revocatur tardius uno.
Inde die redeunt minus uno quattuor ultra,
Quos numero adjiciam, Sextilis, Junius atque
Aprilis, post quos penultima meta November.
Ter quinis, unoque die Junonie Mavors,
D Ut redeas, referasque exordia prima, cieris.
Hoc numero, ad plenum vertens reparabitur annus.

In quo mense quod signum sit ad cursum Solis.

Principium Jani sancit tropicus Capricornus.
Mense Numæ in medio solidi stat fidus Aquari.
Procedunt duplices in Martia tempora Pisces.
Respicis Apriles, Aries Phryxee, Kalendas.
Majus Agenorei miratur cornua Tauri.
Junius æquatos cœlo videt ire Laconas.
Solstitio ardentis Cancri fert Julius astrum.
Augustum mensem Leo fervidus igne perurit.
Sidere Virgo tuo Bacchum September opimat.
Æquat et October sementis tempore Libram.

Scorpion hibernus præceps jubet ire November.
Terminat Arcitenens medio sua signa Decembri.

Q. Ciceronis versus eo pertinent, ut quod signum quo tempore illustre sit, noverimus : quod superius quoque nostris versibus expeditur.

Flumina verna cient obscuro lumine Pisces.
Curriculumque Aries æquat noctisque diique.
Cornua quem comunt florum prænuntia Tauri.
Aridaque æstatis Gemini primordia pandunt.
Longaque jam minuit præclarus lumina Cancer.
Languificusque Leo proflat ferus ore calores.
Post, modicum quatiens Virgo fugat orta vaporem.
Autumni reserat portas æquatque diurna
Tempora nocturnis dispenso sidere Libra.
Et fetos ramos dinudat flamma Nepai.
Pigra Sagittipotens jaculatur frigora terris.
Bruma gelu glacians jubare spirat Capricorni.
Quam sequitur nebulas rorans liquor altus Aquari :
Tenta supra, circaque vigent ubi flumina mundi.
At dextra, lævaque ciet rota fulgida Solis
Mobile curriculum, et Lunæ simulacra feruntur.
Squama sub æterno conspectu torta Draconis
Eminet. Hunc inter fulgentem sidera septem
Magna quatit stellans : quam servans serus in alta
Conditur Oceani ripa cum luce Bootes.

A Solstitio in æquinoctium ratio.

Sol profectus a teporo veris æquinoctio,
Post semidiem postque totos nonaginta et quatuor,
Fervidis flagrans habenis pulsum æstivum conficit.
Inde Autumnus noctis horas librans æquo lumine,
Octo et octoginta gœris, et super trihorio.
. . . . . .
Inde floridum reflexis ver revisit oreis
Additis ad hos priores gœros geminis orbibus.

De Feriis Romanis.

Nunc et Apollineos Tiberina per ostia ludos,
Et Megalesiacæ matris operta loquar.
Vulcanique dies autumni exordia primi,
Quinquatrusque Deæ Pallados expediam :
Et medias Idus, Maii, Augustique recursu,
Quas sibi Mercurius, quasque Diana dicat.
Matronæ quæ sacra colant pro laude virorum,
Mavortis primi cum rediere dies.
Festa Caprotinis memorabo celebria nonis.
Cum stola matronis dempta teget famulas.
Quattuor illa etiam discretis partibus anni
Solstitia, et luces nocte, dieque pares.
Nec Regifugium pulsis ex urbe tyrannis,
A Lætum Romanis fas reticere diem.
Visne Opis ante sacrum, vel Saturnalia dicam,
Festaque servorum, cum famulantur heri ?
Et numquam certis redeuntia festa diebus,
Compita per vicos cum sua quisque colit ?
Aut duplicem cultum, quem Neptunalia dicunt,
Et quem de Conso consiliisque vocant ?
Festa hæc, navigiis, aut quæ celebrata quadrigis,
Jungunt Romanos finitimosque duces ?
Adjiciam cultus, peregrinaque sacra deorum,
Natalem Herculeum, vel ratis Isiacæ :
Nec non lascivi Floralia læta theatri,
Quæ spectare volunt, qui voluisse negant.
Nunc etiam veteres celebrantur Equiria ludi.
Prima hæc Romanus nomina Circus habet.
B Et Dionysiacos Latio cognomine ludos
Roma colit, Liber quæ sibi vota dicat.
Ædiles plebeii etiam, ædilesque curules
Sacra Sigillorum nomine dicta colunt.
Et gladiatores funebria prælia notum
Decertasse foro : nunc sibi arena suos
Vendicat : extremo qui jam sub fine Decembris
Falcigerum placant sanguine Cæligenam.

De lustralibus agonibus.

Quattuor antiquos celebravit Achaia ludos.
Cælicolum duo sunt, et duo festa hominum.
Sacra Jovis, Phœbique, Palæmonis, Archemorique :
Serta quibus pinus, malus, oliva, apium.

C

De locis agonum.

Prima Jovi magno celebrantur Olympia Pisæ.
Parnassus Clario sacravit Pythia Phœbo.
Isthmia Portuno bimaris dicat acta Corinthi.
Archemori Nemeæa colunt funebria Thebæ.

De auctoribus agonum.

Primus Olympiacæ sacravit festa coronæ
Jupiter Argivi stadia ad longissima Circi.
Proximus Alcides Nemeæ sacravit honorem.
Hæc quoque temporibus quinquennia sacra notandis
Isthmia Neptuno data sunt, et Pythia Phœbo,
Ancipiti cultu divorum hominumque sepultis.

D *Quod iidem, qui sacri agones sunt, et funebres ludi habeantur.*

Tantalidæ Pelopi mœstum dicat Elis honorem.
Archemori Nemeæa colunt quinquennia Thebæ.
Isthmia defuncto celebrata Palæmone, notum.
Pythia placando Delphi statuere Draconi.

EPISTOLARUM LIBER.

EPISTOLA I.

AUSONIUS *ad* PATREM *de suscepto filio.*

Credideram nil posse meis affectibus addi,
Quo, venerande pater, diligerere magis.
Accessit (grates superis, medioque nepoti,
Bina dedit nostris qui juga nominibus.
Ipse nepos te fecit avum : mihi filius idem,
Et tibi ego : hoc nato nos sumus ambo patres.
Nec jam sola mihi pietas mea suadet amorem :

Nomine te gemini jam genitoris amo.)
Accessit titulus, tua quo reverentia crescat :
Quo doceam natum, quid sit amare patrem.
Quippe tibi æquatus videor, quod parvulus isto
Nomine honoratum me quoque nobilitat :
Atque ætas quia nostra eadem : nam supparis ævi
Sum tibi ego, et possum fratris habere vicem.
Nec tantum nostris spatium interponitur annis,
Quanta solent alios tempora dividere.
Vidi ergo natales fratrum distare tot annis,
Quot nostros. Ævum nomina non onerant.
Pulchra juventa tibi senium sic jungit, ut ævum,
Quod prius est, maneat : quod modo, ut incipiat.
Et placuisse reor geminis ætatibus, ut se
Non festinato tempore utraque daret.
Leniter hæc flueret, hæc non properata veniret,
Maturam frugem flore manente ferens.
Annos me nescire tuos, pater optime, testor :
Totque putare tuos, quot reor esse meos.
Nesciat hoc natus, numeret properantior hæres,
Testamenta magis, quam pia vota fovens ;
Exemploque docens pravo juvenescere natos,
Ut nolint patres se quoque habere senes.
Verum ego primævo genitus genitore, fatebor
Supparis hæc ævi tempora grata mihi.
Debeo, quod natus. Suadet pia cura nepotis,
Addendum patri, quo veneremur avum.
Tu quoque, mi genitor, geminata vocabula gaude,
Nati primævi nomine factus avus.
Exiguum, quod avus. Faveant pia numina divum,
Deque nepote suo fiat avus proavus.
Largius et poterunt producere fata senectam :
Sed rata vota reor, quæ moderata magis.

EPISTOLA II.

Pater ad filium; cum temporibus tyrannicis ipse Treveris remansisset, et filius a patre profectus esset. Hoc inchoatum neque impletum sic de literariis scriptum.

Debeo et hanc nostris, fili dulcissime, curis
Historiam : quamquam titulo non digna sereno
Anxia mœstarum fuerit querimonia rerum.
Jam super egelidæ stagnantia terga Mosellæ
Protulerat te, nate, rates : mœstique parentis
Oscula et amplexus discreverat invidus amnis.
Solus ego ; et quamvis cœtu celebratus amico,
Solus eram ; profugæque dabam pia vota carinæ,
Solus adhuc te, nate, videns : celerisque remulci
Culpabam properos adverso flumine cursus.
Quis fuit ille dies? non annus longior ille est,
Attica quem docti collegit cura Metonis.
Desertus, vacuis solisque exerceor Aris.
Nunc ego pubentes salicum deverbero frondes :
Gramineos nunc frango toros : viridesque per ulvas
Lubrica substratis vestigia libro lapillis.
Sic lux prima abiit; sic altera meta diei ;
Sic geminas alterna rotat vertigo tenebras,
Sic alias : totusque mihi sic annus abibit,
Restituant donec tua me tibi fata parentem.
Hæc ego conditione licet, vel morte paciscar :
A Dum decores suprema patris, tu nate, supersies.

EPISTOLA III.

AUSONIUS HESPERIO.

Qualis Picenæ populator turdus olivæ
Clunes opimat cereas :
Vel qui lucentes rapuit de vitibus uvas,
Pendetque nexus retibus :
Quæ vespertinis fluitant nebulosa sub horis,
Vel mane tenta roscido :
Tales hibernis ad te de sepibus, ipsos
Capi volentes, misimus,
Bis denos : tot enim crepero sub lucis Eoæ
Præceps volatus intulit.
Tum quas vicinæ suggessit præda lacunæ,
B Anates maritas junximus,
Remipedes, lato populantes cærula rostro,
Et crure rubras punico.
Iricolor vario pinxit quas pluma colore,
Collum columbis æmulas.
Defrudata meæ non sunt hæc fercula mensæ.
Vescente te, fruimur magis.
Vale bene, ut valeam.

EPISTOLA IV.

AUSONIUS, *cujus ferulam nunc sceptra verentur, Paganum medulis jubeo salvere* THEONEM.

Quid geris, extremis positus telluris in oris,
Cultor arenarum vates? cui littus arandum,
Oceani finem juxta, solemque cadentem :
C Vilis arundinis cohibet quem pergula tectis :
Et tingit piceo lacrymosa colonica fumo.
Quid rerum, Musæque gerunt, et cantor Apollo?
Musæ non Helicone satæ, nec fonte caballi :
Sed quæ fecundo de pectore Clementini
Inspirant vacuos aliena mente poetas.
Jure quidem : nam quis malit sua carmina dici,
Qui te securo possit proscindere risu?
Hæc quoque ne nostrum possint urgere pudorem,
Tu recita : et vere poterunt tua dicta videri.
Quam tamen exerces Medulorum in littore vitam?
Mercatusne agitas, leviore nomismate captans,
Insanis quod mox pretiis gravis auctio vendat?
Albentes sevi globulos, et pinguia ceræ
Pondera, Naryciamque picem, scissamque papyrum,
D Fumantesque olim paganica lumina tædas?
An majora gerens, tota regione vagantes
Persequeris fures, qui te, postrema timentes,
In partem, prædamque vocent? Tu mitis, et osor
Sanguinis humani condonas crimina nummis,
Erroremque vocas, pretiumque imponis abactis
Bobus, et in partem scelerum de judice transis?
An cum fratre vagos dumeta per avia cervos
Circumdas maculis, et multa indagine pinnæ?
Aut spumantis apri cursum clamoribus urges,
Subsidisque fero? moneo tamen, usque recuses
Stringere fulmineo venabula cominus hosti.
Exemplum de fratre time, qui veste reducta
Ostentat fœdas prope turpia membra lacunas,

Perfossasque nates vicino podice nudat.
Inde ostentator volitat : mirentur ut ipsum
Gedippa, Ursinusque suus, prolesque Jovini,
Taurinusque, ipsum priscis heroibus æquans :
Qualis in Olenio victor Calidonius apro,
Aut Erymantheo pubes fuit Attica monstro.
Sed tu parce feris venatibus, et fuge nota
Crimina silvarum : ne sis Cinyreia proles,
Accedasque iterum Veneri plorandus Adonis.
Sic certe crinem flavus, niveusque lacertos,
Cæsariem rutilam per candida colla refundis :
Pectore sic tenero, plana sic junceus alvo,
Per teretes feminum gyros, surasque nitentes
Descendis, talos a vertice pulcher ad imos.
Qualis floricoma quondam populator in Ætna,
Virgineas inter choreas Deoida raptam
Sustulit emersus stygiis fornacibus Orcus.
An quia venatus ob tanta pericula vitas,
Piscandi traheris studio? nam tota supellex
Dumnotini tales solita est ostendere gazas :
Nodosas vestes animantum Nerinorum,
Et jacula, et fundas, et nomina villica lini,
Colaque, et indutos terrenis vermibus hamos.
Iis opibus confise tumes? domus omnis abundat
Littoreis dives spoliis, referuntur ab unda
Carroco, letalis trygon, mollesque platessæ,
Urentes thynni, et male tecti spina elegati,
Nec duraturi post bina trihoria corvi.
An te carminibus juvat incestare canoras
Mnemosynes natas, aut tres, aut octo sorores?
Et quoniam huc ventum, si vis cognoscere, quid sit
Inter doctrinam, deridendasque Camenas :
Accipe congestas mysteria frivola nugas,
Quas tamen explicitis nequeas dependere chartis,
Scillite decies non si purgeris aceto,
Anticipesque tuo Samii Lucumonis acumen :
Aut adsit interpres tuus,
Ænigmatum qui cognitor
Fuit meorum : cum tibi
Cadmi nigellas filias,
Melonis albam filiam,
Notasque furvæ sepiæ,
Cuidiosque nodos prodidit.
Nunc adsit : et certe modo
Præsul creatus litteris,
Enucleabit protinus,
Quod militantes scribimus.
Notos fingo tibi poeta versus :
Quos scis hendecasyllabos vocari :
Sed nescis modulis tribus moveri.
Istos composuit Phalæcus olim,
Qui penthemimerin habent priorem :
Et post semipedem duos iambos.
Sunt quos hexametri creant revulsi :
Ut penthemimeris prior locetur.
Tum quod bucolice tome relinquit.
Sunt et quos generat puella Sappho :
Quos primus regit Hippius secundus :
Ut claudat Choriambon Antibacchus.

Sed jam non poteris, Theon, doceri :
Nec fas est mihi regio magistro
Plebeiam numeros docere pulpam.
Verum protinus ede, quod requiro.
Nil quæro, nisi quod libris tenetur :
Et quod non opicæ tegunt papyri.
Quas si solveris, o poeta, nugas,
Totam trado tibi simul Vacunam,
Nec jam post metues ubique dictum,
Hic est ille Theon poeta falsus,
Bonorum mala carminum taberna.

EPISTOLA V.

AUSONIUS *Salve caro mihi dico* THEONI,
Versibus experiens quod volo, quodve queror.

Tertia fissipedes renovavit Luna juvencas,
Ut fugitas nostram, dulcis amice, domum.
Nonaginta dies sine te, charissime, traxi :
Huc adde æstivos : hoc mihi pene duplum est.
Vis novies denos dicam, deciesque novenos
Isse dies? anni portio quarta abiit.
Sexaginta horas super et duo millia centum
Te sine consumpsi : quo sine et hora gravis.
Millia bis nongenta jubet demensio legum
Annumerata reos per tot obire dies.
Jam potui Romam pedes ire, pedesque reverti,
Ex quo te dirimunt millia pauca mihi.
Scirpea Domnotoni tanti est habitatio vati?
Pauliacus tanti non mihi villa foret.
An quia per tabulam medico pugnante notatam,
Debita summa mihi est; ne repetamus, abes?
Bis septem rutilos regale nomisma Philippos,
Ne tanti fuerint, perdere malo, Theon :
Implicitum quam te nostris interne medullis
Defore tam longi temporis in spatio.
Ergo aut prædictos jam nunc rescribe Darios;
Et redime, ut mora sit libera desidiæ :
Aut alios a me totidem dabo ; dummodo cari
Conspicer ora viri, pauperis usque licet.
Puppe citus propera, sinuosaque lintea veli
Pande. Medullini te feret aura noti
Expositum subter paradas, lectoque jacentem :
Corporis ut tanti non moveatur onus.
Unus Domnotoni te littore perferet æstus
Condatem ad portum : si modo deproperes.
Inque vicem venti, quotiens tua flamina cessant,
Remipedem jubeas protinus ire ratem :
Invenies præsto subjuncta petorita mulis.
Villa Lucani-mox potieris-aco.
Rescisso disce componere nomine versum.
Lucili vatis sic imitator eris.

EPISTOLA VI.

AUSONIUS *consul vatem resaluto* THEONEM.

Aurea mala, Theo, sed plumbea carmina mittis.
Unius massæ quis putet has species?
Unum nomen utrisque : sed est discrimen utrisque :
Poma ut mala voces, carmina vero mala.
Vale beatis nomen a divis Theon.
Metoche sed ista sæpe currentem indicat.

EPISTOLA VII.

AUSONIUS THEONI, *cum ei triginta ostrea, grandia quidem, sed tam pauca misisset.*

Ostrea Baianis certantia, quæ Medulorum
Dulcibus in stagnis reflui maris æstus opimat,
Accepi, dilecte Theon, numerabile munus.
Verum quot fuerint, subjecta monosticha signant.
Quot ter luctatus cum pollice computat index.
Geryones quot erant, decies si multiplicentur.
Ter quot erant Phrygii numerata decennia belli.
Aut ter ut Æolidi mensis tenet ignicomus Sol.
Cornibus a primis quot habet vaga Cynthia noctes.
Singula percurrit Titan quot signa diebus.
Quotque annis sublimis agit sua secula Phœnon.
Quot numerum annorum Vestalis virgo ministrat,
Dardaniusque nepos regno quot protulit annos.
Priamidæ quot erant, si bis deni retrahantur.
Bisque viros numeres, qui fata Amphrysia servant.
Quot genuit fetus Albana sub ilicibus sus.
Et quot sunt asses, ubi nonaginta trientes.
Vel quot habet unctos Vasatica rheda caballos.
Quod si figuras fabulis adumbratas,
Numerumque doctis involutum ambagibus
Ignorat alto mens obesa viscere :
Numerare saltim more vulgi ut noveris.
In se retortas explicabo summulas.
Ter denas, puto, quinquiesque senas.
Vel bis quinque, dehinc, decem decemque.
Vel senas quater, et bis adde ternas.
Septenas quater, adde unam et unam.
Duc binas decies, semelque denas.
Aut ter quatuor adde bis novenis.
Octonas quater, hinc duæ recedant.
Binas terdecies, semel quaternas.
Et sex adde novem vel octo septem.
Aut septem geminis bis octo junge.
Aut ne sim tibi pluribus molestus,
Triginta numero fuere cunctæ.
Junctus limicolis musculus ostreis
Primo composuit fercula prandio,
Gratus deliciis nobilium cibus,
Et sumptu modicus pauperibus focis.
Non hic navifrago quæritur æquore,
Ut crescat pretium grande periculis :
Sed primore vado, post refugum mare,
Algoso legitur littore concolor.
Nam testæ duplicis conditur in specu,
Quæ ferventis aquæ fota vaporibus,
Carnem lacteoli visceris indicat.
Sed damnosa nimis panditur area.
Fac campum replices Musa papyrium :
Nec jam fissipedis per calami vias
Grassetur Cnidiæ sulcus arundinis,
Pingens aridulæ subdita paginæ,
Cadmi filiolis atricoloribus.
Aut cunctis pariter versibus obliuat
Furvam lacticolor spongia sepiam.
Parcamus vitio Dumnotinæ domus :
Ne sit charta mihi carior ostreis.

EPISTOLA VIII.

AUSONIUS AXIO PAULO RHETORI SALUTEM.

Tandem eluctati retinacula blanda morarum,
Burdigalæ molles liquimus illecebras,
Santonicamque urbem vicino accessimus agro.
Quod tibi si gratum est, optime Paule, proba.
Cornipedes rapiant imposta petorita mulæ :
Vel cisio trijugi, si placet, insilias :
Vel celerem mannum, vel ruptum terga veredum
Conscendas, propere dummodo jam venias.
Instantis revocant quia nos solemnia Paschæ :
Libera nec nobis est mora desidiæ.
Perfer in excursu vel terjuga millia epodon,
Vel falsas lites, quas schola vestra serit.
Nobiscum invenies nullas. Quia liquimus istic
Nugarum veteres cum sale reliquias.

EPISTOLA IX.

AUSONIUS PAULO.

Ostrea nobilium cœnis, sumptuque nepotum
Cognita, diversoque maris defensa profundo,
Aut refugis nudata vadis, aut scrupea subter
Antra, et muriceis scopulorum mersa lacunis,
Quæ viridis muscus, quæ dedecor alga recondit,
Quæ testis concreta suis, ceu saxa cohærent,
Quæ mutata loco, pingui mox condita limo,
Nutrit secretus conclusæ uliginis humor,
Enumerare jubes, vetus o mihi, Paule, sodalis,
Assuefacte meis joculari carmine nugis,
Aggrediar ; quamvis curam non ista senilem
Sollicitent, frugique viro dignanda putentur.
Nam mihi non saliare epulum, non cœna dapalis,
Qualem Penelopes nebulonum mensa procorum,
Alcinoique habuit nitidæ cutis uncta juventus.
Enumerabo tamen, famam testesque secutus,
Pro studiis hominum semper diversa probantum.
Sed mihi præ cunctis ditissima, quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdigalensia nomen
Usque ad Cæsareas tulit admiratio mensas,
Non laudata minus nostri quam gloria vini.
Hæc inter cunctas palmam meruere priorem
Omnibus ex longo cedentibus. Ista et opimi
Visceris, et nivei, dulcique tenerrima succo,
Miscent æquoreum tenui sale tincta saporem.
Proxima sint quævis, sed longe proxima multo,
Ex intervallo : quæ Massiliensia portu,
Quæ Narbo ad Veneris nutrit ; cultuque carentia
Hellespontiaci quæ protegit æquor Abydi :
Vel quæ Baianis pendent fluitantia palis :
Santonico quæ tecta salo : quæ nota Genonis :
Aut Eborum mixtus pelago quæ protegit amnis,
Ut multo jaceant algaram obducta recessu ;
Aspera quæ testis, et dulcia farris opimæ.
Sunt et Aremorici qui laudent ostrea ponti :
Et quæ Pictonici legit accola littoris : et quæ
Mira Caledonius nonnumquam detegit æstus.
Accedunt, quæ (fama recens) Byzantia subter
Littora, et insana generata Propontidis acta,
Promoti celebrata ducis de nomine, laudant.

Hæc tibi non vates, non historicus, neque toto
Orbe vagus conviva loquor, sed tradita multis :
Ut solitum, quotiens dextræ invitatio mensæ
Sollicitat lenem comi sermone Lyæum.
Hæc non per vulgum mihi cognita, perque popinas.
Aut parasitorum collegia Plautinorum :
Sed, festos quia sæpe dies partim ipse meorum
Excolui, inque vicem conviva vocatus adivi,
Natalis si forte fuit solemnis amico,
Conjugioque dapes, aut sacra repotia patrum,
Audivi : meminique bonos laudare frequentes.

EPISTOLA X.

Ausonius Paulo.

Si qua fides falsis umquam est adhibenda poetis,
Nec plasma semper allinunt,
Paule, Camenarum celeberrime Castaliarum
Alumne quondam, nunc pater,
Aut avus, aut proavis antiquior, ut fuit olim
Tartessiorum regulus :
Intemerata tibi maneant promissa memento.
Phœbus jubet verum loqui.
Et si Pierias patitur lirare sorores,
Numquam ipse torquet *αὔλακα*.
Te quoque ne pigeat consponsi fœderis : et jam
Citus veni remo, aut rota.
Æquoris undosi qua multiplicata recursu,
Garumna pontum provocat.
Aut iteratarum qua glarea trita viarum,
Fert militarem ad Blaviam.
Nos etenim primis sanctum post Pascha diebus
Avemus agrum visere.
Nam populi cœtus, et compita sordida rixis
Fastidientes, cernimus
Angustas fervere vias, et congrege vulgo
Nomen plateas perdere.
Turbida congestis referitur vocibus Echo,
Tene, feri, duc, da, cave :
Sus lutulenta fugit, rabidus canis impete sævo,
Et impares plaustro boves.
Nec prodest penetrale domus et operta subire :
Per tecta clamores meant.
Hæc, et quæ possunt placidos offendere mores,
Cogunt relinqui mœnia :
Dulcia secreti repetantur ut otia ruris
Nugis amœna seriis.
Tempora disponas ubi tu tua : jusque tuum sit,
Ut nil agas, vel quod voles.
Ad quæ si properas, tota cum merce tuarum
Veni Camenarum citus.
Dactylicos, elegos, choriambum carmen, epodos,
Socci et cothurni musicam,
Carpentis impone tuis : nam tota supellex
Vatum piorum chartea est.
Nobiscum invenies catenoplia, si libet uti,
Non Pœna, sed Græca fide.

Versus meos utili et conscio sibi pudore celatos carmine tuo et sermone præmissis dum putas elici, repressisti. Nam qui ipse facundus, et musicus editioni
A *alienæ prolectat, audaciam consilio, quo suadet, exterret. Tegat oportet auditor doctrinam suam, qui volet ad dicendum sollicitare trepidantem : nec emerita adversum tyrunculos arma concutiat veterana callidilas. Sensit hoc Venus de pulchritudinis palma diu ambiguo ampliata judicio. Pudenter enim ut apud patrem, velata certaverat : neque deterrebat æmulas ornatus æqualis. At postquam in pastoris examen deducta est lis dearum, qualis emerserat mari, aut cum Marte convenerat, et consternavit arbitrum, et contendentium certamen oppressit. Ergo nisi delirus tuus in re tenui non tenuiter laboratus opuscula mea, quæ promi studueras, retardasset, jamdudum ego, ut palmes audacior, in hybernas adhuc curas improbum germen egissem, periculum judicii gravis inconsulta festinatione subiturus.*
B *Denique dissonum, quem colonomon existimo proprie a philologis appellatum, accrevi, ut jubebas recenti versuum tuorum lectione non ausus ea quæ tibi jam cursim fuerant recitata, transmisi. Etenim hoc poposcisti, atque id ego malui, tu ut tua culpa ad eumdem lapidem bis offenderes, ego autem, quæcumque fortuna esset, semel erubescerem.*

EPISTOLA XI.

Ausonius Paulo *salutem*.

Vide, mi Paule, quam ineptum lacessieris, in verbis rudem, in eloquendo hiulcum, a propositis discrepantem, in versibus concinnationis expertem, in cavillando natura invenustum nec arte conditum, diluti salis et fellis ignavi, nec de mimo planipedem, nec
C *de comœdiis histrionem. Ac nisi hæc a nobis missa ipse lecturus esses, etiam de pronuntiatione rideres. Nunc commodiore fato sunt, quod licet apud nos genuina, apud te erunt adoptiva.*

Vinum cum bijugo parabo plaustro
Primo tempore Santonos vehendum,
Ovum tu quoque passeris marini,
Quod nunc promus ait procul relictum
In fundo patriæ Bigerritanæ.

EPISTOLA XII.

ΑΥΣΟΝΙΟΣ ΠΑΥΛΩ.

Ἑλλαδικῆς μετέχων Μούσης, Latiæque Camenæ,
Ἀξίῳ Αὐσόνιος sermone alludo bilingui.
Musæ, quid facimus? *τί κεναῖσιν ἐπ' ἐλπίσιν αὖτως*
Ludimus *ἀφραδίῃσιν, ἐν ἥματι γηράσκοντες* :
D Σαντονικοῖς campoisin *ὅπη κρύος ἄσπετόν ἐστιν*,
Erramus gelido *τρομεροὶ* rigidique poetæ.
Πιερίδων *τερενοπλοκάμων θεράποντες* inertes.
Πάντα δ' ἔχει *παγετός τε* pedum *καὶ κρυμὸς ὀδόντων*,
Θαλπωρὴ quia nulla *πέλει χιονώδεϊ χώρῃ*,
Et duplicant frigus *ψυχρὰ* carmina *μητιόωντες*.
Ἀρχόμενος δ' *ἄρα μῆνιν ἐώϊα*. . . . .
Primitias Παύλῳ nostro *πέμψω μελιηδεῖς*.
Μνημοσύνης *κρηδεμνοκόμου πολύ* inclyta *τέκνα*
Ἐννέα verbosæ, *κρινοστέφανοί τε* puellæ.
Ἔνθ' *ἄγε μοι τολυπεύετ' ἔπη, κουρώδεα μολπήν*.
Φρόντibus *ἡμετέραις πτέρινον* præferte libellum
Υματαρ..: *στίχον*. . . . .
Παύλῳ *ἐφαρμόζητε μεμιγμένον... ᾠδήν*.

Οὐ γάρ μοι θεμίς ἐστιν in hac regione μένοντι
Ἄξιον ab nostris ἐπιδευέα esse καμήναις.
Κεῖνος ἐμοὶ πάντων μέτοχος, qui seria nostra,
Qui joca παντοδαπῇ novit tractare παλαίστρῃ.
Καὶ νῦν sepositus μοναχῷ ἐνὶ rure κρεβέννῳ,
Ἀσταφύλῳ ἐνὶ χώρῳ, habet θυμαλγέα λέσχην,
Οὔτε φίλοις ἑτάροις, nec mensæ accommodus ulli,
Ὅττι ἀθελξινόοις... μὲν φάτο μούσαις.
Jam satis, ὦ φίλε Παῦλε, πόνων ἀπεπειρήθημεν
Ἐν τε foro causais τε καὶ ingratiaῖσι καθέδραις,
Ῥητορικοῖς ludoisi καὶ ἔπλετο οὐδέν ὄνειαρ.
Ἀλλ' ἤδη κεῖνος μὲν ἅπας juvenálios ἰδρὼς
Ἐκκέχυται μελέων τρομερὴ λάβε βλέμμα senectus,
Καὶ minus in sumptum δαπανὰς levis arca ministrat.
Οὐ γὰρ ἔχει ἀπάλαμνος ἀνήρ. . .
Κλεινικὸς οὐθ' ὁ γέρων. . . . .
Æquanimus si qua fueris, ἐς πάντα μάλ' εὔδειν
Malueris, λήθη δὲ πόνου ἔσετ', ἠδὲ πενίης.
Κεῖνο δὲ παγκάλλιστον, ut omnibus undique mensis
Σὺν φιάλῃ ἢ σὺν δέπαϊ συνοπάονι μουσέων
Θυμοῦ ἀκηχεμένου solatia blanda requiras.
Hic erit et fructus Δημήτερος ἀγλαοκάρπου.
Ἔνθα σοι εἴδαρ ἔοι, πολυχανδέα pocula θέντι
Κιρνᾶν, αἶκε θέλοις, νέκταρ vinoio bonoio.
Ambo igitur nostræ παραλέξομεν otia vitæ,
Dum res, et ætas, et sororum
Νήματα πορφύρεα πλέκονται.

EPISTOLA XIII.

ΑΥΣΟΝΙΟΣ ΠΑΥΛΩ.

Ῥωμαίων ὕπατος ἀρεταλόγῳ ἠδὲ ποιητῇ
Αὐσόνιος Παύλῳ σπεῦδε φίλους ἰδέειν.

EPISTOLA XIV.

AUSONIUS PAULO.

Æquoream liqui te propter, amice, Garumnam.
Te propter campos incolo Santonicos.
Congressus igitur nostros pete. Si tibi cura,
Quæ mihi, conspectu jam potiere meo.
Sed tantum appropera, quantum pote corpore, et [ævo:
Ut salvum videam, sat cito te video.
Si post infaustas vigor integratus habenas,
Et rediit membris jam sua mobilitas:
Si riguam lætis recolis Pimpleida Musis,
Jam vates, et non flagrifer Automedon:
Pelle soporiferi senium, nubemque veterni:
Atque alacri mediam carpe vigore viam.
Sed cisium, aut pigrum cautus conscende veredum.
Non tibi sit rhedæ, non amor acris equi.
Canteri moneo male nota petorita vites.
Nec celeres mulas ipse Metiscus agas.
Sic tibi sint Musæ faciles, meditatio prompta,
Et memor: et liquidi mel fluat eloquii.
Sic, qui venalis tam longa ætate Crebennus
Non habet emptorem, sit tibi pro pretio.
Attamen ut citius venias, leviusque vehare,
Historiam, mimos, carmina, linque domi:
Grande onus in Musis; tot sæcula condita chartis,
Quæ sua vix tolerant tempora, nostra gravant.
A Nobiscum invenies ἐπέων πολυμορφία πληθύν,
Γραμματικῶν τε πλοκὰς καὶ λογοδαιδαλίην,
Δάκτυλον ἡρῷον, καὶ ἀοιδοπόλον χορίαμβον,
Σὺν Θαλίης τε χόρῳ σύρματα Τερψιχόρης.
Σωταδικόν τε κίναιδον, ἰωνικὸν ἀμφοτέρωθεν,
Ῥυθμῶν Πινδαρικῶν ἔννομον εὐεπίην
Εἰλιπόδην σκάζοντα, καὶ οὐ σκάζοντα τρίμετρον,
Ὀκτὼ Θουκυδίδου, ἔννεα Ἡροδότου.
Ῥητορικῶν θαυμαστὰ σοφῶν ἐρικύδεα φῦλα
Πάντα μάλ', αἶκε θέλοις, καὶ πλέον, αἶκε θέλοις.
Hoc tibi de nostris ἀσπαστικὸν offero libris.
Vale. Valere si voles me, jam veni.

EPISTOLA XV.

AUSONIUS TETRADIO *salutem.*

B O qui venustos uberi facundia
Sales opimas, Tetradi:
Cavesque, ne sit tristis et dulci careus
Amara concinnatio:
Qui felle carmen atque melle temperans,
Torpere Musas non sinis,
Pariterque fucas, quæque gustu ignava sunt,
Et quæ sapore tristia:
Rudes Camenas qui Suessæ prævenis:
Ævoque cedis, non stylo.
Cur me propinquum Santonorum mœnibus
Declinas, ut Lucas boves
Olim resumpto præferoces prælio
Fugit juventus Romula?
Non ut tigris te, non leonis impetu,
C Amore sed charo expeto.
Videre alumni gestio vultus mei,
Et indole optata frui.
Invitus olim devoravi absentiæ
Necessitatem pristinæ,
Quondam docendi munere adstrictum gravi
Iculisma cum te absconderet.
Et invidebam devio, ac solo loco
Opes camenarum tegi.
At nunc frequentes, atque claros, nec procul,
Cum floreas inter viros:
Tibique nostras ventus auras deferat,
Auresque sermo verberet:
Cur me supino pectoris fastu tumens
Spernis poetam consulem?
D Tuique amantem, teque mirantem, ac tua
Desiderantem carmina,
Oblitus alto negligis fastidio?
Plectendus exemplo tuo:
Ni stabilis ævo pectoris nostri fides
Quamquam recusantes amet.
Vale: valere si voles me: pervola
Cum scrinio et musis tuis.

EPISTOLA XVI.

AUSONIUS PROBO *præfecto prætorio salutem.*

Oblata per antiquarios mora, scio promissi mei gratiam exspectatione consumptam, Probe vir optime. In secundis tamen habeo non fefellisse. Apologos Titiani,

et Nepotis chronica quasi alios apologos (nam et ipsa instar sunt fabularum) ad nobilitatem tuam misi, gaudens atque etiam glorians fore aliquid, quod ad institutionem tuorum sedulitatis meæ studio conferatur. Libello tamen apologorum antetuli paucos epodos, studio in te observantiæ meæ impudentissimos : paucos quidem, ut ego loquax judico : verum tu cum legeris, etiam nimium multos putabis. Adjuro benevolentiam tuam verecundiæ meæ testem, eos mihi subita persuasione fluxisse. (Nam quis hos diu cogitaret?) quod sane ipsi per se probabunt. Fors fuat, ut si mihi vita suppetet, aliquid rerum tuarum quamvis incultus exspoliam : quod tu etsi lectum non probes, scriptum boni consules. Cumque ego imitatus sim vesaniam Chœrili, tu ignoscas magnanimitate Alexandri. Hi igitur, ut Plautus ait, interim erunt antilogium fabularum, garruli et deceptores, qui compositi ad honorificentiæ obsequium, ad aurium convicium concurrerunt. Vale, et me dilige.

Ad librum : ut eat ad Probum.

Perge, o libelle, Sirmium,
Et dic hero meo, ac tuo,
Ave atque salve plurimum.
Quis iste sit nobis herus,
Nescis, libelle? an, cum scias,
Libenter audis, quod juvat?
Possem absolute dicere:
Sed dulcius circumloquar,
Diuque fando, perfruar.
Hunc dico, qui lingua potens,
Minorem Atridam præterit,
Orando pauca et musica.
Qui grandines Ulixei,
Mellifluentem Nestora,
Concinnatorem et Tullium,
Qui solus, exceptis tribus
Heris, herorum primus est,
Prætorioque maximus.
Dico hunc senati præsulem,
Præfectum eumdem, et consulem
(Nam consul æternum cluet),
Collegam Augusti consulis,
Columen curulis Romulæ,
Primum in secundis fascibus.
Nam primus e cunctis erit
Consul, secundus principi.
Generi hic superstes aureo,
Satorque prolis aureæ,
Convincit Ascræum senem.
Qui sæculum omne ferreum :
Qui vincit ævi injuriam;
Stirpis novator Anniæ:
Paribusque comit infulis
Aniciorum stemmata.
Probum loquor. Scis optime,
Quem nemo fando dixerit,
Qui non prius laudaverit.
Perge, o libelle, et utere
Felicitate intermina.
Quin et require, si sinet
Tenore fari obnoxio :
Age vera proles Romuli,
Effare causam nominis.
Utrumne mores hoc tui
Nomen dedere, an nomen hoc
Secuta morum regula?
An ille venturi sciens
Mundi supremus arbiter,
Qualem creavit moribus,
Jussit vocari nomine?
Nomen datum præconiis,
Vitæque testimonio.
Libelle felix : quem sinu
Vir tantus evolvet suo,
Nec occupari tempora
Grato queretur otio.
Quem mille cum vocis modis,
Leni aut susurro impertiet:
Cuique vigiles luminum
Vacare dignabunt coræ.
Quem mente, et aure consciis,
Quibusdam omissis, pelleget.
Quæcumque fortuna est tibi,
Perge, o libelle, et utere
Felicitate intermina.
Dic me valere, et vivere.
Dic vivere ex voto pio,
Sanctis precantem vocibus,
Ut quem Curulis proxima
Collegio nati dedit:
Hunc rursus Augustus prior
Suis perennet fascibus.
Subnecte et illud leniter :
Apologos, en, misit tibi
Ab usque Rheni limite
Ausonius, nomen Italum,
Præceptor Augusti tui,
Æsopiam trimetriam :
Quam vertit exili stylo.
Pedestre concinnans opus,
Fandi Titianus artifex.
Ut hic avi ac patris decus
Mixto refulgens sanguine,
Probianoque, ac Anicio;
(Ut quondam in Albæ mœnibus
Supremus Ænea satus,
Silvios Iulis miscuit:)
Sic iste, qui natus tuus,
Flos flosculorum Romuli
Nutricis inter lemmata,
Lallique somniferos modos,
Suescat peritis fabulis
Simul jocari, et discere.
Et adde votum, quod pio
Concepimus rei Deo :
Ut genitor Augustus dedit
Collegio nati Probum :

Sic Gratianus hunc novum
Stirpi futuræ copulet.
Rata sunt futura, quæ loquor.
Sic merita, sic fatum jubet.
Sed jam ut loquatur Julius,
Fandi modum invita accipe
Volucripes dimetria.
Aveque dicto, dic, Vale.

EPISTOLA XVII.

Ad URSULUM, *grammaticum Trevirorum: cui strenas kalendis Januariis ab imperatore non datas reddi fecit.*

Primus jucundi fuit hic tibi fructus honoris,
Augustæ faustum munus habere manus.
Proximus ex longo gradus est, Quæstoris amici
Curam pro strenis excubuisse tuis.
Ergo, interceptos regale nomisma Philippos
Accipe tot numero, quot duo Geryones.
Quot terni bijuges: demptoque triente Camenæ:
Quotque doces horis, quotque domi resides.
Ostia quot pro parte aperit stridentia Circus:
Excepto, medium quod patet ad stadium.
Quot pedibus gradiuntur apes, et versus Homeri:
Quotque horis pelagus profluit, aut refluit.
Protulit in scenam quot dramata fabellarum
Arcadiæ medio qui jacet in gremio.
Vel quot juncturas geometrica forma favorum
Conserit extremis omnibus, et mediis.
Quot telios primus numeris, solusque probatur;
Quot par, atque impar partibus æquiparat.
Bis ternos, et ter binos qui conserit unus:
Qui solus totidem congeminatus habet.
Quot faciunt juncti subterque supraque locati,
Qui numerant Hyadas, Pleiadasque simul.
. . . . . .
Ursule, collega nobilis Harmonio.
Harmonio, quem Claranus, quem Scaurus, et Asper,
Quem sibi conferret Varro, priorque Crates,
Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri,
Quique notas spuriis versibus apposuit:
Cecropiæ commune decus, latiæque camenæ,
Solus qui Chium miscet, et Ammineum,

EPISTOLA XVIII.

AUSONIUS PONTIO PAULINO.

Condiderat jam solis equos Tartessia Calpe:
Stridebatque freto Titan insignis Ibero:
Jam succedentes quatiebat Luna juvencas;
Vinceret ut tenebras radiis, velut æmula fratris.
Jam volucres, hominumque genus superabile curis,
Mulcebant placidi tranquilla oblivia somni.
Transierant idus, medius suprema december
Tempora venturo properabat jungere Jano.
Et nonas decimas ab se nox longa kalendas
Jugiter acciri celebranda ad festa jubebat.

Nescis, puto, quid velim tot versibus dicere; medius fidius neque ipse bene intelligo: tamen suspicor. Jam prima nox erat ante diem nonum decimum kalendarum A *Januariarum, cum redditæ sunt mihi litteræ tuæ oppido quam litteratæ. His longe jucundissimum poema subdideras, quod de tribus Suetonii libris, quos ille de regibus dedit, in epitomen coegisti, tanta elegantia, solus ut mihi videare assecutus, quod contra rerum naturam est, brevitas ut obscura non esset. In his versibus ego ista cognovi.*

Europamque Asiamque duo vel maxima terræ
Membra: quibus Libyam dubie Sallustius addit
Europæ adjunctam, possit cum tertia dici:
Regnatas multis, quos fama obliterat: et quos
Barbara Romanæ non tradunt nomina linguæ,
Illibanum, Numidamque Avelim, Parthumque Vononem,
Et Caranum, Pellæa dedit qui nomina regum.
B Quique magos docuit mysteria vana Necepsus:
Et qui regnavit sine nomine mox Sesoostris.

Hæc tu quam perite, et concinne, quam modulate, et dulciter, ita juxta naturam Romanorum accentuum enuntiasti, ut tamen veris, ac primigeniis vocibus sua fastigia non perirent. Jam quid de eloquentia dicam? liquide adjurare possum, nullum tibi ad poeticam facundiam Romanæ juventutis æquari. Certe ita mihi videris. Si erro, pater sum, fer me: et noli exigere judicium, obstante pietate. Verum cum pie diligam, sincere ac severe judico. Affice me, oro, tali munere frequenter: quo et oblector, et honoror. Accessit tibi ad partem poeticam mellea modulatio. Quid enim aliud agunt,

C Audax Icario qui fecit nomina ponto,
Et qui Chalcidicas moderate enavit ad arces,

nisi ut et vegetam, et sublimem alacritatem tuam, temeritatem voces: me vero, et consultum, et quem filius debeat imitari, salutari prudentia præditum dicas? Quod equidem contra est. Nam tu summa sic appetis, ut non decidas: senectus mea satis habet, si consistat. Hæc ad te breviter, et illico, vesperis illius secuto mane dictavi. Ita enim tabellarius tuus, ut epistolam referret, instabat. Nam si mihi otium fuerit, oblectabile negotium erit ad te prolixius delirare, te ut eliciam, mihi ut satisfaciam. Vale.

EPISTOLA XIX.

D PAULINO AUSONIUS. Metrum sic suasit, ut esses
Tu prior, et nomen prægrederere meum.
Quamquam et fastorum titulo prior, et tua Romæ
Præcessit nostrum sella curulis ebur.
Et quæ jamdudum tibi palma poetica pollet.
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.
Longævæ tantum superamus honore senectæ.
Quid refert? cornix non ideo ante cycnum.
Nec quia mille annos vivit Gangeticus ales,
Vincit centum oculos, regie pave, tuos.
Cedimus ingenio, quantum præcedimus ævo.
Assurgit Musæ nostra Camena tuæ.
Vive, vale: et totidem venturos congere Janos,
Quot tuus, aut noster conseruere patres.

EPISTOLA XX.

AUSONIUS PAULINO SUO *salutem.*

Quanto me affecit beneficio, non delata quidem, sed suscepta querimonia mea, Pauline fili! veritus displicuisse oleum, quod miseras, munus iterasti: addito etiam Barcinonensis muriæ condimento cumulatius præstitisti. Scis autem me id nomen ***MURIÆ****, quod in usu vulgi est, nec solere, nec posse dicere: cum scientissimi veterum, et Græca vocabula fastidientes, Latinum in* ***GARI*** *appellatione non habeant. Sed ego quocumque nomine loquar, liquor iste* ***SOCIORUM*** *vocatur. Vale.*

Jam patinas implebo meas, ut parcior ille
Majorum mensis applaria succus inundet.

Quid autem tam amabile, tamque hospitale, quam quod tu, ut me participes, delicias tuas in ipsa primitiarum novitate defraudas? o melle dulcior, o gratiæ venustate festivior, o ab omnibus patrio stringende complexu! Sed hæc, atque alia hujusmodi documenta liberalis animi, alicui fortasse, et aliquando, quamvis rarius: illud de epistolarum tuarum eruditione, de poematis jucunditate, de inventione, et concinnatione, juro omnia, nulli umquam imitabile futurum, etsi fateatur imitandum. De quo opusculo, ut jubes, faciam. Exquisitius universa limabo: et quamvis per te manus summa contigerit, cœlum superfluæ expolitionis adhibebo: magis ut tibi parcam, quam ut perfectis aliquid adjiciam. Interea tamen, ne sine corollario poetico tabellarius tuus rediret, paucis iambicis præludendum putavi: dum illud, quod a me heroico metro desideras, inchoatur. Isti tamen, ita te et Hesperium salvos habeam, quod spatio lucubratiunculæ unius effusi quamquam hoc ipsi de se probabunt, tamen nihil diligentiæ ulterioris habuerunt. Vale.

Iambe Parthis, et Cydonum spiculis,
Iambe pinnis alitum velocior,
Padi ruentis impetu torrentior,
Magna sonoræ grandinis vi densior,
Flammis corusci fulminis vibratior,
Jam nunc per auras Persei talaribus,
Petasoque ditis Arcados vectus, vola.
Si vera fama est Hippocrene, quam pedis
Pulsu citatam cornipes fudit fremens:
Tu fonte in ipso procreatus Pegasi,
Primus novorum metra junxisti pedum:
Illicque musis concinentibus novem,
Cædem in draconis concitasti Delium.
Fer hanc salutem præpes et volucripes
Paulini ad usque mœnia, Hebromagum loquor.
Et protinus, jam si resumptis viribus
Alacri refecti corporis motu viget,
Salvere jussum mox reposce mutuum.
Nihil moreris: jamque dum loquor, redi,
Imitatus illum stirpis auctorem tuæ.
Triplici furentem qui Chimæram incendio
Supervolavit, tutus igne proximo.
Dic et Valere: dic, Avere te jubet
A Amicus, et vicinus, et fautor tuus,
Honoris auctor, altor ingeni tui.
Dic et magister, dic parens, dic omnia
Blanda atque sancta charitatis nomina.
Aveque dicto, dic Vale, et actutum redi.
Quod si rogabit, quid super scriptis novis
Maturus ævi, nec rudis dijudicem:
Nescire dices, sed paratum jam fore
Heroicorum versuum plenum essedum.
Cui subjugabo de molarum ambagibus,
Qui machinali saxa volvunt pondere,
Tripedes caballos terga ruptos verbere.
His ut vehantur tres sodales nuntii.
Fors et rogabit, quos sodales dixeris
Simul venire: dic, Trinodem dactylum
B Vidi paratum crucianti canterio:
Spondeus illi lentipes ibat comes,
Paribus moratur qui locis cursum meum:
Mihique similis, semper adversus tamen,
Nec par, nec impar, qui Trochæus dicitur.
Hæc fare cursim, nec moratus pervola,
Aliquid reportans interim munusculi
De largitate musici promptarii.

EPISTOLA XXI.

AUSONIUS PAULINO SUO *salutem.*

Multas et frequentes mihi gratiæ tuæ causas et occasio subinde nata concinnat, et naturæ tuæ facilitas benigna conciliat, Pauline fili. Nam, quia nihil, poscente me, abnuis, magis acuis procaciam, quam retundis: ut nunc quoque in causa Philonis procuratoris quondam mei experiere, qui apud Hebromanum conditis mercibus, quas per agros diversos coemit, concesso ab hominibus tuis usus hospitio immature periclitatur expelli. Quod nisi indulseris, rogante me, ut et mora habitandi ad commodum suum utatur: et nauso, aliaque quavis navi usque ad oppidum præbita, frugis aliquantulum nostræ advehi possit, Lucaniacus ut inopia liberetur mature: tota illa familia hominis litterati non ad Tullii frumentariam, sed ad Curculionem Plauti pertinebit. Hoc quo facilius impetrarem, aut quo majorem verereris molestiam, si negares, concinnatam iambis, signatamque ad te epistolam misi: ne subornatum diceres tabellarium, si ad te sine signi fide veniret. Signavi autem, non ut Plautus ait, per ceram, et linum, litterasque interpretes, sed per poeticum characterem magis notavimus, tamquam signum impressum judicares.

Philon, meis qui villicatus prædiis,
Ut ipse vult, epitropos;
(Nam gloriosum Græculus nomen putat,
Quod sermo fucat Doricus)
Suis querelis asserit nostras preces:
Quas ipse lentus prosequor.
Videbis ipsum, qualis adstet cominus,
Imago fortunæ suæ,
Canus, comosus, hispidus, trux, attubus,
Terentianus Phormio.

Horrens capillis ut marinus asperis
Echinus, aut versus mei.
Hic sæpe falsus inessibus vegrandibus,
Nomen perosus villici,
Semente sera, sive mulium præcoqua,
Et siderali inscitia,
Cœlum lacessens, seque culpæ subtrahens,
Reos peregit cœlites.
Non cultor instans, non arator gnaruris,
Promusque, quam condus magis,
Terram infidelem, nec feracem criminans,
Negotiari maluit.
Mercatur quoquo foro venalium.
Mutuatur ad Græcam fidem.
Sapiensque supra Græciæ septem viros,
Octavus accessit sophos.
Et nunc paravit triticum caseo sale,
Novusque pollet emporus.
Adit inquilinos, rura, vicos, oppida.
Soli et sali commercio.
Acatis, phaselis, lintribus, stlatis, rate,
Tarnim et Garumnam permeat.
Ac lucra damnis, damna mutans fraudibus,
Se ditat, et me pauperat.
Is nunc ad usque vectus Hebromagum tuam,
Sedem locavit mercibus.

. . . . . .

Ut inde nauso develiat

. . . . . .

Nostros in usus, ut refert,
Hunc ego paucis, ne graveris hospitem.

. . . . . .

Adjutus ut mox navis auxilio tuæ,
Ad usque portus oppidi,
Jam jam Perusina, et Saguntina fame,
Lucaniacum liberet.
Hoc si impetratum munus abs te accepero,
Prior colere, quam Ceres.
Triptolemon olim, sive Epimenidem vocant,
Aut Bulianum Buzygen,
Tuo locabo postferendos nomini.
Nam munus hoc fiet tuum.

EPISTOLA XXII.

AUSONIUS PAULINO *salutem.*

Proxima quæ nostræ fuerat querimonia chartæ,
Credideram, quod te, Pauline, inflectere posset,
Elicieretque tuam blanda objurgatio vocem.
Sed tu juratis velut alta silentia sacris
Devotus teneas, perstas in lege tacendi.
Non licet: anne pudet, si quis tibi jure paterno
Vivat amicus adhuc, maneasque obnoxius hæres?
Ignavos agitet talis timor; at tibi nullus
Sit metus; et morem missæ acceptæque salutis
Audacter retine; vel si tibi proditor instat,
Aut quæsitoris gravior censura timetur,
Occurre ingenio, quo sæpe occulta teguntur.
Threicii quondam quam sæva licentia regis
Fecerat elinguem, per licia texta querelas
Edidit, et tacitis mandavit crimina telis.
Et pudibunda suos malo commisit amores
Virgo, nec erubuit tacituro conscia pomo.
Depressis scrobibus vitium regale minister
Credidit, idque diu texit fidissima tellus:
Inspirata dehinc vento cantavit arundo.
Lacte incide notas: arescens charta tenebit
Semper inaspicuas: prodentur scripta favillis.
Vel Lacedæmoniam scytalen imitare, libelli
Segmina Pergamei tereti circumdata ligno
Perpetuo inscribens versu; qui deinde solutus
Non respondentes sparso dabit ordine formas,
Donec consimilis ligni replicetur in orbem.
Innumeras possum celandi ostendere formas,
Et clandestinas veterum reserare loquelas,
B Si prodi, Pauline, times, nostræque vereris
Crimen amicitiæ. Tanaquil tua nesciat istud.
Tu contemne alios; nec dedignare parentem
Affari verbis. Ego sum tuus altor, et ille
Præceptor primus, primus largitor honorum,
Primus in Aonidum qui te collegia duxi.

EPISTOLA XXIII.

AUSONIUS PAULINO *salutem.*

Discutimus, Pauline, jugum, quod certa fovebat
Temperies: leve quod positu, et tolerabile junctis,
Tractabat paribus concordia mitis habenis,
Quod per tam longam seriem volventibus annis
Fabula non umquam, humquam querimonia movit,
Nulla querela loco pepulit, non ira, nec error,
C Nec quæ compositis malesuadæ credula causis,
Conciliat verisimilis suspicio culpas.
Tam placidum, tam mite jugum: quod uterque parentes
Ad senium nostri traxere ab origine vitæ:
Impositumque piis hæredibus, usque manere
Optarunt, dum longa dies dissolveret ævum.
Et mansit, dum læta fides, nec cura laborat
Officii servare vices: sed sponte feruntur
Incustoditum sibi continuantia cursum.
Hoc tam mite jugum docili cervice subirent
Martis equi, stabuloque feri Diomedis abacti:
Et qui mutatis ignoti solis habenis
Fulmineum Phaethonta Pado mersere jugales.
Discutimus, Pauline, tamen: nec culpa duorum
Ista, sed unius tantum tua: namque ego semper
D Contenta cervice feram; consorte laborum
Destituor; nec tam promptum gestata duobus
Unum deficiente pari perferre sodalem.
Non animus, viresque labant: sed iniqua ferendo
Conditio est oneri, cum pondus utrumque relicto
Ingruit; acceduntque alienæ pondera libræ.
Sic pars ægra hominis trahit ad contagia sanum
Corpus: et exigui quamvis discrimine membri,
Tota per innumeros artus compago vacillat.
Obruar usque tamen, veteris ne desit amici
Me durante fides: memorique ut fixa sub ævo
Restituant profugum solatia casta sodalem.
Impie, Pirithoo disjungere Thesea possis,
Euryalumque suo socium secernere Niso.

Te suadente fugam, Pylades liquisset Orestem;
Nec custodisset Siculus vadimonia Damon.
Quantum oblectamen populi, quæ vota bonorum
Sperato fraudata bono? Gratantia cuncti
Verba loquebantur; jam nomina nostra parabant
Inserere antiquis ævi melioris amicis;
Cedebat Pylades: Phrygii quoque gloria Nisi
Jam minor, et promissa obiens vadimonia Damon.
Nos documenta magis felicia: qualia magnus
Scipio, longævique dedit sapientia Læli;
Nos studiis animisque iisdem, miracula cunctis:
Hoc majora, pares fuimus quod dispare in ævo.
Ocyus illa jugi fatalis solvere lora
Pellæum potuisse ducem reor, abdita opertis
Principiis, et utroque caput celantia nodo.
Grande aliquod verbum nimirum diximus, ut se
Inferret nimiis vindex Rhamnusia votis;
Arsacidæ ut quondam regis non læta triumphis
Grandia verba premens ultrix dea Medica belli
Sistere Cecropidum in terris monumenta paranti
Obstitit: et Graio jam jam figenda tropæo,
Ultro etiam victis Nemesis stetit Attica Persis.
Quæ tibi Romulidas proceres vexare libido est?
In Medos, Arabasque tuos per nubila, et atrum
Perge chaos. Romana procul tibi nomina sunto.
Illic quære alios oppugnatura sodales:
Livor ubi iste tuus, ferrugineumque venenum
Opportuna tuis inimicat pectora fucis.
Paulinum, Ausoniumque, viros, quos sacra Quirini
Purpura, et auratus trabeæ velavit amictus,
Non decet insidiis peregrinæ cedere divæ.
Quid queror, Eoique insector crimina monstri?
Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit
Barcino, me bimaris juga ninguida Pyrenæi.
Mœnibus e patriis forsan quoque vestis et oris,
Quemque suo longe dirimat provincia tractu
Trans montes, solemque alium; trans flumina et urbes,
Et quod terrarum cœlique extenditur inter
Emeritensis Anæ, latæque fluenta Garumnæ.
Quod si intervallis spatium tolerabile limes
Poneret exiguus (quamvis longa omnia credant,
Qui simul esse volunt), faceret tamen ipsa propinquos
Cura locos, mediis jungens distantia verbis.
Santonus ut sibi Burdigalam, mox jungit Aginnum
Illa sibi et populos Aquitanica rura colentes:
Utque duplex Arelas, Alpinæ tecta Viennæ,
Narbonemque pari spatio sibi conserit: et mox
Quincuplicem socias tibi, Martie Narbo, Tolosam.
Hoc mihi si spatium vicinis mœnibus esset,
Tunc ego te ut nostris aptum complecterer ulnis:
Afflaretque tuas aures nostræ aura loquelæ.
Nunc tibi trans Alpes, et marmoream Pyrenen
Cæsareæ Augustæ domus est. Tyrrhenica propter
Tarraco, et ostrifero superaddita Barcino ponto.
Me juga Burdigalæ, trino me flumina cœtu
Secernunt turbis popularibus: etiaque inter
Vitiferi exercent colles, lætumque colonis
Uber agri, tum prata virentia, tum nemus umbris
Mobilibus, celebrique frequens ecclesia vico:
A Totque mea in Novero sibi proxima prædia pago,
Dispositis totum vicibus variata per annum;
Egelidæ ut tepeant hiemes, rabidosque per æstus
Aspirent tenues frigus subtile aquilones:
Te sine sed nullus grata vice provenit annus;
Ver pluvium sine flore fugit; canis æstifer ardet;
Nulla autumnales variat Pomona sapores;
Effusaque hiemem contristat Aquarius unda.
Agnoscisne tuam, Pontti dulcissime, culpam?
Nam mihi certa fides, nec commutabilis unquam
Paulini illius veteris reverentia durat:
Quæque meo, atque tuo fuerat concordia patri.
Si tendi facilis cuiquam fuit arcus Ulixei,
Aut præter dominum vibrabilis ornus Achillei,
Nos quoque tam longo Rhamnusia fœdere solvet.
B Sed cur tam mœsto sero tristia carmina versu?
Et non in meliora animus se vota propinquat?
Sit procul iste metus: certa est fiducia nobis,
Si genitor natusque Dei pia verba volentum
Accipiat, nostro reddi te posse precatu:
Ne sparsam raptamque domum, lacerataque centum
Per dominos, veteris Paulini regna fleamus.
Teque vagum toto quam longa Hispania tractu,
Immemorem veterum, peregrinis fidere amicis.
Accurre, o nostrum decus, o mea maxima cura,
Votis, ominibusque bonis, precibusque vocatus,
Appropera: dum tu juvenis, dum nostra senectus
Servat inexhaustum tibi gratificata vigorem.
Et quando iste meas impellet nuntius aures?
Ecce tuus Paulinus adest; jam ninguida linquit
C Oppida Iberorum, Tarbellica jam tenet arva;
Hebromagi jam tecta subit; jam prædia fratris
Vicina ingreditur; jam labitur amne secundo;
Jamque in conspectu est; jam prora obvertitur amni;
Ingressusque sui celebrata per ostia portus
Totum occursantis populi prævertitur agmen:
Et sua præteriens, jam jam tua limina pulsat.
Credimus, an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

EPISTOLA XXIV.

AUSONIUS PAULINO suo *salutem*.

Quarta tibi hæc notos detexit epistola questus,
Pauline, et blando residem sermone lacessit.
Officium sed nulla pium mihi pagina reddit,
Fausta salutigeris ascribens orsa libellis.
Unde istam meruit non felix charta repulsam,
D Spernit tam longo cessatio quam tua fastu?
Hostis ab hoste tamen per barbara verba salutem
Accipit: et Salve mediis intervenit armis.
Respondent et saxa homini. Percussus ab antris
Sermo redit, redit et nemorum vocalis imago:
Littorei clamant scopuli, dant murmura rivi,
Hyblæis apibus sepes depasta susurrat.
Est et arundineis modulatio musica ripis:
Cumque suis loquitur trepidum coma pinea ventis.
Incubuit foliis quoties levis Eurus acutis,
Dindyma Gargarico respondent cantica luco.
Nil mutum natura dedit: non aeris ales,
Quadrupedesve silent, habet et sua sibila serpens,
Et pecus æquoreum tenui vice vocis anhelat.

Cymbala dant flictu sonitum, dant pulpita saltu
Icta pedum : tentis reboant cava tympana tergis :
Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus ;
Nec Dodonæi cessat tinnitus aheni,
In numerum quotiens radiis ferientibus ictæ
Respondent dociles modulato verbere pelves.
Tu velut Œbaliis habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Ægyptius oscula signet,
Obnixum, Pauline, taces. Agnosco pudorem :
Quod vitium fovet ipsa suum cessatio jugis.
Dumque pudet tacuisse diu, placet officiorum
Non servare vices : et amant longa otia culpam.
Quis prohibet Salve atque Vale brevitate parata
Scribere ? felicesque notas mandare libellis ?
Non ego longinquos ut texat pagina versus
Postulo : multiplicique oneres sermone tabellas.
Una fuit tantum, qua respondere Lacones,
Littera : et irato regi placuere negantes.
Est etenim comis brevitas. Sic fama renatum
Pythagoram docuisse refert, cum multa loquaces
Ambiguis sererent verbis, contra omnia solum
Est, respondebat, vel non. O certa loquendi
Regula ! nam brevius nihil est, nec plenius istis :
Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt.
Nemo silens placuit : multi brevitate loquendi.
Verum ego quo stulte dudum spatiosa locutus
Provehor ? ut diversa sibi vicinaque culpa est,
Multa loquens, et cuncta silens ! non ambo placemus :
Nec possum reticere, jugum quod libera numquam
Fert pietas, nec amat blandis postponere verum.
Vertisti, Pauline, tuos dulcissime mores ?
Vasconis hoc saltus, et ninguida Pyrenæi
Hospitia, et nostri facit hoc oblivio cœli ?
Imprecer ex merito quid non tibi, Hiberia tellus ?
Te populent Pœni : te perfidus Annibal urat :
Te belli sedem repetat Sertorius exsul.
Ergo meum, patriæque decus, columenque senati,
Bilbilis, aut hærens scopulis, Calagorris habebit ?
Aut quæ dejectis juga par scruposa ruinis
Arida torrentem Sicorim despectat Hilerda ?
Hic trabeam, Pauline, tuam, Latiamque curulem
Constituis, patriosque isthic sepelibis honores ?
Quis tamen ista tibi tam longa silentia suasit ?
Impius ut nullos hic vocem vertat in usus :
Gaudia non illum vegetent : non dulcia vatum
Carmina, non blandæ modulatio flexa querelæ,
Non fera, non illum pecudes, non mulceat ales,
Non quæ pastorum nemoralibus abdita lucis
Solatur nostras Echo resecuta loquelas.
Tristis, egens, deserta colat : tacitusque pererret
Alpini convexa jugi : ceu dicitur olim
Mentis inops, cœtus hominum, et vestigia vitans,
Avia perlustrasse vagus loca Bellerophontes.

Hæc precor : hanc vocem, Bœotia numina, Musæ,
Accipite, et Latiis vatem revocate Camenis.

EPISTOLA XXV.

AUSONIUS SYMMACHO.

Modo intelligo, quam mellea res sit oratio, quam de-
A *lenifica, et quam suada facundia. Persuasisti mihi quod epistolæ meæ apud Capuam tibi redditæ concinnatio inhumana non esset. Sed hoc non diutius, quam dum epistolam tuam legi, quæ me blanditiis inhiantem tuis, velut succo nectaris delibuta, ducit. Ubi vero chartulam pono, et meipsum interrogo, tum absynthium meum resipit, et circumlita melle tuo pocula deprehendo. Si vero, id quod sæpe facio, ad epistolam tuam redii, rursus illicior, et rursum ille suavissimus, ille floridus tui sermonis affatus, deposita lectione, vanescit, et testimonii pondus prohibet inesse dulcedini. Hoc me velut aerius bracteæ fucus, aut picta nebula, non longius, quam dum videtur, oblectat : Chamæleontis bestiolæ vice, quæ de subjectis sumit colorem. Aliud sentio ex epistola tua, aliud ex conscientia mea : et tu*
B *me audes facundissimorum hominum laude dignari ? tu, inquam mihi ista, qui te ultra emendationem omnium protulisti ? aut quisquam ita nitet, ut comparatus tibi non sordeat ? Quis ita ad Æsopi venustatem, quis ad sophisticas Isocratis conclusiones, quis ad enthymemata Demosthenis, aut opulentiam Tullianam, aut proprietatem nostri Maronis accedat ? quis ita affectet singula, ut tu imples omnia ? Quid enim aliud es, quam ex omni bonarum artium ingenio collecta perfectio ? Hæc, domine mi fili Symmache, non vereor, ne in te blandius dicta videantur esse quam verius. Et expertus es fidem meam mentis atque dictorum, dum in comitatu degimus ambo ævo dispari : ubi tu veteris militiæ præmia tyro meruisti, ego tyrocinium jam veteranus exercui. In comitatu tibi verus fui, nedum me peregre*
C *existimes composita fabulari. In comitatu, inquam, qui frontes hominum operit, mentes tegit, ibi me et parentem, et amicum, et si quid utroque charius est, chariorem fuisse sensisti. Sed abeamus ab his, ne isthæc commemoratio ad illam Sosiæ formidinem videatur accedere. Illud quod pene præterii, quanta affectatione addidisti ? ut ad te didascalicum aliquod opusculum, aut sermonem protrepticum mitterem. Ego te docebo docendus adhuc, si essem id ætatis, ut discerem ? aut ego te vegetum, atque alacrem commonebo ? eadem opera et musas hortabor, ut canant, et maria ut effluant, et auras ut vigeant, et ignes ut caleant admonebo : aut si quid invitis quoquë nobis natura fit, superfluus instigator agitabo. Sat est unius erroris : quod aliquid meorum me pœnitente vulgatum est : quod*
D *bona fortuna in manus amicorum incidit. Nam si contra id evenisset, nec tu mihi persuaderes placere me posse. Hæc ad litteras tuas responsa sint : cætera quæ noscere habes, compendii faciam. Sic quoque jam longa est epistola. Julianum tamen familiarem domus nostræ, si quid de nobis percontandum arbitraris, allego. Simul admoneo, ut cum causam adventus ejus agnoveris, juves studium, quod ex parte fovisti. Vale.*

Nota. Symmachus et Paulinus, quibus direxit plures epistolas Ausonius, Ausonio vice rescripserunt plures. Quas videsis sive tomo præcedenti in Epistolario Symmachi, sive ad poetas Christianos quinti sæculi, inter opera Paulini.

AUSONII AD GRATIANUM IMPERATOREM DISCIPULUM

GRATIARUM ACTIO PRO CONSULATU.

Ago tibi gratias, imperator Auguste. Si possem, etiam referrem. Sed nec tua fortuna desiderat remunerandi vicem, nec nostra suggerit restituendi facultatem. Privatorum ista copia est, inter se esse munificos. Tua beneficia ut majestate præcellunt, ita mutuum non reposcunt. Quod solum igitur nostræ opis est, gratias ago : verum ita, ut apud Deum fieri amat, sentiendo copiosius quam loquendo : atque non in sacrario modo imperialis oraculi, qui locus horrore tranquillo et pavore venerabili raro eumdem animum præstat et vultum. Sed usquequaque gratias ago, tum tacens, tum loquens, tum in cœtu hominum, ipse mecum, et cum voce patui, et cum meditatione secessi, omni loco, actu, habitu et tempore. Nec mirum, si ego terminum non statuo tam grata profitendi, cum tu finem facere nescias honorandi. Quis enim locus est aut dies, qui non me hujus aut similis gratulationis admoneat? Admoneat autem? O inertiam significationis ignavæ. Quis, inquam, locus est, qui non beneficiis tuis agitet, inflammet? Nullus inquam, imperator Auguste, quin admirandam speciem tuæ venerationis incutiat : Non Palatium, quod tu cum terribile acceperis, amabile præstitisti. Non forum, et basilice olim negotiis plena, nunc votis, votisque pro tua salute susceptis. Nam de sua cui non te imperante securitas? Non curia, honorificis modo læta decretis, olim sollicitis mœsta querimoniis. Non publicum, in quo occursus gaudentium plurimorum neminem patitur solum gratulari. Non domus commune secretum. Lectus ipse ad quietem datus, beneficiorum tuorum reputatione tranquillior. Somnus abolitor omnium, imagines tuas affert. Ista autem sedes honoris, sella curulis, gloriosa pompis imperialis officii (in cujus me fastigio ex qua mediocritate posuisti) quoties a me cogitatur, vincor magnitudine, et redigor ad silentium, non ingratus beneficiis, sed oppressus. Ades enim locis omnibus, nec jam miramur licentiam poetarum, qui omnia deo plena dixerunt. Spem superas, cupienda prævenis, vota præcurris, quæque animi nostri celeritas Divum instar affectat, beneficiis præeuntibus antecéditur. Præstare tibi est quam nobis optare velocius. Ago igitur gratias, optime imperator, ac si quis hunc sermonem meum iisdem verbis tam sæpe repetitum inopiæ loquentis assignat, experiatur hoc idem prosequi, sed nihil poterit proferre facundius. Aguntur enim gratiæ, non propter majestatis ambitum, nec sine argumentis, imperatori fortissimo : testis est uno pacatus anno et Danubii limes et Rheni; liberalissimo : ostentat hoc dives exercitus; indulgentissimo : docet securitas erroris humani; consultissimo : probat hoc tali principe Oriens ordinatus; piissimo : hujus vero laudis locupletissimum testimonium est pater divinis honoribus consecratus, instar filii ad imperium frater ascitus, a contumelia belli patruus vindicatus, ad præfecturæ collegium filius cum patre conjunctus, ad consulatum præceptor electus. Possum ire per omnes appellationes tuas, quas olim virtus dedit, quas proxime fortuna concessit, quas adhuc indulgentia divina meditatur. Vocarem Germanicum deditione gentilium, Alemanicum traductione captorum, vincendo et ignoscendo Sarmaticum. Connecterem omnia merita virtutis, et cognomina felicitatis : sed alia est ista materia et suo parata secreto, cum placuerit signanter, et breviter omnia quæ novimus indicare, nec persequi, ut qui terrarum orbem unius tabulæ ambitu circumscribunt aliquanto detrimento magnitudinis, nullo dispendio veritatis. Nunc autem quod diei hujus proprium, de consulatu gratias agam : sed procurrunt et aliæ dignitates, atque in vocem gratulationis erumpunt, ac se prius debere profitentur. Tot gradus nomine comitis propter tua incrementa congesti ex tuo merito, te ac patre principibus. Quæstura communis, et tui tantum præfectura beneficii, quæ et ipsa non vult vice simplici gratulari, liberalius divisa quam juncta, cum teneamus duo integrum, neuter desiderat separatum. Sed illi (ut paulo ante promisi) habebunt sui muneris peculiare secretum. Consulatus hic meus orat atque obsecrat, ut obnoxiam tibi uni sinas fieri ejus dignitatem, quem omnibus prætulisti. Quod quidem et ipse sibi invenit gradus, cum clarissimo viro collega meo honore conjunctus, nuncupatione prælatus consul ego, imperator Auguste, munere tuo non passus septa, neque campum, non suffragia, non puncta, non loculos : qui non prensaveram manus, nec cum salutantium confusus occursu : aut sua amicis nomina non reddiderim, aut aliena imposuerim, qui tribus non circumivi, centurias non adulavi, vocatis classibus non intremui, nihil cum sequestre deposui, cum distributore nil pepigi. Romanus populus, Martius campus, et equester ordo, rostra, ovilia, senatus, curia, unus mihi omnia Gratianus. Jure meo, Auguste maxime, affirmare possum, incolumi omnium gratia, qui ad hunc honorem diversa umquam virtute venerunt, venturique sunt. (Suus enim cuique animus, suum meritum, sibique mens conscia est.) Jure, inquam, meo affirmare possum, me mihi videri a cæteris esse secretum. Sunt quos votorum cruciat inanitas. Non optavi. Quos exercet ambitus. Non petivi. Qui assiduitate exprimunt. Non coegi. Qui offeruntur occasione. Non affui. Quos juvat opulentia. Obstat temporum disciplina. Non emi. Nec possum continentiam jactare. Non habui : unum præstare tentavi, et hoc ipsum quasi meum vindicare non possum. In tua

enim positum est opinione, si merui. Fecisti autem, et facies alios quoque consules, piissime Gratiane, sed non et causa pari viros gloriæ militaris : habent enim tecum ut semper laboris, ita dignitatis plerumque, consortium, virtutis quam honoris antiquiore collegio, viros nobilitatis antiquæ : dantur enim multa nominibus, et est Roma pro merito, viros fide inclytos, et officiis probatos, quorum me etsi non secerno numero, tamen, quod ad honoris viam pertinet, ratione dispertio. Quartum hunc gradum novi beneficii, tu, Auguste, constituis deferre tibi ipsi, quo alter ornetur, bona animi tui ad alienam referre præstantiam, eruditionemque naturæ, quam Deo, et patri, et tibi debes, ad alterius gratiam rectius retorquere, quam verius. Tua hæc verba sunt a te mihi scripta, Solvere te quod debebas, et adhuc debere quod solveris. O mentis aureæ dictum bracteatum, o de pectore candidissimo lactei sermonis alimoniam. Quisquamne tam parcus est in ostentatione beneficii? quisquam pondus gratiæ suæ vim meriti profitetur alieni? quisquam denique quod indulget, quasi ab obnoxio deferatur, pretium mavult vocare, quam donum? Certent huic sententiæ veteres illi, et Homerici oratores, subtilis deducta oratione Menelaus, et instar profundæ grandinis ductor Ithacensis, et melleo delibutus eloquio jam tertiæ Nestor ætatis. Sed neque ille concinnius eloquetur, qui se Laconica brevitate collegit : neque ille contortius, qui cum sensibus verba glomeravit ; nec dulcius, cujus lenis oratio mulcendo potius, quam extorquendo persuasit. Solvere te dicis, quod debebas, et debiturum esse, cum solveris. Auguste juvenis, cœli tibi et humani generis rector hoc tribuebat, ut prælatus antiquis, quos etiam elegantia sententiæ istius antecessisti, vincas propria singulorum in Menelao regiam dignationem, in Ulysse prudentiam, in Nestore senectutem. Subjiciet aliquis, Ista quidem adeptus es, sed effare quo merito? Quid me oneras sciscitator? rationem felicitatis nemo reddit. Deus et qui Deo proximus tacito munera dispertit arbitrio, et beneficiorum suorum indignatus per homines stare judicium, mavult de subditis dedisse miraculum. Quo, inquis, merito? ego nullum scio, nisi quod tu, piissime imperator, debere te dicis, et hoc debere latissime pertinet. Sive hoc eruditionis tuæ fenus existimas. Sive sine fenore gloriam liberalitatis affectas. Sive te ponA stantes inclinata in me dignatione præteritos, ut esset quem tu matura ætate jam subcinctum per omnes honorum gradus festinata bonitate proveheres. Timere ut videreris, ne in me vita deficeret, dum tibi adhuc aliquid quod deberes præstare, superesset. Negat Cicero consularis ultra se habere, quod cupiat. Ego autem jam consul et senex, adhuc aviditatem meam jam fatebor, te videre sæpius in hoc magistratu, Gratiane, desidero, ut et sex Val. Corvini, et septem C. Marii, et cognominis tui Augusti tredecim consulatus unus æquipares. Tibi plures potest ætas et fortuna tua præstare, verum ego in numero parcior, quia tu in munere liberalior. Ipsum enim te sæpius hoc honore defraudas, ut et aliis largiaris. Scis enim, imperator doctissime (rursum enim utar
B laude privata), scis, inquam, septem, ac decem Domitiani consulatus, quos ille invidia alteros provehendi continuando conseruit, ita in ejus aviditate derisos, ut hoc eum pagina fastorum suorum, immo fastidiorum fecerit insolentem, nec potuerit præstare felicem. Quod si principi honoris istius temperata (et quæ vocatur aurea) debet esse mediocritas, quid privati status hominibus? Quid æquanimis? Quid jam senibus erga se oportet esse moderaminis? Ego quidem, quod ad honores meos pertinet, et vota saturavi. Tu tamen, imperator optime, tu piisime, tu quem non fatigat liberalitas, nisi quando cessavit. Tu, inquam, indulgentissime Gratiane, ut ad benefaciendum subito es, nec opinus ingenio, adhuc aliquid, quod hoc nomine mihi præstetur, invenies.
C Sic intellexere omnes, sic nobis ordinem ipse fecisti, sic amicus Deo es, ut a te jam impetratum sit, quod non optatur ab aliquo, et quod nondum optamus, adipiscitur. Et rursum aliquis adjiciet, aut sermone libere, aut cogitatione liberius. Nonne olim et apud veteres multi ejusmodi doctores fuerunt? an tu solus præceptor Augusti? Immo ego cum multis conjunctus officio, sed cum paucissimis secretus exemplo. Nolo Constantini temporum taxare collegas : Cæsares docebantur. Superiora exstinguam : dives Seneca nec tamen consul arguetur rectius, quam prædicabitur, non erudiisse indolem Neronis, sed armasse sævitiam. Quintilianus consularia per Clementem ornamenta sortitus, honestamenta nominis potius videtur quam insignia potestatis habuisse. Quomo-
D do Titianus magister, sed gloriosus ille municipalem scholam apud Visontionem Lugdunumque variando non ætate quidem, sed vilitate consenuit. Unica mihi et amplectenda est Frontonis imitatio, quem tamen Augusti magistrum sic consulatus ornavit, ut præfectura non cingeret. Sed consulatus ille cujusmodi ordinario suffectus, bimestri spatio interpositus, in sexta anni parte consumptus, quærendum ut reliquerit tantus orator, quibus consulibus gesserit consulatum. Ecce aliud quod aliquis opponat, In tanti ergo te oratoris fastigium te gloriosus attollis? cui talia requirenti respondebo breviter, Non ego me contendo Frontoni, sed Antonino præfero Gratianum. Celebrant quidem solemnes istos dies omnes

ubique urbes, quæ sub legibus agunt, et Roma de more, et Constantinopolis de imitatione, Antiochia pro luxu, et Carthago discincta, et domus fulminis Alexandria, sed Treviri principis beneficio, et mox cum ipso autore beneficii loca inter se distant, vota consentiunt. Unus in ore omnium Gratianus potestate imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, pontifex religione, indulgentia pater, ætate filius, pietate utrumque. Non possum fidei causa ostendere imagines majorum meorum (ut ait apud Sallustium Marius) nec deductum ab heroibus genus ad deorum stemma replicare, nec ignotas opes, et patrimonia sparsa sub regnis, sed ea quæ nota sunt, dicere potius, quam prædicare. Patriam non obscuram, familiam non pœnitendam, domum innocentem, innocentiam non coactam, angustas opes, verumtamen libris, et liberis dilatatas, frugalitatem sine sordibus, ingenium liberale, animum non illiberalem, victum, vestitum, supellectilem, munda, non splendida. Veteribus ut illis consulibus (excepta quæ tum erat bellicarum collatione virtutum) si quis me conferre dignetur, seponat opulentiam, non derogaturus industriam. Verum quoniam gratiis agendis jamdudum succumbo materiæ, tu orationi meæ, Gratiane, succede. Tu, Gratiane, qui hoc nomen sic per fortunam adeptus es, ut nemo verius ambitione quæsierit. Neque enim justius Metellus cognomento Pius, patre revocato, qui esset impius exsulante: aut verius Sylla felix, quam felicior, antequam vocaretur, quam tu, Gratiane, cui et hoc nomen est, et illa Metelli, Syllæque cognomina. Tu, inquam, Gratiane, qui hoc non singulis factis, sed perpetua grate agendi benignitate meruisti: cui, nisi ab avo deductum esset, ab omnibus adderetur. Tu ipse tibi, inquam, pro me gratiam refer, tu, tuæque virtutes. Bonitas, qua in omnes prolixus es, perpetuus in me. Pietas, qua orbem tuum temperas, quamque in ulciscendo patruo probas, tuendo in fratre cumulas, ornando in præceptore multiplicas. Agat gratias clementia, quam humano generi impertis: liberalitas, qua ditas omnes: fortitudo, qua vincis: et mens ista aurea, quam de communi deo plus, quam unus hausisti. Agant et pro me gratias voces omnium Galliarum, quarum præfecto hanc honorificentiam detulisti: ultra progredior, et hoc quia debere te dicis. Agat quæ optime agere potest, vox ista, quam docui. Jamdudum autem quam grati animi, tam sermonis exigui (ut supra dictum est) succumbo materiæ, neque adhuc illa perstrinxi, quæ ne infantissimus quidem, nisi idem impiissimus, eminentia per famam, et omnium gaudiis testata supprimeret. Quæ supra vires dicendi meas posita cunctor attingere, aut ingrati crimine arguendus, aut temerarii professione culpandus, tamen alterum cum subeundum sit, audaciam quam malevolentiam malo reprehendi. Tu, Auguste venerabilis, districtus maximo bello, assultantibus tot millibus Barbarorum, quibus Danubii ora protexitur, comitia consulatus mei armatus exerces. Tribunitia ista quod in urbe Syrmio geruntur, an ut quod in procinctu Centuriata dicentur? an ut quondam pontificalia vocabuntur sine arbitrio multitudinis sacerdotum tracta collegio? Sic potius, sic vocentur, quæ tu, pontifex maximus, Deo participatus habuisti. Non est ingenii mei, piissime imperator, talia comminisci. Verba sunt litterarum tuarum, quibus apud me auctoritatem summi numinis, et tuæ voluntatis amplificas. Sic enim loqueris: *Cum de consulibus in annum creandis solus mecum volutarem, ut me nosti, atque ut facere debui, ut velle te scivi, consilium meum ad Deum retuli, ejus auctoritati obsecutus te consulem designavi, et declaravi, et priorem nuncupavi.* Cujus orationis ordo lucidior? quæ doctrina tam diligens propriis comitiorum verbis loqui, nec vocabulis moris antiqui nomina peregrina miscere? Valete modo classes, populi, et urbanarum tribuum prærogativæ, et centuriæ jure revocatæ. Quæ comitia pleniora umquam fuerunt, quam quibus præstitit Deus consilium, imperator obsequium? Et nunc ego, piissime imperator, ne fastigium auditorii sacri, dictorum tuorum timidus interpres offendam, divinitatis tuæ prope cum piaculo verba transcurro. *Cum de consulibus*, inquis, *in annum creandis*: erudita vox, et cura solemnis! *Cum solus mecum volutarem*: o profundi altitudo secreti! habes ergo consiliatorem, et non metuis proditorem. *Ut me nosti*: quid familiarius? *Ut facere debui*: quid constantius? *Ut velle te scivi*: quid dici blandius potest? *Consilium meum ad Deum retuli.* Et quemadmodum solus, cui præsto est tam grande consilium? An plenius cum senatu, cum equestri ordine, cum plebe Romana, cum exercitu tuo, et provinciis omnibus deliberasses? *Consilium meum ad Deum retuli.* Non ut, credo, novum sumeres, sed ut sanctius fieret, quod volebas ejus auctoritati obsecutus scilicet, ut in consecrando patre, in ulciscendo patruo, in cooptando fratre fecisti. *Te consulem designavi, et declaravi, et priorem nuncupavi.* Quis hæc verba te docuit? ego tam propria, et tam Latina *nescivi, designavi, et declaravi, et nuncupavi.* Non fit hoc temere, habet moras suas dispartitis gradibus tam matura cunctatio. Has ego litteras tuas in omnibus pilis, atque porticibus (unde de plano legi possint) instar edicti pendere mandavero. Nonne tot statuis honorabor, quot fuerint paginæ libellorum? sed ad planiora festino. Ab hac enim litterarum ad me datarum parte digressus, eo quoque descendisti, ut quæreres, qualis ad me trabea mitteretur. Omne largitionum tuarum ministerium sollicitudine fatigasti. Non ergo supra consulatum mihi est adhibita per te cura tam diligens. Pro me cura tam felix? Illyrico arma quatiuntur. Tu mea causa per Gallias civilium decorum indumenta dispensas. Loricatus de toga mea tractas. In procinctu et maxime dimicaturus palmatæ vestis meæ ornamenta disponis feliciter, et bono omine. Namque iste habitus ut in pace consulis est, sic in victoria triumphantis. Parum est, si qualis ad me trabea mittatur, interroges, te coram promi jubes. Nec satis habes, ut largitionum ministri

ex more fungantur. Eligis ipse de multis, et cum elegeris, munera tua verborum honore prosequeris. *Palmatam*, inquis, *tibi misi, in qua divus Constantinus parens noster intextus est.* Me beatum, cujus insignibus talis cura præstetur. Hæc plane, hæc est picta (ut dicitur) vestis non magis auro suo, quam tuis verbis. Sed multo plura sunt in ejus ornatu, quæ per te instructus intelligo. Geminum quippe in uno habitu radiat nomen Augusti. Constantinus in argumento vestis intexitur, Gratianus in muneris honore sentitur. Accessit tam impenso beneficio tuo pondus quorumdam sciscitatione cumulatum. Interrogatus, quem priorem decerneres consulem : nec dubitandum esse dixisti tu, et qui tecum boni sunt, dubitare non poterant. Sed tamen ad hoc dictum erexerant animos, qui libenter clarissimum virum collegam meum, quem præsentem habebat occasio, prælatum credidissent. Fatigantes tamen quod intellexerant, requirebant. Hic tu, sicut mihi renuntiatum est, noto illo pudore tuo paulisper hæsisti : non rationis ambiguus, sed eorum dubitationem vultu et rubore condemnans, qui studium suum interpretationis errore palpabant. Deinde illico subdidisti. Quid de duobus consulibus designatis quæritis : quis ordo sit nuncupationis? Anne alius quam quem præfectura constituit? O felicem verecundiam tuam, cui ista popularis ratio tam prudenter occurrit! Scisti aliud, Gratiane, quod diceres : sed propter quorumdam verecundiam dicere noluisti. Scrupulosus hic mihi locus est : et propter eam, quam numquam appetivi, gloriam recusandus. Cum priore renuntiatus sim, satis est tuum tenere judicium. Interpretes valete meritorum. Neque autem ego, sacratissime imperator, in tenui beneficio gradum nuncupationis amplector. Num est hæc gloria ignota Ciceroni? *Prætorem me*, inquit, *Pop. Rom. primum fecit consulem priorem.* Ex ipsa ejus sententia intelligitur, commendabilius ei videri uni quam pluribus esse præpositum : nulla enim est quidem contumelia secundi, sed ex duobus gloria magna prælati. Alexandri Macedonis hoc fertur, cum legisset illos Homericos versus, quibus, Hectore provocante, e novem ducibus, qui omnes pugnare cupiebant, unum deligi placeret sortis eventu, trepida ubi conceptione votorum Jovem optimum maximum totus precatur exercitus, ut Ajacem vel Tydei filium aut ipsum regem ditium Mycenarum sortiri patiatur Agamemnonem : *Occiderem*, inquit, *illum qui me tertium nominasset.* O magnanimitatem fortissimi viri. Nominari inter novem tertius recusabat, ubi certe pluribus antecelleret, quam subesset. Quanta hic verecundia gravaretur posterior de duobus? Est enim in hoc numero arduæ plena dignationis electio, cum universis mortalibus duo qui fiant, consules præferuntur. Qui alteri præponitur, non uni, sed omnibus antefertur. Exspectare nunc aures præsentium scio, et eminere in omnium vultu intelligo, quod desiderio concipiatur animorum. Existimant enim, cum ea quæ ad grates agendas pertinebant, summatim tenuiore filo (ut dicitur) deducta libaverim, aliqua me etiam de majestatis tuæ laudibus debere perstringere. Quamquam me istam dixerim seposuisse materiam, et in tempus aliud reservare : nihilominus tamen ut nunc aliqua contingam, nutu et prope murmure cohortantur. Itaque faciam, quando cogunt volentem : sed majoribus separatis tenuiora memorabo, nulla spe ad plenum exsequendi, sed universi ut intelligant eorum quæ intus prædicanda sunt, a me poscendam esse notitiam, ab aliis dignitatem. Nec excellentia, sed quotidiana tractabo. Nullum tu umquam diem ab adolescentia tua nisi adorato dei numine et reus voti et illico absolutus egisti, lautis manibus, mente pura, immaculabili conscientia, et quod in paucis est, cogitatione sincera. Cujus autem umquam egressus auspicatior fuit? aut incessus modestior? aut habitudo cohibitior? aut familiaris habitus condecentior? aut militaris accinctior? In exercendo corpore quis cursum tam perniciter incitavit? Quis palæstram tam lubricus expedivit? Quis saltum in tam sublime collegit? Nemo abductius jacula contorsit, nemo spicula crebrius jecit, aut certius destinata percussit. Mirabamur poetam, qui infrenes dixerat Numidas; et alterum, qui ita collegerat, ut diceret in equitando verbera, et præcepta esse fugæ, et præcepta sistendi. Obscurum hoc nobis legentibus erat. Intelleximus te videntes cum idem arcum intenderes, et habenas remitteres, aut equum segnius euntem verbere concitares, vel eodem verbere intemperantiam coerceres. Qui te visi sunt hoc docuisse, non faciunt. Immo qui visi sunt docuisse, nunc discunt. In cibis autem cujus sacerdotis abstinentior ceremonia? In vino cujus senis mensa frugalior? Operto conclavis tui non sanctior ara Vestalis, non pontificis cubile castius, nec pulvinar flaminis tam pudicum. In officiis amicorum non dico paria reddi : antevenis. Et quoties in obsequendo præcedimus, erubescis pudore tam obnoxio, quam in nobis esse deberet ab imperatore præventis. In ista vero sede (ut ex more loquimur, consistorii, ut ego sentio sacrarii tui) nullus umquam superiorum aut dicenda pensius cogitavit, aut consultius cogitata disposuit, aut disposita maturius expedivit. Et aliqua de oratoriis virtutibus tuis dicerem, nisi vererer mihi gratificari. Non enim Sulpitius acrior in conditionibus, nec majoris Gracchi commendabilior modestia fuit, nec patris tui gravior auctoritas. Qui tenor vocis, cum incitata pronuntias? Quæ inflexio, cum remissa? Quæ temperatio, cum utraque dispensas? Quis oratorum læta jucundius, facunda cultius, pugnantia densius, densata glomeratius, aut dixit, aut, quod est liberum, cogitavit? Vellem (si rerum natura pateretur), Xenophon Attice, in ævum nostrum venires, tu qui ad Cyri virtutes exsequendas votum potius quam historiam commodasti, cum diceres, non qualis esset, sed qualis esse deberet. Si nunc in tempora ista procederes, in nostro Gratiano cerneres, quod in Cyro tuo non videras, sed optabas. Atque ista omnia

quasi punctis quibusdam acuminata signavi. Si facundia pro voluntate suppeteret, quamquam non copiosus exsequerer ubertatem stylo rerum magnitudine suggerente : sed nec hujus diei, nec hujus ista materiæ. Qui dicturi estis laudes principis nostri, habetis velut seminarium, unde orationum vestrarum jugera compleatis. Ego ista perstrinxi. Atque, ut sciunt omnes, possum videri familiaris notitiæ secretus interpres, domestica isthæc non tam prædicare, quam prodere. Atque ut ista dixi de cognitis mihi atque intra aulam familiaribus, possem et foris celebrata memorare, nisi omnia omnes et separatim sibi quisque novisset. Possem pari brevitate dicere superiora. Emendatissimi viri est pigenda non facere. At tu numquam pœnitenda fecisti, et semper veniam pœnitentibus obtulisti. Pulchrum est indulgere timentibus. Sed tu perpetuæ bonitatis edictis occurristi omnibus, ne timerent. Magnificum largiri honores. Tu honoratos et liberalitate ditasti. Laudabile est imperatorem faciles interpellantibus præbere aditus, nec de occupatione causari. Tu confirmas adire cunctantes, etiam querimoniis explicatis, ne quid adhuc sileatur, interrogas. Celebre fuit Titi Cæsaris dictum, perdidisse se diem, quo nihil boni fecerat. Sed celebre fuit, quia Vespasiani successor dixerat, cujus nimia parcimonia, et austeritas vix ferenda miram fecerat filii lenitatem. Tu Valentiniano genitus, cujus alta bonitas, præsens comitas, temperata severitas fuit, parto et condito optime reipublicæ statu, intelligis posse te esse lenissimum, sine dispendio disciplinæ. Neque vero unum aliquod bonum uno die præstas, sed indulgentias sæculares per singula horarum momenta multiplicas. Vel illud unum cujusmodi est, de condonatis residuis tributorum ? Quod tu quam cumulata bonitate fecisti? Quis umquam imperatorum hoc provinciis suis aut uberiore indulgentia dedit, aut certiore securitate prospexit, aut prudentia consultiore munivit? Fecerat et Trajanus olim, sed partibus retentis, non habebat tantam oblectationem concessi debiti portio, quanta suberat amaritudo servati. Et Antonius indulserat, sed imperii, non beneficii successor invidit, qui ex documentis tabulisque populi condonata repetivit. Tu argumenta omnia flagitandi publicitus ardere jussisti. Videre in suis quæque foris omnes civitates conflagrationem salubris incendii. Ardebant stirpes fraudum veterum : ardebant seminaria futurarum. Jam se cum pulvere favilla miscuerat. Jam nubibus fumus involverat, et adhuc obnoxii in paginis concrematis ductus apicum et sestertiorum notas cum juvantia de ratione cernebant, quod meminerant lectum legi posse et verentes. Quid te, imperator Auguste, indulgentius ? Quid potest esse consultius ? Quæ bona præstas, efficis, ne caduca sint. Quæ mala adimis, prospicis ne possint esse recidiva. Hæc provincialibus indulgentiæ bona. Quid illa nostro ordini? Quid illa militibus Antoninorum comitas fuit ? Et jam inde Germanicorum cohorte amicorum et legionibus familiaris humanitas. Sed ego nolo benevolentiam tuam aliorum collatione præcellere. Abundant in te ea bonitatis et virtutis exempla, quæ sequi cupiat ventura posteritas, et si rerum natura pateretur, ascribi sibi voluisset antiquitas. Necesse est tamen aliquid comparari, ut possit intelligi bona nostra quo præstent. Ægrotantes amicos Trajanus visere solebat, hactenus in eo comitas prædicanda est. Tu et visere solitus, et mederi : præbes ministros, instruis cibos, fomenta dispensas, sumptum adjicis medelarum, consolaris affectos, revalescentibus gratularis. In quot vias de una ejus humanitate progrederis ? Legionibus universis, ut in communi Marte evenit, si quid adversi acciderat, vidi te circumire tentoria, satin'salve quærere, tractare vulnera sauciorum, et ut salutiferæ apponerentur medelæ, atque ut non cessaretur, instare. Vidi quosdam fastidientes, cibum, te commendante, sumpsisse. Audivi confirmantia ad salutem verba profari; occurrere desideriis singulorum; hujus sarcinas mulis aulicis vehere; his specialia jumenta præbere: illis ministeria perditorum instaurare lixarum ; aliorum egestatem tolerare sumptu; horum nuditatem velare vestitu; omnia agere indefesse et benigne, pietate maxima, ostentatione nulla; omnia præbere ægris, nihil exprobrare sanatis. Inde cunctis salute nostra charior factus meruisti, ut haberes amicos obnoxios, promptos, devotos, fideles in ævum omne mansuros : quales charitas potius quam fortuna conciliat. Concludam deinceps orationem meam, piissime Auguste, sermonis magis fine quam gratiæ. Namque illa perpetua est, et spatio non transmeabili, terminum calcis ignorat. Flexu tamen parvo nec a te procul convertar ad Deum : Æterne omnium genitor, ipse non genite opifex, et causa mundi, principio antiquior, fine diuturnior, qui templa tibi et aras penetralibus initiatorum mentibus condidisti, tu Gratiano humanarum rerum domino, ejusmodi semina nostri amoris inolesti, ut nihil in digressu segnior factus, meminisset et relicti, illustraret absentem, præsentibus anteferret. Dein quia interesse primordiis dignitatis per locorum intervalla non poterat, ad solemnitatem condendi honoris occurreret, beneficiis ne deesset officium. Quæ enim memoria, memoria, inquam, transcursum tantæ celeritatis, vel in audacibus Græcorum fabulis commenta est? Pegasus volucer actus a Lycia non ultra Ciliciam permeavit. Cyllarus atque Arion inter Argos Nemeamque senuerunt. Ipsi Castorum equi, quod longissimum iter est, non nisi mutato vectore transcurrunt. Tu, Gratiane, tot Romani imperii limites, tot flumina et lacus, tot veterum intersepta regnorum abusque Thracia per totum (quam longus est) locum Illyrici, Venetiam, Liguriamque, et Galliam veterem, insuperabilia Rhetiæ, Rheni accolas, Sequanorum invia, porrecta Germaniæ, celeriore transcursu, quam est properatio nostri sermonis, evolvis, nulla requie otii, ne somni quidem aut cibi, munere liberali, ut, Gallias tuas inopinatus illustres, ut consulem tuum,

quamvis desideratus, anticipes, ut illam ipsam, quæ auras præcedere solet, famam facias tardiorem. Hoc senectuti meæ, hoc honori a te datum, supremus ille imperii et consiliorum tuorum deus conscius, et arbiter et auctori ndulsit, ut sellam curulem, cujus sedem frequenter ornabis, ut prætextam meam purpuræ tuæ luce fucatam, ut trabeam non magis auro suo quam munere tuo splendidam, quæ ab Illyrico A sermonis dignitas honestavit, apud Gallias illustriora præstares, quæstorem ut tuum præfectum, ut tuo prætorio consulem tuum, et quod adhuc cunctis meis nominibus anteponis, præceptorem tuum, quem pia voce declaraveras, justa ratione prætuleras, liberali largitate ditaveras, Augustæ dignationis officiis consecrares.

Apud Gratianum Augustum.

PERIOCHÆ IN HOMERI ILIADA ET ODYSSEAM.

Si Homerum, scriptorem Troici belli, eatenus, qua Iliadem suam incipit, quaque finit, percenseamus, orsum ab iracundia Achillis ad sepulturam Hectoris, quatuor et viginti libros contexuisse monstrabimus. Hæc ejus species apparet summam cutem primi operis intuenti. Verum hoc scripturæ ipsius tempus Trojano bello non totum, sed pene ultimum fuit. Nam si ratio putanda est oppugnationis decennis, nonus fere annus, idemque prope finem sui ea negotia continebit, quæ ab injuria Agamemnonis ac Briseidis usurpatione usque ad funus Hectoris digna memoratu erunt. Illa temporum series, quæ ab ejusdem belli causis atque origine pertinet ad urbis excidium. Atque ex eo eveniet, ut ignaris judicandi et œconomiæ expertibus, multa nobilia ab exordio belli usque ad Achillis jurgium omissa videantur. Nec minus multa ab Hectoris funere adusque deletum Ilium. Quorum quidem maxima exspectatio erat propter tam longi certaminis consummationem. Sed ut divinum poetam, nihil quod illustre fuerit, omisisse appareat, atque omnia quæ finiri oportuit, contigisse, breviter, et in Epitomæ speciem, belli Troici causam originis, apparatusque quæ annis superioribus acciderunt, retexuimus. Horum omnium prima origo est Paridis judicium inter deas, denique classis contextio, qua idem Paris in Europam navigavit. Tum raptio Helenæ, quæ opinione veterum bipartita est, quod plerique Helenam juxta Homericum plasma ad Trojam deportatam fuisse existimaverunt, nonnulli autem opinati sunt, cum Alexander cursu deerrasset, delatusque ad Ægyptum fuisset, cognita hospitalis fœderis injuria, per Ægyptium regem, servantissimum justi virum, Helenam cum iis, quæ una cum eadem fuerant, abreptam, Paridique sublatam, expugnato demum Ilio, Menelao restitutam.

Periocha libri primi Iliados.

Iram, diva, refer nati Peleos Achillei
Pestiferam, quæ mille dedit discrimina Achivis.

Chryses Apollinis sacerdos ob redimendam filiam cum Agamemnoni supplicasset et contumeliose repulsus [*supp.* esset], deum precatur ultorem: insecuta subinde gravi pestilentia, cum Græcorum exercitus interiret, cogit Achilles concilium, et ab eodem invitus Calchas morbi causam compellitur indicare: qua cognita Agamemnon concitatur in Achillem. Qui percitus iracundia etiam cædem regis audebat, nisi eum in ultimum furorem progredi Minerva vetuisset. A quo Briseis concubina in locum Chryseidis, quæ patri reddebatur, abducta est. Inde Thetis mater ad cœlum, lacrymas et contumeliam filii miserata profiB ciscitur. Quæ fiducia defensi quondam cum Ægeone Jovis ultum iri affectanti injuriam, obtestatur summum deorum, ut Trojanos in rebus belli superiores esse patiatur. Quibus Juno compertis iracunde adversum conjugem commovetur. Sed gliscens jurgium perderidiculum, ministrante Vulcano, simul consilii specie intercedente lenitur.

Periocha libri II *Iliados.*

Cœlestes, hominumque genus superabile curis
Tranquilla obscuri carpebant munera somni.
At non pervigilem nox irrequieta tonantem
Leniit, immodicos volventem corde paratus,
Cædibus ut Graium læsum ulciscatur Achillem.

Jupiter Agamemnonem somno monet prælii faciendi tempus adesse, ne cunctetur dimicare. Tum ille in C consilium proceribus advocatis, mandatum Jovis et speciem nocturnæ quietis explanat. Mox in concione multitudine congregata, pertentat militum voluntatem, utque deposito bello ad sua quique redeant, cohortatur. Jamque omnibus navigationem adhortantibus, fœda discessio ab Ulysse cohibetur. A quo etiam Thersites deformis et loquax, et in Heroum contumelias verborum licentia promptus cum acerba objurgatione pulsatur. Ipse Minervæ monitu cunctos a profectione deterret. Sumpto deinde cibo armatur exercitus. Neque secius a Trojanis instructa acies Iride ita monente producitur. Sequitur enumeratio copiarum viritim, ut per catalogi seriem milites, naves, duces, patriæ referantur.

Periocha libri III *Iliados.*

Argivos sua quosque acies in bella sequuntur,
Dispositi in turmas equitum cuneosque pedestres.
Turbida clangentes confundunt agmina Troes.

Instructum prælio exercitum, priusquam feriret acies, Priamus spectat e muris, et monstratu Helenæ de viris insignibus edocetur. Dehinc Menelaus ad singulare certamen ab Alexandro provocatur: qui frustra Agamemnone dehortante, congreditur: facta inter utrosque populos sponsione, et fœdere per sacra firmato, sub ea conditione, ut victorem Helena cum dote sequeretur. Sed superatus Paris, regressusque ad urbem jurgio uxoris excipitur, ab Agamemnone fœderis pacta repetuntur.

Periocha lib IV *Iliados.*

Juppiter interea cum diis genitalibus una
Concilium cogit superum de rebus Achivis.

Jovi placet delere Trojam, ad quod pertinacia Junonis urgetur. Cumque id fieri Minerva properaret, dissidium fœderis comminiscitur, et Pandarum sagittandi peritum astu suadentis aggreditur, ut clam, vulnerato Menelao, belli causa crudescat. Quo facto, a Græcis prælium instauratur, congressisque exercitibus mutua clade decernitur.

Periocha lib. V *Iliados.*

Hic et Tydidem monitum Tritonia Pallas
Audaci virtute replet, vomit aurea flammas
Cassis, et undantem clypeus defulgurat ignem.
Ipse autumnali clarum micat æmulus astro.

Diomedes auxilio Minervæ strenue prælialur. Venus quoque filio subvenire conata, vulnere affecta digreditur. Mars etiam fit saucius exceditque bello. Sequitur Tlepolemi, Sarpedonisque congressio. Et Tlepolemus Herculis filius certamine victus occiditur.

Periocha lib. VI *Iliados.*

Solæ decertant acies, sine numine divum,
Cessante auxilio : vacuique exorsa laborem,
Fortunamque; ferunt proprii discrimine fati.

Trojanis fortuna inclinatiore pugnantibus, vates Helenus suadet, ut Minerva placetur. Igitur Hecuba ab Hectore monita, ut peplum in arcem inferat, peragit vota cum matribus. Alexander objurgatus a fratre pergit in prælium. Glaucus Lycius, Ætolusque Diomedes congressi ut dimicarent, cum jam certamen oriretur, paterna inter se hospitia recordati, facta armorum permutatione discedunt.

Periocha lib. VII *Iliados.*

Hæc ubi dicta dedit, portis sese extulit Hector.

Minervæ, Apollinisque consensu fortissimus Græcorum ab Hectore provocatur. Novem ducibus ad dimicandum paratis, pugnaturum deligi placet sortis eventu. Ab Ajace Telamonio prælium singulare conseritur, in quo Hector lapide ictus in suorum se recipit multitudinem. Perseverante certamine caduceator Idæus intervenit. Tum invicem missis muneribus pugna sedatur. Hector Ajacem gladio, Ajax Hectorem balteo muneratur. Intercessu noctis exercitus quique in sua discedunt. Die altero interfectorum humatio procuratur. Græcorum etiam navalia fossa ac vallo circumdata muniuntur.

Periocha lib. VIII *Iliados.*

Aurora in croceis fulgebat lutea bigis.

Acto deorum concilio, Jupiter pro parte pronuntiat, sua quisque exercitus sorte decernat, nullus deorum odio in alterius favorem procedat. In Idam montem ipse digressus, unde Græci immisso terrore conterriti, turpi fuga ad munimenta compulsi, fossa et aggeribus sese tuentur. Junonem ac Minervam Græcis auxiliari volentes monitis Jovis Iris exterret. Diremptoque ob noctem certamine, victores Trojani in ipso prælii loco excubias obsidionis instituunt, A multisque ignibus factis per totam noctem de belli ratione consultant.

Periocha lib. IX *Iliados.*

Interea vigilum excubiis cohibentur Achivi.

Græcis et præterita dimicatione perculsis, et instante conterritis, proceres ab Agamemnone convocantur. Quibus rex fugæ consilia et apparatum ordinandæ per noctem navigationis indicit, Diomede et Nestore dehortantibus. Suadente autem Nestore Ajax et Ulysses legantur ad Achillem dona ingentia pollicentes, si desistat irasci, et se auxiliatorem fessis rebus accommodet. Sed Achille iniracundia pertinaciter permanente, legati Achivorum, re non impetrata, irriti revertuntur.

Periocha lib. X *Iliados.*

Cætera per naves somno sopita manebat
Turba ducum, solum cura anxia vexat Atridem.

Ulysses et Diomedes speculatum nocte progressi Dolonem conspicantur, qui et ipse promissis Hectoris incitatus, Græcorum consilia exploratum prodierat. Et fateri universa compulsum eodem loco interficiunt. A quo de adventu Rhœsi Thracum regis edocti, ipsum etiam cum eo obtruncant, equosque ejus præmium simul et testimonium grassationis adducunt insignes candore et celeritate, ut et nivibus et ventis antecederent.

Periocha lib. XI *Iliados.*

Tithoni croceum linquens Aurora cubile
Spargebat terras, referens opera atque labores.

Ab omnibus Græcis egregie quidem, sed improspere dimicatur. Quorum proceribus vulneratis incognitæ multitudini pugna committitur. Qua afflictione fortunæ Achilles paulisper inflexus Patroclum mittit præsentia cogniturum. Qui cum adversi status nuntius reverteretur, Euripylum contemplatur ægrum ex vulnere : fomentisque medicæ artis admotis redintegrat sanitati.

Periocha lib. XII *Iliados.*

Actorides fovet Euripylum dum vulnere fessum.

Partes dubiæ apud Græcos vel potius afflictæ, ultimæ fortunæ statu aguntur, præstantibus procerum vulneratis, cætero exercitu fugato aut formidine perculso. Trojani navalium munimenta rescindunt, vallumque transgressi auguriis juvantur ex eventu ambiguis. Itaque et pars muri ab Sarpedone convellitur, et ab Hectore ictu lapidis porta discutitur, et in ipsis navalibus pugna conseritur.

Periocha lib. XIII *Iliados.*

Juppiter admovit Troas atque Hectora classi.

Neptunus miseratione commotus Argivorum tuendis navibus auxiliator accedit, et usurpata vatis effigie, Ajaces duos in prælium cohortatur, nec minus cæteram multitudinem præsentia majestatis instigat. Idomeneus egregio certamine eminet. Trojani jam referentes gradum, firmati rursum per Hectorem contrahuntur, et ingenti clamore utrinque certatur.

R. GIMN. ARCHIGYMNASI

Periocha lib. XIV *Iliados.*

Concussit quamvis potantem Nestora clamor,
Attonitasque aures pepulit gravitate tumultus.

Juno vinculum Veneris (cui cesto nomen est) mutuata, ad Jovem pergit in secessum montis Idæ, exhortatoque Somno, ut eum committeret in soporem, ac dehinc vigilias ejus uxoris labefactat illecebris. Cujus ignoratione Neptunus abutitur, fortunamque Græcorum promptius auxiliando restituit, Ajace Locro ultra cæteros præliante.

Periocha lib. XV *Iliados.*

Jam vallum, fossamque super Trojana juventus
Institerat, captæ minitans incendia classis.

Jupiter somno expergitus, videt statum certaminis innovatum, pellique Trojanos : Græcis opem ferente Neptuno. Itaque aspere Junone increpata, et minaciter per iridem conterrita, fratrem jubet auxiliatorem desistere. Ipse Apollinem recreando allegat Hectori, monetque pro Phrygibus belli instaurare fortunam. Tum et Ajax Telamonius strenue præliatur, et ab eodem plurimis hostium interfectis, conflagratio classis arcetur.

Periocha lib. XVI *Iliados.*

Dum face, dum ferro celsam oppugnare carinam
Troes, et Argolici pergunt defendere reges :

Achilles Græcorum statum jam sub extrema sorte miseratur, armis suis Patroclum permittit armari. Qui cum Myrmidonum produxisset exercitum, consternatosque Trojanos Achillis specie fefellisset, ruentes supra vallum et invicem effugientes cæco pavore usque ad campi aperta compellit. Deinde congressus Sarpedonem perimit, multisque hostium cæsis, ipse ab Hectore interficitur, prius ab Euphorbo vulneratus.

Periocha lib. XVII *Iliados.*

Actoridem cæsum nec te, Menelae, fefellit.

Circa interemptum Patroclum pugna contrahitur. Cum diversi exercitus contenderent, Græci, ut corpus defenderent, Trojani, ut ad ludibrium cadaver eriperent, a Menelao Euphorbus occiditur, et ad ostentationem gloriosi facinoris Achillis exuviis Hector armatur. Antilochus ad Achillem nuntius cladis acceptæ, Menelao instante, festinat. Qui et ipse postea cum Merione intra navalium munimenta se recipit, cum tota moles belli Ajacibus ingruisset.

Periocha lib. XVIII *Iliados.*

Dum furit in medio belli vis ignea Martis :

Achilles inmiserabilem modum Patrocli deflet interitum, quem vi doloris actum consolantibus verbis mater alloquitur ; nec inultum amicum fore pollicens, perlaturam sese Vulcani arma promittit. Interea et Iris ab Junone demittitur, cujus instantia Achilles extra vallum, quamquam inermis, egreditur, conterritisque Trojanis super alios aliis præcipitantibus late fuga, et latius formido porrigitur. Eodemque tempore et Vulcanus exhortatus a Thetide tota A nocte (quam longa est) cœlestia in gratiam Nymphæ arma molitur.

Periocha lib. XIX *Iliados.*

Oceanum interea surgens Aurora reliquit.

Achilles armis cœlestibus ope Vulcani et munere matris instruitur. Dein Græcorum primoribus in concilium vocatis, iracundiam sub abolitione deponit, et promissis ab rege muneribus coram concione ditatur. Tum militibus cibum capere jussis, ipse abstinet. Infesto deinde atque intento exercitu pergit in prælium.

Periocha lib. XX *Iliados.*

Jamque adeo celsis armati e navibus ibant,
Millia quot magnis umquam venere Mycenis.

At integris amborum copiis inter utrosque exercitus pugna conseritur. Dein permissu Jovis in partes deorum studia dividuntur. Cum pro Græcis Juno, et Minerva decertarent, neque secius eos Neptunus et Mercurius, et Vulcanus assererent, Trojanos Apollo cum Venere, et Diana cum matre, Mars etiam et cum eis Scamander adjuvarent. Tum Æneam diis, et viribus iniquis cum Achille congressum, quamquam studens Græcis, nube circumdatum Neptunus eripuit.

Periocha lib. XXI *Iliados.*

Intulerat fluvio trepidas fuga fœda catervas.

Trojanis usque ad Scamandri fluminis alveum fuga et terrore compulsis, cum jam longius abeundi spatium non pateret, in ipso amne, cum flumen exundat, ibi ab Achille duodecim Trojanorum juvenes vincuntur, qui Patrocli inferiis immolarentur. Ipse Vulcanus ardoribus suis vim torrentis exurit. Tum in campum Achille progresso, passim studia deorum pro sua singulari parte depugnant. Trojanorum exercitus, instante victore, in mœnia urbis impingitur.

Periocha lib. XXII *Iliados.*

Pulsa metu Phrygios lustrabant agmina muros.

Hector singulari certamine cum Achille congreditur, Priamo, atque Hecuba, ne pugnaret, orantibus, Minerva econtrario specie Deiphobi, ut dimicet adhortante. Hector interfectus et religatus ad currum, ter circum mœnia Trojana raptatur. Deinde lacerum corpus defertur ad naves ultioni Patrocli, et victoris iracundiæ ad ulteriora supplicia reservandum.

Periocha lib. XXIII *Iliados.*

Troja vacat lacrymis, ludis Argiva juventus.

Funebres ludi in honorem Patrocli frequentantur, quibus Diomedes equis superat, lucta et cursu Ulysses, aliosque alii genere certationis antestant.

Periocha lib. XXIV *Iliados.*

Quisque suas repetunt misso certamine naves.

Jupiter Thetidem mittit ad filium cum mandatis ejusmodi, ut in defunctum sævire desistat, fataque hominum in exanimo hoste vereratur, ad sepulturam corpore restituto. Ejusdem jussu et Iris cohor-

tatur Priamum, ut auro filium rependat exanimum. Qui Mercurio duce inter nocturnas hostium profectus excubias, Achilli supplex advolvitur, redemptumque filium justitio publico et deflet, et sepelit.

Periocha primi libri Odysseæ.

Dic mihi, Musa, virum captæ post mœnia Trojæ,
Qui mores hominum multorum vidit et urbes.

Minerva in Ithacam, Jove ita volente, descendit, Mentorisque Taphiorum regis ducis sumit effigiem, suasura Telemacho, ut ad Nestorem, Menelaumque festinet, qui recens domum regressi certi aliquid de Ulysse novissent. Tunc Phemius citharista adhibitus convivio procorum inchoat flebilem cantilenam navigationis improsperæ, quæ profectos ab Ilio Græcos diversis sparsit exiliis, quem Penelope digressa, Chalcidico argumento tam miserabilis offensa materiæ, ut alia concinat, adhortatur.

Periocha lib. II *Odysseæ.*

Oceano extulerat roseas Aurora jugales.

Telemachus Ithacesios proceres cogit ad curiam, atque ibidem de contumelia domus, et bonorum profligatione conquestus, consilia profectionis exponit, Antinoo resistente, qui eum prius, quam mater nuberet, abire prohibebat. Qua altercatione diu protracta, concilium dissolutum est. Telemachus ad littus procis ignorantibus pergit: astantem sibi odorans Minervam, peregrinationi accommoda parat, hortante maxime dea, quæ populum, ipsumque Telemachum Mentoris simulatione fallebat. Instructo ergo remigio, et nave deducta, Telemachus et Minerva de portu vespere instante solverunt.

Periocha lib. III *Odysseæ.*

Jam sol Oceano radiatos prompserat ortus.

Telemachus Nestorem de patre percunctatus nihil novi accipit ab ignorante: verum idem senex sequenti die cum Pisistrato filio, ut ad Menelaum pergat, hortatur. Nec mora, facto consilio: nocte quippe ea, quæ consecuta est, apud Pheras oppidum hospitio Dioclis versati, altera Lacædemonem pervehuntur.

Periocha lib. IV *Odysseæ.*

Jamque adeo ventum validæ ad Lacedæmonis arces.

Telemachum et qui cum eo venerant, Menelaus comiter hospitio accipit, saneque sub vespera quædam de Ulysse cognoscunt. Die vero altera totum navigationis ordinem Menelaus explanat. Quodque in Ogygia insula promissis et illecebris nymphæ Calypsonis Ulysses remoratur, exponit. Quæ quidem Protheus eidem narraverat de Græcorum ducibus requirenti. Proci autem postquam de habitu Telemachi compererunt, instructa deductaque navi, viginti, qui sese legerant, navigavere. Redeunti ergo insidias molientes, circa Asteriam insulam, quæ Itacham Samumque interjacet, delitescentes occasionem fraudis exspectant.

Periocha lib. V *Odysseæ.*

Liquerat in tepido Tithonum Aurora cubili:

Mercurius in Ogygiam insulam devolat, ut Jovis monitis Calypso conterrita Ulyssem patiatur discedere. Qui contextu ratis temere properare navigationem solus aggreditur. Duodevigesima die tempestate commota, ex iracundia infestante Neptuno, trabium compago dissolvitur. Quo casu proditur ultimæ spei, et irritis conatibus nando ab Junone dea misericorde servatur, quæ calanticam capiti suo demptam natanti accommodat. Cujus ille sustentatu adusque Phæacum littus evadit.

Periocha lib. VI *Odysseæ.*

Carpebat somnos dudum ærumnosus Ulysses.

Ulysses postquam ad Phæacum littus enaverat fatigationem diluit somno. Sed cum virgo Nausicaa regis Alcinoi ludum in acta cum æqualibus exerceret, somno excitatus (ut erat nudus) erupit, foliorum oppositu pudenda velatus. Et cum supplex ad genua regiæ virginis advolveretur, Minervæ instructu movit misericordiam salutarem, impositusque carpento, et veste donatus usque ad templum Minervæ, quod ante urbem est, ita suadente virginis pudore provehitur, ibique familiare sibi numen solita veneratione precatur.

Periocha lib. VII *Odysseæ.*

Orabat superos dudum Laertia proles.

Minerva in puellæ speciem mutata Ulyssem primum in oppidum, mox in domum regiam ducit. Cumque Arete uxor Alcinoi et unde vestem haberet, et cujas esset, et qua sorte delatus sermone ipsius comperisset, bonum animum habere jussus, suadente vespera concedit quieti.

Periocha lib. VIII *Odysseæ.*

Jam cœlum rutilat roseis Aurora quadrigis.

Alcinous navigationis ærumnam summatim ab Ulysse cognoscit. Exinde jussis primoribus in curiam convenire, adventum hospitis, et infortunia diutinæ jactationis explanat, accitoque ad convivium Ulysse citharam jubet pulsare Demodocum, qui cum de Dureo equo, et de Troico cantaret excidio, lacrymas Ulyssi memoria fortunæ superioris elicuit. Quas cum occultare sedulo conaretur, aut vultu dissimulans, aut veste detergens, oculos in se omnium et maxime regis advertit. Tum Alcinous causa fletuum cognita, ut cuncta ex ordine tolerata dissereret, benigne omnia pollicitus adhortatur.

Periocha lib. IX *Odysseæ.*

Tum vice sermonis fatur Laertius Heros.

Quatuor isthinc libri de Ulyssis errore contexti sunt. Namque ab Alcinoo rogatus seriem multiplicis erroris exponit, ut ab Ilio profectus, primum ad Ciconas delatus sit, atque illic expugnata Ismaro civitate, multis amissis fugatus abscesserit: utque inde Maleam Laconiæ promontorium circumegerit, ac deinde Lotophagos venerit. Mox ad Cyclopum insulam, quæ Lotophagis adjacebat, cum una nave processerit,

eaque sedulo occultata ipse cum duodecim sociis in antrum Polyphemi penetraverit: qui cruentis dapibus expletus, quas cæde sociorum ejus instruxerat, vino etiam quod Ulysses ingesserat temulentus, cum in somnum procubuisset, ab Ulysse cæcatus pœnas immanitatis exsolvit.

Periocha lib. x *Odysseæ.*

Æoliam ventorum agimur patriamque domumque.

Hinc refert Æoliam se fuisse pervectum, donisque donatum ab Æolo rege ventorum, qui et omnibus comiter præbitis, quo securior navigaret, ventos etiam dederit utre conclusos. Utque cum jam Ithacæ propinquat, et refusus sit in soporem, sociique ejus opes aliquas in lora inesse existimantes dormiente ipso vincula dissolverint, adversisque flatibus ab ipsa patria jam sint relati. Inde ut Antiphatem Læstrygonasque delatus sit. Ibi amissis una minus cæteris navibus Circeum littus accesserit, ibique veneficio potentis deæ Eurylochus, et præmissi cum eo socii in ferarum ora conversi sint: ipse etiam similia passurus Mercurio procurante vitaverit, cæterosque socios ad speciem pristinam redigi virtutis admiratione compulerit.

Periocha lib. xi *Odysseæ.*

At postquam ventum ad naves et littora ponti.

Digressus a Circe Avernum pervenit, qui locus descensus ad Manes existimatur. Ibi sacris rite perfectis scrobem complet sanguine victimarum, et circumvolitantibus animabus nullam sinit haustum cruoris attingere, nisi, ut Circe monuerat, prius Tiresias vates inde libasset: ibi et heroidas plurimas videt. Quarum enumerationem multa veterum fabularum venustate contexuit.

Periocha lib. xii *Odysseæ.*

Jamque adeo Oceani liquidos pede liquerat amnes.

Compertis a Tiresia vate, quæ oportuit scire, regreditur ad Circen, ab eaque ut evitet mala cætera, docetur: ut Syrenas prætereat, letalem navigantium cantilenam, ut Scyllam prætervehatur et Charybdin freti Siculi famosa portenta: quibus malis non sine gravi perpessione superatis Trinacriam pervehitur. Ubi incustodita Solis armenta, frustra prohibente ipso, cæteri socii penuria cogente dilaniant, dirisque prodigiis admissa boum cæde terrentur. At mox inde navigantes fulmine ad unum omnes intereunt, excepto Ulysse qui fragmento carinæ cohærens, et adminiculo ejus adjutus ad Ogygiam insulam solus enavit.

Periocha lib. xiii *Odysseæ.*

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Enarratis omnibus quæ in multiplici errore perulerat, a principibus Phæaciæ viris, donis plurimis honoratur, a quibus remigio et necessariis omnibus navis instruitur: dormiensque in Ithacam quietissima navigatione, devehitur. Atque illic in portu patrio cum muneribus universis quiescens et omnium ignarus exponitur, Phæacibus eo dormiente remeantibus.

Periocha lib. xiv *Odysseæ.*

Egreditur portu tenuis quo semita ducit.

Somno experrectus Ulysses portum et littus patriæ non sine animi consternatione cognoscit, admiraturque ut advectus, ut expositus, ut relictus sit, ut cuncta nesciret. Requirit universa donorum: quæ postquam incolumia videt, quam potest tutissime occultat: consiliisque a Minerva confirmatus ad servum suum Eumæum subulcum simulatus accedit, naufragi et mendicantis imitatu. Interrogatus deinde quis esset, ait se esse Cresium: in Ægyptum navigantem Trojam fuisse delatum. Eumæum etiam cum affectione mœstissima pergens, et cogente denique vespere et imbre continuo, sagulo amicitur: atque ibidem multa secum volvens, tandem concedit quieti.

Periocha lib. xv *Odysseæ.*

Ad Lacedæmonias artes Tritonia Pallas.

Telemachus a Minerva per somnium commonetur, domum ut rediret: maturoque digressus cubili, a Menelao veniam reversionis exorat. Qua comiter impetrata, regreditur ad navem in Portu Pylio manentem; Pisistratoque ad urbem atque ad patriam emisso, ipse propere solvit e littore, comite navigationis assumpto, Theoclymeno vate Argivo, uno ex iis quos Melampus Amythaonis erudivit. Vitatisque insidiatoribus procis, advehitur in patriam: et sociis quidem portum petere jussis, ipse adverso itinere ad agrum, Eumæumque proficiscitur.

Periocha lib. xvi *Odysseæ.*

Commune Eumæus mapale et divus Ulysses.

Telemachus Eumæum nuntium reditus mittit ad matrem: ipse, Minerva ita volente, patrem cognoscit, et cum eo deinceps agenda disponit. Penelope autem, cognito reditu filii, in conventum procorum, qua verecundia sinebat, egreditur: increpatisque insidiatoribus filii, non minus irata quam mœsta discedit.

Periocha lib. xvii *Odysseæ.*

Jam cœlum roseis rutilat Tritonia bigis.

Telemachus anxiæ matri ordinem peregrinationis enarrat. Ulysses ad oppidum, Eumæo opitulante, perducitur. Domum in qua proci epulabantur ingressus, emendicat cibos miserabiliter ambiendo. Inde ab Antinoo injuriose afficitur. Cui Penelope Diras ob inhumanum facinus imprecatur, a qua missus Eumæus est, ut hospes (sic enim se ferebat) ad eam provocaretur. Quod tum quidem invitatus gratiam facit, sed venturum sese ad vesperam pollicetur.

Periocha lib. xviii *Odysseæ.*

Irus adest populi per mendicabula notus.

Mendicante intra proprios lares Ulysse, alius quoque pari egestate Irus accessit popularis Ithacesius, stipes in triviis solitus rogare. Jurgium ergo inopiæ communis æmulatione conseritur, quod ex verbis

processit ad manus, hortantibus procis quo magis rixa crudesceret propositoque præmio caprini ventris omento. Victor igitur Ulysses seminecem Irum extra januam projicit, ridicula adhortatione compellans. Penelope etiam munera sibi a procis pro opibus cujusque conferri, singulorum studia experiens deposcit : quæ mature utpote a cupientibus offeruntur.

Periocha lib. XIX *Odysseæ.*

At parte interiore domus secretus Ulysses.

Ulysses cum Telemacho arma omnia de medio amoliuntur, procis perniciem comparantes, ne quid aut munimenti, aut teli relinqueretur, qui vel cavere vim, vel inferre possent : ad Penelopen inde accitu ipsius pergit, ibique, ut Eumæo dixerat, Cretensem se esse mentitur, Ulyssemque apud se hospitio diversatum comminiscitur. Mox cum Euryclia ejus nutrix hospitalis officii causa pedes ejus clueret, tactu manus animadvertit cicatricem, quam habebat ex vulnere in Parnasso quondam suis dente percussus. Quo argumento alumnum suum esse agnoscit, sed ab eodem, ne quid ultra vel quærat, vel garriat, coercetur.

Periocha lib. XX *Odysseæ.*

Jamque procos genua amplectens orabat Ulysses.

Epulantibus procis Eresippus in Ulyssem crus bubulum jacit, sed destinatione non potitur. Theoclymenus autem apud Ithacenses, divinationis expertus, imminens procis vaticinatur exitium. Quorum multa cavillatione derisus, mensa et domo tamquam furiosus excluditur.

Periocha lib. XXI *Odysseæ.*

Hic mentem dedit Icariæ Tritonia Pallas.

Ulysses Eumæo et Philætio, fidei eorum industriæque confisus, qui sit revelat. Et postquam facta cognitio est, cædem procorum pro tempore instrui placet. Quos Ulysses astu aggreditur, ut ipsum quoque intendendo arcum vires seniles explorare patiantur, quem uni quondam Ulyssi facilem, si quis intenderet, habiturus esset præmium, jus Penelopes nuptiarum. Sed prohibentibus procis ne id ridiculus et mendicus auderet, quod frustra juventus tam lecta tentasset, dat Telemachus Ulyssi cæteris abnuentibus experiendi potestatem. Et hinc nascitur admiratio prima virtutis, dedecore suo cæteris erubescentibus, quorum ignaviam senex mendicus arguerit.

Periocha lib. XXII *Odysseæ.*

Squalentes humeris habitus rejecit Ulysses.

Ulysses loco ulteriore capto intendit arcum, omnibusque foribus occlusis, ne qua pateret effugium, plerosque vino saucios, aut novitate rei stupidos, aut quidlibet aliud meditantes conficit. Cum primum omnium confixisset Antinoum, qui audacia, et petulantia cæteros superaverat, Eumæus et Telemachus, et Philætius sumptis et ipsi armis egregia in consternatos cæde grassantur. Jamque omnibus interemptis, duobus tantummodo parcitur, Phemio citharœdo, qui ministerii causa adhibitus, nihilominus in Ulyssis domo, quod contumeliosum esset, ediderat: et Medonte, uni cujus modestiæ etiam Telemachus suffragabatur, et qui cum Telemacho erant. Melanthium famulorum Ulyssis unum, qui procorum proterviam semper armaverat, cruciabiliter occidunt. Puellas inde duodecim quæ cum procis flagitiose consueverant, suspendio perimunt. Ulysses cæde ad plenum perpetrata, ignem adolet, incensoque sulfure domum piaculo purgat.

Periocha lib. XXIII *Odysseæ.*

Chalcidicum gressu nutrix superabat anili.

Euryclia nutrix gestæ rei nuntia Penelopem de somno excitat. Quæ advenientem ad se maritum non temere ipsum esse persuadet : quadam cubiculi lege, et genialis lectuli positu, sibi tantum et Ulyssi cognito, an ipse sit maritus, explorat. In coitum deinde conveniunt, totamque noctem mutuo sermone consumunt, et hinc quidem elegans replicatio laborum, quos Ulysses pertulit, mira concinnatione colligitur.

Periocha lib. XXIV *Odysseæ.*

Tartaream vocat in sedem Cyllenius umbras.

Procorum animas recenti et communi cæde congestas catervatim Mercurius ad inferna compellit. Tunc circa Agamemnonem manes heroici congregantur. Miratique lectorum juvenum gregem, densitatemque uno agmine commeante, causas itinerationis accipiunt. Tum apud inferos quoque virtus Ulyssis, et Penelopes pudicitia prædicantur ab Agamemnone præ cæteris, cui dispar fuerat in utraque fortuna. Ulysses ad Laertem patrem in agrum profectus, inopinato et reditu, et rerum gestarum relatu affecit senem, afficitur ab eo cognitu, quas exantlasset ærumnas. Subinde et patres procorum neces juvenum properant ultum ire, consilioque et vi communicationis ante exspectatum agro superveniunt. Sed eos jam comitatior Ulysses fundit, fugatque. Verum gliscentibus odiis, et majore seditione, et tumultu spectato, ex sententia Jovis in Ithacam Minerva descendit : et conciliata utrinque pace, studia et motus partium, rerum gestarum abolitione componit.

INDEX

VERBORUM ET PHRASIUM,

Quæ in quatuor libris Historiæ Evangelicæ Juvenci occurrunt.

Numerus Römanus librum designat, Arabicus versum.

A

Abdet cladibus, IV, 195.
Abdita, II, 248. Antra, I, 623. Tecta, I, 324. Vita, I, 165.
Abegit locum precibus, III, 449.
Aberit longe, II, 286.
Aberrat liber, II, 623.
Aberret pectoribus timor, II, 481.
Abesto timor, III, 107.
Abia munia, I, 6.
Abibat per medium populi, II, 92.
Abjectis retibus, I, 465.
Abjectum longe, I, 512. Timorem, III, 339.
Abjiciet, III, 156.
Abitum, II, 452.
Abluere in flumine, I, 374.
Ablue vultum, I, 644.
Abluit a crimine palmas, IV, 622.
Abluta sorde, I, 347.
Ablutos homines, IV, 796.
Ablutum undis, I, 397.
Abneget ipse sibi, III, 304.
Ab ordine, IV, 162.
Abreptam morte, II, 406.
Abreptum, III, 440.
Abrumpent tenebras, I, 164.
Abrupta pondera, IV, 56.
Abrupti montis, I, 435.
Abrupto profundo, II, 593.
Abruptum montem, III, 318.
Abscedant tectis, II, 402.
Abscondet radios, IV, 149.
Absint tuis membris, III, 297.
Absistat mentibus, IV, 773.
Absit procul, I, 655. Vobis, IV, 144.
Absolvi, III, 159.
Abstinuit sanguine, III, 50.
Absumpsit quantum temporis, II, 700.
Absumptis viribus, II, 588.
Absumptos gustus, I, 510.
Accendere animos nobis, II, 595.
Accendunt famam, II, 71.
Accensus amore, III, 43.
Accepta meritis, IV, 310.
Accidit, ut, IV, 668.
Accipe conjugium, I, 174.
Accipiebat hos, II, 352.
Accipient vocem, II, 656.
Accipite, II, 215; III, 6, 147. Animis, II, 777.
Accita plebe, IV, 52.
Accitos, I, 270; III, 739.
Accrescere operi, III, 557.
Accubitu primo, IV, 58.
Accumbere mensæ, I, 796.
Accumulant famam, I, 16.
Accumulare, III, 42.
Accurrit, II, 54.
Accusatio surgens, IV, 595.
Accusator, II, 690.
Acerbis verbis, III, 142.
Acerbum lethum, II, 337.
Acervo messis, II, 429.
Acervos aeris, II, 161.
Acidum saporem, IV, 697.
Acies pura, simplexque, I, 655.
Acta cruciatibus, I, 799. Est hora, III, 562.
Actis justis, IV, 811. Malis, II, 239.
Actores famulos, III, 718.
Actus monitis, I, 290.
Actutum, II, 391.
Acuet gustus absumptos, I, 510.
Acumina apicum, II, 749.
Acumine curvo, III, 393. Mortis, IV, 22.
Acus foramen, III, 524.
Ad arbitrium plebis, IV, 609. Cumulum, III, 250. Directa, II, 361. Gaudia, II, 409; III, 67. Finem, IV, 115. Medium, II, 243. Morem legis, I, 217. Numen, II, 223. Omnia, II, 510, 770. Satiem, III, 216. Speciem nivis, IV, 750. Specimen, II, 710. Tempus, IV, 441. Vincula pœnæ, IV, 676. Ultima, IV, 67.
Addicere morti, IV, 566.
Addit hæc plebi, II, 796.
Additus comes, IV, 572.
Adest sextus mensis, I, 111.
Adhærentem festucam, I, 697.
Adhæret mihi testis, II, 672.
Aditus pandetur, I, 707.
Adjurabo, IV, 554.
Admiratio digna, I, 329. Stupuit, I, 767.
Admiscent escis, III, 242.
Admittit lucem, III, 163.
Admonitos ab ortu stellæ, I, 266.
Adoptat sibi in numerum prolis, I, 501.
Adsit constantia menti, II, 80.
Adveniat mundo, I, 629.
Adveniet lux, III, 290. Serenum, III, 226. Summa dies, I, 745. Tempus, II, 655, 702.
Adventu, IV, 148. Proprio, II, 294.
Adventum lucis, II, 237.
Adventus noster, IV, 169. Nostri, II, 526.
Adversa fronte, II, 622. Virtute, II, 617.
Adverso canore, IV, 392.
Advertite aures, III, 147. Vera dicta, III, 704.
Adulatio, I, 741.
Adultera, I, 569.
Adytis, I, 543. Arisque, I, 45. Mentis, IV, 77. Regni, II, 762. Templi, IV, 634.
Ægra cura, I, 667.
Ægro animo, I, 582. Dæmoni, I, 403.
Ægypto, I, 308. Ægyptum, I, 291.
Æmula ætas, I, 63.
Æquabo viro, I, 755.
Æquæva mundi, IV, 270.
Æquare vires, II, 479.
Æque servire duobus, I, 661.
Æquis poscentibus, I, 713.
Æquore ruris, III, 155.
Æquum est nescire, IV, 163. Non est, IV, 50.
Aera per vacuum, I, 474.
Aeream columbam, I, 394.
Aeriæ vocis, II, 522.
Aerias aves, I, 670.
Aeriis avibus, II, 16, 744.
Ærugo, I, 648, 651.
Æstibus altis maris, I, 461.
Æterna in sæcla, II, 270.
Æternis flammis, I, 566.
Æterno Patri, III, 203.
Æternum fodientur, IV, 304. Manebit, IV, 305. Sobrius, I, 56.
Æternus ignis, I, 381.
Ætheream, II, 196.
Æthereis auris, IV, 705.
Æthra, III, 532. Clarum, IV, 68.
Affamina prima, I, 126.
Affectare, IV, 62.
Affectus omnes, III, 546.
Afficiat labor populos, III, 209.
Affixi crucibus, IV, 687.
Affixus cruci, III, 589.
Afflamine sancto, I, 120.
Affluneret, I, 681.
Afforet, IV, 342.
Agello, II, 816.
Aggreditur tentare, IV, 2.
Agitare te laborem, IV, 296. Vitam, IV, 800.
Agitatio juris, II, 233.
Agmina credentum, I, 752.
Agmine amœno, III, 461.
Agminis uniti, I, 207.
Agnæ, III, 415.
Agricolæ, II, 797.
Ait in Simeone, I, 249.
Alabastrum, IV, 412.
Albentes campos, II, 315.
Alimenta cibi, potusve, I, 406. Ciborum, III, 207.
Alloquiis, II, 323.
Alte est insita cordi, I, 710.
Alternæ famæ, II, 687.
Alterni velitis cedere, I, 658.
Alternos motus, III, 56.
Altithroni, II, 62; III, 409. Genitoris, I, 32.
Altum tenuit, II, 27.
Amaris verbis, III, 123.
Amaro verbo, III, 141.
Ambagibus obscuris, II, 767.
Ambitione, IV, 610.
Ambit quos pauper spiritus, I, 490.
Amicos conjunctos, I, 605.
Amictu vestis, III, 765.
Amissæ vitæ, II, 523.
Amissam vitam, III, 306.
Amissa virtute, I, 509.
Amittet cursum, IV, 150. Jura, I, 571.
Amore meo, II, 503.
Amplexus domum, IV, 312.
Anceps agitatio, II, 233. Trepidatio, IV, 131.
Anchora gravis, III, 128.
Ancipiti pavore, IV, 765. Verborum pondere, III, 685.
Andream, I, 459.
Anfractus, I, 352.
Angens, II, 752.
Angore gravi, IV, 485.
Angustis rebus, IV, 301.
Anhela socrus, I, 807.
Anhelis membris, IV, 495.
Anhelo ardore, II, 332.
Anhelus, II, 249.
Animæ volucris, IV, 372.
Animis adversis sequuntur, I, 602.
Anna, I, 251.
Annexos ambos, I, 42.
Annuit his, III, 114, 701.
Annumerata vox prophetis, I, 750.
Ante pedes, II, 78. Suos vultus, I, 71; III, 368. Tribunal, IV, 591. Tuos vultus, II, 538.
Antra pectoris, I, 624.
Anxia conjux, I, 85. Pro morbo fratris, IV, 307.
Aperire os, II, 829.
Aperirent ilia, II, 141.
Apertæ terræ, IV, 808.
Aperto cœlo, I, 46; IV, 747.
Apertum cœlum, IV, 145.

Apices proprios, III, 475.
Apicis parvi distinctio, I, 524.
Apicum acumina, II, 749.
Applaudet, I, 612.
Aptans dolos, I, 418.
Aptare nomen, I, 217. Stratas, II, 537.
Aptat languoribus medelam, II, 602. Lectum humeris, II, 91.
Aptet curam piam languoribus, II, 440.
Aptum servitium, I, 645.
Arator, IV, 172.
Arbitrio, II, 665. Corporis, III, 175. Tuo, III, 285.
Arborea umbra, II, 123.
Arcano, II, 590.
Arce animi, III, 666. Cœli, III, 517, 591. Montis, II, 281. Templi, IV, 534.
Arcem montis, III, 196, 320; IV, 502. Nominis, IV, 61. Oliveti, IV, 91.
Ardebat dimittere, IV, 604.
Ardorem bibendi, II, 270.
Ardua lucis, IV, 72.
Area frugum, I, 379.
Arescunt, II, 748.
Arguerim, II, 689.
Arguto serpentum corde, II, 460.
Arimathia, IV, 720.
Aristam, I, 701.
Armant mihi fidem vestram, IV, 328.
Armati legibus, II, 290.
Armatis millibus, III, 750.
Arridens cunctis, III, 269.
Arripit hos, I, 725.
Arte dæmonis, III, 7.
Artus totius corporis, I, 656.
Aruit arbos, III, 660.
Arundineum, II, 531.
Ascensæ rati, III, 124.
Ascivit comitem suis amicis, II, 100.
Asinam, III, 626. Asinæ, III, 635.
Aspergent sordibus, III, 149.
Aspergine labis, III, 167.
Aspicite, IV, 53.
Assidet, IV, 560.
Assistens stupidis, III, 662.
Assistere, III, 323. Precibus, I, 617.
Assistite, IV, 182.
Assistunt, II, 772.
Associat septem, II, 725.
Assuetam mentem, I, 150.
Assumunt escas, III, 137.
Astas, IV, 593.
Astitit illic, II, 728.
Astrata, I, 48.
Astrifero, III, 225.
Astrorum ortus, obitusque, I, 260.
Atram mentem, I, 402.
Atra morte, II, 655.
Atri carceris, I, 553. Dæmonis, II, 439.
Atro dæmone, II, 616.
Atrox violentia, II, 542.
Attactu solo, I, 777.
Attigit labiis ora, IV, 519.
Attollens ortus, III, 101.
Attoniti, III, 527. Attonitis, IV, 765.
Attonitus stupuit, III, 59.
Attrectat ramos, III, 657.
Auctore marito, I, 571.
Auctor vitæ, III, 505.
Audacia fidens, I, 452. Furandi, IV, 738.
Audio hæc vestris verbis, IV, 594.
Audito venisse, IV, 339.
Auditum vocis, II, 661.
Auditu tantum, I, 760.
Avelli ferro, I, 297.
Avertite mensis, III, 240.
Auferat tunicam, I, 589.
Auferre prædam, II, 618.
Auferte procul, II, 162.
Augmentum roboris, II, 752.
Augusti jussis, I, 180.
Avitæ gentis, I, 792.
Aula cœli, II, 217, 540. Regni, I, 680; IV, 34.
Aulam ætheream, II, 196.
Aulea, III, 329.
Aurea lux, III, 15. Roma, I, 10.
Aures cordis, II, 814; III, 174.
Auricolor æthra, I, 592.
Ausis talibus, IV, 437.
Auxit miracula, I, 110.

B

Balantes, III, 411.
Baptistæ, II, 543.
Barabbam, IV, 625.
Barathri, IV, 67, 286.
Beat gentem, I, 155.
Beati, IV, 277.
Bellua, III, 235.
Benefacta, I, 714; II, 595.
Benignis obsequiis, II, 508.
Bethaniam, III, 654.
Bethlehem, I, 184, 278, 295.
Bibebat puteum, II, 265.
Bidentes, III, 183; IV, 464.
Bis quinis puellis, IV, 198.
Bisseno cœtu, II, 453.
Bissenos annos, I, 316. Sinus, III, 90.
Bis sex annis, II, 586. Sex recubantibus una, IV, 453. Sex sedes, III, 542.
Bis terna, III, 316.
Blandissima, IV, 275.
Blandis verbis, III, 338.
Blando obsequio, I, 599.
Bona dulcia, II, 635. Mitia, I, 712.
Bonæ frugis, II, 322.
Bonis mensis, II, 134.
Breviare, IV, 155.
Brutæ, IV, 220.
Bustis, IV, 75.

C

Cachinnat, IV, 698.
Cadavera, IV, 752.
Cadunt semina, II, 741.
Cæcantur pectora, II, 714.
Cædentur sylvæ, I, 372.
Cærula nox, II, 2.
Cæsaris, IV, 6; III, 617. Augusti, I, 180.
Caiphæa aula, IV, 538.
Caiphææ sedis, IV, 406.
Calcant itiner., II, 436.
Calcarent jussa, II. 569.
Calcatæ legis, II, 590.
Calcate timorem, III, 339.
Calicem, III, 593, 596; IV, 450.
Calicis hujus violentia, IV, 491.
Caligine mortis, I, 719.
Calle duro, II, 781.
Callens astris, I, 293.
Cameli, III, 525. Camelorum, I, 358.
Canan, II, 129.
Candore nivis, III, 322.
Canore, III, 646; IV, 392.
Canoris, III, 648.
Capellis hirtis, IV, 267.
Caperent mercedis honorem, III, 570. Pectora, quod, II, 580.
Caperet mandata, IV, 432. Ornamenta, IV, 806.
Capessam regna, III, 315.
Capessat, III, 490, 533.
Capessere usum panis, I, 413.
Capessunt montes, IV, 124.
Capharnaum, III, 381.
Capiat donum vitæ, II, 225. Vitam, II, 187; IV, 812.
Capient fugam, IV, 464. Justos, IV, 140. Præmia, III, 549.
Capiet potiora, II, 764.
Capit gaudia, I, 133. Te desiderium, II, 273.
Capitum census, I, 179.
Captantes Christum, III, 134.
Captantur, III, 684.
Captatur mihi, II, 683. Vobis, II, 687.
Captet famam, I, 642.
Capti tempore, I, 694.
Captos oculis, III, 198.
Carbasa, IV, 705.
Carceris umbris, I, 445.
Carcere corporis, I, 227.
Careat pondere, I, 775.
Carpant verba, III, 153.
Carpebant dictum, II, 83.
Carpebat fluxus, II, 587. Frugem, II, 565. Iter, III, 103. Somnum, I, 33.
Caruisse thalamis, 481.
Casibus pastoris, IV, 463. Tantis, IV, 309, 498.
Castelli, III, 625.
Casti amore, I, 548.
Castis precibus, I, 620.
Castra cœlestia, IV, 529.
Casus glomeraverit, III. 756. Habebat socios, III, 126.
Catervæ plebis, II, 737.
Causa est venisse, IV, 521.
Causas morbi, II, 595.
Causata, III, 178.
Cautio legis, I, 555.
Cavam lunam, I, 86.
Cavatis saxis, II, 140.
Cavendas insidias, III, 246.
Cavere fermenta, III, 254.
Cecidit in lethum, IV, 327.
Cedat jussis, I, 573. Tibi, III, 509.
Cede libens, I, 590.
Cedere dominatum sibi, III, 731. Cornu, III, 617. Multis, II, 496. Sibi, IV, 212. Sibi membra, IV, 722. Sibi vitam, IV, 613. Soli, IV, 744. Vobis peccata, I, 639.
Cedet odiis, vel amori, I, 662. Vobis, III, 668.
Cedit cui labes, III, 28.
Cedunt in ventrem, III. 165.
Celabat gaudia, I, 85.
Celantur corda, IV, 77.
Celaret gaudia, I, 778.
Celebrabant, II, 401.
Celebrant grates, III, 203.
Celebratio, IV, 117.
Celebretur justis, IV, 319.
Celerantes gaudia, IV, 766.
Celerant motus, III, 56.
Celet dedecus, I, 171.
Celsa montis, III, 95, 669.
Celsi cantus, I, 17.
Centeno fetu, II, 755.
Centum balantes, III, 411.
Centuplicata, III, 547.
Centuplicem, II, 795.
Centurio, I, 781.
Cepere fidem, II, 177.
Cepi solatia, IV, 276.
Cepisset corde venenum, IV, 438.
Cepit habenda, IV, 229. Summam, II, 543. Vires. IV, 804.
Cernere, II, 205.
Cerni cunctis, IV, 146.
Cernite lucem, II, 415.
Certabant præbere, I, 402.
Certa futuri, I, 139.
Certant addicere, IV, 566. Illudere, IV, 569.
Certatim, I, 476; II, 6; III, 493, 643; IV, 233, 781.
Certet scriptis, III, 344. Se fingere, III, 401.
Certior hora, IV, 226.
Certissima proles, II, 55.
Certum est, hunc revigescere, II, 204.
Cessere pro conjuge casta vita, et cultus Dei, I, 254.
Ceti, II, 699.
Chlamydem rubentem, IV, 645.
Choreis lætis, II, 368. Vatum, I, 327.
Chorus sapiens, IV, 214.
Christi, I, 475. Christum, I, 255, 397, 420, 454. Christus, I, 455, 472.
Cient sub nomine, I, 539.
Cingentibus gremium, I, 489.
Cinget honore, III, 541.
Cinxere, IV, 14. Caput, IV, 646.
Circumjecta oculis, III, 331.
Circumstant mentem, IV, 585.
Circumstat lux oculos, I, 240.
Circumvolitabit, I, 105.
Clamabit mihi, I, 747.

Clamor, IV, 702.
Clamore magno, IV, 590.
Clangor tubarum, II, 400.
Clara voluntas, I, 650.
Clareat, IV, 154.
Clarebunt lumina, IV, 148.
Clarent vobis, II, 775.
Claret surgenti, I, 591.
Clari Jesu, II, 129.
Clarus Jesus, III, 3.
Clavæ pondere, IV, 514.
Claudantur mihi responsa, III, 691.
Claudat finis, IV, 160.
Claudens mentem, III, 683.
Clauderet omnia, II, 758.
Claudere vocem, III, 690.
Claudetur vox tibi, I, 75.
Claudit nox cœlum, III, 224.
Clausis auribus, II, 772.
Claustris carceris, IV, 292.
Coacta credere, II, 73.
Coalescit, II, 825.
Cœlestia regna, I, 688.
Cogendis gregibus, II, 623.
Cogens discipulos, III, 204.
Cogere bidentes, III, 184.
Cogit concilium, III, 259.
Cognata tibi, I, 108.
Cognomine, I, 458.
Cognoscere e sono vocis, IV, 579.
Cogunt ad littora, II, 71.
Collaudant, III, 703.
Collucent atria, IV, 406.
Cominus, II, 729.
Comitabitur istis, II, 695.
Comitante fetu, III, 626.
Comitata, II, 184.
Comitatibus, III, 305.
Comitatur arundo dextram, IV, 647. Sponso, IV, 219.
Commaculatum, III, 419.
Commendat glebis, III, 4. Semina ruri, II, 740.
Commercia animæ, III, 310.
Commiscuit animam curis, IV, 703.
Committere claves, III, 283. Mustum utribus, II, 375.
Commixtas undis auras, II, 145.
Commonita, II, 706.
Commotos pro dictis talibus, III, 601.
Commotus corda, III, 364.
Commovit dominum, III, 445.
Communes pluvias, I, 604.
Communia lumina solis, I, 603.
Compage tenetur, I, 9.
Compedibus solutis, II, 51.
Compellat superbum, IV, 556. Verbis, II, 79.
Comperimus, III, 487.
Comperit, II, 334. Acta, III, 749.
Compita, I, 295; III, 79. Viarum, III, 758; IV, 206. Vitæ, I, 549.
Complacuit, IV, 407.
Complebant ripas, I, 357.
Complebat lumine terras, IV, 728.
Complebit numine claro, I, 57.
Complebitur ordo, I, 389.
Complectere natum, II, 340.
Complens saxa cava canore, IV, 392.
Complentes tecta canore, III, 646.
Complent faciem sputa, IV, 567. Præcepta, III, 630.
Complenti littora, II, 759.
Complentur plebis mensæ, III, 760.
Complere rura numero colentum, II, 431. Totum, IV, 520.
Completas reliquiarum, III, 253.
Completis labiis, II, 144.
Complet aera, I, 207. Lumine, III, 272. Pectora, I, 417; II, 523. Spiramine, I, 250.
Completo officio, I, 82. Tempore, I, 190.
Completor legum, II, 570.
Completus canit, I, 151.
Complexa salutem, II, 232.
Complorat, I, 300.
Componere flammas olivo, IV, 211. Membra, III, 84.
Componitur antro, IV, 725.
Compositas choreas, III, 57.
Composta quiescunt, IV, 378.
Comprenderat anchora portum, III, 128. Bissenos annos, I, 516.
Comprendere formas, II, 213. Sedem cœli, III, 705. Sensu, I, 225. Vitam, III, 502; IV, 352. Vocem, II, 674.
Comprendite corde, III, 554.
Comprenditis imos, III, 613.
Compressa timore, III, 49.
Compressit corda dolore, I, 446.
Comprimit sarcina, II, 559.
Conamine magno, IV, 702.
Concedere corpus flammis, I, 566. Fenera, I, 634. Tuo regno cuncta, I, 457.
Concedunt luci sidera, IV, 587.
Concelebrabat, IV, 193. Convivia, II, 150.
Concelebrant gaudia, I, 144.
Concelebrare, III, 740.
Concelebrata, II, 94.
Concentibus, IV, 458.
Conceptus nullos, I, 109.
Concessit surgere lucem, II, 182.
Concessum est nostris sæclis, II, 103.
Concessum mihi peccata remittere, II, 88.
Concidere pectus, II, 52.
Concidit thalamis, IV, 24.
Conciliatus amori fraterno, I, 545.
Conciliis hominum, II, 463. Trucibus, II, 600.
Concilio, IV, 589.
Concilium, III, 430; IV, 404. Plenum, III, 426.
Concipient jejunia, II, 372.
Concita freta, II, 41.
Concitus unus, IV, 695.
Conclamant, II, 600; III, 659.
Concludere verbis, IV, 8. Votum his verbis, I, 625.
Concluditur finis, II, 544.
Concludunt limen, IV, 726.
Concredere, IV, 245. Verbis, II, 327.
Concredita, IV, 252, 257.
Concrescere, III, 471.
Concreverat, III, 658.
Concurrere rebus, II, 828. Tempus, II, 346.
Concurreret dictum, I, 448.
Concurritis gladiis, IV, 553.
Concurrit Nathanaeli, II, 102.
Concurrunt visere, IV, 746.
Concussa est, IV, 706.
Concussa tremore, I, 119.
Concussit pavorem, I, 49.
Concutit motus terram, IV, 747.
Condere adytis templi, IV, 654. Corpus, II, 22. Defunctos terræ, II, 24. Musta, II, 378.
Condidit se auris, I, 114.
Condit æra, IV, 255.
Condita membra, IV, 371, 760. Mundi, II, 829. Res est, I, 652. Verbis, II, 826.
Condite thesauros, I, 650.
Conditione, I, 170.
Condit sub mole, II, 823.
Conditus thesaurus, III, 517.
Conductis lucris, II, 350.
Conducto corpore, II, 825.
Conductoris, III, 567.
Condunt terræ, III, 69.
Conduxerat hora, III, 576.
Conduxit, III, 553.
Conferri possunt, IV, 197.
Confessus Cæsaris hostem, IV, 618.
Confestim, I, 464; II, 422; III, 122, 675; IV, 1.
Confidet vindice ferro, IV, 527.
Confidit genitore, IV, 684.
Confinia lethi, et vitæ, IV, 315.
Confixum stipite, IV, 701.
Confixus viscera labe, I, 772.
Confusa luce, III, 228. Mente, I, 62. Voce, III, 106.
Conglomerat, II, 433.
Conjugio revinctam, II, 275.
Conjugium relinquet, IV, 16.
Conjux Pilati, IV, 605.
Connectit restibus verbera, II, 159. Sanguine meum corpus, II, 755.
Connexis manibus, pedibusque, III, 769; IV, 595.
Connexo fasce, II, 811.
Connixi, III, 365.
Connubia, I, 567. Festa, II, 128.
Connubiis, IV, 28. Nefandis, III, 47. Nexa, II, 278.
Conquirere epulas, I, 409. Testes, IV, 543.
Conquirit, III, 270. Terris, II, 292.
Conquirite sedem, II, 474.
Conscenderat orbem, IV, 688. Sol nonam horam, IV, 691.
Conscendere vires, II, 212.
Conscendunt navem, II, 25.
Conscia pectora, IV, 144. Soli surgenti, I, 259. Venturi dicta, I, 151. Virtus, I, 586.
Consectandus, I, 589.
Conservant vinum, II, 378.
Conservum, III, 447.
Consessu in medio, II, 96.
Consevit, III, 155.
Considere, III, 597.
Consimile Domini, III, 438. Est, IV, 42.
Consimili voce, IV, 576.
Consistere, I, 698. Adytis regni, II, 762. Culmine, I, 421. In celsis jugis, I, 433. Magnis rebus, IV, 382. Medio cœtu, II, 398. Membris, II, 195. Propius nobis, II, 681.
Consistet in adversa fronte duelli, II, 622.
Consistite robore, IV, 100.
Consociat, II, 59. Consocies, IV, 126.
Consortia flammæ, IV, 73. Pœnæ, IV, 668.
Constabilistis, II, 761.
Constantia fidei, II, 397. Præsens, II, 652. Vegetans, III, 108.
Constantinus, IV, 809.
Consternata lumina, IV, 692.
Constituet sedes, III, 545.
Constringit, III, 448.
Constupuerunt, I, 214.
Consulere jussa, I, 147.
Consuluit populum, IV, 614.
Consumeret, IV, 95.
Consurgat discipulis audacia, IV, 739. In iras, IV, 564.
Consurgere in iras, I, 535; II, 27. Laudem, III, 652. Lucem, III, 546. Rursus, IV, 322.
Contagia mentis, II, 241.
Contempserit fastu, III, 407. Ora multorum, III, 428.
Contendit comprendere, III, 237.
Contentus prendere, III, 619.
Contexere causas, IV, 544.
Contexit, I, 681.
Contexta jejunia, I, 407.
Contingat vobis, II, 682.
Contingere oscula, IV, 516. Panes, II, 575. Poterit tibi casus, III, 299.
Continget limina, IV, 554.
Contingunt aspera rura aliis, II, 750.
Continuo, III, 321; IV, 427, 437, 520.
Convellito, I, 560.
Convenere Petrum, III, 582.
Convenisse turbas, III, 75.
Convenit nescire sinistram, I, 614.
Conveniunt populi, III, 197.
Conventicula, II, 585.
Conversa bono, II, 775.
Conversus ad dextros, IV, 268.
Convexo cœlo, III, 317.
Convexum cœlum, III, 224.
Convicia, II, 628.
Convincens pectora, II, 612.
Conviva inferior, III, 620.
Convivia læta, III, 737, 745.
Convolvere pœnis, I, 563.

Convolvet, II, 850.
Convolvit iter, I, 718.
Convulsa, III, 369.
Cooperta, IV, 658. Ambagibus, II, 767. Cooperti, III, 7.
Cophinis, III, 249. Cophinorum, III, 90.
Copia rerum, I, 690.
Coram genitore, II, 498 *seq.*
Cornibus in summis, III, 615.
Cornu eximio, III, 617. Salutis, I, 155.
Coronant, III, 551. Fronde, III, 637. Undas, II, 143.
Coronat mansuetudo, I, 492.
Corpora egentum, IV, 416. Genitorum, II, 470. Germana, II, 732; IV, 21. Magna juvencum, II, 157. Pastorum, I, 197. Vestra, II, 463.
Corpoream speciem, I, 393.
Corporeis oculis, I, 353.
Corpore regni, III, 11.
Correptet in alvum, II, 192.
Correpto corpore, IV, 172.
Corripe dictis, III, 420.
Corrumpere tractum aeris, IV, 104.
Coruscis tædis, IV, 209.
Crassis objicibus, II, 770.
Crastina copia, I, 690.
Crebescere, III, 117; IV, 207.
Crebra fama, I, 474.
Crebrius, III, 186, 252.
Credendi portio, III, 575.
Credens servis talenta, IV, 228.
Credentia pectora, II, 395.
Credentis vitam, I, 416.
Credentum, II, 759. Turbas, III, 74. Verbo, III, 670.
Credere qui voluit ædes, IV, 185. Tantum, III, 299.
Crediderim, IV, 379.
Credita cura, IV, 234. Pascua, III, 410. Sibi, II, 786.
Credit in me, IV, 351.
Creditur esse, II, 818.
Credulitas, IV, 98, 144.
Crescere cum lolio, II, 810.
Cretas, IV, 242.
Cretis de germine, IV, 17.
Creto, III, 659.
Crimine culpæ, I. 297.
Cruciant ferro, III. 749.
Cruciatibus, II, 606.
Cruciatur spiritus, I, 782.
Crucifixum, IV, 663.
Crucis ligno, IV, 756. Pœna, IV, 674. Pœnam, IV, 626, 653. Pœnas, IV, 616.
Cubantem lecto, II, 78.
Cubare, III, 212.
Cubilis casti, III, 476.
Cubitalia incrementa, I, 676.
Cubuere vocati, III, 761.
Cucurrit vox, I, 198, 396; III, 332.
Culmina celsa magistri, II, 478. Iteris, II, 185. Vatum, I, 268.
Culmine marmoreo, I, 421. Summo, I, 279. Tecti, II, 486.
Culmus segetum, I, 672.
Culta gravatæ messis, II, 563.
Cultores veri, II, 290.
Cum clamore, II, 54. Dicto, II, 597; IV, 512. Fraude, IV, 2. Luce, II, 9. Lumine primo solis, III, 552. Murmure, III, 574. Pace, I, 239. Terrore, I, 403. Voce, I, 802; II, 656. Voce tali, II, 396; IV, 240, 424.
Cumulasse, IV, 252.
Cumulatæ plebis, I, 242. Sortis, IV, 254.
Cumulato pondere, III, 217.
Cunabula involvunt puerum, I, 191.
Cunctatio, III, 243. Mentis, I, 68.
Curabis demere, I, 701.
Cura est nostri conspectus, IV, 775. Magorum, I, 293.
Curam verborum, II, 466.
Curatio hominum, I, 674; II, 594.
Curatum, II, 607.
Curetur amore casti, I, 548. Vobis, 690.
Curis justis, IV, 307.
Currebat sermo, II, 507.
Currentia sæcula, IV, 120.
Current spontanea cætera, I, 689.
Cursus lucis, IV, 688. Lunæ, III, 559. Temporis, II, 288.
Curvato corpore, I, 252.
Custodes, III, 408.
Custodia pecoris, II, 437. Pecorum, I, 193.
Custodum brachia, II, 619.
Cyrena, IV, 655.
Cyrinus, I, 182.

D

Dabat dona, I, 286.
Dabit pro munere, III, 598. Signa, IV, 153. Vitam, II, 652.
Dabitur pœna, II, 638. Succurrere tempus, IV, 419.
Dabunt ad lethum, II, 470.
Dabuntur letho, IV, 109.
Dæmon, I, 444. Dæmone pellitur, II, 616.
Dæmoniorum princeps, II, 604.
Dæmonis arte, III, 359. Auxilio, II, 609. Rabidi, I, 402.
Damnabit crimine, II, 704.
Damnans sua gesta, IV, 629.
Damnatio sæva, I, 692. Torquet, II, 235.
Damnaverit sese, IV, 618.
Danielis, IV, 122.
Dant prædam, II, 744.
Dantes solatia, IV, 337.
Dantur semina, II, 753.
Dat quietem, II, 16.
Datur ad populi casum, I, 244. Præsepe duro cubili, I, 192. Sperare, IV, 425.
David, IV, 48.
Davida canorum, I, 184; II, 572.
Davidis germine, IV, 47. Origine, I, 186, 201; II, 105; III, 639. Soboles, III, 356. Stirpe, III, 647.
Debile cruribus, III, 643. Crurum, III, 199.
Debilium, II, 520.
Debita cuncta, III, 446. Erroris, I, 659. Letho, I, 246. Sibi, IV, 160.
Decedens dies, II, 1.
Decedenti soli, IV, 717.
Deceperit error, II, 527.
Decerpere tempus, III, 134.
Decet hoc, I, 388. Meminisse, IV, 753.
Decidere causam erroris ferro, I, 565.
Decidet in foveam, III, 158.
Decipiendum, II, 600.
De corde, IV, 570. Corpore, IV, 707. Fontibus, I, 644; II, 149. Lege, II, 576; IV, 63, 609, 729. Littore, I, 468. Magnis, IV, 291. More, I, 319; IV, 601. Morte, IV, 535. Nomine, II, 248. Nostro, III, 580. Pectore, IV, 561. Pretio, IV, 416. Sede, III, 342, 345.
Decreta tibi, IV, 494.
Decuplata super, III, 546.
Decus rerum, I, 516.
Decusso dæmone, II, 65; III, 193.
Decutiet frena, III, 425.
Dedat ad omnia, IV, 510.
Dedecus oppressum, I, 171.
Dedere corpus, IV, 449. Curat, III, 214. Flammis, I, 562.
Dederitis, I, 702.
Dederunt clamorem, III, 106.
Dedignata, II, 525.
Dedisset jussa, II, 511.
Dedisti semen per terga terræ, II, 804.
Dedita in fletum, II, 703. Lucris, I, 607. Pœnæ, IV, 713. Præceptis, II, 712.
Dedit addere, I, 309. Communes pluvias, I, 604. Hæc jura, II, 646. In aures talia dicta, III, 693. Justum, IV, 442. Observare, I, 222. Similem vocem, I, 468.
Deducere puppim, II, 11.
Defecisse, II, 134.
Defectio, IV, 121.
Defendere lapsu corpus, I, 427.
Defensa tenebris, IV, 783.
Deferre coronam, II, 127.
Defessis membris, I, 110.
Deficiebant vina, II, 131.
Defixa lege, III, 140.
Deflebit vincula, II, 726.
Deflendæ matres, IV, 127.
Deflendi Scribæ, IV, 69.
Defletio jugis, IV, 154.
Deformi lapsu, I, 724.
Deformis cameli, III, 525.
Defossis terra, I, 647.
Defunctis, II, 583.
Degener, II, 725. Soboles, I, 369.
Dehiscat regnum, II, 613.
Dehiscunt, IV, 705.
Dejecti in mare, II, 68.
Dejecit vultum, III, 520.
Dejectum projicit, III, 360.
Delectos e numero, II, 513.
Delicta, I, 637.
Delubrum Dei, II, 176.
Demergis mentem, II, 209.
Demersa, II, 701. Sopore, II, 403. Tenebris, I, 797.
Demersit letho, III, 551.
Demersus, III, 158; IV, 257. In abdita II, 248.
Demissus ad aures, I, 88.
Demittere letho, II, 489.
Demonstrant flenti sepulcrum, IV, 373.
Demortua corpora, II, 642.
Dempsit languores, III, 200.
Demulcens, III, 338.
Deneget magistrum, IV, 477.
Densata, III, 715.
Densetur tellus, II, 743.
Dependent, IV, 44.
Dependere, III, 385. Jussa, III, 700.
Deponendas maculas, I, 345.
Deponere mortem, IV, 351.
Deposcens dona, II, 336.
Deposcere corpus, IV, 719. Dominum, ut, II, 430.
Deposito carcere corporis, I, 228.
Depositum corpus, II, 524.
Depresso vomere, IV, 171.
Deprimit corpore terram, IV, 490.
Depromit hæc, III, 3. Talia, II, 529, 739; III, 467; IV, 581. Talia verba, IV, 460. Verba, II, 427. Vocem, IV, 349.
Depromunt ortum viridem germinis, II, 746.
Deripe, III, 121.
Describebatur discussio, I, 181.
Deserit terram, III, 71.
Deserta mulier, I, 571.
Deserto, II, 530. Principe, IV, 462.
Desertis peragrare, IV, 142. Regionibus, II, 219. Vallibus, I, 345, 349.
Designans omnia, IV, 362.
Desinite prohibere, IV, 418.
Desisse, III, 664.
Despectos, IV, 264.
Despicietis, II, 649.
Despicite rabiem, II, 487.
Desponsa suo propinquo, I, 89.
Desponsam sibi, I, 187.
Destituit viduam, I, 252.
Detestans, IV, 630.
Detestatus cruentum officium, IV, 619.
Detrusit in tormenta, III, 454.
Detulit mandata, I, 87.
Deus æquus, I, 123, 135.
Devia, III, 319.
Devicta morte, IV, 738.
Devinctos animam, II, 5.
Devinctus membra, I, 306.
Devitate itiner., II, 435. oculos, I, 610.
Devitet ponere, III, 615.
Devota furori, IV, 780.
Devotio cordis, IV, 40.
Devoti pectoris, I, 645.
Devotis verbis, IV, 581.

Devotus justus, I, 442.
Dextra lævaque, IV, 686. Lævaque sederent, III, 592.
Dicabit aures, et facta meis monitis, I, 754.
Dices mendacia, IV, 474.
Dicta in contraria, I. 245. Ingessit, III, 452.
Dictis contraria dicta, I, 430.
Dicto citius, I, 802.
Dictum est toties, IV, 328.
Didymus, IV, 550.
Diem æquum, III, 573.
Diffugerat, IV, 411.
Diffugiet, II, 452.
Diffugiunt, II, 70.
Diffusæ ficus, II, 116.
Digesta ex ordine sæcli, I, 525.
Digesto ordine, I, 39.
Digito contingere, IV, 57.
Dignabor aperire, II, 829.
Digna Christo, I, 35. Loquetur, II, 468. Virtute, III, 673.
Dignatio sancta, III, 582.
Dignatur nihil respondere, IV, 597. Visere, III, 111.
Dignatus mittere, IV, 793. Prendere, II, 408.
Digne quærite, I, 688.
Digni soli, III, 289.
Dignissima conjux, I, 40.
Digni viri, II, 174.
Digno cultu, II, 599. Honore, IV, 319.
Dignos fructus, III, 756.
Dignum est secernere, III, 583. Magis est hoc quærere, III, 138. Non est credere, II, 493. Tantis virtutibus, II, 108.
Dimisit ponere, II, 673.
Dimittere mentem, II, 63. Natum, III, 726. Pœna, IV, 684. Turbas, III, 78. Vitæ, IV, 603.
Dimitti poterit, II, 626.
Dimittit in aures, II, 778.
Dilexit amore, II, 225.
Diluvii, IV, 167.
Directa, II, 361.
Direptio prædæ, II, 620.
Direxit iter, II, 155.
Dirimat matris pectore natam, II, 502. Patrio pectore natum, II, 501.
Diripe, I, 700,
Diripiet, I, 652.
Diripit regnum, II, 542.
Diripiunt, I, 649.
Discedere longe, III, 325. Pœna, IV, 605.
Discedet tectis, I, 569.
Discernere faciem, III, 231.
Discernit pascua, IV, 265.
Discerpere totum, III, 213.
Discidium, I, 568; III, 474.
Discipulorum, II, 152.
Discite dictis, IV, 89.
Discluditis, III, 162.
Discluserat sensum omnem terror, IV, 751.
Discolor alter, II, 685.
Discretus, II, 622.
Discumbere, III, 83.
Discurrent, IV, 99.
Discurrit gloria, I, 19.
Discussio census, I, 179.
Discusso dæmone. *Vide* Decusso.
Discutitur lepra, II, 521.
Disjecta solo, IV, 90.
Disjecto profundo, II, 32.
Disjicit, II, 624.
Dispar judicium, IV, 175.
Dispendia vocis, I, 81.
Disperdere, II, 376. Vitas, II, 68.
Disperget terror, IV, 462.
Dispergunt semina famæ, I, 213.
Dispernens jussa, II, 257.
Disperserat, III, 185.
Disponere insidias piscibus, I, 460.
Disponit cultor, II, 816.
Disquirere, II, 229, 688. Causam, III, 627. Justitiam, II, 666. Mentem, IV, 607.
Disquirite, I, 667.
Disrupta in geminas partes, IV, 705.
Disruptis medullis, II, 615.
Dissiliunt, IV, 707.
Dissimulans, IV, 518.
Dissolvat sæcula, IV, 802.
Dissolverat morbus, II, 77. Somnus omnes, IV, 496.
Dissolvere leges, I, 519. Summam, III, 444. Templum, IV, 671. Tributum, IV, 5.
Dissolve tributum, III, 395.
Dissolvit munia, I, 784.
Dissona thalamis lætitiæ, III, 764.
Distingueret tempus, IV, 93.
Distractum, II, 613.
Distrahe omnia, III, 516.
Distraheretur, IV, 635.
Ditavit egentes, I, 137.
Ditabunt vos, II, 522.
Ditione celsa, III, 602. Famis, IV, 278. Tenentur, I, 655. Teneret, II, 610.
Diurna fraude, I, 691.
Diversa loci, IV, 107. Merentur, IV, 231. Petebant, III, 744. Sibi, IV, 166. Solo, II, 741.
Diversis factis, I, 761. Partibus, IV, 261.
Divina in sæcula, IV, 812. Potestas, III, 681.
Divinat, IV, 434.
Divino munere, II, 188.
Divisæ gentis, III, 429.
Divisio pugnet, II, 614.
Divite gaza, III, 522.
Divitiarum, II, 789.
Divitis regni, I, 680.
Dixere hoc jus, I, 716. Sobolem Dei, IV, 714.
Doctorem lucis, III, 109.
Doctor legis, II, 554; III, 27.
Doctrina fallax, I, 734.
Dolosi, III, 221.
Dolosis dictis, II, 588.
Doluit de pectore miseri sortem, I, 497.
Domaret mala, III, 34.
Domet mentem, II, 443.
Dominantur eorum, III, 603. Tineæ, I, 648.
Dominatu, III, 515.
Dominatum, III, 730.
Dominum lucis, IV, 813.
Dominus rerum, IV, 300. Ruris, II, 425. Salutis, I, 355.
Domuerunt nobis, I, 749.
Donabitur error, II, 81.
Dona Dei medentis, I, 805.
Donare ægros salute, III, 462.
Donat plebi Barabbam, IV, 625.
Donentur vulnera fratri, III, 456.
Dubium, quin, II, 181.
Dubitata fides, III, 123.
Dubitatio mentis, III, 163.
Duceus ad lethum, IV, 318.
Ducere dignos odiis, I, 598. In prælia turmas, IV, 530. Succos, III, 664.
Duces per lumen, I, 162.
Ducet ad superos, II, 644.
Ducite noctem, IV, 488.
Ducit per densa, I, 564. Per scrupea, I, 722.
Duelli, II, 622.
Dulcia pocula, II, 271.
Duplis incrementis, IV, 233. Lucris, IV, 251.
Duplum iteris, I, 593.
Durities, I, 711.
Duum medium, III, 431.
Duxit greges ad pocula, II, 266.

E

Ebrietati, IV, 192.
Edaces tineæ, I, 648.
Edebant fines, I, 183.
Edicere scripto nomen, I, 147.
Edicite, II, 416.
Edidit Joseph, I, 186.
Edita, III, 151.
Edocuit, IV, 452.
Eduxit populum totis mœnibus, II, 300.
Effera gens, III, 565. Plebes, II, 710.
Efferus, III, 428.
Effrenus, I, 726.
Effusis rivis, I, 764.
Egens rectoris, I, 727.
Egentes rectoris, II, 426.
Egesta latebris, I, 649.
Egestas undas, II, 149.
Elegit comitem te spiritus, II, 118.
Eliæ, III, 524.
Eliam, III, 265, 345.
Elias, II, 547; III, 548; IV, 700.
Elingues, III, 199.
Elisabeth, I, 117, 141.
E medio comitum, II, 371. Sono vocis, IV, 579. Speculis, II, 69; IV, 715, 727.
Erat tectis, IV, 410.
Erectæ minis procellæ, II, 42.
Erecto vertice, II, 819.
Ergo age, II, 596.
Erigite oculos, II, 315.
Eripit de pectore, II, 780.
Errata, III, 433.
Errat vero sensu, II, 725.
Erravere, IV, 711.
Erroris causam, I, 565. Labem, III, 58.
Error præteritus vitæ, II, 81.
Erumpunt, III, 150.
Eruta, III, 156.
Esse escam propriis cruciatibus, II, 606. Locustas, I, 560. Per omnes blando obsequio, I, 599.
Est animus, III, 284. Est, sufficiat, I, 581. Nostræ mentis, II, 190.
Evadere iras, I, 365.
Eventum rerum, IV, 639.
Evigilare, II, 35.
Ex animo, I, 595. More, I, 316. Ordine, I, 82, 138, 157, 405; II, 302; III, 23, 86; IV, 25, 377. Ordine sæcli, I, 525. Parvo, IV, 216.
Excepit talia, IV, 592.
Excindere vos, I, 601.
Excisa rupes, II, 15.
Excitus urbe, II, 274.
Excludet lumine, II, 453.
Excludite somnum IV, 487.
Excruciatus, II, 57.
Excurrit unda, II, 718.
Excussam aurem, IV, 525.
Excussus talibus, I, 444.
Excutiat, II, 57.
Excutite vestigia, II, 455.
Exercent iram, III, 604.
Eximios vatum, III, 292.
Exit velocius, II, 751.
Exoptant, III, 131.
Exorant, II, 325.
Exordia nascendi, II, 186. Vitæ, II, 191. Vocis, II, 201.
Exorsus sumere, IV, 651.
Exortu, II, 541. Solis, III, 227.
Exortum terris, I, 267.
Exortus tumultus, II, 9.
Exponit avibus, II, 782.
Expediens leges, III, 18.
Expendere terras, II, 250.
Expertes culpæ, II, 583. Muneris, II, 765.
Expleta jacet, III, 88.
Explorare, III, 232.
Exposcere messem, II, 316.
Expressum vultum, IV, 11.
Exsequitur jussa, III, 698.
Exsiluit mater, I, 119.
Exsolvet jura, III, 476.
Exsurgent falsi prophetæ, IV, 139.
Exsurgere bustis, II, 661. Judicio, II, 663.
Exterrita corda, IV, 777.
Extima portio, III, 581.
Extimui, IV, 243.
Extrema maris, terræque ora, II, 736.
Extremam vestem, II, 592.
Extremo lumine, III, 77.

Extremum finem, IV, 542. Munus, IV, 719.
Extremus mundi finis, III, 9.
Extrinsecus, III, 164.
Exuit sexu, III, 488.
Exuperabile, III, 281.
Exurere flammis, III, 13.
Exuri ignibus, II, 812.

F

Fabri soboles, III, 25.
Faciam jussa, II, 512. Similem, I, 762.
Faciem cœli, III, 231.
Faciet sic vobis, III, 456.
Facile est cerni, IV, 146. Dicere, III, 678.
Faciles victus, I, 667.
Facite fructum, I, 366.
Facilis irrita, III, 143.
Faciunt insidias, I, 729.
Factio, II, 582. Cæca, II, 608. Damnata, IV, 294. Demens, IV, 676. Fallax, III, 689. Frendens, IV, 1. Furum, I, 650. Maculata, IV, 511. Prudens, IV, 219. Sacerdotum, III, 645. Scribarum, III, 344.
Facti pœna, I, 558.
Falce premens, III, 695.
Fallacem vitam, III, 686.
Fallacia, III, 682. Dicta, III, 134. Furibunda, I, 434. Pectora, III, 223. Tentans, I, 410.
Fallaciter, I, 582.
Fallax error, III, 171. Tignum, I, 700.
Fallente veneno, I, 422.
Famoso nomine, IV, 602.
Famulis manibus, I, 428.
Fautes, IV, 415, 634.
Fantur talia, II, 803.
Farinæ mole, II, 823.
Farra, II, 745, 809. Noxia, III, 259.
Farris semina, I, 671; III, 4.
Fascia, IV, 597.
Fas est, II, 669. Concedere, I, 634. Homini, I, 574.
Fastigia montis, I, 770. Vitæ, III, 514.
Fateare, si, IV, 555.
Fatebor hunc, II, 498.
Fatemur tibi grates, IV, 388.
Fatentur Christum, IV, 714.
Fatigant ducendo diem, I, 618.
Fatigat famulos, IV, 191.
Fatiget corda, IV, 754.
Fatiscit, III, 244.
Fatui nomine, I, 559.
Favore vestro, I, 715.
Femineam mentem, I, 250.
Femineis verbis, II, 327.
Fenera concedere, I, 634.
Feralia verba juris, I, 568.
Ferat tua pallia secum, I, 590.
Ferebat famam, II, 418.
Ferenda verba virtute Dei, II, 83.
Ferens ludibria, III, 588.
Ferent signa, IV, 104.
Feret nomen, I, 551.
Feris animis, II, 708. Gestis, III, 42.
Ferit mole, II, 30.
Fermenta, III, 254.
Fermenti calore, II, 824.
Fermento salubri, II, 822.
Fermentum ferox, III, 240.
Ferocis populi, IV, 513.
Ferre lapsus, III, 434. Medelam, II, 589. Obsequium Christo, IV, 716. Templo, I, 231. Vitam, IV, 679.
Ferrent consortia pœnæ, IV, 668.
Ferret arma, IV, 180. Fructum, IV, 249. Jejunia, II, 366.
Fervens furiis, IV, 551.
Fervente odio, I, 536.
Fervida vis, III, 267.
Ferunt frugem, II, 795. Segetem, II, 754.
Fessis rebus, IV, 297. Senibus, I, 64.
Fessum fame, IV, 272.
Festinas, II, 136.
Festucam, I, 697.
Fetorem, IV, 380.
Fictas causas, IV, 544.
Ficus, I, 736. De vertice, IV, 632.
Fidei luce, I, 454.
Fiducia patris, I, 685.
Fiet selectio, III, 735.
Figere gressus, III, 113.
Figit fidem, II, 650. Vestigia, III, 115.
Figuli agellum, IV, 642.
Fila radicum, II, 748. Vestis, III, 130.
Filia reginæ, III, 55.
Finem fidei, II, 472.
Fingent monstra, IV, 139.
Fingere se similem pueris, III, 401.
Finibus extremis, II, 711. Zabulonum, I, 447.
Finire furores, II, 64.
Firmare, quod, III, 262.
Firmasset pectora, III, 338.
Firmat animum, II, 342. Pectora, IV, 772.
Firmato corde, II, 414. Pectore, I, 464. Robore, I, 758; II, 520. Usu, II, 89.
Firmavit mentem, II, 153.
Firmentur munera, I, 76.
Firmet miracula, II, 696.
Firmissima, IV, 58.
Fixit in ligno, IV, 756.
Fixo Christo, IV, 670.
Fixum vulnere, III, 731.
Flamina contraria, III, 124. Currentia, II, 202.
Flamine primo, I, 763. Venti, III, 99.
Flammicomantum, IV, 201.
Flammipedum, II, 548.
Flammivoma nube, I, 31.
Flatu divino, IV, 49. Perunctum, I, 397. Sancto, I, 395; II, 195.
Flatus multos, II, 59. Spiramina, IV, 798. Sancti, II, 204. Sanctus, II, 716.
Flore juventæ, I, 251.
Florentem fruge, II, 507.
Flumine puro, I, 375.
Fluxere illuc, II, 737.
Fluxit vox, III, 633.
Fodientur pœna, IV, 304.
Fœdarat lepra, I, 773.
Fœdare faciem, I, 641.
Fontanas undas, II, 531.
Fontani gurgitis, II, 718.
Foramen acus, III, 524.
Foribus apertis, I, 707.
Formas superas, II, 215.
Fortia membra, II, 556.
Fortibus humeris, II, 91.
Forti sermone, I, 412.
Fovebunt ignem, I, 372.
Fragmenta, III, 250.
Fragmina, III, 82. Panis, III, 216.
Fragosam, III, 229.
Fraterno amori, I, 54.
Fraternum jus, IV, 43.
Fregit superbos, I, 136.
Fremitu comitante, III, 312.
Fremitus populi, II, 400.
Frena doctorum, III, 425.
Frendens violentia, II, 465.
Frenent molimina mentis, I, 557.
Freta fervida, III, 127.
Frequens populis, I, 486.
Frequentans fletum, I, 798.
Frequentant, I, 15; II, 94, 693; III, 202.
Frequentat dicta, II, 727. Incrementa, II, 754.
Frequentent, III, 738. Grates, I, 152.
Frequentet, III, 424. Fletus, IV, 258.
Frequenti plebe, IV, 408.
Frigentis, II, 408.
Frigore brumæ, IV, 129.
Frondosa umbra, III, 72.
Fronte duelli, II, 622.
Fructu sermonum, II, 634.
Fruge salutis, II, 507.
Frugiferæ æstatis, II, 314.
Frugiferentum, II, 551.
Fruitur connubiis, III, 46.
Fruticum, I, 683.
Fuderat Jubar, III, 1.
Fugeret corpore, II, 391.
Fugiant Judæa, IV, 124.
Fugiat damnatio sæva judicium vestrum, I, 692.
Fugiente motu caloris, IV, 379.
Fugit de pectore, II, 715. Ex oculis, IV, 689. Per devia, I, 444.
Fugitis disquirere, II, 688.
Fuit in vinclis, IV, 602.
Fulgente ferro, I, 247.
Fulgentia regna, I, 435.
Fulgida, IV, 724.
Fulgore corusco, III, 321.
Fulguris ignis, IV, 749.
Fultum nomine, II, 686.
Fundamenta, I, 763.
Fundamina, I, 755, 759.
Fundata virtus, IV, 789.
Fundaverat fides, II, 326.
Fundere fetum, I, 140.
Fundo maris, II, 705.
Fundum, III, 550. Fundus, II, 247.
Funera lethi, II, 523. Virginis, II, 599.
Furentes undæ, IV, 165.
Furibunda, I, 434.
Furores sævi, I, 481. Septem, II, 723. Tempestatum, III, 230.
Furta tororum, III, 170, 505.
Furtim, IV, 783.
Furvis tenebris, II, 209; IV, 689. Umbris, IV, 149.
Fusa ambitione, IV, 610. Cadavera, IV, 752.
Fusæ catervæ, II, 303.
Fusis crinibus et precibus, III, 177.
Fustibus, IV, 533.

G

Galilææ, I, 471; IV, 467.
Galilæam, II, 245. Loquelam, IV, 580. Regionem, II, 330. Terram, IV, 763, 776.
Galilæa plebes, I, 486.
Galilæas, III, 193.
Galilæia arva, I, 450; III, 459.
Galilæos montes, IV, 785.
Gaudeat addere, III, 306.
Gaudent excindere, I, 601. Gaudia magna, I, 281.
Gaudetque, jubetque, I, 97. Secutus, II, 98.
Gaudia ventris, I, 85.
Gaza, III, 499. Divite, III, 522.
Gazas, III, 546.
Gehennam, I, 746.
Gelido fonte, II, 248.
Geminasse, IV, 257.
Geminas vestes, II, 445.
Generabitur error, III, 403.
Generat flatum sibi similem, II, 193.
Generatio, II, 697; IV, 159.
Genibus nixi, IV, 648.
Genitalia mœnia, I, 271.
Genitalibus arvis, IV, 466.
Genitali lege, III, 485.
Gens nullius fidei, III, 365.
Gentibus infidis, I, 687; III, 602.
Genti maneret, IV, 622.
Gerasenorum, II, 43.
Gerens speciem, I, 393.
Germana corpora, IV, 20.
Germanas, IV, 336.
Germanum, IV, 368.
Germine pomi, I, 738.
Gestabant robur, III, 119.
Gestabat nomen, IV, 720.
Gestant terga, III, 635.
Gestare, IV, 213. Nomen, IV, 60.
Gestat apertas aures mentis, II, 756. Munera, III, 610. Vestigia, I, 575.
Gestet vestigia, I, 351.
Gethsemaneia rura sunt, IV, 479.
Gigni populis, I, 106.
Glaucicomantis, III, 623.
Glebis siccis, II, 747.
Globis flammarum, I, 377.
Glomerabit, IV, 158.
Glomerando, II, 723.

Glomeratio, II, 579.
Glomeraverit, III, 756.
Glomeravit, III, 581.
Gloria adventus nostri, II, 526. Cœli, II, 550. Famæ, II, 687. Gentis, II, 207. Laudis, II, 683. Legis, IV, 805. Prolis, I, 399. Similis, II, 647. Summi Genitoris adest, IV, 583. Tantarum rerum, I, 436. Terrarum, II, 135. Virtutis, II, 244. Vitæ, II, 472.
Golgotha, IV, 658.
Gracili parte, IV, 291. Voce, I, 204.
Gracilis distinctio, I, 524. Fascia, IV, 397.
Gramineis toris, III, 84.
Grandis gloria, I, 54.
Gratantis, II, 10.
Grates eximias, IV, 588.
Gratia frugis, II, 784. Lucis, IV, 150. Sermonis, II, 467, 650, 768. Vestis, I, 681. Vitæ, II, 682.
Gratis impendite, II, 442.
Gratius donum, I, 44.
Gravantur, II, 790. Lolio, II, 805.
Gravatæ messis, II, 563.
Gravati oculi, II, 774.
Gravatis mole, II, 788.
Gravatum morbo, IV, 298.
Gravatur cœna, III, 189.
Gravavit vinclis, III, 48.
Gravidam frugem, II, 565. Messem, II, 320.
Gravidi oneris, I, 592.
Gravior numerus, IV, 405.
Gregibus marinis, I, 466. Porcorum, II, 64.
Gremio fontis, II, 142. Præsepis, I, 212.
Gremium in altum puteus, sinuatur, II, 261. Præsidis, IV, 590.
Gressibus annorum, I, 313.
Gustabo liquorem, IV, 455.
Gustanda tradant, II, 146.

H

Habebat ploratus egressum Petrum, IV, 586.
Habetur sub nomine, II, 734. Testis, II, 668.
Habitabile corpus, II, 546.
Habitacula, I, 189, 280; II, 720; III, 625. Cordis, III, 41.
Habitare sepulcris, II, 47. Umbras, II, 821.
Hæreat nobis, I, 441. Vobis, II, 456.
Hærent fundamina, I, 759.
Hærere discipulis, II, 97.
Hamus, III, 391.
Haud aliter, II, 814; III, 287; IV, 794; Mora, II, 584; III, 197; IV, 373. Secus, III, 561.
Hauritura, II, 253.
Hauserunt fidem, III, 710.
Hebrææ linguæ, IV, 694.
Hebræi nominis, IV, 479.
Herodes, I, 268, 276, 292; III, 55, 45, 53, 64.
Herus, IV, 258.
Hilari quiete, II, 560.
Hinc inde, II, 28; III, 153; IV, 669.
Hirtis, IV, 267.
His dictis, visisque, IV, 764.
Hoc magis inclamat, IV, 623; Super, II, 529.
Honorem mercedis, III, 570. Virtutis, II, 357; IV, 401. Voti, III, 739.
Honore sermonis, III, 601.
Honos virtutis, I, 15.
Horrea implebit, I, 580. Nostra, II, 813.
Horrendæ matris, II, 61.
Horrendis fluctibus, III, 121.
Horrendum stridens, I, 798.
Horrens moribus, II, 451.
Horret sibi imponi pondus, IV, 810.
Horribilem, II, 505. Morbum, III, 357.
Horrida factio, I, 650. Somnia, I, 173, 286.
Horridus dæmon, II, 616.
Horrore spinarum necatus, II, 791.
Horror quantus erit, I, 660. Spiceus, II, 801.
Hosanna, III, 640, 647.
Hospita oppida, IV, 297.
Hospitio, IV, 274.
Hospitium, I, 188.
Humida nox, III, 224.
Humiles minimos calcavit, IV, 302.
Hymno sanctis concentibus cantato, IV, 458.

I

Ibidem, II, 604; III, 80.
Iguea sidera, I, 11.
Ignicoloris, IV, 155, 560.
Ignicomæ stellæ, IV, 151.
Ignicomus sol, III, 1.
Ilia, II, 141.
Illæsa manebit, I, 757.
Illata, III, 148.
Illex malorum, I, 723.
Illibata, III, 578.
Illicito amore, III, 45.
Illicitum, IV, 654. Est, III, 472. Fuerat, II, 575.
Illisos fluctus, II, 31.
Illo progreditur, IV, 480.
Illotis manibus, III, 174.
Illudere verbis, IV, 569.
Illudunt, IV, 677.
Imago sermonis, II, 830.
Immane saxum, IV, 585.
Immania membra, III, 525.
Immatura mors, I, 252.
Immensæ virtutis, III, 75.
Immensi mundi, I, 132.
Immensis ventis, II, 28.
Immensum stupuit, I, 768.
Immersos gressus, III, 113.
Immersum carceris umbris, I, 446.
Immittere pacem terris, II, 500.
Immiscuit sese auris, I, 77.
Immobile jussum, I, 441.
Immutabilis ordo, IV, 657.
Impendere durum pectus erratis, I, 639. Soles geminos, II, 525.
Imperiis nati, II, 139.
Impetus amnis, I, 725.
Implebunt mundum talia facta, IV, 422.
Implentem voce, I, 204.
Implent fragminis, III, 90. Sordibus, III, 173.
Implerint dapibus, III, 249.
Implet præceptis, II, 454.
Impletur cuicumque, II, 732.
Implevit donis, III, 194.
Implicitam linguam, I, 149.
Implicitis verbis, II, 758.
Implorat lacrymans, II, 382.
Implumes, I, 223.
Imponent finem, IV, 102.
Imponere finem verbis, I, 238. Incrementa suis membris, I, 677. Mortem, IV, 545.
Imponet membris, IV, 511.
Imponi sibi pondus, IV, 811.
Imponit palmas, III, 497.
Imponunt humeris pondera, IV, 56.
Impositum nomen, I, 218.
Impressum labiis, IV, 697.
Improbitate, II, 649.
Impubem plebem, III, 649.
Impubis pueri, I, 782.
In abdita, II, 248. Ævum, I, 443. Diversa, IV, 464. Horas, IV, 178. Medio, III, 714. Medio juvenum, III, 15. Morem Hebrææ linguæ, IV, 695. Mortem cruciant, III, 749. Nomine panis, III, 242. Ordine, II, 565. Ordine sæcli, IV, 639. Primis, III, 58. Inque vicem sceptri, IV, 647. Sæcla, IV, 46. Sæcula, IV, 812 *seq.* Solidum, III, 565. Sua, III, 95. Sublime, II, 221. Tantum, IV, 804.
Inane, I, 396; II, 3.
Inania, IV, 106. Cuncta, I, 686.
Inanis fructus, I, 619.
Incauta furentem, IV, 194.
Incedere præcipit, III, 725.
Incendia bellorum, IV, 99.
Incendit vulgus, IV, 612.
Incensa malo, IV, 615.
Inchoat, I, 99.
Inciderat pontum, II, 2.
Inciderint foveam, II, 592.
Inclementia mortis, IV, 26.
Inclusi tenebris, I, 452.
Incognita, II, 236; III, 165.
Incrementa, I, 677; II, 818. Sui, II, 755.
Incrementis duplis auxerunt, IV, 253.
Increpat ore, I, 363.
Increpitans, I, 384. Præconia, I, 456.
Increpitant, IV, 415, 686.
Increpitat, IV, 620.
Increscere, III, 402, 418.
Incubat undis, IV, 472.
Incubuere, I, 679.
Incubuit, III, 369.
Incumbens nobis, IV, 492.
Incumbent tenebræ, I, 658.
Incumbere, IV, 110. Cœpit, I, 764.
Incumbet vobis, II, 462.
Incumbunt conquirere, IV, 544.
Incurrere laqueos, II, 494.
Incursu dæmonis, II, 420.
Incurva falce, I, 672.
Indagine, I, 463.
Inde aliam, mox inde aliam, II, 474.
Indefessus, IV, 39.
Indicio scripti, II, 535.
Indignans, III, 574.
Indubitata, II, 695.
Inducit sidera terris, IV, 472.
Induitur tenebris, IV, 690.
Inexpletus, II, 418.
Infans, I, 313.
Infantes, I, 296.
Infantum, I, 303.
Infantum corda, II, 553.
Infensus Christo, IV, 603.
Infernis portis, III, 281.
Inferre fletus tumulo, IV, 365. Pedem, I, 420.
Inferret odores, I, 45.
Infert se mœnibus, III, 674.
Infidos animos, II, 37.
Infindent, IV, 171.
Infit, IV, 245. Sermonem, I, 92.
Inflata vela, II, 25.
Inflexis genibus, III, 554.
Infodiens telluri, IV, 235.
Informem mortem, IV, 652.
Infremit, IV, 596.
Infundere lucem, II, 169.
Ingeminant pulsare, IV, 223.
Ingemit, II, 425.
Ingeret convicia, II, 629.
Ingessit dicta, III, 452.
Ingrediens iter, II, 99.
Ingresso iter, II, 543.
Inhabitare, I, 536.
Inhærebat thalamis, I, 40.
Inhians nun mis, II, 158.
Injecere manum, IV, 522.
Injuria præceps, I, 505. Surgit, III, 725.
Innectere insidias, I, 467.
Inolescere, III, 470.
Inquirit sedem, IV, 571.
Insania fratris, II, 469. Mentis, I, 482. Recens, IV, 739. Vocis, III, 172.
Insectatio frendens, I, 502. Prophetarum, I, 507.
Insequitur ruina, I, 766.
Inserta sulcis, II, 321.
Inserto calore, II, 748.
Insertum cheræis, I, 327.
Inservire divitiis, I, 665.
Inseruit astris, III, 267.
Insidiando, II, 799.
Insinuando, III, 20.
Insinuans, I, 472; II, 816.
Insinuate, IV, 799.
Insistere ruri, III, 568. Tempus, IV, 179.
Insistit urgere, IV, 551.

Insontis caput, III, 66.
Insperata, II, 66.
Inspergit lolium, II, 800.
Inspiciens, II, 555; IV, 7.
Inspicite, IV, 10.
Instabilis, III, 374.
Instans, I, 589. Lux, III, 290.
Instantem rejecit, I, 439.
Instantia sæcula, IV, 141.
Instanti crebrius, III, 186. Pœna, IV, 608.
Instantis temporis, II, 288.
Instant poscere, III, 222.
Instaret sibi, III, 594.
Instar sinapis, III, 376.
Instat quibus cura tributi, III, 382. Radicibus, I, 370. Tumescere, II, 29.
Instaurare iterum, IV, 549.
Insternunt pullum, III, 652.
Instincta deo vox, I, 311.
Instituentes hoc pretium, IV, 641.
Institui mittere, IV, 795.
Instruere lumina tædis, IV, 211.
Instruite stratas, I, 550.
Instruximus, III, 753.
Insultans furor, IV, 662.
Insultant, IV, 569.
Insultare, II, 51.
Insultat, IV, 670. Furiis, IV, 562.
Intactæ tunicæ, IV, 664.
Intemerata, II, 357.
Intentis animis, IV, 182.
Interiora petit, IV, 360.
Interitus cœli, I, 525.
Internæ mentis, II, 310.
Interna sordida, IV, 75.
Internam mentem, III, 151.
Internecat, II, 752.
Interno pectore, III, 166.
Invades furta tororum, III, 506.
Invenisse fidem, I, 793.
Invigilare talentis, I, 647.
Inviolabile donum, II, 225.
Inviolata præcepta, I, 550.
Involvere terras, IV, 165.
Ire viam, I, 592.
Irrevocabile donum, I, 74. Tempus, I, 12. Irrevocatis, II, 651.
Irruere ad fluvium, I, 565.
Irruit timor, II, 37.
Isaiæ dictum, I, 448; II, 769.
Isaias vates, I, 348.
Israelitarum, I, 242, 275; II, 207, 476.
Isthic, II, 579.
Iteris, I, 525, 595; II, 185; IV, 768. Linea, I, 552.
Iterumque iterumque, III, 665; IV, 616.
Itidem, II, 409, 668, 792.
Itiner, I, 278; II, 23, 455; IV, 71.

J

Jacebat æstu, I, 807.
Jacentem natum, III, 178.
Jacenti, IV, 411 Morbis, IV, 292.
Jacet mihi, III, 694.
Jaciet canibus, III, 187.
Jacit semina, II, 798.
Jaciunt cadaver, III, 732. Semina, I, 671.
Jacob, II, 248, 265. Jacobum, I, 466.
Jactans, IV, 734.
Jactare monilia porcis, I, 705.
Jactatio, I, 616.
Jactat vocem, II, 201.
Jacuere fratres, IV, 25.
Jaculabere saltu corpus, I, 424.
Jaculare procul, I, 561.
Jaculetur sese, III, 406.
Jejunam plebem, III, 208.
Jejunia cordis, I, 407. Pectoris, III, 580. Plebis, I, 640.
Jeremiam, III, 268. Jeremias, I, 299.
Jesu, I, 595. Jesus, I, 219, 387, 439, 806, 808.
Joannem, I, 61, 466; III, 685.
Joannes, I, 587; III, 36, 39, 45, 263, 680, 708.
Joannis, II, 364, 539, 546.
Jonæis monitis, II, 707.
Jordanem, I, 451.
Jordanis, I, 487; III, 461. Dulcis, I, 35.
Joseph, I, 186, 257, 291, 307; II, 104; III, 25.
Jubeas verbo, I, 787.
Jubebat otia, IV, 729.
Jubentur arbitrio, II, 665.
Judæ, IV, 515.
Judæa, I, 436; IV, 124. Gens, IV, 532. Regio, I, 264.
Judææ gentis, IV, 338, 593, 649. Plebis, IV, 667. Urbs, I, 184.
Judæam, III, 460.
Judæi, IV, 399. Nominis, II, 179.
Judæis, II, 154; IV, 779. Oris, II, 287.
Judæo tibi, II, 256.
Judæus, II, 205.
Juda fugiente, IV, 481.
Judam, IV, 445.
Judas, IV, 424, 428, 444, 512. Proditor, IV, 627.
Judice flammæ, III, 475.
Judicio gravi, II, 665. Truci, II, 230.
Judicium illi non est, II, 655.
Jugalia festa cœnæ, III, 752.
Jugera læta, IV, 171. Multa, III, 712.
Jugis celsis montis, I, 434.
Jugi sæclo, IV, 352.
Jumenta, III, 628.
Junctura credentes vitæ, II, 228.
Jungere mihi gentes, IV, 795.
Jurabitur I, 577.
Jurabo illis, I, 752.
Jurandi audacia, I, 573.
Jurandique juris, III, 65.
Jura pacti, III, 579.
Jura quærendi, II, 645.
Jurare in proprium caput, I, 578. Per cœlum, I, 574.
Juratus spondet, III, 60.
Jure severo, I, 745; II, 229.
Juri debetur, I, 495.
Jus dicere, II, 658.
Jussa discessere, I, 483. Numine, I, 254. Simulatio, II, 547.
Jussas loquelas, I, 47.
Jussit cædem, I, 295. Disquirere, II, 666.
Jusso moderamine, I, 22.
Jussum fetum, I, 140.
Jussus numine, I, 348.
Justa operum, I, 504.
Justis meritis, I, 614.
Justissima pœna, IV, 732.
Justitiæ leges, III, 19. Ordo, I, 389.
Justitiam Dei, I, 689. Hujus, III, 334.
Justorum animas, II, 662.
Justum est, IV, 54.
Justus devotus, I, 442.
Jutura terras, I, 93.
Juvencum magna corpora, II, 157.
Juvenis regius, II, 332.

L

Labare, III, 135.
Labat corpus, IV, 501. Custodia, II, 457. Pectore, III, 373.
Labe malorum, IV, 262. Populorum, IV, 115.
Labente gressu, II, 411.
Labentes, IV, 469.
Labentibus annis, II, 386.
Labentis fratris, III, 422. Solis, III, 77.
Labentur cuncta, II, 615.
Labes laborum, III, 28.
Labiis lapidum, II, 144.
Labis miseræ, I, 560.
Laborant fœdare, I, 641.
Laboras purgare, I, 699.
Laborum labes, III, 28.
Labuntur letho, II, 749.
Lacerata capillos, IV, 506.
Laceretur vocibus, II, 627.
Lacrymabilis, IV, 69.
Lacrymosa, IV, 336.
Lactentum, II, 652.
Lædatur cuiquam, III, 141.
Lætæ messis, II, 515. Segetes, II, 428.
Lætantem vultum, I, 644.
Lætanti in pectore, II, 342.
Lætata, II, 138.
Lætatur prævenisse dona, I, 805.
Lætitiæ liquorem, II, 133.
Lance inferri, III, 63.
Lanea fila, II, 50.
Languida jejunia, II, 372.
Languore gravi, II, 386. Mentis, II, 4. Quietis, IV, 508.
Languores amaros, III, 200.
Laniatibus, III, 352.
Lanigeris, IV, 266.
Lapsi e summis, III, 615.
Lapsus septem, III, 434.
Laqueaverit error, I, 559.
Laqueis errantum, IV, 98.
Laqueos erroris, III, 12, 402; IV, 732.
Larga voluntas, II, 181.
Largibor, II, 562.
Largifluis opibus, I, 157.
Largior gratia, II, 272.
Largissima, III, 742.
Largitio, I, 632.
Largus miserator, II, 295.
Lata via, I, 718.
Latebram, II, 15.
Late fragrantis, IV, 413.
Laterum sinuamine, III, 56.
Laticis potum, II, 254.
Latrantibus, IV, 536.
Latratu, IV, 14.
Latro, IV, 602. Latrones, IV, 602, 611, 669, 687. Latronis, IV, 613.
Lavacra, I, 557, 586. Miranda, I, 546. Venerauda, I, 585.
Lavandis manibus, II, 136.
Lavate sub nomine sancto, IV, 797.
Laudatio, I, 612.
Laudem cœli, I, 229.
Laudetur cunctis, I, 518.
Lavit flumine, III, 263. Gurgite, III, 680.
Lavere faciem, IV, 649.
Lazarus, IV, 316, 321, 327, 346, 369, 393.
Lectæ virtutis, III, 485.
Lecti, III, 491. Sectantum, III, 624.
Lectio, II, 678, 680. Vocis, II, 556.
Lectissima virgo, I, 104.
Lectos, IV, 137, 140.
Legere relliquias, III, 89.
Leges antiquæ, I, 572.
Leget quæstum, III, 507.
Lege veteri, II, 566.
Legio est nomen, II, 58.
Legis scripta, III, 630.
Legis sub jure, II, 584.
Lenta otia, III, 566.
Lepra, I, 775; II, 521. Lurida, IV, 410.
Lethali vulnere, III, 722.
Lethiferi ævi, I, 305.
Lethifero ore, II, 636.
Lethi lege, III, 35.
Levabit colla, IV, 66.
Levant promissa loquelam amissam, I, 88.
Levare membra, I, 428.
Levaret animos, II, 165.
Levibus ministris genitoris, IV, 33.
Levitate simili, II, 787.
Libens caperet, IV, 806.
Libera sanguinis, IV, 620.
Librata mœnia, I, 756.
Libyæ, II, 711.
Liceat me voce moneri, III, 512.
Licebit jurare, I, 578.
Licitum dare, IV, 635. Est, II, 18; IV, 759.
Lilia florent, I, 678.
Limina clausa, IV, 221. Lucis, II, 654. Mortis, IV, 354. Vitæ, IV, 443.
Limine lucis, III, 314. Mortis, II, 345. Tecti, II, 455. Tumuli, IV, 748. *Vide* lumina, lumine.
Limite lævo, I, 718. Solido, II, 743.
Linea texta, IV, 396.
Linquetur in agro, IV, 174.

Linquite curam, I, 687.
Liquefacta timore, III, 118.
Liquefactis membris, IV, 380.
Liquere præceptum, II, 282. Solum, II 251.
Liquorem gratum vini, II, 148. Lætitiæ, II, 133.
Liquoris dona, II, 269.
Liventi pectore, III, 57.
Livida vis, I, 420.
Livor dæmonis, I, 402.
Livore gravi, III, 21.
Locantem venalia multa, II, 157.
Locarunt titulum, IV, 666.
Locavit fructus habendos, III, 715.
Locus justæ mercedis, I, 606.
Locustas, I, 360.
Lolii quæstio, III, 2.
Lolio redundat, II, 802. Turpi, II, 805.
Lolium amarum, II, 800. Infelix, III, 7.
Longa viarum, I, 262.
Longinqua petit, III, 717.
Longum per inane, I, 390.
Loquor falsa, II, 668.
Loquelam amissam, I, 85.
Loquelas perferre, I, 47. Plebis, III, 261.
Loquelis insanis, IV, 677. Occultis, II, 307. Tantis, II, 189.
Loquetur ad famulos, I, 128. Peragrare, IV, 142.
Lubrica, I, 761; III, 374. Mortis, IV, 500. Planities, I, 724.
Lucent ordinibus olivæ, III, 623.
Luce prima, III, 572. Salutis, I, 801. Ventura, III, 226.
Luces quatuor, IV, 577.
Lucifer, III, 101.
Lucifluo sermone, IV, 119.
Lucifluum, III, 293.
Lucis dominum, IV, 656. Unius, III, 554.
Lucrabere mentem, III, 422.
Ludibria, III, 588; IV, 644, 651.
Ludus erat insultare, II, 52.
Luenda est pœna, I, 558.
Laeret per vincula, III, 455.
Lumenque salusque hominum, III, 356. Terrarum, II, 75, 735.
Lumina dierum, III, 317. Flammæ, IV, 202. Mentis, II, 765. Solis, III, 16. Tertia, III, 589. Tertia solis II, 168; III, 206. Vitæ, IV, 27, 735, 757. *Vide* limina.
Lumine claro, II, 240. Lucis, II, 519. Vitæ, II, 208. *Vide* limine.
Luminis oras, II, 344.
Lunæ cursum, I, 482.
Lunaris lucis, IV, 150.
Lurida lepra, II, 521. Membra, I, 777.
Lusere plagis, IV, 650.
Lusit choreas, III, 57.
Lustra ferarum, I, 400.
Lustrata, I, 280.
Lustratis gentibus, I, 241.
Lustrat vestigia, III, 413.
Luxit mihi, IV, 804.
Lux tertia, I, 326.
Luxu fœdo, III, 472.
Luxuriæ, III, 54.
Luxuriatus, IV, 190.
Luxuriosorum, IV, 193.

M

Machæra, I, 247. Fulgente, IV, 525.
Maculabunt mentem, III, 151.
Maculant, III, 173.
Maculare, III, 168.
Macularit sanguine palmas, I, 533.
Maculas præteritas, I, 573. Vitæ, IV, 55.
Maculata cruore, III, 729. Messis, II, 802.
Maculaverit mentem, II, 239.
Maculoso textu, I, 467.
Magedarum, III, 220.
Magi, I, 281, 289.
Magis est cordi, I, 674.
Magnificas dapes, III, 745. Laudes, I, 131.
Magnifico lumine, III, 272.
Magnificum puerum gigni, I, 106.
Magnum clamans, I, 121. Dignando, I, 128.
Magorum, I, 261, 293.
Majestas, III, 542; IV, 559.
Majestate potens, IV, 156.
Major quam pro numero, III, 415. Viribus, II, 539. Virtute, II, 264.
Maligna fraude, II, 114.
Malignis verbis, IV, 2.
Malis insultant palmæ, IV, 568.
Mallet Deus non sacra, sed corda mitia, II, 581.
Mancipat seseque, domumque, II, 348.
Mandata, II, 528. Ultima, IV, 432.
Mandatis matris, II, 730.
Maneat progigni, I, 274.
Manebit hunc, IV, 528. Illos, II, 457. Illum, I, 498; IV, 196.
Maneret genti, IV, 622.
Manet illos, I, 496. Irrevocabile donum, I, 74.
Manifesta fides, IV, 755. Virtus, II, 328.
Manifestat, II, 640.
Manifestatur, I, 275.
Manifestior omni luce, II, 670.
Mansuetudo, I, 492.
Mansuras, III, 280.
Manus amens, IV, 779. Illa virum, III, 572.
Margine scopulorum, II, 67. Stratæ, III, 654.
Maria, III, 26.
Mariæ, I, 219. Matris, I, 243. Sponso, I, 168.
Mariam, I, 186, 224, 307; IV, 400. Sororem, IV, 359.
Marinis gregibus, I, 466.
Marmoreo, I, 421.
Marmoris undis, I, 460.
Martha, IV, 539, 555. Marthæ, IV, 576. Martham, IV, 400.
Massæ corpore, II, 825.
Mater Jesu, II, 129.
Matthæum, II, 96.
Meatu lucis, IV, 672.
Medela, III, 372. Miserans, II, 558.
Medelæ, II, 234.
Medelam citam, I, 473.
Medentis Dei, I, 805.
Mediocria cœnæ, III, 619.
Medio iteris, I, 278; IV, 768. Lucis, III, 332. Noctis, IV, 207.
Medium assistere, III, 523. Cinxere, I, 559. Duum, III, 431.
Medullis, II, 615.
Melioris vitæ, IV, 456.
Memento præbere, I, 588.
Memet, IV, 241.
Memorandæ vocis, II, 536.
Memorant, quod, III, 152.
Mensatim, III, 214.
Mens est, III, 726.
Mensuram, tibi quam ponis, portare necesse est, I, 696.
Mente insana, II, 627.
Mentis internæ, I, 557.
Mercantes escas, II, 250.
Mercantur, IV, 217.
Mercati agrum, IV, 636.
Mercede certa, III, 554, 719. Laboris, II, 317. Nulla, II, 441.
Mercedis legem, III, 716.
Merentem domum, IV, 511.
Meretricum, III, 709.
Mergier undis, I, 385.
Merita de plebe, II, 769.
Meritis benignis, IV, 310. Pro qualibus, III, 397. Verborum, II, 637 *seq.*
Meriti titulum, IV, 666.
Meritum primerum, III, 548.
Mersas tenebris, IV 535.
Mersum pœnis carceris, IV, 298.
Meruerat laudem, I, 23.
Meruit munus, II, 597.
Messores, III, 10.
Messorum gaudia, II, 319.
Metas terræ, IV, 118.
Micabat gratia, I, 515.
Micarum, III, 188.
Migrat a morte procul, II, 655.
Mihimet venire, I, 101.
Millia plebis, I, 205. Tanta virorum, II, 424.
Mille sonans linguis, I, 475.
Minas triginta argenti, IV, 640. Venti, III, 117.
Minatur mortem, III, 140.
Minciadæ Maronis, I, 18.
Minimam aristam, I, 701.
Minimi capilli, I, 579. Nomen, I, 528. Nummi, I, 554.
Minimum id, IV, 256.
Ministerium, I, 809.
Minister virtutis, III, 27.
Ministra plebe, IV, 541.
Ministrat officio, IV, 421.
Ministri Patris, I, 401.
Ministris genitoris, I, 426.
Ministros Dei, II, 126. Mensarum, II, 138.
Minus omnibus, II, 817.
Mirabile dictu, II, 44; III, 18, 88. Visu, III, 103.
Miracula operum, IV, 88. Rerum, II, 124, 641; III, 116, 675; IV, 403, 779.
Mirata arte, III, 58.
Mirum mihi præcipis, II, 253.
Miscent miracula colloquiis, II, 39.
Miscentur colori, III, 228.
Miscere sermonem, II, 729. Tumultus, IV, 615.
Miscet ventura obscuris, II, 166.
Miserabile, IV, 517. Funus, II, 381. Lethum, III, 70.
Mirabilis, IV, 441.
Miseramina, IV, 289.
Miserando labores, IV, 282.
Miseraus, I, 595. Animo, II, 70.
Miseratio, I, 498; III, 206; 445; IV, 137. Fieret, IV, 299.
Miserator, II, 295.
Misere, III, 151.
Miserere, I, 785.
Miseri iniqui, IV, 504. Nomine, I, 539. Sortem, I, 497. Superbi, II, 257.
Miserorum egentum, IV, 416.
Miseros egentes, III, 516. Pravos, II, 663.
Misi succidere, II, 520.
Misit expendere, II, 230.
Mitem vultum, I, 596.
Mitescere, II, 634.
Milia corda, II, 581. Munera, II, 231. Pectora, II, 360.
Mitissime rector, IV, 505.
Mixta calore, II, 824.
Mixtæ turbæ, I, 485.
Mobile quidquam, IV, 126.
Moderamina legis, I, 220. Operis, I, 529. Verborum, III, 421.
Moderamine justo legis, II, 577. Legis, I, 532.
Moderaminis æqui, I, 41.
Moderatio, III, 606.
Modulante cantu, II, 57.
Mœnibus fidei, III, 554.
Molari saxo, III, 405.
Mole curarum, II, 788.
Molimina gentis vestræ, II, 18. Mentis, I, 557; II, 510. Procerum, II, 601.
Molimine regni, II, 172.
Molitio rerum, I, 735.
Mollia prati, IV, 266.
Mollire Deum precibus, I, 600.
Molli timore, III, 302. Veste, II, 552 *seq.*
Monilia, I, 703.
Monitis cœlestibus, I, 290.

Monitor, III, 424.
Monitu Dei, I, 195.
Monstrante fructu, I, 739.
Monstrant pericula ponti, II, 55.
Monstrare magistrum, IV, 426.
Monstra talia, I, 753.
Monuit corpus, I. 409.
Monumenta, II, 571. Patuere, IV, 708.
Moratur in sede cœli, II, 218.
Morbi animæ, I, 481.
Mortales cuncti, IV, 548.
Mortalia lucra, II, 508.
Mortem in arbore, III, 661.
Morte tenus, IV, 487.
Mosea, IV, 15.
Mosei, II, 695. Manibus, II, 220.
Moses, I, 220; II, 691; III, 524, 473.
Motu caloris, IV, 579.
Movebor honore, I, 740.
Moventem miracula magna, I, 484.
Moveri odio, I, 536. Vecte, IV, 375.
Movet iram, III, 455.
Mox dedisset, III, 160.
Mulcet honore, III, 601.
Mulcetur, III, 123.
Multifluis verbis, I, 618.
Munera linguæ, II, 422. Verbi, I, 803. Ultima, II, 20, 401.
Munere regni, I, 743. Patris, II, 559.
Muneris cœlestis, II, 765.
Munia, I, 783.
Murmure cæco, II, 170.
Mussanti voce, III, 24.
Mustum calidum, II, 575.
Mutabit pectora, IV, 470.
Mutantur lumine tenebræ, II, 519.
Mutare colorem, I, 580.
Mutatur faciem, III, 522.
Mutaverat vino undas, II, 551.
Mutua orabit, I, 595.
Myrrham, I, 285.

N

Nactus, III, 157, 448.
Natali die, III, 52.
Nathanaeli, II, 102. Nathanaelis, II, 119.
Natu gravior, I, 251.
Naturale bonum, I, 682.
Navigio, II, 13; III, 126.
Nazara, II, 106 *seq.* Felix, I, 308. Plebes, III, 29.
Necatus, II, 791.
Nec dignum fuerat, I, 675. Fas est, III, 298. Mirum, II, 660. Mora, IV, 595.
Necesse est vocitare natum Dei, I, 107.
Nectat colla saxo, III, 405.
Nectere dolos, I, 419.
Necti corpore, II, 662. Uno de corpore, III, 469.
Nectunt mendacia, I, 24.
Nefas! III, 67.
Negabat nulli responsa, IV, 59.
Negabo negantem, II, 499.
Negare præcepta, IV, 469.
Nephthala, I, 449.
Nequam fuerit, I, 657.
Nequitiæ, IV, 247. Vires, II, 610.
Nescia corda, III, 104. Falsi, II, 112. Recti, III, 45.
Nescius error, III, 412. Illis, IV, 177. Transisse liquorem, II, 148.
Nexa, III, 284. Connubiis, II, 278.
Nexos languore quietis, IV, 508. Malis, I, 477.
Nihil horum, II, 205.
Ni jussu, II, 494.
Nisu occulto, II, 353; III, 153.
Nitebit acies, I, 655.
Nitefactus crinem olivo, I, 643.
Nitentis mundi, IV, 270. Vineti, III, 712.
Nitescat, IV, 520.
Nitescere lucem, II, 243.
Nitescit, III, 522.
Nocte cæca, II, 6. Sub obscura, II, 178.
Nocturnis monitis, I, 215.
Nodata manebunt, III, 285.
Noluerim, IV, 61.
Nomine fermenti, III, 256. Gentis, III, 429. Venali, III, 441.
Nonnis sacri pondus, IV, 810.
Nomismatis, IV, 10.
Nona hora, III, 562. Nonam horam, IV, 6, 91
Non aliter, III, 559.
Noscuntur fructibus e propriis, I, 753.
Notantes mœnia, IV, 86.
Notavit numero, III, 219.
Noti regina, II, 709.
Noxia consilia, III, 169.
Nubila tristia, III, 228.
Nudata, II, 482.
Numero catervæ, IV, 512. Colentum, II, 451.
Numen genitoris, III, 96.
Numine jussus, I, 299.
Nuntia vox, III, 633.
Nuntius, II, 293.
Nuptæ vincula, IV, 21.
Nutans, III, 667. Gressus, III, 574.
Nutibus edocuit, I, 81.
Nutrimina, IV, 215.

O

Oberret, III, 157.
Objice pennarum, IV, 82.
Objicibus crassis, II, 771. Revulsis, IV, 586.
Oblita vox, IV, 477.
Obnoxia errori, IV, 29. Flammis, I, 684. Venenis, II, 721.
Obreptans, I, 583.
Obscura legum, I, 528.
Obsequiis benignis, II, 509.
Obsequio cordis, IV, 55. Cujus, IV, 511. Proprio, III, 610.
Obsequium præbere, I, 401.
Observata, III, 511.
Observate dolum, IV, 97. Illos, I, 728.
Obsessum fœdarat lepra, I, 773.
Obsistit promissis, I, 63.
Obtruncant, III, 732.
Obtusæ plebis, II, 714.
Obtuso sensu, II, 210.
Obtutu stupido, IV, 89.
Obvia arma, IV, 180. Cucurrit, IV, 340. Fama, II, 343. Habitacula, III, 625. Signa, IV, 103.
Obumbrans virtus, I, 103.
Occiduum orbem, IV, 147.
Occurrere votis, IV, 200. Voto, IV, 208.
Occurri, IV, 534.
Odiis cæcis, I, 598.
Offensio lapidis, I, 429.
Offer dona Deo, I, 546.
Offerre voles, I, 540.
Offert se protinus clamor cæcorum, II, 410. Se Supplex, I, 780.
Offertur juvenis, II, 419.
Officiis verbo jussis parere, I, 789.
Officio funeris, IV, 422.
Officium cruentum, IV, 620.
Oliveti, IV, 91, 459.
Olivi unguenta, IV, 413.
Olivo pingui, IV, 211.
Olivum, IV, 205, 217.
Olympo, III, 225.
Omnia legis, I, 270. Mundi, II, 199. Nostrorum, III, 555. Patris, II, 554. Pompæ, IV, 218. Posset, IV, 662. Terrent mundum, IV, 711.
Omnes in sua quemque viros, III, 94.
Omnigenas tribus, IV, 154.
Onerant aures, IV, 731.
Oneravit mensas dapibus, III, 87.
Operta malignæ mentis, I, 82.
Operum justa, I, 504.
Opimis dapibus, III, 87.
Opperiens finem, IV, 542.
Oppressum dura ditione famis, IV, 279. Luctu, IV, 561.
Optati pœna, I, 558.
Optatum portum, III, 128.
Opus est medicis, II, 556.
Oracula, I, 230, 272.
Ora hominum, III, 167.
Orarunt cernere, II, 776.
Oras luminis, II, 344; IV, 762.
Orat miscere, II, 729.
Ordine, III, 496. Sæcli, I, 448. Sæclorum, II, 828.
Ordinibus olivæ, III, 623.
Ore pectoris non puri, III, 767. Proprio, IV, 616.
Orientis ab oris, IV, 146.
Oris extremis vitæ, II, 555.
Ornamenta, IV, 806.
Ornare vias, IV, 209.
Ornatu accinctæ, IV, 201. Levi, II, 722.
Ortu primo, IV, 271, 429.
Oscula contingere, IV, 516.
Ostendit se, IV, 768.
Otia legis, II, 592.

P

Pabula justitiæ, I, 495.
Pacificos, I, 501.
Pactæ conjugium, I, 174.
Pacta mercedis, III, 724.
Pactus laborem, III, 555.
Pala ruralis, I, 578.
Paleas leves, I, 581.
Pallam furvam, II, 2.
Palmæ malis insultant, IV, 568. Pondus, II, 587.
Palmas abluit, IV, 621. Imponit, III, 496.
Palma sonarit, IV, 570.
Palmeta, III, 638.
Palmis frangere panem, IV, 447. Propriis, III, 213.
Palpantum, I, 740.
Pandantur, III, 594.
Pandatur vobis, III, 340.
Pandens aures, II, 549.
Pandere mentem, II, 214. Munus, III, 491. Talia, III, 274.
Pandet sæcula, II, 294. Talia, II, 557.
Pandetur facultas, I, 609. Regia cœli, I, 504.
Pandite mentem, IV, 565.
Panditis aures, II. 814.
Parabant connubia thalamis, II, 128.
Parantur ab ortu, IV, 271.
Paratam servire, I, 113.
Paratu celeri, III, 650. Frondis, III, 238. Tuo, IV, 521.
Parcent prosternere, IV, 105.
Parcite dicere, III, 289.
Par dispare sexu, III, 469.
Parentem vitæ, lucisque, I, 786.
Parere ministrum voluit, I, 71.
Pariant damnum, III, 309.
Paribus viribus, II, 729.
Parili amore, IV, 64.
Parilis cura, I, 41.
Pars, alii, III, 198, 264. Pars, pars, IV, 514.
Par sit succedere, II, 448.
Partem e numero, IV, 778. Oris, I, 587. Sui, III, 727. Vultus, I, 588.
Parvula corda, II, 553.
Parvis istis, III, 404, 417.
Parvos istos, III, 407.
Paschæ, II, 154. Aderant, I, 320. Cœnam, IV, 430. Dies, IV, 408, 429. Ritum, I, 316.
Pascua læta, I, 194; II, 425.
Passæ visum populi, IV, 710.
Passeribus, II, 492.
Passim dispersi, II, 251.
Passo sitim, IV, 287.
Passus per mille, I, 591.
Pastus pecoris, II, 624.
Pateant contagia, II, 241.
Patefecit, IV, 639.
Patere præmia, III, 59.
Paternis sedibus, I, 555.
Patescat, II, 574. Lux I, 629.

Patescit dolus, I, 739. Pauperibus, II, 525.
Patescunt dona, II, 651. Segetes, II, 428.
Patietur dominum, I, 663.
Patria sub sede, III, 51. Virtute, II, 603.
Patrias virtutes, III, 20.
Patuit domus, IV, 274. Saxum, IV, 386.
Paventes miracula, II, 69.
Pavescant illum, II, 490.
Pavitantia dicta, I, 130.
Pavitat, IV, 214.
Paulatim, III, 118.
Pax Christi, pax sæcli, IV, 807. Pectora fortia, II, 433. Meretricum, III, 709. Scribarum, III, 153. Talia, II, 84. Talia cultorum, II, 292.
Pectore blando, III, 269. Divino, II, 115.
Pecuscula vestra, II, 591.
Pellitur dæmon dæmone, II, 616.
Pendebat ex humero, II, 588.
Pendentia fila, II, 393.
Penetrabat ædes, I, 806.
Penetralia cordis, IV, 7. Dei, II, 761. Domus, I, 620. Mentis, I, 541; IV, 43. Sæcli, II, 545. Ventris, III, 394.
Penetralibus altis mentis, II, 222. Altis terræ, II, 700. Cavis putei, II, 253. Mentis, III, 539. Occultis, IV, 145. Oris, III, 150.
Penetrant animum, II, 794. Spiracula mentem, I, 150. Viam, I, 720.
Penetrare æthram, II, 126. In limina, IV, 223.
Penetrat in viscera, II, 724.
Penetret exordia, II, 186.
Pennatis milibus, II, 496.
Pepigit, IV, 516.
Per ævum, IV, 441. Ardua, IV, 72. Cuncta, II, 418. Devia, III, 319. Devia tendit, IV, 484. Dominum lucis, IV. 813. Inania, IV, 106. Longa, III, 209, IV, 186. Lubrica, III, 374. Medium, II, 92. Membra, III, 132. Mensas, II, 151. Omnes, IV, 664. Oras, II, 144; Pectora, II, 93. Populum, II, 595. Prona, I, 720. Rura, IV, 464. Sæcula cuncta, I, 500. Sidera, IV, 156. Tempora certa, I, 89.
Peragrare desertis, IV, 142.
Perblanda, I, 741.
Percepit dona saporis, II, 147.
Perceptura, II, 341.
Perculsus corda, III, 296. Pectora luctu, II, 379. Verbis, IV, 316.
Percunctant, III, 648.
Percunctantum, IV, 578.
Percunctata, III, 679.
Percusserit palma, I, 587.
Perdere membrum, I, 561. Quemquam, III, 417.
Peregi mandata, I, 73.
Peregrina, IV, 290.
Perenni vitæ, II, 228.
Pererrant, III, 146.
Peresos tabe, I, 476.
Perfecto parenti, I, 608.
Perferre laborem, I, 592.
Perfert corpore, IV, 644. nuntius, IV, 313.
Perfidiosæ, II, 435.
Perfuderat animos, IV, 764.
Perfudit, IV, 414. Flatu, I, 595.
Perget per lubrica, I, 761.
Pergrata Deo, I, 640.
Perguat quærere, III, 464.
Perimes vitam, III, 505.
Perjuria, I, 572.
Perminimam, III, 583.
Permissa jussis parentum, I, 91.
Permittitur miles, IV, 740.
Permixtum felli vinum, IV, 659.
Perosis thalamis, III, 481.
Perpete cura, III, 510. Vita, II, 510.
Perpetuam vitam, II, 679.
Perpetuis pœnis, I, 563.
Perplexis verbis, II, 826.
Perrumpit, III, 461.
Persas, I, 276.
Persensit pondera, I, 538.
Persolvet pœnas, I, 534.
Perspector mentis, II, 276.
Perstant promittere vires, IV, 478.
Perstat donare, III, 463.
Pertendere gressum, I, 276.
Pertentans corda, III, 656.
Pertenui, II, 745.
Perturbat ab æde, II, 160.
Perveniat ad omnes, I, 516.
Perversa docendo, III, 145.
Pervigilem, IV, 498.
Perunctum flatu, I, 397.
Pervolitabit, IV, 117.
Pervulgata legis præcepta, I, 584.
Pestiferi veneni, I, 440.
Petat finem, I, 734.
Petebat censum, I, 185.
Peterent legi latronem, IV, 611.
Petiere Christum, II, 303.
Petit Herodem, III, 40.
Petræ immotæ, I, 759.
Petre, III, 274; IV, 474.
Petri, III, 278. Ædes, I, 806. Cognomine, I, 458.
Petro, III, 122; IV, 483. Forti, III, 273.
Petrum, III, 319, 582, 384; IV, 497, 571.
Petrus, III, 110, 114, 159, 296, 324, 387, 433, 534; IV, 468, 476, 540, 581. Stabilis, III, 271.
Pharisææ gentis, II, 608. Plebis, IV, 70.
Pharisæi, II, 353, 568; III, 135, 221, 241, 464; IV, 676.
Pharisæis, III, 160; IV. 403.
Philippæo nomine pollent, III, 258.
Philippi, II, 117.
Philipporum arva comprendere, II, 238.
Philippum, II, 99.
Piaclo immundo, III, 168.
Pictam flammis, II, 3.
Pignoribus, IV, 17.
Pilati, IV, 592, 605.
Pilatum, IV, 722.
Pilatus, IV, 598, 625, 740.
Pinguia arva, II, 792.
Pisces geminos, II, 82.
Pisciculos, III, 211.
Placeat concludere, I, 625.
Placet gratia, I, 50.
Placidæ sedis, II, 719.
Placido sermone, III, 399.
Placidus audis, IV, 589.
Placitum sit, I, 597.
Plagis nefandis, IV, 650.
Plangentis, II, 400.
Planities, I, 724.
Plantarum, III, 154.
Planus ille, IV, 733.
Plausum quatiens, IV, 583.
Plebe credentum, II, 759; IV, 52.
Plebes astrata, I, 48. Commota, III, 21. Effera, II, 710. Expleta, III, 88. Ferret, II, 566. Galilæa, I, 486. Hæc, IV, 273. Judæa, II, 164. Nazara, III, 29. Nescia, II, 404. Noxia, II, 773. Succedent, I, 368.
Plebis cœlestis, I, 205. Pharisææ, IV, 70.
Pleno ævo, I, 167. Amore, IV, 312. Tempore, II, 810.
Pleramque partem, I, 58.
Ploratus amarus, IV, 586.
Plumea turba, II, 820.
Plurima terræ, I, 180.
Pluris facimus, I, 668. Habebit, II, 503.
Pocula, II, 266.
Pœna famis, IV, 289.
Pœnitet vos scelerum, III, 711.
Polire vineta, III, 555.
Pollens de nomine, II, 248.
Pollent nomine, III, 258.
Pollicita est, II, 516.
Polluere mentem aspergine labis, III, 168.
Pollutæ mentis, II, 241.
Polluta malis, II, 697; IV, 534.
Pollutam terram, III, 71.
Polluti corporis, I, 550.
Pollutis manibus, II, 167.
Pompæ fructus, I, 619. Supremæ, II, 401.
Ponam ædes, III, 279.
Ponatur sub luce serena, I, 517.
Pondera argenti, IV, 428. Sævissima, IV, 132. Saxi, IV, 742. Uteri, I, 169.
Pondere clavæ, IV, 514. Languoris tanti, I, 775. Lapidis, IV, 374. Non æquo, III, 480. Omni, IV, 706. Populi, III, 427. Sermonis, I, 483; III, 765. Somni, IV, 506. Verborum, III, 683. Vocis, III, 368. Uteri, IV, 127.
Ponens convivia, III, 614.
Ponere mihi fructum, IV, 283. Mihi unam horam, IV, 497. Sedes finibus Zabulonum, I, 447. Se dominum, IV, 35. Sua jussa, II, 673.
Poni commercia, III, 310. Convivia, III, 80. Jusserit sibi rationem nummi, III, 438.
Ponit animam, III, 611.
Ponite curam, II, 466. Terrorem mentis, I, 199.
Ponito gladium, IV, 526.
Ponunt epulas, III, 215. Jussa, I, 520.
Populabitur ignis, I, 581.
Populans absumpsit, I, 478.
Populo ex omni, II, 432.
Populorum fama, III, 260. Populos hos, I, 488.
Populus discipulorum, II, 564. Matrum, III, 92.
Porci immundi, II, 60.
Porrexit palmam, II, 597.
Portant jejunia, II, 569.
Portare dicta, II, 514.
Portarent præmia, III, 571.
Portio æqualis, IV, 216. Credendi, III, 575. Generis, IV, 19. Lucis, III, 564. Mercedis, III, 578. Nostri, IV, 230. Nummi, I, 554; IV, 232. Operis, III, 581. Parva nummi, II, 492. Salva, III, 718. Sua, III, 188. Terræ, III, 275. Vitæ, II, 456. Vitis, III, 693.
Porto gaudia, I, 200.
Poscat te pocula, II, 259.
Poscebat quietem, II, 566.
Poscentibus annis, I, 166.
Poscenti dabitur, I, 706.
Possessio, IV, 663. Auri, II, 443. Lucis, III, 507. Major, IV, 251. Rerum, III, 499.
Possibilem, III, 533.
Possidet culmina cœli, III, 457. Vitam sibi in se, II, 657.
Poscite precibus, IV, 129.
Postera, IV, 133.
Posterioris, III, 703.
Postponet amorem, II, 504.
Posuit præcepta, IV, 15.
Potare calicem, III, 596. Saporem, IV, 697.
Potentia monstra, IV, 139.
Poteretur, II. 298.
Poterimus, IV, 683.
Potestas corporis, animæque simul, II, 491.
Potestatem minimi capilli, I, 579.
Potiora, IV, 238. Monitis, II, 707.
Potior cur vobis non est fiducia, I, 685. Salomone potestas, II, 713.
Præbebat ministerium mensis, I, 809.
Præbent pullum sedendum, III, 632.
Præbere partem vultus, I, 588.
Præcauto, I, 294.
Præceleri, IV, 22.
Præcellere tentet, II, 478.
Præcelsa, I, 488. Mœnia, IV, 87.
Præcelsi nominis, IV, 61.
Præcelsis, I, 514. Meritis, III, 514.
Præceps injuria, II, 462.
Præceptis Patris, III, 594.
Præcipitare, III, 770.
Præcipitem, III, 406.
Præcipites, II, 67.

Præcipitet, IV, 500.
Præcipitetur, III, 392; IV, 98.
Præcipiti cursu, IV, 131, 766.
Præconia sancta, I, 472.
Præcurrere, I, 278; IV, 308.
Præda luporum, II, 459.
Prædicta, IV, 141. Recensent, I, 269.
Prædivitis aulæ, III, 437.
Prædulcibus, 1, 340.
Præeunte, IV, 353.
Præfulgida, III, 350.
Prægrediere, I, 161.
Prælargis opibus, III, 753.
Præmia digna, III, 558.
Præmitis asinæ, III, 635.
Præmuntia vox, I, 310.
Præpandit, III, 532.
Præparva, I, 189.
Præparvi, II, 815.
Præpete curru, III, 265.
Præponere, I, 669.
Præpulchra, I, 465; II, 140.
Præruptum iter, I, 719.
Præsagia vera, IV, 585.
Præscia rerum, I, 226.
Præscripta cædes, I, 298. Supplicia, IV, 440.
Præsens Deus omnia cernit, I, 624.
Præsente illo, II, 360.
Præsentia Dei, I, 391. Munera, I, 475. Nostra, III, 430; IV, 801.
Præsentis Domini, III, 22.
Præsepe, I, 192.
Præsepia, I, 204.
Præsepis gremio, I, 212.
Præses, IV, 614, 724.
Præsidis, IV, 590.
Præsolium, I, 458.
Præstabat aures verbis, IV, 721.
Præstat decidere, quam concedere, I, 565.
Præstate benefacta, I, 715.
Præstringit populum, II, 768.
Præstupido corde, IV, 199.
Præteriet, IV, 159.
Præterit per culta, II, 563.
Prætumidæ mentis, I, 616.
Prævalido, IV, 100.
Prævenisse, I, 805.
Pratorum, I, 685.
Pravum videbit, I, 657.
Precato genitore, III, 85; IV, 507.
Precatur per talia dicta, II, 132.
Prehendunt, IV, 522.
Prehensis genibus, IV, 770.
Premat mentem, II, 785.
Premebat noctis iter, III, 100. Pœnis, III, 450.
Premens lucem, IV, 472.
Premet cunctos, IV, 170.
Premit insectatio, I, 503. Partem, III, 480.
Prendere dextram dextra, II, 408. Fastigia vitæ, III, 514. Finem, IV, 94. Lucem, IV, 37. Virtutem, II, 480. Vitam, III, 529.
Pressant, II, 787.
Pressat sanctum, IV, 596.
Presserunt corpore terram, III, 335.
Pressit munera, III, 32.
Pressus pectora, IV, 444.
Pretioso sanguine, III, 611.
Pretium sanguinis, IV, 653.
Primævo in flore, I, 65.
Primitiis, IV, 108.
Primordia messis, II, 313. Vitæ, II, 203.
Primores, I, 261.
Primus et alter, IV, 236. Et alter annus, I, 304.
Principio, III, 468.
Prior dedit ante, II, 308.
Priscas leges, I, 519.
Priscis jussis, II, 567.
Probabunt, II, 87.
Probavit factum, IV, 417.
Procedere longe, IV, 483.
Procedit tumulo, IV, 596. Vesper, III, 225.
Procedunt ore, II, 636. Pectore, IV, 557.
Proceres lecti, I, 262.
Procerum, III, 64. Unus, II, 179.
Pro certo genuit, I, 411. Dictis, III, 600. Fonte, II, 299. Foribus, II, 728. Limine, II, 586. Meritis, III, 538. Merito, II, 765. Semine, III, 6. Sorte, IV, 687. Virtute locorum, II, 742.
Processerat dies, IV, 429.
Processit horror, II, 802.
Procidit ante pedes, IV, 567.
Procubuit, I, 774.
Proculcet pedibus, II, 224.
Procul hinc, procul effuge, III, 500.
Procumbens, IV, 788.
Procumbere letho, IV, 531.
Procumbit, II, 380. Moles, I, 765.
Prodebat ministris, IV, 576.
Prodentur, IV, 109.
Prodet fratrem, II, 469.
Prodetur, III, 587.
Prodiderint vos, II, 466.
Prodit fructum, IV, 9.
Prodit in altum, III, 390.
Proditis præcepta, III, 139.
Proditor Judas, IV, 627.
Produnt letho, II, 786.
Profanant sabbata, II, 578.
Profana rabie, II, 650.
Profani verba, IV, 563.
Profatur ad matres, IV, 753. Hæc dicta, I, 256.
Profectus per longa, IV, 186.
Professi vectigalia, II, 351.
Professus, I, 187.
Profugite ex tectis, II, 473.
Profundas tenebras, III, 770.
Profundi liquidi, III, 257. Undis, III, 670.
Profundit acervos, II, 161.
Profundo, III, 391. Abrupto, II, 593. Disjecto, II, 32. Immenso, III, 234.
Profusis lacrymis, I, 331. Precibus, II, 12, 535. Vocibus, II, 267.
Progenies, I, 797. Hominis, II, 701.
Progenitos, I, 795.
Progenitum per gaudia, I, 599.
Progigni, III, 486.
Prohibent corpus adulterio, I, 556.
Prohibent perjuria linguis, I, 572.
Prohibere obsequio, IV, 418.
Prohibet voces, IV, 417.
Projecit templo, IV, 630.
Projecta, III, 535. In lacrymas, II, 706.
Projectum voluit, III, 561.
Projectus, IV, 490. Orat, I, 781.
Projicit, III, 560.
Promebat talia, II, 827.
Promendis fructibus, III, 660.
Promere se foras tectis, IV, 574.
Prome te foras sepulcro, IV, 394.
Promit dicta hæc, II, 115.
Promittitur, II, 535.
Promunt dicta, III, 134.
Promuntur, II, 482. Thesauris, II, 635.
Prona, I, 720. Furore, III, 291.
Proni, IV, 36.
Prono casu, III, 536. Corpore, I, 283. Lumine, II, 1.
Pronos trahit, I, 725.
Pronum amorem, III, 489.
Propaget lucem, I, 202.
Propago fratrum, III, 26. Serpentis, II, 683.
Properant disperdere, II, 68.
Properante recursu, I, 804.
Properata morte, IV, 16.
Properat ad medium, II, 243. Nectere, I, 419.
Propere veniunt, I, 211.
Properis cursibus, III, 290. Passibus, I, 382.
Propero recursu, IV, 761.
Prophetabis, IV, 570.
Prophetæ femineam mentem, I, 249.
Prophetarum, I, 269; II, 534, 544.
Propitius pater, I, 51.
Propria est, I, 577.
Propter justitiam, I, 503.
Propulsus, II, 421.
Prosequitur cantu, IV, 584.
Prosilit foras, IV, 563.
Prosiliunt, IV, 547.
Prospiciens, II, 601.
Prosternent, II, 488.
Prosternere, IV, 105. Letho, IV, 407.
Prosternunt, III, 722.
Prostrato corpore, III, 442.
Prostratos terra, IV, 496.
Prostravit terræ, I, 197.
Protendito sanam dextram, II, 596.
Protenditur dextera obvia, III, 122.
Proterrent, III, 721.
Protinus, II, 96.
Proturbes de corpore, III, 358.
Proveniat nobis, I, 632. Tua voluntas, IV, 505.
Provenient lucra, I, 465.
Proveniet pretium, II, 493. Satias, I, 673.
Provenisse, I, 737.
Proxima alimenta, III, 211.
Proximus, III, 509.
Prudentes, IV, 215.
Pubescere caste, I, 90.
Pubesceret, I, 167.
Publica lumina, I, 654.
Pudendis sordibus, III, 148.
Pudoris jura, I, 570.
Pugnantis Deo, IV, 563.
Pulcherrima jussa salutis, I, 470. Rura, III, 176. Tellus, I, 493. Virtus, III, 542.
Pulchra facultas, I, 609. Fides, II, 342. Vina, II, 150.
Pulchram segetem, II, 754.
Pulchri laboris, II, 317.
Pulchrorum ciborum, II, 305.
Pulli, III, 635. Pullos, IV, 81. Pullum, III, 632.
Pulsans cœlum, III, 172.
Pulsanti aditus pandetur, I, 707.
Pulsare cœlum, I, 301. Fores, IV, 221.
Pulsetur verbis, III, 142.
Purgabimus messem, II, 806.
Purgabit corda, I, 577.
Purgabitur area, I, 379.
Purgantibus undis, IV, 796.
Purgare oculum, I, 699.
Purgato corde, III, 370. Corpore, II, 716.
Purgavit membra, I, 777.
Puro corde, I, 499.
Purpuream tunicam, IV, 645.
Putealia pocula, II, 259.
Puteus, II, 248.

Q

Quadraginta, II, 171.
Quadrifido axe, IV, 158.
Quadrijugorum, II, 548.
Quæratur vobis, II, 678.
Quærens inventa tenebit, I, 706.
Quæret gaudia populis, I, 55. Per strata relictus, IV, 176.
Quærit, si, III, 593.
Quæsitor, III, 412.
Quæsunt, I, 284.
Quam magis gaudet, I, 713. Volui, IV, 80.
Quanto levius fuerit dixisse, II, 86.
Quarta dies fuerat sepulto, IV, 555.
Quassante motu, IV, 107.
Quatiunt caput motu, linguas loquelis, IV, 678.
Quatiuntur corda pavore, IV, 712.
Quemdam sine nomine, IV, 451.
Querelas tantas, IV, 552.
Querelis ægris, IV, 529. Pulsare cœlum, I, 301.
Quid proficient, III, 308.
Quiesce dubitare, II, 109.
Quiescunt membra, IV, 378.

Quisque, I, 754; II, 621, 623, 778; III, 400, 490; IV, 180. Sapit, III, 616.
Quistis comprendere, II, 674.

R

Rabidos montes, II, 29.
Rabidum furorem, II, 47.
Rabiem ventorum, III, 230.
Rabies furoris, III, 330. Vesana veneni, I, 440.
Rabie verborum, II, 631.
Radiis trepidantibus, IV, 588.
Raperent in bella furorem, IV, 409.
Rapidis flammis, III, 13. Gressibus, I, 513. Passibus, I, 115,
Rapido adventu, IV, 148. Cursu, III, 237. Gressu, IV, 308. In æstu, II 249.
Rapidus sol, IV, 587.
Rapient damnatum, I, 552.
Rapietur e medio, II, 571.
Rapit mentem, I, 403.
Rapiunt præcepta, II, 793.
Raptam de lumine vitæ, II, 208.
Rapta substantia vocis, II, 419.
Raptos vos, IV, 499.
Rapuisset morti, IV, 342.
Rapuit cunctos, IV, 167. Mortem, IV, 632.
Rationem nummi, III, 458.
Rebus novis, II, 215.
Recensent prædicta, I, 269.
Recepit lumina vitæ, IV, 758.
Receptant, I, 491; II, 31, 783.
Receptent, III, 329.
Receptus auribus, visuque, I, 72.
Recidi, I, 216.
Recidunt falce, I, 672.
Recipit sensus præcepta, II, 779.
Recondit sol nocte diem, IV, 690.
Rectum est condere, II, 377.
Recubantes, IV, 174.
Recubantibus, IV, 433.
Recubare sub umbra, II, 123.
Recurrant vera, I, 215.
Recurrat dictum, II, 769.
Recurret, IV, 183.
Recursu, I, 804. Celeri, IV, 761. Certo, II, 334. Solis, IV, 736.
Recusans, III, 304. Nihil, II, 97.
Recusant adire, III, 740.
Recuset thalamos, I, 171.
Reddas solatia, III, 358.
Reddatur portio, I, 554.
Reddebat ad gaudia sanos, I, 480.
Reddenda connubiis, IV, 28.
Reddens debita, III, 348.
Reddere causas, III, 766. Fetorem, IV, 580. Fructus, III, 736. Salvum, IV, 244.
Redderet mentem, III, 181.
Reddet debita, III, 313. Honores, IV, 465. Meritis sua præmia, IV, 303. Pœnas, I, 537. Se lumen ademptum, II, 413. Sol ortum, III, 293.
Reddit ad vitæ lucem, II, 642. Jesus, I, 387. Portare, III, 497. Talia, II, 284; III, 503.
Reddita vitæ, II, 702.
Redditur amissæ vitæ, II, 523. Portio, III, 579.
Redemit delicta, IV, 453.
Redierunt mundo, IV, 692.
Redimet vitam, III, 306.
Redimibit honore, IV, 189.
Redimit argento famam, IV, 782.
Redimita, III, 294.
Redimitus, IV, 116.
Rediviva lumina, IV, 346.
Redivivo corpore, II, 662.
Reduces, II, 297.
Redundans, II, 764. Fruge, II, 518.
Redundet in nostrum genus, IV, 624.
Refecit me, IV, 272.
Referantur ad concilium, III, 426.
Referre verum, II, 514.
Referte mandata, IV, 774.
Referto sub tecta, II, 90.
Refert perdere, quam dedere, I, 561.
Referunt mandata, II, 528. Salutem, II, 132.
Reflexit dominum, II, 706.
Refodit, IV, 239.
Refugit ad tenebras, II, 240. In tecta, III, 520.
Refulget radiis, I, 240.
Regales thalamos, III, 741.
Regalis sermonis, III, 765. Mensæ, III, 741.
Regia cœli, I, 503; II, 515, 541.
Regius juvenis, II, 332.
Regnat in sæcula, IV, 813.
Regnator, IV, 808. Mundi, II, 267.
Regnum terrarum, I, 408.
Rejecit instantem, I, 439.
Relinques nexa, III, 284.
Relinquet despectos læva parte, IV, 264.
Reliquit turbas, II, 831.
Relliquiarum, III, 253.
Relliquias, III, 89.
Remeant terris, III, 206.
Remeare patriam, I, 321. Salutem, I, 787.
Remeasse recursu certo, II, 334.
Remeat domum, I, 82.
Remissus cœlo, IV, 699. Lege, III, 35.
Remittat errata, III, 433.
Remittere peccata, II, 88.
Remittet delicta, I, 637.
Remitti poterunt, II, 629.
Remittit ad tecta, IV, 398. Dicta, II, 730. Mandata, II, 518.
Remota valle, III, 74.
Remoto errore, II, 289.
Removit errorem, IV, 326. Potu sitim mihi, IV, 273.
Renascens, III, 349.
Renasci concede, I, 244.
Renatus de fonte, II, 194.
Reparare vires, II, 560.
Reparatio vitæ, IV, 31, 350.
Repedant, I, 258.
Repedat, IV, 495. Ad domum, I, 139. Domum, II, 74. In oras, III, 195.
Rependat laudem, I, 646.
Rependet digna meritis, I, 614. Meritum, I, 26.
Rependit laudes, I, 131. Præmia, IV, 781.
Repensat dictis facta, III, 701.
Repens languor, I, 783.
Repentinus, IV, 183.
Repertor cœli, terræque, I, 70. Vitæ, II, 407. Vitæ lucisque, IV, 480.
Repetebant otia, II, 567.
Repetens corpus, II, 524.
Repetit domum, II, 831. Galilæam, II, 245. Populum, III, 353. Primordia, II, 203.
Repetunt urbem, IV, 402.
Replebit horrea, II, 813.
Repletum vino, IV, 450.
Repletur populus, III, 215.
Reportant puerum, I, 258.
Reportet, III, 341.
Reposcet pœnas, III, 735.
Reposcit pacta, III, 724.
Repostum, IV, 143.
Repperit, II, 156, 719.
Repulsam de sede, II, 505. Rabiem, II, 61.
Repulsa tabe, III, 75.
Repulsis objicibus, IV, 708.
Repulsus honore, II, 648.
Reputans gentem, III, 23.
Requies animi, II, 515.
Requiris prendere, III, 513.
Requirunt, cur, II, 757; III, 343.
Res condita, I, 652.
Resedit, II, 736.
Reservans vina, II, 150.
Reservat dona, III, 599.
Residens, I, 626; IV, 535.
Residentibus in umbra mortis, I, 455.
Residere, IV, 482.
Residunt, II, 731.
Resipire, III, 181.
Resipisse, II, 72.
Resistet nitor, II, 807.
Resistit mens legibus, IV, 30.
Resolvat corpus e pœna crucis, IV, 674.
Resolvit laqueos, IV, 732.
Resonat late, I, 349.
Resonent alitibus, IV, 475.
Respice, num, III, 325.
Respiciunt, III, 325.
Respuat escas, II, 309.
Respuor a vobis, II, 685.
Restant majora dehinc miracula, II, 124.
Restat gloria, I, 54. Nobis spes unica, III, 536.
Restibus, II, 159.
Restitit, IV, 392. Culmine summo, I, 280.
Restricto sanguine, II, 398.
Resultant motu, I, 118.
Resumat vitam, II, 193.
Resume mentem, IV, 345.
Retentant, II, 766.
Retentat, I, 353.
Retexens monumenta, II, 571.
Retinacula, III, 256.
Retinere furorem, II, 48.
Retonde, III, 695.
Retractant verbum, II, 85.
Retur, II, 404.
Revelli, III, 669. Caput a cervice, III, 62.
Reversæ per membra animæ, IV, 709.
Reverti de sede, III, 345.
Revigescere, II, 204.
Revinci, III, 474.
Revincto calamo, IV, 696.
Revinctum pœnis, IV, 280. Post terga, IV, 589.
Revisere socios, IV, 509.
Revisit convivia, III, 762. Lucra, III, 746. Patriam, I, 337.
Revisunt, I, 210.
Revocare exordia, II, 191. Malos gressus, II, 362.
Revolvens cuncta debita, III, 454.
Revulsis objicibus, IV, 385.
Ridentia limina, II, 722.
Rigabunt lacte fetus, IV, 128.
Rigent mentem, I, 34.
Rigidi, I, 710.
Robora fidei, III, 191. Juvenum, III, 553. Membrorum, I, 478.
Robore cordis, IV, 100. Forti, III, 694. Ligni, IV, 682. Perpetuo, III, 282. Saxi, III, 279. Virtutis, II, 795.
Roboreis radicibus, I, 370.
Robur fidei, III, 119, 277; IV, 584.
Robustam mentem, II, 760; IV, 945.
Robusti pectoris, III, 380.
Robusto pectore, III, 672.
Rogabat, I, 48.
Rogitabant, sumeret escas, II, 304.
Rogitant, III, 2, 371; IV, 38, 41, 212, 430.
Roseum jubar, III, 1.
Ructans, II, 830.
Rudibus membris, II, 195. Pannis, II, 373. Utribus, II, 377.
Ruentes languore, II, 4. Populi, I, 555.
Ruent stellæ, IV, 151.
Ruit cum clamore, II, 54.
Rumpebat vincula, II, 49.
Rumpent vos sues, I, 705.
Rumpet connubia, I, 567.
Rupe sub excisa, IV, 374.
Rupit hanc pectore vocem, IV, 567.
Ruptæ cautes, IV, 707.
Ruptas ædes, IV, 181.
Ruptis habenis, I, 726.
Rupto limine, IV, 782.
Ruralibus arvis, I, 360.
Ruralis pala, I, 378.
Ruunt ad tecta, II, 70.

S

Sabbata, II, 567, 578, 583, 589; IV, 130.
Sacerdotum princeps, II, 380.
Sacra Deus non mallet, sed mitia corda, II, 581. Non magis, quam mitia pectora, II, 360.
Sacrandos, I, 222.
Sacratos panes, II, 573.
Sadducæi, III, 221, 241; IV, 14.
Sævior cædes, III, 351.
Sævissima, IV, 132. Pestis, III, 40.
Salis, I, 508, 510 *seq.*
Salivis, IV, 649.
Salomona, I, 680; II, 712.
Salomone, II, 713.
Salubria jussa, III, 19.
Salutant regem, IV, 648; sidus, I, 281.
Salutantum, IV, 59.
Salutem terræ, I, 229.
Salutiferum, IV, 366.
Salvator, I, 808; II, 17, 245; III, 192; IV, 51, 358.
Salvere jubebat, IV, 769.
Samaritarum, II, 456.
Samaritica mulier, II, 256.
Samaritida Sichem, II, 246.
Samaritis femina, II, 252.
Samaritum, II, 324. Veterum, II, 257.
Sancta per omnia, I, 588.
Sancte, II, 21, 181.
Sancti, II, 13. Filius Christus, III, 271.
Sanctificat, IV, 451.
Sanctificetur, I, 627.
Sanctificus auctor, I, 33.
Sanctis jussis, I, 749.
Sanctum ne canibus dederitis, I, 702. Precatus, IV, 448. Secuti, II, 177.
Sanctus, IV, 375.
Sapientia, I, 314.
Sapientibus superbis, II, 552.
Sapis terrena, III, 302.
Saporem salis, I, 508.
Sarcina levis, II, 561. Oneris, 558.
Satiabitur ex unda, II, 268. Pectus, II, 511.
Satiare rabiem, II, 61.
Satias potus, I, 673.
Satiata cruore, I, 303.
Satiatus, II, 309.
Satiem, III, 216.
Satis est sibimet quisque dies pro fraude diurna, I, 691. Fieret, IV, 661.
Sator, II, 319, 740. Æternæ vitæ, III, 161.
Saturabit sanguine, III, 292.
Saxea corda, III, 474.
Saxi novo antro, IV, 725.
Saxosus ager, II, 787.
Scandatur tibi, III, 391.
Scandens puppim, II, 738.
Scelera impia, III, 61; IV, 637.
Scelerata, II, 5. Cupido, II, 444. Insania, II, 469. IV; 756.
Scelerato corde, IV, 436.
Sceleris, horrendi, I, 410.
Scelerum facundia, IV, 596. Ludibria, IV, 644. Pro sorte, IV, 687.
Scindebat catenas, II, 50.
Scindere se cœlum, II, 125. Vinclum, III, 465.
Scindit vestem, IV, 561.
Scinditur æthra, I, 392.
Scissa divisio, II, 614.
Scissos capillos, IV, 306.
Scissura patescat, II, 374.
Scissus repugnat, II, 617.
Scopulorum margine, II, 67.
Scriba, II, 12, 14.
Scribæ, II, 82; III, 133; IV, 404, 559, 676.
Scribarum, II, 85, 694; III, 344, 588.
Scribas, IV, 53.
Scribere discidium, I, 568; III, 474.
Scribis, III, 160.
Scripti cœlestis, I, 451. Veteris, I, 342; II, 535, 571.
Scriptum est, IV, 49.
Scriptura, IV, 351. Testis, I, 423.
Scrobibus, III, 695.
Scrupea, I, 722.
Scrutator cordis, I, 615.
Secernere, III, 472. Secernere partem, III, 383.
Secernet de labe, IV, 263.
Secernit gressu, I, 333.
Secessit, IV, 502.
Secreta cœli, I, 210. Cordis, I, 339; II, 490; III, 146. Domus penetralia claudantur, I, 620. Femina, II, 298. Mentis, I, 408. Templi, I. 325.
Secretæ vallis, III, 72.
Secrete, *Vide* secreto.
Secreti farris, I, 580. Montis, III, 320; IV, 502.
Secretis piis, III, 15. Vallibus, I, 165.
Secreto, III, 205, 420. Cordis, III, 169.
Secretum lolium, II, 811.
Secretus adorat, III, 96.
Sectabitur omnia, II, 639; vos, II, 473.
Sectantes jussa, III, 362.
Sectari me, I, 462.
Securis instat, I, 371.
Secuti verba, III, 255.
Sedasse famem, II, 574.
Sedato pectore, III, 577.
Sedebit celsa in sede, IV, 260.
Sedebunt animo, III, 149.
Sede cœli, II, 218. Mortis, III, 342. Sepulcri, IV, 759. Sublimi, IV, 53.
Sedem tumuli, IV, 571.
Sedendum, III, 652.
Sedentem, III, 634.
Sedere sermo poterit per pectora, II, 676.
Sedes Domini, I, 575.
Sedibus cœli, III, 16.
Sedis cœlestis, I, 742.
Se judice, I, 645.
Selecta sorde, II, 807.
Selectio, III, 773.
Semina famæ, I, 213.
Semiputata, III, 694.
Senescit sapor, I, 509.
Senili cœtu, I, 528.
Sensus de semine, II, 777.
Sentibus, I, 736.
Sentiet repulsam, II, 505.
Sentit vim, II, 541.
Seorsum, II, 432.
Sepes, III, 713.
Septa viarum, III, 755.
Septemplicis cœli, I, 392.
Septo claustris, IV, 292.
Septum tumuli, IV, 745.
Sepultum tellure, IV, 741.
Sequamur facta, III, 501.
Sequatur cruor iste nos, IV, 623. Jussa, III, 702. Merces factum, I, 611. Pax justos homines, I, 209. Similis vindicta lædentem, I, 585.
Sequenda, IV, 51.
Sequentur hos solatia, I, 494.
Sequeris vestigia, III, 518.
Sequetur documenta juris vestri, I, 693. Flamma convicia, I, 538. Pax abitum vestrum, II, 452 Vestigia, III, 503.
Sequitur disperdere vinum, II, 376. Vox, II, 119.
Sequuntur dicta, IV, 675. Dona, III, 73. Mente, IV, 324. Odiis, I, 602. Præcepta, III, 559. Verba, II, 694.
Serebat præconia, I, 471.
Serena luce, I, 516.
Serenum, III, 226. Lumen, I, 354.
Series sæclorum, I, 343.
Sertis vitæ, IV, 116.
Serus repetit, II, 831.
Servabant corpora. IV, 715.
Servabit vobis, I, 695.
Servans moderamina, I, 529. Præmia justis, IV, 184. Textum, IV, 665. Vestigia, II, 385; IV, 540. Virtutem, II, 113.
Servantem jussa, IV, 188.
Servant limen signis, saxum milite, IV, 745. Matres, IV, 727.
Servantur jura, III, 579. Servare diem, I, 91. Ritum, I, 316.
Servaret amicum, IV, 309.
Servas vestigia, IV, 4.
Servatis iter, III, 540.
Servator, II, 249, 384; III, 195. Justi, I, 37. Sæcli, II, 329.
Servat nulla otia, IV, 730. Pacta, I, 178. Silentia, IV, 599.
Servatur merces, I, 506.
Servet funera, IV, 737.
Servetis Deo honorem, IV, 13.
Servit amicitiæ, I, 607. Cui gloria, II, 550.
Servitii, III, 480.
Servitium aptum, I, 646.
Setarum, III, 392.
Severis jussis, III, 453.
Sexta hora, III, 560.
Sexu dispare, III, 469.
Sibimet, II, 301, 617.
Siccatum, II, 587.
Sicco gressu, III, 102.
Sichem, II, 246.
Si credere fas est, IV, 468.
Sicubi, I, 609; II, 742.
Sidera supra, III, 409.
Sidereis flammis, II, 3.
Sidereo vertice, I, 626.
Sidereum æthera, I, 22. Cœlum, II, 216.
Sidonem, III, 177.
Signant facto, IV, 657.
Signasse talia, IV, 628.
Signis operum, II, 670.
Si jubeas, II, 806.
Silenter, III, 460.
Silvestria mella, I, 561.
Simeone, I, 249.
Simeon senex, I, 225.
Similem domini virtutem, II, 480. Mihi mentem, II, 438. Pueri, III, 401. Ut nos, III, 575.
Simon, I, 458; III, 120, 391.
Simonis, IV, 410. Mentem, IV, 584.
Simonem, IV, 654.
Simplicitate, II, 461.
Simulabit se egentem, I, 594.
Simulans columbam, I, 394.
Simulata quadrigis, III, 266.
Simulatio, II, 548.
Simultas, I, 542.
Sinapis grano, II, 815. Minimi, III, 376.
Sin contemnet, III, 423. Contentus erit, III, 619. Sin erit, II, 451; III, 428.
Sine fine, II, 587; III, 579, 771; IV, 79. Fructibus, IV, 23, 235. Fruge, II, 782. Honore, III, 51. Nomine, III, 68, 760; IV, 451.
Sine nunc, I, 388.
Sinuamine uteri, I, 122.
Sinuatur, II, 261.
Sinuosa volumina lini, I, 459.
Si possit, III, 414.
Si sapiat, III, 405.
Sisti venali nomine, III, 441.
Sit tibi mulctatus, III, 429.
Smyrnæ de fonte, I, 17.
Sociabile vinclum, IV, 18.
Sociabitur uxor, III, 477.
Socians dolorem, IV, 370.
Sociat gressum, I, 337.
Sociaverat, II, 349.
Socrus, I, 807.
Sodomorum, II, 457.
Solatia fuerunt, IV, 293. Vitæ, III, 358.
Solemnem legem, I, 256.
Solemnes palumbes, I, 231.
Solemnia paschæ, II, 154.
Solemni die, IV, 600.
Solers notare, I, 260.
Soles geminos, II, 325. Quadraginta, I 405.
Solidum, III, 363.
Solitum solvere, III, 383.
Sollicitæ noctis, I, 193.
Sollicitam noctem, IV, 488.
Sollicitant mentem, I, 169. Noctem, I, 287.

Sollicitatus, I, 294.
Sollicite, III, 239.
Sollicitet, I, 666.
Sollicito, IV, 299.
Solus procerum justior, IV, 718. Regum, IV, 810.
Solutus fletu, III, 354.
Solvat corpus de robore ligni, IV, 682. Debita, I, 632.
Solvens sæcula, IV, 120.
Solventur ab ordine dicta, IV, 162.
Solventur in ignes, IV, 161.
Solveris e tenebris, I, 553.
Solverit, III, 286.
Solvere mandati minimam partem, I, 526. Pœna, IV, 608. Sese pœnis, IV, 680.
Solveret labem, III, 38.
Solvite templum, II, 167.
Solvit linguam per verba, I, 149.
Solvitur virgo, I, 191.
Solvuntur sopore, IV, 206.
Solymæ urbis, I, 576.
Solymi, I, 485; IV, 78.
Solymis, III, 622. Mœnibus, III, 291. Omnibus, II, 286. Oris, II, 283. Regionibus, III, 585.
Solymorum, I, 268; II, 206; III, 641; IV, 364.
Solymos, I, 262; II, 155; III, 584.
Sonant verba, I, 113.
Sonarit tibi palma, IV, 570.
Sonipes alacer, I, 726.
Sonoræ vocis, II, 419.
Sonus penetrat surdas aures, II, 522.
Sopitis membris, IV, 393.
Sopitus furor, I, 302.
Soporata, III, 97.
Sordentis populi, III, 681.
Sordent vobis, IV, 83.
Sordet iniquis gestis, I, 753.
Sordida contagia, II, 241. Corda, IV, 77. Lucra, II, 163; III, 706. Luxuriatus, IV, 190. Vincla, III, 696.
Sorte diversa, IV, 175. Nostra, IV, 505. Scelerum, IV, 687. Sobolis, II, 335.
Sortem ferunt, II, 741.
Sospite vita, II, 339.
Spargantur in populos, II, 486.
Spatii facultas, III, 443.
Spatiis tribus dierum, II, 173.
Spatiosa via, I, 718.
Spatium tribuat, II, 21.
Speciem propriam, II, 675.
Species animæ, I, 347. Ovium, I, 730.
Speciosa soboles, III, 341.
Spectacula, III, 526.
Spectare oculis, II, 110.
Speculis, II, 69.
Sperare pretium, IV, 425. Salutem, II, 517.
Spernet duris auribus verba, II, 454.
Spes vitæ, III, 521.
Spicarum frugem, II, 565.
Spiceus horror, II, 801.
Spinarum horrore, II, 791.
Spinis cruentis, IV, 646.
Spinosus ager, II, 788.
Spiracula, I, 150.
Spiramina currunt, IV, 798.
Spiramine sancto, I, 250, 376.
Spiritus ater, II, 45. Auctor, I, 238; II, 118. Sanctus, II, 630.
Splendescere, II, 184.
Splendore tectis, IV, 74.
Spoliant virore, III, 658.
Spoliata calore, IV, 372.
Spondent, IV, 46. Oracula, I, 230, 272.
Spondet aperte, I, 425.
Spongo turpi, IV, 696.
Sponsalia pacta, I, 178.
Sponsalibus votis, IV, 200.
Spontanea, I, 689. Præmia, I, 742.
Sponte fluens, II, 467. Mea, 584.
Sportas, III, 217, 252.
Spumantia musta, II, 377.
Sputa improba, IV, 567.
Squamoso corpore, II, 521.
Stabili robore, II, 153. Vigore, II, 779.
Stabilis Petrus, III, 271.
Stabunt signa rebus, II, 698.
Stagna barathri, IV, 286.
Stagnante fluento, I, 487.
Stamine setarum, III, 392.
Stare medium duum, III, 431.
Stans, IV, 591.
Stant arva, II, 792.
Stat cautio legis, I, 555.
Statione quarta, III, 100.
Statuentur conciliis, II, 465.
Statuet te vinctum, I, 551.
Statuit fidem, II, 223.
Statuunt argenti pondera, IV, 427.
Sterilis laudatio, I, 612.
Sternit æquora, III, 606. Pacem, II, 38.
Steterat in aula, IV, 538. Puppis, II, 43.
Stipabat, I, 771.
Stipabunt, III, 313.
Stipante numero, IV, 512. Tumultu, II, 423.
Stipatur saxis, I, 721.
Stipatus ministris, IV, 260.
Stolidæ, IV, 212.
Stolidissima, IV, 199.
Strage gravi, I, 766.
Stramen, II, 531.
Stramine lecti, IV, 174.
Stratæ margine, III, 655.
Stratas, I, 350. Aptare, II, 573. Iteris, I, 525. Omnes, III, 636.
Strata tororum, III, 621.
Stratum tuum, I, 90.
Strictis gladiis, IV, 514.
Stricto ferro, IV, 532. Lapsu, I, 4.
Strictura, II, 785.
Stridens clangore, IV, 157. Dentibus, I, 798.
Stridente fluctu, II, 26.
Stridor, III, 771. Dentibus, III, 14.
Stridore pœnæ, IV, 258.
Strueret convivia, III, 53.
Stupefactus corda, II, 189.
Stupidi, III, 527. Stupidis, III, 662.
Stupido obtutu, IV, 89.
Stupidum pectus, II, 65.
Stupor, IV, 765.
Stupuere magistrum, II, 297. Sobolem, III, 125.
Stupuerunt, I, 243.
Stupuistis, III, 663.
Stupuit, III, 59.
Suadeat omnia, II, 538.
Suasit tibi credere, II, 122.
Sub casibus, IV, 498. Corde, IV, 301. Crimine, I, 297. Culmine tecti, IV, 583. Hæc, II, 194, 261; III, 138. Imagine, IV, 76. Judice, II, 497, 637 *et seq.*; III, 475. Judice æquo, I, 557. Judice sublimi, I, 551. Lege, IV, 6, 12. Limine, III, 314. Limine primo, IV, 575. Limine templi, III, 642. Littore, II, 43. Lumina, IV, 27. Lumine solis, II, 484. Mœnibus, I, 188. Noctem, I, 329. Nomine, I, 748; III, 311, 432; IV, 325, 358, 797. Nomine ruris, III, 5. Nubibus, IV, 560. Pectore, IV, 353. Pectore Domini, II, 495. Pedibus, II, 743. Pondere, III, 64; IV, 506. Sede, II, 51, 287. Sorte, IV, 664. Tecta, II, 90, 449. Tempore, II, 516; III, 547. Teste, III, 478. Testibus, IV, 553. Turbine, IV, 542. Ubere, I, 282, 296. Una conditione, IV, 169.
Subdidit se alto sceleri, IV, 428.
Subdita pœnis, II, 726.
Subegit mihi cuncta, IV, 792.
Subest fiducia, II, 36. Nulla substantia glebis, II, 747.
Subibat templo, II, 155.
Subibit crimen, III, 478. Pœnam, I, 799. Supplicia, IV, 440.
Subigant pascua, II, 60.
Subigat virtutes, II, 439. Vos, II, 444.
Subigit accumulare, III, 42.
Subigunt terga soli, I, 671.
Subire tecta, I, 785.
Subitas in horas, IV, 178.
Subitum lumen, I, 452.
Subjecit leges pedibus, III, 46. Medelæ, III, 76.
Subjicient pondere tanto, III, 483.
Sublatus honore, II, 178, 220. In iram, IV, 524.
Sublimat honore, III, 145.
Sublime, II, 221. Nomen, IV, 60. Regnum cœli, I, 491, 795.
Sublimia colla, IV, 66. Dona, III, 599. Facta, I, 14. Lucis, IV, 115.
Sublimis honore, III, 508. Vitæ, II, 225.
Sublimi judice, I, 551.
Subnexa fronde, III, 637.
Subrepens, II, 799.
Subruit cives, III, 751.
Subsident, I, 352.
Substantia animæ, II, 524. Roboris, III, 668. Credendi, II, 677. Nulla subest, II, 747. Panis, I, 416, 631. Parva, IV, 255. Salis, I, 510. Vocis, II, 420.
Subtexere veteres rudibus pannis, II, 373.
Subtrahe vultum, I, 596.
Subtrahet igni, I, 30.
Subtrahit se, IV, 423.
Subverso pondere, I, 765.
Subulci, II, 70.
Succedere hospitio, II, 448. Soli, IV, 717. Somno, IV, 323. Tectis, II, 17.
Succedite flammis, IV, 284.
Succedit vobis, I, 619.
Successerit illis, III, 371.
Succidere messem, II, 320.
Succumbere morti, IV, 369.
Succurrere amicis, I, 597.
Sues, I, 705.
Suetæ mentis, II, 720.
Sufligere, IV, 656.
Sulcabat fluctus, III, 98.
Sulcans freta, III, 127.
Sulcantem flammis auras, I, 279.
Sumant dona, IV, 269.
Sumere calicem, III, 593. Cœnam, IV, 430. Fidem, IV, 353. Mortem, IV, 56, 476. Operam, III, 629. Panes, II, 576. Pœnas, IV, 631. Victum, III, 175.
Sumite jugum, II, 561. Mea dicta, I, 199. Mentem, II, 438.
Summa confinia, IV, 315. Dies, I, 745. Legis, I, 716.
Summam cepit, II, 545.
Summas aures, II, 778. Plantas, I, 429.
Summersus medio corpore, III, 120.
Summi pepli, II, 393.
Summis labiis, III, 145.
Summissa, III, 590. Voce, II, 180.
Summissus, III, 500.
Summittant colla, II, 42.
Summo gustu, IV, 660. Ministro, II, 146.
Sumpserit incrementa, II, 819.
Sumpsisse panes, II, 573.
Sumpsit corpus, II, 546.
Sumpsi tegmina, IV, 275.
Sumptam mortem, IV, 351.
Sumunt nulla sibi alimenta, III, 207.
Suorum turba, IV, 786.
Super, II, 31, 279; III, 47; IV, 161. Alta, III, 607. Omnibus, II, 625. Somnia, I, 173.
Superarent corpora vitæ, IV, 136.
Superate columbas, II, 461.
Superatur acervo messis, II, 429.
Superba responsa, III, 691.
Superbia, III, 54.
Superbis procerum, IV, 402.
Superesse, II, 314. Sibi, II, 305. Vobis, 473.
Superest animis nostris, III, 537. Deposcere, II, 430. Istis, I, 582. Sperare, II, 517.
Superflua, III, 249.
Superincrepitans, II, 162.
Superstes pœna, I, 784.
Supplice dextra, I, 266.
Suppressæ vocis, I, 130.

Supra sidera, I, 717.
Surgam testis, II, 667.
Surgant mœnia, I, 756.
Surgens trans sidera, II, 224.
Surgent falsi prophetæ, IV, 115. In munera vitæ, IV, 547.
Surgentia corpora, II, 644.
Surgere rebus, II, 182. Rursus, IV, 457.
Surget in lumina vitæ, IV, 546.
Surgit ab oris, II, 287. Injuria, III, 725.
Suscepit tractare, IV, 231.
Suscepta simultas, I, 542.
Suscipe præceptum, III, 389.
Susciperet lumina, IV, 203.
Suspendere curam vestis, I, 675.
Suspensa, IV, 606.
Suspensus vestigia, III, 103.
Suspiciebat, III, 51, 685.
Suspiciens cœlum, III, 85.
Suspicio, IV, 445.
Sustollere, II, 29, 599. Secum, IV, 125. Vultus, III, 556.
Sustulerat laborem, III, 575.
Sustulerit corpus, IV, 783.
Susurrans, II, 485; III, 24.
Syri, I, 485.
Syriam, I, 474. Regebat, I, 181.
Syrorum, III, 176.

T

Tabe languoris, I, 476. Morborum, III, 75.
Tabes dolorum, I, 478.
Tabulata laterum, II, 31.
Tacitæ mentis, I, 541.
Tacitam mentem, II, 389.
Tacito nutu, IV, 362.
Tactu sancto, III, 537.
Tale mandatum, I, 425.
Talenta, III, 439.
Tales, III, 495.
Talis non est, IV, 204.
Tangant sensu, II, 771.
Tangit corda, III, 466. Mentem prudentia, III, 501. Suspicio, IV, 445.
Tanta, ut Joannes, dona, III, 56.
Tanti fuerant, IV, 400.
Tantum, I, 334. Ne, II, 626.
Tardantem herum, IV, 191.
Tecta domorum, IV, 475.
Tecti cordis, I, 248.
Tegerent te, II, 116.
Tegmina, IV, 291. Bina, II, 445. Vestis, IV, 275, 652.
Tegunt sæva luporum pectora, I, 731.
Telis lapidum, III, 721.
Temnere talia, II, 669.
Temnite maculas vitæ ipsorum, IV, 55.
Temnuntur, III, 30.
Tempore excussam aurem, IV, 525.
Tenaci sensu, II, 794.
Tenax virtutis, III, 518.
Tendentem, II, 111. Diffusa umbracula, III, 655.
Tendit ad limina, II, 654. Per devia, IV, 484.
Teneantur amore, IV, 42.
Tenebant præcepta annexos, I, 42.
Tenebat fama Syriam, I, 474.
Tenebit, III, 673. Jussa, I, 760. Mea corda, IV, 336. Nomen, I, 528. Vitam, I, 415.
Tenebo sub jure, II, 584.
Tenebræ cæcorum, II, 519.
Tenebras imas, IV, 257.
Tenebris carceris, III, 48, 450. Mortis, IV, 735.
Tenebrosa, I, 248.
Tenebunt vitam, II, 656.
Tenentem confinia, IV, 315. Operum justa, I, 504.
Tenentur lege, III, 504. Molli cum veste, II, 533.
Teneram plebem, I, 296.
Tenere corda libera sanguinis, IV, 621. Scripta, III, 650.
Tenerent jejunia, II, 365. Pectora, II, 355.
Teneret dona, III, 36.
Teneris auris, I, 77.
Tenete hæc jussa, I, 665.
Tenetis præcepta, I, 584.
Tenet vitam, I, 784.
Tenetur manibus, I, 378.
Tentamina, IV, 108.
Tentando, II, 588.
Tentata medela, III, 372.
Tentatio, IV, 499. Dæmonis, I, 635.
Tentator, I, 419.
Tentoria, III, 527.
Tenuem victum, I, 561.
Tenuere latebras, II, 238. Nomen, I, 261.
Tenuit vestigia, II, 242. Vigiles, I, 194.
Tenus, IV, 487.
Ter dena, IV, 427.
Terga profundi, III, 257. Ruris, I, 737; II, 428. Soli, I, 671. Terræ, II, 804; III, 212.
Terminus veniet mundo, II, 458. Veniet orbi, IV, 348.
Ternis metris, II, 141. *Vide* Trina.
Terrenæ laudis, II, 683.
Terrenam curam, I, 687.
Terrenas vires, III, 664.
Terreno corpore, II, 197.
Terrenum corpus, II, 197. Victum, III, 175.
Terrestria, II, 211. Ornamenta linguæ, IV, 806.
Terribilis, IV, 595.
Terrificant, III, 117.
Terrifico clangore, IV, 157.
Territa visis, IV, 604.
Terrorem mentis, I, 199.
Tertia hora, III, 556.
Testatio nitet, II, 671.
Testatur donum, II, 680.
Tetigisset limina, IV, 443.
Tetigit dextram, I, 808.
Texerunt terram, I, 283.
Texta lino tegunt, IV, 725.
Textu maculoso, I, 467. Veteri, I, 191.
Thalamos fratris, III, 44. Non novit, II, 32.
Thesauris, II, 635.
Thesauros, I, 650.
Thesaurum, III, 517.
Thronum, I, 136.
Thronus, I, 518.
Thus, I, 285.
Tignum, I, 698, 700.
Timoris sancti, IV, 803.
Tineæ edaces, I, 648.
Titulum causæ, IV, 666.
Toleraverat diem æquum, III, 573.
Tollat e malis in lucem, I, 636.
Tollatur portio segni, IV, 250.
Tollens animos, II, 595.
Tolletis pecus, II, 593.
Tolletur ab illo, IV, 256. Unus, IV, 172.
Tollit jactatio, I, 616. In sublime, II, 221. Vincula, II, 279.
Tolluntur honore, IV, 59.
Tonantis, II, 797; IV, 554, 675, 787.
Tondent, III, 410. Pecudes pascua, II, 426.
Tondere dumos, IV, 267.
Tormenta, III, 454.
Tormentis, II, 57; IV, 111.
Tororum lege, III, 485.
Torpebant omnia, III, 97.
Torpente sensu, III, 244.
Torpentia membra, II, 76.
Torperent otia, III, 566.
Torpescunt sopore, I, 172.
Torquet mihi natum, III, 360. Sidera, IV, 164.
Torrebat morbus, II, 533.
Torrebitur igni, II, 632.
Torrens flamma, I, 13.
Torrentum minas, I, 758.
Torrete mentem, II, 285.
Tota oppida, I, 182.
Totum complere, IV, 520.
Tractantes inter sese, II, 170. Munera, IV, 166.
Tractanda talenta, IV, 228.
Tractanti talia, I, 172.
Tractare curam unius talenti, IV, 230. Judicium, III, 544. Lumen oculis, I, 354.
Tractata pecunia, IV, 249. Sensu, II, 794. Summo gustu recusat, IV, 660.
Tractavit manu, II, 394.
Tractum aeris, IV, 104.
Tractu subito, IV, 167. Valido, IV, 492.
Tradere magistrum, IV, 425. Morti, IV, 435.
Traditus trucibus, IV, 645.
Trahantur, III, 628.
Trahebat miracula longa, I, 78. Pallam, II, 3. Promissa, I, 343.
Trahens animum, I, 129.
Traheret confessio culpam, III, 688.
Traheretur ad lethum, II, 537.
Tranquilla domus, II, 450. Lux, I, 628. Patientia, I, 586.
Tranquillior, III, 605.
Tranquillo pectore, I, 546.
Tranquillum sermonem, I, 92.
Transcederat alte, I, 768.
Transcedere vires, II, 534.
Transcurrere, III, 317. Properans, I, 544.
Transcurrit navis, III, 220.
Transcurrite, IV, 776.
Transeat me, IV, 491.
Transegit, IV, 651.
Transfertur rursus, IV, 642.
Transfluxerat, III, 560.
Trans freta, III, 237. Meritum, III, 446. Septa, III, 732. Sidera, I, 551; II, 224.
Transgredientur, III, 548.
Transgressi, III, 139.
Transibitis otia, II, 592.
Transire calicem, IV, 504.
Transisse in liquorem vini, II, 148.
Translata feretur, III, 735.
Transportat Ægyptum, I, 291.
Transvolvere, III, 378.
Tremebunda, III, 667. Tellus, IV, 706.
Tremefacta, I, 196.
Trementibus ulnis, I, 235.
Tremiscet, IV, 107.
Tremiscis, III, 302.
Tremulo pavore, III, 105.
Trepidæ vitæ, IV, 136.
Trepida manu, II, 394.
Trepidantibus, IV, 588.
Trepidatio, IV, 131. Cordis, I, 622.
Trepidum diem, IV, 690.
Tribuet miracula, II, 641.
Tribuetur vobis visere, IV, 420.
Tribuit judicium, II, 664. Miracula siguis, II, 183.
Tribulis, I, 756.
Tribunal, IV, 591.
Tributi cura, III, 382.
Trina, III, 527. Munera, I, 284.
Trinis diebus, IV, 549. Verbis, IV, 473.
Trino meatu, IV, 672. More, III, 484. Recursu, IV, 736.
Trinos menses, I, 138.
Tristia extrema morbi, IV, 314. Hæc tristia, II, 402.
Triticei panis, I, 413.
Triticeus nitor, II, 807.
Tropæa, III, 343.
Truculenta, III, 586.
Truculentus, III, 449.
Truncatum lingua, et visu, II, 605
Truncum lacerum, III, 68.
Trux inimicus, II, 800.
Tua solius verba, III, 423.
Tubarum, II, 400.
Tuba stridens, IV, 157.
Tuentur cuncta, IV, 727.
Tueri gentem, IV, 80.
Tueris nomen, III, 278.
Tulerat vitam, IV, 723.
Tumebat feritas, IV, 301.

Tumescere ventis, II, 28.
Tumescunt vela, II, 25.
Tumor inflati cordis, III, 618.
Tumultu populi, II, 423.
Tumultus, II, 9.
Turbat, II, 716.
Turbare mentem, I, 94.
Turbata mens, IV, 101.
Turbat mihi pectora, IV, 486.
Turbatur sol, IV, 691.
Turbet plebem, IV, 739.
Turbine cœlesti, III, 266. Corusco, II, 547. Sæcli, II, 223, 370. Tanto, IV, 542.
Tyranni feritas, I, 302.
Tyrannis duris, II, 464.
Tyrannum, I, 287.
Tyrum, III, 177.

U

Uberibus glebis, II, 753.
Uberior res, IV, 254.
Ultima ad, IV, 67. Mortis, III, 587. Prosiliunt, IV, 547.
Ulterior gens, I, 259.
Ultor sanguinis, III, 751.
Umbracula, II, 116; III, 656.
Umbra mortis, I, 453.
Umbris carceris, II, 512.
Umbrosos montes, I, 400.
Unde legis doctor, III, 27.
Undisoni, III, 590.
Unguenta pretiosa, IV, 414.
Unica proles, II, 227, 236.
Unicus natus, III, 533.
Unum damnati capitis, IV, 601.
Unus e numero, II, 364. Procerum, II, 179.
Urceus, II, 262.
Urgebat sufligere, IV, 657.
Urgebit stimulis, I, 503.
Urgebunt vos odia, II, 471.
Urgentes iras, I, 365.
Urgere tacentem, IV, 550.
Urget, caput revelli, III, 62. Cursus, II, 288. Debita persolvi, III, 448.
Urgetur monitis, I, 307.
Usque sub orbem, IV, 147.
Usu corporis, II, 89.
Usum panis, I, 413.
Usus corporis, I, 550. Salis, I, 511.
Ut vultis, IV, 741.
Uteri gremio, I, 118.
Utribus tritis, II, 375.

V

Vacabat numerare, II, 158.
Vacuum fuerit, III, 246.
Vallatur, II, 424.
Vanissima, IV, 144.
Vanum est, I, 647.
Vanus error, III, 185.
Vasa fortia, II, 378.
Vascula, II, 141.
Vastata ruinis, IV, 84.
Vasti oneris, II, 558.
Vastis saxis, I, 721.
Vasto vulnere, I, 705.
Vates, I, 384; II, 578. Prisci, I, 157.
Vatis famulo, IV, 524. Officium, I, 167.
Vatum, I, 221, 268, 272; III, 292.
Vatum choreis, I, 527. Lectorum, I, 39. Oracula, I, 230. Principis, IV, 405.
Vecordis vulgi, IV, 675.
Vectare Ægypto, I, 308.
Vecte multo, IV, 375.
Vectigalia, II, 95, 550.
Vegetat, II, 557.
Vehemens aquila, I, 4.
Velamina, I, 358. Templi, IV, 704. Vestis, IV, 750.
Velamine vestis, III, 631.
Velantur mentes, II, 770. Pulvere, II, 745.
Velatur vox, IV, 76.
Velivolum mare, II, 11.
Vellet convivia, II, 554. Jesu, IV, 614.
Venalia multa, II, 157.
Venali nomine, III, 441.
Venerabile, IV, 399. Donum, II, 348. Nomen, I, 267, 576.
Venena mala, II, 636. Mentis convulsa, III, 569.
Venenatis passibus, II, 717.
Veneniferi, II, 633.
Veneno vocis, I, 422.
Venenum, IV, 438.
Veneranda gratia, I, 315.
Venerandi saporis, II, 147.
Venerandis auribus, IV, 389.
Venerat hora, III, 556.
Veneratio, I, 627; II, 286, 598; III, 685. Plebis, III, 51.
Venerunt munera, I, 84.
Veniant populis, II, 231. Tibi, III, 190.
Veniat facilis direptio, II, 620. In lucem, II, 193.
Venient per rura, III, 10. Soluta, III, 287.
Veniet fructus, I, 801. Vita, II, 637.
Veni immittere, II, 500. Nomine genitoris, II, 684.
Venire ab ore, III, 651. Agricolis, III, 229. In verba tibi, I, 52. Salutem, II, 382. Tibi, IV, 343. Vobis benefacta, I, 714.
Venisse lumen terris, II, 296. Viam, I, 266.
Venit de corpore, II, 659. Sichem, II, 246.
Veniunt menti, IV, 328. Per aures, III, 519.
Ventosa æquora, I, 727.
Ventris carcere, III, 235.
Ventura luce, III, 226. Soboles, IV, 45.
Venturo soli, IV, 744.
Verbera flagri, II, 159.
Verberat vox aures, IV, 376.
Vergentibus annis, I, 43.
Vergentis in orbem, IV, 147.
Veridicis verbis, II, 277, 612.
Veridicum, IV, 3.
Versutia fallax, I, 404.
Versutis artibus, I, 418.
Versum templum, IV, 549.
Vertere jussa, I, 520. Templum, IV, 548.
Vertice cœli, I, 626, 650; IV, 153. In sancto, IV, 650. Montis, II, 285. Summo, IV, 414.
Vertigo poli, I, 21.
Vesania plebis, IV, 670.
Vescitur epulis mecum, IV, 439.
Vesper, IV, 717. Ruber, III, 225.
Vespere orto, III, 569. Primo, IV, 455.
Vestibat lumine, III, 551.
Vestigia calcant, II, 456. Calcent, I, 512. Vitæ II, 242.
Vestit Deus virentia, I, 684.
Vestitum molli veste, II, 532.
Vestitur arbor, I, 738.
Vestrum est mihi jungere, IV, 795. Non est credere, III, 708.
Veterum doctrinam, I, 769.
Vexatam mentem, III, 180.
Viam Christi, II, 101.
Viando, I, 161.
Viantes, II, 361; III, 209.
Via trans pelagus, I, 450.
Vibrabant corda, II, 105.
Vibrante vento, II, 531.
Vibrantur lumina, III, 16.
Vicibus omnibus annorum, I, 318. Tueri templum, I, 38.
Vicissim, III, 678.
Vicos urbis, I, 524.
Victorem lethi, IV, 771.
Victor lethi, II, 407.
Victus hominum, II, 137.
Videbit mente, II, 556.
Viderat octavam lucem, I, 216.
Videre regna, III, 526.
Videret mortem, I, 228.
Vigent dicta, III, 144. Membra, II, 520.
Vigentem visu, II, 607.
Vigentes gressu, III, 644.
Vigete corde, II, 460.
Viget spiritus, IV, 501.
Vigilando, IV, 488.
Vigilum, III, 100.
Viguerunt venæ, II, 398.
Vi judicis, I, 589.
Vincet malum, I, 586. Minas, I, 758.
Vinciat nodis, II, 620.
Vincla laboris, III, 696. Pedum, I, 575.
Vinclis corporis, I, 238. Morborum, IV, 680.
Vinculum sociabile, IV, 18.
Vincula ferri, II, 49. Funis, II, 262. Nuptiæ, IV, 21. Pœnæ, IV, 678. Thalamorum, II, 279. Thalamorum nectens, III, 737.
Vindice ferro, I, 534; IV, 527.
Vindicta ferri, IV, 528. Legis calcatæ, II, 590.
Vineta, III, 551, 555, 695, 700.
Vineti, III, 713.
Violabitur, II, 631.
Violentia calicis, IV, 492. Morbi, IV, 518, Sæcli, II, 465.
Vipereæ gentis, I, 364.
Virentes umbras, II, 821.
Virentia læta, I, 688.
Virentum seminibus, II, 817.
Virescit, II, 787.
Vires cordis, IV, 478. Fidei, IV, 803.
Virgineis tectis, I, 90.
Virore, III, 638.
Viroris justi, II, 818.
Vir pater ipse domus, IV, 187.
Virtus contraria, I, 547. Horrida dæmonis, II, 604.
Virtute furoris, II, 46. Ipsius, IV, 411. Parentis, II, 264.
Virtutes dæmonis atri, II, 439.
Virtutis nudæ, II, 446.
Viscere meo, I, 125.
Vis digna pudoris, III, 727. Ferrea, III, 487. Flammæ, III, 267. Horrida, III, 8. Horrida pœnæ, IV, 725. Inimica, II, 724. Livida, I, 420. Nocendi, II, 60. Tetra veneni, I, 583.
Visenda, IV, 558.
Visere, II, 103. Speciem, II, 675.
Visibilis, I, 500.
Visio præsens, III, 540.
Visis trucibus, I, 604.
Vitales oras, II, 709.
Vitalia dicta, II, 727. Gesta, I, 27. Sæcula, II, 294. Verba, II, 454; III, 255.
Vitalibus dictis, II, 549.
Vitentur vobis, III, 239.
Vitiis corporis, III, 706.
Vitis liquorem, IV, 455.
Vitreas undas, I, 590.
Vivacem mentem, II, 489.
Vivam undam, II, 260.
Vivere pœnæ, II, 605.
Vivifici flatus, IV, 798.
Vivo pectore, IV, 555.
Vocabula mille morbi, III, 199.
Vocarent ad læta, III, 747.
Voce vocabat, IV, 695.
Vocitare Joannem, I, 61.
Volabunt sæcla, I, 20.
Volat carina, II, 26.
Volitabat fama ad regem, II, 53.
Volitans, IV, 467.
Volueris famæ, III, 264.
Voluisse tuum, I, 776.
Volumina cordis, I, 248. Lini, I, 459. Petræ, IV, 726.
Voluntas cibi, III, 656.
Volutat dicta, I, 150. Corde, IV, 436. Ad summa, II, 145.
Volvebat mentem, II, 389.
Volvenda dies, I, 141.
Volvens flammas, IV, 168. Miracula, III, 22. Tristitiam, IV, 486.
Volventes, III, 528.
Volvit de limine saxum, IV, 748. Mentes, III, 243. Projectum, III, 561. Secum, I, 170.
Volvitur, III, 179.
Volvunt pondera saxi, IV, 742.
Vomere presso, I, 670.

Vota sponsi, II, 368.
Voti regalis, III, 739.
Votis spe nsalibus, IV, 200.
Voto læto, IV, 208.
Vox nuntia mentis, I, 75.
Vulgari plebi, IV, 734.
Z
Zabulonum, I, 447, 449.
Zachariæ, I, 109, 116, 344.
Zacharias, I, 38, 46.
Zebedei, III, 519, 590; IV, 484.
Zebedeum, I, 469.

INDEX RERUM ET NOMINUM

Quæ in Carminibus Juvenci, Prolegomenis, et notis continentur.

Numeri respondent seriei crassiorum numerorum qui textui inseruntur a col. 9 hujus tomi usque ad 346.

A

Abdere, 333.
Abel justus, 397.
Abesse membris scilicet pro *a membris*, 268.
Abia caput octavæ classis sacerdotum, 62.
Abiæ vices, 69.
Abigo cum dativo, 283.
Abimelechus punitus, 417.
Ablativus absolutus: *se judice*, *quærit* pro *ipse judex quærit*, 223. Cum particulis *quam pro*, 230.
Ablutio pedum in cœna Domini, 355.
Abrahami historia, 406 *seq.*
Abrumpere, 87.
Abruptum pondus, 319.
Absolvere, definire, 255.
Accendere famam, 168 *seq.*
Accendones quinam dicti, 371.
Accubitus primi in cœna non appetendi, 298.
Accusativus idem duorum verborum, 73, 217, 275.
Acta Apostolorum cap. III, 371; cap. VII, 445.
Acta S. Vincentii, 160. Soc. Latin. Ienens., 56.
Actores servi quinam, 309.
Actus, coactus, 160.
Actutum, 198.
Acumen, et aculeus morti tribuitur, 316.
Adami creatio, 392. Evæ peccatum, 395.
Adamus a S. Victore, 9.
Ador (Guillelmus), 210.
Adire convivium, 311.
Ad medium, 185.
Adolatio, vide *Adulatio*.
Ado Viennensis, 45.
Adsterno, *asterno*, 71.
Adulatio, secunda brevi, 156.
Adulterium fugiendum, 138.
Adverbia in *e* corripi possunt, 333. In *o* et *e* correpta, 365.
Adversarius in via quinam sit, 137 *seq.*
Adytum, 70.
Ædui fratres Romani, 449.
Æger, 123.
Ægri plurimi curati, 162 *seq.*
Ægypti fames, 440.
Ægyptiorum hieroglyphicæ sculpturæ, 104.
Ægyptum Jacob cum filiis ingreditur, 445.
Ænigma ex veteri codice depromptum, 26.
Æquor, planities, 254.
Æquus, 153
Æra vacuum, 123.
Æschilus, 102.
Ætas ad sacerdotium inter Hebræos requisita, 87.
Æthera accusativus, 63 *seq.*
Æternum adverbii more, 65, 72.
Æthra accusativus, 291, 320.
Ævum, 80.
Affamen, et similia, 82.
Affectus pro consanguineis, 292.
Afflamen, 81 *seq.*
Agar serva, mater Ismaelis, 412. Ejecta e domo Abrahæ, 418.
Aggressor, prædo, 220.
Agitare laborem, 342.
Agmen aquæ, 284.
Agon, luctamen mortis, 344.
Agnifer Joan. Baptista, 458.
Almerichius Matthæus, 389.
Alabastrum quid sit, 352.
Albentes messes, 191.
Albertus Nic., 131.
Albinovanus, 243, 250.
Alcuinus, 14, 45, 78 *seq.*, 107. Imitatur Juvencum, 67.
Aldhelmus, 19, 272.
Aldus Juvencum cum aliis poetis edidit, 32.
Ales de gallo, 359.
Alexander Natalis, 77. Notatur, 14.
Alexandro (Alexander ab), 8.
Alfonsus Hispanus theologus, 30 *seq.*
Alius, et *alter*, 316 *seq.*
Allatius Leo, 65.
Allixius, 10.
Alter, et *alius*, 316 *seq.*
Altithronus, 168, 279.
Alvus, uterus, 181.
Ambrosiaster, 132.
Ambrosius (S.), 63, 84 *seqq.*, 100, 114, 124, 174, 182, 375, 411, 432, 435, 444 *seq.*
Ammianus Marcellinus, 345, 358.
Ammonius Alexandr., 58.
Amor Dei, et proximi, 318.
An produci potest, 270. Productum, 209, 363.
Anchialum quid sit, 141.
Andreas vocatus a Christo, 128.
Andrelinus Faustus, 30 *seq.*
Angeli ascendentes et descendentes supra Filium hominis, 174. Castra cœlestia, 363. Qui filias hominum sibi uxores sumpserunt, quinam intelligantur, 402.
Angere. 233.
Anhelus, 161.
Anima igni comparata, 349.
Anna prophetis, 101 *seq.*
Annexos, unanimes, 69.
Annuntiatio Domini, 76 *seq.*
Anonymi poema de septem sacramentis, 9.
Anonymus auctor poematis de Laudibus Domini, 11. Auctor poematis, *Triumphus Christi*, 11 *seq.* Vide *Auctor*.
Ansaldi Castus Innocens, 108.
Antonius Nicolaus, 2, 7, 14.
Apex in litteris quid sit, 134.
Apocalyps. cap. III, 103.
Apostoli sal terræ, 133.
Aptare nomen, 96.
Apuleius, 69 *seq.*, 82, 85, 154, 195, 217, 234, 237, 269, 274, 282.
Aquilius, Aquilinus, Achillius, Acilius, 4. Severus, 5.
Arar tardus amnis, 448.
Arator, 6 *seqq.*, 10, 12, 20 *seq.*, 28, 32, 34, 36 *seq.*, 42, 46, 67, 118, 144, 324, 333.
Arborum mors, 303.
Arcano, 198.
Architriclinus quis fuerit, 176.
Aretinus (Joannes), 21.
Argentei triginta Judæ, 374.
Aringhius, 356.
Aristoteles, 22.
Armagnacius Georg. card., 37.
Arnaldus (Antonius), 53.
Arnobius, 124. Afer, 300.
Arnoldus, abbas Bonævallis, 104.
Arnulfus, 26, 79.
Arntzenius, 12. Rejicitur, 186.
Arridere, 265.
Arx, 188 *seq.* *Animi*, 304.
Ascendere, et descendere, 174.
Ascensius, *vide* Badius.
Asinaria mola, 279.
Aspirans littera *h* sæpe adjuncta, sæpe detracta, 193.
Assistere, 144.
Astare, 369.
Astrifer, *astriger*, 261.
Ater, 123.
Athanasius, 137.
Atrox in bonam partem, 212.
Attactu, 158.
Auctor carm. de Laudibus Domini, 351. Incertus de Bebiani baptismo, 68, 322. Libri de Mansion., 138. Moreti, 261. Oper. imperf. in Matth., 107, 211, 214, 285, 300. Priapæorum, 65.
Augusti Cæsaris edictum, 90.
Augustinus (Antonius), 43.
Augustinus (Sanctus), 22, 59, 62, 99, 102, 122, 124, 135, 145, 161, 175, 232, 281, 286, 298, 374, 383 *seq.*, 429, 436, 446.
Augusto nascente, senatus censuit, ne quis eo anno genitus educaretur, 108.
Aulus Gellius, 65, 107, 147, 170, 172, 186, 199.
Aurelius Victor, 295.
Auricolor, 120 *seq.*
Ausonius, 21, 32, 64, 332.
Avitus, 85, 198.

B

Badius Ascensius Jodocus, 30. Edidit Juvencum, 33, 35. Rejicitur, 151.
Balantes, oves, 279.
Balduinus, 118.
Balkis, regina Austri, 228.
Ballerini fratres, 345.
Bandinius (Angelus Maria), 22, 175.
Baptisma Joannis, 114. Quo sensu in remissionem peccatorum, 118.
Baptista Mantuanus, 47.
Baptizatur Christus a Joanne, et quid tunc acciderit, 120.
Barathrum de inferis, 341.
Baringius (Franciscus), 88.
Baronius, 50, 356.
Barri Pæanes, 28. *Vide* Sirletus.
Barthius, 6, 23, 49 *seq* Notatur, 68, 71, 73. 151, 322, 448, 453.
Battologia precum, 144 *seq.*
Bayer (Franciscus Perez), 28.
Beati quinam futuri, 131 *seqq.*
Beda, 44, 64, 66, 70, 73, 92 *seq.*, 132, 272, 373. Corruptum Juvenci codicem viderat, 288. Ejus opinio expenditur, 338, 371.
Bellua pro balæna, 261.
Benedictio Isaaci, 424.
Benedictiones Jacobi, 446 *seq.*
Benedictus XIV, 88.

Benedictus presbyter, 20.
Bengelius (Joann. Alb.), 80.
Benjaminus Josepho exhibitus, 445.
Benzelius (Ericus), 41.
Bergomensis (Jac. Philippus), 14.
Berruyerius rejicitur, 97.
Bertalazone (Gaspar), 249.
Bertrandus (Elias), 106.
Beughem (Corn. a), 29.
Biblia polyglotta Londinensia, 54.
Bibliopolarum fraudes, 37.
Bibliotheca Ambrosiana, 21. Angelica, 30, 54, 57. Aremacensis, 20. Barberina, 38. Bobiensis, 20. Bodleiana, 21, 23. Casanatensis, 37. Cassinensis, 21. Collegii Ludovici Magni, 55. Collegii Romani, 26. Corbeiensis, 10, 22. Divio-Benigniana, 22, 24. D. Valletiæ, 21. Eduardi Bernardi, 21. Eminent. card. Valentis, 34. Francof. ad Viadrum, 33. Fuldensis, 27. Gandavensis, *ibid.* Laurentiana Medicæa, 22 *seq.* Manarsiana, 33. Metensis, 20. Monasterii S. Benedicti prope Ligerim, *ibid.* Monasterii S. Petri Carnutensis, 7. Parisiensis Regia, 23. Parisiensis S. Victoris, 22. Patavina cathedr., 21. Patavina olim Canonic. Later., *ibid.* Paulina Lipsiensis, 33. Pii VI, P. M., 55. Regis Angliæ, 21. Romana Sapientiæ, 38. San Germanensis, 12, 22. S. Georgii Majoris, 26. S. Marci Florentiæ, 21. Schlensingensium, 41. Tigurina, 20. Vaticana, 24 *seq.*
Bibliothecæ Patrum sæpius editæ, 38.
Birch (Andreas), 55.
Bivarius refellitur, 15.
Blanchinius (Franciscus), 92. Blanchinius (Joseph), 42, 54.
Blasphemiæ descriptio, 256.
Bollandianorum sententia de cultu Juvenci, 17 *seq.*
Bonellus a Cavalesio (Benedictus), 253.
Bonus, 109.
Borgia em. card., 93.
Borrichius (Olaus), 50.
Brasichellensis index expurgatorius, 19, 38.
Braunius, 377.
Breviare, 327.
Brietius, 50.
Brissonius (Barnabas), 255.
Browerus, 67.
Bruno Astensis, 373.
Brutus (Decius), 132. Joann. Michael rejicitur, 448.
Brutus, fatuus, 337.
Buddeus (Joann. Franc.), 105.
Burmannus, 212, 293.
Buschii Hermanni epigramma, 29.
Bustum quid sit, 321.
Bynæus Ant., 96, 118.

C

Cachinno, cachinnor, 380.
Cadere in lethum, 346.
Cæci duo liberantur, 200 *seq.*
Cæcus, 142.
Cærula nox, 162.
Cæsar, 228, 271, 448 *seq.*
Cæsaræa Philippi, 262.
Cæsarobriga an patria Juvenci, 15 *seq.*
Cæsuræ ratione brevis producta, 225, 232, 262 *seq.*, 302.
Cain Abelum occidit, 397.
Caius, et Gaius, 4. Vettius Aquilinus consul, 5.
Cajetanus, 205.
Calceorum corrigiam solvere famuli solebant, 118.
Calceos portandi antiquus ritus, *ibid.*
Calix pro passione, 293.
Calliroe, 44.
Callis, 236.
Calmet (Augustinus), 58, 97.
Calpurnius, 293.
Camelus in Evangelio an pro fune nautico ponatur, 290.
Canæ Galilææ convivium, 174 *seq.*
Cancellierius (Franc.), 368.
Canor, 302.
Capella (Martianus), 217, 263.
Capita Evangeliorum diverso modo olim distincta, 162.
Capitolinus, 292.
Captare, 251 *seq.*, 305.
Carbasus, 381.
Carcer corporis, 98.
Carmen de Laudibus Domini, 448.
Cassander (Georgius), 54, 164.
Casus pro casu adverso, 358.
Cato, 20, 119, 177, 279, 293.
Catullus, 248, 311, 355, 368.
Causæ pro morbis, 199.
Causor, 256.
Caverna aliquando pro foramine, 290.
Caveus (Guilielmus), 3.
Cedere, succedere, 103.
Ceillierius (Remigius), 3, 51.
Cellarius (Christophorus), 33, 84. Notatus, 239, 289.
Celsa montis, 304.
Celsithronus, 168.
Celsus, 202.
Censorinus, 244.
Census Syriæ, 90.
Centum pro numero indefinito, 280.
Centuplex, centiplex, 237.
Centuplicatus, 292.
Centuplum recipiet, qui bona omnia propter Deum reliquerit, 291.
Centuriatores, 50.
Centurionis puer sanatus, 159 *seq.*
Cerda (Joann. Ludovicus), 84.
Cerno, intelligo, 182, 356.
Cervix elata superbiæ signum, 320.
Certum est, necesse est, 278.
Cetus, cete, 227.
Chacon (Petrus), *vide* Ciaconius.
Charisius, 6, 281.
Chiffletius, 43.
Chilienus monachus, 355.
Chlamys, qua indutus fuit Jesus, 373.
Chorea, 113.
Chorus poetarum Latinorum, 39.
Christiani poetæ phrases gentilium sæpe usurpant, 456.
Christus quo loco natus est, 92. Quo mense natus, 93. Positus in signum, cui contradicetur, 101. Ejus nativitas, 92 *seq.* Præsentatio in templo, 97 *seq.* Triumphus, 456 *seqq.* *Vide* Jesus.
Ciaconius (Petrus), 51, 299.
Ciborum et vestium nimia cura negligenda, 148 *seqq.*
Cicero, 81, 83, 105 *seq.*, 109, 114 *seqq.*, 130, 132, 145, 164, 167, 170, 181 *seq.*, 183, 190, 193 *seq.*, 197, 222, 238, 241, 245, 252, 281, 294, 297, 299, 305, 312, 323, 336 *seq.*, 364, 384, 449.
Ciere, vocare, 136.
Cingere, 315. *Gremium*, 131.
Circumcisio Domini, 96.
Circumlatro, 364.
Claudianus, 73, 235, 249, 252, 312, 448. Mamercus, 219.
Clamor, prima brevi apud aliquos, non apud Juvencum, 302.
Clarere, 235.
Clarissimus vir, 3.
Clarius (Daniel), 32.
Clovius (Petrus), 70.
Cneus, et Gneus, 4.
Cochleare vetus ad sacræ synaxis usum, 301.
Codex Justinianæus, 90, 202. Theodosianus, 124, 195.
Codices mss. hujus editionis, 58. Juvenci, 20 *seqq.* Sabatierii, 59.
Cœlius, 106. Aurelianus, 236.
Cœlum cur septemplex dictum, 120.
Cogere, 257.
Cognomen Juvenci quodnam fuerit, 5.
Cognomina Romanorum plura ab utroque pecore sumpta, 6. Varia, 5.
Cognoscere, 337.
Collini (Antonii) impudentia, 103.
Colomesius (Paulus), 3.
Columbæ in specie Spiritus sanctus descendit, 121.
Columbanus, 20, 151.
Columbas, an turtures obtulerit in templo Deipara, 99.
Columella, 28, 78, 111, 149, 151, 232 *seq.*, 255, 306.
Comitor cum dativo, 227, 336.
Commodianus, 11.
Compages, 63 *seq.*
Comparativum pro positivo, 334.
Compitum, 246.
Compleo cum genitivo, 248, 263.
Completor, 216.
Complosiones frequentes in Juvenco, 339 *seq.*
Concilii tribunal apud Hebræos, 136.
Concilium Aquisgranense, 355. Francofordiense, 45. Tridentinum, 59, 133.
Concludere verbis, 314.
Concordia cum fratre ineunda ante oblationem, 137.
Concurrere, 127. Alicui, 171 *seq.*
Condere terræ, 164.
Confessio Jesu ad Patrem, 213 *seq.*
Confine, confinium, 345.
Conglomero, 202.
Conjugium pro conjuge, 316.
Connectere, 231.
Conscius, 356.
Consecrationis verba quem sensum reddant, 357.
Constantinus pacis et securitatis fundator, 13 *seq.* Ejus elogium, 388, 455.
Consternatus, 379.
Constupeo, 95.
Consurgere in iras, 165.
Contexo, 364.
Contexta jejunia, 123.
Conventiculum, 217.
Convexum cœlum, 260 *seq.*
Convicia damnantur, 136.
Cophinus supellex Hebræorum, 263.
Corban quid sit, 253.
Corda custodum, custodes, 386. *Mariti* pro marito, 284.
Corduba (Alfonsus de), 31.
Cornua mensæ, 298.
Cornu salutis, 86.
Coronare, 292. *Vina*, 176.
Corona vita æterna dicta, 325.
Corpora germana, 316. *Juvencum*, 177. *Vestra, genitorum*, 205.
Corpus, 178. Pro homine, 246.
Corpus Domini in sepulcro conditur, 381.
Corpus poetarum Latinorum, 39.
Correctio criminum alienorum, 280.
Correus, sive Sichem, 451.
Correptare, 181.
Corrigia calceorum, 118.
Cor sedes affectuum, 145.
Cosmas de Medicis, 21.
Covarruvias, 43.
Crassis objicibus, 234 *seq.*
Creatio mundi, 391 *seq.*
Crementum, 238.
Crimen, 109.
Crinitus (Petrus), 9, 18 *seq.* 48. Notatur, 14.
Crucem suam quisque debet tollere, 268.
Cubitalia incrementa, 149.
Cui in fine periodi, 89.
Culta, agri culti, 215.
Cum dicto, 217. *Voce*, 161.
Cunabula quid sint, 92 *seq.*
Curatio, 149.
Curvesco, 451.
Cyrinus, 91.

Cyprianus (Ern. Salom.), 92.
Cyprianus (S.), 10, 22, 28, 32, 152, 158, 184, 226, 305.

D

Dæmonia ab homine expulsa, et in porcos missa, 166.
Dæmonium mutum ejectum, 201.
Dæmon ater, 205. Ater, niger dictus, 166 *seq.* An lapsus in tergum, cum a Christo objurgatus est, 126.
Damasus (S.) 32, 314.
Danielis prophetia, 326.
Dare dicta, verba, 159.
Dativus pro ablativo, 134, 221, 271, 330.
Davida, secunda producta, 91.
Davidis, duabus primis productis, 319.
Davisius, 210.
Daunius, 56.
Debile crurum vulgus, 258.
Debitores olim in tormenta dati, 283.
Debitum, 146.
Decolor, 226. Pro turpi, 317.
Decuplatus, 281.
Dedit addere, 110; *observare*, 98.
Dedo pro *trado, prodo*, 355
Deerit, 387.
Defendo, 125.
Defletio, 329.
Defunctorum cura habenda, 450.
Dei voluntatem qui faciunt, hi mater, et fratres Christi, 230.
Demersus, dimersus, 186.
Demittere letho, 207.
Demitto, dimitto, 310.
Democritus, 125.
Deposcere, 202.
Depositum corpus, 210.
Deserare, 84.
Desertum, deserta, 210, 328.
Desponsus, desponsatus, 76, 91 *seq.*
De superfluum, 132, 147.
Devota furori, 386. *Verba*, 368.
Devotio cordis, 318.
Devotus, 126.
Deus pater omnium, 143.
Deuteronom. cap. v, 252; xxiii, 215; xxiv, 285.
Dextera manus fidei et potentiæ signum, 250.
Dextri commentitii mendacia, 15.
Deylingius (Salom.), 116, 115.
Dicta, convicia, 285.
Didrachmæ valor, 277.
Digesta, 91, 220 *seq.*, 255, 309, 382.
Dignatio, 294 *seq.*
Dilherrius, 173.
Diluvium tempore Noe, 405.
Dio Chrysostomus, 66.
Dirumpo et *disrumpo*, 219.
Discingere, 323.
Discipuli Christi spicas vellunt, 215.
Discludo, 255.
Discussio, 90.
Discutio, 258.
Dispendia vocis, 75.
Dispensatores servi, 332.
Disperare, 75.
Disperdere pro *disperdi*, 197.
Disperno, 186 *seq.*
Disquirere, 184.
Dissicit, disicit, disjicit, 220.
Dissilui, dissilii, 81.
Dissolvere, 277. De paralysi, 159. *Dissolvo*, an *disolvo* scribendum, 314.
Distichum quatuor verbis constans, 333.
Distinguere, 323.
Distrahere, vendere, 289, 375.
Ditio pro jurisdictione, 296.
Diversus, 157, 160, 331.
Divites difficile ingrediuntur regnum cœlorum, 288.
Dominis duobus servire nemo potest, 148 *seq.*
Domorum solaria, 207.
Domus supra petram, vel supra arenam ædificata, 157.
Donare errorem, 169.
Donatus, 135.
Dracontius nuper editus, 2, 72, 74 *seq.*, 78, 83, 85, 87, 94 *seq.*, 103, 110, 121, 128, 136, 144, 151, 158 *seq.*, 162 *seq*, 165 *seqq.*, 169, 173, 179, 181, 185, 194, 198, 209 *seq*, 222, 239, 243, 246 *seq*, 261, 278, 289, 303 *seq.*, 329 *seq.*, 333, 349, 356, 360, 365 *seq.*, 370, 373, 376, 386, 450, 452 *seq.*, 457.
Drepranius, 100, 325.
Dubitatus, 250.
Ducangius, 65.
Duellum, bellum, 220.
Dungalus, 20.
Dupinius, 51.
Durantus, 88.
Durrius Samuel, 103.
Duum, duorum, 281.
Dyscolus, 226.

E

Ebionitarum evangelium, 120.
Ecclesiastici cap. xxxix, 330.
Edere verbum censuale, 91. Edere pro comedere, 116.
Editiones Juvenci, 28 *seqq.* Indicatæ, 58. Veteres interdum corruptæ, 32.
Ego emphasin habet, 135.
Eisengreinius, 14.
Eleemosyna commendatur, 142. Occulte facienda, 144.
Elias raptus in cœlum, 212 *seq.* Eum venturum ante Christum tradebant Judæi, 273.
Elisabeth cognata Deiparæ, 80.
Elsnerus Jac., 106.
Emeritensis inscriptio, 388.
Emmanuel, 89.
Emortuus, 221.
Engelmodus imitatur Juvencum, 67.
Ennius, 287, 293.
Enoch justus, 400 *seq.*
Epigramma in laudem Juvenci expenditur, 15 *seq.*
Epileptici, 130.
Epiphanius, 97, 122.
Episcopis olim Christiani calceos detrahere certabant, 118.
Epitheta duo uni nomini attributa, 318.
Equilinus episcopus, 17 *seq.*
Erythræus Nicius, 183.
Esau, et Jacob, 421 *seq.*
Esdras, lib. III, cap. i, 69.
Esse, comedere, 116.
Eucharistiæ catholica doctrina, 356.
Eucherius Lugdunensis, 69, 399.
Eulogius Cordubensis imitatur Juvencum, 46, 67.
Eunuchorum tria genera, 287.
Euripides, 286.
Eusebius Vercellensis, 54, 120.
Eutropius sacerdos, 420.
Eva formatur, 393.
Evangeliarium vetus Tridentinum, 253.
Evangelistarum insignia, 61 *seqq.*
Evangelium Ebionitarum, 122. Nazaræorum, 121.
Ex sæpe abundat, 188.
Excindere, 143.
Excitus, secunda producta, 188.
Excussus, 126.
Exodus cap. xx, 252.
Exorcismi, 229.
Expendere, 184.
Exterminare, 147.

F

Faber (Jacobus), 19. Editor Juvenci, 28. Stapulensis, 19.
Fabrettus, 69.
Fabricius (Georgius) editor Juvenci, 56. Notatus, 15, 56, 90, 113, 220. Joannes abbas, 41. Joann. Alb., 3, 41.
Factio, 147 *seq.* Aliquando in bonam partem accipitur, 336. Sæpius in malam partem, 216.
Fallacia, pro *fallax*, 126.
Famæ multæ linguæ, 130.
Famosus, infamis, 370.
Famulus adjective, 125.
Fassonus (Liberatus), 105.
Faustus enarrator Juvenci, 30 *seq.* Manichæus, 122.
Febris ardor, 193.
Felicius (Constantius), 17 *seq.*
Feminæ et pueri numerari non solebant ab Hebræis, 248.
Fenus, 146.
Feralia verba, 139.
Fermentum Pharisæorum quid sit, 262.
Ferrarius (Philippus), 17.
Ferream vocem poetæ sæpe dicunt, 452.
Fervidum fretum, 251.
Fessis rebus, 342.
Fessus, 73.
Festucam in oculo fratris qui vident, tignum in proprio non vident, 152.
Festus, 4 *seq.*, 75, 336.
Fichettus (Alexander), 39.
Ficus arbor, ex qua Judas se suspendit, 373.
Fidalke (Joann.), 108.
Fidei potestas, 274 *seq.*
Filia principis sacerdotum resuscitata, 197, *seq.*
Fimbriæ descriptio, 198.
Firmare, affirmare, 264.
Flammicomans, 334.
Flammipes, 213.
Flammivomus, 67.
Florentinius, 97.
Florus, 125.
Fluctuatio, 450.
Fons baptismalis, 181.
Fontaninus, 42.
Forcellinus, 81. Notatus, 85 *seq.*, 134, 255, 451.
Foribus templi prosterni veteres solebant, 71.
Forte adverbii more, 214.
Fortis, 170.
Fortunatus, 13, 34, 43, 67, 138, 186.
Framea, 102.
Francicanus (Gab. Barrus), 64.
Frangere superbos, 84.
Freculfus, 45.
Freinshemius, 180.
Fremitus in plausu, 269.
Frenzel (Joan. Frid.), 106.
Frequento, 64 *seq.*
Fretum a *fervendo*, 251.
Frigens, mortuus, 200.
Frizius (Guil.), 105.
Frugiferens, 213.
Fulano quid Hispanis sit, 354.
Fulgentius mythologus, 85, 213.
Fundamen, 157.
Fundere fetum, 85.
Fundi, propagines, 437.
Funus, 109.
Furta tororum, 255.
Fusis crinibus, et precibus, 256.
Fusus, effusus, 190.

G

Gaditanæ puellæ saltandi peritæ, 244.
Gaius, et *Caius*, 4.
Gallandius (Andreas), 8. Editor Juvenci, 41. Notatur, 100.
Gallus in tectis Ecclesiæ et domorum, 368.
Garbellus, 63.
Gaudentius Brixianus, 103.
Gaudere gaudia, 106.
Gazæ in plurali bene latinum, 292. *Gaza*, prima brevi, numquam occurrit apud Juvencum, 288.
Gelasius pontifex, 42 *seq.*
Generare errorem, 278.
Generis mutatio, 105.
Genesis carmen, 391 *seq.*
Genitalis, patrius, 338.

Genitivi duo ejusdem substantivi, 93, 191, 275.
Genitor, et *genitrix* verba poetarum magis, quam oratorum propria, 289.
Gens simpliciter pro gente Israel, 173, 371.
Gerdesius (Dan.), 96.
Gerdil (Em. cardinalis), 265.
Gessen terra Jacobo et filiis concessa, 444.
Gesta, 157.
Gifanius, 81.
Giovenazzius (Vitus M.), 301.
Glaucicomans, 300.
Glomero, *glomeratio*, 202, 216.
Glossator antiquus, 61.
Gneus, et *Cneus*, 4.
Goetius (Georg.), 92.
Goldastus, 5, 20.
Golgotha, secunda correpta, 376.
Gomphus, 376.
Gothofredus (Dionysius), 4. Gothofredus (Jacobus), 389.
Gracilis, parvus, 342.
Gratia, 150. *Lucis lunaris*, 329.
Gratiæ tres, 150.
Gratius poeta, 212, 326.
Grator, 163.
Gregorius Ariminensis, 31. Magnus, 79, 95.
Greissengius (Valerius), 133.
Gremium, 95, 99.
Gretserus, 56.
Grotius (Hugo), 79.
Gruneras (Jo. Fr.), 27. Refellitur, 78.
Gruterus, 69.
Gualdo monachus, 272.
Guilielmus (Brito), 72, 323.
Gulden (Wolfgangus), 33.
Gumphus, 376.
Gyraldus (Lil. Gregorius), 50.

H

H sæpe adjungitur, sæpe detrahitur, 193. Valet litteram, 113.
Habitaculum, 92.
Hadamarius (Reinhardus Lorichius), 48. Edidit Juvencum, 34 *seq.*
Hadikius (Joannes), 27, 41.
Hedui, *vide* Ædui.
Hankius, 377.
Harduinus refellitur, 97.
Hormoniarum auctores, 58.
Haubertus historicus commentitius, 14.
Hauritura, 186.
Havercampus Sigebertus, 211, 317.
Haymo, 7.
Hebron, 81.
Heinsius (Nic.), 28, 131.
Hemorrhoissa sanata, 197 *seq.*
Hendiadys, 167, 178, 180, 198, 209, 312.
Hensingerus (Jo. Michael), 56.
Herodes infantes occidi jubet, 108. Joannem Bapt. occidit, 247 *seq.*
Heumannus, 12.
Hiatus Virgilio familiaris, 183.
Hieronymus, 2, 5, 12 *seq.*, 22, 42, 59, 62, 89, 91, 107, 121, 135, 137, 147, 165, 191, 207, 211, 216, 252, 260 *seq.*, 286, 292, 296, 307, 314, 358, 374, 383, 399, 422, 432.
Hilarius, 55, 88, 116, 121 *seq.*, 127, 135, 137, 146, 182, 196, 210, 216, 226, 228, 246, 249, 261, 327 *seq.*, 330.
Hildebertus, 9.
Hispanum idioma Latinitatis mediæ retinentissimum, 355.
Hoffmann (Carolus Gotlieb), 108.
Holberg (Balthasar), 116, 145.
Homerocentones vetera poemata, 32.
Homerus, 373. Ejus laus, patria, 65.
Homicidium damnatur, 135.
Homines bonæ voluntatis quinam sint, 95. Duri, et rigidi, 153.
Hominis descriptio Rabbinica, 266.
Honoratus a Sancta Maria, 103.
Honorius Augustodunensis, 46.
Horama, *horoma*, sive *orama*, 272.
Horatius, 65 *seq.*, 104, 111, 114, 132, 154, 160, 177, 187, 212, 223, 224, 271, 283, 294, 301, 306, 317, 330, 350, 352, 376, 415, 455.
Horrendum positum adverbii more, 160.
Horrida somnia scite dictum, 88.
Horror, metus sacer, et religiosus, 88.
Hosanna Judæorum acclamatio, 301.
Hospitus adjectivum nomen, 342.
Hostus (Matthæus), 175.
Humilitas Christiana laudatur, 298.
Hure (Carolus), 173.
Hydriæ convivii Canan, 175 *seq.*
Hymni an a Juvenco compositi, 9.
Hypocritæ a Christo reprehenduntur, 155.

I

Ignatii Martyris ratio, cur a Maria Virgine desponsata conceptus sit Christus, 89.
Ignicolorus idem, ac *ignicolor*, 329.
Ignicomus, *ignicomans* verba poetica, 240.
Ignis interdum sideribus tribuitur, 162.
Ille loco nominis positum, 354.
Illex malorum, 154.
Illibatus, integer, innocens, 294.
Immensi venti, 165.
Immensum adverbii more, 158.
Immensus mundus, 83.
Immersus scilicet non mersus, 250.
Impendere soles geminos, 192.
Impleo reperitur cum genitivo, 248.
Implorare, 197.
Inane, 121.
Incendia bellorum elegantia usitata, 323 *seq.*
Incidere pontum pro *in pontum*, 162.
Increpito, 119, 128.
Incumbere verbum energicum, 148, 525, 564.
Incunabula quid sint, 92 *seq.*
Indago, 129.
Indicativus pro conjunctivo, 180.
Indicium, et *judicium* inter se confusa, 211.
Infanticidium Herodianum, 108.
Infernum, *infernus* substantive, 266.
Inferorum loca inter se diversa, 454.
Ingeminare, 537.
Ingerere dicta, sive *convicia*, 283.
Ingrata adverbii more pro *ingrate*, 537.
Ingredi, *et egredi* quid sit, 174.
Inhospitales quinam dicti, 451.
Inimici a nobis diligendi, 142.
Injussus, 130.
Inolescere, 284.
In pace, 100.
In pro *ad*, 347. Pro *sub*, 262.
Inscriptiones veteres indicatæ, 69.
Inscriptio vetus explicatur, 16.
Insectatio, 152.
Insignia quatuor Evangelistarum varie explicantur, 61 *seq.*
Insinuare, 241.
In solidum, 274.
Instar in nominativo et accusativo, 276.
Instincta vox, 111.
Instruere stratas, 115.
Insulæ cur in mari positæ, 451.
Insultare, 167.
Internecare, 233.
Invadere furta tororum, 289.
Ira in Evangelio damnatur, 135.
Irenæus S., 62, 216, 252, 322.
Ire viam, 142.
Iricius (Joannes Andreas), 54, 120.
Irrevocabile donum, seu *munus*, 74.
Irrevocabilis, 64.
Irrevocatus, 221.
Isaac filius Abrahæ, 418 *seq.*
Isaias cap. I, 80; IX, *ibid.*; XI, 110.
Isidorus, 44 *seq.*, 119, 130, 161, 240, 345.
Isidorus (Clarius), 433.
Ismael Abrahami filius, 412 *seq.*
Iso, 142.
Israelitæ, tertia correpta, 100.
Ista hæc, *isthæc*, utrolibet modo rectum, 345.
Iste pro *hic* apud bonos auctores, 191.
Itala versio ante S. Hieronymum, 59.
Iteris pro *itineris* usurpatum, 106.
Iterumque, *iterumque* ex Virgilio, 371.
Itiner, 164.
Ittigius (Thomas), 58.

J

Jacere de ægris, 161. Pro obire, 317.
Jacere panem canibus, 257.
Jacobus Major vocatur a Christo, 129.
Jacobus, varia quantitate syllabarum, 186 *seq.*
Jacob, et Esau, 421 *seq.* Ejus filii, 427, 432.
Jaculari, 125.
Jansenius (Cornelius) Gandavensis, 97.
Ibidem, secunda brevi apud Juvencum, 219, 247.
Jejunandum est, sed non ad vanam captandam famam, 146 *seq.*
Jejunium Christi, 123. Cum oratione utile, 276. Discipulorum Joannis et Christi, 195.
Jeremias aliquando trisyllabum, 109.
Jesus quæsitus, et inventus in templo, 111. Baptizatur, 114. Jejunat, et tentatur a diabolo, 122. Quo pacto a diabolo assumptus, 124 *seq.* Joanne capto, secedit in Galilæam, 127. Convocat discipulos, 128. Galilæam circumiens, pœnitentiam prædicat, et varios languores hominum curat, 129 *seq.* In monte sermonem habet, 131. Non venit solvere legem, sed adimplere, 134. Leprosum curat, 158. Puerum Centurionis sanat, 159 *seq.* Ejus verba ad Scribam, 163 *seq.* Ipsum sequi, etiam patre inhumato relicto, oportet, 164. Dormientem excitant discipuli, ut tempestatem sedet, 165. Expellit dæmonia, 166. Paralyticum sanat, 169. Ementes et vendentes ejecit de templo, 177. Nicodemum alloquitur, 180. Cum muliere Samaritana loquitur, 185 *seq.* Pharisæos, murmurantes de convivio publicanorum, refellit, 194. Filiam principis sacerdotum a morte revocat, et hemorrhoissam sanat, 197 *seq.* Lethi victor, vitæque repertor, 200. Congregat discipulos, eosque præceptis imbuit, 202. de Joanne ad turbas loquitur, 209 *seq.* Sanat aridam manum hominis, 217. Hominem a dæmonio, et cæcum, et mutum sanat, Judæosque redarguit, 218. Faciet, quæcumque Pater fecerit, 222. Sedens in navicula, parabolas turbis exponit, 231. Super mare ambulat, et Petrum, qui mergebatur, manu apprehendit, 248. Curat filiam mulieris Syro-Phœnissæ, 256. Cæcos, claudos, mutos sanat secus mare Galilææ, 258. Fidem Petri laudat, eumdemque suadentem, ne pati vellet, objurgat, 264 *seq.* Sanat puerum lunaticum, 274. Petrum solvere tributum jubet, 276 *seq.* Prædicit discipulis passionem suam, 295. Ingreditur Hierosolymam pullo asinæ insidens, et magno plausu excipitur, 299 *seq.* Asinæ vel pullo Asinæ insidens in veteribus monumentis passim descriptus, 301. Maledicit ficum, 303. Refellit Scribas, 304. Quo die passus, 370. In Galilæa discipulis apparet, 386. *Vide etiam* Christus, Jejunium, Miraculum *et* Parabola.
Joannes Baptista in utero matris sanctificatus, 72 *seq.* Ejus nativitas, 84 *seq.* Ipsius victus, et amictus, 116.

In carcerem semel tantum conjectus, 127. Ad Jesum mittit discipulos, 209 *seq.* Ejus caput in disco, 242 *seq.* Ab Scribis et Pharisæis rejectus, 506.
Joannes Britannicus, 30.
Joannes Evang. vocatur a Christo, 129.
Jonæ prophetæ signum, 260.
Jonas fuit typus Salvatoris, 227.
Jonas Scotus, 44, 70.
Jordanis, secunda correpta, et producta, 119.
Jordanis undis ablui ambibant veteres Christiani, 68. Ejus etymologia exponitur, *ibid.*
Joseph ab Arimathea, vel Arimathia, 382.
Joseph quo pacto cogitaverit relinquere Mariam, 87 *seq.* Ab Angelo admonitus, cum puero et matre fugit in Ægyptum, 108. Puerum et matrem in patriam reducit, 110.
Joseph filius Jacob, 433.
Josephus Hebræus, 179, 286.
Josephus Iscanus, 586.
Jubere cædem, ut *imperare tributa*, 108.
Judæa frequens populis, 131. Palmetis multis abundans, 301.
Judæi a Jesu signum petunt, 178. In menianis, sive planis tectis domorum confabulari solebant, 207. Perfidi, et obstinati, 506 *seq.*
Juda in nominativo casu, 353 *seq.*
Judas pretium petit, ut Jesum tradat, 353 *seq.* Laqueo se suspendit, 372.
Judicii extremi descriptio, 339.
Judicii tribunal apud Hebræos, 136.
Judicium in variis lectionibus adhibendum, 57. Temerarium fugiendum, 152.
Judicium et *indicium* sæpe confusa, 211.
Judith cap. VIII, 144.
Jugalia festa, 311.
Jugum Domini suave est, 213 *seq.*
Julianus Toletanus (S.), 328, 450.
Julius Cæsar, 116. Firmicus, 270. Paris, 4.
Junius Rusticus consul, 5 *seq.*
Jurandi varia genera recensentur, 140.
Jurare sine causa non licet, 140.
Juretus, 24.
Jussa Dei facienda, 156.
Jussus, 130. *Numine*, 115, 103.
Justa operum, 152.
Justinianus (Leonardus), 32.
Justinus Martyr, 120, 273, 295.
Justior pro *justissimus*, 582.
Justitia pro eleemosyna, 143.
Futurus, 78.
Juvenalis, 244, 263, 436.
Juvencus (Cœlius), Dalmata, 7. Episcopus Papiensis, sive Ticinensis, 7 *seq.*, 18. Martialis, 7.
Juvencus Hispanus, 3. Ex qua Hispaniæ parte, 4 *seq.*, 15 *seq.* Primus auctor Concordiæ evangelicæ, 1. Antiquissimus poetarum Christianorum, 11. An hymnos composuerit, 9. Non est auctor poematis in Genesin, 10. Quo sensu *Scholasticus* dictus, 14. An interfuerit concilio Iliberitano, 15 *seq.* Textum græcum non sequitur, 131. Italam versionem secutus, 51 *seq.*, 59. In scholis prælectus, 40. Virgilii perpetuus imitator, 243. Utitur verbis frequentativis, 236. Sæpe easdem phrases repetit, 109. Sæpe in complosionem vocum incurrit, 339 *seq.* Juris civilis non ignarus, 309. Præ cæteris recensione indiget, 56 *seq.* Nondum satis correcte editus, 27. Ejus epilogus, 388. Elogia, 1, 3, 6, 9, 12, 29 *seq.*, 42 *seqq.*, 63 *seq.*, 88, 121 *seq.*, 161, 356. Cardinalatus rejicitur, 14 *seq.* Episcopatus confictus, 4. Virtus laudata, 19. An olim ipsi religiosus cultus præstitus, 16 *seq.* Ipsius stylus, 50 *seq.* Codices mss., 29 *seq.* Codices corrupti, etiam tempore Bedæ, 288. Editiones enumerantur, 28 *seq.*
Juvencus nomen quartum, seu proprium Juvenci, 5 *seq.*
Juvenci, et *Juventii* nomina multis modis in antiquissimis membranis corrupta, 7.
Juvenes, hoc est, equites, 244.
Juvenis, 158, 193, 345. Famulus, 343.
Juventius nomen inter Romanos clarum, 6.
Juventius poeta vetus comicus, 6.
Juventus ad quem annum protrahatur, diversæ sunt sententiæ, 345.

K

Kœnigius (Adamus), 118.
Kœnigius (Georgius Matthias), 39 *seq.* Notatur, 100.
Krause (Joannes Henricus), 92.
Kuhnius rejicitur, 36, 272.

L

Labare, prima correpta, 252.
Labat, prima producta, 200, 202, 275, 371.
Labbeus (Philippus), 4.
Laberius, 219.
Labes, damnum, 325. *Malorum*, 340.
Lactans, *lactens*, 303.
Lactantius, 11, 32, 122, 203, 279.
Lætor positum cum infinitivo, 161.
Lampadum, quæ in nuptiis adhibebantur, descriptio, 334.
Lampridius, 7.
Lamyus, 113. Notatur, 127.
Lapide (Cornelius a), 237, 286.
Laqueare, *laqueatores*, 138.
Laquei erroris, 240 *seq.*
Largibor, 214.
Largifluus, 84.
Latebra in singulari, 164.
Latinius, 71.
Latrones crucifixi cum Christo, 378 *seq.*
Lavacrum, 115.
Lavandi manus Judaica traditio, 251.
Laudibus, *gratibusque celebrare*, 259.
Laus cœli, 98.
Lavit præsens, vel præteritum, 264, 375.
Lazarus e mortuis excitatur, 343 *seq.* Ejus resurgentis imago, 351. Sepulti imagines, 449.
Lecti discipulorum pro *discipuli lecti*, 300.
Leges muniunt, et defendunt, 189.
Leichnerus, 97.
Leo (S.), 53, 114, 373.
Lepræ in plurali melius, quam in singulari *lepra*, 209 *seq.*
Lesleus, 355.
Letschius (Joannes Christoph.), 92.
Levare, *levamen*, 76.
Levis (Eugenius), 44.
Leviticus cap. XII, 98.
Lex lethi, 243.
Lia uxor Jacob, 427.
Libellus repudii Hebræis permissus, 139, 285.
Liber sanguinis pro *a sanguine*, 371.
Libratus, 157.
Lipsius, 5, 244.
Littera in fine, et initio vocum concurrens, interdum in mss. codd. non duplicata, 235.
Livius, 64, 170, 281, 283, 298.
Lobkowizius (Bolislaus), 353.
Locusta, prima correpta, 116.
Lolium infelix, et amarum est, 237.
Longa viarum, 105.
Longe hinc, 297.
Lorenzana (Eminent. cardinal.), 45.
Lorinus, 457.
Loth, et Abraham, 406. Ejus uxor, et filiæ 416, *seq.*
Lotichius (Joannes Petrus), 50.
Lubricum, 157, 361. Substantivi more, 275.
Lucanus, 63 *seq.*, 70, 104, 132, 199, 201, 324, 330.
Lucas *Lucanus* etiam dictus, 63.
Lucere de olivis, et aliis arboribus, 299.
Luces, dies, 330.
Lucifer Calaritanus, 117.
Lucifluus, 325.
Lucilius, 84.
Lucretius, 64, 130 *seq.*, 176, 178 *seq.*, 235, 271, 292, 348.
Ludere, et *lusus* de actu conjugii, 422.
Ludewigius, 56.
Ludibria, prima producenda est, 374.
Ludus est, 167.
Luitprandus, 46.
Lunaticus morbus, 130. Puer curatur, 274.
Lupius (Antonius Maria), 115.
Lupus abbas Ferrariensis, 45, 152.
Lustro, illustro, 100, 106.
Lux, 146.
Luxurio, et *luxurior*, 332.
Lyserus (Guilielmus), 96.

M

Macero, prima producta, 198.
Machab. lib. II, cap. III, 77.
Machæra quid sit, 102.
Macrobius, 103, 173, 255.
Maculæ, *maculosus textus*, 129.
Madariaga (Petrus), 31.
Maffeius Scipio, 8.
Magi an legati suarum gentium, 103. Christum tamquam deum adoraverunt, *ibid.* Eorum adventus, adoratio, etc., 103. Ipsorum adventus an prior Purificatione Mariæ, 96 *seq.*
Magia olim erat astrologia, 104.
Magis in comparatione omissum, 139.
Magistris Simon de, 253.
Magnum adverbium poeticum, 82.
Maimonides, 140.
Major natu, *maximus natu*, 316.
Maitaire Michael, 31.
Malachiæ cap. IV, 273.
Maldonatus (Joann.), 73. Notatur, 85.
Mallas Hispanice, Latine *maculæ*, 129.
Mandatum de ablutione pedum in cœna Domini, 355.
Maneat, 106.
Maneo, 371.
Manilius, 207.
Mantuanus (Baptista), 29.
Manus arida hominis sanata, 217.
Manutius, 69.
Marca (Petrus de), 97.
Marescallus (Thomas), 54, 307.
Margo, 303.
Maria Magdalena peccatrix, et soror Lazari eadem, 343 *seq.* Unguento pretioso unxit pedes Domini, 352.
Mariam in casu nominativo, 242.
Maria (Ss.) an uxor S. Josephi fuerit Annuntiationis Dominicæ tempore, 76 *seq.*, 88 *seq.* An a Christo in Cana reprehensa, 175. Visit Elisabeth, 81 *seq.* Ejus præsentatio in templo, 77. Ipsius parentes quandonam obierint, 78.
Marinæus Siculus, 14.
Marinius Cajetanus, 349.
Marita, uxor, 317.
Marius Victorinus, 397.
Martene Edmundus, 10, 20.
Martialis, 77, 124, 140 *seq.*, 153, 232 244.
Martianus Capella, *vide* Capella.
Matamorus (Alfonsus Garsias), 50.
Matres, feminæ seniores apud veteres, et religiosæ apud Christianos, 381.
Matrimonium indissolubile, 283 *seq*, Ejus lex an sit viro et feminæ æqua, 286.
Matthæi (Christianus Frider.), 55.

Matthæus ad apostolatum vocatur, 171. Eum præ cæteris evangelistis sequitur Juvencus, 8. Ejus locus ex cap. XX, vers. 28, in versione Itala aliter, ac in Vulgata, 51 *seq.*
Maurolycus (Franciscus), 17 *et seq.*
Maximus Tyrius, 219.
Mazochius (Alex.), 80. Notatus, 315.
Mazzuchellius, 31.
Medela de virtute divina, 246.
Medium quid sit, 248 *seq.*
Melchisedech panem et vinum obtulit, 410.
Memini me invenisse, 159 *seq.*
Mendoza (Alfonsus), Theologus Hispanus, 97.
Menochius, 88, 95.
Mensatim, 260.
Mensura tibi, quam ponis, portanda est, 152.
Mercurialis Hieronymus, 299.
Meritum verum bonis justorum operibus in sacris litteris tribuitur, 288.
Metempsychoseos semina nulla in Juvenco, 213, 273 *seq.*
Methodus præsentis editionis, 57 *seq.*
Mihimet, 79.
Militia cœli, angeli, sive astra, 94.
Mille, et *centum* pro plurimis, 130.
Millius, 120.
Minciades cur Virgilius dictus, 65.
Minimus quis dicatur in Evangelio, 135.
Ministerium præbere mensis, 161.
Ministra adjective usurpatur, 364.
Miraculum in Cana an primum omnium, quæ fecit Jesus, 171. De quinque millibus hominum, saturatis quinque panibus, et duobus piscibus, 246 *seq.* De septem millibus, saturatis septem panibus, et paucis piscibus, 258 *seq.*
Miro, *miras* pro *miror*, *miraris*, 245.
Miror, *si*, 172.
Miseramen, et similia nomina, 341 *seq.*
Miserator, 190.
Miseri dicti peccatores, 185, 224.
Missale Gothicum, sive Isidorianum, 330.
Mobilia bona quænam sint, 526.
Moderamen, moderatio, 69, 135.
Molaris lapis in Evangelio quid sit, 278 *seq.*
Molimen, 138.
Molitio, 155.
Mollerus (Dan. Guil.), 27, 41. Joannes, 33.
Monosyllaba omnia produci possunt, 208. Quæ brevia censentur, sunt communia, 330.
Monstrare, deferre, indicare, 353.
Montfauconius, 7.
Morbi animi, 130.
Morelius, sive Morellus, 391.
Mors herbarum, 232.
Mortui audient vocem Filii Dei, 222 *seq.*
Moschus vetus poeta Græcus, 6.
Mox rarum est pro paulo ante, 255.
Moyses permisit repudium, et præcepit, libellum repudii dari, 285.
Mulier, quæ septem fratribus nupsit, 315.
Multifluus, 144.
Mundus, cœlum, 451.
Mundus flammis consumendus, 64.
Munera ultima, funus, 164, 199.
Muratorius (Ludovicus Antonius,) 20.
Musica funebris qualis olim fuerit, 199.
Mussare, *mussitare*, 241.
Mutatio numeri, 560. Vide *generis mutatio*, *temporum mutatio*.

N

N pro nomine personæ, 554.
Natalibus (Petrus de), episcop., 47 *seq.*
Natalis dies olim celebratus, 244.
Nathanael an distinctus sit a Bartholomæo apostolo, 173.
Nathanaelis vocatio, 171 *et seq.*
Navigium, 163.
Nebrissensis Antonius, 28, 35 *seq.* Juvencum non edidit, 2, 272.
Nec prius... nisi, 271.
Nectere, 113.
Nefas more interjectionis, 245.
Nemesianus, 240.
Nepos (Corn.), 103, 162.
Nephthala, 127.
Nequitia sæpe adhibetur pro inertia, 539.
Nescius passive pro *ignoratus*, 551.
Neus, et *Cneus* scribebatur, 4.
Nicaula nomen reginæ Austri, 228.
Nicodemum Jesus alloquitur, 180.
Nigronus Julius, 203.
Ninivitæ surgent in judicio, 227.
Nitefactus, 147.
Nitens, novus, 340.
Noe, et ejus filii a diluvio liberantur, 401.
Nomen pro persona adhibitum, 103.
Nomina gentilitia, 4. Quatuor nobilitatem indicabant, 8.
Nominalium theologia Salmanticæ in academia tradita, 31.
Nominum propriorum olim quantitas non satis certa, 256.
Nomisma, sive *numisma*, 315.
Nonius, 182, 247, 292, 309.
Norisius, 4.
Noster cum emphasi dictum, 365.
Notkerus Balbulus, 46.
Numen, 75.
Numerorum cap. IV, 87.
Numerus, h. e., multitudo, 202.
Nummularii ejecti e templo, 178.
Nuptiarum veterum ritus, 354.
Nutrimen, 336.

O

Objice, an *obice* scribendum, 521.
Objicibus crassis, 254.
Oblatio, 136.
Obreptans, 141.
Obscura legum, 113.
Obsessi exorcismis torquentur, 168.
Obtusus, sive *obtunsus*, 185, 228.
Obviam significat ex adverso, 300.
Obumbrare, 79.
Oculus nequam quid sit in Evangelio, 148.
Offensio lapidis ambigue dictum, 125.
Offerre, 136.
Oldius (Conradus), 116.
Olearius (Joannes Gottefridus), 50.
Oliva an patria Juvenci, 15 *seq.*
Olivum aliquando pro unguento, 353.
Omeisius (Magnus Daniel), 39 *seqq.* Rejicitur, 67, 175, 220, 251, 359.
Omnia legis, 105. *Patris*, 214.
Opera bona justorum vere merentur augmentum gratiæ, etc., 135.
Opertum nomen substantivum, 170.
Orama, *oroma*, sive *horama*, 272.
Orare, 71, 189.
Orare oportet, 153.
Oratio cum jejunio laudatur, 276. Dominica, 145 *seq.* Sine ostentatione peragenda, 144 *seq.*
Ordo de dispositione arborum, 299.
Orentius, sive Orientius poeta vetus Hispanus, 45 *seq.*
Orthographia codicum Vaticanorum, 25.
Oseas cap. XI, 110.
Ostentatio diligenter vitanda, 145.
Otho Henricus, 354.
Ovidius, 63 *seq.*, 65 *seq.*, 83, 94, 119, 125, 128, 130 *seq.*, 136, 144, 153, 163, 193, 195, 208, 223, 244, 248 *seq.*, 256, 266, 305, 309, 317, 324, 327, 336, 355, 364, 367, 379.

P

Pabula, 132.
Paciaudus, 9.
Pacta puella de qua dicatur, 89.
Pacuvius, 84.
Padilla, 43.
Pagius, 389.
Pala instrumentum rusticum, scilicet ventilabrum, 119.
Palladius, 28.
Palla a poetis tribuitur nocti, 162.
Pallor vultus medicamento a veteribus studiose procuratus, 147.
Palmeta plurima Judææ, 301.
Panes Hebræorum facilius, quam nostri frangebantur, 247.
Panis Judaicus ad fractionem aptus, 356.
Panis supersubstantialis, 146.
Papias, 458.
Parabola de decem virginibus, 333 *seq.* De eo, qui filios habens, ire eos in vineam jussit, 306 *seq.* De fermento, 239. De grano sinapis, 238. De invitatis, qui contemnunt venire ad nuptias, 310. De operariis in vinea conductis, 292. Panni scissuræ, et utris, 195. De regno cœlorum, simili domino ponenti rationem cum servis, etc., 282. De tritico, et zizania, 237, 240. Seminantis, 231 *seq.* De talentis, 337. De Vinitoribus, qui interficiunt ad se missos, 308.
Paradisus, 393 *seq.*
Paralipom. lib. I, cap. VI, 140; XIV, 62, 69.
Paratus, apparatus, 270.
Parendum est etiam æqualibus, 142.
Parentes, propinqui, consanguinei, 78.
Parentibus subvenire tenentur filii, 253.
Parere, 74.
Par pari referre, veteri lege permissum, nova prohibitum, 141 *seq.*
Parvi, pueri, 278.
Parvus (Joannes), 31.
Paschæ dies primus quisnam fuerit, 354.
Passerum pretium vilissimum, 207.
Passimque hinc inde, 116.
Passio D. N. J. C., 352 *seqq.*
Patinia (Gabriel Carola), 389.
Patres, viri seniores, et religiosi, 381 *seq.*
Pavitantia, 83.
Paulinus, 20, 70, 102, 116, 219, 254, 448. Petrocorius, 68, 302.
Paulus ad Corinth. ep. I, cap. I, 348; XV, 316. Ad Ephes. V, 117. Ad Hebr. I, 67.
Peccata interna inquinant hominem, non autem cibum sumere illotis manibus, 251.
Peccatum contra Spiritum sanctum non remittetur, 221.
Pectus, cogitatio, 170. *Hominis* pro homine, 168.
Peplum, 198.
Perblandus, 156.
Per cuncta, 201. *Inane*, 162. *Longa*, 332. *Mensas*, 177. *Prona*, 154.
Percuncto active, 302.
Perdonare, 169 *seq.*
Perfectus, 143.
Perminimus, 295.
Permitto, 78.
Perosus passive, 286.
Persius, 50, 44, 284.
Perspector, 188.
Perstat interdum cum infinitivo, 284.
Pestes in plurali, 524.
Petavius, 92.
Petit, *vide* Paryus (Joannes).
Petrarcha (Franciscus), 29, 46.
Petronius Arbiter, 381.
Petrus Aurorarius, sive Rigensis, 62, 66. Chrysologus, 70.

Petrus vocatur a Christo, 128. *Præsolidus*, *ibid*. Christum filium Dei confitetur, 264. Petra, super quam ædificata est Ecclesia, 265. Tributum solvere jubetur, 276 *seq*. Auriculam servo abscindit, 363. Ter Christum abnegat, 367. Ejus socrus a febri liberata, 161.
Pezius (Bernardus), 20.
Pfeiffer (Joannes Philippus), 290.
Phædrus, 257.
Pharaonis somnia a Josepho explicata, 458.
Pharisæorum doctrina perversa de non honorandis parentibus, 253. Doctrina bona tenenda, opera mala fugienda, 319 *seq*. Ipsis, signum petentibus, Jonæ, et Ninivitarum signum datur, 227. *Vide* Scribæ.
Philippus ad apostolatum vocatur, 171.
Pichler, 251.
Pignora, liberi, 316.
Piguorius, 176, 309.
Pilatus Jesum morti addicit, 369 *seqq*.
Pinius (Elias), 10.
Pisaurensis collectio poetarum, 10.
Pithœus (Petrus), 5, 502.
Pius VI, 55.
Planus, nebulo, 383.
Platina, 50.
Plautus, 93. 145, 169, 214 *seq*., 238, 252, 308, 331, 350, 381.
Plebes in singulari, 131, pro *plebs*, 27, 580.
Plebs cœlestis, angeli, 94. Discipulorum, 235.
Pleno ævo, 87.
Pleonasmus, 181, 189, 191.
Plerusque in singulari, 72.
Plinius, 102, 111, 149, 219, 292, 301, 306; 319, 336, 448.
Plinius Junior, 64, 91, 249.
Plurima terræ, 90.
Pocula, potus, 187.
Poelmannus (Theodorus) emendavit et edidit Juvéncum, 34 *seq*.
Pœna late sumitur pro malo, 341.
Poetæ æternitatem sibi promittunt, 65 *seq*. Ethnici mendaces, 66 *seq*. Eorum gloria, 65, 66 *seq*. Poetarum Christianorum lectio commendatur, 48 *seq*. Poetarum omnium collectiones, 39.
Polire, verbum rei rusticæ, 292.
Poli vertigo, 65.
Polycarpus (S.), 118.
Pomum, 303.
Pondera verbi, 113.
Pondere sermonis, 314.
Pondus, calamitas, 327. Uteri, 87.
Ponere animam, 298. *Convivia*, 247. *Curas*. 205. *Leges*, 315.
Populor de igne, 119.
Populus, 112. Multitudo, 215, 248.
Portare, 94, 209.
Posco cum duobus accusativis, 187.
Positivum pro superlativo, 300.
Possevinus, 50.
Possibilis, 291.
Posterius adverbium, 144.
Potamius, 345.
Potentia monstra, 327.
Poterimus, penultima longa, 378.
Potior, *potiris*, *potior poteris*, 190.
Potis est, 225.
Potus, metaphorice, 132.
Præceleris, 316.
Præ, compositis hac præpositione delectatur Juvencus, 291.
Præcepta duo, quibus omnia dependent, 318.
Præceptum Dei dictum de lege obitus, 449.
Præda, 194.
Prædestinatus, 214.
Prædulcis, 113.
Præfatio prima Juvenci ex mss., 25.
Præfulgidus, 270.
Prælargus, 311.
Prænomen Juvenci investigatur, 4.
Præpandere, 291.
Præparvus, 238.
Præpositio a poetis sæpe omissa, 108.
Præpulchra, 129.
Præsepe Salvatoris ligneum, 93.
Præstringo, sive *perstringo*, 234.
Præteriet, pro præteribit, 330.
Præterit per culta, 215.
Prætumidus, 144.
Pravum adverbium, 148.
Precari per talia dicta, 175.
Preces, quibus veteres veniam pro extremo die judicii a Deo postulabant, 67.
Preco, *precas*, 247.
Premo, *supprimo*, 242.
Pressare, 236.
Presso vomere, 149.
Pricæus (Joannes), 40.
Primus et alter, 109.
Priores, majores, 135.
Priscianus, 220, 247. Notatur, 281.
Proba Falconia, 59, 397. Ejus Cento, 21.
Pro certo gemit, 123. *Fonte*, 190.
Procul. 130.
Prodere, deserere, 252.
Profano, prima producta, 216.
Profatur ad matres, 384.
Profiteri, 92.
Profundere, prima communi, 178.
Profundum, 217. Mare, 165. Substantive, 261.
Prono lumine, 162.
Pronus, 154 *seq*.
Properatim, 335.
Propertius, 65, 119, 316, 353.
Propheta in patria sua sine honore est, 241.
Prophetare, 367.
Prophetes, 102.
Propitius, prima producta, 71.
Proprius pro *suus*, 268.
Prospector, 188.
Prosper Aquitanus, 9, 20, 42.
Proturbare, 274.
Provenio, 361.
Proximus substantive, 289.
Psalm. XLVII, 140.
Pseudoprophetæ maxime vitandi, 155.
Prudentius, 8, 20, 28, 32, 34, 36, 64, 68, 71, 74 *seq*., 84 *seq*., 87, 89, 92 *seq*., 103 *seqq*., 107, 115 *seq*., 118, 123, 125, 127. 129, 132, 138, 147, 151, 154, 159, 162, 165 *seq*., 170, 181, 184, 189, 197 *seqq*., 220, 229 *seq*., 233, 236, 239, 244, 249, 254 *seqq*., 258, 264 *seq*., 268, 278 *seq*., 282, 293, 315, 318, 321, 325, 329, 333, 345, 351, 359 *seq*., 367, 382. Facile princeps poetarum Christianorum, 1 *seq*.
Prudentius junior Hispanus, 88.
Publicanorum convivium, 194.
Puella, 353.
Pueri arcendi non sunt a benedictionibus, 287. Non sunt decipiendi: qui vero eos deceperit, seu scandalizaverit, pœnas daturus est, 278.
Puerperas visendi mos vetus, 85.
Puer, servus, 159.
Pugillares, 86.
Pugnare cum dativo pro *repugnare*, 366.
Pulcher, bonus, 177.
Pulsare, vexare, 252.
Pupare, verbum infimi ævi pro crescere, 438.
Purgare, 158.
Purificatio Mariæ Virginis, 96 *seq*.
Puteum reperitur neutro genere, 187.

Q

Quadraginta, postrema communi, 179.
Quadrifidus, 330.
Quærere, 223. Pro lucrari, 294.
Quæso, *quæsumus* pro *peto*, *oro*, 107, 113.
Quæstus, 308.
Quam magis, 153.
Quarantana mons, in quo jejunasse Christus dicitur, 122.
Quaresmius, 349.
Querela, *vixit sine querela*, 69 *seq*.
Quesnellus, 53.
Quintilianus, 119, 134, 171, 212, 278, 282, 289, 291, 345.
Quintus Vettius Aquilinus consul, 6.
Quis productum, 330.
Quisque pro *quicumque*, 278. Pro *quisquis*, 157.

R

Rabanus Maurus, 67.
Rabe (Paulus), 116.
Raca quid sit, 136.
Rachel uxor patriarchæ Jacob, 426 *seq*.
Rama quid significet, 110.
Ratbertus, 168.
Ravisius, 205.
Raynaudus Theophilus, 573.
Rebecca Isaaci uxor, 420 *seq*.
Receptare, 131.
Reciprocum pro relativo, 190 *seq*.
Recurrere, 234.
Reddere pœnas, 136.
Redimibit adhibitum pro redimiet, 332.
Reditus melius scribitur, quam *redditus*, 451.
Refert, impersonale, prima producta, 139.
Reggius (Joseph Antonius), 42.
Regina Austri an Nicaula dicta, 228.
Reguli filius quisnam fuerit, 193.
Reinesius, 21, 62.
Reliquiæ sanctorum cultu dignæ, 251.
Remeare patriam pro in patriam, 111 *seq*.
Repedare, 84.
Repens pro *repente*, 159. A verbo *repo*, prima longa, *ibid*.
Repertor terræ Deus, 74.
Repetere, 326.
Repudiare viros feminis non licebat, 286.
Repudii libellus a Moyse permissus, 139.
Repudium quo sensu permissum Judæis, 285 *seq*.
Repulsus honore pro *ab honore*, 223.
Res, 147 *seq*.
Resendius, 16.
Resipisse, 109, 257.
Resistere, 238.
Resolvo, libero, 378.
Respondo tertiæ conjugationis pro *respondeo*, 342.
Respuo, 191.
Resurrectio Christi qua hora, 179.
Resurrectionis Dominicæ die pœnæ damnatorum ex quorumdam veterum sententia mitigatæ fuerunt, 457.
Retentare, 113, 234.
Retexo, 215.
Reticius, 45.
Retondeo, 306.
Retracto, 170.
Recursus, 161.
Reusch Erhardus editor Juvenci cum notis variorum, 27, 39 *seqq*. Notatus, 74, 148, 212, 218, 284, 359, 377, 387.
Revigescere, 182.
Reviso, 93.
Revocare, prandii vicem reddere, 311.
Reyherus (Sam.), 377.
Rhomphæa, 102.
Ri subjunctivi variant poetæ, 153.
Rivetus (Andreas), 389.
Rivinus (Andreas), 10, 391.
Roa (Martinus), 196, 244.
Roboreæ portæ firmæ censebantur; 266.
Robora membrorum, 130.
Robrius, 356.
Roden (Daniel), 97.

Rogare pro adorare, 71, 251.
Rogationes ecclesiasticæ cur sic nominatæ, 71.
Roma æterna, aurea dicta, 64.
Roman de la Higuera (Hieronymus) refellitur, 17.
Rombachius (Hermannus), 97.
Rostia (Maria Dorothea) Hispana, 41.
Rottendorphius, 27.
Rudis, novus, 181.
Ruere, 116.
Rugio, prima correpta, 62.
Rumpere pectore vocem, 349.
Rupellensis P., 37.
Ruralis, 116.
Rusticus Helpidius, 116.
Rutilius, 335.
Rutilus an poeta Christianus, 46.

S

Sabatier (Petrus), 51. Notatur, 72, 74, 105, 222, 383.
Sacramentum Eucharistiæ a Christo instituitur, 353 *seq.*
Sadducæi, an *Saducæi*, 315.
Sævus, vide *Scævus*, 315.
Salas (Gregorius), 15.
Sallustius, 75, 136, 144, 265.
Salmanticæ olim erecta cathedra Gregorii Ariminensis, 31.
Salmasius, 371.
Salomon Constant. episc., 46.
Salomonis potentia, 149 *seq.*
Saltandi vetus ars, 244.
Saltem pro *solum*, *tantum*, 154.
Sal terræ apostoli nuncupati, 153.
Salvator, 161.
Salvianus Massiliensis, 10.
Salutationes frequentes apud veteres, 319 *seq.*
Samaritanam mulierem Jesus alloquitur, 185 *seq.*
Samaritum pro *Samaritarum*, 187. Varia quantitate, *ibid. et* 192.
Sanctifico, *sanctificus*, 67 *seq.*, 145.
Sanctius, 242.
Sanctorum catalogo pauci olim ascripti præter martyres, 17.
Sanctum, sanctuarium, 70.
Sanctus, Christus, 164.
Sandinius, 92.
Sannazarius (Jacobus), 58, 92.
Sapientiæ cap. I, 330.
Sara Abrahami uxor, 406 *et seqq.*
Satias melius, quam *saties*, 149.
Saubertus (Joannes), 40.
Scævus, et *sævus* inter se confusa, 107.
Scaliger, 205.
Scandala removenda, 138 *et seq.*
Scelus de impudicitia, 245. Pro scelerato, 123 *seq.*, 126, 370, 374.
Schefferus, 281.
Scherffius (Samuel), 92.
Schoettgenius (Christianus), 39. Notatur, 105, 112.
Scioppius, 242.
Scribæ conveniunt in unum, ut Jesum occidant, 352.
Scribæ et Pharisæi increpantur, 319.
Scribonius Largus, 209.
Scrupeus, 154.
Secla, mundus, 278.
Secreta cœli, 93. *Cordis*, *mentis*, 113, 123, 207. *Poli*, 454.
Secreto, *secrete*, 259.
Secretus, 119, 241.
Sectari, 205, 222.
Sedes de tumulo non raro occurrit, 349.
Sedulius, 12, 20, 22 *seq.*, 32, 34 *seqq.*, 43, 46, 63, 76, 87, 93, 161, 166, 169, 175, 197, 210, 213, 223, 247, 282, 290, 303, 311 *seq.*, 362, 367, 375.
Seneca philos., 65, 154, 210. Seneca trag., 252, 327.
Septa, sepes, 310.
Sepulcra dealbata, 321. In Judæa quali forma, 349. Veterum quali forma, 384. Sepulcrum corporis Domini, 381 *seq.*
Sequi, 141, 143.
Serenum substantive pro serenitas, 261.
Serenus Sammonicus, 147.
Serpens in paradiso Evam decipiens, 394.
Serryus, 92.
Serus repetit pro *sero repetit*, 259.
Servare diem, 78.
Servator, 161.
Servi clavatores, 362. Custodes domorum, 332.
Servius, 130, 200.
Servus immitis a Domino punitus, 283.
Severus Sulpicius, 32, 42.
Sextus Rufus, 13.
Sibi aliquando superfluum est, 209, 259.
Sibyllæ versus, 22.
Sicardus Cremonensis, 104.
Sichar, Sichem, Sichima, 186, 446.
Sichem occisus a filiis Jacob, 451.
Sidonius Apollinaris, 298, 333.
Si eleganter aliquando omittitur, 305.
Signa judicii extremi exponuntur, 323.
Signare, 372.
Sigonius, 4.
Silenter, 283.
Silicernium, 99.
Silius, 91, 93, 123, 154, 167, 212, 283, 448.
Simeon senex, 98 *seq.*
Similis Domini virtus, 206.
Simon Cyrenæus, 376. Leprosus cur ita nominatus, 352.
Simon, *Simonis* varia quantitate, 128.
Simonius (Richardus), 53, 387.
Simulare, 121. *Simulatio*, 213.
Sinape, *sinapis*, 276.
Sine fine, 198. *Nomine truncus*, 246. *Querela*, 69.
Sinuamen, 82.
Sinuosa volumina, 128.
Si pro *an*, 281, 296, 365. Pro *num*, 348.
Siricius, papa, 252.
Sirletus, card., 64.
Sirmondus, 8, 214, 298.
Siticines quinam, 199.
Sive, pro *vel si*, 221.
Smyrna, 65.
Smyrnæorum epistola, 118.
Sociabile vinclum, 316.
Sodomæ incendium descriptum, 414 *seq.*
Sol in fine versus interdum ponitur, 329.
Solers notare, 104.
Soles, dies, 125.
Sollicitare, 149.
Solidus, monetæ genus, 276.
Solvi in ignes, 330. *Sopore*, 335.
Solymi, 103.
Sommerin (Joann.), 290.
Somnia a Josepho explicata, 437. Aliquando a Deo immissa, 88.
Sonare, *somere*, 81, 86.
Sonavi a *sono*, 367.
Sonipes, 155.
Sophocles, 64.
Sopora nox, 248.
Sordida adverbii more positum, 332.
Sordidus labor rusticorum quo sensu, 306.
Sordifluus, 460.
Sors, 339. Patris filius, 193.
Sorte, 70.
Spanhemius (Fridericus), 116.
Species animæ, 115.
Spencerus, 113.
Spizelius, 23
Spondaicus versus aliquando opportunus, 338.
Spongus, spongia, 380.
Sponsa, 89. Sponsalia, 88, 90.
Spontaneus, 151, 156.
Spumæ descriptio, 176.
Squamæ in leprosis sæpe apparent, 210.
Stamen, 211.
Statio militum, stationes ecclesiasticæ, 249.
Statius, 65, 110, 112, 167, 184, 244, 335, 386.
Stella Magorum dux, 103 *seq.*
Sterilitas dedecori Judæis erat, 70, 76.
Sternere pacem, 166.
Stolberg (Balthasar), 97.
Strabo, sive Strabus imitatur Juvencum, 66.
Stramen, 211.
Strata, *stratæ*, 112.
Stratum, 170.
Strauchius, 92.
Strictura, 236.
Struere convivia, 244.
Stupeo cum accusativo, 158, 190.
Suadeo cum accusativo, 154.
Sua, *in sua*, 248.
Suarius (Franciscus), 77.
Subigere pascua, 168.
Sublimare, 254.
Sub pro *in*, 242, 262. Sæpe superfluum, 136, 166, 209.
Substantia, 226, 252, 339. *Animæ*, 210. Panis, 124, 146. Salis, 133. Vocis, 201.
Succedere, 203. *Tectis*, 164.
Suendi modus veterum, 196.
Suetonius, 108, 136, 295.
Sufficit diei malitia sua, 152.
Suffocare metaphorice dictum, 282.
Suggillare, 233, 282.
Sui, 241.
Sulcare de flamma eleganter, 106.
Sulpicia, 65.
Summa significat complementum, 212.
Summas aures, 235.
Summittere colla cogebantur bello capti, 166.
Superare usurpatum pro *superesse*, 327.
Super cum genitivo, 165. Pro *desuper*, 162. *Insuper*, 188, 281.
Superincrepito, 178.
Suppressa voce, 83.
Supra præpositio postposita, 279.
Surgere, 180.
Suspendium informe lethum, 373.
Suspensus, 249.
Suspicio, *suscipio* verba inter se confusa, 305.
Suspicio nomen scribitur etiam *suspectio*, 356. Secunda in *suspicio* producitur, *ibid.*
Sustollo, 165.
Susurrare, inde *susurrones*, 241.
Swartius Eusthatius laudat Juvencum, 49.
Synedrion Hebræorum tribunal, 136.
Synodus, *vide supra* Concilium.
Synthesis, sive synesis figura, 169, 296, 302, 310, 316.
Syrophœnissæ mulieris filiam a dæmonio liberat Jesus, 256.
Syxtus, *vide* Xystus.

T

Tabingius Joannes, 175.
Tabulatum, 165.
Tacitus, 70, 120, 139, 145, 244, 259, 263, 316, 331, 333, 353, 361, 373.
Tædæ in nuptiis celebrandis adhibitæ, 335 *seq.* Virgineæ, 77.
Talenta, quæ servis data sunt ad exercendum, 337.
Tamayus de Salazar (Joann.) rejicitur, 15 *seqq.*
Tanta, tot, 201.
Tanti, tot, 351, 364.
Tantum, tantopere, 75, 115.
Tarapha (Franciscus), 19.
Tartarus insatiabilis, 243.
Tatianus, 58.
Templum Hierosolymitanum quadraginta et sex annis ædificatum, 179. Ejus subversio prædicitur, 322 *seq.*
Temporum mutatio, 323, 341, 383.

Tempus pro utroque tempore, 563.
Tendere pro *iter facere*, 172 *seq.*
Tenebræ exteriores quid sint, 160, 513. In luctu funebri, 347.
Teneræ auræ, 75.
Tenere vitam, 124.
Terentius, 94, 106, 135, 147, 172, 308, 314, 565.
Terga terræ, 149.
Ternus, trinus, 84.
Terrificare, 250.
Tertia lumina solis, 179.
Tertullianus, 10, 80, 114, 119, 190, 212, 234, 257, 285, 302, 316, 330, 571.
Textum substantive positum, 377.
Thamar, 433.
Thanner Jacobus, 34.
Theocritus, 141.
Theodulphus Aurelianensis, 46.
Theophilactus, 79, 174 *seq.*, 177.
Theophilus Antiochenus. 58.
Thesauro terrestri invigilare non oportet, sed cœlesti, 147.
Thomasinus, 21.
Thomasius (Gothofredus), 41.
Thomasius (Jacobus) refellitur, 62.
Thomas (S.), 76, 121.
Thronus, 84, 134.
Tibiarum usus in funeribus, 199.
Tibullus, 145.
Tichonius, 329.
Tillemontius, 92.
Tinea, prima communi, 147.
Tiphernus, 32.
Tiraboschius Hieronymus, 31.
Titus Probus, 4.
Toletus, 177.
Totum, omnia, 362.
Tractare, 113, 291. *Lumen oculis*, 115. *Pecuniam*, 337. Verbum ecclesiasticum, 197.
Traducere uxorem, 88.
Trahere, 75.
Transfiguratio Domini in monte, 269.
Transfluere, 293.
Trans meritum, 282. *Sidera*, 135.
Transvolvere, 276.
Trebellius Pollio, 189.
Trepida mens, 74.
Trepidatio, 145.
Tributum Cæsari reddendum, 314 *seq.* Solvit Jesus, 276 *seq.*
Tricliniarcha, 176.
Tricliniares servi, 176.
Triclinium veterum describitur, 298 *seq.*
Tri: b I Laurentius Bened., 97.
Trinus, ternus, 84.
Trithemius Joannes, 29, 47 *seq.*
Triticum album alicubi reperitur, 191.
Tritura, tribulatio, 256.
Triumphus Salvatoris, ingredientis Hierosolymam, 301. Christi heroicus, Carmen, 456 *seqq.*
Trombellius, 94.
Truncare, 287.
Tubæ stridor, et clangor tribuitur, 330.
Tubarum usus in funeribus, 199.
Tueor an passive accipi possit, 453.
Tueri, 132.
Tumultus, 201.
Tunica inconsutilis Christi, 577.
Turbo translate, 364.
Turnebus, 69.
Turris Babel, 406.
Tursellinus, 175.
Turtures, *vide* Columbæ.
Tyrus, prima vocali correpta, 256.

U

Ultima pro *ultimo*, 565. Substantivi more, 295.
Umbraculum, 173.
Umbræ defuncti vocati, 455.
Undisonus, 277.
Unicus, unigenitus filius, 271.
Unus, et alter, 109. Pro *aliquis*, 180.
Unum per duo, *vide* Hendiadys.
Urgeo cum infinitivo, 110, 576.
Ursinus Fulvius, 299.
Utilitas conferendi codd. mss. pro variis lectionibus, 56.
Utres, prima correpta, 196 *seq.*
Uxor non dimittenda nisi ob fornicationem, 285 *seq.* Non repudianda, 139.

V

Vacuum fuit, 265.
Valens Gonzaga em. cardinalis, 34.
Valerius Flaccus, 82, 89, 270, 345, 350. Maximus, 4, 289. Probus, 28.
Valla, 70, 242.
Vallarsius, 3. Notatur, 8.
Vallettæ bibliotheca, 21.
Variæ lectiones nihil obsunt, et prodesse multum possunt, 57.
Varenus (August.), 121.
Varro, 6, 247, 251, 310.
Vasæus, 42.
Vates sacerdotes dicti, 69, 105.
Vecknerus, 116.
Velamina templi Hierosolymitani, 380.
Velivolum mare, 163.
Vel post *aut*, 148. Pro *et*, 300.
Venenum in utramque partem accipitur, 221. Vox invidi, 125.
Venerandus passive sumptum, 310.
Venero activum, 189.
Venia danda erranti septuagies septies, 281. Supplicibus facile concedenda, 285.
Venire tibi in verba, 72. *Viam*, 105.
Venit pro *est*, 267.
Verberat vox aures, 330.
Veridicus, 188.
Verpus, Judæus, 140.
Versus quidam graves, 333. Spondaicus sine ullo dactylo, 354, 372.
Vesper, hesperus, 382. Vesperus, 294.
Vestigia, 133, 140.
Vestire lumine metaphorice, 151, 271.
Vestium, et ciborum nimia sollicitudo fugienda, 148 *seq.*
Vettius Aquilinus consul, 5 *seq.*, seu Vectius, 4 *seq.*
Vetto Cæcilius. 16.
Vettones populi, seu Vectones, 4.
Via perditionis lata, cœli angusta, 154.
Via, ratio vitæ, 171.
Viare, 87.
Vibrare, 241.
Vicibus omnibus annorum, 111.
Vicissitudo perpetua rerum, 452.
Victor, 80. Marius, 123, 267, 395.
Victorinus Afer, 11, 79. Pictaviensis, seu Petavionensis, 11, 351.
Victus facilis, 149.
Videre mortem, 98.
Vigiliæ noctis quatuor numerantur, 249.
Vigilius Tapsensis, 80, 108.
Vincentius Bellovacensis, 43.
Vincla corporis, 100.
Vinclum sociabile, 316.
Vinetum a vinea differt, 292.
Vinum, lætitiæ liquor, 175.
Virentia substantivi more, 151.
Virgilii laus, 65.
Virgilio familiaris erat hiatus, 183.
Virgilium passim imitatur Juvencus, 243.
Virgilius, 14, 64, 68, 71 *seqq.*, 75 *seq.*, 78, 83, 85, 94, 103, 106, 109 *seq.*, 112 *seq.*, 117, 126, 128 *seqq.*, 140, 149, 155, 156 *seqq.*, 160, 164 *seqq.*, 168, 174, 176 *seqq.*, 182, 187, 189, 191 *seq.*, 199 *seq.*, 201, 207, 209, 215, 228 *seqq.*, 240 *seq.*, 245, 246 *seq.*, 254, 261, 268 *seq.*, 271, 275, 279, 287, 292 *seqq.*, 299 *seq.*, 304 *seq.*, 322, 324, 326 *seq.*, 351 *seq.*, 356, 340, 345, 358 *seq.*, 364, 369, 371, 373, 386, 396, 405, 436, 454, 457.
Virginea tecta, 77.
Virginum Judæarum asceteria, 77.
Viror, 238.
Virtus aliquando in malam partem accipitur, 167. *Virtus corporis* pro *corpus*, 137.
Virtutes, scilicet miracula, 156, 175.
Viscus, 82.
Visere, visitare, 86.
Vis livida, 124. *Tetra veneni*, 141.
Vita delicit, cum calor abest, 349.
Vitæ in plurali, 168.
Vitia aliena quonam pacto corrigere oporteat, 280.
Vitreus, 120.
Viva aqua, 187.
Vives (Joannes Ludovicus), 50.
Vivificus, 386.
Vocari pro *esse* in sacris litteris, 80.
Voco cum infinitivo, 160. Pro *invito ad cœnam*, *ibid.*, 311.
Vogelius (Daniel), 92.
Vogt (Joannes), 7.
Volaterranus, 50.
Volvenda dies, 85.
Voluisse tuum, ut *velle tuum*, 158.
Volumina cordis, 102. *Sinuosa*, 128. *Petræ*, 382.
Vonck (Cornelius Valerius), 75.
Vopiscus, 7.
Vorstius (Jo.), 180.
Vossius (Gerard. Joann.), 50, 102.
Vota de nuptiis dici solet, 195.
Votum, 145.
Vox est ictus aer, 210.
Vox pro sono, 182.
Vueda (Comes), 33.
Wasius, 219, 317.
Wegnerus (Gothofredus), 92.
Weitzius (Joann.), 20, 50.
Westhemerus (Bartholomæus), 35.
Wetstenius (Joannes Jacobus), 55.
Witechindus, 64.
Wicelius (Georgius), 9.
Wilkius (Andreas), 9, 39, 50. Rejicitur, 78.
Vulnus pro injuria, et pro scelere, 282.
Vulpius, 248.
Wolfius (Joannes Christ.), 118, 334.
Wopkensius, 195.

X

Xystus Senensis, 14, 50.

Z

Zabulon, seu Zabulonum terra, 127.
Zacharias (Franc. Antonius), 115, 344.
Zebedeus, 129. Ejus uxor pro filiis supplex Christum precatur, 295.
Zehnerus (Joach.), 24, 41.
Zehnerus (Joannes), 38.
Zizania in Evangelio quid sint, 237, 240. Amara sunt, 237.
Zosimus, Constantini laudibus detrahens, rejicitur, 388.
Zovenzonius (Raphael), hymnographus, 32.

INDEX

RERUM, NOMINUM, ET VERBORUM,

Quæ in Prolegomenis, Operibus Sedulii, et Scholiis explicantur, et continentur.

Numeri respondent seriei crassiorum numerorum qui textui inseruntur a col. 433 hujus tomi usque ad 794.

A

Abbo, 594.
Abducere retro, 254.
Abel, et Cain, 362.
Abgari ad Jesum epistola apocrypha, 426.
Ablativus absolutus, 277. In *e* et *i*, 203.
Ablutus secunda brevi, 503.
Abraham, 166 *seq.*
Abraxeæ gemmæ, 307.
Abundantius, 40 *seq.*
Abusti, *obusti*, 352.
Ac, et *at* confusa in mss. 167.
Accepta vox, 302.
Accola, et *incola*, 299.
Accubitare, 151.
Achæmenia ira, 176.
Achilles Statius, 79.
Acrostichi carminis lex, 398.
Acrostichis Belisarii, 394. Liberii, 397. *Vide* Anacrostichis.
Acta martyrum interdum apocrypha, 416. *Vide* Gesta SS. martyrum.
Actus Andreæ, et aliorum apocryphi, 421.
Actus prophetarum quodnam Sedulii carmen, 48.
Adam ejectus e paradiso, 179. Cognitio ejus supernaturalis an vera fides supernaturalis fuerit, 132.
Adami posteri, 361.
Adefonsus episcopus, 18.
Adelberti oratio apocrypha, 439.
Ademarus, 394.
Adeptus, et *ademptus*, 161.
Ades pro *es*, *ibid.*
Adjectivorum usus improprius, 142.
Adjectivum neutrum plurale jungitur substantivo in genitivo, 169.
Adire solemnia mensæ, 152.
Adoptianorum fraudulenta hæresis, 112 *seq.*
Adoptio pro assumptione, 128.
Adoro, et *adopto*, 270, 564.
Adoro, *adorno*, *adopto*, *adapto* inter se in mss. commutata, 109, 126.
Adrianus I, 126.
Adultera liberatur, 300.
Adusti, *obusti*, *abusti*, 352.
Ædiwaldus, 101.
Ædituus, 106.
Aereus, *aerius*, 174.
Æsculapius, 182.
Æstimo pro *existimo*, 140.
Æthereus, *ætherius*, 174, 268.
Æthra pro *æthera*, 213.
Æthram, *æthra*, 315.
Agens, et *aiens*, 194.
Agit lumen, 169.
Agobardus, 114 *seq.*
Agroetii Orthographia 84.
Agroetius grammaticus, an exstiterit, 379.
Ait, et *agit* confusa, 190.
Alardus, 174.
Albania bibliotheca, 51.
Albinus, *vide* Alcuinus.
Alcimus Avitus, 48, 163.
Alcuinus 16, 100, 372 *seqq.* Felicis impugnator, 112 *seq.* Ejus Homiliarium, 203.
Adhelmus, 154, 157, 174, 178, 394.
Sedulii imitator, 31, 97.
Aldus editor Sedulii, 60.
Alere, 206. Pro *inflare*, 225.
Alexander Natalis notatur, 37.
Aliger gallus, 319.
Allecti in senatum, 143.
Almeloveen Theodorus Jansonius, 53.
Alpha, et ω Deus, 268 *seq.*
Altilitas, 277.
Alva refellitur 22.
Amalarius 333. *Vide* Fortunatus.
Ambrosianum pro hymno, 572.
Ambrosius (S.), 415.
Ambrosius Camaldulensis, 54, 125.
Amici, et *amicti*, 169.
Amissæ vitæ, 290.
Amœnus poeta confusus cum Fortunato, 378.
Amort Eusebius, 401.
Amplum caput, 329.
Anacrostichis quid sit, 394.
Anacrostichorum carminum auctores, *ibid.*
Anacletus papa, 406.
Andlo (Petrus), 38.
Angelorum, sive potius dæmonum conficta nomina, 438 *seq.*
Angue, et *ungue*, 162.
Angustus, et *augustus*, 163.
Anhelans ignis, 267.
Anna S. non nupsit tribus, 46.
Annuntiatio B. V., 200.
Anonymus auctor De numeris, 82.
Ansigisus abbas, 408.
Antigraphum, 89.
Antiquitatis nihil ignorandum, 399.
Antistes episcopum sonat, 16.
Antonius (Nic.), 8, 16, 18, 61 *seq.*
Antonius poeta, 172.
Anubis, 182.
Anulla ab *anu*, 106.
Apex duodenus apostolici honoris, 195.
Apicii libri, 152.
Apis, 182.
Apocalypsis olim a nonnullis Græcis non recepta, 405.
Apocrypha in Ecclesiæ officio non recipiebantur, 413.
Apocryphæ scripturæ 403, 419 *seq.*
Apollinaris Syncletice, 145.
Aponius, 107.
Apostoli electi, 224 *seq.*
Apostolorum nomine plures libri apocryphi, 420 *seq.* Canones, 423.
Appendices ad Sedulium, 383.
Appono de conviviis, 154.
Aproniana gens, 75.
Apuleius, 166.
Aqua ex petra producta, 171. In vinum conversa, 237.
Aræ arboribus a paganis erectæ, 183.
Arator, 96, 100, 141, 161, 179, 195 *seq.*, 230, 262, 318, 525, 560.
Arbores a veteribus adoratæ, 183.
Arca Dei destruens hostes, 365.
Arcadia Theodosii soror, 24.
Arcadii et Honorii consulatus quintus, 89.
Arcadius imperator, 23.
Arctis, *artis*, *atris*, 282.
Arculfus, 35.
Arere, maturescere, 164.
Aries aris impositus, 167.
Ariminensis synodus damnata, 420.
Arius, 188.
Arma, consilia, 221, 515.
Arma de ludo, et pugna dicta, 141.
Arnobius junior, 55.
Arnolfus, 594.
Arntzenii tres, 225.
Arntzenius pater, 51.
Arntzenius (Henricus Joannes), editor Sedulii, 68. Quibus mss. codicibus usus, 51 *seq.* Rejicitur, 155, 160, 167 *seq.*, 174, 297, 300, 376. Notatur, 25, 32, 140 *seq.* Variæ ipsius lectiones sæpe fallunt, 396.
Artifex adjective, 333. *Codex*, 152.
Artificiosi versus, 46.
Artificum fraudes, 88.
Artisis, 105.
Ascaricus, episc., 37.
Asena Latinitas, 426.
Asina allocuta Balaam, 172.
Aspirationi vis consonantis tribuebatur, 584.
Asser Menenensis, 7, 100, 165.
Asterisci in bibliis, 431.
Asterii duo consules sæculo v, 75 *seq.*
Asterius Flavius anno 449 consul, 76. Emendator codicis Virgilii Medicei, 76, 78. Collector carminum Sedulii quisnam fuerit, 71 *seq.* Carmina Sedulii jam vulgata collegit, et majori ornatu edidit, 74. Non est auctor elegiæ *Cantemus*, 29, 91. Ipsius plura nomina, 74, 77. Epigramma, 392. An directum ad Gelasium, 85. An ad Macedonium, 75.
Asturius, *vide* Asterius.
At, et *ac*, 169.
Athanasius (S.), 404, 414, 420.
Athenæus pagus, 185.
Atheniensium superstitio paganis nomen fecit, 158.
Atra sepulcri, 339.
Attactu, 216 *seq.*, 286.
Atto Vercellensis decretum Gelasianum suis canonibus inseruit, 412.
Aubertinus, 35.
Auctor de Deo, 332. Qui futura prænonet, 322.
Auctor Declamationis in Sallustium, 141. Vitæ S. Adalberonis, 155. Vitæ S. Dunstani, 165. Vetus Vitæ S. Gerardi, 193. Vitæ S. Theobaldi Sedulium imitatur, 165. *Vide* Anonymus.
Auctores prisci fons omnium doctrinarum, 399.
Audebat, et *augebat*, 344.
Audere de igne, 177.
Augustalis (S.), 277.
Augustinus (S.), 95, 163, 351, 415. Verus ejus discipulus S. Thomas, 134. Venerabili ipsius nomine contra catholicam doctrinam abuti nefas, 133. Opus De pastoribus, etc., 38. Sermones nuper editi, 408 *seq.*
Avienus, 48, 211, 342.
Aurea præmia vitæ, 193. *Sidera*, 174.
Aurei disyllabum, 272.
Aurorarius, *vide* Petrus.
Ausonius, 47, 391.
Ayala, *vide* Interian.

B

B, et *v* confusa, 199, 284.
Babylonii tres pueri, 176.
Balbulus, *vide* Notkerus.
Balde (Jacobus) notatur, 381.
Baldericus, 155.
Ballerinii (fratres), 10, 403.
Baluzius, 80.
Bandinius (Joann. Bapt.), 53 *seq.*, 118.
Baptismatis typus, 170.
Baptizaturus, pro *baptizandus*, 215.
Barabbas, 523.
Bardus scriptor vitæ S. Anselmi Lucensis, 413.
Barthius Gaspar, 5. Annotator Sedulii, 69. Refellitur, 338. Affectata ejus obscuritas, 70.
Baruch cum Jeremia comprehendi solet, 432.
Basiliani hæretici, 308.
Basilius (S.), 143, 414.
Basnagius refutatur, 17.
Bayer (Franc. Perez), 37, 62, 378.
Baylius, 36, 90. Notatur, 61.
Beda (Ven.), 35, 37, 49, 96, 114 *seq.*, 168, 172 *seq.*, 187, 190, 203, 205, 281, 317, 333, 378. Imitator Sedulii, 51. Opinio ejus de metris expenditur, 37. Non probatur, 191, 311. Ipsius commentator in cod. ms. Vaticano, 97.
Belisarius dux, 93. Ejus inscriptio, *ibid.*
Belisarius poeta, 92 *seq.* Acrostichis ejus de Sedulio, 394.
Belsabia Latinitas, 427.
Benedictus XIV, 333.
Bentleius, 277.
Benzelius (Ericus), 52.
Bernardus (S.), 204. — Bernardus Toletan. antist., 56.
Beroaldus (Philippus), 47.
Berta (Franciscus), 40.
Biblia versiculis, capitulis, et asteriscis olim distincta, 430 *seqq.*
Bibliopolarum fraudes, 64.
Bibliotheca Albania, 51. Angelica, 24, 50. Basilicæ Vat., 123. Capituli canonicorum Viterbien., 120. Collegii Romani, 49 *seq.*, 122. Corsinia, 58. Florentina S. Crucis, 54. Laurentiana Florentina, 53 *seq.* Lipsiensis, 53. Regia Parisiensis, 57. S. Marci Venetiis, 60. Taurinensis, 24. Uffenbachiana, 32.
Bibliotheca Patrum, 66. Plures ipsius editiones, 148.
Bibliotheca pro *bibliis sacris*, 143.
Bibliothecæ Vaticanæ codices mss., 41 *seqq.*
Bibliothecæ a Montfauconio recensitæ, 53 *seq.*
Biblus, *byblus*, 156.
Bigne Margarinus, 23, 66.
Biscionius, 78.
Bivarius, 8.
Blandinus, 58, 143.
Bobiense monasterium, 40. Ejus catalogus ms., 57 *seq.*
Boilæus rejicitur, 439.
Bollandus, 58, 143, 416.
Bonada, 398.
Bonaventura (S.), 132.
Bonifacius episcopus, auctor Carminis de virtut. et vit., 327.
Bonifacius papa, 405.
Bonus de Christo, 340.
Borgia (Emin. Card. Steph.), 351.
Borgia (Alexander), *ibid.*
Borgianum museum, 307.
Borrichius (Olaus), 28, 102.
Brasichellensis, 25, 26.
Braulio, 37, 151.
Bresina Latinitas, 427.
Breviarium Mozarabicum, 372. Parisiense, 373. Romanum, 97, 213.
Brevis, exiguus, 254.
Brito (Gulielmus) imitatur Sedulium, 155.
Browerus, 394.
Burmannus (Secundus Petrus), 51 *seq.*
Burchardus, 81.
Burontius del Signore (Carolus), 412.
Buschius Hermannus, 58.

C

Cæca potestas, 271.
Cæci deformes sunt, 279. Et claudi sanantur, 280. Duo a Domino sanati, 279. Duo illuminati, 253.
Cæcus mutus dæmoniacus liberatur, 258. Natus videt, 301. Sanatur, 286.
Cærula ponti, 169. *Vaga*, 224.
Cæsareum, *cæsarium*, 272.
Cæsuræ ratio, 191. Vis, 167, 287.
Calchedonensis synodus, 413.
Calliopius, 87 *seq.*
Calmetus, 27.
Calphurnius, 50.
Calvitii laus, 46.
Camelus foramen acus penetrare nequit, 277.
Camerarius David, 18.
Camurus, 106.
Cana fides, 164.
Candida pompa, 290 *seq.*
Canis ore relambit, 301.
Canisius, 97.
Canistris gemmatis, 154.
Cannegieterus notatur, 153.
Canon divinorum librorum ex Gelasio, 408 *seq.* Librorum veteris, et novi Testamenti ex Damaso, 403 *seq.* Scripturarum divinarum in concilio III Carthaginensi ad omnes Ecclesias extensus, 410.
Canones apostolorum, 38, 423.
Canticum paschale, 22.
Canunt Deo, 374.
Caper, vetus scriptor, 288.
Capilupi Julius, et Lælius poetæ centonarii, 391.
Capitula in Bibliis, 432.
Cappusotus editor Sedulii, 58. Quibus codicibus mss. usus, 53.
Capri Orthographia, 48.
Carbasa pandere ponto, 242.
Carmen Paschale, 19 *seq.*, 151 *seq.* A Sedulio *Opus* vocatum, 147. Idem est, ac *de actibus prophetarum*, 31. Vivente Sedulio, editum, 150. Ejus tituli, 155.
Carmen de Incarnatione non est Sedulii, 53.
Carmen ineditum de virt., et vit., 327.
Carminum voluptas, 139.
Carolus Calvus, 46.
Casalbon Raphael, 62.
Casimirus (S.), 46.
Cassander (Georg.), 22, 62.
Cassianus (Joannes), 143. — Cassiani opuscula apocrypha, 425.
Cassianus (Christoph.), 18.
Cassiodorus, 53, 94, 191, 332 *seq.*
Castra pia, angeli, 192.
Casula urbs, 124.
Catalogus operum Sedulii, 18 *seq.*
Cathedra pestifera, 319.
Cato philosophus, 44.
Cautis pro *cautes*, 106.
Caveus refellitur, 410.
Cecropium venenum, 158, 183.
Cecrops simulacra reperit, 183.
Ceillierius notatur, 27.
Cellarius editor Sedulii, 67. Quibus mss. codicibus usus, 53. Impugnatur, 160, 163, 167, 241, 244, 290, 331, 339, 364.
Celsus (Constantinus), 87.
Cennius Cajetanus reprehenditur, 37.
Censores deputati ad judicandum de codice S. Hilarii, 109 *seqq.*
Census, patrimonium, 142.
Cento de Incarnatione, 384. Probæ, 26. Virgilianus, 34. Virgilianus non est Sedulii, 25. De Christo apocryphus, 425 *seq.*
Centonis leges, 391.
Centum ora, 163.
Cerea mala, *mella*, 153 *seq.*
Cervice bis bina, 247.
Chananææ filia liberatur, 264.
Chaos, *chao*, 163.
Character gothicus, 408.
Caraxare, 105.
Chiffletius (Petr. Franc.), 81, 400.
Chilpericus Sedulii imitator, 99.
Chlamys, qua indutus fuit Christus, 329.
Chorus poetarum, 67.
Christus *verbo genitus*, 269. *Columba* dictus, 369. Pastoribus nuntiatur, 204 *seqq.* Puer inter magistros legis, 214. Periculis sanctorum insertus, *ibid.* Statura pusillus non erat, 439. *Vide* Jesus.
Christi nomina, 401 *seq.* Natalis, 201 *seqq.* Descensus ad inferos, 179, 358. Apparitiones post resurrectionem, 351 *seq.* Mensura longitudinis, 439.
Chronicon Fontanellense, 408.
Chrysologus, 167.
Chrysostomus (Jo.), 27.
Cicero, 139, 141, 146, 153, 190, 228, 275, 278, 297, 394, 396.
Clathra neutro genere, 288.
Claudi sanantur, 280.
Claudianus Mamercus, 16, 50, 58, 104, 164, 173.
Clauso die, 248.
Claustra genarum, 302.
Clementis (S.) nomine libri apocryphi, 421.
Clementis Alexandrini opera apocrypha, 425.
Clictoveus, 370.
Clypeus, et *murus* pro *præsidio*, 139.
Cochleare vetus Jesum asino insidentem exhibens, 308.
Codex ms. Veliternus, 370. Veronensis S. Hilarii, 115 *seq.* S. Hilarii in Basilica Vaticana, 109 *seq.*
Codex artifex, 152.
Codices mss. conferendi consuetudo, 107. *Vide* Correctores.
Codicum mss. correctores, et corruptores, 106 *seqq.* Exscriptores plerumque juvenes, 109. Menda quibus ex causis, 107 *seq.* Nimia antiquitas sæpe suspecta, 83. Vetustas a plerisque exaggerata, 408.
Cœli, 103.
Cœlius prænomen Sedulii, 8.
Cœlum pro *Deo*, 312.
Cohærare, 105.
Cola, et *comma*, 98.
Colganus, 18.
Collectaneum Sedulii, 35 *seq.*
Collectaneus, 27 *seq.*
Collectio canonum, 10. Hispanica, 81, 423.
Collector Pisaurensis poetarum notatur, 197.
Colluco, *collucis*, 153.
Colvenerius, 153.
Columba nomen Christi, symbolum Eucharistiæ 369. Non caret felle, 219.
Columbanus (S.), 56, 394.
Columella, 185, 318, 345.
Columis, et *colomis*, 276.
Colymbus, 105.
Comma, seu *coma*, 98.
Commodianus, 153. Inter apocryphos, 425.
Compar, socius, 379.
Conceptio immaculata Virginis, 200.
Concilia tria generalia antiqua. 413.
Concilium Aquisgranense, 113. Carthagin. III, 410. Francofordiense, 112 *seq.* Romanum sub Damaso, 80, 400 *seq.* Sub Gelasio, 82, 85. Sub Hadriano, 114. Sub Leone III, *ibid.* Toletanum I, 329.
Concilii Tridentini doctrina de justificatione defenditur, 134.

Conjecturis non temere indulgendum, 224
Conjugii fœdus, 145.
Conjugium pro *conjuge*, 184.
Consanguineus linus, 302.
Conscribi albo, 194.
Constantinopolitana synodus, 415.
Constantius imperator, 12.
Constantius contra Germonium, 109 *seqq.* negligentiæ arguitur, 118.
Contagia mœchæ, 300 *seq.*
Contra, 274.
Controversiæ theologicæ sine fastu expositæ, 131.
Coquebat, fovebat, 240.
Core, Dathan, et Abiron, 365.
Corippus, 359. Sedulium imitatur, 165.
Corona, æterna vita, 229.
Corpus poetarum, 67.
Correctores codicum mss., 107, 170. Hymnorum breviarii Romani, 373. Librorum olim viri illustres, 87.
Correctorum codicum subscriptiones aliquando falsæ, 88.
Corvus perfidus Noe, 173 *seq.*
Covarrubias, 416.
Constant, *vide* Constantius.
Creatus, natus, 204.
Creavit pro *genuit*, 373.
Cresconiana collectio canonum, 80, 402.
Criticorum audacia, 132.
Crucis lignum, 366.
Crusius refellitur, 345.
Crux colenda, 331. In vexillis, 192. Ejus elogium, 332. Veneratio, 163.
Crypta, 105.
Cui, disyllabum, 103.
Culmina tecti, 250.
Culta novalia, 397.
Cuneata globo, 291.
Currere pelagus, 136. *Per facta*, 275.
Curtius, 138, 219.
Curva corrigere, 276.
Cuspinianus, 29.
Cyprianus, 414. Ei suppositus liber, 417, 425.
Cyprianus Antioch., 425.
Cyrici, et Julitæ martyrum gesta, 416.
Cyrillus Alexandr., 414.

D

Dædaleum tectum, 139.
Dæmonium mutum, 254, 282.
Dæmon latro, 282.
Dæmonum legio expulsa, 244.
Damasus (S.), 57, 259, 320, 370, 394. Auctor decreti de sacr. Scriptur., 86. Ejus concilium, 400.
Damnare, obstringere, 250.
Damno pro *obligo*, 160.
Daniel, 178.
Darius duabus primis correptis, 178. Secunda brevi, 104.
Dativus pro ablativo, 160.
Davidicus delectus, 398.
Davisius, 55, 165.
Daviticus, *Davidicus*, 157.
Daumius, 51. Poetas Christianos edere cogitaverat, 70.
De pro *in*, 201.
De nube tonat, 345.
Deæ epitheton Deiparæ non convenit, 381, 391.
Decachordum, 157.
Decretales epistolæ Romanorum pontificum, 415.
Decretum de libris recipiendis, et non recipiendis, 400 *seqq.* Gelasianum de Centone Virgiliano, 54.
Decutio, *discutio*, 216, 255.
Dedicatio ad Theodosium, 25, 382. Operis Paschalis, 148.
Defossum aurum, 278.
Defuso, *diffuso*, 253.
Deipara, 362, 366. Regina apostolorum, 331. An ad sepulcrum Domini cum aliis mulieribus iverit, 347, 350. Ejus laus, 203 *seq.* An ipsi primæ omnium Christus post resurrectionem apparuerit, 350.
Dei potentia, 161 *seqq.*
Deitas, 103.
Dejectus lumina, 270.
Delapsus et *dilapsus*, 188. *Ventre parentis*, 302.
Delectus, et *dilectus*, 398.
Delituit, et *dilituit*, 338.
Demergere, 324.
Demersa, et *dimersa*, 324.
Demissus, et *dimissus*. 182, 223, 247, 288, 354.
Democritus vetus philosophus, 192.
Dempsterus notatur, 14.
Denarii, quibus venditus est Christus, 233.
Denarios secunda brevi, 233.
Denis (Michael), 408.
Deo unice inserviendum, 158.
Dependere operam, 345.
Depositum substantive, 175 *seq.*
Descendere pro *ire*, 248.
Deteriora, et *dexteriora*, 174.
Detersa, *deterta*, 284
Deterta capillis, 104.
Deus miseratus instauravit humanum genus, 199. Pater noster, 226.
Dexteriora, 174.
Dextri Chronicon, 8.
Diaconissæ, 143.
Dialogi Platonis, et Ciceronis, 22.
Diarium ecclesiasticum Romanum expenditur, 131 *seq.* Litteratorum Italiæ calumniæ arguitur, 110.
Didrachmatis aurei, 272.
Diem extremum, 251.
Dies masculino, et feminino genere, 251.
Differentia canonis, capituli, breviarii, 37.
Digesta, *digestum Lucæ*, 187.
Dii gentilium irrisi, 182 *seq.* Transplantati, 185.
Dimenso corpore, 257.
Dimisit, et *demisit*, 341. Vide *Demissus.*
Diomedes antiquus grammaticus, 373.
Dionysius Cato, 44, 207.
Diphthongi veterum, 42.
Discipuli LXXII, 291.
Discipulus adjective, 289.
Discissus, et *discisus*, 341.
Discrimen vitæ amissæ, 290.
Diurnus, quotidianus, 231.
Dives regnum cœlorum intrare non potest, 277.
Divina explicare velle audacia censetur, 164.
Divitum convivia, 154.
Doctori turpe est, cum eum culpa redarguit, 159.
Doctoris, et *Ductoris*, 398.
Doctus de coquo, 153.
Domini appellatio, 133.
Dominici diei dignitas, 346.
Dominus in forma ignis, 168.
Domus exilis quænam, 133.
Domus genitivus, secunda brevi, 234.
Donare, condonare, 199.
Donatus, 28. Ejus editiones, 55. Ipsius anonymus commentator, 44.
Dracontius, 161 *seq.*, 165 *seqq.*, 169, 176, 183, 186 *seq.*, 190, 193, 198 *seq.*, 220, 253, 275, 280, 284, 287, 289, 292, 297, 318, 342, 359.
Drepanius Florus, 177, 192, 267.
Dubitatis Christum, an possit, 304.
Dukerus (Carolus Andreas), 51.
Dungalus, 96, 331.
Dunstani (S.) visio, 101.
Dupinius perstringitur, 36.

E

E pro *i* in mss., 41, 410. In compositione correptum, 266.
E contra, 274.
Ecclesia secunda brevi, 350.
Ecclesiæ catholicæ apostolicæ Romanæ appellatio, 409.
Ecclesia Romana olim gesta martyrum non legebat publice, 416.
Eclipsis solis in plenilunio, 338.
Edere, et *prodere*, 314. *Loquelas*, 172.
Editiones Sedulii, 58 *seqq.*
Efferri, de funere, 289.
Effigies corporis, 303.
Ego eleganter præponitur, 145.
Eldefonsus episcopus, 17.
Elegia Sedulii, 28 *seq.* Ejus inscriptio, 370.
Elias, 173 *seqq.*
Elipandus redarguitur, 112.
Emicare, 203.
Engelbertus, 350.
Enim, et *etiam* confusa, 402.
Ennius, 104. 218.
Ennodius, 369.
Enoch, 163 *seq.*, 360.
Enormi prima brevi, 266.
Eous, oriens, prima communi, 383.
Epanalepsis, 361.
Ephesina synodus, 413.
Epigramma quodlam anonymum, 381.
Epistolæ S. Pauli, 27. Sedulii, 30.
Epitheta plura uni substantivo apposita, 337.
Eptaticus, 430.
Esdræ liber tertius, et quartus apocryphi, 432.
Esther an duo libri, 432.
Esto, ut adverbium, 106.
Estremecerse, 305.
Et aliquando omissum a librariis, 144. Pro *etiam*, 266. Et *ex* confusa, 362. Ex *sed*, aut *set*, 224.
Ethelredus, 156.
Eugenius Toletanus, 172, 342, 361, 394, 397.
Eumenius, 176.
Eusebius Cæsariensis, 107. De eo Gelasii judicium, 418, 424.
Eustathius, 12.
Eva, 361. Ejus peccatum, 198.
Evangelistarum insignia, 194. Nomina, 432 *seq.*
Evangelia falsata, 421.
Eucharistiæ dogma, 314.
Eucherius, 35.
Excludo pro *expello*, 271.
Exempla pro *exemplum*, 313.
Exspecto, et *specto*, 198.
Expediens, et *expandens*, 333.
Expulsare, 216.
Expurgare facti causas, 136.
Exserti humeri, 192.
Extremisco, 305.
Eyb (Albertus), 67.
Eysengrein (Guilielmus) rejicitur, 15.
Ezechias, 175.

F

F, et *v* confusa, 176.
Fabella de poetis ab Ecclesia exsulare jussis, 90 *seq.*
Fabellis prima brevi, 320.
Faber (Basilius), 378.
Faber (Petrus), 167.
Fabricius (Georgius) editor Sedulii parum fidelis, 65, 138. Refellitur, 138. Joann. Alb. corrigitur, 63.
Facere pedem retro, 254.
Facies terræ, 316.
Facta, res gestæ memoratu dignæ, 293.
Factura, 103.
Fama tacens, 225.
Famularier, 222.
Fana, et *vana*, 139.
Fascis pro *onere*, 307.
Fassonius Liberatus, 338.
Fastus, et *fasti*, 392.
Fateri magna est medicina, 284.
Fatisco, et *fatesco*, 341.
Faustus Manichæus, 423.
Faustus Rejensis, seu Regiensis, 33. Ejus opera apocrypha, 425.

Favente, et *faciente*, 381.
Favillis, et *cavillis*, 320.
Fecit finem esse, 285.
Fel Christo datum, 330.
Felix Urgelitanus an codices S. Hilarii corruperit, 112 *seqq.*
Felicis papæ epistola, 410.
Feminis dicare opera non dedecet, 143.
Fenestræ, oculi, 280.
Fera de piscibus, 175.
Fergustus episcopus, 10.
Ferream vocem poetæ desiderant, 165.
Fertilitas, 277.
Fervere fretum, 244.
Fervidus gladius, 175.
Festus, 218.
Ficulnea, 281.
Ficus sine fructu, 280.
Fidei secunda producta, 293.
Figmenta vatum, 592.
Firmabat, formabat, 287.
Firmare gradum, vestigia, 185.
Flavius Jacobus Trebatius, 88.
Flebilis pro *flente*, 258.
Flexo genu, 376.
Flores poetarum, 67.
Florus diaconus, 191.
Florus martyr, consul, 393.
Fluctivagus, 354.
Fluctum pro *fluctuum*, 384.
Fluens genitore, 215.
Fluidus, fluvidus, 295.
Fogginius (Petr. Franc.), 79.
Fontaninus (Justus), 12. Notatur, 408.
Fornix, lupanar, 106.
Fortunatus, 33, 62, 94, 163, 177, 240, 259, 266, 340, 378. Amalarius, 100.
Fragrare, flagrare, fraglare, 283.
Frachenthaell monasterium, 37.
Francorum feritas, 176.
Fraternum odium abolendum, 227.
Freherus, 38.
Frenens equus, 306.
Frenare diem, 172.
Freyerus Hieronymus, 67.
Fructificans, 238.
Frugifer, fructifer, 220.
Frumentii opuscula apocrypha, 423.
Fucus, et *sucus*, 160.
Fulbertus Carnotensis, 37.
Fulgentius Mythologus, 24.
Fulmineum cœlum, 174.
Funcius refellitur, 21, 91.
Functus pro *defunctus*, 255.
Fundamentum, liber apocryphus, 422.
Furuerunt a *furo*, 178.
Fusus, natus, 316.
Futurum in *rus* pro futuro in *dus*, 213.

G

Gallandius editor Sedulii, 68. Opus paschale cum notis edidit, 148.
Gallica lingua librorum impiorum ferax, 2 *seq.*
Gallicanus presb., 142.
Garnier (Julianus), 12.
Garrula et *garula*, 399.
Gaudia vitis, 297.
Gaza prima brevi, 44.
Gedeon, 365.
Gelasius an carmen, an opus paschale Sedulii laudaverit, 84. Distinguit inter libros approbatos, et non prohibitos, 417. Canonem divinarum Scripturarum decreto suo inseruit, 411. Concilium Damasi in suum decretum inseruisse videtur, 407 *seq.* Decretum ejus de libr. proh., 80 *seqq* canon de Scripturis divinis non est S. Hieronymo contrarius, 410. an ipsi Asterius Sedulii carmina dicaverit, 393. *Vide* Decretum.
Gelasianum Decretum ex mss. Vaticanis, 408 *seqq.*
Gelida morte, 252.
Gemma antiqua præsepe Domini exhibens, 307.
Generale, et *speciale*, 275.
Genesis parva, liber apocryphus, 422.
Genitivus pluralis in *orum* contrahitur in *um*, 289.
Gennadius continuator Catalogi De vir. illus., 4, 20. Ejus exemplaria auctiora, 4. Interpolata, 80.
Gentes de piscibus, 288.
Gentes per Magos indicatæ, 208.
Gentilitia nomina, 75.
Genu flexus, nixus. 376.
Georgii gesta apocrypha, 416.
Georgius Dominicus, 5. Gemmicensis, 217.
Gerere lustra, 214.
Germanus Antisiodor., 39.
Germen, et *gramen*, 395.
Germine, et *gramine*, 264.
Germonius contra Constantium, 109 *seqq.*
Gerson, 46, 102, 200.
Gervasius monachus, 101.
Gesta Ss. martyrum an olim in ecclesiis fuerint lecta, 415.
Geta deus creditus, 101. Deus Scotorum, 7. An deus Britannorum, 156.
Geta pro comœdia, 155 *seq.*
Grabius (Jo. Ernestus), 426.
Gracili testudine, 399.
Gramen, et *germen*, 324.
Gramine, germine, 291.
Grana (Damianus), 80.
Grandisonus, 308.
Gratia facit filios adoptivos Dei, 226.
Gratianus, 81, 414. Ejus Decretum, 419.
Gratianus imperator, 23.
Grego pro *congrego*, 150.
Gregorius Magnus (S.), 27, 35, 372. Ejus elogium, 434. Nazianzenus, 414. Turonensis, 99, 217.
Gregorius papa II, 10.
Gregorius papa VII, 419.
Grex pro societate, 146.
Grialius notatur, 256.
Grimoardus Toletanus, *vide* Bernardus.
Gronovius, 156.
Gropperus (Joannes), 18.
Gruner (Fridericus), editor Sedulii, 67. Quibus mss. codicibus usus, 52. Notatur, 155. Judicium ejus de Vonckio, et Vopkensio, 70.
Gruterus, 213.
Guilielmus Malmesburiens., 101. Thorne, *ibid.*
Gyraldus, 22.

H

H aspiratio vim consonantis aliquando obtinet, 104, 254. Sæpe desideratur, sæpe abundat in mss., 171.
Habemur pro *sumus*, 344.
Habitus, 330.
Hadamarius Heinhardus Lorichius editor Sedulii, 63.
Hadrianus VI defensus, 90.
Hæmorrhoissa sanata, 249.
Hæretici corruptores codicum, 113 *seq.* A Gelasio damnati, 427 *seq.*
Harduinus presbyter antiquarius, 408.
Hariulfus, 81.
Hartmannus, 211.
Hauberti chronicon, 8.
Haymo, 188.
Hebræorum transitus per mare Rubrum, 169.
Heinsius Nicolaus, 52, 66. Notatur, 12, 153.
Helias, 173 *seqq.*
Heptaticus, 450.
Hepidannus, 27.
Heraclitus philosophus, 192.
Hermogeniani tres editiones, 149.
Herodes illusus a Magis, 210. Christum persequitur, 205.
Herodes prima brevi, et ex sententia aliquorum ultima in vocativo, 374.
Heros Jacob, 362 *seq.*
Hiatus quid sit, 167. In versu, 187, 191. A Sedulio admissus, 269.
Hibernia an patria Sedulii, 6.
Hieronymus (S.), 20, 143, 259, 333, 379, 391, 415, 420. Origenistas disjecit, 435. Asteriscis biblia distinxit, 431. Magna ejus in Ecclesia auctoritas, 418. Prologi ipsius galeati an adulterati sint, 410.
Hilarius Pictaviensis (S.), 414. Ab Adoptianorum hæresi alienissimus, 126. Codex ejus antiquus in basilica Vatic., 106 *seq.* Ipsius editiones, 116 *seq.*
Hildebertus, 10.
Hincmarus, 18, 99, 188, 191.
Hipporegiensis num melius, quam *Hipponeregiensis*, 433.
Hispania an Sedulii patria, 7 *seq.*
Hispanica canonum collectio, 81, 423.
Hispani idiomatis copia, 46.
Historia ecclesiastica Bononiæ paratur, 400.
Holstenius, 78, 400.
Homerocentones, 591.
Homerus, 50.
Honorius Augustodun., 102. Imper., 24.
Horatius, 99, 153, 252, 261, 328. Ejus scholiastes, 100.
Hormisdas an auctor decreti Gelasiani, 80. Decretum Gelasii ad Hispanos misisse creditur, 413. Decretum Gelasii ipsi ascriptum, 409, 425.
Horridus, et *torridus*, 377.
Hrodgarius, 87.
Huetius, 285.
Hugbaldus, 46.
Hugo de S. Victore, 132.
Humanum genus peccato Adami corruptum, 197.
Hundius (Samuel), 9.
Hyalus, 106.
Hydropicus sanatur, 294.
Hydropis triplex species, 296.
Hymni abecedarii, 378. De cognomentis Salvatoris, 369 *seq.*
Hymnus Abecedarius, 28, 372. *Pange lingua gloriosi prælium, Lustra rex, Vexilla regis*, 33. S. Vincentii inedit us, 249. In laudem S. Benedicti, 124.
Hyperbole in sacris litteris usitata, 359.

I

I pro *e* in mss., 165.
I, et *y* confusa, 379.
Ibis, 182.
Idem quod, idem qui, 190.
Idololatræ arguuntur, 181 *seq.*
Idololatria, 159 *seq.*
Idolum secunda brevi, 105, 327.
Ignatius Martyr, 161.
Ignoscere culpas, 199.
Ildefonsi Hispaniensis revelatio, 190.
Ildefonsus Tolet. (S.), 4, 15, 57, 434.
Ille emphasin habet, 230.
Ima profundi, 179.
Imaginea pœna, 177.
Immeritus, 211.
Imperfectum pro plusquam perfecto, 355.
Imperiosa miracula, 291.
Impertias, impartias, 140.
Impiorum dicacitas, 2 *seq.* Vani conatus, 346.
Implere hominem, 194.
Implevit amicum, 304.
Impossibilis, 277.
In cum accusativo, et ablativo, 287.
In numerum, 212.
Incola, et *accola*, 299.
Incola pelagi, piscis, 272.
Index Brasichellensis qua sit auctoritate, 35.
Indicium, et *judicium*, 164, 226.
Infantes ab Herode occisi, 211.
Ingressus vada, 217.
Inimica doloris, dolori, 289.
Iniquus, diabolus, 222.
Innocentius I, 403.

Inoccíduas uvas, 238.
Insaturata malis, 342.
Inscriptio acrosticha, 398. Ex Grutero exposita, 393.
Inseparabilis, et *irreparabilis*, 198.
Insolidus, et *insolitus*, 172.
Inspirare, 176.
Instantia, assiduitas, 145.
Interian de Ayala (Jo.), 347.
Inventio capitis S. Joannis Baptistæ, 417. Crucis Dominicæ, *ibid.*
Ipse, et *iste*, 166 *seq.*
Irradiare, 346.
Isaac, 166 *seq.*, 362.
Iscanus, 186. Sedulium imitatur, 159.
Isicius Evangelia falsavit, 421.
Isidori Mercatoris fabulæ conflctæ fuerunt extra Hispaniam, 423.
Isidorus (S.), 19 *seq.*, 55, 95, 103, 107, 109, 146, 154, 167, 176, 186, 256, 290, 321, 375 *seq.*, 378, 341 *seq.*, 434, 439. Fortasse auctor præfationis ad collectionem Hispanicam canonum, 423. Ipsius liber De obitu Patrum, 82. Versus in bibliotheca, 95. Etymologiæ opus centonarium, 300. In Etymologiis multa sunt, quæ sine idoneo fundamento supposititia dicuntur, 414. Opus ejus ineditum, 379. Ipsi vindicatur liber de ortu, et ob. Patr., 57.
Israel spondæus, 362.
Itinerarium nomine Petri, 420.

J

Jacobi (S.) in Hispania prædicatio, 37 *seq.*
Jam, *jamque*, 228.
Jamblichus, 134.
Jannis, et Mambre, magi Ægyptii, 423.
Jannitius (Jac. M.), 99.
Jansonius ab Almeloveen (Theodorus), 53.
Jejunis morsibus, 173.
Jephthe, 365.
Jesus a Joanne baptizatus, 214. Tentatur a diabolo, 220. Discipulos eligit e piscatoribus, 224. Dæmonas, ac morbos depellit, 241. Imperat tempestati, *ibid.* Dat potestatem discipulis, 254. *seq.* Manum manco reddidit, 257. Ambulat supra mare, 261. Ægrotantium multitudinem sanat, 264 *seq.* Ejicit spiritum immundum, 269. Solvit tributum, 272. Innumeras Judææ catervas sanat, 276. Intravit Capharnaum, 284. Dæmones tacere jubet, 285. Sedens in puppi, docet turbas, et jubet Petrum piscari 287. Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, 297. Samaritanam alloquitur, 299. Hierusalem ingreditur asinæ insidens, 306. Orat Patrem, 309. Discipulorum pedes lavat, 313 Reddidit aurem Malcho, 318. Prædicit Petro, quod se negaturus esset, 319. Deducitur ad Caipham *ibid.* Colaphis cæsus, 320. Ductus ad Pilatum, 323. Ad pœnam ductus, 328. Ligno affixus, 331. Aceto potatur, 340. Exspiravit *ibid.* Piscanti Petro in dexteram partem jacere rete jubet, 354. Cum discipulis manducat 355. Pacem habere jussit apostolos, 357. Ascendit in cœlum, *ibid.* Fimbria ejus sanat multos, 263. Vestis numquam vendita, 264. *Vide* Christus.
Joannes o brevi 104.
Joannes abbas Lamb., 155.
Joannes Baptista (S.), 214 *seq.* Florentinus, 47. Tinmuthensis, 101.
Joannis apostoli tres epistolæ quarum duæ olim Joanni presbytero ascriptæ, 405.
Jonas, 175. Aurelianensis, 19, 96, 331.
Jordanis a producto, 214.
Jordanis undis ablui in votis erat, 217.
Joseph venditus, 363.
Josue, 172.
Judæi coarguuntur, 349.
Judas proditor, 313 *seq.* Laqueo se suspendit, 323.
Judex, et *index*, 226.
Judicare, quam facere, promptius est, 149.
Jugis prima correpta, 158, 229, 259, 263.
Jugulus pro *nece*, 326.
Julius Severianus, 88.
Jura potestatis, 292.
Juretus (Franc.), 30. Editor, et annotator prosæ Sedulii, 148. Refellitur, 198, 243.
Justinianus (Rehed.), 27.
Justinus, 250.
Justus (Petr. Paul.) notatur, 155.
Juvabit meminisse, 392.
Juvenalis, 184, 261, 283.
Juvencus, 45, 154, 156, 174 *seq.*, 185, 189, 194, 203, 214, 217, 220, 249, 251, 255, 276, 280, 322, 329, 338, 366. A Gelasio laudatus, 419.

K

K pro *c* in mss., 41.
Katerva, *karus*, *kastra*, 375.

L

Labans, et *labens*, 355.
Labbeus, 8, 402.
Labrusca, 159.
Labyrintheum antrum, 159.
Lactantius, 50, 192, 333. Opuscula ejus apocryphia, 424. *Vide* Lutatius.
Lacus pro vase amplo, 237.
Lambebant flammæ, 169.
Lambere, deosculari, 283.
Lampeus, 343.
Lancinare, 106.
Laparre (Guillelmus), 110.
Latinæ linguæ utilitas, 2.
Latinitatis duodecim genera, 426 *seq.*
Latinius Latinus, 108. Diligentia ejus in conferendis mss., 119 *seq.* Ipsius bibliotheca Viterbii asservata, 120.
Latrones duo ad Christi latera crucifixi, 334.
Lavans in gurgite pro *lavans se*, 284.
Lavo, *lavis*, 217.
Laurentius presbyter, 142.
Lauretus, 369.
Laus apostolorum, liber apocryphus, 423 *seq.*
Lazarus suscitatur, 303 *seq.*
Lectio pro sacra scriptura, 170.
Leidradus, 114.
Lemos (Antonius), 50.
Leo (S.), 35, 178. Epistola ejus ad Flavianum, 415. Epistola ad Toribium, 413. Falso ipsi ascriptum Sacramentarium, 406.
Leo X, 381.
Leprosi decem sanati, 296.
Leprosi sanatio, 239 *seq.*
Leptogenesis, liber apocryphus, 422.
Lesleus, 85.
Leucius apocryphorum auctor, 403, 421 *seq.*
Leutcharius, 88.
Leyserus, 29.
Libana cedrus, 281.
Libens, 313.
Liber de magia Christo suppositus, 351.
Liberatus, 92. Pro Liberio, 57.
Liberius poeta, 92. Ejus acrostichis de Sedulio, 397.
Libertas per alapæ ictum, 321.
Libertus, 92.
Liberum arbitrium non amissum est post Adæ peccatum, 133 *seq.*
Libra aurea, 292.
Librarii opera auctorum sæpe turbabant, 43. Eorum lusus in mss. 266, ipsorum fraudes, 88.
Libri nonnulli privatim legi possunt, qui publice legi non debent, 416.
Librorum apocryphorum notitia, 419 *seqq.*
Licet quamvis, 334.
Linen et *lumen*, 201.
Limina et *lumina*, 175.
Limina tecti 250.
Limine vitæ, 269.
Linguæ trisulcæ, 169.
Lini Acta apocrypha, 406.
Lintre parva, vel *parvo*, 136.
Lipsius incaute Deiparam *deam* vocat, 381.
Lironius refellitur, 413.
Littera Romana, 408.
Litterarum tria genera, 40. Majusculæ initio versuum in mss., 286. Longius excurrentes in mss., 42.
Litteratorius, *litteralis*, *litterarius*, 156.
Livius, 318, 377.
Lorenzana (Em. Card.), 15, 95.
Loth, 168. Ejus uxor, *ibid.*
Lucanus, 156, 166, 173, 180, 212, 246, 345. Ejus scholiastes, 100.
Luciauus falsavit Evangelia, 421.
Lucis auctor Deus, 249.
Lucius, *vide* Leucius.
Ludenti, et *luenti*, 396.
Luitprandus, 81.
Lumbrosa Latinitas, 427.
Lumen et *limen*, 201.
Lumen, *lumina*, oculi 258.
Lumina, et *limina*, 175.
Lunæ cultus irridetur, 185.
Lupus abbas Ferrariensis, 81. Trecensis, 39.
Lutatius, sive Lactantius Placidus, 100.
Lutu pro *luto*, 302.
Lymphaticus, 295.

M

M, et *in* commixta in mss., 219.
Mabilonius, 3 *seq.* In ætate codicum definienda aliquando deceptus, 124,
Machabæorum liber tertius, et quartus apocryphi, 432.
Macedonius magister Sedulii, 11. Magister plurimorum, 145. An ipsi missum Asterii epigramma, 73.
Mackenie (Georgius), 67.
Macula, dedecus, 200.
Magi prima correpta, 208.
Magis, amplius, deinceps, 240. Sæpe abundat, 349.
Magister, et *minister*, 313.
Magorum adventus, 205 *seq.* Dona, 209.
Majansius, 61.
Maittaire, 58.
Major in regno cœlorum quisnam sit, 273.
Mala, h. e., mensæ secundæ, 154.
Maldonatus (Joannes), 349.
Male defossum, 278.
Malus, diabolus, 235.
Mambre, *vide* Jannis.
Mamertus, Mamercus, 29, 53.
Mamzeres, 104, 340.
Manavit pr. correpta, 172.
Manilius, 175, 326.
Manna cœlitus Hebræis datum, 171.
Mannus Dominicus, 333.
Mansius notatur, 21.
Manuale biblicum, 67.
Marcella fraudes Origenistarum detexit, 436.
Marcellinus (comes), 417.
Marceo, 166.
Marcus Petri discipulus, 407.
Mare lacrymarum, 213.
Mare tepescere a sole occidente fingunt poetæ, 261. Rubrum, 169.
Maria varia quantitate, 104, 200.
Maria *ovis* dicta, 163. Ejus immaculata, conceptio, 200. *Vide* Deipara.

Maria Magdalena, 282, 291.
Marineus (Lucius), 69.
Marinius (Cajetanus), 95.
Marne (Philibertus), 87.
Martenius notatur, 33.
Martialis, 58, 178. Falso ipsi ascripta sunt ej igrammata Godfridi Vindocinensis, 361.
Martinus Dumiensis, 152.
Matthæi nomine liber apocryphus, 421. Matthæus Westmonast., 101.
Maurini auctores tractatus diplomatici, 125.
Maximus (S.), 176.
Mederetur sec. brevi, 263.
Mel in prandiis veterum, 154.
Melania Origenistis favebat, 436.
Mellicensis anonymus, 15, 19.
Melum pro *malum*, 154.
Memphitis pro *Memphitidis*, 104, 294.
Meuckenius, 152.
Mens, pectus, corda, 223. *Trucis furoris*, 325.
Mensæ modicæ descriptio, 152.
Mensæ secundæ, 153 *seq.*
Mensura longitudinis Christi, 439.
Mera calce, 106.
Mercator, *Vide* Isidorus.
Merebat pro merebatur, 268.
Merenda, 57.
Merobaudes, 76.
Messis Dei, 161.
Messis pro *anno*, 260.
Metallum, h. e., petra, 171.
Metroforia Latinitas, 427.
Meursius, 174.
Mezlerus (Joannes), 124.
Michael antiquarius, 54.
Milia duodecim legiones, 103, 518.
Militana Latinitas, 427.
Milites Christi, 192 *seq.*
Minister, et *magister*, 513.
Minucius Felix, 305.
Miracula Christi, 575 *seq.*
Missale Gallicanum vetus, 85.
Mitis pampinus, 238.
Mixtum sine nomine vulgus, 276.
Modulantem carmina, 597.
Mœnia de ædibus, 523. *Templi*, 280.
Mœrui a *Mœreo*, 338.
Monachi olim antiquiorum industriam in describendis codicibus æmulabantur, 408.
Monogramma Christi, 578.
Monosyllabum breve sæpe reperitur productum, 226, 286, 595.
Montani, Priscillæ, et Maximillæ opuscula apocrypha, 424.
Montfauconius, 51.
Monumenta, et *monimenta*, 156.
Morellus (Jacobus), 60.
Mori pro *exstingui*, 183.
Moriens pro *mortua*, 251.
Morlanes (Bartholom.), 69.
Mors victa, 542. Victa per Christum, 567.
Motabile, 550.
Moyses, 168 *seq.*, 565.
Moyses disyllabum, 260. Trisyllabum, 268.
Moysi, *Mosæ*, 293.
Mulier curva erigitur, 259.
Multus, et *mutus*, 160.
Munckerus, 156, 266.
Mundalis, *mundialis*, 273 *seq.*
Munsterus (Sebastianus), 8.
Muratorius, (Lud.), 9, 581.
Muretus contulit codicem S. Hilarii basil. Vatic., 122.
Museum Borgianum, 507.
Muta idola, 160.
Mutatio generis, 557.
Mutum silentium, 138.
Mutus, et surdus, 586.
Myron pro *unguento*, 579.

N

Nablum, organum, 431.
Nabuchodonosor, 176 *seq.*
Nansius, 52.
Napione de Cocconato (Comes Galeanus), 40.
Natale solum Christi, 246.
Natale lutum, 302.
Natura Deo subdita, 179.
Naturæ humanæ lapsæ debilitas non est cum hæreticis exaggeranda, 133.
Naufragium pro *naufrago*, 180. Nebrissensis Ælius Ant. editor, et commentator Sedulii, 61, 68. Notatur, 310.
Nec, et *non*, 257.
Nec illi pro *neque illi*, 315.
Nec numerantur, 153.
Nepotis liber apocr., 422.
Nequa, nequo tempore, 318.
Nequidquam pro *nihil*, 190.
Nescio mercem, 256.
Nicæna synodus, 413.
Nicolaus I Pont., 81.
Nicolaus Cusanus, 38.
Nicomachus Dexter, 87.
Nigrum venenum, 258.
Niliacæ bibli, 158.
Ninguidus, 105.
Nitentes, pingues, 556.
Nocturna umbra, 323.
Nola prima longa, 105.
Nomen, et *numen*, 203.
Nomen gloriosum nonnulli sibi arrogant, 134.
Nomina Christi, 569 *seq.*, 401 *seq.* Romanorum, 9.
Non a librariis aliquando intrusum, 143.
Nonius, 268, 284.
Nonnus Paraphrastes, 559.
Norisius, 24.
Notæ codicum, et editionum explicatæ, 130 *seq.*
Notkerus Balbulus, 100, 570. Notatur, 4.
Nox pro *morte*, 287.
Numen, et *nomen*, 203, 207.
Numerare, æstimare, 219.
Numerare pecus pauperis est, 153.
Numeria Latinitas, 426.
Numeri facile mutantur, 19.
Numerorum expositio mystica e mss. Vaticanis, 429.
Numerus librorum Paschalis carminis, 146.
Numisma, et *nomisma*, 315.
Nutribat, *nutriebat*, 265.
Nutrimentum ignis, 138.

O

O pro *v* in mss., 41.
Ob omissum, 158.
Obloquium, 149.
Obsitus pannis, 203.
Obstrusus, *obtrusus*, 215.
Obtusus, *obtunsus*, 137.
Observationes litterariæ, 35.
Occasus pro *casus*, 267.
Oculi cordis. 137.
Odilo Abbas, 95, 347.
Officia membrorum, 247.
Officium pro *officiali*, 182.
Offuscare, 216.
Og gigas, rex Bazan: liber de eo apocryphus, 422.
Omnia inimicæ virtutis, vel *virtuti*, 292.
Omnia sæcula sæculorum liturgia phrasis, 147.
Opaca silentia noctis, 298.
Operarius, beneficus, 318.
Opem libertatis urbem, 186.
Opes virtutis, 309.
Optatianus Porphyrius, 394.
Optatus Afer, 374.
Opus paschale Sedulii, 22, 30, 129, 151 *seq* Parum correctum, 31. Scriptura aliquando detrita exaratum, 154. Ejus prima editio rara, 148.
Opus de tribus apparitionibus D. N. J. Christi, 350.
Oratio Dominica, 226 *seq.*
Orationis vis, 298.
Orbus pro *cæco*, 258.
Ordo librorum catholicorum, qui in Ecclesia Romana ponuntur anni circulo, 419. Romanus, scriptus sub Ottone I, 416.
Ore ora premere, 317.
Orientius, 170, 190, 331 *seq.*, 342, 569 *seq.*
Origenes, 27. Ab Eusebio Pamphili defensus, 424. Apologiam ejus conscripsit Eusebius, 418. Tres ipsius editiones, 149. Origene, ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus, 435.
Origenistarum artes, et doli, 435 *seq.*
Originale peccatum, 197 *seq.*
Orosius, vir eruditissimus, 419. Ejus non est homilia quædam in Apocalypsin, 188
Orthographia veterum, 43.
Osbernus, 101, 361.
Ostentare, 191 *seq.*
Oudinus, 29.
Oves in judicio Dei a parte dextra, 163.
Ovidius, 50, 104, 141, 153, 162, 164, 166, 180, 212, 261, 291, 369, 431.

P

Pagani, ethnici, 159. Ex pagis Atheniensium dicti, 185.
Pagus Athenæus, 159, 185.
Palladius, 155, 168. Episcopus, 10.
Palmerius (Matthæus), 107.
Palpante manu, 298.
Pamphilus, *vide* Eusebius.
Panes multiplicati, 260, 265.
Panis quotidianus, 230 *seq.*
Panvinius, 30.
Papebrochius, 35.
Paraclitus i brevi, 103.
Paracteria carmina, 361.
Paradisi flumina, 255. Cœlestis descriptio, 336 *seq.*
Paralyticus liberatur, 246.
Paraphrasis Decreti Gelasiani e mss. Vaticanis, 429 *seq.*
Parci mucrone, 318.
Parrhasius editor Sedulii, 58 *seq.* Ejus de Sedulio, et Prudentio judicium, 103 *seq.*
Participio versus bene finitur, 157, 247.
Parva loquor, 275. *Mensa*, 304.
Parvi, pueri, 211.
Parvum haustum, 299. *Lac*, 374.
Paschale, *vide* Carmen, Prosa, Opus.
Paschasius (Ratb.), 15, 31, 95.
Passinus (Josephus), 40.
Passerinus (Jo. Bapt.), 369.
Pater in Trinitate *idem*, *quod* Filius, non *idem*, *qui*, 190.
Paterno Castello (Joan. Andreas) refellitur, 507.
Patientia, et *sapientia*, 142.
Patraccio oppidum, 123.
Patres in decreto Gelasiano commendati, 414.
Patria cœlestis, 185 *seq.*
Patris vocabulum, 135.
Patrum veterum lectio commendatur, 1 *seq.*
Paulinus Nolanus, 172, 187, 283, 392. Petrocorius, 170, 188, 192 *seq.*, 211 *seq.*, 348.
Pauli Epistola ad Hebræos olim a nonnullis non recepta, 405.
Paulus II defensus, 90. Paulus Diaconus, 561. *Vide* Petrus.
Pauper hortus, 154.
Pearsonius, 80, 410.
Peccatores se sancti vocitabant, 424.
Pelagius non est auctor Decreti Gelasiani, 80.
Pelago delatus, 246.
Pellicer (Joann. Ant.), 62.
Peniculus, 101.

Pennículo, et *peniculo*, 340.
Pensare, putare, 138.
Pennotus, 37.
Percunctor, *percontor*, 273.
Perdere modum, 166.
Perflatum ægrum, 294.
Persius, 192. Ejus vita, 45. Satiræ falsa subscriptione notatæ, 88.
Perstringere, 164.
Pervasus, 271.
Pervenis i brevi, 342.
Pes veli, 254.
Petavius, 127.
Petitus (Jac.), 409, 416.
Petit morte, 525.
Petrarcha (Franc.), 47, 102.
Petronius, 312.
Petri apostoli socrus sanata, 240. Negatio, 319, 321 *seq.* Sedes tres, 407.
Petrus, et Paulus an eodem anno passi, 406. In antiquis monumentis simul depicti, 351.
Petrus Aurorarius, sive Rigensis, 45 *seq.* Damiani, 361. Pictaviensis, 18.
Pez (Pezius Bernardus), 9.
Pezii scriptores rer. Austr., 155.
Pharao perfidus, 365.
Philastrius Brixiensis, 420.
Philosophorum vanæ concertationes, 191 *seq.*
Phylacteria apocrypha, 426. Quid fuerint, 438 *seq.* Phylacterium superstitiosum ex cod. Vat., 439.
Physiologus, liber apocryphus, 424.
Pictor Christianus, 347.
Pierius Valĕrianus, 90.
Pietas pro *Deo pio*, 279.
Pietas, et *potestas*, 159.
Pilatus an *præses*, 326. Ejus facinus, 328.
Piscium miraculum, 260, 265.
Placidis, et *placitis*, 157, 159.
Placidus, et *tacitus*, 282.
Plangunt per gaudia, 252.
Plazza (Benedictus), 381.
Plena voce, 180.
Plenus homo, 182.
Pleonasmus, 168.
Plinius, 51.
Plumis, et *pluviis*, 171.
Pluralis pro singulari, 139.
Pluria, *plurima*, 282.
Plus ad meritum est, 393.
Poelmannus (Theodorus), editor Sedulii, 62 *seq.*
Pœnitentia Adæ, liber apocryphus, 422. Cypriani, liber apocryphus, 425. Jannis, et Mambre, liber apocryphus, *ibid.* Origenis, liber apocryphus, *ibid.*
Poetæ Christiani in pretio habendi, 103. Suaviores in carmine, quam in prosa, *ibid.* Sacri a nullo Romanorum pontificum explosi, 90.
Poetarum Christianorum laus, 69. Gentilium figmenta, 155, 185.
Polema Latinitas, 427.
Politianus, 431.
Pompare, *pompatus*, *pompizare*, 104, 155.
Pontificum Romanorum epistolæ, 415.
Populatio, 304.
Portare tenebras, 303.
Posse, et *nosse*, 194.
Possevinus, 391.
Possibilis, 277.
Postumiani, et Galli opuscula apocrypha, 424.
Potare misero lethum, 197.
Potenza Ignatius, 277.
Præmissus, et *promissus*, 173.
Præmium, h. e., commodum, 399.
Prærogativa, 155.
Præsens pro futuro, 369.
Præsepe in ablativo, 104, 205, 307.
Præsepi Domini alligati bos, et asinus, 307.
Præsule, *præside ligno*, 163.
Præsumptor, 104.
Præter, et *propter*, 297.
Præter quos, 162.
Principis synagogæ filia suscitata, 284.
Priscianus, 28. Sæculo VI floruit, 55. Ejus versus, 88.
Priscillianistæ apocryphorum auctores, 420.
Pritanius, *vide* Muratorius.
Prius, et *pius*, 241.
Proba Faltonia, 26, 185. Cento ejus, 34 *seq.*
Prodere, et *edere*, 314.
Prologus Carminis paschalis, 151 *seq.*
Pronus, et *plenus*, 182.
Propensa vota, 288.
Propertius, 50, 288.
Prophetes de femina, 215.
Proprius pro *suus*, 305, 352.
Propter iter, 297.
Prosa Sedulii passim depravata, 196. Ipsi non semper inhærendum, 318. *Vide* Opus paschale.
Prosper, 10, 415. Ipsius adjuratio, 107.
Prosperare, 106.
Prosodiæ errores in Centone Virgiliano, 391.
Proterius Alexandr., 414.
Proverbiorum nomine Xysti liber apocryphus. 422.
Prudentius, 147, 151, 154, 160 *seq.*, 168 *seq.*, 173, 182, 189, 191 *seqq.*, 211 *seq.*, 217, 225, 231, 250, 266, 269, 285, 305, 318, 322, 352, 359, 406. In scholis prælegendus, 102 *seq.* Ejus Dittochæum, 52.
Pruinæ, hiems, 164.
Puer a *puritate*, 274.
Puerilia milia, 212.
Putschius, 98.

Q

Qua, et *quia*, 171.
Qua flexus pietate, 265.
Quæstio mundi Jesus, 366.
Que productum, 225, 228, 555. Pro *etiam*, *quoque*, 283, 292.
Qui sis, *quis sis*, 285.
Quianam, quare, cur, 218.
Quicumque, pro unusquisque, 235.
Quiesco cum infinitivo, 321.
Quintilianus, 218.
Quodcumque mali, 284.

R

Rabanus Maurus, 350, 394.
Rabidus, et *rapidus*, 162.
Radulphus Dunstap., 102.
Ratbertus, 201.
Ratem, *ratim*, 288.
Raynaudus (Theoph.), 340.
Recidivus, *redivivus*, 290.
Recludo pro *recondo*. 354.
Reddere culpas, 199.
Redux. 297.
Reduci saluti, 257.
Refluit cithara mel, 397.
Regens, *gerens*, *ferens*, 170.
Regere jura, 184.
Reggius (Joseph. Ant.), 58, 93, 408.
Regnum Deiparæ, 351.
Reguli filius sanatur, 238.
Regulus e brevi, 104, 258.
Reimarus, 70.
Relamba, 301.
Relandus (Petrus), 99.
Remigius in Catonem, 45.
Renovo, et *revoco*, 163.
Repercussoria carmina, 361.
Repetens effigiem, 245 *seq.*
Reppulit, *repulit*, 363.
Reprobus lapis, 186.
Repulit, *reppulit*, 282.
Res dura, 298.
Res, et *sermo* eleganter opposita, 142.
Resupinus, superbus, 274.
Resurrectio Domini, 347.
Retrorsi vultus, 168.
Revelatio Pauli, Thomæ, Stephani, libri apocryphi, 422.
Revocavit pompa turbam, 290.
Rhythmi abecedarii, 378.
Riccius (Michael), 60.
Rigaltius, 459.
Rivantelia (Antonius), 40.
Roa (Martinus), 165.
Rodulphus (Card. Carp.), 78.
Romana littera, 408.
Romanæ Ecclesiæ excellentia jure divino, 406.
Roscius Julius, 26, 383.
Rosweydus, 58, 144.
Rubus ardens non consumitur, 168 *seq.*
Rufinus, 27. Prologos Hieronymi adulterasse creditur, 410. Ejus opera permissa, non approbata, 418.
Rufus gentilitium nomen, 75.
Ruinartius, 99.
Rusticus diaconus, 88. Helpidius, 209.
Rutilius, 184.
Rutilus epitheton Sedulii, 100.

S

Sabellius a correpto, 191.
Sacer pro *sacerdote*, 106.
Sacrare, *ibid.*
Salii, *Salvi*, *salivi*, 172.
Saliunca, 159.
Salmasius, 61. 371.
Salomon episcopus Constantiensis, 188. Imitator Sedulii, 100.
Salomonis Contradictio, liber apocryphus, 426.
Samaritana ad Christum conversa, 299.
Samonicus, 290, 295.
Sanchez (Thomas Ant.), 62.
Sancti vox a Christianis adhibita, 155.
Sanctus Dei, Christus, 285.
Sanderus (Antonius), 57.
Sanguis exstinctus, 166. *Superbus*, 225.
Sanguis, genus, 302.
Sanguinis Christi symbolum vinum rubrum, 257.
Sapientia, et *patientia* in mss. confusa. 142.
Sara, sive Sarra, 166.
Sarazanius, 394.
Saturavit, et *satiavit*, 396.
Saucia viscera, 166.
Scalpo, *sculpo*, 181.
Schoettgenius, 38.
Scholiastes Lucani, Horatii, et Statii versum Sedulii allegant. 176.
Scorpionum trisyllabum, 292.
Scotia an patria Sedulii, 6.
Scottus, 58, 144.
Scriptores apocryphi, 424.
Scripturæ antiquæ imitatio, 408
Scripturarum canon, 503.
Sculter (Matthias), 47, 381.
Se pro *eum*, 273.
Se judice, *præstat*, 277.
Sebastianus a S. Paulo, 55.
Sectus terga flagellis, 527.
Sæcula sæculorum, 147.
Sæcularia studia, 136.
Sæculi V eruditio, 103.
Sæculum pro mundo, 306.
Sedere pro manere, 267.
Seditiosa tribus, 365.
Sedulia Læta, 9.
Sedulii cujusdam manu scriptum Psalterium Græcum, 59.
Sedulii Scoti collectaneum, 27.
Sedulii veterestres, 7, 9, 234, 241.
Seduliorum distinctio, 9, 27.
Sedulius vario intervallo syllabarum, 374.
Sedulius Juvenco adjungendus, 3. Ejus vita, *ibid. seqq.* Macedonii discipulus, 11. In Achaia commoratus, 12. An Romæ, 15. Quo tempore scripsit, 13. An episcopus, 15. An inter sanctos relatus, 17 *seq.* An rhetor, 56. Ejus opera, 18, *seqq* *Paschalis* non dicitur, 22. Imitator Virgilii, 25, 33,

103. Edidit carmen paschale, sed in chartulas dispersum, 74, 86. Juvencum imitatur, 158. Cur Juvenci non meminerit, 139. Multus est in concisionibus, 104, 137, 195, 311. Ad meliora se convertit, 156 *seq.* Carmine magis, quam prosa valebat, 148. A fabulis maxime abhorrens, 172, 358. Defenditur, 175. Verborum involucra amat, 267. Acumen in vocibus amat, 381. A Gelasio laudatus, 419. Ejus patria, 6 *seq.* Nomina, 8 *seq.* Peregrinatio, 11. Elogia, 94 *seqq.* Epigramma, 32, 381. Hymnus, 372. Opera dubia, 32. Opera grammaticalia, 28 *seq.* Opus De regimine Principum, 38. Verba in officio liturgico, 97. Codices mss., 39 *seqq.*, 55. Codices mss. corrupti, 108 *seq.* Editiones, 58 *seqq.* Editio præsens, 129. Explanationes, 36. Usus improprius adjectivorum ipsi familiaris, 142. Epistola quædam importune eidem supposita, 54. Subtile ejus argumentum, 349.
Sedulius, *vide* Belisarius, Liberius, Asterius.
Sedulius Græcus, 39.
Semedia Latinitas, 426.
Semihomo canis, 182.
Semine vipereo, 343.
Semper amicum, 246.
Seneca reprehenditur, 2.
Seneca Trag., 143, 258.
Senescens dies, 261.
Senectus mentis, 214.
Sententia læta, tristis, 283. Pro *judice*, 301.
Sepulcra alba, 314.
Sepulcrum Domini, 344.
Serere miracula, 348.
Sergius grammaticus, 98.
Serpens terra vescitur, 220, 230.
Serpo cum accusativo, 159.
Serregius, 98.
Servii Centimetrum, 34. Commentarius in Donatum, 44. Operibus multa inepta immixta, 157.
Servire, et *servare*, 158.
Serum natum, 166.
Severus (Sanctus), 284.
Severus (Sulpicius), 293, 435. Ejus dialogi apocryphi, 424.
Sexus in obliquo ultima correpta, 266.
Si cum indicativo, et subjunctivo, 233.
Sibyllini versus, 394.
Sichardus, 32.
Sidereus, siderius, 174.
Sidonius, 394.
Sigeberti error, 30.
Silo pro Belisario, 57, 92.
Silvestri (S.) Actus, 417.
Silvius poeta vetus, 569 *seq.* Ejus versus, 56 *seq.*
Simeon Dunelmensis, 101.
Similare, et *simulare*, 189.
Simonis o producto, 287.
Simplare, 104, 188.
Simplex, immaculatus, 217.
Simulo, similo, 287.
Sincolla latinitas, 426 *seq.*
Sinderedus Toletanus, 10.
Sine clade, 339.
Sinibaldus (Antonius), 49.
Sinu, et *situ*, 166.
Sinus Abraham, 236.
Sirmondus, 4.
Situ grandævo, 166.
Sitzmannus, 184.
Sobrarius commentator Sedulii, 69.
Sol minister Dei, 182. Obscuratur in morte Christi, 337. Ejus equi, 172.
Solens inferre, 279.
Solinus, 159.
Soprarius, *vide* Sobrarius.
Sors apostolorum, liber apocryphus, 423 *seq.*
Spatium uteri, 294.
Speciale, et *generale*, 275.
Spectare, sperare, 198, 328.
Spela Latinitas, 427.
Spiritus in patrio casu *us* correpto, 187, 227.
Spiritus sanctus in specie columbæ, 218, 369.
Spiritus ater, dæmon, 293.
Spritu, et *Spirtu*, 371.
Sputa prima brevi, 321.
Squameus serpens, 169.
St producunt brevem dictionis præcedentis, 225.
Statius, 50.
Sternere collisas catervas, 211.
Suarez (Franc.), 128, 351.
Suave trisyllabum, 104.
Sublimus, et *sublimis*, 357.
Subscriptiones mss. codd. sæpe suppositiæ, 124.
Succus, sucus, 160.
Sudum, serenitas, 106.
Suetonius, 2, 396.
Sugerius, 151.
Summissa voce, 222.
Superas auras, 248.
Supercilium ponere, 151.
Superstitio insana, 184.
Sus amica luto, 246.
Suscipit, et *suspicit*, 214.
Symmachus patricius, 39.
Syncletice, 12, 143.
Syncletice a senatu dicta, 143.
Synæresis, 311.

T

Tantum, quantum, 274. *Quod nihil est*, 396.
Tartara de inferis, 305.
Taurinensis codex Sedulii, 39 *seq.*
Tautologia poetis familiaris, 170.
Tegere diem, 337.
Telestichis quid sit, 394.
Tellierius a calumnia vindicatur, 111 *seqq.*
Temporum mutatio, 254.
Temporum nostrorum calamitas, 1 *seq.*
Tempestas sedata, 243.
Tenere viam, 209.
Tenere pro *regere*, 203.
Tensos sinus, 201.
Tenuant opes, 249.
Terentius, 149, 203, 297.
Ternus, et *trinus*, 191, 336.
Terræmotus in morte Domini, 339.
Terrigenæ, homines, 106.
Tertullianus, 193. Opuscula ejus apocrypha, 424.
Testamenta legis, 103.
Testamentum Job, liber apocryphus, 422.
Testudine templi, 300.
Tete, tute, 225.
Thascii Cypriani quæ opuscula apocrypha, 425.
Theobaldus episcopus, 47.
Theocritus, 165, 174.
Theodoricus rex, 59.
Theodorus Cantuar., 83, 409.
Theodosius imperator, 12, 23. Theodosius Junior, 24.
Theodulphus Aurelianensis, 33, 48, 99, 361.
Theologicæ quæstiones sermone vulgari non pertractandæ, 131 *seq.*
Theophilactus, 359.
Theophilus Alexandr., 414.
Thesaurus, liber apocr., 422.
Thesidæ, Athenienses, 159.
Thiers (Jo.) notatur, 439.
Thomas (Didymus), 353.
Thomas S. Doctor Angelicus, 126, 128.
Thomasius (Ven. Card.), 67, 372, 416.
Thorus pro *torus*, 151.
Tibiæ in funeribus adhibitæ, 251.
Tibicines correpta secunda, 251.
Tibullus, 104, 171, 261.
Tichonii opuscula apocrypha, 425.
Tillemontius, 424.
Timæi filius cæcus, 297.
Tinea i producto, 273.
Tirocinium ætatis, 141.
Tituli in Sedulio, 161.
Titulus carminis paschalis, 22. Crucis, 333. Librorum, duplex, 22.
Tiven (Petrus), 47.
Tollere, portare, auferre, 216.
Tonitrus, tonitri, et *tonitruum, tonitrui*, 312.
Toribius Asturicensis, 420.
Torpere acumen, 398.
Torridus cruor, 377.
Torva æquora, 262.
Tota virtute, 193.
Totis virtutibus, 254.
Totum pro *omnia*, 249, 321, 358.
Trabalis, ingens, vel firmus, 325.
Trabeæ pro *consulatu*, 393.
Tractare, 206.
Traditor, 104, 317.
Transfiguratio Domini, 266.
Transitus S. Mariæ, liber apocryphus, 422.
Trasamundus rex, 125.
Trinitatis mysterium, 187.
Trinum numen, 191.
Trinus, et *terinus*, *ibid.*
Triplicet, triplicabile, 188.
Triste ministerium, 289.
Tristis, amarus, 330.
Trithemius, 7, 18 *seq.*
Triumphus Christi Hierusalem ingredientis, 306.
Trombellius, 125, 408.
Tubæ in funeribus visitatæ, 251.
Tubicines prima producta, 251.
Tuens, intuens, 335.
Tulit pro *attulit*, et *abstulit*, 258, 365.
Tumor de superbia, 361.
Tunica Christi, 334.
Turpis bos, 182.
Turcia Aproniana Asteria gens, 75.
Tyranni, reges, 274.
Tzetzes poeta, 93.

U

Ubique pro *et ubi*, 246.
Unanimus, unanimis, 298.
Unas, unatis rejicitur, 195.
Ungue, et *angue*, 162.
Unus filius, unus, 270.
Urbanus II, 36.
Uriel an angelus, 439.
Ursicinus presb., 142.
Ursinus episcopus, 12, 141.
Us in accusativo plurali contractum, 104 *seq.*
Us pluralis correctus, 212.
Usserius refellitur, 14.

V

V, et *b* confusa, 199, 284.
V, et *f* commutata, 176.
Vavassorius, 439.
Vacare a pietate, 318.
Vada salsa, 242.
Vagas auras, 279. *Umbras*, 339.
Vagitus pro *vagienti*, 212.
Valerius Flaccus, 174.
Valletta (D.), 31.
Vana, et *fana*, 159.
Vano, vacuo, 288.
Varro, 217, 284.
Vasis aureis utebantur divites in conviviis, 154.
Vazquez (Gabriel), 127.
Veges pro vini cado, 155.
Vegia, *vide* Og.
Vel pro *et*, 358.
Velleius, 289, 304.
Veneranter, 358 *seq.*
Veniale, 199.
Venitus pro *venditus*, 363.
Venti Christo obediunt, 243
Ventosa loquendi gloria, 225.

Verborum contraria genera, 268.
Verenter, 157.
Versiculorum in sacris Bibliis distinctio antiquissima, 430, 433.
Versificatores inepti, 99.
Versus incipientes a voce monosyllaba elisa, 176. Inediti, 550. Quidam barbari, 48 *seq.*
Versus spondaicus, 553.
Vestigia, 513.
Vestigiis trisyllabum, 358.
Vestra pro *tua*, 139.
Vezzosius, 109, 416.
Victorianus, 87.
Victorinus Petabionensis, al. Pictaviensis, 252, 267, 425.
Vida (Hieronymus), 47.
Videns, virens, vivens, 168.
Viduæ filius suscitatur, 289.
Vigoris, viroris, rigoris, 169.
Vina in Palæstina solum rubra, 237.
Vincere famem, 356.
Vincla crucis, 536, 544.
Vinum gaudia vitis, 297.
Vir, maritus, 166.
Viretum, et *virectum*, 160.
Virga in draconem conversa, 169.
Virgilianus Cento apocryphus, 422.
Virgilius, 137 *seq.*, 160, 169, 178, 180 *seqq.*, 186, 189, 192 *seqq.*, 197 *seq.*, 200, 211, 213, 217 *seq.*, 221, 234, 236, 242, 248, 250 *seq.*, 260, 271, 288 *seq.*, 291, 294 *seq.*, 298, 502, 506 *seq.*, 535 *seq.*, 538, 546, 549, 556 *seq.*, 568, 584 *seqq.*, 597. Ejus codex Mediceus, 78.
Virginal, 106.
Virtus, virtutes de miraculis, 509.
Viscera pro *corpore*, 545.
Vita, ratio vitæ, 293, 299.
Vitæ Patrum, et eremitarum, 417.
Vivens frutex, 169.
Vivum cadaver, 247.
Vivus, immortalis, 510.
Vix unus, 297.
Vocis iter, 282.
Voluntarius suo ingenio, 140.
Volupe est, 105.
Vonckius illustrator Sedulii, 68. Rejicitur, 152.
Vossius (Ger. Jo.), 23. Isaacus, 55.
Vota inopina, 250.
Vulcanius, 52.
Vulnera pro vitiis, 284.
Walchius, 87, 102.
Wando abbas, 58.
Wasius, 55.
Westhemerus, 64.
Wilthemius, 75.
Withofius, 70, 592.
Wopkensius illustrator Sedulii, 68. Impugnatur, 133, 203, 255, 267, 297, 539.

X

X littera quando inventa, 378.
Xeromyrrha, *ibid.*
Xristus pro *Christus*, *ibid.*
Xysti nomine liber apocryphus, 422.
Xystus Senensis, 11.

Y

Y, et *i* confusa, 579. In alphabeto Latino olim non erat, *ibid.*
Ymnus pro *hymnus*, *ibid.*

Z

Zaccagni (Laurent.), 44, 111.
Zacharias papa, 459.
Zacharias (Franc. Ant.), 52, 62, 81, 401.
Zeno, Hispalensis episcopus, 410.
Zieglerus, 143.
Zovenzonius (Raph.), 42.

ORDO RERUM
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

JUVENCUS.

Epistola dedicatoria. 9
PROLEGOMENA IN JUVENCUM. 11
Caput primum.—S. Hieronymi de Juvenco testimonia expenduntur. Opinio de religioso cultu olim Juvenco præstito rejicitur. *Ibid.*
Cap. II.—Codices mss. Juvenci recensentur. 25
Cap. III.—Editiones carminum Juvenci. 31
Cap. IV.—Elogia Juvenci ex veteribus scriptoribus ac nonnullis recentibus petita. 41
Cap. V.—Matthæi locus, cap. XX, v. 28, aliter a Juvenco lectus, ac nunc in Vulgata legitur. 48
Cap. VI.—Utilitas conferendi mss. codices Juvenci. Methodus hujus editionis. 51
HISTORIÆ EVANGELICÆ LIBRI IV. 53
Præfatio. *Ibid.*
Altera præfatio. 57
Historiæ Evangelicæ liber primus. 61
Liber II. 147
Liber III. 215
Liber IV. 279
LIBER IN GENESIM, Juvenco attributus. 345
CARMEN DE LAUDIBUS DOMINI, item Juvenco attributum. 379
TRIUMPHUS CHISTI, item carmen Juvenco attributum. 385

PORPHYRIUS OPTATIANUS.

Epistola nuncupatoria. 387
Testimonia de Optatiano. 389
Epistola Porphyrii ad Constantinum. 391
Epistola Constantini ad Porphyrium. 393
CARMINA. 395
PANEGYRICUS Constantino Augusto dictus. *Ibid.*

SEDULIUS.

Epistola dedicatoria. 433
PROLEGOMENA IN SEDULIUM. 435
Caput primum.—Sedulii Vita et gesta. *Ibid.*
Cap. II.—Opera Sedulii recensentur. 447
Cap. III.—Codices manuscripti Sedulii recensentur. 463
Cap. IV.—Recensentur editiones Sedulii, interpretes, et conjecturarum auctores. 477
Cap. V.—De Asterio, qui carmina Sedulii collegit; de Liberio et Belisario, qui Sedulium versibus acrostichis ornaverunt. 486
Cap. VI.—Elogia Sedulii, ac doctorum hominum de eo judicia. 504
Cap. VII.—De codd. mss. correctoribus, et corruptoribus. Excursus in codicem S. Hilarii, qui in Archivio Basilicæ Vaticanæ asservatur. 513
Cap. VIII.—Quid in nova hac Sedulii editione præstitum sit. 530
SEDULII CARMEN PASCHALE, cui subjacet et continenter respondet OPUS PASCHALE. 533
Dedicatio Carminis Paschalis, ad Macedonium. *Ibid.*
Dedicatio Operis Paschalis, ad Macedonium. 545
Prologus metricus, ad lectorem. 549
Liber primus. 555
Liber secundus. 595
Liber tertius. 635
Liber quartus. 671
Liber quintus. 705
Elegia. 755
Hymnus. 765
Epigramma. 771
APPENDIX. 775
Carmen de Incarnatione. *Ibid.*
Carmina epigrammatica. 779
DECRETUM de libris recipiendis et non recipiendis. 787
Pars prima.—Concilium urbis Romæ sub Damaso papa celebratum. De explanatione fidei catholicæ. *Ibid.*
Pars secunda et tertia.—Decretum Gelasianum, ex mss. Vaticanis, nec non paraphrasis ejusdem decreti. 793

SEVERUS RHETOR.

Prolegomena. 795
CARMEN BUCOLICUM, de Virtute signi crucis. 797

FALTONIA PROBA.

Prolegomena. 801
CENTONES VIRGILIANI. 805

AUSONIUS.

In Ausonium Prolegomena. 817
PRÆFATIUNCULÆ. 823
Epistola Theodosii Augusti ad Ausonium. *Ibid.*
Epistola Ausonii ad Theodosium. *Ibid.*
Epistola Ausonii Syagrio. 824
Epistola Ausonii ad Latinum Pacatum Drepanium. 825
EPIGRAMMATA. *Ibid.*
I. De Augusto. — II. De fera a Cæsare interfecta. — III. Danubius Nilum alloquitur. 825.— IV. Idem eumdem alloquitur.—V. Sub Valentiniani Junioris signo marmoreo. —VI. Picturæ subditi, ubi leo una a Gratiano sagitta occisus est. — VII. De matre Augusti. — VIII. Exhortatio ad modestiam. — IX. De suis poematis. — X. In mulierem adulteram. 825-826.
XI. Echo ad pictorem. — XII. In simulacrum Occasionis et Pœnitentiæ. — XIII. De lepore capto a cane marino. — XIV. De Pergamo scriptore fugitivo qui captus fuerat.—XV. In eumdem Pergamum. — XVI. De se et uxore. — XVII. Ad uxorem suam. — XVIII. In Meroen, anum ebriosam.— XIX. Nemesis, e Græco. — XX. De varietate fortunæ, e Græco.—XXI. Idem aliter.—XXII. De Thrasybulo.—XXIII. De Lacæna matre.—XXIV. In divitem quemdam. 827-828.
XXV. Antisthenes, cynicus philosophus. — XXVI.

Idem. — XXVII. Libero patri. — XXVIII. Myobarbum Liberi patris signo marmoreo in villa nostra, omnium deorum argumenta habentis. — XXIX. In Corydonem marmoreum. — XXX. In simulacrum Sapphus. — XXXI. Deæ Veneris. — XXXII. Ad libellum suum de Proculo. — XXXIII. De nomine cujusdam Lucii sculpto in marmore. — XXXIV. De Sabina uxore. — XXXV. De eadem Sabina.—XXXVI. De eadem.— XXXVII. De Christo et Acindyno fratribus.— XXXVIII. De iisdem. — XXXIX. Ad Philomusum grammaticum. — XL. In statuam Rufi, rhetoris semiviri et elinguis. — XLI. In tabulam ubi erat picta imago Rufi rhetoris. 829-830.

XLII. De eadem tabula.—XLIII. De eodem Rufo.—XLIV. Idem.—XLV. De eodem Rufo.—XLVI. Imago Rufi rhetoris.—XLVII. De eadem Rufi statua.—XLVIII. De Diogene cynico philosopho.—XLIX. De Crœso et eodem Diogene. —L. Ad Dædalum, de bucula Myronis.—LI. Eadem de se ipsa.—LII. Eadem.—LIII. Eadem.—LIV. De eadem Myronis bucula.—LV. Eadem bucula de se.—LVI. De eadem bucula.—LVII. De eadem bucula.—LVIII. Quæ sexum mutarint.—LIX. De Achilla, qui dissecuit calvariam.—LX. De Alcone medico et Diodoro haruspice.—LXI. De signo Jovis et Alcone medico. 831-832

LXII. In Eunomum medicum.—LXIII. In hominem vocis absonæ.—LXIV. Ex Græco, Ἀρχὴ τὸ ἥμισυ πάντος.—LXV. Ἀ χάρις ἀ βραδύπους, ἄχαρις χάρις.—LXVI. Idem.—LXVII. In saltatorem ineptum.—LXVIII. De eodem.—LXIX. Dodrulis potio.—LXX. De eadem.—LXXI. De eadem.—LXXII. Pulchrum Dei responsum.—LXXIII. De Narcisso sui ipsius amante.—LXXIV. De eodem.—LXXV. In Echo dolentem propter mortem Narcissi.—LXXVI. Ad Apollinem, de Daphne puella fugiente. — LXXVII. Ad corticem quo Daphne tegebatur.—LXXVIII. In duas sorores diversorum morum.— LXXIX. In Venerem anadyomenen.—LXXX. In puerum formosum.—LXXXI. De quodam Sylvio Bono, qui erat Brito.—LXXXII. De eodem.— LXXXIII. De eodem. 833-834

LXXXIV. De eodem.— LXXXV. De eodem.—LXXXVI. De eodem.—LXXXVII. In Furippum.—LXXXVIII. Epicuri opinio.—LXXXIX. De homine pigro.—XC. In Didus imaginem.—XCI. In Faustulum staturæ brevis Anicii Probini. XCII. In Medææ imaginem.—XCIII. In eumdem.—XCIV. In cæcum et claudum. — XCV. Idem.— XCVI. De divite et paupere.—XCVII. De Penelope.—XCVIII. In Grammaticum. —XCIX. De infausto matrimonio Grammatici. 835-836.

C. De Auxilio grammatico.— CI. De fratribus Thebanis. —CII. De ingratis, ex Menandro.—CIII. De Demosthene. —CIV. De fortunæ varietate.—CV. In Stellam.—CVI. Ex Menandro.—CVII. Ad notarium velocissime excipientem. —CVIII. Ausonius filio suo.— CIX. Supputatio ab Urbe condita in consulatum Ausonii.—CX. De eodem ad Proculum.—CXI. In fine libri Fastorum additi. 837-838

EPHEMERIS. 839

PARENTALIA. 841

Præfatio versibus adornata. *Ibid.*

I. Junius Ausonius, pater.—II. Æmilia Æonia, mater.— III. Æmilius Magnus Arborius, avunculus.—IV. Cæcilius Argicius Arborius, avus.—V. Æmilia Corinthia Manra, avia. —VI. Æmilia Hilaria, matertera, virgo devota. 843-844

VII. Contentus et Julius Calippio, patrui.—VIII. Attusius Lucanus Talisius, socer.—IX. Attusia Lucana Sabina uxor.—X. Ausonius, parvulus filius.—XI. Pastor, nepos ex filio.—XII. Julia Dryadia, soror.—XIII. Avitianus, frater. 845-846

XIV. Valerius Latinis Euronius, gener.—XV. Pomponius Maximus, affinis.—XVI. Veria Liceria, uxor Arborii sororis filii.—XVII. Pomponius Maximus Herculanus, sororis filius.—XVIII. Fl. Sanctus, maritus Pudentillæ.—XIX. Namia Pudentilla, affinis.—XX. Lucanus Talisius.—XXI. Attusia Lucana Talisia; Ermiuiscius Regulus, affinis. 847-848

XXII. Severus Censor Julianus. — XXIII. Paulinus et Dryadia, filii Paulini, et Megentiræ sororis filiæ.— XXIV. Paulinus, sororis gener. — XXV. Æmilia Dryadia, matertera. — XXVI. Julia Cataphronia, amita. — XXVII. Julia Veneria, amita. — XXVIII. Julia Idalia, consobrina. — XXIX. Æmilia Melania, soror. — XXX. Pomponia Urbica, consocrus, uxor Juliani censoris. 849-850

COMMEMORATIO PROFESSORUM BURDIGALENSIUM. 851

Præfatio. *Ibid.*

I. Tiberius Victor Minervius, orator. — II. Latinus Alcimus Alethius, rhetor. — III. Luciolus, rhetor. — IV. Attius Patera, rhetor. *Ibid.*

V. Attius Tiro Delphidius, rhetor. — VI. Alethio Minervio, filio, rhetori.— VII. Leontius grammaticus, cognomento Lascivus. 853-854

VIII. Grammaticis Græcis Burdigalensibus. — IX. Jucundo, grammatico Burdigalensi, fratri Leontii.—X. Grammaticis latinis Burdigalensibus philologis, Macrino, Phœbitio, Concordio, Sucroni, Ammonio Anastasio grammatico Pictaviorum.—XI. Herculano sororis filio, grammatico Burdigalensi. — XII. Thalasso, grammatico Burdigalensi. 855-856

XIII. Citario Sicalo Syracusano, grammatico Burdigalensi. — XIV. Censorio Attico Agricio rhetori. — XV. Nepotiano, grammatico.—XVI. Æmilius Magnus Arborius, rhetor Tolosæ. — XVII. Exuperius, rhetor Tolosæ. — XVIII. Marcello grammatico Narbonensi. — XIX. Sedatus, rhetor Tolosanus. 857-858

XX. Staphylius, rhetor. — XXI. Crispus et Urbicus, grammatici. — XXII. Victorio, proscholo. — XXIII. Dynamio Burdigalensi. — XXIV. Acibio Glabriensi. 859-860

EPITAPHIA HEROUM. 861

Epitahia heroum qui bello Trojano interfuerunt. *Ibid.*

Aliquot aliorum epitaphia. 864

DE DUODECIM CÆSARIBUS. 865

TETRASTICHA. *Ibid.*

ORDO NOBILIUM URBIUM. 869

SEPTEM SAPIENTUM LUDUS ET SENTENTIÆ. 871

IDYLLIA. 877

Idyllium primum. — Versus paschales Proco dicti. 877

Idyllium II. — Epicedion in patrem suum Julium Ausonium. 878

Idyllium III. — Ausonii villula. 879

Idyllium IV. — Ad nepotem Ausonium, de studio puerili. 880

Idyllium V. — Genethliacòn, ad eumdem. 882

Idyllium VI. —Cupido cruci fixus. *Ibid.*

Idyllium VII.—Bissula. 885

Idyllium VIII.—Precatio Ausonii consulis designati. 886

Idyllium IX.—Item precatio Kalendis Januariis. 887

Idyllium X.—Mosella. *Ibid.*

Idyllium XI.—Griphus ternarii numeri. 895

Idyllium XII.—Technopægnion. 898

Idyllium XIII.—Cento nuptialis. 902

Idyllium XIV.—Rosæ. 905

Idyllium XV.—De ambiguitate eligendæ vitæ. 906

Idyllium XVI.—De viro bono. *Ibid.*

Idyllium XVII.—Ναὶ καὶ οὐ Πυθαγορικόν. 907

Idyllium XVIII.—De ætatibus animalium Hesiodion. 908

Idyllium XIX.—De ærumnis Herculis. *Ibid.*

Idyllium XX.—Musarum inventa et munera. *Ibid.*

ECLOGÆ. 907

De ratione libræ. *Ibid.*

De ratione puerperii maturi. 909

Signa cœlestia. 910

Ratio dierum anni vertentis. *Ibid.*

De nominibus septem dierum. *Ibid.*

De mensibus et quatuor anni temporibus.—De mensibus varia. 911-912

Ciceronis versus quod signum quo tempore illustre sit patefacientes.—A solsticio in æquinoctium ratio.—De feriis Romanis.—De lustralibus agonibus.—De locis, auctoribus et causis variis agonum. 913-914

EPISTOLÆ. *Ibid.*

Epistola prima.—Ausonius ad patrem, de suscepto filio. 913

Epist. II.—Pater ad filium. 915

Epist. III.—Ausonius Hesperio. 916

Epist. IV —Ausonius Theoni. *Ibid.*

Epist. V.—Idem eidem. 918

Epist. VI.—Idem eidem. *Ibid.*

Epist. VII.—Idem eidem. *Ibid.*

Epist. VIII.—Ausonius Axio Paulo. 920

Epist. IX.—Idem eidem. *Ibid.*

Epist. X.—Idem eidem. 921

Epist. XI.—Idem eidem. 922

Epist. XII.—Idem eidem. *Ibid.*

Epist. XIII.—Idem eidem. 923

Epist. XIV.—Idem eidem. *Ibid.*

Epist. XV.—Ausonius Tetradio. 924

Epist. XVI.—Ausonius Probo præfecto. *Ibid.*

Epist. XVII.—Ausonius Ursulo grammatico. 927

Epist. XVIII.—Ausonius Pontio Paulino. *Ibid.*

Epist. XIX.—Idem eidem. 928

Epist. XX.—Idem eidem. 929

Epist. XXI.—Idem eidem. 930

Epist. XXII.—Idem eidem. 931

Epist. XXIII.—Idem eidem. 932

Epist. XXIV.—Idem eidem. 934

Epist. XXV.—Ausonius Symmacho. 935

GRATIARUM ACTIO AD GRATIANUM. 937

Periochæ in Homeri Iliada et Odysseam. 947

FINIS TOMI DECIMI NONI.

ARCHIGYMNASII
BIBLIOTHECA CAROLINA

ELENCHUS OPERUM QUAE IN HOC TOMO CONTINENTUR.

JUVENCUS.
Historia Evangelica.
Liber in Genesim.
Carmen de Laudibus Domini.
OPTATIANUS.
Panegyricus Constantino Augusto dictus.
SEDULIUS.
Carmen Paschale cum Opere Paschali junctum.
Elegia.
Hymnus.
Epigramma.
Carmen de Incarnatione.
SEVERUS RHETOR.
Carmen Bucolicum de virtute signi crucis.
FALTONIA PROBA.
Centones Virgiliani.
AUSONIUS.
Epigrammata, Idyllia. Epistolae, nec non et alia opuscula varii generis.

ORDO RERUM QUAE IN HOC TOMO CONTINENTUR.

JUVENCUS.
Epistola dedicatoria.
PROLEGOMENA IN JUVENCUM.
CAPUT PRIMUM. - S. Hieronymi de Juvenco testimonia expenduntur. Opinio de religioso cultu olim Juvenco praestito rejicitur.
CAP. II. - Codices mss. Juvenci recensentur.
CAP. III. - Editiones carminum Juvenci.
CAP. IV. - Elogia Juvenci ex veteribus scriptoribus ac nonnullis recentibus petita.
CAP. V. - Matthaei locus, cap. XX, V. 28, aliter a Juvenco lectus, ac nunc in Vulgata legitur.
CAP. VI. - Utilitas conferendi mss. codices Juvenci. Methodus hujus editionis.
HISTORIAE EVANGELICAE LIBRI IV.
Praefatio.
Altera praefatio.
HISTORIAE EVANGELICAE LIBER PRIMUS.
LIBER II.
LIBER III.
LIBER IV.
LIBER IN GENESIM, JUVENCO ATTRIBUTUS.
CARMEN DE LAUDIBUS DOMINI, ITEM JUVENCO ATTRIBUTUM.
TRIUMPHUS CHISTI, ITEM CARMEN JUVENCO ATTRIBUTUM.
PORPHYRIUS OPTATIANUS.
Epistola nuncupatoria.
Testimonia de Optatiano.
Epistola Porphyrii ad Constantinum.
Epistola Constantini ad Porphyrium.
CARMINA.
PANEGYRICUS CONSTANTINO AUGUSTO DICTUS.
SEDULIUS.
Epistola dedicatoria.
PROLEGOMENA IN SEDULIUM.
CAPUT PRIMUM. - Sedulii Vita et gesta.
CAP. II. - Opera Sedulii recensentur.
CAP. III. - Codices manuscripti Sedulii recensentur.
CAP. IV. - Recensentur editiones Sedulii, interpretes, et conjecturarum auctores.
CAP. V. - De Asterio, qui carmina Sedulii collegit; de Liberio et Belisario, qui Sedulium versibus acrostichis ornaverunt.
CAP. VI. - Elogia Sedulii, ac doctorum hominum de eo judicia.
CAP. VII. - De codd. mss. correctoribus, et corruptoribus. Excursus in codicem S. Hilarii, qui in Archivio Basilicae Vaticanae asservatur.
CAP. VIII. - Quid in nova hac Sedulii editione praestitum sit.
SEDULII CARMEN PASCHALE, CUI SUBJACET ET CONTINENTER RESPONDET OPUS PASCHALE.
Dedicatio Carminis Paschalis, ad Macedonium.
Dedicatio Operis Paschalis, ad Macedonium.
Prologus metricus, ad lectorem.
LIBER PRIMUS.
LIBER SECUNDUS.
LIBER TERTIUS.
LIBER QUARTUS.
LIBER QUINTUS.
Elegia.
Hymnus.
Epigramma.
APPENDIX.
Carmen de Incarnatione.
Carmina epigrammatica.
DECRETUM de libris recipiendis et non recipiendis.
PARS PRIMA. - Concilium urbis Romae sub Damaso papa celebratum. De explanatione fidei catholicae.
PARS SECUNDA et TERTIA. - Decretum Gelasianum, ex mss. Vaticanis, nec non paraphrasis ejusdem decreti.
SEVERUS RHETOR.
Prolegomena.
CARMEN BUCOLICUM, de Virtute signi crucis.
FALTONIA PROBA.
Prolegomena.
CENTONES VIRGILIANI.
AUSONIUS.
In Ausonium Prolegomena.
PRAEFATIUNCULAE.
Epistola Theodosii Augusti ad Ausonium.
Epistola Ausonii ad Theodosium.
Epistola Ausonii Syagrio.
Epistola Ausonii ad Latinum Pacatum Drepanium.
EPIGRAMMATA.
I. De Augusto. - II. De fera a Caesare interfecta. - III. Danubius Nilum alloquitur.

- IV. Idem eumdem alloquitur. - V. Sub Valentiniani Junioris signo marmoreo. - VI. Picturae subditi, ubi leo una a Gratiano sagitta occisus est. - VII. De matre Augusti. - VIII. Exhortatio ad modestiam. - IX. De suis poematis. - X. In mulierem adulteram.
XI. Echo ad pictorem. - XII. In simulacrum Occasionis et Poenitentiae. - XIII. De lepore capto a cane marino. - XIV. De Pergamo scriptore fugitivo qui captus fuerat. - XV. In eumdem Pergamum. - XVI. De se et uxore. - XVII. Ad uxorem suam. - XVIII. In Meroen, anum ebriosam. - XIX. Nemesis, e Graeco. - XX. De varietate fortunae, e Graeco. - XXI. Idem aliter. - XXII. De Thrasybulo. - XXIII. De Lacaena matre. - XXIV. In divitem quemdam.
XXV. Antisthenes, cynicus philosophus, - XXVI. Idem. - XXVII. Libero patri. - XXVIII. Myobarbum Liberi patris signo marmoreo in villa nostra, omnium deorum argumenta habentis. - XXIX. In Corydonem marmoreum. - XXX. In simulacrum Sapphus. - XXXI. Deae Veneris. - XXXII. Ad libellum suum de Proculo. - XXXIII. De nomine cujusdam Lucii sculpto in marmore. - XXXIV. De Sabina uxore. - XXXV. De eadem Sabina. - XXXVI. De eadem. - XXXVII. De Christo et Acindyno fratribus. - XXXVIII. De iisdem. - XXXIX. Ad Philomusum grammaticum. - XL. In statuam Rufi, rhetoris semiviri et elinguis. - XLI. In tabulam ubi erat picta imago Rufi rhetoris.
XLII. De eadem tabula. - XLIII. De eodem Rufo. - XLIV. Idem. - XLV. De eodem Rufo. - XLVI. Imago Rufi rhetoris. - XLVII. De eadem Rufi statua. - XLVIII. De Diogene cynico philosopho. - XLIX. De Croeso et eodem Diogene. - L. Ad Daedalum, de bucula Myronis. - LI. Eadem de se ipsa. - LII. Eadem. - LIII. Eadem. - LIV. De eadem Myronis bucula. - LV. Eadem bucula de se. - LVI. De eadem bucula. - LVII. De eadem bucula. - LVIII. Quae sexum mutarint. - LIX. De Achilla, qui dissecuit calvariam. - LX. De Alcone medico et Diodoro haruspice. - LXI. De signo Jovis et Alcone medico.
LXII. In Eunomum medicum. - LXIII. In hominem vocis absonae. - LXIV. Ex Graeco, [...] [...] [...] [...] . - LXV. A [...] [...] [...] [...] [...] . - LXVI. Idem. - LXVII. In saltatorem ineptum. - LXVIII. De eodem. - LXIX. Dodrulis potio. - LXX. De eadem. - LXXI. De eadem. - LXXII. Pulchrum Dei responsum. - LXXIII. De Narcisso sui ipsius amante. - LXXIV. De eodem. - LXXV. In Echo dolentem propter mortem Narcissi. - LXXVI. Ad Apollinem, de Daphne puella fugiente. - LXXVII. Ad corticem quo Daphne tegebatur. - LXXVIII. In duas sorores diversorum morum. - LXXIX. In Venerem anadyomenen. - LXXX. In puerum formosum. - LXXXI. De quodam Sylvio Bono, qui erat Brito. - LXXXII. De eodem. - LXXXIII. De eodem.
LXXXIV. De eodem. - LXXXV. De eodem. - LXXXVI. De eodem. - LXXXVII. In Furippum. - LXXXVIII. Epicuriopinio. - LXXXIX. De homine pigro. - XC. In Didus imaginem. - XCI. In Faustulum staturae brevis Anicii Probini. XCII. In Medaeae imaginem. - XCIII. In eumdem. - XCIV. In caecum et claudum. - XCV. Idem. - XCVI. De divite et paupere. - XCVII. De Penelope. - XCVIII. In Grammaticum. - XCIX. De infausto matrimonio Grammatici.
C. De Auxilio grammatico. - CI. De fratribus Thebanis. - CII. De ingratis, ex Menandro. - CIII. De Demosthene. - CIV. De fortunae varietate. - CV. In Stellam. - CVI. Ex Menandro. - CVII. Ad notarium velocissime excipientem. - CVIII. Ausonius filio suo. - CIX. Supputatio ab Urbe condita in consulatum Ausonii. - CX. De eodem ad Proculum. - CXI. In fine libri Fastorum additi.
EPHEMERIS.
PARENTALIA.
Praefatio versibus adornata.
I. Junius Ausonius, pater. - II. Aemilia Aeonia, mater. - III. Aemilius Magnus Arborius, avunculus. - IV. Caecilius Argicius Arborius, avus. - V. Aemilia Corinthia Manra, avia. - VI. Aemilia Hilaria, matertera, virgo devota.
VII. Contentus et Julius Calippio, patrui. - VIII. Attusius Lucanus Talisius, socer. - IX. Attusia Lucana Sabina uxor. - X. Ausonius, parvulus filius. - XI. Pastor, nepos ex filio. - XII. Julia Dryadia, soror. - XIII. Avitianus, frater.
XIV. Valerius Latinis Euronius, gener. - XV. Pomponius Maximus, affinis. - XVI. Veria Liceria, uxor Arborii sororis filii. - XVII. Pomponius Maximus Herculanus, sororis filius. - XVIII. Fl. Sanctus, maritus Pudentillae. - XIX. Namia Pudentilla, affinis. - XX. Lucanus Talisius. - XXI. Attusia Lucana Talisia; Erminiscius Regulus, affinis.
XXII. Severus Censor Julianus. - XXIII. Paulinus et Dryadia, filii Paulini, et Megentirae sororis filiae. - XXIV. Paulinus, sororis gener. - XXV. Aemilia Dryadia, matertera. - XXVI. Julia Cataphronia, amita. - XXVII. Julia Veneria, amita. - XXVIII. Julia Idalia, consobrina. - XXIX. Aemilia Melania, soror. - XXX. Pomponia Urbica, consocrus, uxor Jutiani censoris.
COMMEMORATIO PROFESSORUM BURDIGALENSIUM.
Praefatio.
I. Tiberius Victor Minervius, orator. - II. Latinus Alcimus Alethius, rhetor. - III. Luciolus, rhetor. - IV. Attius Patera, rhetor.
V. Attius Tiro Delphidius, rhetor. - VI. Alethio Minervio, filio, rhetori. - VII. Leontius grammaticus, cognomento Lascivus.
VIII. Grammaticis Graecis Burdigalensibus. - IX. Jucundo, grammatico Burdigalensi, fratri Leontii. - X. Grammaticis latinis Burdigalensibus philologis, Macrino, Phoebitio, Concordio, Sucuroni, Ammonio Anastasio grammatico Pictaviorum. - XI. Herculano sororis filio, grammatico Burdigalensi. - XII. Thalasso, grammatico Burdigalensi.
XIII. Citario Sicalo Syracusano, grammatico Burdigalensi. - XIV. Censorio Attico Agricio rhetori. - XV. Nepotiano, grammatico. - XVI. Aemilius Magnus Arborius, rhetor Tolosae. - XVII. Exuperius, rhetor Tolosae. - XVIII. Marcello grammatico Narbonensi. - XIX. Sedatus, rhetor Tolosanus.
XX. Staphylius, rhetor. - XXI. Crispus et Urbicus, grammatici. - XXII. Victorio, proscholo. - XXIII. Dynamio Burdigalensi. - XXIV. Acibio Glabriensi.
EPITAPHIA HEROUM.
Epitahia heroum qui bello Trojano interfuerunt.
Aliquot aliorum epitaphia.
DE DUODECIM CAESARIBUS.
TETRASTICHA.
ORDO NOBILIUM URBIUM.
SEPTEM SAPIENTUM LUDUS ET SENTENTIAE.
IDYLLIA.
IDYLLIUM PRIMUM. - Versus paschales Proco dicti.
IDYLLIUM II. - Epicedion in patrem suum Julium Ausonium.
IDYLLIUM III. - Ausonii villula.
IDYLLIUM IV. - Ad nepotem Ausonium, de studio puerili.
IDYLLIUM V. - Genethliacon, ad cumdem.
IDYLLIUM VI. - Cupido cruci fixus.
IDYLLIUM VII. - Bissula.
IDYLLIUM VIII. - Precatio Ausonii consulis designati.
IDYLLIUM IX. - Item precatio Kalendis Januariis.
IDYLLIUM X. - Mosella.
IDYLLIUM XI. - Griphus ternarii numeri.
IDYLLIUM XII. - Technopaegnion.
IDYLLIUM XIII. - Cento nuptialis.
IDYLLIUM XIV. - Rosae.
IDYLLIUM XV. - De ambiguitate eligendae vitae.
IDYLLIUM XVI. - De viro bono.
IDYLLIUM XVII. - [...] [...] Où [...] .
IDYLLIUM XVIII. - De aetatibus animalium Hesiodion.
IDYLLIUM XIX. - De aerumnis Herculis.
IDYLLIUM XX. - Musarum inventa et munera.
ECLOGAE.
De ratione librae.
De ratione puerperii maturi.
Signa coelestia.
Ratio dierum anni vertentis.
De nominibus septem dierum.
De mensibus et quatuor anni temporibus. - De mensibus varia.
Ciceronis versus quod signum quo tempore illustre sit patefacientes. - A solsticio in aequinoctium ratio. - De feriis Romanis. - De lustralibus agonibus. - De locis, auctoribus et causis variis agonum.
EPISTOLAE.
EPISTOLA PRIMA. - Ausonius ad patrem, de suscepto filio.
EPIST. II. - Pater ad filium.
EPIST. III. - Ausonius Hesperio.
EPIST. IV. - Ausonius Theoni.
EPIST. V. - Ausonius Theoni.
EPIST. VI. - Ausonius Theoni.
EPIST. VII. - Ausonius Theoni.

EPIST. VIII. - Ausonius Axio Paulo.
EPIST. IX. - Ausonius Axio Paulo.
EPIST. X. - Ausonius Axio Paulo.
EPIST. XI. - Ausonius Axio Paulo.
EPIST. XII. - Ausonius Axio Paulo.
EPIST. XIII. - Ausonius Axio Paulo.
EPIST. XIV. - Ausonius Axio Paulo.
EPIST. XV. - Ausonius Tetradio.
EPIST. XVI. - Ausonius Probo praefecto.
EPIST. XVII. - Ausonius Ursulo grammatico.
EPIST. XVIII. - Ausonius Pontio Paulino.
EPIST. XIX. - Ausonius Pontio Paulino.
EPIST. XX. - Ausonius Pontio Paulino.
EPIST. XXI. - Ausonius Pontio Paulino.
EPIST. XXII. - Ausonius Pontio Paulino.
EPIST. XXIII. - Ausonius Pontio Paulino.
EPIST. XXIV. - Ausonius Pontio Paulino.
EPIST. XXV. - Ausonius Symmacho.
GRATIARUM ACTIO AD GRATIANUM.
PERIOCHAE IN HOMERI ILIADA ET ODYSSEAM.
FINIS TOMI DECIMI NONI.